This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google books

https://books.google.com

This is a reproduction of a library book that was digitized by Google as part of an ongoing effort to preserve the information in books and make it universally accessible.

Google books

https://books.google.com

Digitized by Google

BIBLIOTECA
COMPLUTENSE.
E. 57 C. 1 N. 8

Digitized by Google

DER
A 17879


Digitized by Google

Digitized by Google

UNIVERSIDAD CENTRAL
BIBLIOTECA
DERECHO

ACTA
SANCTORUM
ORDINIS
S. BENEDICTI
IN SÆCULORUM CLASSES DISTRIBUTA.
SÆCULUM QUINTUM,
QUOD EST AB ANNO CHRISTI CM. AD M.

Colligere cœpit Domnus LUCAS d'ACHERY, *Congregationis Sancti Mauri Monachus*,
D. JOANNES MABILLON, *ejuſdem Congregationis abſolvit, illuſtravit, ediditque,*
cum Indicibus neceſſariis.



VENETIIS,

Apud SEBASTIANUM COLETI, & JOSEPHUM BETTINELLI.

SUPERIORUM PERMISSU, AC EXCELLENTISS. SENATUS PRIV.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆFATIO

IN SÆCULUM QUINTUM.

1. IAM tandem ad famoſum illud devenimus ſæculum, de quo tam ſiniſtra opinio eſt apud omnes, tam deplorata fama, ut ſi quis de illo vindicando, vel ſaltem de levandis (uti res exigit) præjudiciis cogitare velit, is de ſua ipſius fama periclitari videatur. Lubricum ſane argumentum, ubi quocumque demum te convertas, in diſcrimen adducitur vel cauſæ juſtitia, vel ſcribentis auctoritas. Quippe tam tetræ illorum temporum expreſſæ ſunt imagines ab auctoribus potiſſimum noſtræ ætatis, tam horridæ tenebræ; nullus ut color ad illas abſtergendas, nulla lux orationis ad has illuſtrandas omnino ſufficiat. Atque utinam in ſolis civilibus rebus, quæ ſane per id tempus deploratiſſimæ erant, ſiſteret, & non magis ad res ſacras pertineret hoc malum! Quin maxime in ipſam vertit Eccleſiam, cujus tam miſerabilis & inculta facies repræſentari ſolet, ut quiſquis eam vel tantiſper amat, ejus commiſeratione nequaquam tangi non poſſit, nec abſque intimo juſti doloris ſenſu conſpiciat eorum diſcrimen, qui funeſtis illis imaginibus utuntur ad impugnandam Eccleſiæ perpetuam & incorruptam unitatem.

2. Hinc enimvero noſtrorum temporum hæretici occaſionem ac materiam captant inſultandi Eccleſiæ, quaſi per offuſas ſæculi illius tenebras antiqua & primigenia Fidei Chriſtianæ puritas violata ſit, cum nemo, „ inquiunt, graſſantibus undique morbis occurreret, ignorantiæ ſcilicet, „ atque effreni criminum licentiæ. Tunc enim facile fuiſſe, ut dormitan„ tibus, altoque vitiorum ſomno oppreſſis Eccleſiæ Paſtoribus, infeſtus „ hoſtis ſuperſereret zizania, quæ tandem puram ac genuinam Fidei ſe„ mentem penitus ſuffocaverint. Atque ex eo tempore Novatores perſuadere contendunt, transſubſtantiationis, immo & realis Chriſti in Euchariſtia præſentiæ dogma, quod Paſchaſio, quaſi primo ipſius doctrinæ auctori tribuunt, per ejuſdem aſſeclas longe lateque iſto demum ſæculo fuiſſe propagatum.

3. Etſi vero hæc conſectaria, utpote a vero prorſus aliena, ſcriptores Catholici rejiciant; plerique tamen eorum cauſas admittunt: quos inter ſummus Annalium eccleſiaſticorum conditor ſuper deploratiſſimo illo ſæculo adeo commotus eſt, ut lectoris animum neceſſaria cautione præmuniendum cenſuerit, ne auditis tot flagitiorum, in ipſa etiam ſanctiſſima ſede commiſſorum, portentis, in damnoſum ſcandali & offenſionis ſcopu-

lum incurreret. Non enim dubitat vir illuſtriſſimus *a* affirmare, Eccleſiam in nullo unquam graviori verſatam eſſe diſcrimine, nec manifeſtiori pereundi (ſi fieri poſſet) conſtitutam periculo, quam per bella, tumultus, „ & flagitia ſæculi iſtius turbulenti, quod ſui aſperitate ac boni ſterilitate „ *ferreum*, malique exundantis deformitate *plumbeum*, atque ſcriptorum „ inopia *obſcurum* appellat. Neque ſane colore caret hæc effigies, quantumvis deformis, maxime ſi in Romanam ſedem oculos conjicias: quæ cum antea fuiſſet Eccleſiæ univerſæ principale decus & ornamentum, ac fons purioris ſanctitatis; tunc temporis ab indignis invaſoribus fœdiſſime conſpurcata eſt. Et hæc quidem conſideratio maxime perſtrinxit illuſtriſſimum Cardinalem, ut nihil fere niſi tenebris & flagitiis plenum cerneret, ſive quod multa eum deficerent actorum veterum, quæ poſt eum vulgata ſunt, monumenta: ſeu quod mentis ejus acies præcipue in Romanam Eccleſiam defigeretur.

a Baron. ad ann. 900.

4. Verum qui ſimpliciori ac communiori oculorum intuitu univerſam Eccleſiæ per id temporis faciem remotis præjudiciis contemplati ſunt; multa quidem in illo ſæculo gravi animadverſione digna obſervarunt, ſed non ita deplorata omnia, nihil ut priſtinæ ſanctitatis & doctrinæ tunc ſuperfuiſſe exiſtimaverint. Immo vero complures viros ſanctimonia præſtantes agnoſcunt atque ſcientia, qualis ad incorruptam Eccleſiæ doctrinam ad poſteros tranſmittendam neceſſaria erat. Sed cum opportuna ad id demonſtrandum præſidia congerere nequaquam illorum propoſiti fuerit, nec antehac quiſquam forte plura in eam rem, quam nos in hoc libro, retulerit; operæ pretium eſſe duximus hoc in limine de iſto argumento fuſius præfari: ut ſi ob imperitiæ noſtræ modum Eccleſiæ ſtatum, qualis eo tempore fuit, accurate exprimere non valemus; ſaltem æquos lectores ex his actis inducamus ad ferendam de illo ſæculo favorabiliorem ſententiam. Ubi non exornatores rerum aut arbitri, ſed tantummodo narratores eſſe volumus, pro comperto habentes, hiſtoriam non partes judicis ſuſtinere, ſed teſtis. Sic itaque ſæculi decimi mores depingere conabimur, ut dum laudabilia proſequimur, etiam vitia, quantumvis atrocia, non diſſimulemus.

§. I.

Eccleſiæ ſtatus, qualis ſæculo 10. fuerit, exponitur, & primo in Italia.

5. NUlla ætas criminum expers; & ſemper malos bonis permiſtos tulit, feretque Eccleſia, cum nec prima illa inceſtis atque ſceleſtis hominibus caruerit. Hinc eſt quod ſancti Patres in purioribus etiam Eccleſiæ ſæculis queſti ſunt everſos eſſe mores, regnare nequitiam, in deterius res humanas labi: hoc & nos querimur, idemque poſteri noſtri conquerentur. Nec ſane deeſt juſtæ querelæ materia in quibuſvis ſæculis, alia atque alia in diverſis. Quippe non eadem, nec eodem ſemper loco ſtant vitia, ſed mobilia & inter ſeſe diſſidentia, tumultuantur, propellunt invicem, fuganturque. Et quidem in ſæculo decimo graviſſima viguere, crudelitas, ambitio, luxuria. Sed quemadmodum tot fluvii atque imbres, tanta medicatorum vis fontium, maris ſaporem non corrumpunt, ſed ne remittunt quidem: ita nec ſcelerum labes, nec adverſarum impetus rerum, Eccleſiæ ſtatum modo labefactant. Ipſa ſemper eadem ac ſibi conſtans, numquam ſanctitatis ac doctrinæ amittit ſaporem, quem a Chriſto accepit. Erant in illo ſæculo tyranni, raptores, inceſti, ſacrilegi, proditores, ignari: ſed viri etiam ſanctitate & doctrina inſignes, & quidem complures, non deerant, qui incorruptam Chriſti cum bonis moribus doctrinam ad poſteros tranſmitterent.

6. Magnam ſane labem a Pontificibus Romanis (neque enim id diſſimulare licet) paſſa est tunc Eccleſia; actumque fuiſſet de illa ſanctiſſima Sede, ſi

ſi monſtris violari, atterive potuiſſet. Ad id temporis eam tenuerant piiſſimi plerique Pontifices; nec quiſquam fere omnium ejus ſanctitatem antea majeſtatemque temeraverat, quin humana, ſi qua ipſis excidiſſent, errata illuſtri pœnitentiæ exemplo diluiſſent. Inviolabilis apud eos erat Canonum ſacrorum auctoritas, qua ſuam ipſi poteſtatem ultro moderabantur. Et ne longius exempla ſumamus, ita ſæculo nono vixerant poſt Leonem tertium ejuſque ſucceſſores piiſſimos Nicolaus primus re & nomine Magnus Hadrianus II. & Stephanus VI. *Sed o lugenda Roma*, inquit Arnulfus *a* Aurelianenſis Antiſtes apud Gerbertum, *quæ noſtris majoribus clara Patrum lumina præbuiſti, noſtris temporibus monſtruoſas tenebras, futuro ſæculo famoſas offudiſti.* A Formoſo Pontifice incœpit mali labes, ſive is cauſa fuerit, ſeu occaſio. Nempe hic Portuenſis primum Epiſcopus, a Joanne VIII. in ordinem redactus eſt in Synodo Romana, interpoſito juramento, ſe in communione laica perpetuo permanſurum. Hujus exauctorationis cauſæ tres. Prima, quod a Nicolao I. in Bulgariam miſſus, Bulgarorum Regem ſacramento obſtrinxiſſet, ne alium Epiſcopum, ipſo ſuperſtite, a Sede apoſtolica ſuſciperet. Deinde quod contra præſcripta Canonum per ambitum ab eccleſia Portuenſi ad Romanam proſilire conatus eſſet. Poſtremo quod inconſulto Pontifice propriam deſeruiſſet eccleſiam; & relicta Urbe, contra reipublicæ & imperii ſalutem, cum ſuis fautoribus conſpiraſſe crederetur. Marinus Pontifex a depoſitione & juramento abſolvit Formoſum, qui poſt Hadrianum III. & Stephanum VI. in ſupremum illum thronum ſublimatus eſt, primuſque infauſtum translationis exemplum in illa ſede præbuit, vir ceteroqui *vera religione, divinarumque ſcripturarum & doctrinam ſcientia* clariſſimus, teſte *b* Liutprando. Sævitum in demortui cadaver: acta ejus omnia reſciſſa a Stephano VII. inſtigante Sergio, quem Formoſus in adeunda dignitate æmulum ſuſtinuerat, hominem nulla re, niſi ſplendore familiæ (nam is ex Comitum Tuſculanorum genere Cardinalis Presbyter creatus fuerat) commendatum. Hinc factio Sergianorum adverſus Formoſum, quam Wido ejuſque filius Lambertus, in ſolium imperiale intruſi, deinceps fovere perſeverarunt. Stephani acta Joannes IX. abrogavit in Synodo Ravennate, ubi Formoſi violatores ſepulcri damnati, & Formoſus ipſe, ut qui *neceſſitatis cauſa ob vitæ merita* ex aliena eccleſia ad Romanæ adminiſtrationem veniſſet, Pontifex confirmatus cum ipſius actis, ſancito, ne quid in poſterum ſimile fieret, edicto. Ab hoc Stephano VII. per vim paſſim, per cædes & crimina in ſacroſanctam Sedem tunc gradus fuit. Nec mirum ſi plerique exinde improbi Pontifices; & ſi qui boni, brevioris vitæ ac pontificatus fuerint. Tantum vero malum ex duplici maxime capite proceſſit, nempe ex impotenti ambitione Adalberti Tuſciæ Principis, & peſſimæ ejus concubinæ Theodoræ, quæ proſtitutionis ſuæ virus etiam Sergio propinavit, ex quo ortus infamis ille Joannes XI. ex Ravennate Epiſcopo Romanæ ſedis temerator. Alia ejuſdem mali cauſa ex ſciſſione imperii, ad quod modo hi, modo illi ferro & ſanguine, aliiſque malis artibus viam ſibi ſternebant; atque ut Pontificem ſibi faventem haberent, mancipium quiſque ſuum promovere atque intrudere conabantur: cum Albericus interim, Theodoræ ex Adelberto filius, qui Romæ tyrannice dominabatur, nunc iſtos carcere & inedia, atque etiam ferro e medio tolleret, nunc illos contra omnes tueretur.

7. Nec tamen inter illas funeſtas tempeſtates ita Eccleſiam ſuam deſeruit miſericors Deus, ut boni aliqui malis permiſti non fuerint, quales Stephanus VIII. Leo VII. Agapitus II. *miræ c ſanctitatis*, ac *ſanctæ memoriæ d* Pontifex appellatus; & ante eum Marinus, qui Siconi Epiſcopo Capuano *ignorantiam Canonum, litterarum inſcitiam, familiaritatem ſæcularium, temerariamque tranſgreſſionem exprobravit*, teſte Leone *e* Marſicano. Sed tandem illa peſtis ad cumulum veniſſe viſa eſt, cum Octavianus Alberici filius, qui Romanæ urbis tyrannidem mortuo patre adierat, vix annos natus duodevigin-

a In actis Synodi Remenſis.

b Liutprand. lib. 1. cap. 8.

c Vita S Brunonis Epiſc. Colon.

d Metrop. Saliſb. to. 1. pag. 56.

e Leo Oſt. lib. 1. c. 60.

Digitized by Google

ginti Sedem apoſtolicam invaſit, mutato Octaviani nomine in Joannem : quod primum novati in Romano Pontifice nominis exemplum præcipitatæ dignitatis temeritatem reddit inſigniorem. Agnitus ille tamen ab Ottone M. quem Imperatoria corona donavit : ſed ab eo paullo poſt in frequenti Epiſcoporum conventu ob crimina, præſertim quod Adelberto Berengarii junioris filio, Ottonis hoſti & æmulo faviſſet, dejectus. Suffectus, jure an injuria, Leo *neophytus*, eo nomine dictus octavus; pulſus & ipſe a mulierculis per Joannem ſubornatis, qui Joannes denuo thronum conſcendit. Mortuo ſuffectus eſt Benedictus V. cujus audita creatione Otto Romam ſe contulit, ut de Romanis, qui cum eo de non eligendo citra ipſius conſenſum Pontifice pacti erant, ulciſceretur. Hi Leonem antea rejectum admittere coacti : a quo Benedictus, vir ſanctus, in Diaconi ordinem redactus, apud Saxones reliquum vitæ mandato Imperatoris exegit. Poſt Leonem Joannes XIII. ejectus primum a Romanis, dein approbatus, Ottonem ſecundum Imperatorem coronavit. Donum ſeu Domnum Pontificem intra breve trium menſium intervallum excepit, an prævertit Benedictus VI. in carcere ſtrangulatus juſſu Bonifacii, cognomento Franconis: quem Benedictus VII. itidem æmulum ſuſtinuit, uti & Joannes XIV. antea Petrus dictus, ex Archicancellario Imperatoris, & ipſe ab eodem Bonifacio fame in carcere necatus. Bonifacio antipapæ poſt quatuor menſes repente exſtincto ſucceſſit Joannes XV. a Creſcentio tyranno multum vexatus : Joanni Gregorius V. antea Bruno dictus, Ottonis tertii conſanguineus, eccleſiaſticæ diſciplinæ ſtudioſiſſimus Pontifex : ſub quo pietas Chriſtiana tantiſper reſpirare cœpit, floruiſſetque impenſius, niſi Creſcentius ejus pontificatum objecto Joanne Epiſcopo Placentino, & mors poſt biennium ſubſecuta obſtitiſſet. Sic per aliquot annos fluctuavit in ſede Romana religio pietaſque ſucceſſorum, adeoque bonus ſtatus canonicæ diſciplinæ: donec tandem eam poſtliminio revocare ſategerunt *a* Leo IX. ejuſque ſucceſſores ad Gregorium VII. qui magnis motibus magna Eccleſiæ negotia confecit.

a Orderic. lib. 1. pag. 372.

8. Inter tot illos violatæ religionis tumultus, quis ſedem Romanam ſummo ludibrio & contemptui obnoxiam fuiſſe non exiſtimet? Et certe id conſequi neceſſe erat, ſi Petri dignitas & auctoritas in indignis hæredibus defeciſſet. Verum apoſtolicam Sedem paullo minus reveriti ſunt Fideles, præcipuæ aliarum eccleſiarum Epiſcopi etiam religioſiſſimi, atque ſæculares Principes, quantumvis perditæ famæ & vitæ eſſent Romani Antiſtites. Hinc Sergius Colonienſis Archiepiſcopus, & Rogerus Hammaburgenſis pallium a Sergio III. (Deus bone quali monſtro!) modeſte petierunt acceperuntque, teſtante Crantzio. Quid autem magis probabile videbatur, quam *acta improbari* Stephani VII. adverſus Formoſum, & ex ejus actis viléſcere perſonam? Et tamen Auxilius, qui pro Formoſo in Stephanum ſcripſit, ſervata Pontifici reverentia factum improbare ſatis habet; ſic enim loquitur in lib. 2. cap. 17. *Omni humanæ poteſtati ſubditi eſſe debemus, & quam maxime Apoſtolicæ* : & in cap. 18. Inſenſori objicienti, eum non ſatis modeſte loqui de Romana Eccleſia, *Abſit*, inquit, *ut ego infimus, vel potius vermis, contra eam loquar, ſed, ut Deus donaverit, magis pro ea.* Obſervantiæ item plena eſt epiſtola *b* Fulconis, optimi Præſulis Remenſis, ad Stephanum VII. indignum illum Pontificem: tum Hattonis Moguntini ſuffraganeorumque ejus litteræ ad Joannem IX. cui ita *c* ſcribunt. *Noverit ſublimitas ſanctitatis veſtræ, quod nulla Fratrum unanimitas, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ poteſtati ſubjecta, fidelior atque devotior ac ſubjectior apparet, quam nos, qui veſtræ dominationi & capiti omnium eccleſiarum omni mentis intentione ſubjicimur.* Sed inſignior eſt præ ceteris epiſtola Theotmari Juvavenſis ſeu Saltzburgenſis, aliorumque Bajoariæ Epiſcoporum ad eumdem Joannem IX. cui ſignificant, ſe promiſcuis rumoribus nequaquam ab obſervantia ſedis Romanæ revocari potuiſſe. Eorum verba *d* hic adſcribi merentur. *Nequaquam credimus quod coacti quotidie audimus, ut de illa*

b Frodoard. lib. 4. c. 4.

c Metrop. Salisb. to. 1. pag. 47.

d ibid. pag. 44.

illa ſancta & apoſtolica Sede, quæ nobis ſacerdotalis mater eſt dignitatis & origo Chriſtianæ Religionis, profluxerit quippiam perverſitatis, ſed doctrina & auctoritas eccleſiaſticæ rationis. Sic illi ſedem Petri, tamquam errori haud obnoxiam, ſuſpiciebant. His accedit Ratherius Epiſcopus Veronenſis, qui cum a clericis ſuis vexatus, ob conſultum in dubiis Joannem Romanum Pontificem, apud quoſdam male audiret, iſta *a* repoſuit. *Qua ignorantia quo melius exui, quo aptius poſſum quam Romæ doceri? Quid enim de eccleſiaſticis dogmatibus alicubi ſcitur, quod Romæ ignoretur? Illic ſummi illi totius orbis Doctores: illic præſtantiores enituerunt univerſalis Eccleſiæ Principes. Illic decretalia Pontificum, examinatio canonum: approbatio recipiendorum, reprobatio ſpernendorum. Poſtremo nuſquam ratum, quod illic irritum: nuſquam irritum, quod illic ratum fuerit viſum.* Teſtem hoc loco ex Regibus Hugonem Capetum adducere licet, qui cum Arnulfi Remorum Archiepiſcopi exauctorationem in Synodo factam, Joanni XV. diſplicere cognoviſſet, legatos ad eum miſit, tulitque haud gravate, Gerbertum, in locum Arnulfi ſubſtitutum, ex ſententia Leonis Abbatis a Pontifice legati ipſi Arnulfo adverſario ſuo cedere. Ubi recte monet Baronius *b* plane id eſſe mirandum, quod hoc præſertim tempore tanti fecerit Hugo „ Romanum Pontificem, quando eſſet contemptui apud ſuos, & a Creſcentio veluti vinctus, vel ſaltem obſeſſus detineretur in palatio: ut „ non niſi quem Creſcentius vellet, aditum ad illum habere poſſet; „ & qui Romæ contemnitur a tyranno, in Gallia adeo colatur a „ Rege.

a Rather. in itinerario Spicil. to. 2. pag. 267.

b Baron. ad ann 995.

9. Sed forſan hic occurrat aliquis, dicens, hoc modo falſis dogmatibus & doctrinis apertam fuiſſe viam, cum Pontificibus, etiam corruptiſſimis, ſervata obſervantia, cæco obſequio quævis ab eis ſanctiones reciperentur. Immo vero quantumvis perſuaſum haberent illius ætatis homines, vix ac ne vix quidem quicquam falſæ doctrinæ ab apoſtolica Sede manare potuiſſe: nonniſi prævio tamen examine, nec ſine delectu a Pontifice quidvis admittebant, atque inter perſonam & ſedem accurate diſtinguere noverant, teſte Auxilio in lib. 2. cap. 18. *Aliud ſunt*, ait, *Pontificalis ſedes, aliud Præſidentes. Proinde honor & dignitas uniuſcujuſque ſedis venerabiliter obſervanda ſunt. Præſidentes autem ſi deviaverint, per devia ſequendi non ſunt, hoc eſt ſi contra Fidem vel catholicam Religionem agere cœperint, in talibus eos nequaquam ſequi debemus.* His conſentanea præmiſerat idem auctor in capite 17. ubi ait, omni humanæ poteſtati ſubditos nos eſſe debere, *& quam maxime apoſtolicæ: ſed utique non in illis, quæ Chriſtiana lex abominatur, & Deo inimica eſſe monſtrantur.* Et ita quidem ſe geſſit erga Joannem VIII. ſanctus Dunſtanus Archiepiſcopus Cantuarienſis. Is Comitem quemdam inceſtus reum a communione removerat. Ille Regem in Dunſtanum movet, & ad Pontificem appellat, obtinetque litteras ad Dunſtanum, quibus hic Comiti parcere, & condeſcendere jubebatur. „ Ad quod Dunſtanus: Equidem cum illum, de quo agitur, ſui delicti „ pænitudinem gerere videro, præceptis Domini Papæ libens parebo: „ ſed ut ipſe in peccatis ſuis jaceat, & immunis ab eccleſiaſtica cenſura nobis inſultet, & exinde gaudeat; nolit Deus. Avertat etiam Deus „ a me, ut ego cauſa alicujus mortalis hominis, vel pro redemptione capitis mei, poſtponam legem, quam ſervandam ſtatuit in ſua Eccleſia „ Dominus meus Jeſus-Chriſtus. Ita conſtantiſſimus & modeſtiſſimus Antiſtes, etſi alias religioſiſſimus in Romanum Pontificem. Longe ergo aberant ab adulatorio illo cæci obſequii genere, ut quidvis indiſcuſſum a Papa reciperent pii illorum temporum Antiſtites: nec uſquam impune paſſi eſſent quidquam contra Fidei puritatem attentari, qui eccleſiaſticæ diſciplinæ contrariam ſententiam admittere noluerunt. Immerito itaque noſtri temporis novatores pravis quorumdam Romanorum Pontificum exemplis abutuntur ad impugnandam Eccleſiæ incorruptam veritatem & unitatem.

Digitized by Google

Qualeſcumque fuerint Pontifices illi, *a*, *quibus objiciunt pro ſua diſſenſione quod volunt, nihil præjudicat Eccleſiæ Catholicæ toto terrarum orbe diffuſæ. Nullo modo eorum innocentia coronamur: nullo modo eorum iniquitate damnamur.* Ita loquebatur Auguſtinus in cauſa Donatiſtarum, ita & nobis loqui licet in cauſa Novatorum. Manet ſemper eadem Eccleſiæ veritas, manet ſemper eadem unitas. *Quiſquis ab hac unitate vento ſuperbiæ, tamquam ſola palea, ſeparatur; areæ Dominicæ propter commixtam paleam quid calumniatur?*

10. Verum quoniam ſæculi decimi æſtimatio non ex ſola Romanorum Pontificum conſideratione, ſed etiam ex aliorum Epiſcoporum & Eccleſiæ miniſtrorum qualitate pendet; quales in præcipuis univerſæ Eccleſiæ partibus tunc temporis miniſtri & Antiſtites fuerint, quoad fieri poterit, paucis exponendum eſt. Et primum quidem ab Italia incipio, in qua funeſta de Pontificatu atque Imperio diſſidia multum detrimenti rei Chriſtianæ attulerunt. Non defuere tamen in multis vel pauci, qui reipublicæ Chriſtianæ *afflictæ* ſuppetias tulerint. Inter primos claruerunt Theodoricus & Grimoaldus Piſani Archiepiſcopi, qui cum communem Canonicorum ſuorum vitam, qualem inſtituerat eorum deceſſor Joannes, ob temporum procellas ruinæ proximam animadverterent, eam deinceps cura & impendiis ſuis revocare & fovere curarunt. Inſigne eſt hanc in rem diploma Grimoaldi apud *b* Ughellum, datum anno Berengarii junioris & Adalberti Regum anno 8. Indictione 3. id eſt anno Chriſti 959. Theodorico æqualis fuit ſanctus Adelbertus Bergomatenſi eccleſiæ admotus ab anno 885. in annos 40. vir tantæ ſanctimoniæ, ut quidvis a Regibus impetrare valeret; idemque civitatem ſuam a barbaris defendit, ac prope exciſam inſtauravit. Sed (quod ad rem pertinet) *c* anno 908. ſanxit, ut in ſancti Vincentii cathedrali eccleſia ab ſe condita Canonici ex communi convictu vitam traducerent, ac teſtamento ſuo *d* lumen die noctuque ad altare ſanctæ Trinitatis, idemque in ſancti Alexandri Eccleſia a ſe item condita ad martyris corpus inſtituit. In agmen etiam merito veniet Zenobius Feſulanus Epiſcopus, eo nomine ſecundus. Is cum videret paucos in eccleſia ſua cathedrali Canonicos, numerum auxit, eoſdemque ad communem vitam compoſuit, datis *e* anno 966. litteris, in quibus de quadripertita Eccleſiæ bonorum diviſione mentionem facit. Eamdem vivendi formam in Cæſenate eccleſia inſtituit conſilio Gebehardi Archiepiſcopi Ravennatis Sergius ex noſtris Epiſcopus labente ſæculo decimo, uti ejus inſtrumentum ea de re editum fidem *f* facit. Idem etiam præſtitit ſub Ottone Magno in ſua eccleſia Albertus *g* Epiſcopus Aretinus, ne quid dicam de Rodulfo Gallo *h* Urbevetanæ eccleſiæ Epiſcopo, qui legibus ſaluberrimis clerum ſuum ad defæcatiores mores traduxit. Quis non miretur in tam corrupto Italiæ ſtatu inventos fuiſſe tanti in religionem ſtudii Antiſtites, qui apoſtolicæ vitæ formam in clero ſuo reſtituerint?

11. Sed fortaſſe in Italia deſideret aliquis viros per illa tempora doctos, quorum opera Eccleſiæ doctrina & diſciplina adverſus corruptos mores inviolatæ permanſerint. Non defuit etiam hac in re Dei miſerantis providentia. Teſtes huc appellare licet Ratherium Veronenſem, & Attonem Vercellenſem Epiſcopos: ex quibus ille *i dum in mores hominum tam ſcriptis quam verbis mordaciter nimis inveheretur, & nec potenti nec humili penitus deferret*, ſede ſua deturbatus eſt non ſemel. Sic inviſi erant tunc temporis Epiſcopi boni Italicis hominibus, ut cum mortuo Henrico I. Imperatore de novi electione ageretur, delata *k* ſit poſtulatio ad Guillelmum Pictavorum Ducem, ejuſque filium; modo ut omnes Italiæ Epiſcopos abjiceret, forſan quod plerique eſſent Germanici; atque alios ſuo ipſorum, ideſt Italorum, arbitrio inſtitueret. *Sed abſit a me*, inquit, ille, *rem hujuſcemodi facere, ut Paſtores Eccleſiæ, quibus mei patres ſemper honorem exhibuerunt, quos ipſe quantum valui ſemper exaltavi, ſine crimine inhonorem*. Hæc eadem cauſa Veronenſes impulit ad exauctorandum Rathe-

a Auguſtin. de unico Bapt. c. 16.
b Ital. ſac. tom. 3. col 412.
c tom. 4. col. 608.
d ibid. col, 616. & 621
e tom. 3. col. 275.
f Ital. ſac. tom. 2. col. 458
g tom. 1. col. 462.
h ibid. col. 383.
i Geſta Epiſc. Leod. tom. 1. pag 173. & 177.
k Fulbert. Epiſc. Carnut. ep. 126.

Digitized by Google

therium, qui corruptis ejus temporis moribus adverſabatur. Paullo minus obſcurus eſt Atto ſeu Ahito Vercellenſis, Theologiæ & canonum peritiſſimus, cujus plurima ingenii monumenta typis vulgata ſunt a noſtro Acherio in Spicilegii tomo 8. Obſervatione digna eſt ejus Admonitio ad Presbyteros ſuos, Capitulari, quod in eorum doctrinam condidit, præfixa. *Obſecro vos*, inquit, *fratres dilectiſſimi, ut erga ſubditarum plebium profectum & emendationem vigilantiſſima cura laboretis: quatenus viam ſalutis oſtendentes, & eos verbis & exemplis inſtruentes, & vos de eorum profectu, & nos de veſtro, Domino Jeſu Chriſto auxiliante, fructuoſos illi manipulos reportemus. Obſecro etiam fraternitatem veſtram, ut hæc Capitula, quæ ad emendationem vitæ breviter digeſſi, aſſidue legatis & memoriæ commendetis, & eorum ſive cæterarum ſanctarum ſcripturarum lectione mores componatis & vitam emendetis, &c.* Nec minor fuit Ratherii zelus pro Clericorum ſuorum emendatione & obſervatione canonum, de quorum contemptu ſingularem edidit librum, aſſerens ex duplici capite oriri ſæculi ſui corruptos mores, nempe ex contemptu canonum, & luxuria Sacerdotum; contemptorem canonum eſſe ſalutis ac catholici nominis penitus expertem. *Cruciat me non parum, fateor, iſta quærentem, iſtis utrumnam contemptis reſtet ſalutis alia, quod neque ſuſpicor, via. Si enim quod catholicum eſt, catholica defendit Eccleſia; catholicum ſe uſurpative, reor, pronunciat, qui canonibus ſanctis præſumptive repugnat.* Et in parte 1. de contemptu canonum, hujus contemptus hanc affert cauſam, nempe mandatorum Dei inobſervationem, *cum videlicet quis autumat nihil ſibi prodeſſe ſi obſervet minora, qui ſe novit contempſiſſe majora.*

12. Jam ſi viros zelo apoſtolico & inſigni ſanctitate præſtantes requiras, occurrunt Ægidius *a* Epiſcopus Tuſculanenſis, in Poloniam a Joanne 13. legatus rogatu Miſeconis Ducis ad prædicandum Chriſti Evangelium. Quod quidem gnaviter feliciterque exſecutus eſt. Non impar huic Adelbertus operis coadjutor, & ipſe Pragenſis Epiſcopus Apoſtolus & martyr, poſtquam Romæ in monaſterio ſancti Bonifacii per aliquot annos vitam monaſticam tranſegiſſet. Ibidem etiam & Caſini verſatus eſt vir ſanctitate inſignis B. Nilus Roſſanenſis in Calabria monachus, cujus vita & doctrina plurimos ad meliorem frugem revocavit: & Leo ejuſdem monaſterii Bonifaciani Abbas in Galliam miſſus a Joanne XV. in cauſa Arnulfi & Gerberti, qui de Remenſi pontificatu decertabant. Sed illuſtres in primis fuere ſanctiſſimi Abbates Romualdus & Dominicus Fulginas ſeu Soranus, Nonnoſi Abbatis *mira ſanctitate conſpicui* diſcipulus, qui ſæculi 10. finem & undecimi initium vitæ ſuæ ſplendore & doctrina illuſtrarunt, multoſque diſcipulos ad ſeveriorem vitæ rationem adduxerunt. Sed his interim omiſſis, venio ad Epiſcopos Petrum & Gauzlinum *b* Patavinos, quorum ille Arianis, ſuam diœceſim etiam tunc infeſtantibus, ſtrenue reſtitit: hic eximiæ ſanctitatis, eoſdem penitus delevit, cœnobio ſanctæ Juſtinæ a fundamentis inſtaurato. Denique inter pios Italiæ Antiſtites cenſendi ſunt Notherius Veronenſis *c magnæ ſanctitatis*, Dominici duo Venetiarum *d*: alter ob eximias virtutes coacte conſecratus: alter pius & doctus, cum uxorem & liberos haberet, invitus item Epiſcopatum accepit, abdicata demum dignitate in locis ſanctis eremita. Coronidis loco erit ſanctus Stephanus, *e* primum cœnobii ſancti Salvatoris apud Capuam Abbas e noſtris, dein Cajacenſis eccleſiæ electus Antiſtes anno 978. Memorabile eſt de ejus confirmatione decretum *f* Gerberti, ex Caſinate monacho Capuanæ eccleſiæ metropolitani, ad clerum & populum Cajacenſem. *Fratrem jam & Coepiſcopum noſtrum Stephanum vobis ordinavimus Sacerdotem: cui dedimus in mandatis, ne unquam ordinationem præſumat illicitam, ne bigamum, aut qui virgine non eſt ſociatus uxore, neque illiteratum, vel in qualibet corporis parte vitiatum, aut expœnitentem, vel curiæ aut cuilibet conditioni obnoxium notatumque ad ſacrum Ordinem permittat accedere. Afros paſſim ad eccleſiaſticos Ordi-*

a Ital. ſac. tom. 1. col. 263.

b Ital. ſac. tom. 5. col. 402. & 406.

c ibid. col. 633.

d col. 1271

e tom. 6. col. 563.

f col. 564.

Digitized by Google

nes prætendentes nulla ratione ſuſcipiat, quia aliqui eorum Manichæi, aliqui rebaptizati ſæpius ſunt probati. Hæc ſane monita non dormitantis ſunt Archiepiſcopi, ſed ſtrenue pro ſuo grege invigilantis.

§. II.

Status Eccleſiæ in aliis Europæ partibus.

13. CUM in eo fere ſtatu eſſent Chriſtianæ res in Italia, Sol juſtitiæ in aliis Chriſtiani orbis partibus paullo ſerenius radiabat. De Occidente loquimur: nam in Oriente funeſta diſſidia Eccleſiæ ſtatum jam dudum turbabant, Imperatorum cædes, Patriarcharum Conſtantinopolitanorum exſilia, fiduciariæ dignitatum occupationes: cujus rei exemplum in Tryphone, qui poſt Stephanum CP. Patriarchatum tenere juſſus eſt, dum Theophylactus, *Romani Imperatoris* filius, idoneæ eſſet ætatis ad illum tenendum: tametſi Tryphon poſtea cedere noluit. Sed tamen inter illas nebulas refulſerunt Euthymius Patriarcha Conſtantinopolitanus, ſede ſua tametſi pulſus, & Nicon monachus ſanctus apud Armenos: ne quid dicam de Leone & Baſilio Imperatoribus piis, & pro tempore eruditis. Idem ferme rerum ſtatus apud Hiſpanos Chriſtianos, quibus ab infeſtatione Arabum vix reſpirare conceſſum eſt idemtidem, uti ſub Alfonſo Magno accidit. Floruere nihilominus inter Epiſcopos noſter Gennadius Aſturicenſis, Attilanus Zamorenſis, Siſenandus & Rudeſindus Compoſtellani: ex quibus primus & poſtremus ſacro cultu in Hiſpanica eccleſia honorantur. Iſtorum temporum in Oriente & Hiſpania acerbitatem deplorat Arnulfus Aurelianenſis antiſtes, ſeu Gerbertus in actis Synodi Remenſis, idque in Romanæ Eccleſiæ miſerum ſtatum refundit, a qua multæ jam eccleſiæ ſeceſſionem fecerant. *Nam ut de Africa*, inquit, *taceamus & Aſia, jam Europa diſcedit, Conſtantinopolitana eccleſia ſe ſubduxit, interiora Hiſpaniæ ejus judicia neſciunt*. Sed miro Dei judicio factum eſt, ut cum in quibuſdam locis deficeret fides, in alias Europæ regiones diffunderetur, nimirum in Danos, Slavos, Polonos, Boemos, Hungaros & Nortmannos, quos ipſo tempore Chriſto nomen dediſſe poſtea dicemus.

14. Longe felicior erat Eccleſiæ ſtatus in aliis Europæ partibus, Germania, Gallia, & Anglia, tametſi etiam illæ regiones ſuis tumultibus non carebant. *Certe in Belgia & Germania quæ vicinæ nobis ſunt*, inquit prælaudatus Arnulfus, *ſummos Sacerdotes, in Dei religione admodum præſtantes inveniri, in hoc ſacro conventu Remenſi teſtes quidam ſunt*. In primis multum debet Germania eximiis principibus Henrico, & Ottonibus ejus poſteris, a quibus optimi paſtores eccleſiis conceſſi ſunt, & laudabilia inſtituta ad reformandos populorum mores ſancita. Sed Conrado Regi prima hujus rei laus tribuenda eſt, ut qui Henricum tunc Saxoniæ Ducem, cui Aucupi cognomen erat, poſt ſe regnaturum, ſuis prætermiſſis deſignavit. Ita Henrico repenſum a Conrado eſt, quod Otto Henrici pater in Conradum contulerat: ſiquidem Conradum *ob meritum ſui Otto prædictus ab omnibus regni principibus in Regem electum, ſibi quaſi ad hoc indigno præpoſuit, ſeque cum filiis fidei ejus ac poteſtati ſubdidit*, teſte Ditmaro. Ea vero fuit Henrici modeſtia, ut corona ſuſcepta, *epiſcopalis unctionem benedictionis* ab Herigero Archiepiſcopo exhibitam ſuſcipere noluerit, *prorſus ad hoc indignum ſe affirmans*. At merito dubitare licet, feliciorne Henricus fuerit, quod ſanctiſſimam conjugem Mathildem habuerit, an quod ex ea Ottonem & Brunonem, præter Henricum, & ex Ottone duos alios Ottones nepotes ſuſceperit. Is enim fuit Otto, ut præclaris in Eccleſiam & rem publicam meritis Magni cognomen jure adeptus ſit, cujus temporibus *aureum ſæculum* illuxiſſe Ditmarus *a* auctor eſt. At quam præclarum fuit Henrici factum, cum in fervente prœlio conſtitutus, multis ſuorum ipſum

a Ditmar. lib. 2.

ſum deſerentibus, Comiti cuidam *a* abbatiam Lauriſhamenſem ſub hoc periculi articulo poſtulanti reſpondit, ſe nec abbatiam, nec quidvis aliud „ intempeſtive flagitanti conceſſurum. Abiret potius cum aliis ſi vellet: „ malle ſe Deo quam hominibus morem gerere: quæ Chriſtiana & genero„ ſa reſponſio Comitem in officio continuit. Non mirum itaque ſi ex tam pio Principe, & ex ſanctiſſima ejus conjuge Mathilde tantus prodierit filius, ſcilicet Otto Magnus: qui & in hoc fortunatus fuit, quod etiam piiſſimas uxores duas, unam poſt aliam, Editham & Adelaidem, habuerit, quæ in Sanctorum albo conſcriptæ ſunt, uti & Mathildis ipſius parens. Multa etiam laudabilia geſſit Otto ſecundus, cognomento Rufus *b*, ſed avum tertius Otto, ſi non rebus geſtis, ſaltem pietate ac religione propius referebat: litteris vero (nam Otto M. illiteratus erat) omnino ſuperavit, non ſolum latinis, ſed etiam græcis exultus, MIRABILIA MUNDI appellatus in Chronico Laureshamenſi. Qualis quantuſve fuerit ipſius ſucceſſor Henricus, ejus ſanctitas omnibus perſpectum facit, ut in Sæculo proximo viſuri ſumus.

a Liutprand. lib. 4. cap. 15.

b Hugo Flavin. pag. 157. 2

15. Verum ut de Germaniæ Pontificibus dicamus, multum Ottoni M. debet Germania, quod Brunonem fratrem ſuum Colonienſi eccleſiæ, & filium ſuum Willelmum Moguntinæ dederit. *Junior fratrum domnus* Bruno, ut verbis Chronographi Magdeburgenſis utamur, *magnus erat ingenio, magnus ſcientia & omni virtute ac induſtria: quem cum Rex* Otto *præfeciſſet indomitæ genti Lothariorum, regionem a latronibus purgavit, diſciplina legali inſtruxit, gregem ſibi commiſſum dilexit, multos ab errore eripuit, quoſdam aſſiduis diſputationibus ad meliora ducens, quoſdam doctrinæ maturitate ſanctiori deſiderio accendens; in ſermone mitis, in doctrina humilis; malorum deſtructor, veritatis aſſertor; ſubditis blandus, tumidis ſeverus; quæ alios docuit, prior implevit*. Hæc ad annum 940. Chronographus Magdeburgenſis ms. Et ne Brunoni vitio vertatur, quod Ducatum Lotharingiæ ſimul cum epiſcopatu habuerit, idem occurrit ad annum 953. *Eodem anno* Vvicfredus *Colonienſis eccleſiæ Archiepiſcopus obiit, cui Bruno frater Regis, vir glorioſus, in epiſcopatu ſuccedens, totius Lotharienſis regni ducatum & regimen cum epiſcopatu ſuſcepit. Ita cum magna religione uſus eſt officio ſacerdotis, & exſiſtente neceſſitate functus eſt virtute magnanimi Ducis. Nemo autem ſuper hac re illum culpabilem dicat, cum Samuelem ſanctum & alios plures ſacerdotes pariter legamus & judices*. Ita ille. Verum Brunonis vitam accuratius in litteras retulit ejus æqualis Rotgerus, apud quem mul„ ta de eo laudis materia memoratur, nempe eum in omni græca vel latina „ eloquentia fuiſſe verſatum; veteres legiſſe, etiam comœdos & tragœ„ dos, materiam pro minimo, auctoritatem in verborum compoſitionibus „ pro maximo reputantem: bibliothecam ſuam, ſicut arcam dominicam, „ ſecum ſemper quocumque circumduxiſſe: Epiſcopum maxime curaſſe, „ ut in diverſis congregationibus, quæ ad ejus ſedem pertinebant, *unum* „ *cor eſſet & una anima*: ut veſtium ſuperfluitas, morum inæqualitas, „ & quidquid hoc modo effeminatum & indecens in ejus eccleſia videre„ tur, circumcideret: ut divinis miniſteriis omnes, quorum id intererat, „ intentiſſime ſecundum præfixam ſibi regulam viverent, nec aliam ſibi „ ſalutis ſuæ cauſam æſtimarent: ſemper intentum fuiſſe lectioni, in cu„ jus ſtudio mori videbatur, atque ad id agendum omnes exemplo & „ crebro monitu accendiſſe: denique morti proximum corporis & ſangui„ nis Dominici ſacramentum expetiiſſe: quod cum fuiſſet allatum, virum „ illum Domini quid animo ſenſerit, *corpore proſtratum* oſtendiſſe. Hæc fuſius commemoramus, quoniam ex tanto viro maxime pendet iſtius ſæculi imago. Cæterum multos inſignes de alumnis tanti viri Epiſcopos, multos etiam in quacumque eccleſiaſticæ profeſſionis diſciplina probatiſſimos ſe noſſe idem Rotgerus affirmat.

16. Sed in primis Archiepiſcopum Trevirenſem HENRICUM ait idem auctor, *magni meriti & ſummæ probitatis virum*, qui Rutperto magnifico

Præ-

Præſuli ſucceſſerat, VVILLELMUM *quoque præclaræ & gratiſſimæ excellentiæ archimandritam, nepotem ſuum*, Friderici Moguntini Antiſtitis ſucceſſorem, *ambos egregios, ambos in lege Domini perfecte inſtructos*, ſumma veneratione colebat. Henricus iſte *Ottonis propinquus*, teſte Frodoardo *a*, atque adeo *illuſtri Francorum & Suevorum ſtemmate clarus*, ut in Actis ſancti Vvolfgangi Epiſcopi Ratiſponenſis legitur, ab Ottone Trevirorum deſignatus Antiſtes, Vvolfgangum amicum ſecum duxit, eumque ſacerdotiis ac dignitatibus eccleſiaſticis præ ceteris ornare voluit, ut per omnem diœceſim ipſius ſecundum locum obtineret. Negavit ille: ſed tandem *in hoc ceſſit, ut pateretur ſcholaſticos pueros & adoleſcentes ſuæ curæ commendari*, nulla ſpe lucri. De Henrico illud addit Hiſtoriæ *b* Trevirenſis ſcriptor anonymus, *quod regulares officinas & clauſtrum circa majorem eccleſiam conſtruxerit, & rigorem regularis converſationis ibidem decreverit exerceri*. Ibidem etiam plurimum laudatur Egbertus Henrici poſt Theodericum ſucceſſor, *vir æternæ memoriæ, & virtute inſignis* appellatus.

a Frod. Chron. ad ann. 956.

b Spicil. tom. 12. pag. 218.

17. Wolfgangus, Henrico mortuo, in Einſidlenſe monaſterium ſe recipit ſub religioſo Abbate Gregorio: tum eodem annuente *in Pannoniæ fines prædicandi cauſa* proficiſcitur. Revocatus a Piligrino Pataviensi Epiſcopo, ſedi Ratiſponenſi imponitur. Adeptus tantum miniſterium, noluit inane Epiſcopi habere nomen, ſed die noctuque illud excoluit, munus ſuum accurate obeundo: *nec propter epiſcopatus faſtigum habitum monaſticum mutare* voluit. Sancti Emmerammi monaſterium virorum, aliaque duo puellarum Superius & Inferius, ad meliorem frugem revocavit: tertium ſancti Pauli ſuis impenſis erexit. Deinde *etiam accinxit ſe ad canonicæ vitæ inſtituta reformanda*, effecitque, ut Canonici eccleſiæ ſuæ *ſimul in refectorio ederent, & extra clauſtrum horis incongruis ne exirent, neque ſilentii diſciplinam negligerent*. Morti proximus primum per confeſſionem ſe expiavit; ac poſt accepto Viatico humi ſe proſtravit, eſtinctus anno 984. quo ejus acta retulimus.

18. Wolfgangum ad Sacerdotium promoverat ſanctus Udalricus Auguſtanus Epiſcopus, alterum Eccleſiæ lumen, cujus acta hic etiam referuntur. Is Epiſcopus vitam monachorum agens, in Quadrageſima præcipue religioſe ſe habebat. Synodum quotannis priſco more celebrare ſolitus, diœceſim ſuam ex præſcripto canonum accurate viſitabat. Hoc paſſus humani, quod ſub finem vitæ Adalberoni nepoti ſuo ſe vivente *procurationem ſui epiſcopatus*, & mortuo ſucceſſionem ab Ottone petierat: quod multis lacrymis poſtea diluit.

19. *Sed his omiſſis*, veniamus ad duos Epiſcopos virtute & Chriſtianæ fidei zelo præſtantes, Adalbertum Magdeburgenſem primum Epiſcopum, atque ejus cognominem Pragenſem: quorum ille Slavos, hic Boemos, Polonos, & Ungaros Fidei myſteriis imbuit. Quantum Pragenſis in hoc opere exſequendo pertulerit, teſtantur ejus acta, quæ hic ſubjicimus, & martyrium quod ipſe tulit: Magdeburgenſi vero id acceptum referre debemus, quod in ſcholis eccleſiæ ſuæ alterum Adalbertum pietatis & ſcientiæ præceptis ad illum agonem inſtruxerit. Ante eos enituit Adalgagi Bremenſis ſollicitudo pro converſione gentium, ut ex Adamo Canonico diſcimus.

20. Longius progrederetur oratio, ſi Radbodum Trajecti inferioris, Conradum & Gebehardum Conſtantienſes, Alevvicum Argentinenſem, aliosque præclaros Germaniæ Antiſtites hoc loco celebrare in animum induceremus. Sed tamen præterire non poſſumus Sigiſmundum Halberſtadenſem, quem in humanis diviniſque diſciplinis omnes ſuimet *contemporales* præcelluiſſe Ditmarus *c* affirmat. *Hic pietate maxima, & (quod ſummum eſt perfectionis culmen) Chriſti zelo fervens, ut perpetrati facinus connubii* (ſcilicet Henrici Aucupis cum Hathelburga Ervini relicta, quæ velata erat) *primo audivit, ovium culpam ſuarum ingemuit;* & eos ab invicem ſeparari juſſos, *ad condictam ambos*

c Ditmar. initio libri 1.

ſyno-

ſynodum vocavit. Quid inde conſecutum, nos ad alia feſtinantes Ditmaro explicandum relinquimus.

21. In Belgica prima ad exemplum metropolitani, Henrici ſcilicet Trevirenſis, de quo mox diximus, ſeſe compoſuere Adalberones duo Mettenſes, Dado & Berengarius Virduhenſes, Gauzlinus & Gerardus Tullenſes. Adalberoni ſeniori debemus præter multa alia reſtitutionem monaſterii Gorzienſis celeberrimi, hoc eſt magnum agmen ſanctorum monachorum, qui ſub Einoldo abbate piiſſimo ſæculi iſtius tenebras virtutis & ſcientiæ luce diſpulerunt. A rebus geſtis ſenior Adalbero Magni cognomen apud poſteros obtinuit. Junior ejus *fratruelis*, licet tempore inferior, *merito & gratiæ privilegio non impar* fuit. Hic apud Gorzienſes inſtitutus, curavit Epiſcopus, ut & vetera monaſteria inſtaurarentur, quale fuit ſancti Symphoriani Mettenſe; & nova erigerentur. Miſſas & *Sacramenta divina ſine cilicio numquam celebravit*, totum Quadrageſimæ tempus apud Gorzienſes tranſigere ſolitus. Cetera prætereo ex ejus Actis repetenda apud *a* Labbeum. Non minor apud Tullenſes fama pietatis ac virtutis ſub Gauzlino & Gerardo Epiſcopis fuit, qui diſciplinæ reſtituendæ non aliud opportunius ſubſidium quam ex monachis reſtitutis habuerunt. Gauzlino Pontifice, id eſt ſub initia ſæculi X. Einoldus *b Tullo in ſummo omnium bonorum exemplo vitam ducebat*. Hic ex Primiſcrinio eccleſiæ Archidiaconus, cunctis quæ habuerat in pauperes diſtributis, *tantum ſimplici veſte retenta, & libris, ac veſte ſacerdotali, in cellula clauſtro Canonicorum adhærente ſeſe cohibuit, & fere triennium in ſumma & ardua continentia vitam egit*: poſtea vero cum Joanne Gorzienſe monaſterium excoluit. Interea Bernerus Diaconus, *vir opinione ſanctitatis & litterarum ſcientia celebratus*, Tulli Leucorum litteras docebat. Hoc præceptore grammaticam didicit Joannes Gorzienſis, qui etiam Dadonis, *ſummi ingenii & famoſæ ſanctitatis* Epiſcopi Virdunenſis, non parvo tempore conſuetudine uſus eſt; cum interim Humbertus in cella recluſus magna religione floreret, is qui poſtea Joannis Gorzienſis adjutor, & ſub Berengario Virdunenſi Epiſcopo primus religionis ad S. Vitonum reſtitutæ auctor fuit & abbas. Dadonis deceſſor Berardus *Canonicos c ſuos canonice*, id eſt regulari ac communi modo, *vivere fecit, & villanis Presbyteris viam juſtitiæ viriliter oſtendit, & pueros in divinis & humanis litteris per ſe & per alios cum ſumma charitate inſtruxit*.

a Labbe tomo 1. Bibliot. novæ.

b Vita Joannis Abb. Gorz. hic.

c Hiſt. Epiſc. Virdun. to. 12. Spicil. pag. 261.

22. In Belgica ſecunda non minus celebres fuere apud Remos Fulco, Heriveus Nortmannorum catechiſtes, Artaldus, & Adalbero cœnobiorum reparator; item Cameracenſes Fulbertus, Engrannus & Anſbertus, ex Balderici Chronico. Fulco qui primus, aut certe inter primos, ſuæ metropolis ſuffraganeos filios *d* appellavit, circa *Dei cultum & ordinem eccleſiaſticum, amore quoque ſapientiæ fervens, duas ſcholas Remis, canonicorum ſcilicet loci atque ruralium clericorum, jam pæne delapſas reſtituit, & evocato* REMIGIO *Autiſſodorenſi magiſtro, liberalium artium ſtudiis adoleſcentes clericos exerceri fecit, ipſeque cum eis lectioni ac meditationi ſapientiæ operam dedit. Sed &* HUCBALDUM *ſancti Amandi monachum, virum quoque diſciplinis ſophicis nobiliter eruditum, accerſivit, & eccleſiam Remenſem præclaris illuſtravit doctrinis*. Hæc *e* Frodoardus, illius ſcholæ præcipuum ornamentum, præclarum ſui temporis lumen, qui Hugonis pueri quinquennis in ſedem Remenſem intruſioni reſtitit. Intruſio iſta magnarum in eccleſia Remenſi turbarum cauſa. In Belgicis ſub hæc monaſteriis ſanctus Gerardus Abbas Bronienſis diſciplinam ſarcit, Wibertus celebrem Gemblacenſem abbatiam condit, ſanctus Forannanus Valciodorenſem, Malcalenus Michaelenſem.

d Frodoard. hiſt. lib. 4. c. 6. fol. 338. b 3. 9. & 343.

e Frodoard. Hiſt. Rem. lib. 4. cap. 9.

23. Belgicos Antiſtites, tamquam viros pietate & doctrina inſignes, ſuperius laudavit Arnulfus Aurelianenſis: ex quibus Notgerum Leodicenſem haud dubie unum intelligit, cujus *quanta fuerit in educandis pueris, ſcholaribuſque diſciplinis inſtituendis ſollicitudo, hinc maxime probatur, quod ſemper dum in via porgeret longe ſeu prope, ſcholares adoleſcentes ſecum ducebat*, quibus præce-

ceptorem unum ex capellanis ſuis, *& librorum copiam cum ceteris ſcholaribus utenſilibus procurabat*. Ex ejus porro ſchola plurimi religionis & doctrinæ dotibus illuſtres prodierunt: in quibus Epiſcopi ſex, Guntherus Saltzburgenſis, Rothardus & Erluinus Cameracenſes, Haimo Virdunenſis, Hezelo Tullenſis, & Adelboldus Trajectenſis ad Rhenum. His adde Durandum poſtea Leodicenſem Epiſcopum, qui Bambergenſem eccleſiam pietate & artium liberalium diſciplina illuſtravit. Adde item Otbertum, qui Aquiſgranenſium Canonicorum mores depravatos *ad ſanctæ religionis ſtatum reduxit*, ut in Geſtis Leodienſium Epiſcoporum fuſius memoratur.

24. Idem præſtitere variis in locis alii Epiſcopi, Theotilo Turonenſis in monaſterio ſancti Juliani, Sevinus Senonenſis in Melodunenſi S. Petri, Hagano Carnutenſis in cœnobio ſancti Petri, & (ut alios prætercam) Eblus *bonus* (a) *Paſtor*, nempe Ecoliſmenſis, miraculis etiam clarus, qui monaſteria ſancti Michaelis in Eremo, & ſancti Maxentii inſtauravit, *& multa alia in opere Dei egit. Agmen claudent Pontifices in Galliis per id tempus religioſiores, Manaſſes videlicet vir ſanctitate plenus, Trecorum Epiſcopus, & Giſlebertus Pariſiorum, & Geboinus Catalaunorum*, quos *b* Glaber Rodulfus exceſſiſſe dolet.

a Ademar to. 2. Bibl. Labbe p. 166.

b Glaber. lib. 2. cap. 7.

25. Quin etiam Principes eo tempore nonnulli eximia pietate floruerunt: quos inter merito commemorandi ſunt ſanctus Gerardus Comes, Auriliacenſis cœnobii auctor, cujus vita primorum Eccleſiæ temporum pietatem ſpirat: atque Willelmus Aquitaniæ Dux, celeberrimi Cluniacenſis monaſterii fundatione illuſtris, Pii cognomentum apud poſteros aſſecutus. Nec prætermittendi Nortmannorum Duces, qui monaſteriis & eccleſiis reſtitutis priſtinæ ferocitatis maculas diluerunt. Præ aliis laudandus Richardus, Fiſcamnenſis monaſterii aliorumque inſtaurator, cui monaſterio Guillelmum Abbatem Divionenſem præfecit, præcipuum illorum temporum decus & ornamentum.

26. Quod ſi non tam perſonas quam facta ipſa conſiderare lubet, agedum quid in Gallia tunc geſtum ſit expendamus. Ibi omnia per id tempus bellis domeſticis externiſque fremebant. Nam cum ferro & igni omnia ſacra & profana corrumperent Nortmanni & Hungari, de rerum ſumma contra Carolum Regem decertabant Principes Odo, Rotbertus, Richardus, & ſuper omnes Heribertus, qui cum filio ſuo Hugone tot & tantas turbas in urbe Remorum excivit. Variam item fortunam expertus eſt Ludovicus Tranſmarinus: at Lotharius ejus filius rem præclaram feciſſe, atque fortunam Imperii ad ſuas partes inclinare viſus eſt, cum occupata Aquiſgrani ſede regia, aquilam tecto palatii impoſitam in Galliæ partes vertit. *Hæc ſtat in orientali parte domus*, inquit Ditmarus *c*, & poſt eum Chronographus Magdeburgenſis, *moriſque fuit omnibus hunc locum poſſidentibus ad ſua eam vertere regna*. Cum res civiles eo in ſtatu eſſent, magna nihilominus acta ſunt in Eccleſiæ cauſa. Quippe Nortmanni, gens eatenus a Chriſti ſacris aliena, per Heriveum Remorum antiſtitem in Eccleſiæ gremium adducta eſt, & Rollo eorum Dux a Francone Rotomagenſi luſtralibus aquis purgatus. Conciliorum defectu quidam Epiſcopi ſalubres ediderunt conſtitutiones ad regimen ſui gregis, quales ſunt Riculfi Sueſſionenſis, & Gualteri Senonenſis, ſi tamen hujus ſanctiones non ſunt Gualteri junioris: quibus accedit collectio canonum per Reginonem Prumienſem Abbatem. Nonnulli etiam Epiſcopi ſermonum formulas edi curarunt in gratiam indoctorum ſacerdotum, qui eis uterentur ad erudiendam plebem. Sic Abbonem, ſancti Germani apud Pariſios monachum, *coegerunt Epiſcopi Froterius Pictaviæ, & maxime Fulradus Pariſiacæ, illud tenui ſtilo cudere negotium ad utilitatem ſimplicium clericorum, quatenus hinc omni tempore ſumant eſum, & hauriant potum prædicandi ſubjectis*. Ex his ſermonibus quidam ſelecti exſtant in Spicilegii tomo 9. Varia nihilominus Concilia in variis Galliæ locis, quatenus temporum injuria ſinebat, habita ſunt ad medendum malis, que ſuboriebantur in dies: qualia fuerunt Narbonenſe, Magalonen-

c Ditmarus lib. 3. p. 29.

nenſe, Troslejanum multiplex, Turonenſe, Cabilonenſe, Remenſe triplex, Sueſſionenſe, Virdunenſe, Moſomenſe duplex, & alia.

27. In his Conciliis egregia condita ſunt decreta in remedium graſſantium malorum. Præclara eſt conſtitutio Concilii Mettenſis ſub finem ſæculi 9. can. 1. ubi provincialium ſynodorum longæ induciæ deplorantur, & præclara conciliandæ contra Nortmannos & perverſos Chriſtianos pacis ratio, nimirum per emendationem morum, decernitur. *Quærenda eſt igitur*, inquiunt Patres, *pietas Chriſti, qua pagani arceantur; & ſtatuenda eſt lex Dei, qua crudeliſſimi noſtræ gentis homines a vaſtatione pauperum repellantur. Idcirco quidquid in nobis pravæ voluntatis eſt abjiciamus, & de paganis Chriſto auxiliante pacem obtinere valebimus.* Eodem animo ducti ſunt Patres Concilii Troslejani anno 909. qui *quoniam per aliquot annos, partim infeſtatione paganorum, partim etiam graviſſimis regni perturbationibus, ac quorumdam falſorum Chriſtianorum infeſtationibus præpediti, juxta decreta canonum congregari nequiverant*: tunc quia congregandi facultas data erat, oportere, ajunt, in primis, *ut quam primum Chriſtianæ religioni, jam labanti, jamque velut in præcipiti vergenti* ſuccurratur ab Epiſcopis. Deinde addunt: *Omnis pene ordo, omniſque ſtatus eccleſiæ confuſus ac temeratus eſt. Denique ne nobis*, inquiunt, *parcere videamur, qui aliorum errata corrigere debemus; Epiſcopi dicimur, ſed epiſcopale officium non implemus. Miniſterium prædicationis relinquimus; eos qui nobis commiſſi ſunt videmus Deum deſerere, & in pravis actibus jacere: tacemus, nec eis manum correctionis tendimus.* Qui ſic loquuntur Epiſcopi, non tantum docti, ſed etiam haud dubie zelo eccleſiaſtico ducti erant, nec errores ſi qui tunc graves gliſcere cœpiſſent, diſſimulaturi fuiſſent. Deinde poſt monita ad Reges, primam omnium curam gerunt de monaſteriorum ſtatu, ex quibus *quædam a paganis ſuccenſa vel deſtructa, quædam rebus ſpoliata, & ad nihilum prope redacta* dicunt, ita ut *nulla in eis regularis formæ ſerventur inſtituta.* Hos vero exceſſus emendari non poſſe *ſine regularis Abbatis providentia. Unde cenſemus*, inquiunt, *ut ſtatus monaſteriorum inviolatus juxta antiquam Regulæ traditionem & canonum inſtituta ſervetur; & ut Abbates ſint religioſæ perſonæ, & quæ regularem noverint diſciplinam. Monachi vero vel ſanctimoniales juxta ſuam profeſſionem ſobrie, pie ac ſimpliciter vivant, ac pro Regum ſalute ac regni pace & Eccleſiæ tranquillitate ſupplicent; non ſæcularibus curis vel negotiis occupentur, non pompas mundiales requirant, non eccleſiaſtica jura inquietent, ſed juxta proprietatem ſui vocabuli, quiete otium amplectantur.* Hanc autem reformationis ideam exſecuti ſunt Cluniacenſes, quorum monaſteriis fundamenta proximo poſt hoc Concilium anno jacta ſunt. Ex hac enim ſanctiſſima congregatione prodierunt viri pietate & doctrina inſignes, qui Eccleſiæ faciem exemplis amplius quam verbis reformarunt. Hos inter præcipuus fuit ſanctus Odo Cluniacenſis Abbas ſecundus, qui adhuc monachus, Tu rpionis Lemovicenſis Epiſcopi rogatu, ſcripſit Collationum libros duos contra vitia ſui temporis, atque in his vitia ſacerdotum egregie exagitavit. Eodem Odone agente, monaſteria ad rectam vivendi formam reſtituta, novaque condita ſunt: ut quaſi alter Eſdras legis reparatæ auctor videatur, vel ut alter Jeremias *a* ad hoc a Deo electus, ut evelleret & deſtrueret noxia, & utilia implantaret. Odoni poſt Aymardum virum piiſſimum ſucceſſit Majolus, cujus ſanctitatem etiam ſi tum viventes non celebraſſent, ſatis probaret Pontificatus Romani dignitas refutata, raro exemplo.

28. Ex eadem ſchola prodiit venerabilis Abbo, Floriacenſis primo monachus, dein abbas: cujus induſtria & religione Anglicana eccleſia refloruit, litteris & pietate ab eo exculta. De hujus eccleſiæ ſtatu in conſequentibus pluribus acturi, id unum hoc loco dixerimus, vix ullo unquam tempore tot tantoſque viros, pietate & doctrina (qualem ferebat ætas) quot iſto ſæculo inſignes exſtitiſſe. *Eo tempore*, inquit Willelmus *b* Malmesburienſis, *micuerunt per Angliam ſanctorum virorum lumina, ut crederes e cœlo arridere ſidera.* Ex his tres potiſſimum commemorat, Dunſtanum Cantuarienſem, Athelvvoldum Winto-

a Baron. ad an. 938.

b Willelm. lib. 2. de Regibus cap. 8.

tonienſem, & Oſvvaldum Eboracenſem Pontifices. *Ita his tribus viris* agentibus, *quaſi triformi lumine Angliam ſerenante, denſæ vitiorum tenebræ evanuere*. His Plegmundum & Odonem Cantuarienſes, Elfegum Wintonienſem, alioſque his in actis laudatos adjicere licet: a quibus omnibus quid in rempublicam Chriſtianam geſtum ſit, aptior erit inferius diſſerendi locus. Præcipua tamen laus, ut id interim dicam, penes Dunſtanum ſtetit, teſtante eodem *a* Willelmo. *Ita hominibus omnis ordinis ferventibus in Dei obſequio, terra quoque ipſa videbatur gaudere otio.... In urbibus nec in pauperes præjudicium, nec inter viventes diſcidium, nec propter morientes juſtitium. Horum bonorum radix per Domini gratiam ſpectabat ad Dunſtanum, de Dunſtano prodiit in Edgarum Regem, de Edgaro pullulavit in populis.*

a Id. lib. 1. de Pontif. cap. 1.

§. III.

Quænam ſæculi 10. *de Fide controverſiæ, & diſciplinæ eccleſiaſticæ quis ſtatus: & unde utriuſque traditio.*

29. EX his non difficulter conjicere licet, qualis eo tempore fuerit rerum eccleſiaſticarum ſtatus, ſive dogmata ſpectes, ſive diſciplinam. Quia enim illius ætatis crimina bruta erant, inceſtus, rapinæ, cædes & ſimilia: nulla ferme errata circa Fidem orta ſunt. Quaſdam quidem hæreſes deſignat Formoſus *b* in epiſtola ad Fulconem Remorum Antiſtitem: ſed illæ Orientem infeſtabant, non Occidentem. Attamen Deum corporeum Preſbyteri quidam Italici Vicentinæ diœceſis profitebantur, craſſo & ſupino errore. Hunc refellit Ratherius tum in ſermone 1. de Quadrageſima, tum in Defenſione ejuſdem ſermonis. Ibidem etiam Ratherius carpit ſuperſtitionem quorumdam qui ad eccleſiam ſancti Michaelis ſatius ducebant ire feria ſecunda quam ceteris, rati ſanctum Michaelem ipſa die Miſſam cantare ſolitum. Erant etiam in Italia, nempe in diœceſi Patavina, reliquiæ quædam Arianorum, ut dictum eſt ſuperius.

b Frodoard. Hiſt. lib. 4. cap. 2.

30. Eodem tempore Walfredus quidam neſcio quid in reſurrectionem corporum muſſitavit. Inſurgit contra Durandus abbas Caſtrenſis in Septimania, & *gladio linguæ*, ait illius temporis Poeta chronographus *c*, dogmata falſa reſecat. Neſcio an contra ipſum Walfredum ſcripſerit Guillelmus incerti loci abbas, cujus opus de reſurrectione manuſcriptum habemus. In Anglia quidam de veritate corporis Chriſti in Euchariſtia dubitabant, quos inſigni miraculo revicit Odo Cantuarienſis Antiſtes. Inſignis eſt in huc errorem epiſtola Ratherii *d* ad Patricum Sacerdotem, ubi hæc verba præoccupando adducit. *Crede frater, quia ſicut in Cana Gallileæ vinum Dei imperio verum, & non figuratum, fuit ex aqua factum; ita iſtud Dei benedictione vinum verus, & non figurativus, efficitur ſanguis, & caro panis.* Hæc curſim delibamus, utpote jam alibi *e* tractata uberius.

c Spicil. tom. 7. pag. 541.

d Spicil. tom. 12. pag. 38.

e Præfat. ſæc. 4. parte 2. & Analect. tom. 1. pag. 202. & ſeqq.

31. Contra hos ſimileſve errores nihil in Conciliis, quæ ſane habemus, pronuntiatum eſt, nempe quod ad ipſam publicæ ſectæ profeſſionem non ſint progreſſi. Exſtant quidem varia illis temporibus celebrata Concilia, ſed omnia contra mores illius ætatis, nempe contra violatores canonum, ſimoniam, invaſiones dignitatum, bonorumque rapinas, & cædes, contra inceſtus, & Preſbyterorum conjugia, quæ iſtoc primum ſæculo audiri cœpta. Ratherius in libro de contemtu canonum conqueritur, *quod præ ceteris gentibus baptiſmo renatis contemtores canonicæ legis & vilipenſores clericorum ſint magis Italici*. Id vero dicit habita ratione ſui temporis, quo Clerici ipſi ſeſe in hanc infamiam perverſis ſuis moribus projecerant. Hunc contemptum ſanare conatus eſt cum Ratherio Atto Vercellenſis: ac præſertim variæ Synodi, quæ obſervationem canonum paſſim inculcant. Matrimonia cum conſanguineis uſque ad quartam generationem, quibuſdam ad ſeptimam pro inceſtis habebantur: nec perſonarum fere ullus erat reſpectus. Hinc Concilium Ro-

Digitized by Google

Romanum ſub Gregorio V. in Rotberti Regis cum Berta conſanguinea connubium minas intentat graviſſimas cum Regi ipſi, tum earumdem nuptiarum auctoribus. Graviſſimæ etiam pœnæ contra Presbyteros in conjugia ruentes (quod ne quidem Græcis umquam licuit) decretæ ſunt: atque ut hoc malum penitus tolleretur, omnium mulierum, etiam quas canones *a* permittunt, cohabitatio ipſis interdicta. Hoc quippe antiqua lege in Eccleſia obſervatum eſt, *ut Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, aut virgines eligantur aut vidui, aut certe poſt ſacerdotium in æternum pudici*, teſte Hieronymo in apologia *b* ad Pammachium, qui in epiſtola adverſus Vigilantium *c* eumdem morem in Orientis partibus uſu veniſſe aſſerit. *Quid facient Orientis eccleſiæ, quid Ægypti & Sedis apoſtolicæ? quæ aut virgines clericos accipiunt, aut continentes, aut, ſi uxores habuerint, mariti eſſe deſiſtunt.* Ergo poſt Hieronymum aliter a Græcis præſumptum eſt contra receptos Eccleſiæ mores. Epiſcopi quidam, Vigilantii aſſeclæ, referente Hieronymo, non ordinabant Diaconos niſi prius uxores duxiſſent. Subdiaconos, qui in Sicilia cælibatus expertes erant, Gregorius Magnus continentiæ legi univerſim ſubjecit. Contrarium morem induci cœptum ingemuit Leo Papa VII. in epiſtola ad Gallos & Germanos. Quouſque increverit hæc labes (quam ineunte ſæculo 10. incœpiſſe ex epiſtola *d* Mantionis Epiſcopi Catalaunenſis ad Fulconem metropolitanum, & ex Orderico *e* intelligimus) teſtatur præter alios multos Victor III. initio libri tertii de miraculis Sancti Benedicti. Tandem Gregorius VII. inveteratum malum e medio ſuſtulit.

a Conc. Namnet. can. 3.
b Hieron. epiſt. 49.
c Epiſt. 54.
d Analect. tom. 3. pag. 438.
e Orderic. lib. 5. pag. 574. V. Vitam Bernardi Abbatis Tiron. cap. 25.

32. Contra rapinas & cædes cum non ſatis proficerent Eccleſiæ comminationes, delatæ ſunt ſanctorum reliquiæ paſſim: tum mutua adinventa eſt Pax ſeu *Treuga Dei*, qua confederatio cum Epiſcopis & Proceribus inita eſt, ut certis hebdomadæ diebus ab armis & cædibus, aliiſque hoſtilibus factis abſtinerent. Hanc inſtitutionem ad annum 1041. revocat *f* Hugo abbas Flaviniacenſis, qui eam præcipue ſancto Odiloni Abbati tribuit; aitque negotium hoc cælitus approbatum, atque ab omnibus etiam Auſtraſiis receptum, præterquam a Neuſtraſiis, ob id divinitus punitis. Commendatur hæc pacis conditio in Synodo Narbonenſi anni 1054. ubi Patres obſecrant per Deum *g*, ut nemo Chriſtianorum quemlibet Chriſtianum requirat ad malefaciendum *ab occaſu ſolis quartæ feriæ uſque ſecundæ feriæ illuceſcente ſole*; aſſeruntque ipſam Treugam Dei *dudum* fuiſſe conſtitutam. Et quidem ſæculo 10. id eſt anno 990. ejus diſerta mentio deprehenditur in charta Widonis *h* Epiſcopi Anicienſis, ubi nulli certi induciarum dies aſſignantur: itidemque apud Glabrum *i* Rodulfum ad annum 1034. qui Treugæ conditiones refert, uti & Concilium Helenenſe anni 1065. Henricus Leodicenſis Epiſcopus quinquageſimus quartus eamdem cum Principibus admiſit anno 1071. egregia conſtitutione, quæ in tomo 2. de Geſtis Epiſcoporum Leodienſium legitur. Conſule Antonii Dominicii Diſſertationem ſingularem *de Treuga & pace*.

f Bibl. nov. Labb. tom. 1. pag. 187.
g cap. 2.
h lib. 4. de re Diplomatica.
i Glaber. lib. 1. cap. 1.

33. Eodem ſæculo 10. Epiſcoporum & Abbatum canonicæ electioni vix ullus erat relictus locus. Simonia paſſim invaluerat, quam Henricus Auceps in regium thronum evectus, quam primum everſurum jurejurando *k* ſe obſtrinxit. In idem conſpirarunt repetitis ſæpius decretis Concilia, multique graviſſimorum auctorum ſermones, quos inter unus Gerberti editus eſt in tomo 2. Analectorum. Sed pertinacem adeo morbum reddiderat conſuetudo, ut ex integro exſtingui non potuerit. Si quando fiebat electio, tumultuaria erant omnia, aliquando ad ſanguinem uſque atque cædes. Imbecilliores aliis jure ſuo cedebant: Principes & Reges hoc jus ſolebant ſibi arrogare, ut reſiſtentes quaſi perduellionis reos haberent ii qui minus religioſi erant. *Solent etiam admodum indignari*, ait Atto Vercellenſis, *l* *ſi vel ab aliis aliquis, cujuſcumque meriti ſit Epiſcopus eligatur, vel ſi a ſe electus, cujuſcumque pravitatis ſit, ab aliquo reprobetur. Illorum ſane quos ipſi eli-*

k Liutprand. lib. 2. cap. 8. & 9.
l Atto Verc. in lib. de preſſ. Eccl. parte 2. pag. 66.

gunt vitia, quamvis multa & magna ſint, velut nulla tamen reputantur: quorum quidem in examinatione non caritas & fides vel ſpes inquiruntur, ſed divitiæ, affinitas, & obſequium conſiderantur. Quæ tria vel (quod potius minus eſſe videtur) ſi duo ex his unam eamdemque perſonam convertant, hæc jam re vera inter cælicolas computabitur, & unum etiam ex his ſatisfacere credunt ad epiſcopalis ſcilicet cathedræ dignitatem.* Hanc perniciem obſervavit Otto Magnus religioſus Princeps, cavitque ut Epiſcopi Wirzeburgenſis electio in cleri eſſet poteſtate. Hoc privilegium Poppone ſedente conceſſum eſt, qui anno 941. regimen iniit, teſte Bruſchio.

* ſ. conveniant.

34. Electi ſeu nominati Epiſcopi formulam Confeſſionis ſeu Profeſſionis de more tunc edebant: ſed in ea Conciliorum generalium dumtaxat quatuor mentionem faciebant nonnulli. Ita habet Gerberti profeſſio *a*, cum pulſo Arnulfo intruſus eſt in Remenſem Pontificatum. *Quod ſi forte a ſacris legibus*, ut ipſe in Concilio Moſomenſi loquitur, *quippiam deviatum eſt, non id malitia, ſed temporis importavit neceſſitas.* Id vero in eo maxime laude dignum, quod ſchiſma ſemper ex animo averſatus eſt. Ita enim in epiſtola 159. ad Adelaidem Reginam. *Ego vero improborum verſutias acute conſpicio, & contra omnia ſchiſmata unitatem Eccleſiæ, ſi ſic decretum eſt, morte mea defendo..... Neque enim eccleſiam, quam Epiſcoporum judicio regendam accepi, ſine Epiſcoporum judicio relinquere volo: nec rurſus contra Epiſcoporum judicium ubi major auctoritas adſit, eam quaſi per vim retinere diſpono.*

a Conc. to. 9. col. 740.

35. Coadjutores & ſucceſſores ſibi non raro tunc habuerunt Epiſcopi, in quibus eſt Uto Argentinenſis, qui quod eſſet afflictæ valetudinis, Erkembaldum adjutorem adſcivit. Nec tamen Coadjutores illi benedictione ſacra donabantur, nec epiſcopalia ſumebant inſignia. Quare cum Adalbero, Udalrici Auguſtenſis nepos & ſucceſſor deſignatus, ab Ottone M. ferulam ſeu baculum epiſcopalem cum temporalium rerum adminiſtratione ſibi arrogaſſet, id ipſi vitio verterunt Epiſcopi in Synodo Ingelheimenſi; parumque abfuit, quin ipſum dignitate epiſcopali in perpetuum interdicerent. Immo hujuſmodi reſignationes, niſi urgente neceſſitate, non permittebat illius temporis diſciplina. Unde Stephanus Vellavenſis in ordinem redactus eſt in Concilio Romano ſub Gregorio V. quod vivente avunculo ſuo Widone electus eſſet citra populi ratihabitionem. Sed illud in primis canonicis regulis contrarium, quod Hugo, Heriberti Viromanduorum Comitis filius, quinquennis ad metropolim Remorum deſignatus, anno ætatis ſuæ undevigeſimo Presbyter ordinatus eſt, ac paullo poſt Epiſcopus: ob illa vitia poſtmodum merito rejectus in gratiam Artaldi ſucceſſoris dignioris.

36. Bona Eccleſiæ etiam tunc in quatuor partes diviſa erant ex veteri Canonum inſtitutione: quod probant ſanctorum Epiſcoporum Udalrici Auguſtenſis, & Adalberti Pragenſis acta, ſtatuta Riculfi, & Concilium Namnetenſe: ſed mortuo Epiſcopo, ejus facultates diripi ſolebant, ex veteri abuſu a Patribus Concilii Chalcedonenſis *b* damnato; idque etiam Romæ mortuo Pontifice attentatum. Hujus rei cauſa, bona Eccleſiæ poſt mortem Antiſtitis vicino Epiſcopo commendata erant in quibuſdam locis, idque ſollemni lege inter Lugdunenſem & Æduenſem jamdudum *c* conſtitutum eſt: ſed non ante ſæculum 9. Siquidem imperante Carolo Magno Abbas Inſulæbarbaræ, qui archiepiſcopi Vicarius generalis natus (ut ita dixerim) erat, eo mortuo eccleſiam regebat, quouſque Paſtor novus eſſet inſtitutus. Teſtis ea de re epiſtola Leidradi Archiepiſcopi, qui etiam poſteris abbatum Inſulæbarbaræ hanc poteſtatem confirmavit.

b Conc. Chalced. can. 22.

c Spicil. to. 8. pag. 253. & ſeq.

37. Monachi etiam non raro archidiaconorum dignitatem, aliaſque in cathedralibus eccleſiis obtinebant, ut poſtea dicemus. In nonnullis item vita communis ſervabatur, ut de multis eccleſiis Italicis, Gallicanis & Germanicis ſuperius oſtendimus. Maxima penes laicos linguæ latinæ, immo ſcribendi & legendi ignorantia erat: adeo ut Otto magnus ille Imperator Lati-

Digitized by Google

Latine neſciret ante mortem Edithæ conjugis: quod poſtea emendare ſategit in filio. Ideo ſoli fere clerici litterati. Scholæ duplices erant, aliæ in cathedralibus eccleſiis, aliæ in monaſteriis, ubi etiam clerici erudiebantur. Nobiles autem vix niſi ex ambitione ſcholas frequentabant. Unde Ratherius in parte 1. de contemptu canonum. *Pone quemlibet nobilium ſcholis tradi (quod utique hodie magis ambitu videtur epiſcopandi, quam cupiditate Domino militandi) ecce pes unus ſuperbiæ, patrum ſcilicet elata voluntas.* Alio longe conſilio Gerardus nobiliſſimus adoleſcens, cum litteras ante monachatum neſciret, eas religionis cauſa didicit, factus poſtea Abbas Bronienſis.

38. Eodem tempore, immo jam inde a ſæculo octavo, parochiarum collatio a laicis uſurpari cœpit, nequicquam repugnantibus Conciliis. Exſtant hac de re decreta ſynodi Moguntinæ anni 813. can. 29. & in Statutis *a* S. Bonifacii; itemque ſanctio Concilii Ingelheimenſis anni 948. can. 4. & Auguſtanæ anni 952. Unde ſæculo 11. pleræque eccleſiæ parochiales a nobilibus occupatæ erant, qui religionis cauſa multa altaria (ſic vocabant) monaſteriis conceſſerunt. Denique a Presbyteris frequentabantur collationes in Kalendis, ex actis Udalrici, atque Hincmari & Riculfi conſtitutionibus. Atto Vercellenſis in Capitularis cap 29. *Experimento didicimus, non minus bonam collationem quam lectionem prodeſſe. Unde a præſenti ſtatuimus, ut per ſingulas plebes ſingulis Kalendis omnes Presbyteri ſeu Clerici ſimul conveniant, ut de Fide ac Sacramentis divinis, ſeu de vita & converſatione & ſingulis officiis ad eos pertinentibus communiter tractent, &c.*

a Spicil. to. 9. pag 63.

39. Idem auctor quoddam ſui ſæculi vitium notat in Presbyteris, qui duellum in cauſis dubiis ſubire cogebantur, aut certe pugilem pro ſe exhibere: quod multis ſcripturarum teſtimoniis improbat, ita *b* ſubdens. *Hæc tamen omnia & alia ſcripturarum documenta maligni & improbi parvipendentes, ad pugnam ſacerdotes impingere quærunt, nullam amplius reverentiam ipſis obſervantes; niſi quod non propriis manibus, ſed per ſubmiſſas perſonas illis in tali diſcrimine indicant dimicare; & quibus prohibitum eſt armatorum cuneis vel etiam publicis ſpectaculis intereſſe, ad pugnam producere heu noſtros compellimur vicarios, ut vel iſtorum cæde victi, vel ipſorum, quaſi abſoluti eſſe videamur, ne purgari a crimine niſi perpetrato crimine valeamus.* Idem etiam a monachis exactum fuiſſe alibi obſervavimus.

b Atto de preſſuris Eccleſ pag. 55.

40. Sed illud in primis deteſtatione dignum, quod quidam Sacerdotes rem ſacram facientes a communione temperabant: quod crimen Joanni XII. in Synodo Romana coram Ottone Magno impactum eſt. Non deſunt quædam ejuſdem ſceleris exempla, ut apud Fulbertum in epiſtola 88. quibus obviam itum eſt a Conciliis Romano, Rotomagenſi *c*, & aliis. Ejuſdem argumenti eſt alia conſuetudo valde reprehenſibilis, quæ in Synodo Ravennatenſi anni 997. arguitur, *ut Subdiaconi corpus Domini, quod formatum appellant, tempore conſecrationis Epiſcoporum, ipſis vendant Epiſcopis.* Id intelligendum de Euchariſtia, quæ ſub ſpecie integræ formæ intra ferrum characteratum coctæ, id eſt majoris hoſtiæ infermentatæ, Epiſcopis recens ordinatis porrigebatur, ut ex ea in dies plures communicarentur, uti expoſuimus in Diſſertatione de Azimo cap. 10. In his omnibus ubi quid peccatum fuerat contra Eccleſiæ leges, id ipſis legibus expiari mos erat. Ita Eccleſiæ leges etiam tunc vigebant, quia nondum inultæ.

c Orderic. lib. 4. pag. 527. V Ivonem pag. 129. & 130. Sirmund. to. 2. Conc. p. 133.

41. Redeo ad communionem ſacram, quam ſemel in anno percepiſſe laicis ſæculi decimi hominibus non ſatis erat, quibus quater id facere quotannis præceptum eſt, teſte Ratherio in ſermone ſynodico. Ibidem continentia in diebus feſtis ac jejuniorum a laicis conjugatis exigitur, ut in vita ſancti Dunſtani hic: quam continentiam veteres Eccleſiæ leges etiam ad communionem ſacram exigebant. Legenda hac de re epiſtola Waſelini abbatis in tomo 1. Analectorum, atque Hieronymus *d* contra Jovinianum, & in apologia ad Pammachium. In eodem etiam ſermone Ratherius duo habet obſervatione digna, nempe abſtinentiam a carnibus in Adventu, & remiſſionem

d Hieron. lib. 1. in Jov. cap. 4. & 8 & apol. ad Pammach. cap. 6.

nem quamdam in diebus feſtis Quadrageſimæ, cujus initio pœnitentes ſollemni more probatos fuiſſe dicit. De ritu celebrandi Quadrageſimam lege ſermonem *ejuſdem* Ratherii. Ex ipſo etiam intelligimus pœnitentiam publicam per illud tempus viguiſſe (quod teſtatur Fulberti Epiſcopi Carnutenſis libellus de modo pœnitentiarum) ſed tamen redimi potuiſſe. Accedit quod eodem ævo cultus Deiparæ Virginis multum auctus eſt: quæ omnia brevius hoc loco in ſpecimen commemorata, fuſius in obſervationibus noſtris inferius exponentur.

42. Nunc locus poſtulat, ut quo modo, quibuſve potiſſimum auctoribus eccleſiaſticæ doctrinæ ac diſciplinæ traditio ex ſæculo nono ad decimum tranſmiſſa ſit (nam & id plurimum ad hujus notitiam conducit) conſideremus. Potiſſima ejus rei gloria Epiſcopis quidem nonnullis tribuenda eſt: ſed quibus ad hoc miniſtris uſi ſint, inquirere juvat.

43. Qui in Gallia maxime in aſſerenda Eccleſiæ traditione viguerunt, cenſendi veniunt Fulco Remenſis, Notgerus Leodicenſis, & Turpio Lemovicenſis: inter ſecundi ordinis viros Odo Cluniacenſis, Joannes Gorzienſis, & Abbo Floriacenſis Abbates. Fulco Remenſis in eccleſia ſua duplicem ſcholam, ut mox dicebamus, reſtituit, Canonicorum & Presbyterorum ruralium, qui iſtic quaſi in ſeminario inſtituebantur. In monaſterio Sithienſi ſeu ſancti Bertini Fulco ipſe educatus fuerat, ac duplici iſti ſcholæ Remigium Autiſiodori apud S. Germanum, atque Hucbaldum Elnonenſem ſeu S. Amandi in Belgio monachus præfecit. Remigius Heiricum præceptorem, Heiricus Autiſiodorenſis itidem monachus *a* Lupum atque Haimonem; ambo iſti Rabanum habuere præceptorem: Rabanus Alcuinum, qui Alcuinus in Eboracenſi eccleſia a Beda informata litteras ac religionem edoctus fuerat. Notgerus Epiſcopus Leodicenſis creatus anno 971. multos habuit diſcipulos, cum Epiſcopos, tum alios, qui ſæculo 11. floruerunt, de quibus Adelmannus in rythmo a nobis *b* alibi relato. Notgerus ante pontificatum Decanus ſancti Galli, ubi Germaniæ inſigniores eo tempore Antiſtites educati ſunt, teſte Ekkehardo. Turpio Lemovicenſis, quem *beatum* appellant, Odone tum monacho, poſt abbate Cluniacenſi, uſus eſt ad corrigendos Clericorum mores, ut teſtantur libri tres Collationum ab Odone editi. Odo autem Pariſiis præceptorem habuerat Remigium mox laudatum. Ita ex Remigio propagata eſt per univerſam fere Galliam ſcientia litterarum, adeoque traditio eccleſiaſticæ doctrinæ & diſciplinæ. Certe Hildeboldus, qui ſæculo 10. in cœnobio ſancti Michaelis ad Moſam litteras docebat, erat *ex diſcipulis domni Remigii, doctiſſimi ea ætate magiſtri*: & Blidulfus Mettenſis eccleſiæ Archidiaconus, *qui litterarum ceteros ejus loci præivit ſcientia, ex ſcholis adhuc ſupererat Remigii*, in actis S. Joannis abbatis Gorzienſis. Alter eccleſiaſticæ doctrinæ propagator fuit Gerbertus, ex monacho Auriliacenſi abbas, tum Pontifex Remenſis, dein Ravennas, poſtremo Romanus. Is quippe a multis præceptor expetitus, Ottonem tertium, Rotbertum Francorum Regem, alioſque multos erudiit. Huc ſpectat Ottonis ad eum epiſtola, inter Gerbertinas 153. in qua eum ad ſe in arithmeticis erudiendum invitat, atque ad ſtudium correctionis impendendum. Ipſe vero Gerbertus in alia ad eumdem Ottonem epiſtola, quæ eſt in ordine ſecundo 23. *tribus ſæculi ætatibus, ſcilicet vobis*, inquit, *patri, & avo*, fidem puriſſimam ſe exhibuiſſe conteſtatur. Duobus iſtis adjungendus eſt Fulbertus, per quem maxime ad ſæculi 11. homines tranſmiſſa eſt Eccleſiæ doctrina, utpote quem fere omnes iſtius ſæculi viri litterati habuere præceptorem. Sed Fulbertus ipſe a quo litteras didicerit, cujuſve fuerit, non ita exploratum. Ignobilis generis ſe fuiſſe teſtatur ipſe in verſibus.

Conſcendi cathedram pauper de ſorde levatus.

& infra ſe ipſe alloquens:

Te de pauperibus natum ſuſcepit alendum
Chriſtus, & immeritum ſic enutrivit & auxit,

a Analect. tom. 1. pag. 413.

b Ibid. pag. 420.

Digitized by Google

Ut collata tibi miretur munera mundus.
Nam puero faciles providit adeſſe magiſtros,
Et juvenem perduxit ad hoc ut Epiſcopus eſſes.

Fulberti nomen Francum ſapit: ſed Italum fuiſſe ex ejus epiſtola ſecunda, quam ad Einardum nondum Epiſcopus ſcripſit, conjicere licet. In ea quippe interrogatus quid ſentiret de hoſtia ſacerdotibus recens ordinatis tradi ſolita in 40. dies, reſpondet ſe in ea fuiſſe perſuaſione, hoc omnibus eccleſiis aſſuetum, nec novum eſſe: hæſitare ſe, an codicem illum unum haberet, quem *a natali patria* inter ceteros devexerat, in quo hujuſmodi exemplaria continebantur: quem diu quæſitum, aut alicui præſtitum, aut *per tot locorum mutationem* caſu amiſſum putat. Denique *noſtri*, inquit, *Epiſcopi provinciales in hujuſmodi ritum omnes conſentiunt*. Non videntur illi fuiſſe Galli, ſiquidem Einardo Gallo mos iſte inſolitus apparebat. Et in fine: *Hæc pauca de multis*, ait, *ad præſens ſufficiant, dum ego codicem de ejuſmodi exemplaribus a Romano ſcrinio prolatum perlegam*. Hinc conjicias, hanc illi fuiſſe natalem patriam, unde codicem illum a ſe devectum dicit. Inter alios porro præceptores unum habuit Gerbertum, teſtante Chronographo Malleacenſi. Gerbertus denique a diſcipulis Odonis Abbatis Cluniacenſis eruditus eſt: Odo ipſe a Remigio. Sic ex Remigii, ut jam diximus, diſciplina omnis doctrinæ in Gallia traditio propagata eſt.

44. Bruno Colonienſis Antiſtes, qui bonam illius ſæculi partem nominis & factorum ſuorum fama implevit, præceptores habuit, teſte Rotgero, Baldricum Trajecti ad Rhenum Epiſcopum ſanctum, & Iſraelem Scotum itidem Epiſcopum, qui Virdunenſi Concilio ſubſcripſiſſe reperitur. Ratherium addit Folcuinus abbas Gemblacenſis, eumque ab Ottone Magno accitum fuiſſe teſtatur. (a) *Advocatur Ratherius, & habetur inter palatinos Philoſophos primus. Quid multa? non deſtitit, donec regiam illam & mirificam* (Brunonis) *indolem in omnibus diſciplinis perſpicaciſſimam redderet & perfectam*. Ex eadem Laubienſi ſchola prodiit Herigerus Abbas, a quo Olbertus Abbas Gemblacenſis quatuor liberales artes didicit. Olbertus vero Pariſiis aliquamdiu apud ſanctum Germanum, tum apud Tricaſſinam urbem & Carnutas ſub Fulberto ſublimioribus ſtudiis operam dedit. Is a Baldrico Leodicenſi Epiſcopo rogatu Burchardi Wormatienſis Epiſcopi (b) *ad urbem Vangionum* dirigitur: ubi *honorifice ſuſceptus, magnam cum eo familiaritatis gratiam eſt adeptus. Epiſcopus nobilis & potens non dedignatur ſe ſubmittere ad formam diſcipuli: monachus humilis & peregrinus non timet tanto viro operam exhibere magiſtri. Quantum autem vir tantæ auctoritatis ex Olberti doctrina profecerit, ex hoc ſatis probari poterit, quod opus ſanctæ Eccleſiæ nimis utile elaboravit, dum Olberto dictante & magiſtrante magnum illud canonum volumen centonizavit*. Redeo ad Brunonem, cujus multos alumnos fuiſſe Epiſcopos, multos in quacumque Eccleſiaſticæ profeſſionis diſciplina probatiſſimos aſſerit Rotgerus monachus, ejus vitæ ſcriptor æqualis; qui & ipſe non inter extremos ſui ſæculi homines cenſendus eſt, uti ejus lucubratio, ſane pro tempore diſerta, & maturo judicio prædita teſtatur.

a Geſta abbat. Lob. tom. 6. Spicil. pag. 565

b Geſta abb. Gembl. ibid. pag. 519. & ſeq.

45. Non divellendus a Brunone amicus ejus Henricus Trevirenſis Antiſtes, qui primas pietatis & litterarum inſtitutiones in Augienſi prope Conſtantiam monaſterio hauſit, una cum Wolfgango, quem poſtea Wirziburgum traxit. Henrici enim erat frater Poppo loci Epiſcopus, & Stephanum quemdam doctum virum, ex Italia doctrinæ cauſa accitum, ſcholæ præfecerat, qui omnes illic litteris operam dare volentes accurate erudiret, uti ex actis ſancti Wolfgangi hic editis diſcimus. Egbertus, Henrici poſt Theodericum ſucceſſor, *ſcholaſticos* in Italiam ad Gerbertum ducere animo deſtinavit, teſtante Gerberti epiſtola 13. Interea temporis Adſo apud Luxovium inſtitutus, a Pontifice cleroque Tullenſi arceſſitus eſt *c ad magiſterium ſacri ordinis*, antequam ad regimen Dervenſis monaſterii aſſumeretur. Hæc in metropoli Trevirenſi agebantur, dum Adel-

c Secul. 2 Bened. pag 848.

Digitized by Google

bertus Magdeburgenſis Antiſtes, ex Trevirenſi ſancti Maximini cœnobio eductus, litterarum ſtudia in ſua eccleſia per noſtros excitabat, & Tangmarus Decanus in Hildeneſheimenſi eadem excolebat, ex cujus diſciplina prodiit Bernwardus, qui magna ſanctitatis laude illam eccleſiam adminiſtravit.

§. IV.

Rei monaſticæ ſtatus ſæculo 10. maxime in Gallia: ubi de Cluniacenſium Congregatione, ritibus, habitu, & propagatione.

46. QUÆ hactenus diximus, manifeſte probant, monachos ad conſervandam reſtituendamve in melius reipublicæ Chriſtianæ diſciplinam non parum adjumenti contuliſſe. Aliquod proinde operæ pretium fuerit ſtatum monaſtici Ordinis, qualis eo tempore fuerit, hoc loco exponere, ut rerum eccleſiaſticarum accuratior habeatur cognitio. Labente ſæculo 9. cum Nortmanni, profana & ſacra omnia igni ferroque vaſtantes, monaſteria ſuſque deque vertiſſent; defecerunt in pleriſque Galliæ locis monachi, qui ſedibus ſuis fugati, miſerabilem vitam palabundi agebant, dum interim ſæculares homines monaſteriorum reliquias avide devorarent. Sicubi vero conſiſtere monachi perſeverarunt, multa nihilominus paſſi ſunt ab illis prædonibus: factumque eſt ut omnia Franciæ monaſteria vel penitus deſtituta, vel alienis dominis, id eſt abbatibus ſæcularibus, traderentur. Adeo *ut in monaſteriis Deo dicatis Monachorum, Canonicorum, & ſanctimonalium, Abbates laici cum ſuis uxoribus, filiis & filiabus, cum militibus & canibus morarentur*, ut legitur in Concilio Troslejano anni 909. cujus Concilii Patres hunc caſum graviter lugent cap. 3. in hunc modum. *De monaſteriorum vero non ſtatu, ſed lapſu, quid dicere vel agere debeamus, jam pene ambigimus. Dum enim mole criminum exigente, & judicio a domo Domini incipiente, quædam a paganis incenſa vel deſtructa, quædam rebus ſpoliata & ad nihilum prope ſint redacta; ſi tamen quorumdam adhuc ſupereſſe videntur veſtigia, nulla in eis regularis formæ ſervantur inſtituta.* Nempe quia *propriis & jure ſibi competentibus carent rectoribus: & dum contra omnem Eccleſiæ auctoritatem Prælatis utuntur extraneis, in eis degentes, partim malevolentia, maximeque inhabilium ſibi Præpoſitorum faciente inconvenientia, moribus vivunt incompoſitis: & qui ſanctitati religionique cœleſti intenti eſſe debuerant, ſui velut propoſiti immemores, terrenis negotiis vacant: quidam etiam neceſſitate cogente, monaſteriorum ſepta derelinquunt, & volentes nolenteſque ſæcularibus juncti ſæcularia exercent.* Inter alia vero quæ huic malo medendo remedia ſuggerunt Patres, primum & quaſi unicum eſt reſtitutio Abbatum regularium. Nam *quo modo aurum ſine aurifice in priſtinum & optimum non poteſt reformari colorem: ſic & monaſtica vita ſine regularis Abbatis providentia ad priſtinum atque optimum vivendi nequit reformari ordinem.* Et poſt multa: *Cenſemus igitur*, inquiunt, *ut ſtatus monaſteriorum inviolatus juxta antiquam Regulæ traditionem & canonum conſtituta ſervetur, & ut abbates ſint religioſæ perſonæ, & quæ regularem noverint diſciplinam.*

47. Hæc ob oculos repræſentare viſum eſt, ut intelligatur rei monaſticæ ſtatus per id tempus, talis ſane, ut cum antea Sancti Benedicti Regula ubivis Galliarum recepta fuiſſet ante Caroli Magni ætatem, ita ejus memoria apud homines nonnullos, qui extremo ſæculo decimo & ſequentibus vivebant, inveterata haberetur, quaſi numquam ante Congregationis Cluniacenſis inſtitutionem in his partibus audita fuiſſet. In his unus eſt monachus Dervenſis anonymus in libello de miraculis ſancti Berchārii Abbatis, ubi agens de reſtituta apud Dervenſes diſciplina per Rodulfum Regem, hæc *a* habet. *Regula ſanctiſſimi Patris noſtri Benedicti adhuc inaudita hominibus Francorum imperii, ſollertiſſima induſtria iſtius Principis jubar ſuæ claritatis plurimis*

a Sæc. 2. Bened. pag. 847. num. 9.

rimis infudit eccleſiis. Qui vero ipſis temporibus qualecumque præferebant monaſticum ſchema, famoſiſſimi quondam Luxovienſis nominis ſeſe tuebantur conſuetudine aliquanta. Tum ſubdit, ſanctum Odonem intuliſſe Regulam Floriacenſi monaſterio, indeque Tullum in ſancti Apri, aliaque cœnobia fuiſſe propagatam. Eadem etiam fuit perſuaſio Guidonis, cujus verba Albericus, Trium-fontium in Campania monachus Ciſtercienſis, refert in Chronico ms. ad annum 930. in hunc modum. *Ad hæc tempora Regula beati Columbani tam in Francia, quam in Burgundia obſervabatur a Nigris monachis. Sed Sanctus Odo abbas Cluniacenſis Regulam Sancti Benedicti primo in Cluniaco & in ſancto Benedicto ſuper Ligerim fecit obſervari, & exinde procedente tempore cœpit ubique recipi.* Uterque auctor diſtinctionem Regulæ ſancti Columbani a Benedictina, tamquam rem indubitatam admittit: ſed in hoc turpiter ambo allucinantur, quod ante ſanctum Odonem in Franciæ & Burgundiæ partibus, atque adeo apud Floriacum inauditam fuiſſe exiſtimarunt. Id enim tam veritati contrarium eſt, quam quod maxime, ut ea quæ in Superioris Sæculi Præfatione prima diximus, affatim demonſtrant. Quod ſi monachus ille Dervenſis ſui monaſterii inſtrumenta perlegiſſet, inveniſſet proculdubio chartam Bertoendi *a* Catalaunenſis Epiſcopi, datam anno ſecundo Chlodovei tertii: id eſt anno 692. ſtatuentis, *ut congregatio monachorum Dervenſium & ſanctimonialium ipſis adjunctarum corrigeretur ſecundum Regulam ſancti* BENEDICTI *vel domni* COLUMBANI. Inveniſſet etiam Ludovici Pii diploma Hautonis *b* abbatis rogatu editum ad reſtitutionem monaſticæ religionis, ſancientis, *ut monachi ibi degentes ſub Regula ſancti Benedicti vitam ducant monaſticam.* Quod ad Floriacenſe monaſterium attinet, ex Adrevaldo & Adelerio ejus loci monachis, qui ſæculo 9. ſcripſerunt, ſed & ex chartario Patriciacenſi apud Perardum, aliiſque teſtimoniis manifeſtum eſt, a primis illius cœnobii temporibus ſancti Benedicti Regulam ibidem fuiſſe receptam. Ne longius argumenta repetam, nemo unus hanc controverſiam melius dirimet, quam ipſe ſanctus *c* Odo, qui in ſermone de translatione Sancti Benedicti, hanc ait fuiſſe *ejus prærogativam, ut etiam remotiſſimos totius Chriſtianitatis ſinus radiis ſuæ beatitudinis illuſtret. Nec monachorum cohortes*, ſubdit, *ubique terrarum diffuſæ tantam ejus altitudinem ignorant, qui ſanctam ipſius inſtitutionem præ ceteris ſectantur: ita ut etiam in ipſorum Patrum cœnobiis, qui normam ſancti propoſiti fideliter ac religioſe promulgarunt, hanc proprii clientes eorum malint profiteri: non immerito arbitrantes, quod hunc ſpecialiter, tamquam alterum Moyſen, Deus mundo prædeſtinavit, ut ſicut ille Judæis, ita iſte tam Judæis, quam gentibus monaſticæ legis decreta ſanciret... Sic ergo huic ſanctiſſimo Legislatori non præjudicant alii Patres, qui ſanctæ Regulæ*, id eſt obſervationis, *munia deſcripſerunt, ſed magis, ut aſſertores, ejus ſancita confirmant.* Atque ut videas quam late propagata ſit ſancti Benedicti inſtitutio, in conſequentibus *d* ita loquitur. *Quapropter eaſdem illius laudes non una vox, non una congregatio, neque una urbs vel provincia proclamat: ſed ubicumque ſancta Eccleſia diffunditur, per tribus, per nationes, per linguas laus Benedicti frequentatur.* Et ne quis dictum putet de ſæcularibus, mox addit: *Si enim in multitudine populi dignitas Regis eſt, ut ait Salomon: quantam putamus dignitatem eſſe iſtius Regis, quem tam numeroſus proſequitur exercitus monachorum? Quis unquam Rex aut Imperator in tantis mundi partibus imperavit, aut ex tam diverſis nationibus tantas ſibi legiones condixit, quantas videlicet cujuslibet ſexus & ætatis in Chriſti militia voluntarie juratas diſponit? Qui quaſi præſentes, &* VEXILLUM INSTITUTIONIS *ſequentes, diabolicas acies viriliter infringunt..... Cum vero univerſi hujuſce inſtitutionis ſequaces in unum coacti fuerint, quale ſignum apoſtolatus Benedicto tunc ille copioſus exercitus ſeipſum exhibebit?*

a Spicil. tom. 10. pag. 629.

b Sæc. 3. Bened. part. 2. pag. 630.

c Sæc. 2. pag. 364.

d Num. 13.

48. Vereor ne tam longa locorum conglobatio lectori faſtidium pariat: ſed illa quodam modo neceſſaria erat ad demonſtrandum ex ipſo Odonis teſtimonio, ſancti Benedicti Regulam in omnes Eccleſiæ partes, ante navatam ab ipſo Odone operam, fuiſſe diffuſam, etiam in iis monaſteriis, quæ proprios legiſlatores & inſtitutores habuerunt. Neque vero hæc pro-

Digitized by Google

propagatio referri poteſt ad ſanctum Odonem : tum quia hunc ſermonem habuit ſtatim a reformatione Floriacenſis monaſterii, quod unum ex primis Cluniacenſes mores ſuſcepit : tum quia in ſola Galliæ & Italiæ monaſteria, non tamen omnia, hanc reformationem induxit, in nulla Germaniæ, Angliæ, aliarumve provinciarum. Denique uno amplius ante Odonem ſæculo Benedictus Anianenſis, cooperante Ludovico Auguſto, Regulam noſtram *in omni Francorum regno* reſtituerat, teſtante Ardone Benedicti ipſius diſcipulo : idque evincunt indubitata iſtius ævi Conciliorum, auctorumque teſtimonia, quæ nonnulli ad primam Regulæ receptionem perperam detorquere conantur.

a Maji tom. I. pag. 277. 49. Hic nos ad alia properantes ſiſtit claræ memoriæ *a* Godefridus Henſchenius, qui tametſi hanc Regulæ propagationem a Benedicto Anianenſi in Gallia factam admittat, ſuperiorem nihilominus monachi Dervenſis *locum* ingerit, eique opponit contextum ex actis ſanctæ Salabergæ, in quibus legitur, *per Galliarum provincias agmina monachorum ac ſacrarum puellarum examina ex Regula dumtaxat beatorum Patrum Benedicti & Columbani pullulare cœpiſſe*. Tum infert Henſchenius : Potuit hoc ſcri„ptor iſte ignoraſſe : potuit in ſuo exemplari habuiſſe *ex Regula dumtaxat beatiſſimi Patris Columbani*. Utrum credibilius ſit, penes alios judicium eſto. Sed hæc ſuſpicio valde inofficioſa eſt ; tum quia in omnibus iſtius vitæ exemplaribus ſancti Benedicti nomen legitur : tum quia idem probatur non ſolum ex vita ſancti Deſiderii Epiſcopi Cadurcenſis, ſed maxime ex Regula Donati Epiſcopi Veſontionenſis, qui Regulam ſancti Benedicti in unum cum Regula ſancti Columbani conjunxit in gratiam Juſſanenſium ſanctimonialium, quæ a ſancto Columbano inſtitutæ fuerant. Mitto alias probationes jam a nobis relatas non ſemel, ne lectori ejuſmodi repetitionibus nauſeam pariamus. Unum tantum hic addimus de ſimili
b ibid. pag. 115. non quidem ſuſpicione, ſed decretorio judicio eruditi ejus ſocii *b* ad vitam ſanctæ Bertæ Abbatiſſæ Avennacenſis, ubi ipſum a vero longe receſſiſſe non alio quam ipſomet judice affirmare licet. Nam ad hunc locum de ſancta Berta, *Omnia autem ædificia officinarum ſanctiſſima mater, ſicut ſanctus Benedictus præcipit, circa ædem Deo militantium conſtruxit, excepto molendino, &c.* Hæc verba, *ſicut ſanctus Benedictus præcipit*, incunctanter „ expunxit vir doctus ſub hac annotatione. Merum gloſſema Benedictini „ alicujus, hoc unum ſpectantis, ut crederetur cœnobium ſanctæ Bertæ „ ſub Regula Benedictina a principio fuiſſe. Sed videamus quo argumen„ to id probet. A quo ſi requiram, inquit, quanam Regulæ ſuæ parte „ quidquam de numero vel ordine officinarum, ac nominatim de molen„ dino præcipiat ſanctus Benedictus ; debebit cum rubore fateri, ſancti „ Benedicti nomine nihil a ſe aliud cum veritate potuiſſe intelligi, quam „ uſum receptum in monaſteriis tunc, cum iſta adderentur a Benedicti„ nam Regulam profitentibus. Hæc legimus non cum rubore noſtro, ſed non ſine aliquo pudore humani errati, quod ab homine nobis amiciſſimo commiſſum nollemus. Si enim requiritur a nobis, qua in Regulæ ſuæ parte ſanctus Benedictus agat de monaſterii officinis, & ſpeciatim *de molendino*, reſpondebimus utrorumque mentionem fieri in Regulæ cap. 66. his ipſiſſimis verbis : *Monaſterium autem, ſi poſſit fieri, ita debet conſtrui, ut omnia neceſſaria, id eſt aqua, molendinum, hortus, piſtrinum, vel artes diverſæ intra monaſterium exerceantur, ut non ſit neceſſitas monachis vagandi foras, &c.* Ecce *officinæ* monaſterii, ecce *molendinum* in Regula expreſſum. Non ergo eradendum ſancti Benedicti nomen ex actis ſanctæ Bertæ, ſed reſtituendum a viro æquitatis amantiſſimo, a quo hoc juſtitiæ officium exſpectamus. Irrepſit etiam (ut id notem hoc loco) aliud erra-
c April. tom. 2. pag. 770. tum minoris quidem momenti ad vitam *c* ſancti Hugonis monachi Æduenſis, ubi idem ſuſpicatur, carmen de miraculis ſancti Benedicti, Paulo Warnefridi adſcriptum, quemadmodum carmen de ſancto Mauro, eſſe alte-

alterius auctoris. Hæc enim ſuſpicio ex ipſomet Paulo revincitur, nempe ex lib. 1. cap. 26. de geſtis Langobardorum, ubi hoc carmen a ſe conditum diſerte aſſerit Paulus, atque ex integro refert: quod Aimoinus poſtea eidem tribuit in ſermone de ſancto Benedicto. Hæc adverſum votum & propoſitum meum cogor de viro erudito dicere, ſecus quam & illius meritum, & mea (ut cum Hieronymo *a* loquar) *humanitas poſcit exiſtimare. Sed quid faciam? veritas os reſerat, & invitam linguam conſcium ad eloquendum pectus impellit. Verum enim invenire volumus, non tamquam adverſarium aliquem convincere.*

a Dial. adverſ. Luciſer. cap. 7.

50. Conſtat itaque falli monachum Dervenſem alioſque, qui de Regula Sancti Benedicti, quaſi per ſanctum Odonem primum propagata, locuti ſunt. Sed id nimirum ſancto Odoni accidit, quod Benedicto Anianenſi, qui quod Regulæ in Gallia reſtitutor fuerit, eidem primæ propagationis laus eſt attributa. Tolerabilius eſt quod legitur apud Lambecium, ubi *Ordo ſancti Benedicti anno* 912. *incœpiſſe* dicitur. Re enim vera ante id tempus unum Ordinis corpus non videbantur conſtituere monaſteria ſub inſtitutis Benedictinis militantia: ut vero ea prærogativa Odoni tribuatur honoris cauſa, non leves ſuadent rationes, quas modo examinare juvat.

51. Benedictus Magnus quamdam Ordinis formam apud Sublacum inſtituere viſus eſt, cum duodenis monaſteriis a ſe conditis totidem Abbates præfecit ſibi ſubjectos. At quia de continenda illa ſubjectione nullas leges aut præcepta dederat, hæc idea, quæ a Pachomio inſtituta fuerat & perfecta, penitus evanuit: & monaſteria omnia ab invicem diſparata, ſuis quæque moribus ac rectoribus diſtincta, vitam traduxerunt. Poſt annos trecentos Benedictus Anianenſis abbas, inſtigante Ludovico Pio, cum primus Gallicanos monachos revocaſſet ad priſtina Regulæ inſtituta, concepiſſetque animo, ut uniformis ubivis modus ſervaretur, atque diverſi monaſteriorum ritus ad communem concentum reducerentur; omnes totius Occidentalis Imperii Abbates in unum convenire Aquiſgranum curavit: qui ſtatutis editis numero 72. rem ad exitum perducere tentarunt. Viguit illorum ſtatutorum uſus per aliquod tempus in pleriſque monaſteriis, accurante potiſſimum Benedicto, cui multorum cœnobiorum cura generalis, tamquam majori Præfecto, commiſſa eſt. Sic eo vivente rudis idea Congregationis, ſive Ordinis univerſalis ſpecimen quoddam formatum eſt, quod poſt ejus obitum, accedente Nortmannorum tempeſtate, nullo Abbate relicto, qui totius corporis generalem curam ſuſciperet, aboleri cœpit. Extremo ſæculo nono tanta clades non ſolum temporalibus eccleſiarum & monaſteriorum rebus, ſed etiam religioni inflicta eſt, ut in paucis admodum locis ejus veſtigia ſupereſſent. In uno ſancti Savini apud Pictones monaſterio quædam probabilis obſervationis reliquiæ perſeverarunt; quæ deinceps in alia translatæ cœnobia, fugientem religionem denuo revocarunt. Inde quippe a Raimundo Comite Lemovicenſi Roſiacum ad Crauſiam *b* in pago Bituricenſi religioſi habitatores; inde Aimo abbas Tutelenſis *c* ab Ebalo Comite; inde a Badilone Comite acciti ſunt monachi numero octodecim *d* ad ſarciendam in Æduenſi ſancti Martini aſceterio diſciplinam: cujus inſtitutis Berno abbas Balmenſis ſuos informavit. Balma Cluniacum deducta colonia eſt, ita ut utrique loco Berno Abbatis vice præeſſet, immo etiam aliis monaſteriis, Maſciacenſi, & Dolenſi apud Biturigas, Gigniacenſi, Æthicenſi, & Cellæ ſancti Lauteni apud Burgundiones. Berno morti proximus horum locorum providentiam in duos Abbates partitus eſt, nempe in Widonem conſanguineum ſuum, cui Gigniacenſe, Balmenſe, Æthicenſe, & Cella ſancti Lauteni: & in Odonem, cui Cluniacum una cum aliis commiſſum eſt. Ex quo intelligitur, Bernoni nequaquam in mentem veniſſe propoſitum erigendæ Congregationis; alias horum monaſteriorum curam non diſtraxiſſet in duos, citra ullum unius ad

b hic pag. 90.
c pag. 133.
d pag. 95.

Digitized by Google

alterum reſpectum; niſi quod cenſum quemdam Gigniaco a Cluniacenſibus quotannis ex quodam prædio perſolvi præcepit.

52. Odo Cluniaci non ſolum rem familiarem magnopere auxit, ſed etiam præter Maſciacenſe ac Dolenſe a Bernone ſibi commiſſa, multorum *a* aliorum regimen ſuſcepit. In Gallia enim Auriliacenſe, Floriacenſe, Sarlatenſe, Tutelenſe, Senonenſe ſancti Petri, Turonenſe ſancti Juliani, Romanenſe in pago Lauſanenſi; in Italia ſancti Pauli Romæ, Suppentonienſe, Adventinum, Salernitanum, & Ticinenſe ipſius arbitrio & inſtitutioni ſe ſubjecerunt. Illa tamen per ſe non adminiſtravit omnia, ſed per præfectos ſibi ſubditos, quos *Coabbatum* ſeu *Proabbatum* nomine appellabant. Verum Odone exſtincto eadem monaſteria ad priſtinam libertatem redierunt, atque adeo non loco, ſcilicet Cluniacenſi monaſterio, ſed perſonæ, id eſt Odoni Abbati, propter ſingularem ejus prudentiam & ſanctitatem ſubmiſerant ſeſe. Id de Floriacenſi palam facit Leonis P. pæ VII. diploma hic *b* editum, quo Pontifex ſub Odone Abbate Floriacenſibus in poſterum electionis libertatem aſſerit. Nondum ergo ſub Odone abſoluta fuit Congregationis ſeu Ordinis Cluniacenſis erectio: ſed neque ſub Aymardo aut ſub Mayolo, immo nec ſub Odilone: ſed tantum ſub ſancto Hugone abbate ſexto, qui pro ea qua pollebat apud Principes & ſubditos auctoritate, non modo Præpoſituras ac Prioratus ſibi ſubjecit, ſed etiam nobiles Abbatias ſuæ ditioni addixit, exſtinctiſque (quoad licebat) Abbatum titulis, ad Prioratuum (ut vocant) ſtatum nonnullas redegit, ne ſe deinceps a Cluniacenſis Abbatis poteſtate eximerent.

53. Quod ut melius intelligatur, obſervare convenit, ante omnem Ordinis ex variis monaſteriis in unum corpus redacti inſtitutionem, eam fuiſſe in nobilioribus monaſteriis diſciplinam; ut quælibet minores ſub ſe haberent colonias, quæ *Cellæ*, *Præpoſituræ*, *Obedientiæ*, *Prioratus*, *monaſteriola & monaſteria* paſſim, immo & *Abbatiæ* aliquando vocabantur. In illis Cellis erant Præpoſiti ſeu Decani *c* ad nutum Abbatis, qui principi monaſterio præerat, amovendi: & ſi qui Abbates illis præficiebantur, non niſi prius habito primi Abbatis conſenſu eorum fiebat electio, ab eodem poſtea confirmanda. Qui in Cellis illis reſidebant, in ſingulos annos certum cenſum principi monaſterio referebant, certiſque diebus ad conventum indictum adeſſe tenebantur. Hujus inſtitutionis duplex fuit cauſa. Una, ut quia creſcente monachorum numero non omnes facile intra unius loci ambitum contineri poterant, in varia loca diſperſi degerent ſub unius Abbatis diſciplina. Altera, ut cum diteſcentibus monaſteriis prædia, fundi, villæque complures acceſſiſſent; quo fructuoſior & fidelior eorum eſſet adminiſtratio, majorum auctoritate conſiliove proviſum eſt, ut cultioribus fertilibuſque locis monachos præficerent, & ad continendos in officio ſervos, gubernandoſque rite colonos eccleſias ibi conſtruerent, quas ipſi regebant. Aliquando etiam in Cellis iſtis degebant Canonici, Abbati ſubjecti: quod ex Concilii Aquiſgranenſis cap. 45. diſcimus, *ut Abbatibus liceat Cellas habere, in quibus Monachi ſint aut Canonici: & Abbas provideat, ne minus duobus monachis ibi habitare permittat.* Tertiam hujus inſtitutionis cauſam, eamque vulgarem afferre licet, cum ſcilicet Fideles aliqua prædia monaſteriis primariis tradebant ea conditione, ut in ipſo prædiorum loco monachi aliquot inſtituerentur. Quarta denique cauſa eſt, quod Abbatiis extra urbes conditis eccleſiæ in locis munitis quædam conceſſæ ſunt ad refugium, quæ deinde Prioratus evaſerunt.

54. Primam cauſam nobis ſuggerit inter alios Jonas in actis ſancti Columbani, qui *d* conſtructo Luxovienſi aſceterio atque Anagratenſi, *cernens undique ad pœnitentiæ medicamenta plebes concurrere, & unius cœnobii ſepta tantam converſantium cohortem abſque difficultate non tenere; quamvis mente una & corde uno, tamen converſationi tantæ multitudinis incongruum, alium experimen-*

a pag. 133. & ſeq.

b pag. 967.

c Udalric. lib. 3. Conſuet. Clun. cap. 6.

d num. 17.

Digitized by Google

mento locum quærit, quem aquarum irriguitas adornabat : aliudque monaſterium conſtruit, cui Fontanas nomen indidit : deditque gubernatores Præpoſitos, de quorum religione nihil dubitabatur. Hoc in loco vides Præpoſituram illam *monaſterii* nomine donatam : contra quam nuperus ſcriptor temere aſſeruit, Prioratus nuſquam hoc nomine fuiſſe donatos, niſi qui ab origine abbatiæ fuerint. Poſteriorem ejuſmodi inſtitutionis rationem explicat Brovverus in Antiquitatibus *a* Fuldenſibus. Quam vero monachi illi in Præpoſituris degentes Abbati ſubjecti eſſe deberent, ſtatuit poſt Carolum M. Eigil abbas Flaviniacenſis in litteris ſuis de conditione Corbiniacenſis Præpoſituræ in tomo ſuperiore relatis *b*, *ut ſemel in anno ſinguli qui ſacerdotali ſeu levitico funguntur officio, per ſingulas hebdomadas repræſentent ſe Flaviniaco, ibique ſibi commiſſum celebrent officium : quo expleto nemo eorum ad Cellam Corbiniacenſem regredi audeat, donec ab Abbate loci ipſius & a fratribus probata ejus vita in timore ſancto ſuique propoſiti voto, impetretur regreſſus.* Sed & ſingulis annis variarum Cellarum Præpoſiti in princeps monaſterium conveniebant, ſtituri ſeſe Abbati & conventui, ut vel ab ipſo emendarentur, vel revocarentur, & cenſum annuum perſolverent, alii ad res ſacras, alii ad cellarium, alii ad libros, alii ad ſarta tecta reficienda. Hæc *Capitula generalia* procedente tempore appellata. Abbatiæ quin etiam ſeu abbatiolæ quædam primariis monaſteriis nonnumquam ſubjectæ erant longe ante ſanctum Odonem : qualis fuit Foreſtenſis, quæ Centulenſi; Tuſonis-vallis, quæ Dionyſianæ; Gellonenſis, quæ Anianenſi; Herienſis, quæ Gemeticenſi; Duſerenſis, quæ Fontanellenſi; Glannafolienſis, quæ Foſſatenſi olim ſubjacebant. Quædam eo nomine afficiebantur, quæ Abbates non habebant, ſed tantum Præpoſitos cum monachis : quædam Abbatem habebant, ſed ſine monachis cum uno aut altero clericulo, quales Remenſis ſancti Sixti Abbatia, & ſanctæ Mariæ apud Compendium. Sed hæ veræ abbatiæ non erant, at ſacerdotia ſimplicia; Abbatiæ aut abbatiolæ nomine donata. In illis abbatiis ſubjectis, quæ abbatiali dignitate gaudebant, nonniſi prævio ſuperioris abbatis & monaſterii conſenſu electio fiebat, aliquando ex ſolo gremio monaſterii principis, ut Alciacenſis *c* apud Morinos ex Sithienſi ſeu ſancti Bertini. Subjectiones illæ, aliæ ex conditorum, aliæ ex poſſeſſorum voluntate inductæ ſunt. Quin etiam Sanctimonialium abbatias quædam virorum monaſteria ſubditas habuerunt. Sic Amalfridus, vir inclitus, monaſterium Hunulficurtenſe in pago Cameracenſi, ubi filia ipſius Auriana Sanctimonialium *d* abbatiſſa erat, ſancto Bertino Abbati Sithienſi tradidit, eo tenore, ut ipſe Amalfridus, dum viveret, locum *per precariam* haberet, & poſt ſuum obitum & filiæ ipſius Aurianæ, Bertinus ejuſque ſucceſſores eum libere poſſiderent.

a Brovver. lib. 1. cap. 7.

b pag. 241.

c Sæcul. 3. part. 1. pag. 295.

d Ibid. pag. 115.

55. Ex his intelligimus, nihil, aut certe parum mutationis in monaſtici Ordinis regimine primitus a Cluniacenſis abbatiæ inſtitutoribus accidiſſe, cum nonniſi Cellas ab initio ſubjectas habuerit, quarum principes fuerunt Silviniacenſis, Celſinianenſis, tum B. Mariæ de Caritate, & ſancti Martini a Campis. Apud Caritatem ad Ligerim monachi ſupra centum habitabant, teſte Udalrico in Præfatione Conſuetudinum Cluniacenſium : Quia vero pedetentim ob inſignem loci religionem Cellarum numerus & monachorum magnopere accrevit, magnum quoddam ex his corpus conflatum eſt, Ordinis Cluniacenſis titulo decoratum : qui titulus etiam Majori monaſterio conceſſus eſt, aliiſque monaſteriis præcipuis. Sub Sancto Hugone multum amplificata eſt illa Cluniacenſis dignitas, cum abrogato multis in locis abbatum titulo & poteſtate reſecta, ſoli Præpoſiti (Priores vocant) eorum loco ſubſtituti ſunt : & quæ Abbatiæ in ſocietatem illam veniebant, Cluniacenſem *Archiabbatem* (ita Gaufridus in Vita Bernardi Tironenſis, aut potius Bernardus ipſe improbando appellat) agnoſcere compellebantur. Hanc vero ſubjectionem cum Sithienſes ſancti Bertini monachi ſibi imminere cernerent, Cluniacenſium jugum omnibus modis

Digitized by Google

dis (quod pertinaciſſimæ litis materiam dedit) excutere curarant. Hujus litis occaſio nata eſt ex Lamberti Abbatis Sithienſis ſeceſſu Cluniacum, ſub Hugone: cui cum Abbatiam, quam ſponte abdicare volebat, ordinandam offerret, ut Cluniacenſis monachus exſiſteret; rogante Hugone, (a) *propriam compulſus eſt repetere abbatiam*, eo pacto, ut ſub Hugonis obedientia reliquum vitæ exigeret: quod Sithienſes omnimodis detrectarunt. Hactenus nihil quod Ordinem proprie dictum, ab antiquiorum cœnobiorum moribus diverſum conſtituat, in Cluniacenſibus deprehendimus: cum ipſi nec ſua quotannis comitia generalia, nec annuos Viſitatores haberent, ſed ad præſcriptum Abbatis Cluniacenſis omnia gererentur: Novitii & Profeſſi ab eo ſuſciperentur; amoverentur ad ejus nutum *b* Cellarum Præpoſiti: nullis denique certis legibus generalis adminiſtratio contineretur. Quippe Conſuetudines Cluniacenſes, quas primum Bernardus, deinde Udalricus monachus tribus libris digeſſit, ritus ad res ſacras & ad bonum regimen Cluniacenſis monaſterii continent, non vero leges ad communem totius corporis directionem. Hic vivendi modus ex illis ritibus conſtans vocabatur olim ORDO. Unde *Ordo* c *Cluniaci* vocatur a Guillelmo Gemeticenſi, ſicut *Ordo d Majoris monaſterii*. Et quia omnia fere monaſteria ejuſmodi ritus ſenſim admiſerunt arbitrio ſuo; hæc Ordinis Cluniacenſis dicebantur, tametſi Cluniaco nullatenus addicta.

a Spicil. tom. 6. pag. 448. & ſeq.
b Bibl. Clun. col. 576.
c Guillelm. Gemet lib. 8. cap 32.
d lib. 7. cap. 37.

56. Ceterum Cluniacenſibus, etiam a tempore ſancti Hugonis, alio modo Prioratus ſubjecti fuerunt, alio modo Abbatiæ illæ, quæ Abbatis monaſteriive Cluniacenſis *ordinationi datæ* ſeu *commiſſæ* erant, ut loquuntur Paſchalis *e* & Calliſtus *f* uterque ſecundus. Prioratus quippe a Cluniaco, veluti membra a corpore, abſolute pendebant: Abbatiæ vero Cluniaci *ordinationi*, id eſt ritibus & inſtitutis, adeoque modo vivendi Cluniacenſium addictæ erant, ſed non eodem modo, neque eiſdem conditionibus: quod exemplis declarandum. Priores Cluniaco ſub Hugone ſubmiſſæ ſunt Abbatiæ, ſancti Martialis Lemovicenſis anno 1062. Gordiniacenſis & Creſpejenſis ſancti Arnulfi poſt annos tres, ſancti Ægidii anno ſequenti, & Lezatenſis anno 1073. Ademarus Vicecomes Lemovicenſis Abbatiam S. Martialis Hugoni tradit eo pacto, ut deinceps Abbates habeat, *quos eidem loco tam ipſe Hugo, quam ſucceſſores ejus præfecerint*. Simon Creſpejenſis Abbatiam S. Arnulfi, *ut omnino ſubjecta ſit vobis*, inquit, *& ut Abbatem de veſtris monachis eligatis*. Almodis Comitiſſa Abbatiam S. Ægidii, *ita ut poteſtas, & diſtrictio, & ordinatio Abbatum & monachorum, & eorum quæ ſoliti ſunt tenere, in domni Hugonis Abbatis & ſucceſſorum ejus poteſtate conſiſtat*. At inſignis præ ceteris eſt charta de Lezato. Cum enim illud monaſterium provinciæ iſtius Optimates, in quorum poteſtate erat electio, monachos remiſſiores ad priſtina inſtituta revocare vellent; ejus rei gratia Hugonem precibus convenerunt, *ut loco ſubveniret, qualiter ad Dei ſervitium reſtauraretur*. Negavit ille ſe id facturum, niſi ipſi Abbatis electionem ejuſque ſucceſſoribus permitterent, *quamdiu Cluniacenſis locus in monaſtica religione vigeret. Hoc autem ideo ſe facere dicebat, ne in vacuum ipſe laboraret, & ſemel recuperatus locus in pejora laberetur*. Optimates vero id concedunt, *quamdiu Cluniacenſis locus religionem monaſticam ſecutus fuerit*. Hæc itaque prima erat in illis abbatiis prærogativa, quam Hugo in illis exigere ſolebat, nempe Abbatum electio pro ſe & ſucceſſoribus ſuis: id eſt ut Abbatum illis in locis electionem præcederet ipſius conſenſus, aut certe confirmatio ſubſequeretur. Deinde ut Abbas electus Cluniacenſi Abbati ſubjectionem profiteretur. Denique ut ſi quando Abbas Cluniacenſis in illas Abbatias veniret, abbates horum locorum ſuam ſedem illi cederent. Hæc omnino jura in commiſſas ſibi Abbatias Cluniacenſes Rectores ſibi vindicare contendebant, maxime quamdiu Cluniaci vigeret diſciplina regularis, quæ una erat illius ſubjectionis cauſa, ſecus quam in Prioratibus. Diſcrimen ſubjectionis Prioratuum & Abbatiarum ſuggerunt Pontifices in ſuis diplomatibus. Paſchalis II. ſtatuit, ut

e Biblioth. Clun. col. 523.
f Bullar. Clun. pag. 39.

Digitized by Google

ut *in omnibus Prioratibus & Cellis*, quibus tempore Concilii Arvernenſis per Urbanum II. inveſtitus fuerat Abbas Cluniacenſis, *nullus umquam futuris temporibus Abbatem ordinare præſumat*; tum ejuſmodi Prioratibus & Cellis enumeratis hæc ſubdit: *Abbatias vero, quæ tuæ, tuorumque ſucceſſorum ordinationi prædeceſſor noſter Gregorius VII. Papa commiſit, nos quoque committimus, videlicet Virzelay, &c.* Idem diſcrimen interponit Calliſtus *a* II. Sed ante eum Galaſius *b* item ſecundus hanc *commiſſionem* ita explicat, *ut per induſtriam*, inquit, *veſtram religionis ſtatus in eis* Abbatiis *conſervetur*: quod totidem verbis repetit Innocentius *c* III. Non ergo is erat illius attributionis ſcopus, ut Abbatiæ illæ a Cluniaco abſolute penderent: ſed ut illibatus *religionis ſtatus per induſtriam Abbatis Cluniacenſis ibidem conſervaretur*. Quod pertinet ad Abbates iſtorum locorum, non omnes Abbati Cluniacenſi ſubjectionem promittebant. Inſignis eſt hanc in rem locus in litteris *d* Eugenii Papæ III. qui cum monachos Cluniacenſes ex monaſterio ſancti Martini de Campis in eccleſiam ſancti Petri apud Abbatis-villam induci curaſſet; Abbatem nihilominus ibidem inſtitui, atque omnino *liberum & abſolutum* eſſe voluit. Unde Sugerio hac de re ſcribens, *Per præſentia*, inquit, *tibi ſcripta mandamus, quatinus Priorem Abbatis-villæ in Abbatem* LIBERUM & ABSOLUTUM *ibi ſtatuere, & octo Fratres eccleſiæ ſancti Martini de Campis ejus ſocietati ſtudeas deputare: ut exemplo bonæ converſationis eorum, qui minus honeſte ſapiunt, ad divinum officium provocentur*. Fatendum eſt tamen, pleroſque Abbates ex illis locis, qui Cluniacenſibus commiſſi erant, hanc ſubjectionem profeſſos fuiſſe. Id exemplo probat Goffridi *e* Abbatis Vindocinenſis epiſtola ad Hugonem Cluniacenſem, apud quem is de quodam Abbate Cluniacenſibus addicto, nomine Henrico, conqueſtus, ita ſubdit: *Ambo filii veſtri ſumus, ille quidem* ORIS PROFESSIONE *ſed ego cordis devotione*. Alia iſtius ſubjectionis capita illuſtrantur ex libro 4. hiſtoriæ *f* Vizeliacenſis: quem locum *Cluniacenſes, longe poſt exorti, per ſubreptionem ſibi vindicare niſi ſunt, aſſenſum quidem primum, deinde vero jus electionis ſibi arrogantes*. Et in conſequentibus *g*, cum Stephanus Abbas Cluniacenſis Vizeliacum adire vellet; omnem ipſi honorem exhibiturum ſe ultro promiſit Willelmus Abbas Vizeliacenſis, id eſt exceptionem cum ſollemni proceſſione, procurationem in hoſpitio, locum in Capitulo & in refectorio: ſed hoc tamen excepto, quod *collata* ſibi *ſede non cederet*: quæ omnia reſpuit ille præ hac prærogativa, quam ſibi illic competere arbitrabatur, tamquam in Abbatia Cluniaci ordinationi commiſſa. Ex his intelligitur non omnes ejuſmodi Abbatias ad Ordinem Cluniacenſem fuiſſe penitus & abſolute redactas etiam tempore ſancti Hugonis, ſed tantum ſub certis conditionibus, quæ diverſæ fuerunt pro tradentium voluntate, ut mox explicuimus.

a Ibid.
b Biblioth. Clun. col. 1828.
c Ibid. col. 1495.
d Cheſnii tom. 4. pag. 501.
e Goff. Vindoc. lib. 9. epiſt. 1.
f Spicil. to. 3 pag. 570.
g Ibid. pag. 643.

57. Prima quæ verum Ordinis nomen meruit Congregatio Ciſtercienſis, a principio Abbatias habuit certis regulis ac legibus communibus invicem confœderatas, quæ ſuos Viſitatores habebant, ſua quotannis comitia generalia: quod ejus familiæ exemplo Petrus Venerabilis etiam in Cluniacenſem inducere tentavit. Ita ſenſim in eam amplitudinem, qualis poſtmodum cum orbis ſtupore & admiratione viſa eſt, crevit illa celeberrima congregatio Cluniacenſis, cujus *profeſſores ubique gentium pæne diſperſi, locupletes in ſæculo, & ſplendidiſſimæ religionis in Deo exſtiterunt h*, ut ſcribit Willelmus Malmesburienſis. Quantum vero decoris & ornamenti Eccleſiæ iſte Ordo, quantum ad excitandam in perditiſſimo ſæculo religionem ac pietatem contulerit, quot viros pietate ac doctrina celebres protulerit, non facile eſt æſtimare: tametſi in his actis dedimus operam, ut magnis illis viris ſuus honor, quatenus ex relictis ejus ævi monumentis nobis licebat, ac debita recte factorum commemoratio tribueretur. Quod ut facilius præſtare poſſemus, Cluniacum ante annos duos profecti ego ſociuſque noſter Michael Germanus, omnia quæ in rem noſtram facere videbantur, monumenta & documenta perluſtravimus, Reverendo Patre Priore Joachi-

h Vvillel. Malmeſ. in lib. 2 de Pontif. cap. 2.

Digitized by Google

chimo *Leſtinois* benigne annuente, cum ceteris venerabilis illius loci aſcetis.

58. Qualis fuerit a primordiis Cluniacenſium diſciplina, longius eſſet proſequi hoc loco. Quoddam ejus ſpecimen exhibemus in Elogio ſancti Odonis. Ritus iſtos ab Euticio ſeu Eutychio Abbate acceptos dicit Joannes, id eſt a Benedicto Abbate Anianenſi, qui eos a priſcis veterum monachorum inſtitutis hauſerat. Quædam nihilominus in Cluniacenſibus notarunt non ſolum Ciſtercienſes, ſed etiam Caſinates monachi, uti ex eorum ad Teutonicos epiſtola diſcimus, quam reperimus in Bibliotheca Baſileenſi. In hac epiſtola Caſinates ajunt ſe a Teutonienſibus monachis interrogatos *de ſuæ converſationis & inſtitutionis conſuetudine, id unum reſpondere poſſe, quod magiſtram in omnibus ſequantur Regulam beati Benedicti*; neque *pro aliqua aliena, novaque conſuetudine* ab ejus tramite deviare velint, ſe quidem laudare ac probare, *ſi aliquid in monaſterio tolerabile additur* ex alienis ritibus, *ſic tamen ut inſtitutio Regulæ non amittatur*. Scilicet *ſicut apud nos*, inquiunt, *& ubique terrarum, quarum ad nos fama pervenit; multæ variæque conſuetudines, cum Regula non diſcordantes, ex utraque parte maris recipiuntur. Aliam enim Teutonici monachi, aliam Italici, aliam Franci, aliam alii ex iſta parte maris habent complurimi. Similiter ex illa parte aliam jam Conſtantinopolitani, aliam Antiocheni, aliam Alexandrini, aliam illi & illi: omnes tamen bonæ ſunt & utiles*. Hæc verba (ut id obiter obſervem) notatu digna ſunt, ex quibus ſancti Benedicti Regulam ex utraque maris parte, id eſt non modo apud Britannos, Teutonicos, Italos & Francos: ſed & apud * Conſtantinopolitanos, Antiochenos & Alexandrinos viguiſſe, licet ſub diverſis ritibus, intelligitur. Tum ſubdunt Caſinates quæ ad propoſitum pertinent. *De quibus tamen præ ceteris ſpecialius nobis ſcripſiſtis, de tonſura ſcilicet & habitu Cluniacenſium, breviter reſpondere poſſumus, quia nec nobis placent, nec cuiquam qui regulariter vivere volunt, jure placenda ſunt. Videntur enim omnino contra Regulam. Si vero de noſtra tonſura & habitu quæritis, nos in utroque vobis concordare ſciatis*. Addunt in fine nimis operoſum fore, ſi ad eos omnes ſuæ conſuetudines perſcribantur: ſed ſi ſe auctores audiant, mittant unum de ſuis ingenio præditum, qui *per annum integrum* commoretur ad explorandas loci conſuetudines. Has vero, aut certe earum ſimiles, cum prædicta epiſtola exhibemus in tomo 4. Analectorum, quas cum aliis in fine Sæculi 4. editis conferre non pigebit. Nec certe otioſum erit hoc loco exponere, qua in re ſitæ eſſent Caſinenſium & Teutonicorum de Cluniacenſibus querelæ de ritibus veſtibuſque monaſticis, & de tonſura.

* Confer ſupra num. 47.

59. Tria ſunt inſtituti noſtri veſtimenta propria, tunica, cuculla, ſcapulare. Tunica ad talos defluit, albi paſſim coloris ante annos octingentos, ut in variis Rabani, aliorumque iconibus obſervavimus, atque etiam in *Rituali* Anianenſi. Et ratio ſane id poſtulabat; quandoquidem tunicam, quæ cuti proxime adhærebat, (nam laneæ interulæ præter Regulæ auctoritatem poſtea conceſſæ ſunt) cum ſæpius lavari ad munditiem exigeret; potius ex lana candida, quam ex nigra fieri congruum erat. Scapulare, ita dictum, *quod ſcapulas præcipue tegat & caput*, ad laborem, qui corpore exercetur, a ſanctiſſimo Legislatore conceſſum eſt: cuculla, ſumma veſtis, cum operimento capitis, undique corpus & brachia obvolvit. Utraque nigri ſemper coloris fuit: unde monachi *nigri* appellati; Ciſtercienſes vero *albi*, quod cucullam candidi coloris nigræ prætulerint. Una fuit penes monachos noſtros in duplici hac veſte formæ diverſitas, in ſcapulari inquam, & cuculla.

60. An-

Digitized by Google





60. Antiquiorem nullam vidimus ſcapularis formam, quam quæ apud Brovverum depicta eſt in lib. 2. Antiquitatum Fuldenſium. Stricta veſtis hæc, capitium habens acuminatum, brachiis fere nudatis, ut quoddam colobii genus, defluit tantum ad renes, zona ſuper tunicam præcincta. Ejus formam melius repræſentabit pictura ſuperior, ex Brovvero accepta, exhibens Candidum & Modeſtum, Fuldenſes monachos ſub Rabano: cui alteram tabellam ſubjungimus in ſpecimen veteris cucullæ. In priori tabella cernitur germana veteris Scapularis forma. Eamdem apud Caſinates ſæculo octavo in uſu fuiſſe inde colligitur, quod Sturmius, Fuldenſis Abbas primus, veſtium formam genuſque vivendi a Caſinenſibus monachis mutuatus eſt, ut ex S. Liobæ actis conſtat. Ejuſmodi ſcapulare viderat auctor Apologiæ pro Henrico IV. Imperatore. *Vidimus nos aliquando*, inquit, *veſtem cucullatam, parvam quidem, ſed ita moderatam, ut deſuper uſque ad renes tantum deflueret, & utrimque uſque ad humerorum confinia pertingeret, qualis certe forma atque menſura proprie dicitur Scapulare, quod monachis propter opera tantum aſſignatur ex mandato Regulæ*. Proceſſu temporis multum variavit vetus illa Scapularis forma: & cum primitus totum corpus ad renes ſolum uſque ambiret, poſtea fere ad talos protenſa eſt, diviſa ex utroque latere: ita nihilominus ut ex utraque parte retinaculis duobus pars anterior cum poſteriori conjungeretur. Hanc formam Cartuſiani, a majoribus noſtris acceptam, hactenus retinent: atque ob eam cauſam iſtud vinculum, quo duæ Scapularis partes ſimul conſtringuntur, *Vittam ſancti Benedicti* in ſuis Statutis

Digitized by Google

tis appellant. Hanc vittam uni e noſtris retinuerunt ſub extrema tempora monachi Congregationis Caſalis-Benedicti.

61. Non una fuit etiam pro diverſis locis & temporibus Scapularis appellatio. Jam inde a ſæculo 9. Smaragdus Scapulare *Cucullam* nuncupavit in Regula caput 55. *Cucullam dixit ille*, nempe S. Benedictus, *quod nos modo Cappam : quod vero dicit Scapulare propter opera, nos modo dicimus Cucullam*. Eodem vocabulo utitur Sigebertus in libro de unitate Eccleſiæ pag. 120. editionis Baſileenſis anni 1566. *Propter opera tantum conſtituit ſanctus Benedictus alteram cucullam, quæ dicitur Scapulare, eo quod ejuſmodi veſtis apta ſit caput tantum & ſcapulas tegere*. Rectius Apologiſta Henrici IV. *parvam cucullam* appellat, ad vitandam ambiguitatem & obſcuritatem, quæ maxima nata eſt apud poſteros ex ejuſmodi nominum confuſione. Ex his explicatur locus Ardonis in vita [a] Benedicti Abbatis Anianenſis, ubi *cucullæ* nomine Scapulare, *& cappæ* vocabulo cucullam intelligit. Et cucullam quidem, id eſt Scapulare, quæ *prius uſque ad talos* pendebat, ad uniformem modum reduxit inſtar Caſinenſium & Fuldenſium, *ut non amplius a duobus cubitis excederet menſura, vel uſque ad genua pertingere poſſet*. Hæc eſt parva cuculla, de qua Henrici IV. Apologiſta. Poſtea tamen rediit ad priorem menſuram Scapulare : ſed tamen receptum cucullæ vocabulum retinuit apud nonnullos. Agnovit hanc varietatem Clemens Papa V. in litteris, quas de ſtatu monachorum edidit in Concilio Viennenſi : ubi ad vitandam ambiguitatem declarat, ſe *cucullæ nomine* intelligere *habitum longum & amplum, ſed manicas non habentem*, quod eſt Scapulare : *nomine vero floci habitum, qui longas & amplas habet manicas*.

[a] Sæc. Bened. to. 1. p. 213. n. 52.

62. Hæc eſt noſtra cuculla, cujus antiquam formam exhibet poſterior tabella Fuldenſis, qua legatio, ad Ludovicum Pium impetrando novo Abbati deſtinata, ob oculos ponitur, ab ipſo Candido (cujus ſuperius mentio facta eſt) expreſſa, uti & prior. Cuculla non adeo ampla, manicis ſat ſtrictis, capitio in acumen deſinente, & ad pectus magis aperto; cetera totum corpus ambiens ad talos uſque. Nullum cucullæ uſum apud Caſinates tempore Theodemari Abbatis, id eſt ante ſæculi noni exordium, fuiſſe probat Pauli Diaconi epiſtola ad Carolum M. ubi cucullam alio nomine *Caſulam* vocat. *Cucullas autem*, inquit, *ideo non habemus, quia majoris ſunt pretii*. Poſtea tamen Caſinatibus hæc veſtis reſtituta eſt, qualem deſcribit Angelus de Nuce in Notis ad illam „ epiſtolam, his verbis. Codex ſancti Angeli ad Formas, in archivo Caſinenſi „ aſſervatus, exhibet imaginem Deſiderii Abbatis cucullati, talari ſcilicet ve- „ ſtimento, undique clauſo, nec admodum ſinuoſo, manicis non amplis: & hæc „ plane per ea tempora cucullæ forma. Ab hac deſcriptione non recedit Apologia Henrici IV. *Cuculla dicitur veſtis cucullata propter cucullum, qui eſt capitis operimentum. Igitur cuculla eſt tunica talaris, & cucullata, atque manicata, habens ſpeciem crucis per quatuor partes extenſæ*.

63. A priſca illa cucullæ & ſcapularis forma Cluniacenſes deſciviſſe conqueruntur Caſinenſes in præmiſſa epiſtola ad monachos Teutonicos: ſed qua in re hoc diſcrimen ſitum eſſet, non explicant. Verum id facile intelligemus comparando Cluniacenſium tum ſcapulare, tum cucullam cum Caſinenſi habitu, qualem ſuperius repræſentavimus. Apud Cluniacenſes a primordiis ſcapulare *cucullæ* nomine inſignitum fuiſſe patet ex Udalrico, in cujus tribus libris nulla uſpiam *ſcapularis* mentio, ſed tantum *cucullæ* & *froci*. Cluniaci ad noſtra uſque tempora perſeveravit in vulgari etiam ſermone *cucullæ* acceptio pro ſcapulari. Porro Cluniacenſis Scapularis primariam formam diſcimus ex forma Scapularis S. Mayoli, quod Silviniaci ab ipſo relictum aliquando vidimus. Ejus exemplum ex panno accurate fieri mandavit reverendiſſimus Pater Petrus Simon, Superior generalis Cluniacenſis Congregationis ſtrictioris obſervationis; idque nobis commodavit ad repræſentandam formam illius ſcapularis : quod latum eſt tribus, longum quatuor pedibus cum uno pollice, præter capitium acuminatum, quod uno pede in quadrum conſtat, ſed ſine vitta. Ejus ſpecimen in æs incidi curavimus, prout ſequitur in pagina ſequenti.

64. Fro-

Digitized by Google



Digitized by Google

64. Frocus veſtis ſuperior, etiam Novitiis apud Cluniacenſes communis erat, cuculla ſeu ſcapulare ſolis Profeſſis, teſte Udalrico in lib. 2. cap. 1. ubi de Novitiorum diverſitate. *Veſtis eorum noſtræ debet omnino ſimilis eſſe, præterquam quod quamdiu erunt abſque benedictione*, quo vocabulo profeſſionem intelligit) *ſola cuculla carebunt* : & capite ſequenti : *Poſtea capellum froco eorum aſſuitur, ne qua notabiles diſſimilitudine nobiſcum converſantes videantur*. Jam vero quando profeſſionem emittebant, Abbas *capellum* auferebat *de froco*, quem Profeſſi abſque capitio gerebant. Audiendus hac de re Bernardus, Caſinenſis ſæculo 13. Abbas, cujus verba huc adſcribimus ex commentario in Regulæ cap. 55. *Puto ſcapulare dictum a ſcapulis, eo quod ſcapulas tegat : & uſque hodie tam Caſinenſes, quam Ciſtercienſes, habitum caputiatum, a ſcapulis ex utraque parte dependentem, Scapulare appellant. Sed Caſinenſes idem ſcapulare ſub brachiis circa medium corporis, quaſi ad locum cinguli, ſutum, quaſi ad menſuram medii palmi de conſuetudine claudunt : quod ſcapulare, quando operantur, ne opus impediat, deſuper cingunt : ſine quo etiam ſcapulari, vel cuculla manicata, non ſe ſacris veſtibus ad explenda divina officia induere debent. Illud inſuper ſcapulare benedicitur ab Abbate, quando monachus profitetur. Attamen Cluniacenſes & Ultramontani monachi ſcapulare illud* CUCULLAM *appellant, & deſuper veſtem manicatam* SINE CAPUTIO *gerunt, quam veſtem* FROCUM *vulgariter dicunt. Puto autem quod Ciſtercienſes ad fontem recurrerunt Caſinenſem, & ab illo tam vocabulum, quam figuram utrique traxerunt ſcapularis & cucullæ.*

65. Ex hoc Bernardi teſtimonio intelligimus, primo Cluniacenſium habitum, etiam ſæculo 13. a Caſinenſi diverſum fuiſſe, diverſam item ejus appellationem. Vittam habebant in ſcapulari Caſinenſes, non Cluniacenſes: & quod illi *Scapulare*, hi appellabant *Cucullam*, eumque proprium monaſticæ profeſſionis habitum reputabant. Deinde Caſinenſium cuculla capitio prædita erat, non vero Cluniacenſium frocus. Et amplior ſine dubio erat apud hos frocus, quam apud illos cuculla. Ciſtercienſes a Caſinenſibus non colorem, ſed formam vocabulumque cucullæ & ſcapularis, excepta vitta, acceperunt; qui cum Cluniacenſium frocos repudiaſſe perhibentur, non cucullas, ſed amplas frocorum manicas ſinuoſum ambitum abjeciſſe cenſendi ſunt, capitio retento, quod Cluniacenſes depoſuerant, teſte Bernardo Caſinenſi.

66. Eadem erat apud Teutones ſeu Germanos, atque apud Caſinenſes Benedictini habitus forma. Quapropter cum Cluniacenſes ab ea receſſiſſe animadvertiſſent, atque etiam a tonſuræ forma; litteris hac de re conſuluerunt Caſinenſes, quorum reſponſionem ſuperius retulimus. Quid illi in Cluniacenſium tonſura reprehenderint, non liquet. Eadem erat quondam Benedictinorum noſtrorum tonſura : ſed diverſa corona. Qui nullis Eccleſiæ Ordinibus inſigniti erant, ſolam tonſuram : Diaconi & Subdiaconi minorem, quam Sacerdotes, coronam præferebant : ut in Candidi & Modeſti (quos Presbyteros fuiſſe non puto) effigie advertere licet, quorum minor eſt corona, quam eorum, qui in ſecunda tabella exhibentur. Etſi vero Benedictini noſtri Germani priſcum Ordinis habitum ferme integrum ac genuinum, & ubique uniformem retinuerint; paullatim nihilominus Cluniacenſium ritibus aſſuefacti ſunt, auctore potiſſimum Vvillelmo Hirſaugienſi Abbate, qui hos ritus in ſcripta redigi ab Uldarico poſtulavit, iiſque uſus eſt ad concinnandas monaſterii ſui Conſuetudines, Cluniacenſibus omnino conſimiles, quas in quibuſdam Germaniæ Bibliothecis invenimus. Earum Præfationem habes in Analectorum tomo 4. Quin etiam apud Italos monachi Caſaurienſes eamdem ſcapularis formam admiſerunt, ut palam fit ex effigie Abbatis Caſaurienſis, quæ initio Chronici ejuſdem loci exſtat in Spicilegii tomo quinto, ubi eadem, quæ Mayoli, Scapularis forma cernitur.

67. Hæc dum fuſè perſequimur ad res noſtras illuſtrandas, nullo modo detractum volumus Cluniacenſium noſtrorum ſplendori & exiſtimationi :

quam

Digitized by Google

quam e contrario pro modulo tueri, & amplificare, & optamus, & conamur. Et merito ſane: cum ex illo fonte in pleraque Galliæ cænobia fluxerit rediviva religio, quæ magna Eccleſiæ utilitate ad ſæculares etiam clericos propagata eſt. Singula hic monaſteria, quæ ſalubres illas leges acceperunt, recenſere non vacat: hæc in ſingulorum Abbatum Elogiis exſequemur. Præcipuum ex illis monaſteriis eſt Floriacenſe, ex quo eadem obſervatio fluxit ad Tullenſes ſancti Apri, Dervenſes, Cellenſes, Carnutenſes ſancti Petri; ac demum in Anglicanas eccleſias per Oſvvaldum & Odonem Floriaci inſtitutos, per quos Anglicana eccleſia in antiquum decus refloruit. Hi fructus ſunt ſacri Ordinis Cluniacenſis: *hinc a effuſa ſpiritualium virtutum nardo, impleta eſt tota mundi domus ex odore unguenti, dum religionis monaſticæ fervor, qui illo tempore pæne refriguerat, illorum virorum exemplo ſtudioque recaluit. Gallia, Germania, tranſmarina quoque Britannia hoc teſtatur. Hiſpania, Italia, totaque Europa fatetur, plena monaſteriis ab eis aut fundatis, aut ab antiquo ſenio reparatis. Sed quid aliquas mundi partes enumero? cum de noſtro ultimo Occidente uſque ad ipſum Orientem fama hæc pervenerit, nec aliquem Chriſtiani orbis angulum latuerit* Ita Petrus Venerabilis, qui & in alio loco *b* ſcribit, Cluniacum factum eſſe a ſui principio, *non ſolum externorum hoſpitium, non tantum confugientium aſylum, ſed (ut ſic loquar) publicum reipublicæ Chriſtianæ ærarium*. Hos autem præclaros fructus referre debemus acceptos in primis poſt Bernonem Odoni, Aymardo, & Mayolo ſanctiſſimis Abbatibus monaſterii Cluniacenſis; eorumque ſucceſſoribus Odiloni potiſſimum & Hugoni, quos Eccleſia univerſa debito cultu veneratur.

a Petr. Vener. lib. I. de mirac. cap. 9.

b Ibid. lib. 4. epiſt. 37.

68. Præcipuus ex Mayoli diſcipulis fuit Vvillelmus, qui & ipſe ſpecialem quamdam familiæ Cluniacenſis lineam conſtituit, præfectus variis monaſteriis, ad meliorem frugem ab eo adductis. Præcipua ſunt Divionenſe ſancti Benigni, Pariſienſe ſancti Germani, Fiſcamnenſe, Mettenſe ſancti Arnulfi, Vizeliacenſe, Tullenſe ſancti Apri, atque etiam Fructuarienſe, quod in Italia ipſe erexit: adeo ut *tam monaſteria, quam Cellulæ circiter quadraginta, fratres plus mille ducenti* ſub ejus magiſterio militarent, a Cluniacenſi familia diſcreti. Tantum valuit Mayoli in Vvillelmo pia inſtitutio!

69. Verum præter Cluniacenſem ſobolem non deerant etiam alibi religioſæ congregationes pie ac laudabiliter viventes: quas inter cenſenda eſt Gorzienſis, quæ ſub Einoldo primum, deinde ſub Joanne Abbatibus piiſſimis miros profectus fecit, & viros illuſtres protulit complures, de quibus Acta ipſius Joannis hic fidem faciunt. Inter primos cenſendi ſunt Humbertus, primum Virduni ad ſanctum Vitonum recluſus, & quaſi primus Joannis inſtitutor, dein Gorzienſis monachus, ac demum Abbas Tulli Leucorum ad ſanctum Aprum: & Fredericus Adalberonis Mettenſis Epiſcopi patruus, ad regimen cœnobii ſancti Hucberti promotus; atque Odilo Stabulenſis tandem Abbas, pro ſancto habitus.

70. Eodem etiam tempore Treviris apud ſanctum Maximinum refloruit Benedictina religio: quo ex loco multi Abbates ad varia loca reformanda ſeu inſtituenda educti, Sandratus ad Gladbacenſe, Ramvvoldus ad Ratiſponenſe ſancti Emmerammi, Hartvvicus ad Tegernſenſe, & alii ad alia cœnobia: quidam etiam ad miſſiones ſacras & epiſcopales ſedes aſſumpti ſunt, ut Adalbertus ad converſionem Ruſſorum, dein Magdeburgenſis Archiepiſcopus primus; & Ogo ſeu Hugo ad ſedem Leodicenſem. Ibidem monachus fuiſſe videtur Remigius ille Trevirenſis cœnobita doctus; ad quem tres Gerberti epiſtolæ, an Abbas ille Mediolacenſis apud Trithemium *c*. Tempus nos deficiet, ſi eodem modo cetera Germaniæ monaſteria, in quibus diſciplina viguit, commemorare velimus, Augienſe, Sancti-Gallenſi tunc æmulum, Einſidlenſe, ſancti Emmerammi, Vveiſſenbrunenſe, Lauriſhamenſe, & Hirſaugienſe: ex quibus viri dignitate & virtute præcipui, de quorum nonnullis jam ſuperius facta eſt mentio, prodierunt. Uni inſtar omnium erunt Notkerus Balbulus ex ſancti Galli, Vvolfgangus Ratiſpo-

c Trithem. in Hiſtor. Hirſaug.

nenſis Epiſcopus ex Einſidlenſi, Anno Magdeburgenſis ex Augienſi, Tuto Ratiſponenſis ex ſancti Emmerammi. Sed longius non impetus evehit, provocante materia: ad alia tranſeamus.

§. V.

Eccleſiarum & Monaſteriorum ſtatus in Anglia & inſulis adjacentibus.

1. IN hoc ſæculi decimi examine non leviter prætereunda eſt Angliæ commemoratio, in qua magni motus animorum fuere, & viciſſitudines inſignes. Quantum erat doctrinæ in illa inſula & pietatis, Danorum tempeſtas fere devoraverat. Utrumque pro virili reſtituere conatus eſt magnus Rex Alfredus, adhibitis Joanne Abbate Æthelingenſi, Grimbaldo Sithienſi monacho, & Plegmundo magiſtris. Nondum opus ad perfectum adductum erat, cum Alfredus regnum Eduardo filio morte ſua reſignavit. *Is litterarum ſcientia multum inferior patre*, inquit Willelmus [a], *ſed regni poteſtate glorioſior*, ad duo regna Merciorum & Weſtſaxonum, Orientales Anglos, Northumbros, Scottos & Britones Wallenſes adjunxit. At rebus bellicis totus intentus, litterarum cura inſuper habita, ita ignorantiam coaleſcere ſivit, ut etiam virtutum ſtudium, quod æquo gradu procedere ſolet, penitus langueſceret: eoque negligentiæ ventum eſt, ut in toto Weſtſaxonum regno nulli Epiſcopi eſſent reliqui. Rem indigne tulit Romanus Pontifex, (quem Willelmus Sergium perperam putat) Joannes IX. diras Eduardo imprecatus, ni regioni Geviſſorum ſeu Vveſtſaxonum Epiſcopos, quibus per ſeptem annos deſtituta fuerat, tandem reſtitueret. Paruit Rex admonenti Pontifici, & Concilio per Plegmundum Cantuarienſem antiſtitem congregato, juſſa perfecit, atque ſeptem Epiſcopos ſeptem eccleſiis aſſignavit. Quantum detrimenti paſſa ſit per illas vacantium eccleſiarum inducias Vveſtſaxonum regio & religio, nemo non intelligit. Tunc quippe luxuria ita pudicitiæ frenos abrupit, ut non ſolum laici inceſta conjugia, ſed etiam clerici & Presbyteri uxores impune ducerent, abſque ulla reverentia ſacrarum legum. Fecit quod in ſe erat Plegmundus ad medendum his morbis: ſed non ita prævaluit, quin clerici in male cœpto plerique perſeverarint: donec tandem regnante Eadgaro maximo Principe, Dunſtanus tantum malum penitus ſuſtulit, collaborantibus Oſvvaldo & Ethelvvoldo Epiſcopis, qui clericis, quod caſte vivere nollent, eliminatis, monachos ſeverioris inſtituti in eccleſias etiam cathedrales induxerunt. Per id tempus reſpirare cœpit religio, floruiſſetque impenſius in multos annos, niſi Danorum alia tempeſtas labente ſæculo Eccleſiam Anglicanam fere in antiquum chaos reduxiſſet: quæ plaga ante Vvillelmum Conquæſtorem penitus curari non potuit. Hæc preſſius ex Anglicanis ſcriptoribus retulimus, quæ maxime in Actis horum ſanctorum, atque apud Vvillelmum Malmesburienſem, & Ordericum [b] Vitalem fuſius memorantur. Unum aut alterum caput hoc loco explicandum.

[a] Willelm. Malmesb. lib. 2 de Regib. Angl. cap. 5.

[b] Orderic. pag. 516. & ſeq.

72. *Auguſtinus & Laurentius, aliique primi prædicatores Anglorum, monachi fuerunt* (Orderici [c] ſunt verba) *& in epiſcopiis ſuis vice Canonicorum* (*quod vix in aliis terris invenitur*) *monachos pie conſtituerunt, Cœnobia multa & præclara conſtruxerunt, & converſis inſtituta regularia verbis & exemplis tradiderunt. Magnifice igitur monachilis Ordo pluſquam ducentis annis in Anglia floruit.* In Cantuarienſi eccleſia primitus monachos fuiſſe inſtitutos conſtat ex epiſtola Bonifacii Papæ ad Regem Ethelbertum. Per totum illud intervallum temporis, quod ab Auguſtino Anglorum Apoſtolo ad ſæculum 10. effluxit, numquam intermiſſa eſt hæc monachorum poſſeſſio ac ſedes in illa eccleſia. Id facile demonſtrare licet ex libro Evidentiarum iſtius eccleſiæ, ubi in pleriſque inſtrumentis mentio fit de monachis in illa cathedrali

[c] Ibid. pag. 516.

ec-

Digitized by Google

eccleſia reſidentibus per ſæculum octavum, ac totum nonum ad annum 899. quo Eluredus ſeu Elfredus Rex unum agrum memoratur *a* tradidiſſe Archiepiſcopo Doroberniæ Plegmundo *ad opus monachorum*. Sub finem ſæculi decimi monachis ſuffectos clericos, iiſque amotis a Rege Æthelredo reſtitutos fuiſſe monachos apparet ex hujus Regis privilegio apud Spelmannum *b* relato, quo Æthelredus inſtigante Archiepiſcopo, monachos *ejuſdem Ordinis, quem huc attulit ſanctus Auguſtinus, & in Chriſti eccleſia poſuit*, ſe reſtituiſſe teſtatur, nempe ſub annum 1003. Non probat hanc ſententiam Willelmus *c* Malmesburienſis, forſan quod hoc privilegium non vidiſſet. Hoc tamen laudatur in libro Evidentiarum *d* eccleſiæ Cantuarienſis, probaturque a Willelmo Thorno *e* in Chronico, ubi Joannis Papæ XIII. diploma (cujus ſumma in prædicto Evidentiarum libro refertur) in teſtimonium adducit. Cnuto Rex anno 1018. eccleſiam ſancti Salvatoris, in Dorobernia ſitam, liberam eſſe ſancit, decernens *f*, ut ne quiſquam hominum *præter Archiepiſcopum & monachos* ibidem Deo famulantes aliquid inde exigat. Præclara eſt Alexandri II. epiſtola, apud Lanfrancum quarta, in qua ſub gravi interminatione prohibet, ne monachi *de eccleſia ſancti Salvatoris in Dorobernia, quæ eſt metropolis totius Angliæ*, expellerentur, uti quidam clerici, *aſſociato ſibi terrenæ poteſtatis auxilio, moliebantur*, ut clericos inibi conſtituerent: id inſuper machinantes, *ut in omni ſede epiſcopali Ordo monachorum exſtirparetur, quaſi in eis non vigeat auctoritas religionis*: quod quidem facinus, Gregorii magni, & Bonifacii Papæ IV. decretis contrarium, Pontifex averſatur.

a Script. 10. col. 2218.
b Spelman. to. 1. Conc. pag. 505.
c Willelm. lib. 1. de Pont. cap. 1.
d col. 2221.
e col. 1781.
f Spelman. tom. 1. Conc. p. 533.

73. Monachos iſtic ad extremam uſque Eccleſiæ catholicæ ſub Henrico VIII. cladem perſtitiſſe conſtat ex perpetuo veterum ſcriptorum teſtimonio, nempe ex vita ſancti Anſelmi pluribus in locis, ex libro Gervaſii monachi de diſcordia inter monachos Dorobernenſes & Archiepiſcopum Baldewinum apud decem Scriptores, ex epiſtola Odonis ejuſdem eccleſiæ monachi ac Prioris ad Adamum fratrem ſuum novitium Igniacenſem, relata in tomo 1. Analectorum; ex Quadrilogio vitæ ſancti Thomæ Cantuarienſis paſſim, ex Petri Bleſenſis epiſtola 27. in qua *fratres noſtri monachi cathedrales* appellantur, ex variis epiſtolis Joannis Saresberienſis ab epiſtola 227. ad 303. in quibus de electione poſt necem ſancti Thomæ facta agitur; ex Antonio de Culancurte in ms. hiſtoria monaſterii Corbejenſis, ubi ad annum 1523. *in Cantuarienſi eccleſia Archiepiſcopus Abbas, centum quinquaginta monachi nigri* exſtitiſſe perhibentur. Agmen claudet inſignis Eraſmi locus in Dialogo de peregrinatione, ubi de Anglia, *Hujus*, inquit, *metropolis eſt Cantuaria. In ea ſunt duo monaſteria pene contigua: utrumque Benedictinos habet. Id quod habet divi Auguſtini titulum, videtur antiquius: hoc quod nunc appellatur divi Thomæ, ſedes Archiepiſcopi fuiſſe videtur, ubi cum paucis electis monachis vitam ageret, quemadmodum & hodie Præſules habent ædes eccleſiæ contiguas, ſed ab ædibus reliquorum Canonicorum ſemotas. Olim enim fere tum Epiſcopi, tum Canonici erant. Id arguunt manifeſta rerum veſtigia.* Et inferius inquirenti de iſtius eccleſiæ Abbate, reſpondet hoc modo. *Mitram habet; cenſus habet Abbaticos; ſolo nomine caret, & Prior dicitur ob id quod Archiepiſcopus Abbatis loco eſt. Nam antiquitus quiſquis erat ejus ditionis Archiepiſcopus, idem erat & monachus.*

74. Quod poſtremo loco aſſerit Eraſmus, facile ex antiquis auctoribus comprobari poteſt. Mortuo ſancto Anſelmo Archiepiſcopo poſt vacationis quinquennium cum ad electionem ventum eſſet, eligentium vota in Faricium Abendoniæ Abbatem favente Henrico Rege conſpirabant: at Epiſcopi & quidam magnates *quemlibet Epiſcopum de ordine clericali, aut clericum aliquem de capella Regis in opus illud adſciſci* volebant. *Verum*, ut habet Eadmerus in hiſtoria novorum, qui & ipſe præſens erat, *ubi eis objectum eſt, nullum a beato Auguſtino, niſi de monachico Ordine, unquam pontificatui Cantuarienſi præſediſſe, uno dumtaxat excepto, qui & ob hanc præſumtionem & alia quædam perverſ*

ab eo commiſſa, depoſitus per Romanum Pontificem fuit; & ea re tam antiquam & authenticam conſuetudinem, cum nulla ratio vel neceſſitas exigeret, ſubverti non oportere; deſiſtere cœpto, quod plurimo conatu perficere laborabant, compulſi ſunt. Electus eſt tandem Radulfus Roffenſis ex Abbate Sagienſi Epiſcopus: cui Guillelmus Curbulienſis *Canonicus regularis poſt* aliquot annos ſucceſſit, ex Orderico *a*, qui hæc ſubdit. *Ecce antiquus mos pro invidia, qua clerici contra monachos urebantur, depravatus fuit. Auguſtinus enim monachus, qui primus in Anglia Chriſtum prædicavit, ac Edelbertum Regem & Sarbertum nepotem ejus cum populis Cantiæ & Lundoniæ ad Fidem Chriſti convertit, juſſu Gregorii Papæ Primas metropolitanus totius Britanniæ floruit. Omnes exinde uſque ad Radulfum Dorobenniæ Archiepiſcopum, præter Frigeardum, & Odam, atque Stigandum fuerunt monachi.* Et quidem addit Ordericus, Frigeardum Lotherii Regis Capellanum, *ſine præſulatus unctione* exhalaſſe ſpiritum: Odam vero ſeu Odonem electum, audito omnes anteceſſores ſuos monachos fuiſſe, mutaſſe habitum, & religioſum monachum ac archipræſulem uſque ad mortem Deo militaſſe: Stigandum porro, Emmæ Reginæ Capellanum, a Romano Pontifice numquam pallium habuiſſe, immo ab Alexandro II. interdictum, quod Haraldum in Regem benedicere nihilominus auſus eſſet, Guillelmo primo in regnum confirmato Synodi ſanctione fuiſſe exauctoratum. Ex quibus ita concludit Ordericus occaſione electi Guillelmi Canonici regularis. *Angli monachos, quia per eos ad Deum converſi ſunt, indeſinenter diligentes honoraverunt, ipſique clerici reverenter & benigne ſibi monachos præferri gaviſi ſunt. Nunc autem mores & leges mutatæ ſunt, & clerici ut monachos confutent & conculcent, clericos extollunt.*

a Orderic. pag. 873.

75. Guillelmo tamen mortuo ſuffectus eſt Theobaldus, ante Abbas Beccenſis: ſed poſt eum ecce rurſus mutatio, cum in illam ſedem volente Rege promotus eſt ex Cancellario Regis Thomas, qui ut veterem morem quadamtenus retineret, habitum monaſticum *b* cum clericali ſuſcepit, ut in Quadrilogio legitur. Præterea *ſolebant monachorum capitulis præſidere, collationibus intereſſe, in clauſtro cum ipſis lectioni intendere*, teſte Gervaſio *c* monacho in libello de diſcordia inter monachos Cantuarienſes & Baldevvinum, qui Richardum Archiepiſcopum Thomæ ſucceſſorem excepit, prius monachus Ciſtercienſis. *Res nova & inaudita*, inquit Gervaſius *d*. *Sicut enim inuſitatum eſt Ordinis Ciſtercienſis monachum Anglicanæ præeſſe Eccleſiæ; ita Cantuarienſi eccleſiæ inexpertum eſt, ut aliquis Archiepiſcoporum conventui ſuo tot inferret injurias.* Poſt id tempus primam illam cathedram promiſcue occuparunt Benedictini, Dominicani, Franciſcani, atque homines ſæculares; ſed Benedictinorum conventus in majori eccleſia uſque ad ſchiſmatis tempus perſeveravit, tametſi Archiepiſcopis adhærerent clerici ſæculares.

b Quadrilogii lib. 1. cap. 14. & lib. 3. cap. 21.
c col. 1313. & 1314.
d col. 1314.

76. Ejus ritus originem Gervaſius *e* refert ad Theobaldum, qui quamquam monachus & Abbas Beccenſis fuerat, *cum eſſet natura ſimplex, & aliquantum litteratus, adſcivit clericos ſæculares, quorum conſilio, ſuo impetu, quolibet ducebatur*: quæ res magnarum diſcordiarum fomes fuit. Monachorum primus poſt Archiepiſcopum rector Decanus erat, quem poſtea Priorem appellarunt. Abbatis loco Archiepiſcopus cenſebatur. *Omnia autem quæ medio tempore*, ſcilicet inter Auguſtini & Baldevvini ætatem, *collata fuerant, non Archiepiſcopis, non Decanis, qui nunc*, inquit Gervaſius *f* *Priores vocantur, non alicui perſonæ ſingulariter data ſunt; ſed Deo, & per eum toti monachorum congregationi: nec uſpiam, ut reor, aliquo in ſcripto ſimplici vel bullato inveniri poterit aliter vel alteri omnia illa eſſe collata.* Eodem ritu antiquitus fiebant in ceteris monaſteriis donationes: ut certum ſit largiter eos falli, qui eas Abbatibus nominatim, nec niſi per eos monachis factas audent affirmare. Verum, pergit *g* poſt aliqua Gervaſius, *ut pacis & concordiæ vinculum partis utriuſque, capitis videlicet & corporis, futuris temporibus inviolabiliter ſervaretur; monachis ſuis in novam Ordinis for-*

e col. 1311.
f col. 1310.
g col. 1311.

Digitized by Google

formam redactis, Priori & conventui rerum ſuarum omnimodam conceſſit administrationem. Poſtea vero *a* ſub Theobaldo ad Archiepiſcopum hæc ad- *a* col. 1312.
miniſtratio ex conventus decreto translata eſt: qua de re non ſera fuit monachorum pænitentia. Hæc fere diſciplina viguit penes monachos majoris eccleſiæ Cantuarienſis, quod hoc loco illuſtraſſe aliquod operæ pretium judicavimus.

77. Ad eumdem fere modum in pleriſque aliis etiam cathedralibus Angliæ eccleſiis inſtituti ſunt pro clericis monachi. In Eboracenſi quidem, ex Elogio Alcuini, & ex carmine quodam perantiquo vulgato ad calcem Sæculi tertii Benedictini. In Wintonienſi id factum per Ethelvvoldum Epiſcopum, ut ex ejus actis hic probamus. Wlſſinus Antiſtes *b apud Scire-* *b* Willelm.
burniam in ſede epiſcopali monachos clericis ejectis inſtituit, ne in tanta con- Malmeſ.
temporaneorum Epiſcoporum ſedulitate dormitare videretur, qui nimirum idem lib. 2. de Pont. cap. 4.
in ſuis eccleſiis præſtiterant. *Cœnobitis nihil ad victus neceſſitatem ex epiſcopatu largitus, ſed ex alieno mercatus, Abbatem quoque inſtituere cogitavit. Illis reclamantibus, quod ejus dulci modulatione, dum adviverent, carere nequirent, ceſſit invitus, palamque pronuntians, magnarum id calamitatum initium ſucceſſoribus eorum fore.* In eccleſia Roffenſi Gundulfus monachos pluſquam quinquaginta inſtituit, *a quibus c Regula amabatur.* In Norvvicenſi *c* Idem lib.
Herebertus *d monachorum congregationem numero & religione percelebrem in-* 1. cap. ult.
tuit, omnia eis neceſſaria ſumptu mercatus domeſtico. Præterea apud Theod- *d* lib. 2. cap. 2.
fordum, ubi & ſedes epiſcopalis erat, *monachos Cluniacenſes inſtituit, quod eſſent illius cænobii profeſſores, ubique gentium pæne diſperſi, locupletes in ſæculo & ſplendidiſſimæ religionis in Deo.* His adde epiſcopatus Lindisfarnenſem & Dunelmenſem, quos a monachis cultos fuiſſe conſtat ex vita & miraculis ſancti Cuthberti. *Iſtic Canonicos monachili ſervitio aſſuetos, quod ſemper monachum habuiſſent Epiſcopum, ad uſum clericorum redegit* Walkerus Antiſtes, ſcribente Willelmo, cui Turgotus ſuffragatur. Monachis tamen poſtea reſtituta eſt hæc ſedes & electio Epiſcopi, ut apud Matthæum Pariſium ad annum 1240. De Conventrienſi teſtis eſt Rogerius Hovedenus, ſive potius Cœleſtinus Papa III. in epiſtola apud Rogerium relata in parte poſteriori, ubi *in Conventrienſi eccleſia fere a prima Fidei Chriſtianæ fundatione in Anglia Ordo monaſticus inſtitutus* perhibetur. Quam varias ibi vices experti ſint monachi noſtri docet Monaſticum *e* Anglicanum. De Wi- *e* Monaſt
gornienſi Willelmus Malmesburienſis in lib. 4. de Pontificibus Anglorum tom. 1. pag. 303.
cap. 1. luculentus teſtis eſt. De Elienſi denique conſule Monaſticum Anglicanum a pag. 93. neque enim omnia ex integro referre vacat.

78. Quod ſuperius ex Orderico retulimus, *vix in aliis terris,* præterquam in Anglia, epiſcopales eccleſias, in quibus eſſent monachi Canonicorum loco, exſtitiſſe, quadam explicatione indiget. Nam in ipſo univerſæ Eccleſiæ capite, ſcilicet eccleſia Lateranenſi, noſtros quondam fuiſſe, nempe a clade cœnobii Caſinenſis, notius eſt quam ut probari debeat. Eos vero ibidem ſaltem ad Stephanum IV. perſeveraſſe ex Anaſtaſio & Baronio *f* in- *f* Baron. an.
telligimus. Deinde monachi trium eccleſiarum Romæ vigilias ad ſanctum 768.
Petrum celebrabant, teſte Anaſtaſio in Gregorio III. ne quid dicam de patriarchalibus ſancti Pauli & ſancti Laurentii eccleſiis, quæ noſtris antiquitus conceſſæ ſunt. In Germania pleræque cathedrales eccleſiæ monachos olim a ſanctis Rudberto, Bonifacio, aliiſque illius gentis Apoſtolis acceperunt, Saltzburgenſis, Eiſtetenſis, Friſingenſis, Ratisponenſis. Moguntinam etiam addit Gretſerus *g*. De Ratiſponenſi lege quæ dicimus in hoc tomo, *g* Gretſer.
ubi de Tutone iſtius eccleſiæ Epiſcopo. Sane Friſingenſis unum ex patro- lib. 1. ob-
nis ſuis habet ſanctum Benedictum; & *monachorum conventum* ibidem a ſancto ſerv. in vi-
Corbiniano primitus inſtitutum fuiſſe auctor eſt Otho & ipſe Epiſcopus *h* Fri- tam S. Wil-
ſingenſis. Idem probant litteræ pro conditione cœnobii Schierſenſis, cujus libaldi per Philip. cap. 17.
primi incolæ Abbatem a ſe electum ad Friſingenſem Epiſcopum addu- *h* V. Sæc. 3.
cunt, ſtatuuntque cum ipſius conſenſu, ut electio Abbatis in poſterum fiat Bened. par. 1. pag. 500.

ex ſeipſis ſecundum Regulam ſancti Benedicti : & ſi inter ipſos idoneus deſit *a* , *de domo epiſcopali eligatur Abbas ordinante Epiſcopo* : quod argumento eſt epiſcopalem cœtum ex monachis tunc conſtitiſſe, id eſt anno 760. Non repetimus hic quæ de Saltzburgenſi eccleſia ad vitam *b* ſancti Rudberti diximus, & quæ de Trajectenſi *c* ad Rhenum ad acta Gregorii Abbatis, & de Bremenſi ad *d* ſancti Willehadi Epiſcopi. Prætermittimus etiam eccleſias cathedrales ex monaſteriis a Joanne XXII. in Gallia erectas, Malleacenſem ſeu Rupellenſem, Lucionenſem, Tomerienſem, Aletenſem, Vabrenſem, Caſtrenſem, Tutelenſem, Sarlatenſem, Condomenſem : & quæ Orderici tempore cathedrales non erant, nec diu monachos (ſi Malleacenſem excipias) retinuerunt. In eccleſia Tullenſi monachos etiam aliquando extitiſſe colligitur ex actis *e* ſanctæ Bellendis. Quid? quod apud Hiſpanos idem conſtat de eccleſia Toletana, uti ex Ruderico Toletano aliiſque probabimus in *Sæculo ſequenti*. Sed hæc obiter : ad ordinem, id eſt ad Anglicanas eccleſias redeamus.

a Metrop. Salis. to. 3. pag. 323.
b Sæc. 3 Bened. parte 1. pag. 343.
c Parte 2. pag. 319.
d Ibid. pag. 403.
e Sæc. 3. Bened. to. 1. pag. 20.

79. Regulam ſancti Benedicti tum in cœnobiis ab Eadgaro Rege numero quinquaginta, vel reſtitutis, vel de novo conſtructis , tum in epiſcopatibus Ordini monaſtico ab ejus tempore addictis, receptam fuiſſe unanimis eſt omnium ſcriptorum veterum conſenſus. Atque ut hæc Regula modo uniformi ab omnibus ſervaretur, regularis Concordia a Dunſtano condita eſt ſub Eadgari Regis nomine, in qua multa præclare inſtituta leguntur, ſynodi Wintonienſis auctoritate confirmata. Ab eo tempore Joannes Mareshamus exiſtimat (quod pauci tamen poſt illum probarunt) Regulam noſtram ab omnibus primum in Anglia fuiſſe receptam : tum quia in Concilio Cloveshovienſi anni 747. nulla ejus mentio fiat, tametſi opportuna erat occaſio: tum quia altum ſit de ea apud Bedam ſilentium. Verum alibi adminiſtravimus horum argumentorum falſitatem. Primo quia Joannes in lib. 4. de vita Gregorii Magni cap. 82. annis fere centum ante hanc Eadgari Conſtitutionem, (nam anno 875. Joannes ſcribebat) monachos, qui a Gregorio in Angliam miſſi ſunt, fuiſſe Benedictinæ Regulæ mancipatos inde colligit , *quod vix poteſt in illis partibus monachus aliquis inveniri, a quo non obſervetur tam in propoſito, quam in habitu Regula Benedicti*. Ergo centum ut nimirum annis ante Eadgarum omnes monachi Anglicani, etiam ante omnem hominum tunc viventium memoriam, Regulam hanc ſectabantur. Deinde in Concilio Cloveshovienſi eadem laudatur canone 24. ubi admittendorum monachorum *converſatio ac morum qualitas ſecundum monaſticæ Regulæ definitionem* probari præcipitur *juxta apoſtolicum præceptum*: *Probate ſpiritus ſi ex Deo ſunt*. Quæ verba referuntur a ſancto Benedicto in cap. 58. cujus Regula hoc loco *monaſticæ Regulæ* nomine proinde intelligenda eſt. Poſtremo Beda in duobus libris de Abbatibus monaſterii ſui, a Waræo poſt Mareshami Propylæum editum vulgatis, non ſemel eamdem Regulam laudat; non ſolum ubi dicit monaſterium *juxta Regulam* a Biſcopo fuiſſe compoſitum, ſed ſignantius cum aſſerit, Biſcopum extrema oratione diſcipulis ſuis præcepiſſe , ut electionem facerent *juxta quod Regula magni quondam Abbatis Benedicti continet* : quod totidem fere verbis Ceolfridus, ejus ſcceſſor, morti proximus inculcavit, nempe ut *juxta Regulam ſancti Abbatis Benedicti* de ſuis ipſi Patrem qui aptior eſſet eligerent. Non ergo nobis obtendi poteſt amplius Bedæ aut Concilii Cloveshovienſis ſilentium, aut Concordia ab Eadgaro Rege ſancita , ut fuſius oſtendimus in Præfatione Sæculi primi, & in Diſſertatione ſingulari de Gregorii M. monachatu, quæ exſtat in tomo 2. veterum Analectorum . Accedit quod in Wiremuthenſi illo Bedæ monaſterio una eccleſia erat *beati Patris Benedicti*, ut loquitur Beda in fine lib. 2. de Abbatibus : qui etiam in libro de vita ſancti Cuthberti cap. 14. *ſanctiſſimi Patris Benedicti*, & cap. 19. *beati Patris Benedicti* meminit. Porro Biſcopus hanc Regulam didicerat in ſuburbano ſancti Petri apud Cantuariam monaſterio , quod ſanctus Auguſtinus ſub eadem Regulam inſtituerat, ut mox oſtendimus.

80. Ad

80. Ad hæc Egbertus Eboracenſis ante medium ſæculum VII. Epiſcopus, in Excerptis ſuis apud Spelmannum laudat Regulam ſancti Benedicti, & ita quidem legitur in veterrimo codice Ebroicenſi ante annos octingentos ſcripto, & in codice Vindocinenſi, ubi hæc Excerpta habentur. In eodem etiam codice Ebroicenſi referuntur antiquiſſimæ Litaniæ ad uſum eccleſiæ Eboracenſis, in quibus ſanctus Benedictus appellatur, non vero ſanctus Æquitius aut Columbanus, immo neque ſanctus Auguſtinus Hipponenſis. Atque hinc validiſſime confirmatur conſimile argumentum, ex antiquiſſimis Litaniis Anglicanis a nobis deductum, ſcriptis ab annis amplius nongentis in codice Remigiano, ex quo eas retuli in tomo 2. Analectorum. In iſtis enim Litaniis publicis unus ex omnibus monaſticæ vitæ Inſtitutoribus laudatur ſanctus Benedictus, non Antonius, non Pachomius, non Baſilius, non Cæſarius, non Aurelianus, non Æquitius, non denique Columbanus. Nec quovis modo invocatur ſanctus Benedictus, ſed ejus nomen bis repeti præſcribitur, magna ſane ſingularis honoris ac venerationis prærogativa, quæ nulli alteri ſancto, præterquam beatiſſimæ Virgini Mariæ ter laudatæ, & ſancto Stephano loci patrono iterata vice repetito conceditur. Hic vero tam ſingularis ſancti Benedicti apud Anglos cultus ſine dubio propagatus eſt ex commendatione tam Gregorii Magni, quam *Auguſtini* ejus diſcipuli: qui ambo ſanctum Benedictum ſuum in rebus monaſticis præceptorem ac inſtitutorem venerantes, eumdem ſibi ſubditis affectum inſpiraverant. Non levis momenti hac in re eſt forma profeſſionis, qua monachi Anglicani ante Dunſtanum utebantur, relata in codice perantiquo, qui fuit olim eccleſiæ Cantuarienſis, poſtea Pariſienſis. In hoc enim codice prima oratio ad initiandos profeſſos eo tendit, *quatinus cum ſanctis Patribus noſtris, Paulo, Antonio, Macario, ceteriſque innumerabilibus, necnon & beato* BENEDICTO *vitæ bravium percipere mereantur*. Ubi non ſolum monaſtici Ordinis unio evidenter adſtruitur, ſed etiam refellitur Baronii nova opinio de inſtituto ſancti Æquitii, de quo nulla uſquam mentio occurrit in veteribus monumentis Anglicanis. Forma profeſſionis in eo codice eſt ipſamet, quæ in Ordine ſancti Benedicti ab antiquo recepta eſt.

81. Ne quis vero Biſcopum primum Regulæ noſtræ in Anglia propagatorem exiſtimet, obſervandum eſt, Biſcopum, ut jam præmonui, monaſticis ritibus inſtitutum fuiſſe in Cantuarienſi ſancti Petri monaſterio ab Auguſtino erecto: nec niſi anno 673. cœnobii ſui wiremuthenſis fundamenta jeciſſe. Atqui annis fere viginti ante illum annum Regula Benedictina Cantuariæ vigebat, nimirum antequam Biſcopus eo commigraret. Id enim luculenter oſtenditur ex actis ſancti Vvilfridi Epiſcopi Eboracenſis, ab Eddio Stephano ejus diſcipulo ac familiari ſcriptis, quæ tandem ex Anglia obtinuimus inſervimuſque in tomo 1. Sæculi quarti, præter quædam fragmenta, quæ exſtant ad calcem tomi 2. Vvilfridus quippe in illis actis gloriatus ſe primum eſſe, qui apud Northumbros vitam monachorum *ſecundum Regulam ſancti Benedicti Patris* informaverat, præmittit ſe Cantuariam profectum, inde in regionem ſuam Northumbrenſem revertiſſe *cum Regula ſancti Benedicti*, ejuſque ſubſidio *inſtituto, eccleſiarum bene melioraſſe*, collaborante Eddio monacho, ipſius vitæ ſcriptore, quem ex eadem urbe ſecum adduxerat. Ipſam igitur Regulam ex Cantuariæ monaſteriis acceperat; in quibus proinde Auguſtinus ejuſque ſodales eamdem inſtituerant, uti fuſius ad illam Vvilfridi vitam aſſertum eſt. Ex his cum Joanne Seldeno, Anglo doctiſſimo, inferre licet,
„ a cœnobii ſancti Salvatoris Cantuariæ incolas, atque adeo ſuburbani
„ ſancti Petri, Benedictinæ familiæ, etiam ab ipſis incunabilis ſemper
„ fuiſſe habitos: nihil contra occurrere in vetuſtis monumentis, in qui-
„ bus nullum novationis veſtigium apparet.

a Selden. in Eadmer. ſub finem.

82. Fortaſſis hæc tam late perſequendo nimius videar: ſed tamen quan-

 do

do huc devenit oratio, Hiberniam & Scotiam omnino prætermittere non poſſum, quæ ſæculo decimo pios in Galliam & Germaniam viros ſubmiſerunt. Hos inter cenſendi veniunt, Cadroe, Forannanus, Malcalenus, Fingenius, quorum acta hic exhibemus, & Minborinus Abbas Scotorum Coloniæ ad ſanctum Martinum, a Mariano itidem Scotto illius fere temporis, & a Trithemio *a* laudatus in Chronico Hirſaugienſi: quibus Iſraelem Scotum Epiſcopum, qui Brunonis Colonienſis præceptor fuit, adjungere licet. Hos omnes atque alios pleroſque Benedictinæ Regulæ nomen dediſſe conſtat ex ipſorum actis, & monaſteriis in ipſorum gratiam erectis. Atque inde Scotiæ & Hiberniæ monachos tunc eidem Regulæ fuiſſe addictos evincitur. Immo vero eam longe ante profitebantur illarum partium monachi, ut in Præfatione prima ad Sæculum 3. Benedictinum probatum eſt. Id tentatum ineunte ſæculo ſeptimo, ſed quatenus profectum ſit, ex ſequentibus lector *ſtudioſus intelliget*.

a ad ann. 880.

83. In primis cum Auguſtinus noſter Britones monachos Scoticis ritibus addictos aggreſſus eſt, hi profeſſi ſunt *ſe non poſſe abſque ſuorum conſenſu ac licentia priſcis abdicare moribus*, auctore Beda *b*. *Erant autem plurimi eorum de monaſterio Bangor* ſeu Banchor in Vvallia, qui pro magno fratrum numero ita inſtituti erant, *ut cum in ſeptem portiones eſſet cum præpoſitis ſibi rectoribus monaſterium diviſum, nulla harum portio minus, quam trecentos homines haberet*: qui ritus Orientalium mores ſapit. Laurentius Auguſtini ſucceſſor, *c* qui non ſolum novæ, quæ de Anglis erat collecta, Eccleſiæ curam gerebat, ſed & veterum Britanniæ incolarum, necnon & Scotorum, qui Hiberniam inſulam Britanniæ proximam incolunt, populis paſtoralem impendere ſollicitudinem curabat, utrorumque *vitam ac profeſſionem minus eccleſiaſticam in multis eſſe cognovit*. Sed & *Columbanum Abbatem*, qui in alio Banchorenſi apud Hiberno-Scottos monaſterio educatus fuerat, *in Gallias venientem nihil diſcrepare a Britonibus in ejus converſatione didicit*. His acceptis Honorius Papa *d litteras genti Scotorum, quos in obſervatione Paſchæ erraſſe compererat*, direxit, ut eos ab errore iſto revocaret: idemque poſt ejus obitum præſtitit Clerus Romanus. Auſtrales Hiberniæ *e* inſulæ partes monenti Pontifici acquieverunt, non vero ſeptemtrionalis provincia, nec *omnis natio Pictorum*. Ex his partibus, nempe ex Hiienſi monaſterio, Oſvvaldus Rex præceptorem accivit Aidanum Epiſcopum, qui multas eccleſias apud Anglos, nec pauca monaſteria conſtruxit: atque ad ejus ritum *parvuli Anglorum una cum majoribus* apud Northumbros, *a præceptoribus Scotis imbuebantur ſtudiis & obſervatione diſciplinæ regularis*.

b Beda lib. 2. cap. 2.
c Ibid. cap. 5.
d Ibid. cap. 19.
e lib. 3. cap. 3.

84. In iſtis Aidani monaſteriis unum fuit Lindisfarnenſe, ubi Vvilfridus educatus, tandem *f paullatim adoleſcens animadvertit, minime perfectam eſſe virtutis viam, quæ tradebatur a Scotis, propoſuitque animo venire Romam, & qui ad Sedem apoſtolicam ritus catholici ſive monaſteriales ſervarentur, videre*. Reverſus in patriam Riponenſi monaſterio præficitur, ubi Scotici inſtituti degebant monachi. *Sed g quia illi poſtmodum, data ſibi optione, magis loco cedere, quam ſuam mutare conſuetudinem volebant*, ab Alchfrido Rege diſcipulo ſuo iſti loco præfectus eſt Vvilfridus, *qui dignam loco & doctrinam haberet & vitam*. Ibi celebris conflictus præſente Rege, præter alios multos, de Scoticis ritibus initus eſt Vvilfridum inter & Colmannum Epiſcopum eorum defenſorem, qui in Lindisfarnenſi monaſterio ſedem fixerat. Scotti cum cauſa cecidiſſent, nihilominus Colmannus, *h Columbæ*, inquit, & *Scotorum vitam, mores & diſciplinam ſequi non deſiſto*. At ipſe *videns ſpretam ſuam doctrinam, ſectamque eſſe deſpectam, aſſumptis his qui ſe ſequi voluerunt, id eſt qui Paſcha catholicum & tonſuram coronæ (nam & de hoc quæſtio non minima erat) recipere nolebant, Scotiam regreſſus eſt*. Hæc anno 664. contigere. Anno ſequenti *Vvilfridus, jam Epiſcopus factus*, in eccleſia Eboracenſi ita ritus Romanos promovit, *ut creſcente per dies inſti-*

f lib. 5. cap. 20.
g lib. 3. cap. 25.
h Ibid. cap. 26.

Digitized by Google

inſtitutione catholica, Scoti omnes qui inter Anglos morabantur, aut his manus darent, aut ſuam redirent ad patriam. Sic factum eſt, ut apud Northumbros monachi omnes qui *Columbæ* a *Regulam ac præcepta* ſectabantur, cum ritibus Romanis Benedictinam amplecterentur, qua de re Wilfridus apud Eddium & Vvillelmum Malmesburienſem gloriatur. Colmannus porro ad ſuos reverſus, *b tulit ſecum omnes quos in Lindisfarnenſium inſulæ congregaverat Scotos, ſed & de gente Anglorum viros circiter triginta, qui utrique monachicæ converſationis ſtudiis erant imbuti*. Deinde *ſeceſſit in inſulam Vitulæ-albæ*, ubi *conſtruxit monaſterium, & monachos inibi, quos de utraque natione collectos adduxerat, collocavit*. Sed *cum invicem concordare non poſſent*, monaſterium *in inſula Mageo* conſtruxit, atque *Anglos ibidem collocavit, relictis in præfata inſula Scotis*.

a Ibid. cap. 25. ſub finem.

b lib. 4. cap. 4.

85. *Crevit magnopere Magenſe* aſceterium, *& converſis jam dudum*, inquit Beda, *ad meliora inſtituta omnibus, egregium examen continet monachorum, qui de provincia ibidem collecti, ad exemplum venerabilium Patrum ſub Regula & Abbate canonico in magna continentia & ſinceritate proprio labore manuum vivunt*, id eſt ſub Regula ſancti Benedicti, ad exemplum aliorum Patrum, qui apud Anglos tunc ea informati erant. Hæc mutatio accidit ſub annum 670. at paullo ſerius apud Hijenſes: quorum abbas Adamnanus *c*, *cum legationis gratia miſſus a ſua gente veniſſet ad Aldfridum Regem Anglorum, & aliquamdiu in ea provincia moratus, videret ritus canonicos; ſed & a pluribus admonitus, ne contra univerſalem Eccleſiæ morem vel in obſervantia Paſchali, vel in aliis quibuſque decretis, cum ſuis pauciſſimis & in extremo mundi angulo poſitis vivere præſumeret, mutatus mente eſt, ita ut ea quæ viderat & audierat in eccleſiis Anglorum, ſuæ ſuorumque conſuetudini libentiſſime præferret*. Inter alia monaſteria Adamnanus viſitavit Vviremuthenſe, de quo ſuperius, teſte Ceolfrido Abbate in epiſtola *d* ad Naitonum Pictorum Regem, apud quem tandem obtinuit Ceolfridus, ut ritus etiam Latini a Pictis ſuſciperentur, agente etiam Egberto *e ſanctiſſimo Sacerdote de natione Anglorum, qui in Hibernia diutius exſulaverat pro Chriſto*. Egberti factum Beda refert ad annum 716.

c lib. 5. cap. 16.

d Ibid. cap. 22.

e lib. 3. cap. 4.

86. Ex his omnibus apparet, quanta fuerit Britonum & Scotorum in ritibus ſuis pervicacia, quam aliena mens ab Auguſtino ejuſque diſcipulis, ac ritibus Romanis: quod egregie confirmat Althelmi ſeu Aldhelmi tunc Abbatis, poſtea Schireburnenſis Antiſtitis, epiſtola ad Geruntium Regem, quæ eſt inter Bonifacianas quadrageſima quarta. *Illud vero*, ait, *quam valde a Fide catholica diſcrepat, & ab evangelica traditione diſcordat, quod ultra Sabrinæ fluminis fretum Demetarum ſacerdotes de privata propria converſationis munditia glorantes, noſtram converſationem magnopere abominantur; in tantum ut nec in Eccleſia nobiſcum orationum officia celebrare, nec ad menſam ciborum fercula pro charitatis gratia pariter percipere dignentur. Quin immo fragmenta ferculorum, & reliquias epularum, lurconum canum rictibus & immundis devorandas porcis projiciunt. Vaſcula quoque & phialas aut arenoſis ſablonum glareis, aut fulvis favillarum cineribus expianda purgandaque præcipiunt. Non ſalutatio pacifica præbetur, non oſculum piæ fraternitatis offertur..... Aſt vero ſi quilibet de noſtris, id eſt catholicis, ad eos habitandi gratia perrexerint, non prius ad conſortium ſodalitatis ſuæ adſciſcere dignantur, quam quadraginta dierum ſpatia in pœnitendo peragere compellantur*. Hæc Aldhelmus mandato cujuſdam Concilii ſcribebat ſub annum 700. quo proinde tempore multi præfracte Scoticis ritibus adhærebant, Romanis necdum receptis. At ſæculo octavo tandem effectum eſt, ut crudam plerique omnes contumaciam depoſuerint. Sane eo ſæculo apud Keltram in Momonia Hiberniæ provincia degebant monachi ex noſtris, teſtante Kilieno illius temporis auctore in libro metrico de ſanctæ Brigidæ vita apud Bollandum *f*.

Altera valde mihi virtus miranda videtur,

f Febr. to. 1. pag. 153. num. 63.

Digitized by Google

Quæ fuit in magna Sinanni fluminis unda:
Intra quam Reltra eſt, convectus rite virorum
Prudentum, ſacro Benedicti *dogmate florens.*

Hoc carmen octavo ſæculo ſcriptum eſſe colligimus ex ejus præfatione, quæ in codice Remigiano tempore Ebonis Archiepiſcopi Remenſis ſcripto reperitur. Ita pedetentim compreſſa eſt Scotorum ſingularis inſtitutio: cujus tamen reliquiæ etiam imperante Ludovico Pio quædam ſupererant in Landevenecenſi minoris Britanniæ cœnobio: ſiquidem ejus loci monachis idem Imperator præcepit, ut abjecta Scotorum tonſura, Regulam ſancti Benedicti ſequerentur, ut ex actis ſancti Winvvaloei oſtendimus in Præfatione Sæculi 1. num. 69. Sed de his ſatis ſuperque ſatis: neſcio an minus ingrata erunt quæ ſequuntur.

§. VI.

Observationes ecclesiasticæ et historicæ, *de canonizatione Sanctorum, Indulgentiis, & de cultu ac Roſario B. Virginis*, &c.

87. Inter alia quæ ſæculi decimi religionem probant, illud non prætermittendum, quod ad referenda in Sanctorum claſſem nova piorum nomina poſtulata eſt Romani Pontificis auctoritas. Scio Bellarminum & alios viros doctos in ea fuiſſe perſuaſione, hujuſce moris originem ad ſanctum Suidbertum, id eſt ad ſæculum 8. eſſe revocandam. At cum eorum fundamentum falſis actis atque litteris innitatur; non ante ſæculum decimum indubitata ejus rei exempla reperire licet. Sed quia hæc quæſtio aliquanti momenti eſt, eam paullo latius explicare juvat, & quidem hiſtorico, non dogmatico illo modo, quo uſi ſunt Bellarminus & alii poſt eum in tractando hoc argumento.

88. Atque ut a vocabulo *Canonizationis*, quod jam in vulgarem ac ſollemnem uſum venit, dicendi initium faciam, illud minus antiquum eſt quam res ipſa, nec ante ſæculum 12. inventum, poſtquam videlicet ad authenticam inter Sanctos relationem ſummi Pontificis ſuffragium requiſitum eſt. Hoc quippe vocabulo uſus eſt inter primos Udalricus Conſtantienſis Epiſcopus in epiſtola ad Callixtum II. pro canonizatione Conradi Epiſcopi, & aliquanto poſt Alexander III. in bulla de canonizatione Eduardi Angliæ Regis anno 1161. itemque ſancti Thomæ Cantuarienſis Archiepiſcopi poſt annos undecim: ſed & eodem tempore Petrus Cellenſis, & alii auctores, ut mox videbimus. Nominis ratio per ſe ipſa patet: neque enim aliud eſt canonizatio, quam in canonem ſeu in album Sanctorum relatio.

89. Eſt autem canon duplex: alius perſonarum, alius librorum, qui etiam *canonizati* non raro leguntur, cum in librorum approbatorum ſeu authenticorum claſſem referuntur. Antiquior eſt hujus vocis uſus apud Græcos. Nam apud Athanaſium τὰ κανονιζόμενα βιβλία legitur, & apud alios. Hujus canonizationis veluti forma ſeu quidam effectus erat, cum œcumenica Concilia intra Miſſarum ſollemnia in ambone ſeu pulpito quondam prædicabantur, & in ſacris diptychis perlegebantur ab Epiſcopo, vel ab alio cui vices ſuas ipſe delegaſſet: qua de re legeſis Notas eximii viri Henrici Valeſii [a] in Evagrium. Apud Latinos etiam hæc vox tranſiit, ubi de libris ſacris vel canonica auctoritate approbatis actum eſt: quo modo Liutvvardus Vercellenſis Epiſcopus Notkeri Balbuli *Sequentias canonizaſſe* traditur apud Ekkehardum Minimum in libro de Notkeri vita cap. 16. & Gerlaci Eremitæ *grandia volumina* ab Eugenio Papa *canonizata, & inter ſcripturas ſacras commemorata* leguntur in ejus vita cap. 8. ut eruditiſſimus Cangius adnotavit. In his libris, qui tam ſol-

[a] Vales. in Evagr. lib. 4. cap. 11.

Digitized by Google

ſollemni modo approbati erant, quidquam detrahere aut addere nefas arbitrabantur. Unde Fratribus Minoribus, ſub annum 1808. quamdam a Regula ſua relaxationem petentibus, Papa reſpondit, Regulam ſancti Franciſci *canonizatam ſe nolle ſenſu aliquo violare*.

90. Canon perſonarum duplex: unus vivorum, alius mortuorum, iſque bipartitus, nempe Sanctorum, & aliarum perſonarum illuſtrium. Canon Miſſæ ſeu ſacra diptycha ſanctos: alius canon ſeu alia diptycha, promiſcua & minus ſacra, ceteros complectebantur. Canonis etiam nomine cenſenda ſunt tum Kalendaria, tum Martyrologia, in quibus Sanctorum nomina deſcripta ſunt publica auctoritate. Et hoc præcipue modo facta eſt ab annis ſexcentis ſanctorum canonizatio, cum ſcilicet eorum nomina in Sanctorum album relata ſunt; facultate conceſſa, ut publico cultu in Eccleſia honorarentur. Nulli enim ab eo tempore in Miſſæ canone adſcribi meruerunt. Idem ergo eſt Sanctum canonizari, atque in Sanctorum numerum referri. Id patet ex epiſtola *a* Nicolai Anglicani monachi ad Petrum Cellenſem in hæc verba: *Sanctus ille Bernardus, quem dicis me debita exuere veneratione, & poſt eum verborum jacula emittere, quondam Sanctorum catalogo adſcriptus; nuper eſt in Eccleſia canonizatus, & ab humano judicio exemptus*: quod iiſdem fere verbis declarat Alexander Papa III. in litteris de canonizatione ſancti Thomæ Archiepiſcopi Cantuarienſis, quem *in capite jejunii*, inquit, *deliberato Fratrum noſtrorum conſilio canonizavimus, ipſumque decrevimus ſanctorum catalogo adſcribendum* anno 1172. Biennio elapſo idem Alexander in litteris ad Regem Franciæ pro ſancti Bernardi Abbatis canonizatione miſſis, ait ſe decreviſſe eum *canonizandum*. Paullo poſt Lucius III. ſcribit Petro Abbati Ciſtercienſi aliiſque, qui eum de *canonizando* piæ memoriæ Petro, quondam Tarentaſienſi Epiſcopo, ſollicitaverant ſub annum 1180. Id tandem præſtitit Cæleſtinus III. qui jam dictum venerabilem virum de communi Fratrum conſilio *canonizavit*, & *canonizatum univerſæ Eccleſiæ* per ſua ſcripta denuntiavit anno 1191. ſtatuens inſuper, ut ejuſdem Petri memoria quotannis tertio Idus Septembris, quo *glorioſum corpus ejus de ſepulcro levatum* fuerat, ſollemniter celebraretur. Idem Pontifex Bernvvardum Hildenesheimenſem Epiſcopum anno 1193. *in catalogo Sanctorum amodo numerandum* decrevit, & *ſacratiſſimum corpus ejus de terræ gremio erigendum, & inter ſanctorum memorias veneratione condigna collocandum*. Sicque *beatus Confeſſor in ſabbato ante natale Domini ſollemniter canonizatur*. Quadriennio ante Clemens III. Ottonem Babenbergenſem Epiſcopum *canonizatum* declaravit. Deinceps canonizationis vocabulum in promiſcuo uſu fuit. Sed ante hos omnes Fredericus Ænobarbus diploma edidit *pro elevatione & exaltatione* corporis Caroli M. *atque canonizatione*. Hanc elevationem auctoritate Paſchalis pſeudopontificis ab Epiſcopis fieri curavit anno 1165. quo fere tempore Anonymus in prologo de vita Stephani Abbatis Obazinenſis, ait, Stephanum nondum inter ſanctos *canonizatum fuiſſe*.

a Apud Petr. Cell. lib. 9. epiſt. 9.

91. Nunc de perſonis, quibus canonizandi poteſtas competit, agendum: ſed prius diſtinguenda ſunt tria tempora, unum ab exordio Eccleſiæ ad ſæculum decimum: alterum a ſæculo 10. ad Alexandrum tertium hujus nominis Pontificem: tertium ab Alexandro ad noſtrum uſque tempus. Primo intervallo hæc facultas maxime Epiſcopis in ſua cuique diœceſi tributa eſt cum populi ſuffragio: deinde vero cum Synodi & Principis conſenſu. Secundo ſummi Pontificis auctoritas petita eſt, ita tamen, ut Epiſcopi etiam morem priſtinum retinerent. Tertio ſoli Romano Pontifici canonizandi facultas reſervata eſt ſecluſis Epiſcopis, ſed non Concilio generali. Iſtorum omnium probationes inferius venient.

92. Præterea canonizatio alia generalis, alia particularis dici poteſt. Hæc ab aliquo Epiſcopo ſeu ab eccleſia vel ſynodo particulari fiebat; illa

illa ab œcumenico Concilio, aut a ſummo Pontifice ſanctum aliquem toti Eccleſiæ declarante. Generalis ejuſmodi canonizationis nullum (quod quidem *ſciam*) veſtigium apparet ante ſæculum 10. Particularis ſola in uſu erat, quæ tamen, accedente totius Eccleſiæ conſenſu & approbatione, generalis evadebat. At quædam generalis communi omnium eccleſiarum conſenſu canonizatio facta eſt ſanctorum quorumdam maxime illuſtrium: qualis eſt beatiſſimæ Virginis Deiparæ, & Apoſtolorum. Quælibet porro eccleſia particularis deſcriptum habebat ſanctorum ſuorum catalogum: donec, confirmata Eccleſiæ pace, omnium collectio facta eſt, primo quidem per Euſebium, deinde per quemdam ſub nomine Hieronymi; poſtea per Bedam, Vvandalbertum, Uſuardum, Adonem, Notkerum, & alios, de quibus in Sæculi ſuperioris Præfatione prima diximus: ubi obſervavimus, eccleſiam Romanam proprium martyrologium ante ſæculum octavum habuiſſe.

93. In primis *facta eſt Martyrum* canonizatio, paullo ſerius Confeſſorum. Ad illam pertinet Cypriani epiſtola 97. qua clerum eccleſiæ ſuæ admonet, ut dies eorum, qui martyrio vitam finiiſſent, eccleſiaſticis tabulis ſedulo adnotarentur, *quo commemorationes eorum*, inquit, *inter memorias Martyrum celebrare poſſimus*. Non immoror congerendis de priſco Martyrum cultu teſtimoniis, quæ cuivis obvia eſſe poſſunt. Non tamen ſine delectu quorumlibet Martyrum cultus inductus eſt, tum quia hæretici, in primis Montaniſtæ *a* & Donatiſtæ, Martyres ſuos & ipſi venditabant: tum quia erratum aliquando in falſis Martyribus ſubrepere poterat, ut apud Severum Sulpicium in libro de vita ſancti Martini, ubi de illo latrone, in quo Deus non diu ſivit Eccleſiam ludificari: tum quia Epiſcopi Martyres non ſatis notos aut probatos inter veros Martyres coli haud patiebantur. Cum enim vulgus quoslibet injuſte cæſos pro martyribus aliquando haberet, ut alibi obſervavimus; maxime intererat vulgi judicium ad cenſuram Eccleſiæ revocare, ne error demum in ſuperſtitionem convaleſceret. Quapropter maxime neceſſarius erat in his delectus. Unde in Romana eccleſia inſtituti fuerant a Clemente primo ſeptem Notarii, qui acta Martyrum ſcriptis exciperent. Fabianus vero totidem Subdiaconos inſtituiſſe fertur, qui res geſtas Martyrum, a ſeptem illis Notariis ſcriptas, in ordinem redigerent. Memorabile hoc in argumento eſt quod de actis ſancti Vigilii Epiſcopi Tridentini & Martyris legitur in veteri codice mſ. quorum actorum exemplum ad Romanum Pontificem tranſmiſſum eſt, ut in claſſem ejuſmodi ſacrorum actorum admitteretur. Hæc verba ſunt antiqui codicis, quem clariſſimus Obrechtus, Argentoratenſis urbis Advocatus generalis, nobis pro ſua humanitate commodavit. *Geſta vero beatiſſimi Martyris*, UT MORIS ERAT, *urbis Romæ Epiſcopo tranſmiſſa eſt, ut ſacris Martyrum memoralibus inderetur. Qua ſuſcepta, venerabilis Papa legens, cum omni veneratione ſuſcepit*. In iſtorum fine actorum ſic legimus. *Paſſus eſt autem ſanctus Vigilius Epiſcopus 6. Kal. Julias, qui egit epiſcopatum in urbe Tredentina 12. anno Stilicone conſule*. Stilico anno 400. conſulatum gerere cæpit. Quo tempore acta hæc, quæ bonæ notæ videntur, ſcripta ſint, non omnino liquet. Codex membraneus ſuperat annos ſeptingentos: ac proinde ſæculo quinto, vel certe non multo poſt, acta Martyrum, ſaltem ex Italia, ad Romanum Pontificem *ex more* mittebantur, ut vel ab eo auctoritatem acciperent, vel ut in Romano ſcrinio aſſervarentur, vel denique ut in ſacris Romanæ eccleſiæ diptychis Martyres locum obtinerent. Primum colligimus ex ſuperioribus verbis, ubi Papa S. Virgilii acta *legiſſe*, & *cum omni veneratione ſuſcepiſſe* perhibetur. Alterum vero ex his quæ ſubdit actorum ſcriptor, nempe eo tempore, quo *gens Alamannorum Italiam crudeli gladio vaſtabat*, Papam Imperatori auctorem fuiſſe, ut beati Virgilii *geſtam* (ita loquebantur) vexillo impoſitam contra hoſtes præferri cu-

a Euſeb. lib. 5. c. 15.

curaret : quo facto, barbaris in fugam conjectis, poſtea Cæſarem *geſtam beatiſſimis Martyris* Romam retuliſſe, & cum Papa *arcæ recondidiſſe*.

94. Etſi vero acta Martyrum cum tanto honore ſuſciperet eccleſia Romana, nihilominus ea publice legi ex antiqua conſuetudine vetat decretum Gelaſii Papæ in Concilio Romano, quod decretum codices quidam Hormiſdæ tribuunt. In illo decreto Pontifex ſuſcipit quidem *geſta ſanctorum Martyrum, qui multiplicibus tormentorum cruciatibus, & mirabilibus confeſſionum triumphis irradiant*, ſed mox hæc ſubdit. *Quis ita eſſe Catholicorum dubitet, & majora eos in agonibus fuiſſe perpeſſos, nec ſuis viribus, ſed gratia Dei & adjutorio univerſa toleraſſe? Sed ideo ſecundum* ANTIQUAM *conſuetudinem ſingulari cautela in ſancta Romana eccleſia non leguntur, quia & eorum qui conſcripſere, nomina penitus ignorantur, & ab infidelibus aut idiotis ſuperflua, aut minus apta, quam rei ordo fuerit, ſcripta eſſe putantur*. Mirum videri poſſit, ſi paſſiones Martyrum quorumcumque in eccleſia Romana lectæ non fuerint : cum, etiamſi quædam dubiæ fidei eſſent, aliæ tamen auctoritatem præ ſe ferrent, utpote ex actis publicis exceptæ, etſi incerto aliquando auctore. Verum fortaſſe ſuſpecta erant Romanis etiam hæc acta, quod *ab infidelibus* ſcripta eſſent. Hanc Romanæ eccleſiæ conſuetudinem, quæ *antiqua* in Gelaſii decreto vocatur, impugnare videtur gravis & vetus auctor, qui paſſionem beatorum Cantianorum litteris mandavit, uti exſtat in prædicto codice Obrechtino, ſive is auctor Maximus Taurinenſis Epiſcopus fuerit, ſeu quivis alius. Paſſio incipit ab his verbis. *Omnia quæ a Sanctis geſta ſunt, vel geruntur, ſi quis voluerit ſtudioſe perquirere, & ſibi, & plurimis, ædificationis exhibet fructum*. Et poſt pauca. *Scribimus, ut in geſtis invenimus, quid egerint, quid locuti fuerint, quid paſſi ſint Sancti. Oſtenditis vos eſſe catholicos, qui victorias Chriſti libenter legitis, libenter auditis. Interrogo vos qui iſta inter apocryphas litteras exvolanda cenſetis : per quos conſtat canon Scripturarum omnium divinarum? Numquid per eos, qui pro ipſo canone occidi magis optaverunt, quam vinci? Quid ergo tenuerunt Martyres? Fidem rectam, quæ ſacris voluminibus certo librorum numero continetur. Agunt illis gratias apices ſacratiſſimi, qui per eorum perſeverantiam perſeverant. Et ideo volunt eorum geſta conſcribi, ut in conſpectu Dei & hominum ſemper laudentur Sancti, qui in conſpectu incredulorum pro eorum defenſione tormenta immania pertulerunt. Nihil præter Scripturas canonicas recipientes, iſta ſtudioſe conſcripſimus, oſtendentes dogma catholicum, per catholicos Martyres cuſtoditum. Exemplum poſteris damus, ædificationem credentibus tradimus; artem belli Chriſti militibus demonſtramus. Conſtat eos nolle pugnare ſi neceſſe ſit, qui nolunt legere pugnatores. Imperent ſilentium infidelibus, ſpectent pugiles diabolicos, qui athletas Domini ſpectare contemnunt. Nos divinas virtutes loquimur, ſcribimus, prædicamus*. Hæc fuſe retulimus, tum ut genius auctoris cognitus fiat, tum ut intelligatur, alium in aliis * eccleſiis, quam in Romana uſum obtinuiſſe, ut acta Martyrum publice legerentur & prædicarentur : quorum tamen nomina, ſi non acta ipſa, eccleſiæ Romanæ Antiſtites ſtudioſe perquirebant, & ad alias eccleſias tranſmittebant, ut ex Adonis Martyrologio diſcimus. Quicquid ſit, negari non poteſt magnam fuiſſe in recipiendis Martyrum actis cautionem in eccleſia Romana, ut ex dictis & ex Gelaſii decreto manifeſtum eſt.

* V. Conc. Carthag. 3. c. 13.

95. Magnam etiam cautionem adhibebant Epiſcopi etiam aliarum regionum inter ſeſe : immo etiam Fideles ipſi, aliquem pro Martyre coli vix ferebant, niſi acta martyrium indubitata conteſtarentur. Hinc eſt quod Lucilla matrona a Cæciliano tum archidiacono correpta eſt, *quæ ante ſpiritualem cibum & potum, os neſcio cujus Martyris, ſi tamen Martyris, libare dicebatur : & cum præponeret calici ſalutari os neſcio cujus hominis mortui, etſi martyris, ſed* NECDUM VINDICATI, apud Optatum in libro 1. Et in Collatione Carthaginenſi Menſurius Carthaginenſis antiſtes, cum

Digitized by Google

cum Fideles nonnulli, perſecutoribus ſponte ſe offerentes, necati eſſent, *ab eis honorandis prohibuit Chriſtianos Vindicatos* ergo volebant martyres, id eſt ab Epiſcopis agnitos & approbatos. Quamquam apud Cyprianum in libro de lapſis, *vindicatus* Martyr idem eſt atque mortuus, & de ſua „ jam corona ſecurus. Memoratu dignum eſt, quod Cyrillo Jeroſolymi-„ tano contigit occaſione Ammonii monachi, quem, cum ſeditionis in „ Oreſtem Præfectum apud Alexandriam a monachis ipſius Cyrilli cau-„ ſa excitatæ conſcius, ob idque ad mortem uſque ſuppliciis Præfecti „ juſſu excruciatus eſſet; mutato nomine *Thaumaſium*, immo & *Marty-„ rem* vocari juſſit, corpore ejus in eccleſia depoſito. Sed qui modeſtio-„ res erant ex ipſis etiam Chriſtianis, hoc Cyrilli ſtudium in Ammo-„ nium non probarunt, compertum habentes, hunc temeritatis ſuæ pœ-„ nas dediſſe. Quam ob rem & Cyrillus ipſe hujus rei memoriam paul-latim ſilentio obliteravit. *Hæc fuſius apud Socratem* *a*. Martinus Turonenſis Epiſcopus *b* ſuſpectum habens cultum, qui falſo cuidam Martyri impendebatur, *ab his qui majores natu erant Presbyteris vel clericis flagitabat nomen ſibi martyris & tempora paſſionis oſtendi, grandi ſe ſcrupulo permoveri* teſtatus, *quod nihil certi conſtans ſibi majorum memoria tradidiſſet*. Itaque oratione adhibita, falſi martyris larvam detexit. Eadem ratione ſancto Patroclo martyri Tricaſſino, tametſi miraculis coruſcanti, *loci homines parvum exhibebant famulatum, quod hiſtoria paſſionis ejus non haberetur in promptu*, teſte Gregorio *c* Turonenſi Epiſcopo. *Mos namque eſt hominum ruſticorum*, addit ille, *ut Sanctos Dei, quorum agones relegunt, attentius venerarentur*. Et hæc quidem cautio noſtro tempore quibuſdam in locis fortaſſe neceſſaria eſſet, in quibus honorantur pro martyribus aut ſanctis nonnulli, quorum vita penitus ignoratur, nec ab Eccleſia univerſa auctoritatem eorum cultus accepit. Obſervatione digna eſt hac in re Gregorii Lingonenſis Epiſcopi diligentia & religio, qui cum videret ſanctum Benignum *d* martyrem Divionenſem *in magno ſarcophago* conditum fuiſſe; putabat cum aliis, *ibi aliquem poſitum fuiſſe gentilem*. Eo tamen ruſtici convenientes *vota diſſolvebant*, & multa beneficia impetrabant. His *nullo modo credebat* Gregorius, *ſed magis ne ibidem adorarent, fortiter teſtabatur*: donec tandem veritatis revelatione factus eſt certior; & a quibuſdam in Italiam abeuntibus *hiſtoriam adlatam beatus Confeſſor accepit*. Lege factum quod in eadem urbe accidit, a nobis relatum in ſuperioris tomi pag. 328. Huc ſpectat quod de ſancto Martiale Lemovicenſium Apoſtolo memoriæ proditum eſt in Concilio Lemovicenſi anni 1031. nempe Anglos quoſdam, cum ſanctum Martialem in Litaniis & Martyrologiis cœnobii Cantuarienſis Apoſtoli titulo donatum animadvertiſſent non reperto libro de ejus actis, hac de re apud Patrem monaſterii expoſtularunt, nempe quod Martialem diceret Apoſtolum, cum ejus acta penes ſe non haberet. Magna vero diſcretione prædita eſt Gregorii Magni *e* reſponſio ad Auguſtinum Anglorum Apoſtolum, quam hoc loco adſcribere juvat. Petierat Auguſtinus, ut reliquiæ ſancti Sixti martyris ſibi tranſmitterentur, quæ in quadam eccleſia recondi poſſent, ubi corpus cujuſdam ſancti Sixti, non ſatis ſibi noti, aſſervari dicebatur. Reſpondit in hunc modum Gregorius poſt interrogationem 9. *Fecimus quod petiſti, quatenus populus qui in loco quodam ſancti Sixti martyris corpus dixerunt venerari (quod tuæ fraternitati nec verum, nec veraciter ſanctum videtur) certa ſanctiſſimi & probatiſſimi Martyris beneficia ſuſcipiens colere incerta non debeat. Mihi tamen videtur, quod ſi corpus, quod a populo cujuſdam martyris eſſe creditur, nullis illic miraculis coruſcat; & neque aliqui de antiquioribus exſiſtunt, qui ſe a parentibus paſſionis ejus ordinem audiſſe fateantur: ita reliquiæ quas petiſti ſeorſim condendæ ſunt, ut locus in quo præfatum corpus jacet, modis omnibus obſtruatur, nec permittatur populus certum deſerere, & incertum venerari*. Utinam hanc religionem & prudentiam Epiſcopi in ſuis parochiis ſemper obſervaſſent. A D-

a Socrat. lib. 7. c. 14.
b Vitæ c. 8.
c Greg. Turon lib. 1. de glor. mart. c. 64. V hic acta S. Gerardi Abb. Bromenſ. pag. 261.
d Ibid. cap. 51.
e Greg. M. l. 12. epiſt. 31.

Digitized by Google

Præclara eſt hanc in rem Concilii Carthaginenſis conſtitutio, apud Dionyſium Exiguum in cap. 80. *Item placuit, ut altaria, quæ paſſim per agros & vias, tamquam memoriæ Martyrum, conſtituuntur, in quibus nullum corpus aut reliquiæ Martyrum conditæ probantur; ab Epiſcopis, qui eiſdem locis præſunt, ſi fieri poteſt, evertantur. Si autem hoc per tumultus populares non ſinitur; plebes tamen admoneantur, ne illa loca frequentent: ut qui recte ſapiunt, nulla ibi ſuperſtitione devincti teneantur. Et omnino nulla memoria Martyrum probabiliter acceptetur, niſi ubi corpus aut aliquæ reliquiæ ſunt, aut origo alicujus habitationis, vel poſſeſſionis, vel paſſionis, fideliſſima origine traditur. Nam quæ per ſomnia & per inanes quaſi revelationes quorumlibet hominum ubicumque conſtituuntur altaria, omni modo reprobentur*. Adde Concilii Eliberitani canon. 60.

96. Ex illis denique qui *innocenter* occiſi ſunt, quoſdam *non humana conjectura, ſed divina ratio martyres conſecravit*, ut loquitur Vuillelmus *a* Malmesburienſis. Hos inter merito cenſendi ſunt Leodegarius Æduenſis, & Thomas Cantuarienſis Pontifices, aliique nonnulli. At merito exploſum eſt ab Eccleſia orientali Nicephori Phocæ decretum, quo ſancierat, ut milites, qui in bello occubuiſſent, eodem honore afficerentur ac martyres, teſtante Curopalate, & poſt eum Balſamone. Sic quoſdam *b irruentibus latrunculis cæſos, in Martyres credula conſecravit antiquitas*: cujus rei multa exempla *c* ſuppetunt. Præclare ad hunc locum optatus Milevitanus in lib. 3. *Quare debetis intendere, ne temerarium ſit eos Martyres appellare, qui Chriſtianorum nullum ſenſerint bellum.*

a Willelm. Malm. l. 2. de Regib. c. 13. fol. 49.

b Idem lib. 2. de Pontif. cap. 5. fol. 145.

c Sec. 4. Bened. to 2. pag. 512. & ſeq.

97. Ut Martyribus, ſic etiam Confeſſoribus honos publico cultu delatus ab Eccleſia eſt. Id fieri cœptum ſæculo quarto, quo tempore ſanctus Antonius ſepulturam ſuam ignoto loco parari juſſit, *ne Pergamius d qui in iis locis ditiſſimus erat, matyrium*, id eſt ædiculam ſacram, ſuper tumulum ſuum *fabricaret*. Ex quo intelligitur eum ritum jam occæpiſſe. Hilarion ejus diſcipulus, dum in Cypro verſaretur, ait *e* Sozomenus, forte obiit mortem: „ a cujus inſulæ indigenis tumulo conditus eſt, ac magno in honore ac „ veneratione habitus. Poſtea vero Heſichas ipſius diſcipulus reliquias il„ lius clam abreptas deportavit in Paleſtinam, inque ſuo monaſterio ſepe„ livit: quo ex tempore dies feſtus maxima hominum frequentia & ſum„ mo ſplendore quotannis ab indigenis celebratus eſt. Addit Sozomenus, „ Palæſtinis id in more poſitum fuiſſe, bonos ac pios viros, qui apud ip„ ſos vixerint, eo honoris genere afficere: quod quidem erga Abrilium, „ Anthedonium, Alexionem, & Alaphionem monachos, qui exemplis & „ verbis ſuis gentem illam ad Chriſtianam religionem adduxerant, decla„ raverint. Sub idem tempus Nilammon perfectæ vitæ monachus, cum „ a Theophilo Alexandrino Gerarum epiſcopatum ſuſcipere cogeretur, „ impetratis unius diei induciis, in oratione ſpiritum Deo reddidit: cujus „ corpus involutum, ait *f* Socrates, quibus oportebat, publica ſepultura „ dignati ſunt, ac templum ſuper illius ſepulcrum (quod *martyrium* Hie„ ronymus in vita ſancti Hilarionis appellat) indigenæ conſtruxerunt, & „ magna cum ſollemnitate adhuc diem mortis ejus celebrant. Hæc qui„ dem ſæculo 4. at inſequenti magnopere auctus eſt Confeſſorum cultus, „ auctore Theodorito, apud quem *g* Marcianus, cui multi oratoria variis „ in locis ædificarunt; Theodoſius *h* Antiochenus itidem monachus, in æ„ de ſanctorum Martyrum depoſitus, eademque ipſa, qua divinus ac bea„ tus Aphraates, arca conditus; Macedonius *i* etiam & Maro *k* mona„ chi piiſſimi conſimili honore affecti ſunt. Ita res in Oriente ſe habebant, dum Occidentales Martinum & Hilarium Epiſcopos, alioſque præcipuæ ſanctitatis Confeſſores venerabantur. In Africana tamen eccleſia paucis admodum Confeſſoribus is honos tribuebatur ſæculo quinto, ut colligigitur ex Calendario Carthaginenſis eccleſiæ, quod in tertio Analectorum tomo vulgatum eſt. In Miſſali Mozarabum oblatio in Miſſa fiebat pro

d Hieron in vita S. Hilarion.

e Sozom. lib. 3. cap. 13.

f Socr. lib. 8. cap. 19.

g Hiſt. relig. cap. 3.

h cap. 10.

i cap. 13.

k Ibid.

ſpiritibus pauſantium Confeſſorum, paullo ſecius quam pro Martyribus, quorum commemoratio fiebat. Eodem tamen modo ante annos octingentos Confeſſores quidam inſigniores, Martinus, Auguſtinus, Gregorius, Benedictus, & alii ſimiles celebrabantur: ſed poſtea ſolis Martyribus hic honor relictus eſt, tametſi defunctis ſua etiam ſervata commemoratio. Verum apud Auguſtinum *a*, *Notum eſt, quo loco Martyres, & quo defunctæ ſanctimoniales ad altaris ſacramenta recitentur*: nempe *eo loco recitantur ad altare Dei*, ut *b* alibi dicit, *ubi non pro ipſis oratur, ſicut pro ceteris defunctis*. Alia enim erant diptycha ſanctorum, alia fidelium defunctorum, alia vivorum. Lege Cypriani epiſtolam 34. & Dionyſii librum de cæleſti Hierarchia cap. 3. Merito itaque in Synodo *c* Atrebatenſi damnati ſunt quidam hæretici, aſſerentes, ſolis Apoſtolis & Martyribus venerationem ab Eccleſia impendendam, Etſi enim Confeſſores *non ſenſerint gladium, tamen per vitæ meritum Deo digno martyrio non privantur: quia martyrium non ſolum effuſione ſanguinis, ſed abſtinentia peccatorum perficitur: & ipſi gloria Martyrum non carent; quia & voto, & virtute, & potuerunt eſſe martyres, & voluerunt.*

a Aug de virginitat. cap. 45.
b idem ſerm. 17. de verbis Apoſt.
c Spicil. to 13. pag. 47.

98. Hunc honorem ſive Martyribus, ſive Confeſſoribus tribuere Epiſcoporum erat (ut Bellarminus ipſe agnoſcit) in ſua cujuſque eccleſia. Id vero fiebat tum communi populi conſenſu, tum erectione altaris vel oratorii ſuper eorum tumulum, tum denique corporum elevatione. De oratoriorum erectione perſpicua jam loca retulimus ex Socrate Sozomeno & Theodorito: quibus fidem facit Ammianus *d* Marcellinus, tametſi profanus. *Dilaniata*, inquit, *cadavera peremptorum camelis impoſita vexit ad littus* gentilium multitudo, *iiſdemque ſubdito igne crematis, cineres projecit in mare*, nempe Dracontii & Diodori, *id metuens, ut clamabat, ne collectis ſupremis ædes eis conſtruerentur ut reliquis, quia deviare religione compulſi, pertulere cruciabiles pœnas adusque glorioſam mortem intemerata fide progreſſi, & nunc Martyres appellantur.* Hinc apud eumdem auctorem *e* baſilicæ Chriſtianorum a gentilibus *ſepulcra* dictæ ſunt. Atque ob eam fortaſſe rationem cautum eſt *f*, ne iis in locis, in quibus dubium eſſet aliquos non ſanctos fuiſſe ſepultos, oratoria conſtruerentur, ne videlicet inter ſanctos ignoti ejuſmodi homines colerentur: & Gregorius M. *g* permittit ſanctæ Agathæ reliquias in eccleſia quadam collocari, *dummodo nullum corpus ibi conſtet humatum*. Leo Marſicanus *h* in Chronico Caſinenſi teſtis eſt, oratorium fuiſſe conſtructum *ſupra corpus Landenolfi Principis*, qui innocens trucidatus fuerat, & miraculis coruſcare dicebatur. At vero cum in una eademque eccleſia diverſa ſanctorum corpora humata eſſent, ſingula ſingulis erecta ſunt altaria, ut ſuus cuique honor competeret. Tredecim in una eccleſia erant *i* Gregorii M. ætate. Denique falſo illi martyri apud Severum Sulpicium in vita ſancti Martini, *altare a ſuperioribus Epiſcopis conſtitutum habebatur*: quod ſancto Mayolo Abbati Cluniacenſi paullo poſt ejus mortem, atque ſancto Romualdo *poſt quinquennium ab ejus obitu* conceſſum eſt, teſtante Petro Damiani. Ritum deſcribit Prudentius de ſancto Vincentio ita canens:

d Ammian. lib. 22. cap. 11.
e Ibid.
f Greg. M. lib. 2 Epiſt. 9. Ind. 10.
g Id. lib 1. epiſt. 52.
h Chron. Caſin. lib. 2. cap. 57.
i Greg. M lib 5. epiſt. 50.

Sed mox ſubactis hoſtibus
Jam pace cunctis reddita;
Altar quietem debitam
Præſtat beatis oſſibus.
Subjecta nam ſacrario,
Imamque ad aram condita,
Cæleſtis auram muneris
Perfuſa ſubtus hauriunt.

Ejuſmodi altarium ſeu oratoriorum erectionem conſequebatur feſtivitas in ho-

Digitized by Google

honorem ſanctorum ab Epiſcopis inſtituta, de quibus Tertullianus in libro de Corona militis cap. 3. Cyprianus in epiſt. 34. & 37. Euſebius lib. 4. cap. 14. & alii. Confer obſervationes hac de re noſtras in Præfatione *a* Sæculi 2. ubi Martyres in cœmeteriis, priuſquam oratoria condere liceret, ſepultos & cultos fuiſſe demonſtratur. Ibidem etiam animadvertere licet Sanctorum tumulos, ædiculis ſuperſtructis, quas *ciboria*, *fredas*, & *repas* appellabant: quo in genere inſignis fuit Epiphanii Ticinenſis Epiſcopi tumulus, a vetuſto auctore deſcriptus *b* in hunc modum. *Primo ſancti Patris ſepulcrum ſollerti diligentia uſquequaque perluſtrantes, vident quod hypogeo ſpecu ad quinque pedes ſarcophagus, ut poſt claruit, infoſſus, deſuper marmore fulciebatur, quadrato inſuper adhuc muro exſtructo. Columna quoque nihilominus marmorea, altaris vice ejus honori dicata ſimul & nomini, caput verſus ſtabat erecta, baſis parte ſarcophagum occupans, ut geminam præſtaret gratiam, decorem ſcilicet & munimen.* Ita ſancti Epiphanii ſepulcrum ſæculo decimo ſe habebat Ticini, quo tempore ejus corpus Hildenesheimum translatam memoratur, Ottone Magno imperante.

a Præfat. Sæc. 2 num. 44. & ſ.

b Brovver. ſideraGerm to. 2. p. 78.

99. Ad elevationem corporum quod attinet, non tam antiqua eſt ejus inſtitutio ad canonizationem, quin & ritus diverſus. Sanctorum tumulos ornari primum mos erat. Cum vero ad elevationes ventum eſt, non in ſummum locum, ſed ſuper pavimentum erecti ſunt loculi ſanctorum. Id de ſanctis Agricola & Vitale apud Bononiam Italiæ urbem crucifixis tradit Gregorius Turonenſis Epiſcopus, *quorum ſepulcra ſuper terram ſunt collocata*. Itam etiam Lindisfarnenſes corpus ſancti Cuthberti Epiſcopi e tumulo efferre volentes, rem ad Eadbertum Antiſtitem referunt, iſque annuit eo pacto, ut ſacra ejus oſſa *in novo recondita loculo, in eodem quidem loco, ſed ſupra pavimentum dignæ venerationis gratia locarent c*, teſte Beda. Huc ſpectant quæ ad vitam ſancti Othmari *d* adnotavimus, ſed maxime in Præfatione Sæculi 3. ubi hoc argumentum fuſe tractatum eſt. Aliorum corpora extra eccleſiam ſepulta, novis induta veſtibus in eccleſiam inferebant, & novo tumulo ad eum modum recondebant, ut de ſancta *e* Ethildrita idem auctor memorat. Alia exempla retulimus alias. Translationibus de loco in locum, ne cauſa nundinationis id fieri contingeret, occurrit Carolus Magnus, condito Capitulari ad annum 801. de ſanctis noviter inventis, ut *niſi Epiſcopo probante* minime colerentur, *ſalva de hoc & de omnibus eccleſiis canonica auctoritate*. Et Concilium Moguntinum anni 813. in canone 51. *Deinceps vero corpora ſanctorum de loco ad locum nullus præſumat transferre ſine conſilio Principis, vel Epiſcoporum & ſanctæ Synodi licentia*. Id obſervatum in translatione corporis ſancti Hucberti, ex urbe Leodico in monaſterium Andaginenſe translati *f* Adalbaldi Colonienſis Archiepiſcopi permiſſu, annuente Ludovico Auguſto, qui rem ad Patres Aquiſgrani tunc congregatos retulit. Hæc anno 825. contigere. Ante biennium ſancti Urſmari Abbatis Laubienſis *elevatio facta eſt juſſu & permiſſu ejus, qui tum erat Cameracenſis Epiſcopus*, ſcilicet Halitgarii; *expletaque elevatione, diem illum feſtivum duxere*, ait Folquinus *g* in Chronico Laubienſi, *& poſteris celebrem eſſe ſanxere*. Eodem fere tempore, id eſt anno 828. *conſulto Stephano reverentiſſimo Tarvennenſis eccleſiæ Epiſcopo*, elatum eſt corpus ſancti Folquini *h* ejuſdem ſedis Antiſtitis; *elevatiſque ſancti corporis membris, in loco tumuli altare conſtructo, diem illam omnibus cantibus & gaudiis duxere feſtivam*. Et anno 865. ſancti Othmari Abbatis elevatio, annuente Salomone *i* Epiſcopo Conſtantienſi & Synodo, facta eſt. Denique ſub annum 950. referente Balderico *k* in Chronico Cameracenſi, cum Hadulfi Epiſcopi ſanctitas multis portentis oſtenſa eſſet, ædituus Engramno Epiſcopo rem propalavit: *qui teſtem idoneum animadvertens, ſanctum corpus levavit, & verbo facto ad populum beati Hadulfi ſollemnia in numero ſanctorum notificavit*.

c Bed. lib. 4. cap. 30.

d Sæc. 3. par. 2. pag. 161.

e Bed. lib. 4. cap. 19.

f Sæc. 4. part. 1. pag. 296.

g Spicil. to. 6. pag. 554.

h Sæc. 4 parte 1. p. 629.

i Sæc. 3. part. 2. pag. 164.

k Balderic. lib. 1. cap. 35.

Digitized by Google

100. Ab eo tempore Romani Pontificis auctoritas ad religioſa ejuſmodi facta requiri cœpit a nonnullis: ſed ita tamen, ut Epiſcopi, præſertim metropolitani, aliis in locis antiquam hac in re facultatem retinerent. Scio Bellarminum & alios id altius referre, nempe ad pontificatum Leonis III. qui ſanctum Suidbertum Epiſcopum regnante Carolo Magno ſanctorum catalogo adſcripſiſſe fertur. Editæ ſunt apud Surium litteræ tum Rixfridi Trajectenſis ad Rhenum Epiſcopi ad Ludgerum Monaſterienſem, petentis, *ut modum & ordinem elevationis & canonizationis* iſtius ſcriptis mandaret: tum ipſius Ludgeri id ipſum exſequentis. Verum has litteras ficticias eſſe demonſtravimus in *a* Sæculo 3. Non majoris momenti eſſe videtur ſancti Albani martyris canonizatio, quæ ab Hadriano Papa anno 794. per Offam Merciorum Regem obtenta dicitur apud *b* Spelmannum: tum quia longe ante iſtud tempus Albanus pro ſancto martyre habebatur, teſte Beda: tum quia hæc narratio nullo legittimo innititur teſtimonio, immo (ut quidem videtur) falſo. Nam in libro de vita Offæ ſecundi apud Matthæum *c* Pariſium, Offa dicitur conveniſſe Pontificem, non ad ſanctum Albanum inter ſanctos referendum; ſed *ad canonizandum & privilegiandum* ejus monaſterium *auctoritate Romani* Pontificis. Vero propius accedit id, quod Ekkehardus de beato Othmaro Abbate ſcribit, eum *auctoritate Romani Pontificis in ſanctum levatum* fuiſſe. Quamquam hunc auctorem habita ratione ſui temporis, nimirum ſæculi 11. quo Romani Pontificis ſuffragium in levandis ſanctorum corporibus requiri ſolebat, locutum fuiſſe inde colligitur, quod Iſo monachus, hujus elevationis oculatus & accuratus ſcriptor, eam a Salomone Conſtantienſi Epiſcopo factam memoret, nulla Romani Pontificis mentione facta, ut ſuo loco *d* monuimus. Nec refero iſtuc teſtimonium Egilvvardi *e* monachi de tranſlatione ſancti Burchardi Epiſcopi Herbipolenſis cum conſenſu Benedicti VI. & Imperatoris ab Hugone Epiſcopo facta, quoniam non ad canonizationem, ſed ad tranſlationem proprie pertinet.

a Sæc. 3. part. 1. pag 243.
b Spelm. to. 1. Conc. pag. 309.
c pag. 18. col. 2.
d Sæc. 3. part. 2. pag. 153. & 164.
e Ibid. pag. 717.

101. Primum itaque indubitatæ fidei monumentum de ſollemni per Romanum Pontificem canonizatione invenimus diploma Joannis XV. qui in frequenti Epiſcoporum conventu, ad preces Liutolfi Epiſcopi Auguſtani, Udalricum ejuſdem eccleſiæ Epiſcopum in ſanctorum album retulit anno 995. Has Joannis litteras damus integras in fine vitæ ſancti Udalrici: ſed fragmentum huc adducere juvat ad probandam canonizationis formam. *Cum conventus eſſet factus in palatio Lateranenſi pridie Kalendas Februarias, reſidente Joanne ſanctiſſimo Papa cum Epiſcopis & Preſbyteris, adſtantibus diaconibus & cuncto clero, ſurgens reverendiſſimus Liutolfus Auguſtæ Epiſcopus inquit: Domine ſanctiſſime Præſul, ſi vobis placet, & omnibus Epiſcopis & Presbyteris hic reſidentibus, libellus quem præ manibus habeo, coram vobis legatur de vita & miraculis venerabilis Udalrici, ſanctæ Eccleſiæ dudum Epiſcopi, & quid libitum fuerit vobis decernatur.* Iis perlectis ſanxit Pontifex, *quatenus memoria Udalrici jam præfati venerabilis Epiſcopi, divino cultui dicata exſiſtat, & in laudibus Dei diutiſſime perſolvendis ſemper valeat proficere.* Id vero a Liutolfo ea ratione factum exiſtimamus, ut ſancti Udalrici cultus, quem ipſe in ſola Auguſtenſi eccleſia inſtituere poterat, latius propagaretur auctoritate Romani Pontificis: quod alii poſtea in religionem verterunt.

102. In Gallia quidem Richardus Corbejæ Abbas, *miſſis ad Joannem XX. legatis*, ut ſcribit Gerardus, Adalhardi Abbatis elevationem fieri impetravit anno 1020. quod etiam de Paſchaſio Radberto conceſſum eſt anno 1073. In Alamannia vero Nortpertus Abbas ad ſanctum Gallum, *adminiculante Henrico Imperatore & conjuge ejus Agnete, hoc obtinuit apud dominum Apoſtolicum, Clementem ſecundum, recitata vita beatæ Vviboradæ ejuſque miraculis, de tamdiu neglecta re ab ipſo Papa redargutus, quatenus ipſam, præeunte Theoderico Conſtantienſi Epi-*

Digitized by Google

Epiſcopo, canonizaret; & pro ſancta haberi præciperet, & anniverſarium ipſius diei ſollemnizandum inſtitueret, ut ſcribit Burchardus monachus in cap. 6. Sub hæc Leo IX. anno 1053. Gerardum Tulli Leucorum Epiſcopum, Sanctis adnumerari præcepit *annuente ac laudante ſynodo Lateranenſi*, decernens, ut ex hoc ſanctus haberetur, colereturque 9. Kalendas Majas tam Tulli Leucorum, quam ubique terrarum, ſicut ceteri Sancti. Litteras pontificias habes ad calcem hujus libri. Wolfgangum item Ratiſponenſem Antiſtitem eodem honore decoravit idem Pontifex; cujus item permiſſu elevatum eſt corpus ſancti Bertini, tametſi inter ſanctos jam honorati, ut in Sæculo tertio Benedictino *a* legitur.

103. Succeſſit canonizatio Petri Anagnienſis Epiſcopi per Paſchalem II. qui compertis ejus pie factis atque miraculis per Brunonem Signienſem Epiſcopum, ejuſdem *b natalem tertio nonas Auguſti Sanctorum catalogo congrue celebrem* recoli mandavit anno 1105. Poſt quindecim annos Udalricus Conſtantienſis Epiſcopus vitam cum miraculis ſancti Conradi ejuſdem ſedis Epiſcopi litteris mandavit, præmiſſa epiſtola ad Calliſtum II. in qua dicit, ſe *pro ejuſdem Conradi gloria, ut moris eſt eccleſiarum, canonizanda*, Sedem apoſtolicam crebris interpellaſſe litteris, idque tandem reſponſi accepiſſe: *Vitam ejus in Concilio generali recitandam & comprobandam: teſtes inſuper ſignorum, quæ per eum fiebant ſeu facta ſunt, adhibendos*: quod ipſe hoc libro præſtiterit. Ubi obſervandum quod dicit de more jam recepto conſulendi Sedem apoſtolicam ſuper Sanctorum canonizatione, & de examine quod hac de re in Conciliis generalibus fieri deberet: quod totidem verbis repetit Eugenius III. infra. Poſtea Innocentius II. anno 1134. Hugonem Gratianopolitanum *c cognita vita ejus, & auditis quæ* per cum *fiebant miraculis, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, & Cardinalium, atque aliorum communicato conſilio, ipſum inter ſanctos & electos honorari præcepit, & diem aſſumptionis ejus ſollemniter celebrari*. Idem Pontifex *audita vita laudabili beati Sturmii d Abbatis Fuldenſis, cognitis etiam ex parte miraculis* ejus, *atteſtatione Epiſcoporum, qui de partibus Teutonicis advenerant, in plenaria ſynodo apud Lateranum congregata, communicato conſilio Patriarcharum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, atque Abbatum, eumdem beatum virum inter ſanctos & electos honorari præcepit, & diem depoſitionis ejus cum gaudio ſollemniter celebrari* anno 1139. De Henrico I. Imperatore exſtant apud Gretſerum Eugenii III. litteræ, qui Canonicorum Bambergenſium *e* petitionibus (*tametſi hujuſmodi petitio, niſi* IN GENERALIBUS CONCILIIS *admitti non ſoleret*) *auctoritate tamen S. R. E. acquieſcens, Archiepiſcoporum & Epiſcoporum, qui præſentes aderant, communicato conſilio*, Henrici *memoria inter ſanctos de cetero fieri, & anniverſarium ipſius diem ſollemniter celebrari conſtituit* anno 1152. Hæ ſunt inſigniores canonizationes a Romanis Pontificibus factæ ante Alexandrum III. qui earum poteſtatem ſibi ſuiſque ſucceſſoribus reſervavit primus, & poſt eum Innocentius III. quo ex tempore ab Epiſcopis nulla celebrata legitur.

104. Per illud autem intervallum temporis, nempe a ſæculo 10. quo Pontifices Romani ſuam in ſanctis canonizandis auctoritatem interpoſuere, ad Alexandrum III. nihilominus Metropolitani antiquum morem quodammodo retinuerunt, tum annuendo ſimul cum Papa ſanctorum elevationi & canonizationi, tum etiam ſola ſua auctoritate utrumque pro ſua eccleſia præſtando. Unde invento corpore ſancti Bertini, cum Bovo *f* Abbas Sithienſis, conſulto proprio Epiſcopo, de hac inventione & de ſcribendo ſuper ea libello certiorem feciſſet Widonem Remenſem Antiſtitem, is mandavit, ut cum hæc deſcripta eſſent, ſibi referrentur; iiſque relatis præcepit, ut *g* ſancti Bertini corpus levaretur, uti Leo IX. annuerat. Idem contigiſſe puto erga ſanctum Angilbertum, cujus vita & miracula *h* ab Anſchero Abbate ad Radulſum Remorum Antiſtitem directa ſunt. Quid actum ſit in elevatione corporis ſancti Guiberti fundatoris Gemblacenſis, docet relatio a nobis edita *i* ſuo loco. Nempe anno 1099. Si-

a Sæc. 3 part 1. pag. 147.
b Baron. ad an. 1105.
c Bolland. tom 1. April. pag. 35.
d Sæc. 3. Bened. parte 2. pag. 285.
e Gretſ. de divis Bamberg. pag. 63.
f Sæc. 3. parte 1. pag. 154.
g Ibid. pag. 163.
h Sæc. 4. parte 1. pag. 123. & 130.
i Hic pag. 311.

Digitized by Google

gebertus monachus, obtenta Abbatis ſui facultate, rem ad Otbertum Leodicenſem Epiſcopum refert. Deinde *ab Henrico Archidiacono cauſa defertur Frederico Colonienſium Archiepiſcopo*, qui *in Synodo generali* negotio diſcuſſo, tandem poſtulatis annuit : ubi *Synodi generalis* nomine intelligitur conventus præcipuorum eccleſiæ Colonienſis Sacerdotum, aut ejus ſuffraganeorum. Inſignes vero præ ceteris ſunt litteræ Hugonis Archiepiſcopi Rotomagenſis de elevatione ſancti Gualteri Abbatis Pontiſarenſis anno 1153. datæ, in quibus Archiepiſcopus commemorat, *invitantibus, immo & cogentibus miraculis miſſa ſuper hoc legatione & aſſenſu magnifici Remorum Archiepiſcopi Samſonis, & aliquorum Galliæ Pontificum*, Theobaldo Pariſienſi ejuſque æquivoco Silvanectenſi præſentibus, ſancti Gualterii reliquias a ſe levatas & translatas fuiſſe, conceſſis inſuper indulgentiis in eorum gratiam, *qui ipſius beati Gualterii beneficia implorarent*. Appoſite ad hunc locum Gerardus Epiſcopus Cameracenſis in Synodo Atrebatenſi ad annum 1025. cap. 2. ubi relato S. Martini facto in falſum martyrem, hæc ſubdit : *In talibus igitur locis, ſi quid huic ſimile evenerit, de quo majorum memoria nihil certum ferat, interdicant ſanctificationes, ne ritu* (ſic legendus hic locus mendoſus in editis) *gentilium fana idolorum antiquitus conſtructa pro ſacris venerentur; neve ſepultis temere divina ſolvantur, niſi per provincialem Epiſcopum vita ſepulti examinetur, ſi ſecundum Evangelium Chriſti fuit*.

105. Itaque a ſæculo 10. inquiſitio de piorum meritis & miraculis facta eſt tum per Romanos Pontifices, tum per Epiſcopos & Archiepiſcopos: & viſis ſcriptis datum diploma pontificium vel epiſcopale ad eorum ſanctitatem ſollemni modo declarandam. Jam vero Alexander III. id tamquam unam ex majoribus cauſis ad Romanum Pontificem pertinere edixit. Is pios complures vita functos hoc honoris titulo affecit, Eduardum Angliæ Regem anno 1161. itemque Theobaldum eremitam Vicentinum; Thomam Cantuarienſem Archiepiſcopum anno 1172. & poſt biennium Bernardum Abbatem Claræ vallenſem, qui primus Ciſtercienſium ſollemni hoc more in ſanctorum album relatus eſt.

106. Ab eo tempore certi ritus ad eam celebritatem adhibiti ſunt : quorum ſpecimen in canonizatione Bernvvardi Epiſcopi Hildeneſheimenſis [a] legere licet. Alia formula recentior exſtat apud Spelmannum in tomo 2. Angliæ [b] Conciliorum. Varias varii poſtea tradiderunt auctores, Jacobus Caſtellanus, Angelus Rocca, & alii, quos omnes uno volumine majori Carolus Felix de Matta ſuo modo complexus eſt anno 1678. Graviſſime Gregorius IX. in bulla pro canonizatione ſancti Antonii de Padua. *Ad hoc ut ſanctus habeatur apud homines in Eccleſia militante, duo ſunt neceſſaria, virtus morum, & veritas ſignorum, merita videlicet & miracula, ut hæc & illa ſibi invicem conteſtentur : cum nec merita ſine miraculis, nec miracula ſine meritis plene ſufficiant ad perhibendum inter homines teſtimonium ſanctitatis*. Sed hæc præter noſtrum inſtitutum : ad Indulgentias, quæ Sanctorum canonizationi non raro conjunctæ ſunt, veniamus.

[a] Brovver. Sidera German. pag. 57. & ſeqq.
[b] Spelman. to. 2. Conc. pag. 713. & apud Jacob. de Graffiis Deciſ. aur. parte 2. l. 2. cap. 13.

107. Indulgentiarum triplex quaſi gradus conſiderari poteſt : unus tempore Apoſtolorum, qualis fuit relaxatio ab excommunicatione inceſto illi Corinthio inflicta per Apoſtolum Paulum : ſecundus tempore Martyrum, cum ad eorum preces publica quibuſdam pænitentia remittebatur : tertius ſub defectum pænitentiæ publicæ, quæ ſæculo 9. non parum minui cœpit. Ab eo tempore datæ ſunt ad remiſſionem pœnæ peccatis impoſitæ, aut debitæ, quædam Indulgentiæ, aliæ aliis ampliores. Vigebat tamen per ea tempora pænitentiæ publicæ uſus : ſed ea redimi vel Miſſis aliiſque ſuffragiis, vel eleemoſynis, vel ſacris peregrinationibus aut piis operibus poterat. Patribus Concilii Cloveshovienſis anno 747. viſa eſt nova pænitentiæ per eleemoſynas redemptio, *nova adinventio, periculoſa conſuetudo*. Qua-

Digitized by Google

Quapropter *non ſit*, inquiunt, *eleemoſyna porrecta ad minuendam vel mutandam ſatisfactionem per jejunium & reliqua expiationis opera, a Sacerdote Dei pro ſuis criminibus jure canonico indictam: ſed magis ad augmentandam emendationem ſuam, ut eo citius placetur divinæ indignationis ira, quam ſuis provocavit ſibi propriis meritis*. Totum hoc capitulum, ſcilicet 26. integrum eſſet referendum, niſi brevitati ſtuderemus.

108. Prævaluit tamen paullatim ejuſmodi redemptio pænitentiæ: ſed poſtea compendioſior viſa eſt Indulgentiarum via. Iſtæ mortuis primum conceſſæ videntur. Nam Joannes *a* Papa VIII. Indulgentiam his qui in bello contra paganos annos 878. occubuerant, vel in futurum occumberent, conceſſit; eamdemque gratiam a Joanne IX. petierunt Bajoariæ Epiſcopi pro Arnulfo Imperatore *b* mortuo, cujus animam ipſius auctoritatis poteſtate abſolvi poſtularunt. At vivis Salomon Conſtantienſis Epiſcopus in Cœna Domini *indulgentiam dediſſe* perhibetur apud *c* Ekkehardum; id eſt abſolutionem, quæ in Cœna Domini quotannis ab Epiſcopo impertiri ſolebat.

a Epiſt. 50.

b Metrop. Saliſb tom. 1. pag. 47.

c Goldaſt. pag. 47.

109. Sed alia Indulgentiarum notio, cum peccatorum pœna vel partim, vel omnino remittitur: unde Indulgentiæ plenariæ, vel ad certum tempus definitæ. Sergius II. *indulgentiam trium annorum & trium quadragenarum* omnibus, qui eccleſiam ſanctorum Silveſtri & Martini viſitaſſent, conceſſiſſe traditur. Sed vereor ut explorata ſit hac de re auctoritas, quam ex marmorea tabula Baronius deſcripſit ad annum 847. Indulgentias quidem ſequenti ſæculo legimus, ſed non hoc modo definitas. Certior eſt illa, quam Salomon Conſtantienſis Epiſcopus a Papa accepit. Ille ob procuratam trium adverſariorum ſuorum necem Romam petiit, *veniam d* petiturus. A Papa *vero benigne ſuſceptus, cum ibi ſupplicans aliquamdiu moraretur, indulgentiam ſibi ab eo plorans petiit. Tandem ab Apoſtolico indulgentiam adeptus* domum revertitur. Eamdem gratiam Uldaricus Auguſtenſis Epiſcopus accepiſſe memoratur *e* apud Gerardum. Is quippe Romam ultimo profectus, *votorum antea ibi diſpoſitorum promiſſionibus devotiſſime expletis, & graviſſimorum emolumentorum & Indulgentiarum donis acceptis reverſus eſt*. Ita indefinite tunc temporis Indulgentiæ concedebantur, ſequenti ſæculo ad certum tempus, vel in perpetuum, & quidem paſſim occaſione dedicationis eccleſiarum. Benedictus IX. anno 1040. indulget, ut *omnis pænitens*, qui ad limina eccleſiæ ſancti Victoris Maſſilienſis recens dedicatæ *tritis paſſibus* venerit, eccleſiæ fores ſibi pateant, & indultis *facinoribus peccaminum, omnium criminum ſqualoribus abſolutus*, libere ad propria lætus redeat, *eo ſcilicet tenore, ut tranſacta peccata ſacerdotibus confiteatur, & de reliquo emendetur*. At celebris præ ceteris & plena fuit Indulgentiarum gratia ab Alexandro *f* II. impertita in dedicatione eccleſiæ Caſinenſis, nempe tam iis quos tunc præſentes eſſe contigerat, quam omnibus qui per octo continuos dies eo conventuri eſſent *confeſſorum peccatorum abſolutione* conceſſa. Urbanus II. anno 1098 Andegavos profectus eſt. *Tunc in Septuageſima*, inquit Fulco *g* Comes, *dedicata eſt* eccleſia ſancti Nicolai ab ipſo Papa: qui *edicto* juſſit, ut *in eodem termino, quo dedicationem fecerat, Indictum publicum celebraretur unoquoque anno apud ſanctum Nicolaum, & ſeptima pars pænitentiarum populo convenienti ad illam celebritatem dimitteretur*. Idem factum anno 1120. a Calliſto II. qui dedicata Maurinianenſi prope Stampas eccleſia *h*, *annuam peccatorum remiſſionem in dedicationis anniverſario conſtituit*. Anno 1146. Eugenius III. ad ferendas locis ſacris ſuppetias Fideles animavit Indulgentiæ plenariæ beneficio, ut *omnium, de quibus corde contrito confeſſionem feciſſent, indulgentiam obtinerent*, teſte Bernardo *i*, qui alibi eam *largiſſimam* appellat. Sæculo inſequente *pænitentibus & confeſſis quadraginta dies de injunctis pænitentiis* ab Innocentio III. relaxati his, qui ad ſanctum Dionyſium, reliquias ſancti Dionyſii Corinthiorum Epiſcopi veneraturi, accederent, uti Guillelmus *k* Nangius teſtatur. Verum Concilium Lateranenſe anni 1215. ſub eodem Innocentio Indulgen-

d Ekkehard. cap. 1. pag. 45.

e S. Udalrici vita num. 61.

f Chron. Caſin. lib. 3. cap. 31.

g Spicil. to. 10. pag. 396.

h Cheſn to. 4. pag. 369.

i Bernard. Epiſt. 322. n 5 V Epiſt. 394.

k Spicil. to. 11. pag. 501

tiarum frequentiam cap. 62. improbat, *quia*, inquit, *claves Eccleſiæ contemnuntur, & pænitentialis ſatisfactio enervatur*.

110. Denique ex eodem auctore Bonifacius VIII. anno 1300. *indultum faciens concedit plenam indulgentiam peccatorum omnium cunctis vere pænitentibus & confeſſis, accedentibus per anni præſentis ſpatium, & per quemlibet affuturum annum centeſimum ad beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli baſilicas urbis Romæ voto peregrinationis humiliter & devote*. Eadem Indulgentia *omnibus vere pænitentibus* conceſſa eſt ſingulis quinquagenis per Clementem ſextum anno 1350. teſtante Nangii Continuatore : quod demum ad ſingulos annos viginti quinque extenſum eſt. Plenariæ id genus Indulgentiæ poſtea conceſſæ pro felici promotione cujuslibet Pontificis & qualibet gravi cauſa, ſed addita ſacræ communionis conditione. Nec omittendum hoc loco quod Clemens ſextus anno 1348. *abſolutionem a pœna & culpa* a *ex peſte decedentibus, per ſuos Confeſſores* impertitur.. Alias Clementis V. Indulgentias legeſis in Spicilegii *b* tomo 4.

a Ibid. pag. 309.
b Spicil. to. 4. pag. 284. 290. & 295.

111. Epiſcopi etiam jamdudum Indulgentiarum conceſſione uſi ſunt. Inter primos Pontius Arelatenſis Antiſtes anno milleſimo, cum Montis-majoris eccleſiam dedicaſſet, hanc gratiam ei largiri voluit *cum ſuorum Canonicorum aſſenſu*, ut ſi aliquis in eam veniens fuerit talis, qui *per indictam ſibi pænitentiam non introeat eccleſiam, nec communionem ſacri corporis Chriſti aut oſculum pacis accipiat, nec capillos ſibi tondat aut radat, nec linum veſtiat, nec ſpiritales filiolos de ſancto fonte ſuſcipiat; nec feria ſecunda, aut quarta, aut ſexta aliquid guſtet præter panem aut aquam* : (quæ ſunt pænitentiæ publicæ ſigna) *hic talis ad jam dictam eccleſiam ſi venerit, in die videlicet dedicationis ejus, aut ſemel in anno cum ſua vigilia, & adjutorium dederit ad opera eccleſiæ ſanctæ Mariæ, quæ modo noviter conſtruitur in prælibato monte; ex parte Domini noſtri Jeſu Chriſti & ex noſtra ſit abſolutus ab ipſo die, quo ſuam vigiliam fecerit, de tertia parte majorum peccatorum, unde pænitentiam habet acceptam, uſque eo ad ipſum diem revertentis anni, vel datarum, in quo dedicatio celebrabitur prælibatæ eccleſiæ: & habeat licentiam intrandi in totas eccleſias per totum ipſum annum, communicandi & pacem accipiendi, & tondendi & radendi, & lini veſtiendi, & filiolos de ſacro fonte ſuſcipiendi, excepto Quadrageſimali tempore & jejuniis de quatuor temporibus. Et ſi tres dies de ſeptimana ſunt ei vetati per pænitentiam, unnm reddimus ei, ut comedat & bibat quod ei Deus dederit. Et ſi duo, unum reddimus ei: & ſi unus, illum reddimus ei tali tenore, ut paſcat tres pauperes.... Denique illos qui de minoribus peccatis ſunt confeſſi, & habent acceptam pænitentiam, ſi venerint ad dedicationem prædicta eccleſiæ, aut ſemel in anno cum ſua vigilia, & cum adjutorio ad opera ſanctæ Mariæ; abſolvimus de una medietate acceptæ pænitentiæ uſque ad unum annum, vel datarum, in quo dedicatio celebrabitur prædictæ eccleſiæ*. Hæc fuſius ex Pontii *c* epiſtola referre viſum eſt, quod multum conferant ad hoc argumentum illuſtrandum: cetera quæ ſequuntur conſulat qui volet.

c Spicil. to. 6 pag 427.

112. Ejuſdem ferme tenoris eſt alia epiſtola Rajambaldi *d* Epiſcopi pro dedicatione eccleſiæ ſanctæ Mariæ de Correno, ut *pænitenti, qui ad eam in conſecratione* ejus advenerit, *tertiam partem pænitentiæ* remittat Epiſcopus, & *eccleſiam*, id eſt ejus ingreſſum, *uſque ad caput anni* ei reddat & pacem, ſimulque facultatem incidendi capillos &c. quæ ad annum 1065. referuntur. Hanc vero poteſtatem Raimbaldus *a ſancto Petro* ſe accepiſſe dicit. Paullo aliter Anſelmus Mediolanenſis Pontifex, poſt dedicationem a ſe factam eccleſiæ ſancti Sepulcri, inter alia *e* ſtatuit, ut octo diebus ante recurrentem ſollemnitatem & octo poſtea, *eſſet pax & tregua per totum Comitatum*, ut quicumque ad ipſum Domini ſepulcrum ire non potuerit, & ad iſtam eccleſiam acceſſerit, *remiſſionem ſuorum tertiæ partis delictorum habeat*. Actum anno 1100. Inſignes ſunt hac de re Hugonis Romagenſis Pontificis litteræ de elevatione corporis ſancti Gualteri Abbatis Pontiſarenſis. Ea enim occaſione *de pænitentiis criminalium, quæ ſepten-*

d Ibid. pag. 441.
e Puricel. pag. 481.

Digitized by Google

ptennio concluduntur, pie confitentibus & vere pænitentibus annus integer, & reliquorum annorum pars tertia relaxatur. His vero qui annorum quatuordecim pænitentiam ſuſceperunt, duo anni integri, & reſidui temporis pars tertia condonatur: *viginti autem annorum tres anni, & reſidui temporis pars tertia. De pænitentis vero quadraginta annorum & amplius totam medietatem remittit, & reliquorum annorum partem tertiam condonat. De parvulis vero qui baptizati, vel ſine baptiſmo infra ſeptem annos mortui ſunt per negligentium parentum, pænitentiam parentum ipſorum remittit, excepta ſexta feria in hebdomada*: *in qua etiam ſi pænitens ad eccleſiam acceſſerit, qualem charitatem ei Presbyter ſuus dederit, talem habeat. Si vero infirmus fuerit, aut mulier prægnans vel debilis quæ jejunare non poſſet, dicat ſepties* Pater noſter, *& faciat bonum quod potuerit. Partem denique tertiam de pænitentia minorum peccatorum remittit, ſed & oblita peccata omnino condonat*. Ex quibus omnibus intelligimus, pœnas peccantibus pro gravitate criminum ad normam veterum canonum etiam tunc fuiſſe impoſitas, a quibus Indulgentiarum beneficio relaxatio tribuebatur.

113. Præter dedicationem eccleſiarum & cultum quorumdam ſanctorum ſpecialem, alia fuit etiam cauſa inſtituendi Indulgentias, nimirum conſtructio eccleſiarum. Illud vero obſervatione dignum in lib. 2. de vita ſancti Stephani Abbatis Obazinenſis apud clariſſimum *a* Baluzium, quod cum Abbas piiſſimus eccleſiæ ſuæ jactis fundamentis urgeretur ab Epiſco- „ po, ut ad tanti operis ſupplementum, *ſicut fere cunctis ædificantibus mos* „ *eſt, populos commoneret litteris indulgentiarum largitate refertis*; tamen „ ei vir ſanctus *numquam acquieſcere voluit, dicens*: *Nos talem conſuetu-* „ *dinem introducere nolumus, ut populis ſcandalum & nobis ignominiam ad-* „ *quiramus, circumeundo eccleſias, oſtendendo beneficia, Indulgentias lar-* „ *giendo, quas dare non poterit niſi ſolus Deus*. Cum vero idem domum novam alibi ædificare vellet, a quibuſdam compulſus eſt commonitorias ejuſmodi litteras a loci ejus Epiſcopo poſtulare, ut domui illi ædificandæ populus beneficia impertiret. Epiſcopo annuente, litteræ ſcribi cœptæ. *Cumque ventum eſſet ad Indulgentiarum locum, mandat Abbati, quantum indulgentiæ his, qui in hac fraternitate ſe mitterent, vellet adſcribi*: *cui ille ita* „ *remandavit*: *Nos, inquit, Domine, noſtra adhuc premunt peccata, nec* „ *poſſumus levare aliena. Quod audiens Epiſcopus lætus erubuit*, & viri Dei factum magnopere laudavit, ut certe merebatur tantus animus, a cupiditate adeo alienus.

a Miſcel. to. 4. pag. 130. & ſeqq.

114. Quod audis poſtulaſſe Epiſcopum, *quantum Indulgentiæ* Abbas vellet litteris adſcribi: illud forſan ob id factum eſt, quod tunc Indulgentiæ gratiam augere penes Epiſcopos ſtaret. Poſtea vero ad quadraginta dies hæc poteſtas contracta eſt ante annum 1284. Ipſo namque anno Simon Bituricenſis Archiepiſcopus Abbatiam Angliæ diœceſis Pictavenſis viſitans, multis cruce ſignatis pro negotio Aragoniæ *b*, *auctoritate domini Papæ & Legati centum dies Indulgentiæ contulit, & auctoritate ſua quadraginta*. Decem tantum indulgentiæ dies ineunte ſæculo 14. Henricus Epiſcopus Namnetenſis iis indulget, qui remanent in Miſſa uſque ad finem: quod Daniel ejus ſucceſſor vere pænitentibus & confeſſis approbat, dum tamen ab elevatione Euchariſtiæ ſanctæ uſque ad elevationem calicis ſteterint genibus flexis. Adeo languens erat tunc temporis pietas, ut hoc ſtimulo indigeret! Longe ardentior erat ſæculo decimo fides ac devotio ſanctorum Antiſtitum Brunonis & Vvolfgangi, qui etiam morte imminente, ſacrum Viaticum toto *corpore* in terram *proſtrato* ſuſceperunt. Sed ut ad propoſitum revertar, etſi ad quadraginta dies paſſim redactæ eſſent Epiſcoporum Indulgentiæ; nihilominus Joannes de Ordine Teutonicorum, Laconienſis Epiſcopus, monaſterium Suteranum diœceſis Argentinenſis in Aleſatia viſitantibus relaxat *c centum dies criminalium, & annum venalium*, anno 1288.

b Ibid. pag. 211.

c Iodoc. Coccius de Dagobert. cap. 9.

Digitized by Google

1288. Generalis & plena eſt Indulgentia beatæ Mariæ de Portiuncula, ab erudito Baluzio edita in tomo 4. Miſcellaneorum. Ut paucis finiam, Dominicus de Aſtallis, Epiſcopus Fundanus *a*, nulla contritionis aut confeſſionis facta mentione, quadraginta dies de injunctis pœnitentiis relaxat ſingulis Fidelibus eccleſiam beati Martini in Valle Cuſſa viſitantibus in præcipuis anni feſtis: qui ſcilicet dictam eccleſiam & ſignum crucis ſuper imaginem beatæ Mariæ Virginis a ſe impreſſum adierint, recitatis *Pater noſter* & *Ave Maria*. Sed de Indulgentiis ſatis. De hac ſalutatione, aliiſque in beatam Virginem piis officiis, quæ ſæculo decimo multum crevere, operæ pretium eſt quædam adnotare.

a Ital. ſac. tom. 1. col. 772.

115. Etſi ab ineunte Chriſti Eccleſia beatiſſimæ Virginis Mariæ cultus receptus (ut decebat) propagatuſque ſit; ſubinde tamen incrementum accepit. Neque illud inſuper habendum, quod ex quatuor primis Conciliis unum, ſcilicet Epheſinum, ad aſſerendam ipſi Matris Dei ſuperexcellentem dignitatem coactum ſit in eccleſia eidem nuncupata, ubi multis (ut par erat) elogiis a Patribus donata eſt. Procedente tempore ſenſim in ejus honorem varia feſta ſtatuta ſunt: at ſeculo decimo pronior in ipſam Fidelium devotio facta. Tria quippe ſub id tempus inſtituta ſunt, videlicet ſabbato ejus memoria, & abſtinentia a carnibus etiam extra jejunia; officium parvum; & numeratæ preces ſeu ſalutationes angelicæ ad numerum dictæ, quod *Coronam* vel *Roſarium* vocant.

116. Ante finem ſæculi 10 extra Quadrageſimam & quatuor jejuniorum tempora, abſtinentiam a carnibus ſabbato non fuiſſe præceptam inde liquet, quod nullus (ſi non fallor) veterum ejus meminit. Certe eam non præſcribunt Nicolaus I. in reſponſionibus quarta & quinta ad Bulgaros, neque Eadgari leges capitibus 17. & 22. neque canones Ælfrici capitibus 22. & 23. Hanc porro anno milleſimo inductam fuiſſe tradit Glaber Rodulfus in lib. 4. cap. 5. & quidem in gratiarum actionem Deo ob redditam abundantiam & pacem, præceptumque, *ut omnibus hebdomadibus ſanctione perpetua ſexta die abſtineretur a vino, & carnibus ſeptima, niſi forte gravis infirmitas compelleret, aut celeberrima ſollemnitas interveniret*. Hanc conſtitutionem confirmavit Gregorius Papa VII. in Concilio Romano, addita etiam exceptione de *majori feſtivitate vel infirmitate*. Tempore Petri Venerabilis *abſtinebant Dei cauſa ipſi mimi vel lixæ a carnibus omni ſabbato*, ex lib. 6. epiſtola 15. Atqui tunc ſabbatum beatiſſimæ Virgini ſpeciali titulo dicatum erat. *Unde pulcher mos*, inquit Petrus *b* Damiani, *in nonnullis eccleſiis inolevit ut ſpecialiter ad ejus honorem per omne ſabbatum Miſſarum celebrentur officia, niſi forte feſtivitas, vel feria Quadrageſimalis obſiſtat*. Et infra *c*. *Sabbatum enimvero, quod requies interpretatur, ſatis congrue beatiſſimæ Virgini dedicatur*. Nempe quod *Sapientia in ea per humilitatis aſſumptæ myſterium velut in ſacratiſſimo lectulo requievit*. Eamdem ob cauſam Sugerius ſingulis ſabbatis peculiarem de beata Maria commemorationem inſtituit, uti ipſius Conſtitutio *d* probat.

b Petr. Damian opuſc. 33. cap. 3.
c cap. 4.
d Cheſn. to. 4. pag. 546.

117. Eodem tempore parvum Deiparæ officium in uſu erat. Udalricus quippe Auguſtanus Epiſcopus, unum *Curſum e in honore ſanctæ Mariæ genitricis Dei* quotidie recitabat. De eodem officio intelligendus Continuator hiſtoriæ Virdunenſis in Berengario *f*, qui ſedit principatu Ottonis Magni. Iſte Berengarius ad eccleſiam beatæ Mariæ deſcendens aliquando, invenit clericum quemdam ſolo poſtratum, *beatæ Mariæ memoriam celebrantem*, id eſt *matutinarium beatæ Virginis curſum*, uti explicat Hugo Flaviniacenſis Abbas in Chronico, ubi hunc clericum Bernerium vocat, ejuſdem eccleſiæ Præpoſitum. De aliis duobus clericis, qui quotidie beatiſſimæ Deiparæ officium recitabant, agit Petrus Damiani in lib. 6. epiſt. 29. & Opuſculo 10. cap. 10. Edidit ipſe ejuſmodi officium, vulgatum initio tomi 4. ejus operum. Urbanus II. in Concilio Claromontano ſtatuit, *ut horæ beatæ Mariæ quotidie dicerentur, officiumque ejus diebus ſabbati fieret*, ex Gaufrido

e Vita num. 44.
f Spicil. to. 12 pag. 263.

Digitized by Google

do *a* Priore Voſienſi. Adi librum, qui *Gemma animæ* inſcribitur, ſecundum; Conſuetudines Cluniacenſes, Petri Venerabilis ſtatutum 60. & ſequentia, Acta Cenomannenſium Epiſcoporum in Analectorum tomo 3. cap. 38. & Matthæum Pariſium in Willelmo Abbate ſancti Albani vigeſimo ſecundo: ubi beatæ Mariæ cultum & officium varie a diverſis inſtitutum invenies. Hæc enim curſim tetigiſſe ſufficiunt ad finem properanti.

a Lab. Bibl. nova to. 2. pag. 292.

118. Admonet nos hic locus agere de Salutationis angelicæ origine & progreſſu, ac de pio illo precandi modo ad numerum compoſito, qui *Corona* vel *Roſarium* beatæ Mariæ appellatur. Minutiora ſunt hæc, fateor, ſed tamen majoribus præferunt lucem, ut canoni decimo Concilii Celichitenſis, anno 816. in Anglia celebrati, in quo *Beltidum* nomine Roſarium ſignificari Spelmannus exiſtimat, quod eruditiſſimus Cangius in dubium revocat.

119. Sed antequam id expendamus, de ſalutatione angelica quædam præmittenda ſunt. Hujus duæ ſunt partes: quarum una ſalutationem ipſam, ex verbis Gabrielis Archangeli & Elizabethæ apud Lucam relatis contextam, continet; altera precationem, qua Fideles beatiſſimæ Virginis ſuffragia, maxime in horam *mortis*, petunt. Illa antiquior, hæc longe recentior eſt. Quippe ſalutatio illa auctorem habere videtur Gregorium Magnum, qui in Offertorio (ut vocamus) Dominicæ quartæ Adventus, eam adhibuit. Scimus eamdem referri in Liturgiis Jacobi, & aliis vulgatis: ſed a poſterioribus adjectam fuiſſe nemo jure dubitaverit. Prima ſalutationis pars, quæ Angeli eſt, ab antiquis Patribus *b* commendatur. Integra legitur in vita Hildefonſi Epiſcopi Toletani *c* ante annos ſeptingentos ex Hiſpania ſub nomine Juliani Epiſcopi allata. In vulgari apud Fideles uſu non videtur fuiſſe ante ſæculum 11. In omnibus enim ſtatutis, quæ cuique quid ſciendum aut diſcendum ſit explicant, ſola Oratio Dominica & Symbolum Apoſtolorum proponuntur. Eligius in homilis ad populum ab Audoeno relatis: *Symbolum & Orationem Dominicam cum Fide & devotione dicite*. Ita fere apud Bedam in epiſtola ad Egbertum a Waræo edita, in libello Pirminii *d* Abbatis, apud Ahitonem ſeu Attonem Baſileenſem, Theodulfum atque Walterum in ſuis Capitularibus Aurelianenſes ſæculo 9. & 10. Epiſcopos: ita in ſermone Leonis Papæ IV. *Attendite ut parochianis veſtris Symbolum Apoſtolorum, & Orationem Dominicam inſinuetis*: quæ verba repetit etiam Ratherius Veronenſis Epiſcopus in ſua Synodica. Denique non alio modo loquuntur Concilia Cloveshovienſe in Anglia can. 10. & Germanica, Francofordienſe, Moguntinum anni 813. & alia. Et ne quis dicat Salutationem angelicam, quæ Orationi Dominicæ a noſtris adjungi ſolet, ipſius Orationis Dominicæ nomine late ſumpto ſignificari; occurrit liber Precum Hemmæ Reginæ, Lotharii Francorum Regis conjugis, in bibliotheca Remigiana aſſervatus; in quo Oratio Dominica & Symbolum integra abſque hac ſalutatione referuntur: uti utraque Alamannice converſa exſtant in Notkeri Balbuli Pſalterio ms. & ex eo apud Goldaſtum. Venerabilis Beda ante Notkerum ſacerdotibus idiotis *hæc utraque, & Symbolum videlicet & Dominicam Orationem, in linguam Anglorum translatam obtulit*. Id teſtatur ipſe in epiſtola ad Egbertum: in qua *Fidem catholicam, quæ Apoſtolorum Symbolo continetur, & Dominicam Orationem* Fidelium memoriæ radicitus infigi poſtulat; & ab idiotis *ſua lingua dici, ac ſedulo decantari*. Denique ſalutatio iſta Fratribus laicis & illiteratis non præſcribitur in Statutis Guigonis, ſed neque in Regulis Templariorum, Carmelitarum, & Minorum, nec in Teſtamento ſancti Franciſci, nec demum in ritibus Humiliatorum, teſte Joanne Vitriaco. Et Guigo quidem *trecentas Orationes Dominicas* ab eis exigit pro ſingulis defunctis cap. 43. ubi Orationis Dominicæ non ſemel, nuſquam ſalutationis angelicæ meminit.

b V. Petr. Caniſ lib. 3. de B Mariæ cap. 10. & ſ.
c Sec. 2. Bened. pag. 521.
d Analect. tomo 4.

a Cap. 3 pag. 252.

120. Inter primos Petrus Damiani in Opuſculo *a* 33. narrat de quodam clerico qui quotidie eam recitabat uſque ad hæc verba, ***in mulieribus***. Qui breve Deiparæ officium frequentabant, hoc Invitatorio ad Pſalmum 94. utebantur, *Ave Maria gratia plena Dominus tecum*, ut ex facto cujuſdam clerici aquis Sequanæ merſo legitur in nova ſancti Anſelmi *b* operum editione. Apud Ciſtercienſes, quorum ab initio magna fuit in ſanctiſſimam Virginem veneratio, fratres Converſi ejus ſalutationem recitare ſolebant, ſicut intelligitur ex libro, quod Exordium *c* magnum appellatur. Attamen Uſus Ciſtercienſes *d* eo tempore ſcripti præcipiunt fratribus omnibus, ut *dicto Completorio ſignent ſe, & dicto* AMEN *dicant Orationem* PATER NOSTER & CREDO IN DEUM. Quamquam Rainaldus, Claravallenſis ſub ſancto Bernardo monachus, piam hanc ſalutationem moriens frequentaſſe memoratur apud Herbertum cap. 1. In inſtitutionibus *e* vero ſæculo 13. collectis præcipitur, *ut nullus Converſus habeat librum, nec diſcat aliquid, niſi tantum* PATER NOSTER & CREDO IN DEUM, MISERERE MEI DEUS, & AVE MARIA.

b Anſelm. op. pag. 506.

c Exord. mag. Diſt. 4. cap. 13.

d Nomaſt. Ciſt. pag. 185.

e Inſtitution. diſt. 14. cap. 2.

121. Odo Pariſienſis Epiſcopus, Mauricii ab anno 1196. ſucceſſor, inter primos ſtatutum edidit in Conſtitutionibus communibus num. 10 *Exhortentur populum ſemper Presbyteri ad dicendam orationem Dominicam*, & CREDO IN DEUM, & *ſalutationem beatæ Virginis*. Idem omnino totidem verbis anno 1246. præſcribitur a Decanis eccleſiæ Rotomagenſis apud noſtrum Pomerayum. Deinceps Salutationis angelicæ precatio fere in legem evaſit apud omnes.

122. Eam hora ignitegii ſub concubium ter recitari Joannes XXII. Indulgentiis datis ſtatuit. Admiſit hoc decretum Synodus Senonenſis anno 1346. ita enim cap. 13. *Item auctoritate dicti Concilii præcipimus, quod obſervetur inviolabiliter ordinatio facta per ſanctæ memoriæ Joannem Papam XXII. de dicendo ter* AVE MARIA *tempore ſeu hora ignitegii: in qua ordinatione conceditur certa Indulgentia* &c. Addit ſynodus *triginta dies* auctoritate ſua, & ſuffraganeorum *viginti dies* pro iis qui tunc *Pater noſter* & *Ave Maria* perſolverint pro Eccleſia, Rege, ac regia familia, regnique ſtatu. Poſtea idem ritus inductus eſt ad matutinum tempus & mediam diem. In Synodo Vaurenſi anni 1368. rectoribus & curatis parochiarum ſub pœna excommunicationis præcipitur *f* cap. 127. ut circa ſolis ortum *pulſari faciant unam campanam* eo modo, quo ad noctem pulſari ſolebat: & tunc iis qui in honorem quinque vulnerum Chriſti Domini quinquies Orationem Dominicam, atque ſepties angelicam ſalutationem *genibus flexis* dixerint, *triginta dies de injunctis pænitentiis* relaxantur. Poſtea vero hic numerus ad tres Salutationes redactus eſt. In ſtatutis Franciſci de Puteo, Cartuſiæ majoris Prioris ab ineunte ſæculo 16. ita legimus cap. 1. *In omnibus domibus Ordinis, quæ ſunt ſub ditione domini Regis Franciæ, ſingulis diebus hora meridiei ex ordinatione apoſtolica pulſetur campana pro* AVE MARIA, *pro pace dicti regni conſervanda, eo modo quo pulſatur hora Completorii: & ſingulæ perſonæ earumdem domorum dicant tribus vicibus* AVE MARIA, *pro quibus vice qualibet trecentos dies de Indulgentia ex indulto apoſtolico conſequentur vere pænitentes & confeſſi*. Ex quo intelligitur, hunc morem a Gallia incœpiſſe ſub initium ſæculi 16. Certe in hiſtoria monaſterii noſtri Pariſienſis, id eſt ſancti Germani a Pratis, apud Jacobum Brolium legitur, Leonem X. Guillelmo Briconetto Epiſcopo Meldenſis & Lutevenſis civitatum, atque ejuſdem monaſterii Abbati conceſſiſſe, ad ſpiritualem utilitatem utriuſque diœceſis ſuæ, & ſuburbii ſancti Germani indigenarum atque adventantium, ut quicumque ad pulſum campanæ in aurora, meridie, & poſt ſolis occaſum, ſalutationem angelicam ter genibus flexis recitaret, mille & quingentos Indulgentiarum dies ſingulis vicibus conſequeretur.

f Baluz. Conc Narbon. pag. 383.

123. An

123. An tunc temporis jam addita eſſet precatio, quæ ſalutationi ſubjuncta eſt, merito dubitari poteſt. Et quidem ſæculo 15. nondum addita fuerat hæc appendix ſalutationis, quæ a *Sancta Maria* incipit. Urbanus IV. poſt *fructus ventris tui* addidit *Jeſus Chriſtus amen*, ut mox notabimus. Unde Joannes Cele *a* Canonicus regularis Windeſemenſis hæc verba dicere conſuerat, ſed addito, *qui eſt glorioſus Deus benedictus in ſæcula*. Appendix *Sancta Maria* non reperitur in libellis precum, tam editis, quam mſſ. ante annum 1500. Ex editis anni 1498. Pariſiis apud Simonem *Voſtre* ſalutatio deſinit in *Jeſus Amen*. Item in expoſitione Salutationis ibidem vulgata apud Joannem Lambertum anno 1494. nulla fit mentio de illo additamento. Verum in Breviario Cartuſiano apud Thielmannum *Kerver* edito anno 1521. occurrit ante parvum beatæ Mariæ officium uſque ad *pro nobis peccatoribus amen*; itemque in horariis precibus ad uſum ejuſdem Ordinis Pariſiis apud relictam ipſius Thielmanni anno 1551. editis. Denique in Breviario Franciſcanorum apud eumdem Thielmannum anno 1525. impreſſo additur, *nunc & in hora mortis amen*: uti etiam in Breviario Religioſorum, qui a redemptione captivorum nomen acceperunt, excuſo Pariſiis anno 1514. Quamquam in Breviario Æduenſi anni 1540. tota hæc appendix deſideratur, ſicut etiam & in methodo Confeſſionis apud Simonem Colinæum & Franciſcum Stephanum anno ſequenti vulgata; & ante Breviarium juſſu Pii V. ſummi Pontificis reformatum in ſolo Breviario *b* Cardinalis ſanctæ Crucis occurrebat.

a Chron. Windeſ. lib. 1. c. 70.

b Bona de divina Pſalmod. cap. 1632.

124. Per idem tempus in ſacris ad populum concionibus ſola beatæ Mariæ ſalutatio recitari cœpit poſt exordium concionis. Id Eraſmus in ſuo Eccleſiaſte, qui anno 1535. typis excuſus eſt, improbare auſus, non quo Deiparæ venerationi detraheret: ſed quod locus etiam Spiritui ſancto aliiſque ſanctis, de quibus conciones interdum habebantur, relinqui vellet. Ita ſentiebat ille Catonianæ ſeveritatis magiſter, qui hæc verba *c* ſubdit. *Adde his omnibus, quod iſti admonito populo, ut invocet beatam Virginem, nihil petunt ab ea, ſed tantum ſalutant verbis Angeli & Elizabethæ*. Quæ huc refero ad probandum, precationem *Sancta Maria* Salutationi nondum ubivis tunc fuiſſe adjectam. Neſcio an ob ſuperiorem cenſuram Eraſmi Eccleſiaſtes relatus ſit in claſſem librorum prohibitorum.

c Eraſm. Eccleſiaſtæ lib. 2.

125. Sed veniamus tandem ad id, cujus gratia hæc adducta ſunt, nempe ad Roſarii originem, videamuſque, an de illo mentio facta ſit in Concilio Celichitenſi. Roſarium conſtat orationibus dominicis quindecim, & ſalutationibus beatæ Mariæ centum quinquaginta. Corona (quam vocant) beatæ Virginis habet ſex ſeptemve decadas ſalutationum cum ſex aut ſeptem orationibus dominicis, pro diverſa auctorum ſententia de annis ejus vitæ. De Roſarii auctore variæ ſunt opiniones. Alii ad ſanctum Patrem Benedictum, alii ad Venerabilem Bedam, alii ad Petrum Eremitam, alii denique ad ſanctum Dominicum Prædicatorum inſtitutorem referunt. Si ſalutationis angelicæ uſus nondum invaluerat (ut ſuperius oſtendimus) ævo ſancti Benedicti, neque Bedæ; fruſtra ejus inſtitutio ad illa tempora revocatur. Huc id torquent, quod Roſarium apud Anglos *Bedes* nomine appellatur, tamquam a Beda auctore. At potuit alia de cauſa ſic vocari, puta a *Beltide*: quæ vox in Concilio Celichitenſi uſurpatur, & quidem pro Roſario, ut Spelmannus exiſtimat. Concilii Celichitenſis hæc verba ſunt ex cap. 10., ubi de Epiſcoporum exſequiis agitur. *Et poſtea unuſquiſque Antiſtes & Abbas 60. pſalmos, & 120. Miſſas celebrare faciat, & tres homines liberet, & eorum cuilibet tres ſolidos diſtribuat: & ſinguli ſervorum Dei diem jejunent, & triginta diebus canonicis horis expletæ ſynaxeos* (forte *expleta ſynaxi*) *& Beltidum* PATER NOSTER *pro eo cantetur*, id eſt recitetur. His verbis *Beltidum Pater noſter* certum ora-

Digitized by Google

orationum dominicarum numerum deſignari non dubitamus. Spelmannus de Roſario interpretatur, a Saxonico *Belt* quod *cingulum* ſignificat. Verum utrum illo tempore Roſarium eſſet in uſu, merito addubitari poteſt, inquit doctiſſimus Cangius. Mihi vero videtur eſſe recentius inventum: ſed tamen certum (ut jam dixi) orationum Dominicarum numerum illis verbis ſignari perſpicuum videtur. Cum vero de ſalutatione angelica, quæ Roſarii præcipua pars eſt, nulla ibi mentio ſit; neque ad Roſarii antiquitatem oſtendendam aſſumi poteſt hic locus. Certe numeratæ orationes in uſu erant longe ante ſæculum 9. teſte *a* Palladio, ubi agit de Paulo Ægyptio, qui trecentas quotidie orationes numeratis in ſinu ſuo trecentis calculis recitabat. Nihil tamen vetat, quo minus vocabulum *Beltis*, quod ſolas orationes Dominicas certo numero recitatas primo ſignificabat, poſtea ad Roſarium ſignificandum (ſi quidem id aliunde probari poteſt) uſurpatum ſit.

a Hiſt. Lauſiac. cap. 23. & Sozom. lib. 5. c. 29.

126. Beltidum ejuſmodi ſpecimen legimus apud Willelmum *b* Malmeſburienſem in Anglia monachum, ubi de Conventrienſis monaſterii fundatoribus agit, nempe de Comite Leofrico, & de uxore ejus Godiva. *In ambabus porticibus Conventrejæ jacent ædificatores loci, præcellentiſſimi conjuges, quorum maxime prædicatur femina; quæ cum theſauros vivens ibi totos conjeciſſet, jam jamque moritura circulum gemmarum, quem filo inſuerat, ut ſingularum contactu ſingulas orationes incipiens, numerum non prætermitteret; hunc ergo gemmarum circulum collo imaginis ſanctæ Mariæ appendi juſſit* &c. Conditum eſt iſtud cœnobium anno *c* 1040. dicataque eccleſia in honorem Dei & ſanctæ Mariæ, cui Godivam maxime devotam fuiſſe Rogerius Hovedenus teſtatur. An inter orationes illas, quas tactis ſingulis circuli gemmei globulis recitabat Godiva, cenſenda ſit Salutatio Deiparæ Virginis, non ſatis liquet.

b Willelm. Malmeſ. lib. 4. de Pont. c. 4.

c Monaſtic. Anglic. tom. 1. pag 305. col. 1.

127. Indubitatum porro ejus argumentum exſtat apud Herimannum *d* Abbatem in libello de reſtauratione cœnobii ſancti Martini Tornacenſis, ubi auctor iſte ex occaſione commemorans ſecundam conſtructionem Leſcienſis in Hannonia monaſterii, laudat ejus inſtauratores Theodericum de Aveſniis, & Adam *e* ejus conjugem, quæ filia erat Hilduini Comitis Rocejenſis. Tum ſubdit, Eremitam quemdam in proxima ſilva, quæ Brocheroja vocatur, viſum habuiſſe de Theoderico in Dei judicium poſtulato, quod in bello contra Balduinum Montenſem Comitem monaſteria ſanctæ Waldetrudis Montenſe & ſanctæ Aldegundis Melbodienſe combuſſiſſet: at ſanctam Dei genitricem Mariam interceſſiſſe, propterea quod uxor ejus Ada *angelicam illam Salutationem ſingulis diebus ſexagies replicaret; & vigies quidem proſtrata, vigies genibus flexis, vigies autem ſtando, aut in eccleſia, aut in cubiculo ſuo, aut in aliquo ſecreto loco*, AVE MARIA GRATIA PLENA, DOMINUS TECUM, BENEDICTA TU IN MULIERIBUS, ET BENEDICTUS FRUCTUS VENTRIS TUI *commemoraret*. In tantum vero *id diffamatum* fuiſſe, *ut etiam Goſceguinus filius alterius Adæ, qui avunculo ſuo præfato Theoderico ſucceſſerat, eaſdem Salutationes beatæ Mariæ quotidie replicaret, militibuſque ſuis eas dicere ſuaderet*. Hoc initium puto Coronæ beatæ Virginis: quam eo tempore, id eſt ineunte duodecimo ſæculo, novam fuiſſe ex his Herimanni verbis intelligitur. Quod ſi Eremita ille idem ſit cum Petro Eremita, cui a Polydoro *f* Virgilio inventum Roſarii tribuitur; hinc apparet, quo fundamento id dictum ſit, quia ſcilicet hanc Adæ in beatiſſimam Virginem devotionem in publicum vulgavit.

d Spicil. tom. 12. pag. 414. & 415.

e Sæc. 3. part. 2. pag. 420.

f Polyd. lib. 5. cap. 9.

128. De Roſario, quod quinquaginta ſupra centum ſalutationes cum quindecim orationibus Dominicis complectitur, in actis ſancti Dominici, cui hoc inventum ante annos ducentos tribuitur, nulla mentio eſt. Thomas Cantipratenſis Ordinis Prædicatorum, Dominico ſuppar, tres Salutatio-

tionum quinquagenas, a quibuſdam beatæ Mariæ devotis frequentari ſolitas, ſemel & iterum *a* memorat: at de auctore nihil dicit. Quod de Ida Ciſtercienſi monacha apud Manricum *b* legitur, eam nempe undecies centenas orationes dominicas, totidemque beatæ Mariæ ſalutationes quotidie replicaſſe, ad Roſarium non omnino pertinet: ſed neque illa quadraginta dierum indulgentia, quæ prædictam ſalutationem quinquies recitantibus anno 1442. conceſſa perhibetur in Chronico ſanctæ Agnetis *c* auctore Thoma Kempenſi. *Inſtitutio itaque confraternitatis* (quam vocant) *Roſarii anno* 1475. *facta eſt in alma Univerſitate Colonienſi per Doctores ſacræ paginæ Prædicatorum Ordinis, immo potius*, inquiunt, *renovata eſt: quia per beatiſſimum Patrem Dominicum legitur prædicata, licet ad tempus fuerit neglecta, ac oblivioni tradita*. Hæc & alia complura habentur in libello ſub id temporis edito, in quo variæ indulgentiæ a Pontificibus Romanis conceſſæ leguntur his aliiſque verbis. *Urbanus Papa IV. addidit ad angelicam ſalutationem hanc clauſulam*, JESUS CHRISTUS AMEN, *largiens omnibus vere pœnitentibus, contritis & confeſſis, ipſam devote dicentibus, triginta dies Indulgentiarum: quas Joannes viceſimus ſecundus ſucceſſor ejus confirmans, adhuc triginta dies ſuperaddidit*. Ubi audis ad indulgentiam illam requiri contritionem cum confeſſione, quemadmodum ex ſtatutis Cartuſienſibus ſuperius retulimus.

a Thom. Cantri. lib. 2. cap 29. art. 6. & 8.
b Manric. an. 1226. c. 4. n. 8.
c Chron. S. Agnet. pag. 96.

129. Alia eſt Camaldulenſium Eremitarum Corona, ad commemorationem annorum vitæ Chriſti triginta tres continens dominicas orationes, & quinque angelicas ſalutationes: quæ omnia dicentibus Leo X. Indulgentiarum munera conceſſit, ut in Regula eremitica Camaldulenſium legitur cap. 22. ubi hæc Corona fratribus Converſis præſcribitur. Has minutias fortaſſe gravate legent nonnulli: at eas non doctis cudimus, ſed piis ac minus eruditis, quibus minimæ quæque rerum ſacrarum antiquitates placent. Ad res monaſticas revertor.

130. Tria tantum diſciplinæ regularis capita hoc loco notare juverit. Primum eſt, per iſtud ſæculum monachos nonnullos in cathedralibus eccleſiis, ubi Canonici ſæculares verſabantur, dignitates obtinuiſſe. Hujus rei teſtem habemus Baldricum *d* in Chronico Cameracenſi, ubi de Ansberto Hadulfi Epiſcopi ſucceſſore. *Sequitur Ansbertus*, inquit, *vir videlicet liberalibus diſciplinis eruditus, qui tunc Atrebatenſis monaſterii æque monachus, atque Cameracenſis eccleſiæ Archidiaconus, poſtmodum vero pro rebus ſancti Vedaſti, quas in pago Baduenſi providebat, Imperatori notus, culmen epiſcopalis cathedræ adeptus eſt*. Neque id caret exemplo in prioribus ſæculis. Nam ut ne hoc loco repetamus quod de Inſulæ Barbaræ Abbatibus Leidradus Archiepiſcopus Lugdunenſis memorat; Uſuardus Abbas, cui Lupi Ferrarienſis epiſtola 80. inſcripta eſt, idem etiam Archidiaconus erat. Singularis fuit hac de re Willeberti Catalaunenſis Antiſtitis epiſtola *e* ad Hincmarum Remenſem, quem interrogat, an *ex monacho, neceſſitate cogente, Archidiaconum conſtituere* poſſit. Perſeveravit iſte ritus ad ſæculum 11. quo Abbati ſancti Orientii auctoritate *f* Concilii Auſcienſis anno 1068. celebrati, *vices Archidiaconi in honore ſuo ſuper eccleſias & clericos* tribuuntur. Et Petrus de Monte-Lauro, Cellerarius ſancti Victoris Maſſilienſis, erat Aquenſis Archidiaconus. Hi in exempla ſufficiant. Nec ab re tamen erit hic adjicere Joannem Romani ſancti Martini cœnobii Abbatem, qui labente ſæculo 7. in Angliam miſſus eſt, fuiſſe Archicantorem in eccleſia ſancti Petri, teſte *g* Beda.

d Chron. Camerac. lib. 1. c 87.
e Frodoard. l. 3. c. 23.
f Spicil. to. 2. Pag 5?3
g Beda l. b. 1. vitæ Biſcopi.

131. Alterum notatu dignum eſt, monachos olim, non (ut modo) ſub titulo paupertatis, ſed ſub titulo monaſterii ſui fuiſſe ordinatos. Id patet in Concilio Londonienſi anni 971. in quo Eadgarus Rex Glaſtonienſi monaſterio certas leges ac prærogativas *h* conceſſit, atque inter alia

h Concil. to. 9. col. 703.

lia *ſanxit etiam, ut quoties Abbas loci, vel monachi, aliquos ſuorum ſacris Ordinibus initiari decernerent, a quocumque Præſulum canonice ordinato, aut in illius ſede, aut in eodem ſanctæ Mariæ Glaſtingenſi monaſterio, tam monachos, quam clericos, quos idoneos judicarent, ad titulum ſanctæ Mariæ ordinari facerent*. Et ita quidem ſancitum fuerat in Concilio Chalcedonenſi: ſed poſtmodum hæc diſciplina mutata eſt. Concilii hæc verba ſunt in can. 6. *Nullum abſolute*, id eſt ſine titulo, *ordinari debere Presbyterum aut Diaconum, nec quemlibet in gradu eccleſiaſtico, niſi ſpecialiter in eccleſia civitatis, aut pagi, aut in martyrio, aut in monaſterio qui ordinandus eſt pronuntietur*. Contrarium morem induxit Mendicantium (ut conjicimus) exemplum, & inſtabilitas monachorum. Hujus loci occaſione obſervandum venit id quod in actis ſancti Dunſtani ad num. 29. notamus, eum nempe primo fuiſſe ordinatum Epiſcopum ſine titulo, ea maxime ratione, ut *regali præſentiæ* propter ſua provida conſilia *jugiter adeſſet*.

132. Tertium denique eſt, cameras ſingulares ſanctimonialium, quæ illo ævo alicubi in uſu eſſe cœperant, abrogari a Waltero Archiepiſcopo *a* Senonenſi, ut patet ex ejus Conſtitutione 4. *Item cameræ monialium omnes deſtruantur, niſi aliqua, quæ in ſuſceptione Epiſcopi neceſſario retineatur, vel ad infirmariam faciendam, vel alia de cauſa, quæ Epiſcopo juſta & neceſſaria eſſe videatur*. Hic tamen non de cellis ſeparatis ſub eodem dormitorii tecto erectis, ſed de privatis ædiculis, quas tunc ſanctimoniales quædam ſibi fabricari curabant, mentio eſt: quod quidem ex eo patet, quod Epiſcopus quaſdam ex illis cameris conſervare poſſet ad ſuum diverſorium, cum ad eas aliquando ventitaret. Tales erant illæ Orientalium *b* ædiculæ, quas admittere noluit Augendus Abbas Condatiſcenſis ex ejus vita, ubi ſic reſtituenda lectio in editis. *Iſte etiam, refutato Archimandritarum orientalium more, utilius omnes univit in medium. Deſtructis namque manſionum ædiculis, uno cunctos ſecum xenodochio quieſcere fecit: ut quos cauſa unitæ refectionis una claudebat ædicula, diſcretiſque lectulis una ambiret & manſio*. Orientalium morem ſervant hodie quoque Cartuſiani, & Eremitæ Camaldulenſes. Diſparatas illas ſub uno tecto cellulas Benedictus XII. abrogavit: at eas denuo reſtituit noſtra ætas, ſpecie quidem majoris quietis & ſilentii, ſed haud ſcio an cum majori fructu: cum alias omnia exercitia in omnium oculis & conſortio fieret. Vide ſis Concilium Turonenſe II. can. 14. & Hæftenum lib. 12. Tract. 2. Diſq. 1.

a Ibid. col. 577.

b Sæc. I. Bened. pag. 575. n. 21.

133. Sed ut tandem prolixæ, & forſan tædioſæ Præfationi finem imponamus, tria tantum addimus ad Hiſtoriam noſtram Francicam pertinentia. Unum eſt, dignitates Comitum aliorumque (quod jam alii notarunt) eo tempore jure hæreditario ad poſteros tranſiiſſe, maxime ſub Carolo Simplice, ob languentem ejus principatum. Hujus tamen rei origo petenda eſt a Carolo Calvo, qui ſupremo vitæ ſuæ anno Romam abiturus, Cariſiaci edidit Capitula quatuor, in quorum tertio hæc leguntur. *Si Comes de regno iſto obierit, cujus filius nobiſcum ſit, filius noſter cum ceteris fidelibus noſtris ordinet de his, qui eidem Comiti plus familiares propinquiores fuerunt, qui cum miniſterialibus ipſius Comitatus, & cum Epiſcopo, in cujus parochia fuerit ipſe Comitatus, ipſum Comitatum provideant, uſque dum nobis renuncietur, ut filium illius qui nobiſcum erit, de honoribus illius honoremus. Si autem filium parvulum habuerit, iſdem filius ejus cum miniſterialibus ipſius Comitatus, & cum Epiſcopo in cujus parrochia conſiſtit, eumdem Comitatum provideant, donec obitus Comitis ad notitiam noſtram perveniat, & ipſe filius ejus per noſtram conceſſionem de illius honoribus honoretur*. Hic primus dignitatum hæreditariarum gradus, cum ſcilicet Regis beneficio in poſſeſſionem patriam filii veniebant: quod poſtea ſummo jure factum eſt.

134.

134. Alterum obſervationis caput eſt, Ludovici Tranſmarini annos regni non eodem modo ab hiſtoricis defigi. Frodoardus quippe, æqualis illorum temporum, Ludovicum ex Britannia inſula, in qua mortuo patre ſeſe anno 928. receperat, non niſi poſt annos octo, id eſt poſt obitum Rodulfi regni invaſoris revocatum, ac deinde coronatum fuiſſe tradit. Hujus auctoris verba ex anno 936. referre juvat. *Hugo Comes trans mare mittit pro accerſiendo ad apicem regni ſuſcipiendum Ludovico Caroli filio: quem Rex Alſtanus avunculus ipſius, accepto prius jurejurando a Francorum Legatis, in Franciam cum quibuſdam Epiſcopis & aliis fidelibus ſuis dirigit . . . . . Indeque ab ipſis Laudunum deductus, & regali benedictione ditatus, ungitur atque coronatur a domno Artaldo Archiepiſcopo.* Favet Joannes monachus in libro 2. de vita ſancti Odonis *a* Abbatis Cluniacenſis. Attamen Joannes alter Abbas Mettenſis in actis Joannis Gorzienſis *b* ſcribit, eum Gorziam anno 933. acceſſiſſe, *Franciam Occidentalium partium obtinente Lodovvico filio Karoli.* Ad quem locum Bollandus arguit eos, qui primum regni Ludovici annum petunt ab anno 936. Neque ſolum in actis Joannis Gorzienſis, ſed etiam apud quoſdam alios auctores ante hunc annum Ludovicus regnaſſe perhibetur. Nam in libro *c* de miraculis ſancti Bertini, Adala Flandriæ Comitiſſa in eccleſiam ſancti Bertini ingreſſa dicitur *anno nativitatis Domini nongenteſimo trigeſimo octavo, annoque quinto Ludovici Regis, feria ſecunda Paſchæ.* Verum in diplomatibus a Ludovico Tranſmarino conditis, regni ejus exordium a ſuperiori cardine deſumitur. Atque ideo dicendum videtur, Hiſtoricos nonnullos, habita juris ratione, Ludovici regnum vel a morte patris, vel ab eo tempore quo primum ejus ex Anglia reditus deſiderari cœpit, numeraſſe: at ſtylo Cancellariæ initum nonniſi anno 936. quo ejuſdem revocatio & coronatio contigit, teſte Frodoardo. Lege quæ de hac re diximus in libro 2. de re Diplomatica cap. 26. ubi etiam tres ſollemnes Caroli Simplicis epochas expoſuimus.

a Hic pag. 160.
b Hic pag. 380.
c Sæc. 3. Bened. parte 1. pag. 138.

135. Tertium denique obſervatione dignum eſt, Ludovicum, Carolidarum poſtremum Regem ac Lotharii filium, vivente patre coronatum, ac Regem dictum fuiſſe, quod Glaber *d* Rodulfus aperte tradit: ſed quo anno, neſcio an ullus hactenus obſervavit. Id vero accidiſſe anno 979. id eſt ſeptimo ante obitum patris, conſtat ex duobus ejus diplomatibus, quorum unum Arnulfo Aurelianenſi Epiſcopo conceſſum eſt, *datum anno 978. ſecundo die regiæ ordinationis ejuſdem, Indictione 7. 5. Idus Junii, actum Compendienſi palatio*, ut me monuit noſter Claudius Stephanotius, cui plurima alia documenta debemus. Aliud ejuſdem omnino characteris ac notæ pro cœnobio Floriacenſi. Utrumque hactenus autographum habetur. Itaque Ludovicus iſte Rex coronatus eſt anno 979. & quidem 6. Idus Junii. Annum exacte ſignat breve chronicon Floriacenſe, quod in tomo 2. Miſcellaneorum a clariſſimo Baluzio editum eſt. *Anno 979. Ludovicus a Francis Compendii Rex eſt elevatus.* Porro cum anno uno & quod excurrit, patri ſupervixerit, atque anno 987. mortuus ſit; hinc quidam Annales novem ei regni annos tribuunt. Hugo Abbas Flaviniacenſis & Ademarus monachus Ecoliſmenſis auctores ſunt, Ludovico uxorem fuiſſe Blancam, a qua *potu maleficii necatus* dicitur ab *e* Ademaro. Excluſus regno eſt Carolus ejus patruus, cujus tamen regni mentio fit in Hiſtoria Abbatum cœnobii ſancti Germani Autiſiodorenſis apud *f* Labbeum. Herimannus Abbas in libello de inſtauratione Abbatiæ ſancti Martini *g* Tornacenſis, *Carolum Regem*, Hugonis Capeti *cognatum*, cognomento *Infatuatum*, appellat; Sapientem dicturus, ſi regnare, aut regnum tenere valuiſſet.

d Glaber. lib. 1. cap. 3.
e Labbe to. 1. Bibl. pag. 167.
f Ibid. to 1. pag. 572.
g Spicil. to. 12. p. 460.

136. In fine temperare non poſſumus a grati animi teſtificatione, quam primis Capetianæ ſtirpis regiæ, hactenus feliciter ac glorioſe regnantis, au-

Digitized by Google

auctoribus, Hugoni ac Rotberto ejus filio, (ut ceteros interim omittamus) debet Ordo ſancti Benedicti, cujus Ordinis *piiſſimi defenſores*, teſte Abone *a* Floriacenſi Abbate, *&* *Advocati* fuerunt, immo etiam quaſi reſtitutores. Antequam thronum conſcenderent, pleraque monaſteria Abbatibus ſæcularibus, & nonnumquam militaribus ſubjacebant: ex quibus Hugo ipſe quædam tenebat, ſancti Dionyſii, ſancti Germani apud Pariſios, & alia, *Abba-comes* *b* ab antiquis ob id appellatus. Hæc vero antequam Rex factus eſſet, Abbatibus regularibus reſignavit, non tam ex præconcepto regnandi propoſito, (nam Carolus Calvus, & alii nonnulli Reges Abbatias ſibi retinuerunt) quam ex prona in monachos voluntate. Unde idem in regno confirmatus, omnibus regni ſui monaſteriis liberam eligendi Abbatis facultatem reſtitui præcepit. Ante Hugonem tamen Ludovicus Rex *c* non prius Aimerico Abbatiam ſancti Martialis, *tyrannidem ejus timens*, committere voluit, quam *ſacramentis acceptis*, *ut monachus eſſet futurus*. Hunc adverſus monachos affectum nemo melius expreſſerit, quam Hugo ipſe, cujus extrema morientis ad Rotbertum verba Helgaldus *d* refert in hunc modum. *O optime fili, per ſanctam & individuam Trinitatem te obteſtor, ne quando animus ſubjiciat adquieſcere conſiliis adulantium, vel muneribus donisque venenatis te ad vota ſua maligna adducere cupientium ex his Abbatiis, quæ tibi poſt Deum perpetualiter delego. Ne animi levitate ductus quolibet modo diſtrahas, diripias, aut ira excitante diſſipes. Specialiter vero tibi inculco, nullo pacto ducem omnium, Patrem dico* BENEDICTUM, *a te patiaris divelli, illum apud communem Judicem ſalutis aditum, tranquillitatis portum, poſtque carnis obitum ſecuritatis aſylum.*

a Analect. tom. 2. pag. 249.

b Gerbert. epiſt. 17. in 2. claſſe.

c Ademar. to. 2 Labbe pag. 167.

d Helgald. in vita Rotberti pag. 68.

137. Et paternis quidem ultro monitis paruit Rotbertus, qui ſancto Benedicto, ejuſque diſcipulis, *ſemper totis adhæſit præcordiis*, probante eodem *e* Helgaldo, *Monachorum nutritor* dictus ab Ademaro monacho Ecoliſmenſi. Rotberti in monachos ſtudium profectum eſt tum ex paternis monitis & exemplo, tum ex eo quod Gerbertum monachum habuit præceptorem. Unde apud Adalberonem Laudunenſem Epiſcopum, qui multa deridicule de monachis in carmine ad Rotbertum inepte cecinit, Rotbertus inducitur dicarum impatiens, negans ſe ejus verbis ab amore monachorum revocari, maxime quod Gerberto (quem *Neptanabum* vocat, ut eruditus Valeſius recte obſervavit) quidquid ſciret, referret acceptum. Porro Hugonis Regis voluntas in monachos bene affecta fuit ob alias cauſas, nempe quod oraculo didiciſſet a ſancto Walarico Abbate, fore ut ipſe regnum Francorum, poſterique ſui ad ſeptimam generationem obtinerent, ſi corpus ſuum, itemque Richarii Abbatis reliquias, in monaſterium Sithienſe ab Arnulfo Comite exportatas, ſedibus ſuis demum reſtitueret: quod iſte præſtitit, ut his in Actis videbimus: indeque promiſſi effectum ſortitus eſt. Deinde Abonem Floriacenſem Abbatem ſibi maxime faventem expertus erat, uti poſtea Rotbertus. Accedit quod Majolum Cluniacenſem ejuſque monachos magnopere ſuſpiciebat: quod in cauſa fuit, ut ipſum ad reſtituendam in ſancti Dionyſii monaſterio regularem diſciplinam evocaret. Certe Dionyſianis Hugo nondum Rex Rotbertum Abbatem, ut colligimus ex Gerberti epiſtola 145. cœnobitis vero ſancti Germani apud Pariſios Gualonem ſeu Walonem præfecit. De hoc Gualone intelligenda prædicti Gerberti epiſtola 61 Porro ex duplici illa epiſtola conſtat, Epiſcopum Pariſienſem (ut id in tranſcurſu moneam) amborum cœnobiorum monachos tunc interturbaſſe occaſione privilegiorum. *Ceterum Dux Hugo*, poſtea Rex, *nacta occaſione ex diſſenſione Epiſcopi Pariſienſis & Abbatis Gual. Airardum Abbatem* Auriliacenſem inter ceteros ad componendam controverſiam vocavit, quemadmodum Gerbertus pro Dionyſiana interceſſit. Multa ſunt alia Hugonis, Rotberti, ac po-

e Ibid. pag. 69.

poſterorum Regum in ſancti Benedicti Ordinem merita, quorum memoria ex animis noſtris numquam excidet.

138. Hæc ſunt quæ obſervanda duximus occaſione ſæculi decimi Actorum, quibus illuſtrandis ſedulam mecum operam impendit noſter Michael Germanus, aſſiduus ſocius ſtudiorum noſtrorum. Quædam etiam illuſtrare cœperat noſter Joannes Jeſſenetus : at optimæ ſpei juvenis in ipſo curſus initio, anno ſcilicet ætatis undetrigeſimo necdum expleto, cum ex Lotharingico itinere mecum rediiſſet, ante annos quatuor ſublatus e medio eſt. Utinam quod ille ad Sanctorum gloriam meditabatur, ipſi profuerit ad meliorem vitam! utinam & mihi non in culpam vertat, quod per tot annos in Actis Sanctorum occupatus, tam longe abſim ab eorum exemplis. Quod ſi Deus vitam & otia indulſerit, dabimus operam, ut Sæculum ſequens quantocius in publicum prodeat : tum ut ſodalibus noſtris ſatisfaciamus, præſertim Germanis, qui hoc opus avide expetunt, & gratanter excipiunt : tum ut materiam præbeamus ad continuandam Ordinis noſtri gallico idiomate hiſtoriam, quorum duo priores tomi, jam in lucem vulgati, hoc uno lectorem fallunt, quod dum *Compendii* præferunt titulum, accuratam exhibent cum magno rerum & verborum delectu hiſtoriam. Is enim præcipuus eſt noſtræ collectionis fructus, ut ex ea eruatur *continua & ſtricta* rerum noſtrarum hiſtoria, quæ nec prolixitate *ſua lectores* deterreat, nec incertis narrationibus animos fallat : *ſed ita* conveniat cum pietate veritas, ut non minus erudiatur intellectus, quam *mores* informentur.

NON

Digitized by Google

NON propterea Patrum præcedentium laudabilia geſta deſcribuntur, ut vanæ & inquietæ curioſitati ſerviatur : ſed ut per ea rudes inſtruantur, infirmi confortentur, laſcivi gravitatem ſectentur, duri corde compungantur, devoti ad perfectionem informentur, & ut per ædificationem & conſolationem legentium ſancta Eccleſia roboretur; & laus Dei, cujus ſunt dona noſtra, per gratiarum actionem amplificetur. *Vitæ S. Bernardi Abb. Claravall. lib. 7. cap. 29.*

Poſteritatis negotium eſt, ut Sanctorum noſtrorum litteris commendemus : quatenus & noſtrum charitatis debitum proximis perſolvamus, & Patrum exempla, quos imitari debeant, filiis non negemus. *Paſchaſius Radbertus in Vita S. Adalhardi.*

CHRO-

Digitized by Google

CHRONOLOGIA BREVIS AD SÆCULUM V. BENEDICTINUM.

SUMMI PONTIFICES.

Anno 901. *Theodorus* II. ſedit diebus 20. tantum.
901. *Joannes* IX. ann. 3. dieb. 15.
905. *Benedictus* IV. per aliquot menſes.
906. *Leo* V. per dies quadraginta.
906. *Chriſtophorus* menſibus ſeptem.
907. *Sergius* III. ann. 3. menſ. 4.
910. *Anaſtaſius* III. an. 2. dieb. 20.
912. *Lando* per aliquot menſes.
913. *Joannes* X. ann. 15.
928. *Leo* VI. menſ. 6. dieb. 15.
929. *Stephanus* VII. ann. 2. menſ. 1. dieb. 15.
931. *Joannes* XI. an. 4. menſ. 10.
636. *Leo* VII. an. 3. menſ. 6.
939. *Stephanus* VIII. an. 3. menſ. 4. dieb. 5.
943. *Marinus* II. an. 6. menſ. 4. dieb. 13.
946. *Agapetus* II. an. 9. menſ. 7. dieb. 10.
955. *Joannes* XII. an. 9. aut 10.
962. *Leo* VIII. *Antipapa circ. an.* 2.
964. *Benedictus* V. uno circiter anno.
965. *Joannes* XIII. an. 6. menſ. 11. dieb. 5.
972. *Domnus* II. menſibus tribus.
972. *Benedictus* VI. an. 1. menſ. 3. dieb. aliquot.
974. *Bonifacius Franco Antipapa an.* 1. *menſ.* 1.
975. *Benedictus* VII. an. 9.
984. *Joannes* XIV. an. 1. & menſ. aliquot.
985. *Joannes* XV. an. 10. menſ. 4. dieb. 12.
996. *Gregorius* V. Bruno an. 2. menſ. 8. dieb. 6.
Joannes XVI. *Antipapa factione Creſcentii.*
999. *Silveſter* II. Gerbertus an. 4. menſ. 2. aut 3.

IMPERATORES ſeu GERMANIÆ REGES.

912. *Conradus* primus ex Germanis an. 7.
919. *Henricus* I. Auceps dictus ſeu Saxo an. 17.
936. *Otto* I. Magnus an. 36. menſ. 10. dieb. 6.
973. *Otto* II. poſt Patris obitum an. 10. menſ. 7. dieb. 2.
983. *Otto* III. an. 17. menſ. 1. dieb. 21.

FRANCORUM REGES.

a 892. ad 922. *Carolus* III. Simplex ann. 30. menſ. aliquot. Poſtea Peronæ detentus obiit anno 928.
922. *Rotbertus Odonis frater uno fere anno*,
923. *Radulfus Dux Burgundiæ Rotberti gener. an.* 12.
936. *Ludovicus* IV. Transmarinus an. 18. menſ. 3. dieb. 26.
954. *Lotharius* an. 31. menſ. 4. dieb. 18.
986. *Ludovicus* VI. prius Rex Compendii deſignatus anno 979. poſt obitum Patris regnavit anno 1. menſ. 3. dieb. 20.
987. *Hugo* Capetus an. 10. menſ. 4.
997. *Rotbertus* Pius a morte patris ann. 33. menſ. 8. aut 9.

ITALIÆ REGES.

900. In Conſilio Ravennæ hoc anno celebrato Lambertus Widonis filius confirmatur, paullo poſt occiditur.
ab anno 800. *Berengarius* ab anno 888. ſæpe vexatus ad 924.
901. *Ludovicus* Orbur, Provinciæ Rex, Boſonis filius.
922. *Radulfus* Burgundiæ Transjuranæ Rex.
926. *Hugo* ex Comite ſeu regni Arelatenſis rectore, ad annum circiter 946.
938. *Lotharius* Hugonis filius, ante annos 15. regni paterni conſors, ad annum 949.
949. *Berengarius* II. cum Alberto filio ad annum 962. quo Otto Magnus Romæ Auguſtus coronatus eſt.

Digitized by Google

BURGUNDIÆ TRANSJURANÆ ſeu PROVINCIÆ REGES.

ab anno 888. *Rodulfus* I. in Burgundia Transjurana regium ſibi nomen vindicavit ad annum 911.
ad 893.
911. *Rodulfus* II. ad annum 937.
937. *Conradus* ad annum 994.
994. *Rodulfus* III. ad annum 1032.
ab anno 990. *Ludovicus* Orbus Bozonis filius Provinciæ regnum tenuit ad annum 933.

BRITANNIÆ INSULÆ REGES.

ab anno 899. *Edvvardus* I. Britannos rexit annis circiter 24.
923. *Ethelſtanus* ad anni 941. diem 28. Octobris.
941. *Eadmundus* ad anni 946. diem 26. Maji.
946. *Elredus* Edvvardi ſecundo genitus annis 9. & dimidio.
955. *Edvvius* Eadmundi filius ad annum 959. monarcha, hoc anno pulſus a ſuis, Eadgaro fratri regni partem maximam cedere cogitur.
959. *Eadgarus* ad anni 975. diem 8. Julii.
975. *Edvvardus* II. ſanctus annis 3. & dimidio.
979. *Ethelredus* Edvvardi frater in annos 37. aut 38.

HISPANIÆ REGES CHRISTIANI.

ab anno 862. *Alfonſus* III. Magnus post annos regni 48. Garciæ filio cedere cogitur, anno 910.
ad 910.
910. *Garcias* poſt patris abdicationem rexit annis 3.
913. *Ordonius* II. Garciæ frater, quem nonnulli Ranimirum dicunt, ad annum 923.
923. *Froila* Leproſus uſurpatum regnum tenuit menſibus 14.
924. *Alfonſus* IV. Monachus dictus, Ordonii filius annis 6. menſ. 6.
932. *Ranimirus* II. fratre recluſo regnavit annis 18. menſ. 2. dieb. 25.
950. *Ordonius* III. Ranimiro patri ſucceſſit in annos 5.
955. *Ordonius* IV. Malus, occupatum regnum tenuit anno uno.
956. *Sancius* I. Craſſus Ordonii III. frater ad annum 967.
967. *Ranimirus* III. ad ann. 980. aut 982.
982. *Vveremundus* II. Ordonii III. filius ad 999. aut ſequentem.
999. *Alfonſus* V. rexit in annos 27.
aut ſequenti.

NAVARRÆ REGES.

905. *Sancio* Garſiæ Garſias II. filius anno 905. ſucceſſit ad annum 925. aut ſequentem.
Sancius Abarca, eoque extincto Garſias III. *Tremulus* dictus, Navarræis reliquo ſæculo 10. præfuerunt, incertum quo uterque anno vitam finierit.

POLONIÆ REGES CHRISTIANI.

964. *MieſKo* Polonorum Dux anno 962. Chriſto nomen dedit, ad annum 999.
999. *Boleslaus* Rex anno 999. creatus ab Ottone III. ad annum 1025. præfuit.

SANCTI & MONASTERIORUM ORIGINES.

Anno 903. *Grimbaldus* Abbas in Vvintonienſi monaſterio, quod ab Ethelvvoldo Pontifice inchoatum, ab Elfego ejus ſucceſſore abſolutum eſt.
909. *Geraldus* Comes Auriliacenſis monaſterium in proprio fundo condidit, quod etiam Aureliacenſe dictum eſt.
912. *NotKerus* Balbulus monachus S. Galli, ubi de Ratperto & Tutilone monachis, &c.
913. *Argrinus* ſeu Argrimus Epiſcopus Lingonenſis, ubi non pauca de Iſaaco & Geilone Epiſcopis.
915. *Hogerus* Archiepiſcopus Bremenſis.
918. *Radeodus* Epiſcopus Trajectenſis ad Rhenum.
921. *Gennadius* Epiſcopus Aſturicenſis, primum quidem Agei cœnobii ſub Arandiſelo Abbate monachus, tum Abbas monaſterii S. Petri cujus inſtaurator fuit & quotuor aliorum conditor.
circ. 922. *Plegmundus* Archiepiſcopus Cantuarienſis, prius Eremita.
924. *Adelhardus* monachus Hirſaugienſis.
925. *Vviborada* virgo & martyr Recluſa ad S. Gallum.
927. *Berno* Abbas auctor cœnobiorum Gigniacenſis Balmenſis, & Cluniacenſis.
circ. 930. *Hugo* monachus Æduenſis S. Martini, Enziacenſi cellæ, a Leobaudo viro primario conditæ, Præpoſitus.
circ. 930. *Gerardus* Epiſcopus Matiſconenſis, Cellæ Brovienſis in agro Breſſiano conditor dicitur.

941.

Digitized by Google

941. *Tuto* Ratiſponenſis Epiſcopus aliique ejuſdem ſedis Pontifices.
933. *Gregorius* Abbas Nonantulenſis.
934. *Joannes* I. Abbas Caſinenſis, Capuani monaſterii auctor.
936. *Hildebertus* Archiepiſcopus Moguntinus.
940. *Benno* Epiſcopus Mettenſis prius Eremita.
942. *Odo* Abbas Cluniacenſis diſciplinæ monaſticæ inſtaurator.
944. *Vandregiſili* Ansberti atque Vvlframni corpora delata in monaſterium Blandinienſe.
946. *Hunegundis* Virginis Humolarienſis translatio.
950. *SS. Ebrulſi* Abbatis Uticenſis & Ansberti monachi translatio in Resbacenſe monaſterium.
951. *Elſegus* Epiſcopus Vvintonienſis.
954. *Raſſo* Comes tum monachus & conditor cœnobii Vverdenſis apud Bajoarios.
957. *Kenevaldus* Epiſcopus Vvigornienſis.
958. *Vulſſinus* Epiſcopus Schireburnenſis.
958. *Eberhardus* primus Abbas monaſterii Einſidlenſis apud Helvetios.
958. *S. Paterni* monachi & martyris translatio in monaſterium Brajacenſe ad Sequanam, conditum a Burcardo Milite.
958. *Alavicus* Abbas Augienſis apud Alamannos.
958. *Gerardus* Bronienſis in Belgio monaſterii Auctor & Abbas primus, diſciplinæ Regularis in Belgio inſtaurator.
960. *Baltramnus* Abbas Lutrenſis apud Sequanos, aliquamdiu in eremo ſeu Cella Analesbergenſi diœceſis Argentinenſis abs ſe condita commoratus.
960. *Alveus* Abbas S. Petri Carnotenſis monaſterii inſtaurator.
960. *Anſteus* Abbas S. Arnulfi apud Mettas.
961. *Odo* Archepiſcopus Cantuarienſis.
962. *Salvus* Abbas Alveldenſis in Hiſpania. Ubi de Dulquito ejus deceſſore, cujus notitiam præbet Gomeſanus Presbyter & Abbas Hildenſis monaſterii.
962. *Guibertus* monachus Gorzienſis auctor Gemblacenſis monaſterii.
962. *Reginbertus* monachus & conditor monaſterii S. Blaſii in Hercinia Silva.
circ. 965. *Aymardus* Abbas Cluniacenſis.
966. *Frodoardus* Presbyter Remenſis.
966. *S. Maurini* Abbatis & martyris corporis inventio & translatio facta in Colonienſi monaſterio S. Pantaleonis, ubi de Colonienſium trium cœnobiorum origine.
966. *Vviggerus* Abbas S. Maximini Trevirenſis. Ubi de reſtitutione monaſticæ diſciplinæ in Trevirenſibus monaſteriis.
967. *Hincmarus* Abbas S. Remigii apud Remos.
968. *Mathildis* Regina uxor Henrici Aucupis originem dedit monaſteriis Quindelingeburgenſi, Palidenſi, Northuſanenſi, &c.
970. *S. Luciæ* Virginis & martyris translatio in Mettenſe S. Vincentii monaſterium, cujus origo deſcribitur.
971. *S. Arnulfi* Martyris translatio in Moſomenſe cœnobium, quod inſtauratur ab Adalberone Remenſi Archiepiſcopo.
973. *Anno* Abbas Miciacenſis & Gemeticenſis.
973. *Joannes* Abbas Gorzienſis clariſſimus.
973. *Blidulfus*, Vvillelmus & Achericus monachi piiſſimi. Item Rambertus Abbas Senonienſis.
973. *Udalricus* Epiſcopus Auguſtanus, ſepultus in Eccleſia S. Afræ ab ſe reſtituta, nunc S. Udalrici.
974. *Ratherius* Epiſcopus Veronenſis.
975. *Cadroe* Abbas Vvalciodorenſis, dein Mettenſis, ubi Vvalciodorenſis, S. Michaelis in Tiraſcia, Peronenſis, Mettenſium S. Clementis & S. Petri monaſteriorum origo ſive ſtatus deſcribitur.
975. *TurKelus* Abbas Crulandenſis locum maxima ex parte detritum eximie reſtituit, Cellam Sanctæ Peggæ a fundamentis erexit.
976. *S. Theoderici* Abbatis Remenſis corporis elevatio, ubi cœnobii reſtitutio notatur, itemque corporis S. Theodulfi relatio.
977. *Rudeſindus* Epiſcopus Dumienſis itemque Abbas Cellæ novæ ab ſe conditæ.
977. *Judoci* Presbyteri & Confeſſoris corporis translatio in pagum Vilcaſſinum.
978. *Malcalenus* Abbas Vvalciodorenſis.
978. *Hilarii* Epiſcopi Carcaſſonenſis Translatio. Ubi de S. Hilarii monaſterio in agro Carcaſſenſi.
980. *Geroldus* Eremita cum Filiis Cunone & Udalrico monachis Einſidlenſibus, Præpoſituræ ſeu monaſterioli S. Geraldi in Rhæticis Alpibus conditor.
981. *S. Vvalarici* Abbatis relatio in monaſterium Leuconaenſe ad Somenam.
981. *Richarii* Abbatis relatio ex Sithienſi monaſterio in Centulenſe.
981. *Adalbertus* Archiepiſcopus Magdeburgenſis primus, ubi de origine ac translatione monaſterii ipſius urbis, & de erectione metropolis ejuſdem; nec non Merſeburgenſis cœnobii in Epiſcopatum.
982. *Senorina* Rudeſindi Epiſcopi conſanguinea, Baſtenſis in Portugallia parthenonis Abbatiſſa, quod ex Vieira ſeu Venaria Baſtum ipſa tranſtulit.
982. *Forannanus* Epiſcopus & Abbas Vvalciodorenſis, cujus loci origo per Eilbertum Comitem & Herſindem ejus uxorem facta deſcribitur.
982. *Hartvvicus* Abbas Tegernſenſis in Bajoaria, ejuſdemque loci reſtitutor.
984. *Ethelvoldus* Epiſcopus Vvintonienſis plurima in Anglia monachorum cœnobia condidit, ſeu reſtituit.
984. *Eadgitha* ſeu Editha Eadgari Anglorum Regis filia & ſanctimonialis Vviltonienſis.

Digitized by Google

circ. 985. *Eadburga* Sanctimonialis Vvintonienſis, & Merevvina Abbatiſſa Rumeſienſis.

circ. 985. *Sandradus* Abbas Gladbacenſis monaſterii, quod Gero Colonienſis Epiſcopus excitavit.

986. *Aligernus* Abbas Caſinenſis, ubi de Manſone ejus ſucceſſore, & de S. Nilo juniore græcanici ritus Hegumeno.

988. *Dunſtanus* Archiepiſcopus Cantuarienſis, Ordinis monaſtici cum Oſvvaldo & Ethelvvoldo reparator in Anglia, Clericis flagitioſis monachos multis in locis ſubſtituit.

990. *Joannes* Abbas Parmenſis monaſterii, cujus auctor Sigefridus Epiſcopus Parmenſis, eo nomine ſecundus.

990. *Liudolfus* Abbas Corbejenſis in Saxonia, ubi de aliis ejuſdem ævi ibidem Abbatibus.

992. *Oſvvaldus* Epiſcopus Vvigornienſis, tum Archiepiſcopus Eboracenſis, una cum Ailvvino duce Rameſienſe monaſterium erexit.

994. *Majolus* Abbas Cluniacenſis multa cum Galliæ, tum Italiæ atque Germaniæ monaſteria reformavit.

994. *Vvolfgangus* Epiſcopus Ratisbonenſis, Monaſterio S. Emmerammi monaſtici gregis paſtores, inſtituto Ramvvoldo Abbate, reſtituit. Monaſterium puellare S. Pauli condidit; itemque Virginum Ratisbonæ cœnobia Superius & Inferius, vitæ monaſticæ reſtituit.

circ. 995. *Maria* Abbatiſſa Pragenſis, quæ & Madla ſeu Madila, Boleslai Pii Boemorum Ducis filia, parthenonis S. Georgii in urbe Pragenſi auctor.

circ. 995. *Guido* II. Fulconis Pii Andegavorum Comitis filius, Epiſcopus Anicienſis in urbe Monaſterium S. Petri & S. Benedicti erexit a fundamentis.

995. *Gebehardus* Epiſcopus Conſtantienſis ad Rhenum, S. Gregorii, nunc S. Petri monaſterii conditor.

996. *Gregorius* Abbas Einſidlenſis novam coloniam in S. Gregorii Conſtantienſe monaſterium ſubmiſit.

997. *Adalbertus* Epiſcopus Pragenſis & Martyr cui Breunovienſe in Boemia monaſterium ſuam debet originem.

circ. an. 997. *Petrus* Urſeolus ex duce Venetiarum & Dalmatiarum monachus S. Michaelis de Coxano in Catalonia.

999. *Adelhais* Auguſta, Ottonis I. uxor, Paterniacenſi cœnobio, ſupremam manum impoſuit; prope Ticinum S. Sancto Salvatori monaſterium ampliſſimum poſuit, & in loco Salſa ſeu Sehla Diœceſis Argentinæ cœnobium erexit.

Gozlinus ſeu Gauslinus & Gozelinus Epiſcopus Tullenſis Boſſerienſe Virginum cœnobium erexit, & S. Apri deſtructum ac peſſumdatum denuo excitavit, Sancti quoque Manſueti monaſterium inſtaurare aggreſſus.

Gerardus Epiſcopus Tullenſis S. Manſueti cœnobium, monaſtico ordini reſtituit.

Stephanus Leodicenſis Epiſcopus ex Abbate Laubienſi itemque S. Michaelis ad Moſam

Richarius Epiſcopus Leodicenſis, Abbas quoque Stabulenſis & Prumienſis, S. Petri in urbe monaſterium dirutum inſtauravit.

Ogo ſive Ougo, Huogo & Hugo Epiſcopus Leodicenſis, ex præpoſito tum Abbate S. Maximini apud Treviros, ubi diſciplinam regularem reſtituit.

Farabertus Abbas Prumienſis, tum Leodicenſis Epiſcopus.

Leo II. Abbas Nonantulanus, ubi de aliis Leonibus.

Appendix de S. Rudberti Epiſcopi Saltzburgenſis ætate, &c.

I N-

Digitized by Google

INDEX SANCTORUM
SÆCULI QUINTI BENEDICTINI.

A

Adalbertus Archiepiſcopus Magdeburgenſis primus. Elogium ejus, ubi de origine monaſterii ipſius urbis, & de erectione metropolis ejuſdem, 563. *& ſeqq.* Monaſterii Abbates primi, *ibid.* Metropolis Magdeburgenſis erectio & Merſburgenſis cœnobii mutatio in ſedem epiſcopalem, *ibid.* & XII. Johannis XII. hac de re diploma, *ibid.* Slavi a Corbejenſibus converſi, *ibid.* Adalbertus Rugorum Apoſtolus, *ibid. & ſeqq.* Adalberti plures, *ibid.* Rugi dicti populi Ruſſiæ, *ibid. & ſeqq.* Libutius ad Rugorum converſionem miſſus, 566. Adalbertus a Rugis reverſus VVicemburgenſis fit Abbas, *ibid.* dein Magdeburgenſis Antiſtes, 567. Adalberti miſſio Romam, 568. Privilegia ei conceſſa & ſuffraganei, *ibid. & ſeqq.* Abbatia tranſlata, 569. Adalbertus Ottonem placat, *ibid.* ſepelit, 570. Miminlevenſis cœnobii origo, *ibid.* duellum & Geronis Comitis decollatio, *ibid.* Aleſſevenſis parthenonis conditio, *ibid.* Adelberti obitus & ſepultura, 571. Ochtricum ſucceſſorem non patitur, *ibid.* Giſilerus ſuccedit, *ibid.* Otrici obitus, 572. Item Epponis monachi exitus, *ibid.*

Adalbertus Epiſcopus Pragenſis & Martyr. Vita ejus auctore monacho anonymo æquali, cum obſervationibus prævíis. De vitæ ſcriptoribus, Adalberti monaſtica profeſſione ſub Regula S. Benedicti, martyrio, cultu, reliquiis, Breunovienſis monaſterii conditione, & Breunovienſibus monachis Martyribus, 821. *& ſeqq.* Adalberti parentes, 824. *& ſeqq.* Woetiecum, poſtea Adalbertum, ſæculo deſtinant, 825. Ægrotantem vovent Deo & S. Mariæ, *ibid.* Adalberto Archiepiſcopo commendatur litteris imbuendus, *ibid.* in Confirmatione nomen mutat, *ibid.* virtutibus, orationi, lectioni & philoſophiæ ſtudet ac ſimplicitati, 826. Adalberto mortuo patriam reviſit, *ibid.* Mortuo Pragenſi Epiſcopo ſucceſſor eligitur, 827. 828. Eccleſiæ bona dividit in quatuor partes, *ibid* pauperes menſæ adhibet, *ibid.* charitas ejus in miſeros & pauperes, *ibid.* Aliæ ejus virtutes, 829. ſubditos cur deſerit, *ibid. & ſeqq.* Jeroſolyma petiturus Caſini reſidet, *ibid.* ad Nilum Abbatem ſe confert, 831. Inde ad Leonem Abbatem Romæ, *ibid.* Cum Papæ venia monaſticum habitum ibi ſumit cum fratre Gaudentio, 832. monaſticæ humilitati aliiſque virtutibus vacat, *ibid.* a Papa Pragam remittitur, *ibid.* Mulierem adulteram, quæ ad Epiſcopum confugerat, e monaſterio cornuque altaris raptam capite plectunt, 833. Romam denuo petit, in Boemiam iterum redit, 835. Imperatori Moguntiæ dat ſalutis monita, *ibid. & ſeqq.* Turonos, Floriacum & Glannafolium adit, 836. De fratrum cæde nuntium accepit, *ibid.* a. A Boemis repulſus Pruſſorum converſioni incumbit, *ibid.* a Paganis male habitus, 837. Martyrium ſubit, 839.

Fragmenta ex alia vita, 839. *& ſeqq.* Alia item ex Chronico Magdeburgenſi, 843. *& ſeqq.* Item alia ex Chronico *Ademari* monachi Ecoliſmenſis, 845. *& ſeqq.*

Item aliud ex hiſtoria tranſlationis Sanctorum martyrum Abundi & Abundantiani, 846.

AdalHardus monachus Hirſaugienſis in Germania. Elogium ejus, ſeu vitæ compendium, 14. *& ſeqq.* Hirſaugiæ reformatio, 42.

Adelhais Auguſta Ottonis I. uxor, Elogium ejus, 861. *& ſeq.* monaſteriorum Paterniaci S. Salvatoris prope Ticinum, & Salhenſis in Epiſcopatu Argentinenſi conditio, aliaque ejus benefacta in ordinem monaſticum, *ibid.* Floriacum &c. munera tranſmittit, 862.

ÆNGUSSIUS Abbas Keledeus Feſtilogii & Martyrologii cujuſdam auctor, 877.

Allavvicus Abbas Augienſis apud Alamannos, 247. *& ſeqq.* Studiorum ſeries apud Augiam, *Ibid.* ſocietas cum Sancti-Gallenſibus, *ibid.* Allavvici obitus, 248.

Aligernus Abbas Caſinenſis ubi de *Manſone* itidem Abbate, & de S. *Nilo* juniore græcanici ritus Hegumeno, 631. *& ſeqq.* Aligernus ex Præpoſito Abbas, *ibid.* Caſinum inſtaurat, 632. male tractatus ab Adenulfo, vindicatur de injuria, *ibid.* Aligerni alia facta, 632. Nilum juniorem excipit, *ibid. & ſeqq.* Aligerni mors & epitaphium, 636. *& ſeqq.* Manſonis mores, cenſura & cæcitas, *ibid. & ſeqq.* Nilus recedit a Caſinatibus, *ibid.*

Alveus Abbas Carnotenſis. Ejus elogium, in quo de Wlfaldo ejuſdem urbis Epiſcopo, 278. *& ſeqq.* Monaſterium S. Petri apud Carnutas, itemque parthenon Montis leugarum ab Elia pſeudopiſcopo direpta, *ib. & ſeqq.* Alveus S Petri Abbas cum Ragenfredo Antiſtite monaſterium reſtituit, *ibid.* Ragenfredi litteræ, *ibid. & ſeqq.* Aliæ de eodem monaſterio, 282. *& ſeqq.* & in Appendice, 879. 880.

Anno Abbas Niciacenſis & Gemeticenſis, 361. *& ſeqq.* Miciaci regularem diſciplinam reſtituit. *ibid. & ſeqq.* Pie obit, 362. Arnulfi Epiſcopi Aurelianenſis litteræ Amalrico Annonis ſucceſſori datæ, *ibid.*

Anſteus Abbas S. Arnulfi, ubi de Adalberone I. Mettenſi Epiſcopo, 284. Anſteus ex Archidiacono monachus Gorzienſis, *ibid.* Ejus facta, 285. Adalberonis quædam facta & obitus, 286.

Argrinus Epiſcopus Lingonenſis. Elogium ejus, ubi de Iſaaco & Geilone Epiſcopis, 23. *& ſeqq.*

Arnulfi Martyris Tranſlatio Moſomum. Ubi de Moſomenſis monaſterii inſtauratione facta per Adalberonem Remenſem Archiepiſcopum, 354. *& ſeqq.* Tranſlationis deſcriptio, 355. *& ſeqq.*

Aymardus Abbas Cluniacenſis. Elogium ejus hiſtoricum, 315. Genus & electio, *ibid.* Facultates auget, 316. *& ſeqq.* Oydellis Cellam a Stephano prænobili recipit, 319. Stephani charta, *ibid.* Monachi ſub Aymardo, 320. Cæcus Majolum ſibi ſufficit, *ibid.* Ejus rei inſtrumentum, *ibid. & ſeqq.* Zelus ejus in Cellerarium, 322. Obitus, *ibid.*

B

Baltramnus Abbas Lutrenſis apud Sequanos, 276. Is primum Eremita, *ibid. & ſeqq.* Epiſcopos duos patitur infeſtos, *ibid.* Lutrenſe monaſterium accipit ab Ottone, *ibid.* Ottonis diploma, 277. Lutrenſes Abbates, 278.

Benno Epiſcopus Mettenſis. Ejus elogium, 120. *& ſeqq.* vita ſolitaria, epiſcopatus & excæcatio, *ibid.* dictus Benedictus *ibid.*

Berno Abbas Cluniacenſis, &c. Elogium ejus hiſtoricum, 66. *& ſeqq.* Genus ejus, *ibid.* monaſtica profeſſio an Auguſtoduni, *ibid. & ſeqq.* Balmæ plures, 67. Abbas datur Balmenſibus *ibid. & ſeqq.* Rodulfi Regis hac de re litteræ, in quibus etiam de Cella S. Lauteni 68. Ermengardis Reginæ diploma, 70. Gigniacenſis monaſterii auctor Berno, *ibid. & ſeqq.* Formoſi Papæ reſcriptum, 71. Item Joannis X. 72. Wido Bernonis ſucceſſor Gigniaci, *ibid.* Ejuſdem litteræ pro fœdere cum Cluniacenſibus inito, *ibid. & ſeqq.* Cluniaci ſtatus ante cœnobii conditionem, 73. Avæ

Digitized by Google

Abbatiſſæ litteræ de donatione Cluniaci facta Willelmo, 75. Is Cluniaci monaſterium erigit, 76. Litteræ conditionis, 77. Bernonis geſta Cluniaci, 79. *& ſeqq.* Dolenſe monaſterium conſtruitur, 82. Bernonis commiſſum, 83. uti & Maſciacenſe, *ibid.* item Silviniacum, 84. Bernonis teſtamentum, 85. Bernonis mors & ſanctitas declarata, 87. *& ſeqq.* Willelmi Ducis alia pia facta, 88.

Blidulſus, *Willelmus*, & *Achericus* monachi piiſſimi cum Ramberto Abbate Senonienſi, 410. Blidulſus an idem cum cognomine Primicerio Mettenſi, *ibid. & ſeqq.* Rampertus Abbas Senonienſe monaſterium una cum Einoldo ſeu Agenaldo Gorzienſi Abbate reſtituit, 412.

Bruno Epiſcopus Werdenſis, 495. *& ſeqq.* Hermanni Ducis cognatus, *ibid.* Hermannum mortuum abſolvere recuſat, *ibid.* Coadjutorem non permittit, *ibid.* obiit, 496.

C

CAdroe Abbas Walciodorenſis, dein Mettenſis: vita ejus auctore *Reimanno* vel *Ouſmanno* ejus æquali, cum obſervationibus prævиis de Cadroæ vita ſcriptore, cultu, patria, abbatiali dignitate & obitu 482. *& ſeqq.* Epiſtola ad Immonem Abbatem, & prologus auctoris, 483. Cadroæ genus & educatio, 484. Beani patruelis cura, *ibid.* Hiberniam ſtudiorum cauſa adit, 485. Inde redux aliorum fit magiſter, 486. Patriam deſerit, 487. Londini incendium exſtinguit, *ibid.* Peronæ ab Herſinde Comitiſſa excipitur, 488. Floriaci monachum induit, fit Abbas Walciodorenſis, 489. Mettenſi S. Clementis cœnobio præficitur, 490. Virtutes & miracula, 491. *& ſeqq.* Theodericus Epiſcopus monaſterio beneficus, 493. Adelheis Auguſta Cadroem accerſit, *ibid.* in itinere moritur, 494.

D

DUnſtanus Archiepiſcopus Cantuarienſis. Vita ejus auctore *Oſberno* monacho Cantuarienſi ex mſ. codice, Obſervationes præviæ de Dunſtani vitæ ſcriptoribus, monaſteriis per ipſum reſtitutis, & de omiſſis quibuſdam ab aliis auctoribus &c. 639. *& ſeqq.* Joannis Papæ XIII. ad Dunſtanum epiſtola pro pallio, 643. Oſberni epiſtola ſeu præfatio, 644. Dunſtani parentes pii & nobiles, 645. Nativitas & baptiſmus 646. monaſticæ religionis ſtatus in Anglia, *ibid.* Dunſtanus ſcientiis dat operam, 663. Ethelſtano Regi commendatur, 649. Elfego Epiſcopo hortante fit monachus, & Presbyter, *ibid. & ſeq.* Glaſtoniæ cella includitur, 651. Elgifu matrona regia ad Dunſtanum accedit, 652. Unctione ac viatico munita obit, 653. Dunſtanus ab Eadmundo in palatium accitur, *ibid.* pulſus inde poſtea revocatur, 654. Glaſtoniæ monaſterium condit, *ibid. & ſeqq.* Regis ſortem ac mortem prænoſcit, 656. Wintonienſem ſedem recuſat, *ibid.* Edredi Regis confeſſiones excipit, 658. Mortui funus curat, *ibid.* ab Edvvio Rege recedit, *ibid.* pulſus in exſilium 660. Gandavi degit, *ibid.* Revocatus Epiſcopus ordinatur, *ibid.* Dunſtanus Lundoniæ ſedem cur accipit, *ibid.* Cantuariam transfertur, 668. Angliæ ſtatum reformat, 663. Edgarum ob violatam Virginem ſeptenni pœnitentiæ addicit, 664. Prænuncia de morte ejus, 669. Chriſti corpus conſecrat, *ibid.* accepto Viatico moritur 671.

Liber miraculorum ejuſdem auctore eodem *Oſberno* monacho 672. *& ſeqq.* Item ex libro miraculorum eodem auctore, 691. *& ſeqq.*

Fragmenta ex alia vita auctore *Oſberto* monacho ſæculi 12. 684. *& ſeqq.* Item ex libro miraculorum ex cod. mſ. 691. *& ſeqq.*

Translatio S. Dunſtani in monaſterium Glaſtonienſe ex mſ. hiſtoria monaſterii Glaſtonienſis, 695. *& ſeqq.*

E

EAdburga Sanctimonialis Wintonienſis, & Merevvinna Abbatiſſa Rumeſienſis 626. *& ſeqq.*

Eadgitha ſeu Editha Eadgari Anglorum Regis filia, & ſanctimonialis Wiltonienſis, vita ejus auctore (ut videtur) Goſcelino monacho Cantuarienſi, cum obſervationibus præviis 622. *& ſeqq.*

Eberhardus primus Abbas Einſidlenſis. Ejus elogium, in quo de Alarico piiſſimo Eremita, 241. *& ſeqq.* Eberhardus illuſtris canonicus monaſterium conſtruit, *ibid.* Privilegium obtinet ab Ottone, *ibid. & ſeq.* a S. Udalrico inviſitur 242. obitus ejus, cultus & diſcipuli 243. Alarius Regulindæ Duciſſæ filius Uſnaugiæ cum matre Eremita, *ibid. & ſeq.*

Ebrulfi Abbatis Uticenſis & Ansberti monachi translatio in monaſterium Resbacenſe & alia loca, 227.

Elſegus ſenior ſeu Calvus Epiſcopus Wintonienſis. Elogium ejus, 233. *& ſeqq.* Wintonienſium Epiſcoporum ſeries, *ibid.* Elſegus Dunſtanum monachum facit, *ibid.* Quadrageſimæ tempore abſtinentiam & continentiam ſuadet, 234. Teſtamentum ejus, 235. obitus & cultus, *ibid.*

Ethelvvoldus Epiſcopus Wintonienſis. Vita ejus auctore (ut videtur) Wolſtano monacho, ejus diſcipulo, ex mſ. codice, cum obſervationibus præviis, 594. *& ſeqq.* Adelwoldi ortus, 596. ſtudia litterarum a puero, 699. fit ſacerdos, *ibid.* Glaſtoniæ fit monachus, 600. dein Abbas Abbandunenſis, *ibid.* Regem excipit, 601. Oſgarum monachum Floriacum mittit, *ibid.* Wintonienſi cathedræ impoſitus, 602. monachos clericis ſufficit, *ibid.* venenum illæſus bibit, 603. alia monaſteria reformat, *ibid. & ſeq.* Veteris monaſterii renovatio & dedicatio, 608. Carmen hac de re, *ibid. & ſeq.* Ethelwoldi obitus 610. Corpus ejus transfertur, 611. Hymni in honore S. Ethelvoldi *ibid. & ſeq.* 613. *& ſeq.*

Vita metrica ejuſdem auctore *Wilſtano* monacho, 614. *& ſeqq.* Ethelwoldus Veteris monaſterii inſtaurator, *ibid.* Eccleſiæ deſcriptio & dedicatio, 615. Ethelwoldus Novi quoque cœnobii conditor, 616. Varia de hoc monaſterio, *ibid. & ſeq.* S. Judoci corporis in monaſterio novo, 622. *ibid.*

F

FOrannanus Epiſcopus & Abbas Vvalciodorenſis. Vita ejus auctore Osberto monacho ſæculi 12. cum obſervationibus præviis de vitæ ſcriptoribus, Valciodorenſis cœnobii origine & primis Abbatibus & S. Forannani cultu & reliquiis, 575. Roberti epiſtola ad Vviboldum Abbatem Stabulenſem de S. Forannani vita, *ibid.* Vviboldi reſponſio, 576. Forannani genus, patria, ſtudia, Epiſcopatus & Vvalciodorum acceſſus, 577. Ab Eilberto Comite ſuſceptus Romam cum eo petit, 578. Gorziæ fit monachus, *ibid.* S. Eloquii reliquias obtinet ab Epiſcopo Laudunenſi, 579. Miraculis clarus moritur, *ibid.* corpus ejus in ſanctuarium transfertur, *ibid.* miracula, 580. *& ſeqq.*

Fragmenta ex Chronico Vvalciodorenſi, 584. *& ſeqq.* Monaſteriorum S. Michaelis & Bucilienſis, erectio per Eilbertum Comitem ejuſque conjugem Herſindam, *ibid.* Eorumdem beneficio in Humolarium, *ibid.* Vvalciodorenſis & aliorum trium monaſteriorum ab iiſdem conditio & dotatio, *ibid. & ſeq.* Forannani geſta, 586. *& ſeq.*

Frodoardus Presbyter Remenſis. Ubi de Heirico, Remigio, & Hucbaldo magiſtris, ac de Hucbaldo monacho Orbacenſi, 323. *& ſeqq.* Scholæ Remenſes, 324. Frodoardi vitæ compendium, 326. Synodo Virdunenſi intereſt, *ibid.* an Abbas & monachus, 327. *& ſeqq.* Obitus ejus & ſcripta, 328. Adelagi Archiepiſcopi Bremenſis epiſtola ad Frodoardum 329.

Ge

Digitized by Google

G

GEbehardus Epiſcopus Conſtantienſis. Elogium ejus, ubi de multis ejuſdem loci Epiſcopis familiæ Benedictinæ, 815. Conradus inter fratres conſcriptos S. Galli, *ibid.* Gebehardi acta, & monaſterii S. Gregorii ſeu domus Petri conditio, 816. Ciborium ibi exſtructum, 817. Gebehardi obitus *ibid.*

Gennadius Epiſcopus Aſturicenſis. Elogium ejus hiſtoricum, 33. *& ſeqq.* Monaſtica ejus vita in Ageo monaſterio, &c. *ibid.* Ordonii regis privilegium ipſi Abbati conceſſum, *ibid. & ſeq.* Fit Epiſcopus Aſturicenſis 34. Teſtamentum ejus, 35. *& ſeq.* Epiſcopatu dimiſſo ſecedit in *Silentii* montem, 37. *& ſeq.* aliorum cœnobiorum bona promovet, *ibid.* Gennadii memoria & cultus, *ibid.*

Geraldus Comes Auriliacenſis. Elogium ejus, 6. Ætas, genus, & virtutes, *ibid.* Auriliacenſis monaſterii fundatio, 7. Gerardi teſtamentum, *ibid.* Abbates Auriliacenſes, 9. Gerardi obitus, *ibid.* Tranſlatio & cultus, 10. Vabrenſis monaſterii origo, *ibid.*

Gerardus Epiſcopus Matiſconenſis an monachus & Cellæ Brovienſis conditor. 104.

Gerardus Epiſcopus Tullenſis. Ejus elogium, 862. *& ſeqq.* Gerardi merita erga ordinem S. Benedicti, 863. S. Apri cœnobio favet obtentis ab Ottone I. litteris, *ibid.* S. Manſueti monaſterium inſtaurat, & Adamum præponit Abbatem, *ibid. & ſeq.* multa loco prædia comparat, *ibid.* Romam profectus Papiæ Adalbertum Pragenſem Epiſcopum & Majolum Cluniaci Abbatem obvios habet, 864. Canonizatio per Leonem IX. 865. *& ſeq.*

Gerardus Abbas Bronienſis. Vita ejus ab anonymo reſtituta ex mſſ. cum Obſervationibus præviis, de Gerardi vitæ ſcriptoribus, geſtis, monaſteriis reformatis, memoria & elevatione, ac de ſtatu Bronienſis monaſterii, 249. *& ſeqq.* Gerardi patria & parentes, *ibid.* vita ſæcularis & prima Bronii conditio, 253. *& ſeqq.* ad S. Dionyſium fit monachus, 256. *& ſeqq.* S. Eugenii reliquias obtinet 258. Cellenſe monaſterium reformat, 264. *& ſeqq.* Item Blandinienſe, 271. Item alia octodecim, 273. Romam petit privilegii cauſa, 273. Bronii moritur, 275. *ibid.*

Geroldus Eremita cum beatis Cunone & Udalrico filiis ejus Einſidlenſibus in Rætia monachis. Elogium ejus 544. *& ſeqq.* non Saxo ſed Alamannus 545. S. Geroldi Cella ſeu præpoſitura, *ibid.* cultus 546.

Gozlinus ſeu Gauslinus & Gozelinus Epiſcopus Tullenſis. Ejus Elogium, 862. *& ſeq.* Boſſerias ſanctimonialium parthenona condit, ſanctique Apri monaſterium reſtituit, *ibid.* Eidem loco Archembaldum præficit Abbatem, cui Humbertus ſucceſſit, 863. S. Manſueti cœnobium inſtaurandum aggreditur, 864.

Gregorius Abbas Einſidlenſis. Elogium ejus hiſtoricum, 817. *& ſeqq.* Thietlandi deceſſoris ejus geſta & ſcripta, *ibid.* Gregorius nobiliſſimo Anglorum genere, *ibid.* Ottonum privilegia ipſi conceſſa, 819. *& ſeq.* Conſtantiam mittit coloniam monachorum, *ibid.* Wolfgangum, futurum Ratisbonenſem Epiſcopum, ſuſcipit *ibid. & ſeq.* obitus ejus & Epithapium, 820.

Gregorius Abbas Nonantulanus. Ejus elogium, ubi de monachis ibidem cæſis ab Hungaris, 112. *& ſeqq.* Sergii Papæ 3. diploma Leopardo Abbati Nonantulano conceſſum, *ibid.* Coſmæ Materienſis carmen 113.

Grimbaldus Abbas Wintonienſis. Ejus elogium, 3. Tranſit in Angliam, 4. in Oxonienſi Academia litteras docet, *ibid.* Diſcordia cum veteribus Britonibus, *ibid.* Wintonienſis fit Abbas 5. moritur *ibid.*

Guibertus monachus Gorzienſis, cœnobii Gemblacenſis conditor. Vita ejus auctore *Sigeberto* monacho Gemblacenſi cum obſervationibus præviis de ejus vitæ ſcriptoribus; memoria & cultus, de Gemblacenſis cœnobii initiis, titulis & privilegiis, Benedictique VII. bulla, ac demum de Erluino Abbate primo, 297. Guiberti patria & parentes, 301. virtutum profectus ac ſæculi fuga, 301. Gemblacum adjuvante Giſla avia conſtruit, *ibid.* Gorziam ſe recipit, Hungaros quoſdam ad fidem convertit, 307. Gorziam revertitur 308. mortui corpus Gemblacum refertur, 309. *& ſeqq.*

Guido II. Epiſcopus Anicienſis, monaſterii S. Petri eadem in urbe conditor. Vita ejus cum obſervationibus præviis, 811. *& ſeqq.* Is Fulcone Andegavorum Comite genitus, Cormarici monachus, tum Abbas fuit, 812. Factus Epiſcopus, res Eccleſiæ vindicat indicta hanc in rem *treuga* & *pace*, *ibid.* Canonicos ad communem vitæ rationem adducit *ibid. & ſeq.* S. Benedicti ſeu S. Petri cœnobium condit Anicii, 813. *& ſeqq.*

H

HArtvvicus Abbas Tegernſenſis in Bajoaria ejuſdemque loci reſtitutor. Elogium ejus, 591. *& ſeqq.*

Hilarii Epiſcopi Carcaſſonenſis Tranſlatio, 541. *& ſeqq.* Monaſterium S. Hilarii & Abbates ejus, *ibid. & ſeqq.* Tranſlationis narratio, 542.

Hildebertus Epiſcopus Moguntiacenſis. Elogium ejus, in quo de aliis ejuſdem ſedis Archiepiſcopis, Hattone & Herigero, 116. Hildebertus Ottonem coronat, 117. ſucceſſores, 118. *& ſeqq.*

Hincmarus Abbas S. Remigii apud Remos. Cœnobii S. Remigii ſtatus & Abbates, 342. Monaſteria ab Hincmaro reformata, 343. Succeſſores ejus, *ibid.*

Hogerus Archiepiſcopus Bremenſis, Adalgario ſuccedit, 25. Acta ejus, perſecutio, & obitus, *ibid.*

Hugo ſeu Ogo & Uogo monachus, tum præpoſitus, & Abbas S. Maximini apud Treviros, tum Epiſcopus Leodicenſis, 868.

Hugo monachus Æduenſis & Enziacenſis Præpoſitus in Burgundia. Vita ejus auctore anonymo ſæculi 11. ſcriptore, cum Obſervationibus præviis de S. Savini Pictavenſi monaſterio, Æduenſibus, & de Enziacenſi Prioratu, 89. *& ſeqq.* Æduenſe S. Martini cœnobium a Brunichilde erectum, 92. inſtauratum a Comite Badilone, monachi ex Aſceterio S. *Savini* adducti, 93. Hugo fit monachus cum æquivoco nepote, 94. Hugonem Berno Balmam evocat, 95. Leobaudus Enziacum fundat eique Hugonem ei præponit, 96. virtutes ejus, *ibid. & ſeqq.* mors & miracula, 98. *& ſeqq.* Tranſlatio per Walterium Epiſcopum, 100. *& ſeqq.* Corpus ejus ad ſynodum Epiſcoporum delatum, 102.

Hunegundis virginis Humolarienſis apud Viromanduos tranſlatio; auctore *Bernero* Abbate ex mſſ. cum Obſervationibus præviis de Bernero auctore, Berta Abbatiſſa, Tranſmari Epiſcopi authenticis Litteris, Humolarienſis cœnobii ſtatu, & S. Hunegundis aliis tranſlationibus, 214. Prologus auctoris, 215. Berta Humolarienſium præfecta ſanctæ Hunegundis corpus detegit, 216. Apertum 30. diebus ſepulcrum, 217. infirmi ſanati, *ibid. & ſeqq.* Alia miracula, Magneri militis libido repreſſa, *ibid.* ſpicæ ſanguinolentæ ob neglectum ejus feſtum, 221.

Alterius auctoris ſcriptum de mutatione corporis S. Hunegundis, 222. *& ſeqq.*

Digitized by Google

I & K

JOhannes I Abbas Caſinenſis. Ejus elogium, 114. *& ſeqq.* Genus ejus, monachatus & Abbatialis dignitas, *ibid.* elogium mors & ſepultura 115.

Johannes Abbas Gorzienſis. Vita ejus auctore *Johanne* Abbate Mettenſi cum Obſervationibus præviis de Gorziæ ſtatu, viris illuſtribus, Johannis, memoria, 363. *& ſeqq.* Vita Johannis adhuc viventis ſcribi cœpta, *ibid.* Deoderici Epiſcopi juſſu, 367. 381. Johannis genus & natale ſolum, 367. *& ſeqq.* ſtudia ejus, 369. *ibid. & ſeqq.* Caſinum & Garganum montem viſitat, 373. Redux domi monachi vitam ducit, *ibid.* Einoldus Tullenſis Primicerius pauperibus ſua diſtribuit, 375. Humberto ſe adjungit in eremo, *ibid.* Accerſito Johanne de ſæculo relinquendo & de petenda Italia cogitans, 375. *& ſeqq.* Adalbero Gorziam eis offert, 376. Loci ſtatus miſerabilis, *ibid.* Adalbero ibi ſepulturam eligit, 378. Studia ejus in rem monaſticam & maxime in Gorzienſe cœnobium, 379. Eo Johannes ſecedit cum ſociis, *ibid.* Einoldo Abbate electo fit Cellerarius, *ibid.* Viri illuſtres Gorziæ, 383. *& ſeqq.* Gorziæ Abbates, 388. Johannis virtutes, obedientia & probatio, *ibid.* Officiorum divinorum modus Gorziæ, 391. Lectiones ejus & vigiliæ, 393. Cellerarii munus ut gerit, 393. Legatio in Hiſpaniam, 403. *& ſeqq.*

Johannes Abbas Parmenſis. Vita ejus auctore anonymo monacho ſubæquali ex mſ. Placentino, cum Obſervationibus præviis, 697. *& ſeqq.* Ortus ejus & patria, 699. Parmenſis fit Canonicus, *ibid.* Sexies tendit Jeroſolyma, *ibid.* monachum ibi induit, *ibid.* A Sigeſrido Parmenſi Epiſcopo conſecratur Abbas, *ibid. & ſeqq.* In Synodo Ravennenſi Abbatum electioni proviſum, 700.

Jodoci Presbyteri & Confeſſoris Translatio, 536. *& ſeqq.* primo Gomercium, deinde in Parnenſem Eccleſiam in pago Wilcaſſino, *ibid.*

Kenevvaldus Epiſcopus Wigornienſis. Ejus elogium. 236. Facta ejus, & iter in Germaniam, *ibid.*

L

LEO Abbas de Fundo & Epiſcopus Cajetæ. Auriliaci Recluſus in crypta, 976.

Leo ex Abbate (ut videtur) Nonantulano Archiepiſcopus Ravennenſis. Elogium ejus, 867. *& ſeqq.* Epiſtola egregia ad Durantem ex monacho Eremitam & alios ejus aſſeclas, 870. *& ſeqq.* Aliæ ad Bonizzonem Palatiolenſem Abbatem litteræ, 874.

Leo Abbas Nonantulanus. Elogium ejus, 868. Leones duo Nonantulæ Abbates, *ibid.* Leonis II. vitæ Synopſis per Petrum Damiani, 867. an idem cum Leone Archiepiſcopo Ravennate, *ibid. & ſeqq.* Romam ad S. Bonifacium ſecedit, *ibid.*

Leo Abbas Romæ ad S. Bonifacium & Alexium. Ejus elogium, 868. *& ſeqq.* Legatio ejus in Galliam, &c. 874. *& ſeqq.*

Liudolfus Abbas Corbejenſis in Saxonia. Elogium ejus, ubi de aliis ejuſdem ævi ibidem Abbatibus, 706. *& ſeqq.*

Luciæ Virginis & Martyris Syracuſanæ translatio reliquiarum in Mettenſe S. Vincentii monaſterium, 369. S. Vincentii monaſterii origo, *ibid. & ſeqq.*

M

MAjolus Abbas Cluniacenſis. Elogium ejus hiſtoricum, 739. *& ſeqq.* Vitæ ſcriptores, *ibid. & ſeqq.* Majoli patria, 740 *& ſeqq.* pater & avus Folcherius, 741. Majoli diploma, 742. Matiſconæ fit canonicus, 743. tum Archidiaconus, 744. Veſontionenſem Archiepiſcopatum recuſat, *ibid.* Fit monachus, tum Apocriſiarius, 747. Romanum iter & quædam ejus facta, *ibid.* Abbas quo tempore electus, *ibid. & ſeqq.* Acta ſub communi ejus & Aymardi regimine, 746. Lirinenſe monaſterium ipſe ordinat, 748. Majoli præclara laus, *ibid.* S. Marcelli monaſterium obtinet, 749. *& ſeqq.* (*pag.* 749. *poſt* aſſiſtunt, adde, Huc referenda eſt dedicatio eccleſiæ Cluniacenſis, quæ anno 982. ab Hugone Archiepiſcopo Bituricenſi 16. Kal. Martii facta dicitur in Chronico Cluniacenſi.) 751. Italica monaſteria reformat, *ibid.* Germanica item & Gallicana, 752. *ibid. & ſeqq.* Floriacenſes turbæ de Abbatis electione, 754. *& ſeqq.* Majolus a Saracenis captus, 756. Romanum Pontificatum recuſat, 757. Ottonem II. Adelhaidæ matri reconciliat, *ibid.* Italica Majoli itinera, 758. (*Corrige quæ num.* 47. *lin.* 17. *& lege* ad quartum Majoli Romanum iter, id eſt ad annum 983. referendum videtur) Odilone ſibi ſuffecto, 758. Silviniaci obit, 760. Sanctitas declarata, *ibid.* 761. Majoli diſcipuli, *ibid. & ſeqq.* Vita auctore *Syro*, cujus epiſtola ad Odilonem Abbatem, 764. *& ſeqq.*

Malcalenus Abbas Walciodorenſis & S. Michaelis in Tiraſcia. Elogium ejus hiſtoricum, 539 *& ſeqq.* Monaſterii S. Michaelis inſtauratio & Malcaleni eo adventus, *ibid.* Monaſtica profeſſio & Abbatialis dignitas ad S. Michaelem & Walciodori, 539. item Lauduni apud S. Vincentium, 541. Mors ejus & memoria, 542. Adde quæ in Appendice de monaſterio S. Michaelis, 889.

Maria primitus Madla ſeu Madila, Pragenſis Abbatiſſa. Elogium ejus, ubi de erectione. Pragenſis Epiſcopatus, deque Dietmaro primo Epiſcopo, 809. *& ſeqq.*

Matildis Regina, uxor Heinrici Aucupis Germanorum Regis. Elogium ejus, 344. *& ſeqq.* Munifica in Ordinem monaſticum, *ibid.* Quirdeliburgenſe monaſterium conſtruit, 345. Eo ſecedit, *ibid.* calumniam a ſuis paſſa, 346. Palidenſe cœnobium condit, *ibid.* Henrico filio mortuo ut vitam inſtituit, *ibid.* Alia monaſteria ædificat, 347. Pie obit, *ibid. & ſeqq.* Ottonis M. diploma pro Quidlinburgenſi cœnobio, 348. Aliud ejuſdem de Poledani fundatione & donatione, 349.

Maurini Abbatis & Martyris corporis inventio & translatio facta in Colonienſi monaſterio S. Pantaleonis, auctore Stephano ſæculi 10. ſcriptore cum obſervationibus præviis de Colonienſibus monaſteriis, de Brunone Archiepiſcopo S. Pantaleonis conditore, ac de Stephano, & Chriſtiano Abbate, 331. *& ſeqq.* Prologus ſeu epiſtola auctoris ad Chriſtianum Abbatem, 333. Hiſtoria translationis, *ibid. & ſeqq.*

N & O

NOtgerus ſeu Notkerus ex Præpoſito S. Galli Epiſcopus Leodicenſis, 878.

NotKerus Balbulus monachus S. Galli. Elogium ejus Hiſtoricum, ubi de Ratperto, & Tutilone monachis, 12. Notkerus cognomento Balbulo *ibid.* patria & educatio 13. S. Galli diſciplina, *ibid.* monachorum numerus, 14. Notkerus Scholis præfectus 15. Ejus obitus, & ſcripta, 18. Epiſtola ad Liutwardum Epiſcopum Vercellenſem, 19. Inquiſitio de ejus ſanctitate 20.

Odo Archiepiſcopus Cantuarienſis. Vita ejus auctore ut videtur Osberno monacho Cantuarienſi ex mſ. cum obſervationibus præviis, 281. Odonis genus 282. Romam cum Athelmo duce petit 283. fit Epiſcopus Schireburnenſis 289. tum Cantuarienſis 290. monachi veſtem à Floriacenſibus accipit 291. Euchariſtiæ adverſarios miraculo convertit, *ibid.* Evvium Regem libidinoſum emendare conatur 293. moritur *ibid. & ſeqq.* Columba ſuper ejus ſepulchrum 295.

Odo Abbas Cluniacenſis. Elogium ejus Hiſtoricum

Digitized by Google

-ricum 122. *& ſeq.* vitæ ſcriptores *ibid. & ſeq.* parentes 123. natale ſolum, educatio & vita canonica 124. ſtudia, & Martinianæ apud Turonos eccleſiæ ſtatus 126. converſio ad monachatum cum Adhegrino ſocio, 126. Abbatialis dignitas & monaſtici Ordinis ſtatus, 127. *& ſeqq.* Cluniaci religio, 128. *& ſeq.* monaſteria per Odonem reformata, 131. *& ſeqq.* Romanenſe, 132. Adeleydis Comitiſſæ hanc in rem litteræ, 143. *& ſeq.* Cluniacenſis cœnobii & congregationis res auctæ per Odonem, 136. *& ſeqq.* Iter ejus Romanum multiplex, 137. *& ſeq.* morbus, mors, ſepultura Turonis, reliquiæ & cultus, 139. *& ſeqq.* Johannis Epiſcopi Turonenſis inſtrumentum de reliquiarum ejus translatione, 143. *& ſeqq.* Odonis ſcripta & ſcite dicta de moribus ſui ſæculi, 143. *& ſeqq.* Diſcipuli 147. *& ſeq.*

Vita auctore *Johanne* monacho 148. *& ſeqq.*

Oſvvaldus Epiſcopus Vvigornienſis, tum Eboracenſis Archiepiſcopus. Vita ejus auctore anonymo cum obſervationibus præviis &c. 708. *& ſeqq.* Oſvvaldus Floriacum ſecedit, 709. Angliam repetit, 710. Vvigorniæ præfectus Vveſtbiri monachos congregat, Rameſiamque cum Ailvvino Duce condit, *ibid.* Concilium pro cleri reformatione, 711. Abbo Floriacenſis Rameſiæ litteras docet *ibid.* Vvigorniæ B. Mariæ cœnobium conſtruitur, 712. Canonici S. Petri in monachos mutati *ibid.* Oſvvaldus cum Vigornienſi Eboracenſem regit Eccleſiam, *ibid.* S. Vvilfridi & aliorum corpora detegit, *ibid. & ſeq.* Panem benedicit qua virtute, 713. obit 713. *& ſeq.* miracula, 714. *& ſeq.* Fragmentum de S. Oſvvaldo ex Orderico Vitale, *ibid.*

Alia vita ex Chronico mſ. cœnobii Rameſienſis 715. *& ſeqq.* ubi multa de cœnobio Rameſienſi.

P

Paterni monachi & martyris translatio in monaſterium Brajacenſe ad Sequanam 245. *& ſeqq.* item S. Pavani *ibid.* Loci ejus origo & Abbas Foldbritus ſeu Fudbertus *ibid.* Adelelmi Militis charta pro Floriacenſi cœnobio 246.

Petrus Urſeolus ex Duce Venetiarum monachus S. Michaelis de Coxano in Catalania. Vita ejus ex mſ. cum præviis obſervationibus ex Petro Damiani &c. 847. *& ſeqq.* Petri pueritia ut exacta, 851. Dux eligitur, *ibid.* virtutes & pietas in Deum *ibid. & ſeqq.* De ſeceſſu cogitanti Guarinus Abbas Coxanenſis occurrit, 853. *& ſeq.* Conſilium ejus de abdicando ſæculo approbat, 854. *& ſeq.* Venetias cum Abbate deſerit, 855. S. Michaelis cænobium ſubit nudipes, 856. *& ſeq.* Novitius humilitati ſtudet *ibid.* Fit ſacriſta, 857. Orationi & lacrymis vacat, *ibid.* Cellæ incluſus orationi & abſtinentiæ vacat, 858. mortis præſcius obit, 859. *& ſeqq.*

Plegmundus Archiepiſcopus Cantuarienſis Elogium ejus, 38. *& ſeqq.* bis Romam tendit, *ibid.* Epiſcopos in vacuis ſedibus conſecrat, 39. a Fulcone Remenſi Pontifice commendatur, *ibid.* mors & ſucceſſores ejus, 40.

Porcarius Abbas Lirinenſis cum ſuis martyrio affectus a Saracenis 778.

R

Radbodus Epiſcopus Trajectenſis ad Rhenum. Vita ejus auctore anonymo ſubæquali cum obſervationibus præviis de monaſtica ejus profeſſione, &c. 26. *& ſeqq.* Scholis palatinis adhæret, *ibid.* Hugonem Abbatem ſequitur, *ibid.* Creatus Epiſcopus monaſticum habitum induit, 29. S. Martini componit officium, 30. Danos anathemate percellit, *ibid.* Baldricum ſucceſſorem deſignat, 31. ſæculo militare recuſat, *ibid.* Religioſa mors & ſepultura Daventriæ, 32.

Raſſo Comes, tum monachus Vverdenſis apud Bajoarios. Ejus elogium 235. *& ſeqq.*

Ratherius Epiſcopus Veronenſis, Elogium ejus, 473. *& ſeqq.* Laubienſis monachus Veronenſi Epiſcopatu donatur, *ibid.* multa patitur ab Hugone, 474. Verona relicta in Provinciam & Laubias ſecedit, 475. Papam appellat, *ibid.* Leodicenſis fit Epiſcopus, 476. Brunonis præceptor, *ibid.* iterum ejectus Veronæ reſtituitur, 477. Laubias iterum ſe recipit, 478. ibi moritur, 479. Scripta ejus, 489. *& ſeq.* mores, 481.

Reginbertus monachus & & fundator cœnobii S. Blaſii in Hercinia Silva. Ejus Genus cum Ottone familiaritas, & eremitica vita 311. S. Blaſii cœnobium condit *ibid.* Inde monachi ad perficiendam in Murenſi cœnobio diſciplinam educti *ibid. & ſeq.* Ibi *fratres & ſorores exteriores*. Origo eorum *ibid.*

Richarii Abbatis corporis relatio ex Sithienſi monaſterio in Centulenſe metrice deſcripta ab Ingelramno Centulenſi Abbate, 553. *& ſeqq.*

Miracula S. Richarii poſt corporis ejus relationem facta, auctore Hariulfo monacho Centulenſe, ex codice mſ. 557. *& ſeq.*

Richarius ex Abbate Prumienſi & Stabulenſi Leodicenſis Epiſcopus 867. Leodicenſe S. Petri monaſterium inſtaurat *ibid.*

Rudeſindus Epiſcopus Dumienſis, monaſterii Cellæ-novæ in Callæcia conditor. Vita ejus (ubi de Ilduara confeſſa Rudeſindi matre) auctore Stephano Cellæ-novæ monacho, cum obſervationibus præviis 514. Rudeſindi genus regium, ortus, baptiſmus & pueri ſtudia, 517. Dumienſis creatur Epiſcopus, 518. Compoſtellanæ ſedis curam gerit, *ibid.* Nortmannos & Mauros repellit, *ibid.* Cellæ-novæ condit monaſterium, 519. ibi degit monachus, tum Abbas, *ibid.* mortuos duos revocat ad vitam 520. Araguntis Reginæ obitum prænoſcit, *ibid.* Mamillano ſucceſſore deſignato moritur, 521.

Miraculorum liber 522. *& ſeqq.* Translatio ejus 535. *& ſeq.*

S

Salvus Abbas Alveldenſis in Hiſpania, Ejus elogium, ubi de Dulquito ejus deceſſore, de Velaſcone Epiſcopo, & de Vigila monacho ſcriptore, 295. *& ſeqq.*

Sandradus Abbas Gladbacenſis. Elogium ejus, 628. *& ſeqq.* Geronis Comitis pietas, *ibid.* Gladbacenſis monaſterii conditio. *ibid. & ſeqq.* Sandradus Trevirenſis monachus ad S. Maximinum, 629. Gladbaco pulſus Vveiſſemburgo præficitur, *ibid.* Ottoni familiaris, 630. S. Galli monaſterium luſtrat, *ibid.*

Senorina Abbatiſſa Baſtenſis in Portugallia, 573. Loci ſitus & vitæ compendium, *ibid.* epitaphium, 574. miraculum in regem Sanctium, *ibid.* Ejuſdem privilegium, *ibid.* item aliorum, *ibid.*

Stephanus Epiſcopus Leodicenſis, prius Abbas Laubienſis & S. Michaelis ad Moſam, 867.

T

Theoderici Abbatis Remenſis corporis elevatio, 513. *& ſeqq.* Canonici ſæculares apud S. Theodericum, *ibid.* Synodus biidem, *ibid.* Monachi reſtituti, *ibid.* Airardus Abbas ex cœnobio Remigiano, *ibid.* Lotharii diploma, *ibid.* S. Theoderici elevatio probante Rege, *ibid. & ſeqq.* Airardus Abbas auctor relationis corporis S. Theodulfi, 514.

TurKetulus Abbas Crulandenſis in Anglia. Vita ejus ex Ingulfo Abbate, 496. *& ſeqq.* Is Regis Cancellarius, 497. 498. Monachum ſe ibi vovet, *ibid.* Abbas factus cœnobium Crulandenſe inſtaurat, 499. Privilegium obtinet ab Edredo Rege, *ibid. & ſeqq.* Vita ejus in ſæculo, 500. *& ſeqq.* Crulandenſis monaſterii diſciplina, 508. *& ſeqq.* TurKetuli obitus, 511.

Digitized by Google

Tuto Epiſcopus Ratiſponenſis. Ubi de aliis ejuſdem ſedis Epiſcopis monachis deque cœnobio S. Emmerammi, atque de corpore S. Dionyſii Pariſiorum Epiſcopi, 105. *& ſeqq.*

V

U*Dalricus* Epiſcopus Auguſtanus. Vita ejus auctore *Gerardo* Presbytero ejus familiari, cum Obſervationibus præviis, 413. *& ſeqq.* Udalrici genus, & ortus, ſeceſſio & ſtudia ad S. Gallum, 418. Viboradæ de eo vaticinium, 419. Romanum ejus iter, *ibid.* Auguſtæ Epiſcopatus, 420. Ejus pietas, & ſollicitudo, 423. Modus vivendi, *ibid. & ſeqq.* Auguſtam urbem tuetur, 434. Liutolfum Ottoni patri reconciliat, 436. Ungari internecione deleti, *ibid. & ſeqq.* 442. Campidonæ ex morbo decumbens ſacra unctione recreatur, *ibid.* Romam petit, *ibid.* Epiſcopatum Adalberoni nepoti petit ab Ottone, *ibid.* Reverſus Auguſtam ipſe monaſtico induitur, 444. Adalberonis ſubſtitutio Synodo & morte impedita, 446. *& ſeqq.* Adalberonis mors, *ibid. & ſeqq.* Uremburanam Abbatiam monachis reddit, 447. *& ſeqq.* Morti proximus Miſſas quotidie celebrat, 448. Dictis in feſtivitate S. Johannis Miſſis duabus exſtinguitur, 450. *& ſeqq.* Heinricus ejus ſucceſſor, 451. Fortuna ipſius, *ibid. & ſeqq.*

Liber de miraculis S. Udalrici, 456. *& ſeqq.* Bulla canonizationis, 466.

Gebehardi Epiſcopi Auguſtenſis Prologus in vitam S. Udalrici, 467.

Prologus Bernonis Abbatis Augienſis in ejuſdem vitam, 468.

Inventio & translatio corporis S. Udalrici 469. *& ſeqq.*

Charta ejuſdem pro Campidonenſi monaſterio, 471.

Catalogus Epiſcoporum Auguſtenſium, 472.

Walarici Abbatis corporis relatio in monaſterium Leuconaenſe deſcripta ab Anonymo, 546. *& ſeqq.* Abbates quidam ejus loci, 556. *& ſeqq.*

Wandregiſili, Ansberti, atque Vvlframni hiſtoria translationis in monaſterium Blandinienſe ex mſ. codice Bigotiano, cum Obſervationibus præviis, 201. *& ſeqq.*

Wiborada Virgo & Martyr, Recluſa apud S. Gallum. Vita ejus auctore *Hartmanno* monacho ejus æquali, cum obſervationibus præviis. 43. *& ſeqq.* Vviboradæ patria & natales, 44. Studia & virtutes, 45. *& ſeqq.* Romam cum fratre pergit, 46. A carne & vino abſtinet, 48. A Salomone Epiſcopo cellæ includitur, 49. ab Udalrico conſulitur, 50. Burchardum Ducem ad pœnitentiam excitat, 52. Hungarorum adventum prævidet, 53. ſpe martyrii fugere recuſat, 54. à barbaris cæditur, 55. Epitahpium ejus, 60.

Fragmenta ex Epidanno de eadem, 60. *& ſeqq.* Item ex Hepidanno, 65. *& ſeqq.*

Wiggerus Abbas S. Maximini apud Treviros. Ubi de reſtitutione monaſticæ diſciplinæ in Trevirenſibus monaſteriis, 339. *& ſeqq.*

Wlſſinus Epiſcopus Schireburnenſis in Anglia. Ubi de aliis ejuſdem ſedis Epiſcopis, præſertim Aſſero & Altvvoldo, 237. *& ſeqq.*

Wolfgangus Epiſcopus Ratiſponenſis. Vita ejus auctore Anonymo ejus familiari ex mſ. reſtituta cum Obſervationibus præviis, 788. *& ſeqq.* Vvolfgangus Suevus, 789. ſtudet Augiæ & Herbipoli, 790. Treviris litteras docet, 791. Romam petit cum Henrico Archipræſule, 892. Inde Coloniam a Brunone Pontifice revocatus, *ibid.* Einſidlæ fit monachus, 793. A S. Udalrico Presbyter ordinatur, 793. In Pannoniam tendit, *ibid.* Fit Epiſcopus Ratiſponenſis, *ibid. & ſeqq.* Abbatem in S. Emmerammi cœnobio Ramvoldum conſtituit, 795. Virginum cœnobia Superius & Interius ad monaſtica reducit inſtituta, 797. S. Pauli parthenona condit, 798. Canonicos ad communem vitam inducit, 798. Prædicationi ſedulo vacat, *ibid.* virtutes ejus 799. *& ſeqq.* Monita Sacerdotibus data, 800. Cavet ne deinceps abſque vino miſſa celebraretur, *ibid.* epiſcopalem ſedem Pragæ erigi annuit, 805. *& ſeqq.* Puppingæ Confeſſione & Viatico munitus obit, 806. Corpus Ratiſponam delatum, 807.

KALENDARIUM SANCTORUM,

quorum Acta in hoc Sæculo quinto exhibentur.

JANUARIUS.

7. MIciaci in territorio Aurelianenſi S. Annonis ejuſdem loci, itemque Gemetici Abbatis 361.

8. Schireburni in Anglia S. Vvlſſini ejuſdem ſedis Epiſcopi & Conf. 237.

10. In Monaſterio Coxanenſi B. Petri Urſeoli e Duce Venetiarum & Dalmatiarum monachi & Conf. 847.

13. Cluniaci B. Bernonis Abbatis primi. 66.

21. In monaſterio Vualcidiorenſi B. Malcaleni ejuſdem loci itemque S. Michaelis in Teraſcia Abbatis. 539.

25 Divione in monaſterio S. Benigni *V.* Argrimi Epiſcopi Lingonenſis. 23.

FEBRUARIUS.

10. In monaſterio Alveldenſi in Hiſpania V. Salvi Abbatis. 295.

27. In monaſterio Gorzienſi S. Johannis Abbatis pietate inſignis. 363.

29. Vvigorniæ in Anglia S. Oſvvaldi ejuſdem ſedis, tum Eboracenſis Epiſcopi. 708.

MARTIUS.

1. In monaſterio Cellę-novę in GallęciaS. Rudeſindi Epiſcopi Dumienſis, ejus loci conditoris. 514.

3. Eodem die tranſlatio S. Hilarii Epiſcopi Carcaſſonenſis. 541.

5. Remis *V.* Hincmari Abbatis S. Remigii. 342.

6. Mettis ad baſilicas ſeu in monaſterio S. Clementis S. Cadroæ Abbatis Vvalciodorenſis, tum S. Clementis & Confeſſoris. 482.

8. Verdæ in Saxonia *V.* Brunonis ejuſdem ſedis Epiſcopi. 405.

12. Vvintoniæ S. Elfegi Epiſcopi & Confeſſoris. 235.

14. In Monaſterio Quindelinburgenſi S. Mathildis Reginæ, ejuſdem loci aliorumque cœnobiorum conditricis. 342.

28. Remis *V.* Frodoardi Presbyteri ſcriptis clariſſimi. 323.

31. In monte Caſino *V.* Johannis I Abbatis. 114.

APRILIS.

8. In Monaſterio S. Galli B. NotKeri Monachi pietate & doctrina inſignis. 12.

19. In Rhetia S. Geroldi Eremitæ Cellæ Geroldinæ conditoris, itemque filiorum ejus Cunonis & Udalrici monachorum Einſidlenſium. 544.

20. Enziaci in Burgundia S. Hugonis monachi Æduenſis, ejuſdemque loci Præpoſiti. 89.
Eodem die in Monaſterio S. Theoderici prope Remos elevatio corporis S. Theoderici Abbatis. 513.

21. Baſtæ in Luſitania S. Senorinæ Abbatiſſæ. 573.

Digitized by Google

23. Gneſnæ in Polonia S. Adalberti Epiſcopi & Martyris. 821.
30. In Monaſterio Vvalciodorenſi S. Forannani Epiſcopi & ejuſdem loci Abbatis. 575.

MAJUS.

2. Apud S. Gallum S. Vviborda Recluſæ & martyris. 43.
11. In Monaſterio Silviniacenſi S. Majoli Abbatis Cluniacenſis eximii. 739.
14. In cœnobio S. Emmerammi B. Tutonis Ratiſponenſis Epiſcopi. 105.
12. In Monaſterio Andecenſi ſeu Monte-ſancto apud Bajoarios *V.* Raſonis ex Comite monachi Vverdenſis. 235.
19. Cantuariæ S. Dunſtani Archiepiſcopi, monaſticæ diſciplinæ in Anglia reſtitutoris. 639.
23. Gemblaci in Belgio S. Guiberti Monachi Gorzienſis & Monaſterii Gemblacenſis conditoris. 297.
25. In Monaſterio Pennalbæ S. Gennadii Epiſcopi Aſturicenſis, multorum cœnobiorum patris. 33.
29. Matiſcone ſeu in Brovienſi Cella Fori Sebuſianorum Gerardi Epiſcopi Matiſconenſis. 104.
31. Moguntiæ *V.* Hildeberti ejuſdem ſedis Archiepiſcopi, 116.

JUNIUS.

2. In Monaſterio Leuconaenſi relatio corporis S. Vvalarici Abbatis. 546.
3. In Monaſterio Centulenſi relatio corporis S. Richarii Abbatis. 553.
20. Magdeburgi in Saxonia S. Adalberti primi ejuſdem urbis Archiepiſcopi. 563.
Eodem die in Monaſterio Parmenſi S. Joannis Abbatis. 697.

JULIUS.

4. Cantuariæ in Anglia S. Odonis Epiſcopi & Confeſſoris, 286.
Eodem die S. Udalrici Auguſtani Epiſcopi ſignis & virtutibus clariſſimi, 413.
8. Vvintoniæ in Anglia S. Grimbaldi Abbatis, 3.
11. In Monaſterio Crulandenſi *V.* Turketuli ejuſdem loci Abbatis & reſtitutoris, 496.
24. In monaſterio Moſomenſi Tranſlatio S. Arnulfi martyris, 354.
25. Parnis in pago Vvilcaſſino Tranſlatio S. Judoci Presbyteri & Confeſſoris, 536.

AUGUSTUS.

1. Vvintoniæ S. Ethelvvoldi Epiſcopi & Confeſſoris, 594.
3. In monaſterio Nonantulano B. Gregorii Abbatis, 112. Ibidem Tranſlatio beatorum Martyrum Theopompi & Syneſii, 113.
Eodem die Mettis *V.* Bennonis ejuſdem ſedis Epiſcopi, 120.
8. In monaſterio Tegernſenſi in Bajoaria *V.* Hartvvici Abbatis ejuſque loci reſtitutoris, 591.
15. In monaſterio Lutrenſi apud Sequanos *V.* Baltramni Abbatis, 276.
17. In monaſterio S. Petri in Valle Carnotenſi *V.* Alvei Abbatis, 278.
24. In monaſterio Gladbacenſi B. Sandradi Abbatis, 628.
27. Conſtantiæ ad Rhenum in Monaſterio SS. Petri & Gregorii S. Gebehardi Epiſcopi ejuſdem loci conditoris, 815.

SEPTEMBER.

8. In monte Blandinio prope Gandavum Tranſlatio SS. Vvandregeſili Abbatis & Anſberti atque Vvlframni Pontificum, 201.
8. Mettis in monaſterio S. Arnulfi V. Anſtei Abbatis, & Adalberonis ejuſdem urbis Epiſcopi, 284.
16. In monaſterio Wiltonienſi S. Eadgithæ ſeu Edithæ Edgari Regis filiæ & ſanctimonialis, 622.

OCTOBER.

3. In monaſterio Bronienſi S. Gerardi Abbatis ejuſque loci conditoris, qui plurima Belgii monaſteria meliorem in formam reduxit, 247.
5. In monaſterio Cluniacenſi B. Aymardi Abb. 315.
12. Romæ in monaſterio SS. Bonifacii & Alexii *V.* Jo: Canaparii monachi pietate inſignis. 876.
13. Auriliaci S. Gerardi Comitis & loci conditoris, 6.
Eodem die Coloniæ in monaſterio S. Pantaleonis Tranſlatio S. Maurini Abbatis & Martyris, 331.
30. Ratiſbonæ S. Wolgangi ejuſdem urbis Epiſc. 788.

NOVEMBER.

4. Cantuariæ V. Plegmundi ejuſdem ſedis Archiepiſcopi, 38.
7. In cœnobio Humolarienſi apud Viromanduos Tranſlatio corporis S. Hunegundis Virginis, 214.
8. In Monaſterio Einſidlenſi apud Helvetos V. Gregorii Abbatis, 817.
18. Cluniaci S. Odonis præſtantiſſimi Abbatis, qui multis in locis collapſam regularem diſciplinam reſtituit, 122.
20. In monaſterio Nonantulano B. Leonis II. ejuſdem loci Abbatis, 868.
Eodem die Ravennæ B. Leonis cognomento Muti ex Abbate Nonantulano ejuſdem ſedis Archiepiſcopi. 868.
23. In monaſterio Caſinenſi *V.* Aligerni Abbatis, 631.
29. Daventriæ S. Radbodi Epiſcopi Trajectenſis ad Rhenum. 26.

DECEMBER.

16. In monaſterio Selhenſi alias Salſenſi diœceſis Argentinæ *V.* Adelhaidis Auguſtæ, Ottonis I. uxoris & ejus loci conditricis, 861.
20. Bremæ *V.* Hogeri ex Corbejenſi monacho Archiepiſcopi Bremenſis, 25.
26. In monaſterio Hirſaugienſi *V.* Adalhardi monachi pietate clariſſimi, 41.
29. In monaſt. S. Blaſii in Hercinia ſilva *V.* Reginberti monachi ejuſdemque loci conditoris, 313.

INCERTIS DIEBUS MORTUI, VEL TRANSLATI.

In monaſt. Resbacenſi tranſlatio ſanctorum Ebrulfi Abbatis Uticenſis & Anſberti monachi, 227.
Wigorniæ in Anglia *V.* Kenewaldi ejuſdem ſedis Epiſcopi & Confeſſoris, 237.
In monaſterio Einſidlenſi ſeu B. Mariæ in Bremo apud Helvetos S. Eberhardi Abbatis primi & Alarici piiſſimi Eremitæ, 241.
Apud Augiam divitem *V.* Alawici Abbatis, 247.
Treviris in Monaſterio S. Maximini *V.* Wigeri ejuſdem loci Abbatis, 339.
Mettis Tranſlatio reliquiarum S. Luciæ Virginis & Martyris Syracuſanæ in monaſterium S. Vincentii, 352.
In Cella Lebrathenſi VV. Blidulfi, Willelmi & Acherici monachorum pietate clariſſimorum, 412.
In monaſterio Senonienſi Raperti Abbatis ejuſdemque loci Reformatoris, 410.
In cœnobio Laubienſi *V.* Ratherii Epiſcopi Veronenſis. 473.
In parthenone Vvintonienſi S. Eadburgæ reginæ virginis & Sanctimonialis, 626.
In monaſterio Rumeſienſi S. Merewinnæ ejuſdem loci Abbatiſſæ, 626.
In monaſterio Lirinenſi S. Porcarii Abbatis, ejuſque loci monachorum, quos Saraceni maryrio affecerunt, 787.
Pragæ in monaſterio S. Georgii *V.* Mariæ ſeu Madlæ aut Madilæ primæ ejuſdem loci Abbatiſſæ, quæ Boleſlao Duci condendi epiſcopatus Pragenſis auctor fuit, 809.
Anicii in monaſterio S. Petri ſeu S. Benedicti Guidonis II. ejuſdem urbis Epiſcopi ac illius monaſterii conditoris, 811.
Tulli Leucorum Venerabilis Gozlini ejuſdem urbis Epiſcopi, qui S. Apri monaſterium denuo excitavit, 862.

Ibidem

Digitized by Google

Ibidem S. *Gerardi* Tullenſis Epiſcopi & Conf. qui ſuburbanum S. Manſueti cœnobium inſtauravit, 862.

Apud Leodium *V.* Stephani ejuſdem urbis Epiſcopi, 906.

Ibidem in monaſterio S. Petri *V.* Richarii Leodicenſis Epiſcopi, 877.

Romæ in monaſterio SS. Bonifacii & Alexii *V.* Leonis Abbatis legationibus & divinarum rerum ſcientia clariſſimi, 868.

In monaſterio Auriliacenſi *V.* Leonis Abbatis de Fundo & Epiſcopi Cajetæ, qui in ejuſdem loci eccleſiæ crypta recluſus ſancto fine quievit, 876.

Apud Leodium in monaſterio S. Laurentii *V.* Leonis Epiſcopi Græci in Calabria, qui per calumniam exſul, ibi vitam ſanctiſſimam finivit. 876.

In Hibernia in monaſterio Tamlactenſi *V.* Ænguſſi Keledei Abbatis qui Feſtilogium & Martyrologium ſcripſit, 877.

INDEX TOPOGRAPHICUS SANCTORUM

ſæculi quinti Benedictini.

IN GALLIA.

In provincia Lugdunenſi prima. *Divione* Argrinus Epiſcopus Lingonenſis. Item Iſaac & Geilo ejuſdem urbis Epiſcopi, 23. *Cluniaci* Berno loci Abbas primus, 66. *Enziaci* in Burgundia Hugo monachus Æduenſis S. Martini cœnobii tum Cellæ Enziacenſis præpoſitus, 89. *Matiſcone*, ſeu in *Brovienſi* cella *Fori Sebuſianorum* Gerardus Epiſcopus Matiſconenſis, 104. *Cluniaci* Odo præſtantiſſimus Abbas, 122. *Ibidem* Aymardus Abbas, 315. *Ibidem* Majolus Abbas eximius, 739.

In provincia Lugdunenſi ſecunda *Parnis in Wilcaſſino* Translatio corporis S. Judoci Presbyteri & Confeſſoris, 517.

In provincia Lugdunenſi quarta *Resbaci* Translatio SS. Ebrulſi Abbatis Uticenſis, & Ansberti monachi, 227. In monaſterio *Brajacenſi* ad Sequanam Translatio S. Paterni monachi & Martyris, 245. *Carnoti*, Alveus Abbas S. Petri de Valle, 278. *Miciaci* prope Aurelianos Anno Abbas ejuſdem ac loci Gemeticenſis monaſterii, 361.

In provincia Belgica prima *Mettis* Benno Epiſcopus, 120. *Ibidem* in Monaſterio S. Arnulphi Anſteus Abbas, 284. *Treviris* in monaſterio S. Maximini Wiggerus Abbas, 339. *Mettis* Translatio S. Luciæ Virginis Syracuſanæ & Mart. in S. Vincentii monaſterium, 352. *Gorziæ* Johannes Abbas ſanctiſſimus, 363. In monaſterio *Senonienſi* Rampertus Abbas, 410. *Mettis* Cadroem Vvalciodorenſis, tum S. Clementis Abbatis, 482. *Tulli Leucorum* Gozlinus ejuſdem urbis Epiſcopus, 862. Ibidem in monaſterio S. Manſueti Gerardus Tullenſis Epiſcopus, qui prædictum monaſterium denuo excitavit, 862.

In provincia Belgica ſecunda *Gandavi* in Blandinienſi monaſterio Translatio SS. Vvandregeſili, Ansberti atque Vvulframni, 201. In monaſterio *Humolarienſi* apud *Viromanduos* Translatio ſanctæ Hunegundis virginis, 214. *Remis* Frodoardus Presbyter, 323. *Ibid.* Hincmarus Abbas S. Remigii, 342. In *Moſomenſi* monaſterio translatio Arnulfi Martyris, 354. In monaſterio *S. Theoderici* prope *Remos* elevatio S. Theoderici Abbatis, 513. In monaſterio *Leucaonenſi* pagi *Wimnacenſis* relatio S. Vvalarici Abbatis, 546. In monaſterio *Centulenſi* relatio S. Richarii Abbatis, 553.

In provincia Aquitanica prima *Auriliaci* Geraldus Comes Auriliacenſis, 6. *Anicii* Guido II. Epiſcopus, monaſterii S. Petri conditor, 811. *Auriliaci* Leo Abbas de Fundo & Epiſcopus Cajetanus, qui in cella Recluſus ibidem ſanctiſſime vitam finivit, 876.

In provincia Narbonenſi prima *Carcaſſone* Translatio S. Hilarii Epiſcopi Carcaſſonenſis in monaſterium ejus nomini atque S. Saturnino dicatum, 541. Ibidem SS. Benedictus & Celſus Hilarii diſcipuli, *ibid.*

In provincia maxima Sequanorum in monaſterio *Lutrenſi* Baltramnus Abbas, 276.

In Alamannia. In monaſterio *S. Galli* Notkerus Balbulus monachus. Ubi de Ratperto & Tutilone ejuſdem loci monachis, ac de Notkero Abbate II. *Ibidem* Vviborada Recluſa Virgo & Martyr cum Rachilda ibidem quoque Recluſa, 43. *Einſidlæ* ſeu in Eremo S. Mariæ Eberhardus primus loci Abbas, 241 Augiæ Alawicus Abbas Augiæ divitis, In 247. Geroldi Cella ad Alpes *Rheticas*. Geroldus Eremita cum Cunone & Udalrico filiis monachis Einſidlenſibus, 544. *Conſtantiæ* Gebehardus Epiſcopus, domus Petri ſeu Gregoriani cœnobi conditor, 815. *Einſidlæ* Gregorius Abbas, 817.

IN GERMANIA.

In provincia Germanica prima. In monaſterio *Hirſaugienſi* V. Adelhardus monachus pietate inſignis, 41. *Moguntiæ* Hildebertus Archiepiſcopus, 118. In monaſterio *S. Blaſii* in *Hercinia* Silva Reginbertus monachus & loci fundator, 313. In monaſterio *Lebrabenſi* Vvillelmus & Achericus monachi, 410. *Auguſta Windelicorum* Udalricus Epiſcopus ſanctitate & miraculis conſpicuus, 413. In monaſterio *Seklenſi* ſeu *Salſenſi* diœceſis Argentinæ Adelhais Auguſta, Ottonis I. uxor, quæ prædictum cœnobium a fundamentis erexit, 861.

In provincia Germanica ſecunda *Daventriæ* Radbodus Epiſcopus Trajecti ad Rhenum, 26. *Bronii* Gerardus Abbas locique conditor, 249. *Glembaci* Guibertus Gorziç monachus & Gemblacenſis cœnobii conditor, 207. *Coloniæ* in monaſterio S. Pantaleonis inventio & Translatio corporis S. Maurini Abbatis & Martyris, 331. *Laubiis* Ratherius Veronenſis Epiſcopus, 473. *Walciodori* Malcalenus Abbas ejus loci, itemque S. Michaelis in Tiraſcia, 539. Ibid. Forannanus Epiſcopus & Abbas, 575. In monaſterio *Gladdbacenſi* ditionis Colonienſis Sandradus Abbas, 534. Apud *Leodium* Stephanus, Richarius, Hugo, Farabertus & NotKerus ejuſdem urbis Epiſcopi pietate inſignes, 867. Ibidem in monaſterio S. Laurentii Johannes Græcus in Calabria Epiſcopus, qui exſilium patientiſſime tulit, 875.

In Saxonia. *Bremæ* Hogerus Archiepiſcopus, 25. In *Quindelimburgenſi* monaſterio Mathildis Regina, Henrici I. uxor, ejus loci & aliorum cœnobiorum conditrix, 344. *Verdæ* Bruno Epiſcopus, 495. *Magdeburgi* Adalbertus Archiepiſcopus, 563. *Corbejæ* Liudolfus ejus monaſterii Abbas, 706.

In Bajoaria. *Ratiſponæ* in monaſt. S. Emmerammi Tuto Ratiſponenſis Epiſcopus, 105. In monaſterio

Digitized by Google

ſterio *Andecenſi* ſeu *Monte ſancto* apud Bajoarios Raſſo Comes tum monachus & *Verdenſis* cœnobii conditor, 255. In monaſterio *Tegernſenſi* Hartwicus Abbas, 591. *Ratiſponæ* Wolfgangus ejuſdem ſedis Epiſcopus, 788.
In Boemia. *Pragæ* in monaſterio S. Georgii Maria ſeu Madla Abbatiſſa Boleslai Ducis ſoror ejuſque loci conditrix piiſſima, 809.

IN POLONIA.
Gneſnæ Adalbertus Pragenſis Epiſcopus & Martyr, 821.

IN ITALIA.
Nonantulæ Gregorius Abbas; item Monachi ab Hungaris cæſi, ac Martyres Theopompus atque Syneſius, 112. In monaſterio *Caſinenſi* Joannes I. Abbas, 134. *Ibid.* Aligernus Abbas, 631. *Parmæ* Joannes Abbas Parmenſis, 697. In monaſterio *Nonantulæ* Leo II. Abbas, 868. *Ravennæ* Leo ex Abbate Nonantulano ejuſdem urbis Epiſcopus 868. *Romæ* in monaſterio SS. Bonifacii & Alexii Leo Abbas Legationibus clarus, 868. Ibidem Joannes Caneparius monachus pietate inſignis, 875.

IN ANGLIA.
Wintoniæ Grimboldus Abbas, 3. *Cantuariæ* Plegmundus ejuſdem ſedis Archiepiſcopus, 38. *Wintoniæ* Wlffinus Epiſcopus, 233. *Wigorniæ* Kenewaldus ejuſdem ſedis Epiſcopus, 236. *Schireburnæ* Wlſſinus Epiſcopus Schireburnenſis, 237. *Cantuariæ* Odo venerabilis Archiepiſcopus, 286. In monaſterio *Crulandenſi* Turketulus Abbas & loci reſtitutor, 496. *Wintoniæ* Ethelwoldus Epiſcopus, 594. In monaſterio *Wiltonienſi* Eadgitha ſeu Editha Eadgari Anglorum Regis filia & ſanctimonialis, 622. In monaſterio *Wintonienſi* Eadburga ſanctimonialis virgo regia, 626. In monaſterio *Rumeſienſi* Merewinna Abbatiſſa, 626. *Cantuariæ* Dunſtanus Archiepiſcopus rebus geſtis præclariſſimus, 639. *Wigorniæ* Oſwaldus Epiſcopus Wigornienſis tum Eboracenſis Archiepiſcopus. 708.

IN HIBERNIA.
In monaſterio Tamlactenſi Ængusius Keledeus Abbas, Feſtilogii & Martyrologii ſcriptor, 877.

IN HISPANIA.
In monaſterio S. Petri de Montibus ſive ad ſanctam Eremum montis *Vergidenſis* Gennadius Epiſcopus Aſturicenſis, 33. In monaſterio *Alveldenſi* Salvus Abbas Dulquiti ſucceſſor, 295. In monaſterio *Cellænovæ* in Gallæcia Rudeſindus Epiſcopus Dumienſis, 514. In monaſterio *Baſtenſi* in Luſitania Senorina Abbatiſſa, 573. In *Coxanenſi* S. Michaelis cœnobio apud Catalanos Petrus Urſeolus ex Duce Venetiarum & Dalmatiarum ejuſdem loci monachus, 847. Ibidem Oliba ſeu Olibanus ex Comite monachus, tum Abbas 38. cœnobiorum, ac demum Epiſcopus Vicenſis, *ibid.*

NOMINA AUCTORUM PRÆCIPUORUM

qui hujuſce Sæculi quinti Acta ſcripſerunt.

B

B Auctor vitæ S. Dunſtani Archiepiſcopi Cantuarienſis, 639.
Bernerus Abbas Humolarienſis Translationem corporis ſanctæ Hunegundis Virginis Humolarienſis & miracula ſæculo 10. deſcripſit, 214.
Berno Abbas Augienſis S. Udalrici vitam novo ſtylo donavit, 468.

E

Ekkehardus monachus S. Galli ſæculo 10. vitam S. Wiboradæ Recluſæ & Martyris ſcribere aggreſſus eſt. 62.
Ekkehardus alter monachus ſancti Galli vitam Notkeri Balbuli ſæculo 13. concinnavit vel potius fœdavit, 12.

G

Gebehardus Epiſcopus Auguſtenſis Udalrici deceſſoris vitam concinnavit, 467.
Gerardus Presbyter ſæculo 10. primus Uldarici Epiſcopi Auguſtani vitam ſcripſit, 413.
Gotſelinus monachus Cantuarienſis auctor (ut videtur) vitæ S. Editæ, 622.
Guibertus Abbas Gemblacenſis combuſtionem ſeu deſtructionem monaſterii ſui ſæculo 12. deſcripſit, 311.

H

Hariulfus monachus Centulenſis, tum Abbas Aldenborgenſis, miracula S. Richarii poſt ejus relationem facta deſcripſit, 557.
Hartmannus monachus S. Galli Wiboradæ Recluſæ & martyris vitam ſæculo 10. edidit, 43.
Hepidannus monachus S. Galli ſæculo 11. aliam vitam S. Wiboradæ concinnavit, 60. & 65.

I

Ingelramnus Abbas Centulenſis Relationem corporis S. Richarii e Sithienſi monaſterio in Centulenſe deſcripſit, 553.
Ingulfus hiſtoriæ Crulandenſis ſcriptor, in qua de geſtis ſeu vita Turketuli Abbatis ac loci reſtitutoris, 496.
Joannes monachus Odonis Cluniaci Abbatis diſcipulus ejus vitam edidit, 148.
Joannes Abbas Mettenſis ſæculo 10. deſcripſit vitam Joannis Abbatis Gorzienſis, 363.
Iſembardus monachus Floriacenſis ſæculo 10. translationem corporis S. Judoci Presbyteri & Confeſſoris deſcripſit, 536.

N

Nalgodus monachus Cluniacenſis ſæculo 12. S. Odonis Abbatis vitam concinnavit, 184.

O

Odilo Abbas Cluniacenſis vitam Adelhaidis Auguſtæ ſcripſit, 859.
Odo Abbas Cluniacenſis Geraldi Comitis Auriliacenſis vitam quatuor libris edidit, 6.
Ordericus Vitalis monachus Uticenſis varias S. Ebrulfi Abbatis translationes deſcripſit, 288. Item S. Judoci, 536.
Ordonius monachus Cellæ-novæ in Hiſpania vitæ S. Rudeſindi Epiſcopi Dumienſis alter ſcriptor, 514.
Oſbernus Monachus Cantuarienſis ſæculo 11. auctor vitæ S. Odonis Archiepiſcopi Cantuarienſis, 286. Item vitæ S. Dunſtani ejuſdem ſedis Archiepiſcopi, 639.
Oſbertus monachus Cantuarienſis alter ſcriptor vitæ S. Dunſtani Archiepiſcopi, 684.
Ouſmannus ſeu Reimannus ſæculo 10. auctor vitæ S. Cadroæ Abbatis Walciodorenſis, tum Mettenſis, 482.

Digitized by Google

P

Petrus Damiani in vita S. Romualdi, Petri Urſeoli ex Duce Venetiarum & Dalmatiarum monachi vitæ ſynopſim ſcripſit, 867.

R

Robertus ſæculo 12. monachus auctor vitæ S. Forannani Epiſcopi & Abbatis Walciodorenſis, 575.

S & V

Sigebertus monachus Gemblacenſis vitam S. Guiberti monachi Gorzienſis, Gemblaci conditoris exaravit, 297.

Stephanus ſæculo 10. ſcriptor corporis ſancti Maurini Abbatis & Martyris inventionem & tranſlationem deſcripſit, 331.

Stephanus ſæculo 12. Cellæ-novæ in Callæcia monachus vitam S. Rudeſindi Epiſcopi Dumienſis edidit, 514.

Syrus auctor vitæ S. Majoli Abbatis Cluniacenſis, 766.

Wolfſtanus (ut videtur) auctor vitæ Sancti Ethelwoldi Epiſcopi Wintonienſis, 594. Ejuſdem liber metricus de actis Sancti Swithuni, 614.

INDEX PRÆFATIONIS

A

Abbati non privatim, ſed toti conventui factæ donationes, *pag.* 39.
Abbati S. Orientii Archidiaconatus honor delatus auctoritate Concilii Auſcienſis, 63.
Abbatiæ Cluniaco quæ ſubjectæ, 28. *& ſeqq.*
Abſtinentia a carnibus extra Quadrageſimam & vigilias in Sabbato ante ſæculum 10. non præcepta, 68.
Ada uxor Theoderici de Aveſniis, inſtauratrix monaſterii Leſcienſis, ſalutationem Angelicam quotidie ſexagies recitabat initio ſæculi 12. 61.
Adalhardi Abbatis Corbejenſis elevatio juſſu Romani Pontificis peracta, 52.
Adventus jejunium, 19.
Albani martyris canonizatio Hadriano Papæ an tribuenda, 52.
Altaria ſanctorum corporibus elevatis in loco tumuli conſtructa, 51.
Altaria tredecim antiquitus una eccleſia, 50. 51.
Altaribus lumen die noctuque, 8.
Anglicanæ Eccleſiæ ſtatus, 36. Anglicanis eccleſiis pleriſque cathedralibus monachi cultores dati, 37. *& ſeqq.*
Anſbertus monachus & eccleſiæ cathedralis Atrebatenſis Archidiaconus, 63.
Apoſtolicum decretum a Dunſtano ut receptum, 7.
Archi-Abbas dictus Abbas Cluniacenſis, 27.
Archidiaconus eccleſiæ cathedralis monachus, 63. 64.
Arnulfo Imperatori mortuo petita a Romano Pontifice indulgentia, 55.
Attonis Epiſcopi Vercellenſis capitulare, 9. *& ſeqq.*
Ave Maria V. Salutatio Angelica, Roſarium & Corona,
Auxilii defenſio Formoſi, 6. 7.

B

Beda an auctor Roſarii ſeu Coronæ B. Virginis, 61. 62.
Bedes Anglis dictum Roſarium, 61.
Belt ſeu Beltidum, cingulum, 61.
Beltidum an Roſarium, 59. 61. 67.
S. Benedictus Fruſingenſis eccleſiæ patronus, 40. Ejus regula primitus Auguſtino auctore in Anglia recepta, 40. *& ſeqq.* In Gallia, 23. *& ſeqq.* & in Oriente, 23. & 30.
S. Bertini elevatio juſſu Romani Pontificis, 53. Metropolitano etiam annuente, *ibid. & ſeqq.*
Brunonis Colonienſis Epiſcopi merita, 11. 12.
Burchardi Epiſcopi elevatio juſſu Romani Pontificis, 52.
Burchardi canonum volumen ab Olberto monacho dictatum, 21.

C

Camaldulenſium corona ſeu Roſarium, 63.
Cameræ ſingulares ſanctimonialibus & monachis interdictæ, 64.
Canonici in Cellis Abbati monachorum ſubjecti, 26. Canonici ſæculo 10. ad communem vitam adducti, 8. *& ſeqq.*
Canonizationis Sanctorum origo, progreſſus, nomen & ritus, 44. *& ſeqq.* Canonizatio ſanctorum ſolis Romanis Pontificibus quando primum reſervata, 53. 54.
Cantianorum Martyrum Acta, 47.
Cantuarienſis Eccleſiæ cultores monachi, 36. *& ſeqq.* Item Epiſcopi, 37. *& ſeqq.* Abbatis vice, 37. 38.
Capitula generalia in principibus monaſteriis, 27.
Cappa dicta monaſtica cuculla, 32.
Carolus Lotharii Regis filius, Rex dictus, 63.
Caſinenſium monachorum habitus, 34. *& ſeqq.*
Caſinenſium ad Teutonicos monachos epiſtola de Cluniacenſium ritibus, 30.
Caſula dicta monaſtica cuculla, 32.
Cellæ & obedientiæ ſeu monaſteriola, 26. 27.
Circulus gemmeus ad orationes numerandas, 62.
Ciſtercienſis Ordo, 29. 30.
Ciſtercienſium in B. Virginem veneratio, 60.
Converſis præſcriptæ Orationes, quæ, *ibid.*
Cluniacenſis Ordinis initia, & progreſſus 26. *& ſeqq.* diſciplina, 30. Cluniacenſium habitus ab aliis diverſis, 32. *& ſeqq.* elogium, 35.
Coabbates ſeu Proabbates ſub Abbate principali, 26.
Comitum aliorumque Procerum dignitates hereditariæ, 64.
Communionem in ſacrificio Sacerdoti omittere nefas, 19. quater in anno accipienda a laicis, *ibid.*
Confeſſio, vera pœnitentia, & contritio adhibenda ad Indulgentiarum fructus percipiendos, 56. 63
Confeſſorum cultus in Eccleſia a ſæculo 4. 50. vindicatus, *ibid.* Confeſſorum canonizatio, 44.
Coronæ B. Mariæ origo &c. 60. *& ſeqq.*
Cruce ſignatis conceſſæ Indulgentiæ, 57.
Cuculla monaſtica nonnumquam dicta ſcapulare, 31. 34.

D

Dedicationes eccleſiarum indulgentiis honoratæ 55. 56.
Dominicus an auctor Roſarii B. Mariæ, 62.
Duellum publica auctoritate ſuſceptum, 19.

E

Edgari Concordia regularis pro Regula S. Benedicti, 40. *& ſeqq.*
Eccleſiæ ſtatus ſæculo 10. 4. *& ſeqq.*
Eccleſiæ non condendæ, ubi corpus prius humatum, 50. Eccleſiæ bona quadripertita, 8. 18. Eccleſiæ parochiales a laicis uſurpatæ, 19.
Eleemoſyna in pœnitentiæ remiſſionem an probanda, 55.
Elevatio corporum ad canonizationem, 51.
Epiphanii Epiſc. Ticinenſis tumulus inſignis, 51.
Epiſcopalium ſedium vacatio quam nociva, 36.
Epiſcoporum in Romanam ſedem reverentia, 6. 7.
Epiſcopi Indulgentiarum largitores 55. *& ſeqq.*

Epi-

Epiſcopis jus canonizandi olim an conceſſum, 50. Eorum permiſſu elevata ſanctorum corpora, 51.
Epiſcopi a Metropolita *filii* appllati, 13. Eorum & Abbatum electio canonica, 17. 18. Epiſcopus ordinatus ſine titulo, 64. Epiſcopi ex monachis in Anglia, 37. & *ſeqq.* Epiſcoporum Coadjutores, 18.
Eraſmi locus inſignis de monachis Canturienſibus, 37.
Eutycius idem cum Benedicto Anianenſi, 30.

F

Formatum dicta Euchariſtia, 19. vendere prohibitum ſubdiaconis, *ibid.*
Formoſus Papa, 5. & *ſeqq.*
Frocus monaſticu qualis, 32. 34.
Fulberti Epiſcopi Carnutenſis ſchola & patria, 20. 21.

G

Gerberti Epiſcopi Capuani decretum, 10. Gerberti Remenſis Epiſcopi amor in Eccleſiæ unitatem, 18.
Germaniæ in Eccleſiis cathedralibus olim monachi, 39. 40.
Geſta feminini generis pro Actis, 47.
Gorzienſes monachi inſignes, 35.
Gregorius M. an auctor precationis, quam ſalutationem Angelicam dicimus, 59. Gregorii locus inſignis de cultu reliquiarum, 48.
Guillelmo Briconetto Epiſcopo Meldenſi & Abbati S. Germani conceſſæ indulgentiæ, 60.
Guillelmi Pictavorum Ducis obſervantia in Epiſcopos, 8.

H & I

Hugonis Capeti in Romanam ſedem obſervantia, 7.
Hugo & Rotbertus Reges optime in Benedictinam familiam affecti, 66.
Ida monacha Ciſtercienſis an auctor Roſarii B. Mariæ, 62. 63.
Ignitegii hora ter recitata Salutatio Angelica, 60.
Indictum publicum ob dedicationis & conceſſarum Indulgentiarum memoriam, 56.
Indulgentiarum origo & progreſſus, 55. & *ſeqq.* Indulgentiæ in Eccleſiarum conſtructione conceſſæ, 57. Indulgentia petita a Romano Pontifice pro militibus in bello contra Paganos occiſis & occidendis, 55. pro aliis *ibid.* & *ſeqq.* Indulgentiæ dies Cœna Domini, *ibid.*
Joannis Papæ XXII. conſtitutio de recitanda ter Salutatione Angelica tempore ignitegii, 60.
Joannis Mareshami opinio confutata, 49.

K

Kalendæ ſeu collationes in Kalendis, 19.

L

Landenolfus Princeps qui martyr habitus, 50. Laubienſis ſchola, 21.
Leolfricus Comes & Godiva ejus uxor Coventrienſis cœnobii conditores piiſſimi, 61.
Litteræ in Gallia ſæculo 10. qui propagatæ, 20.
Ludovici Tranſmarini Regni initium, 65.
Ludovici poſtremi Carolinæ ſtirpis Regis regni initium & coronatio Compendii ſeptennio ante defunctum Patrem, *ibid.*

M

Majoli Cluniacenſis Abbatis forma Scapularis, 33. 34.
Mariæ Virginis Dei-paræ cultus & ſalutatio Angelica, 58. & *ſeqq*
Martyrium, tumulus, ædicula ſacra, 49. Martyrum canonizatio, 46. Martyr vindicatus, 48. Martyrum corporibus ſuperſtructa oratoria, 50. Ciboria, fredæ & repæ, 51. Martyrum acta in eccleſia Romana olim an lecta, 46.
Matrimonia cum affinibus prohibita, 17.
Meridie campana pulſata pro ſalutatione Angelica, 60.
Metropolitani aſſenſus in elevandis ſanctorum corporibus petitus, 53. 54.
Milites in bello cæſi ne martyres habeantur, 49.
Miſſis & aliis operibus piis relaxata pœnitentia publica, 54.
Monachi Cathedrales, 37.
Monachi in cathedralibus Angliæ eccleſiis, 36. & *ſeqq.* Germaniæ, 39. & *ſeqq.* aliis, 40. Monachi Archidiaconi in cathedralibus eccleſiis, 18. Monachorum dignitates in eccleſiis cathedralibus, 63. 64. Monachi olim non *paupertatis*, ſed *monaſterii titulo* ordinati ſacerdotes, 64. Monaſteriis non Abbati ſingillatim factæ donationes, 38. Monaſticæ rei ſtatus ſæculo X. 14. & *ſeqq.* Monaſticæ profeſſionis forma, 41. Monaſtica in Cellis & obedientiis diſciplina, 26. 27. Monaſticus habitus in epiſcopatu ſervatus 12. Monaſticarum veſtium forma, 31. & *ſeqq.* Novitiorum frocus ſine cuculla, 34.

O

Odo an auctor Ordinis Cluniacenſis, 25. & *ſeqq.*
Officium parvum Deiparæ, 59.
Oratio Dominica & ſymbolum a fidelibus recitandum, 59.
Orationes numeratæ, 60.
Ordinum Clunicenſis & Ciſtercienſis initia, 25. & *ſeqq.* 29.
Othmari Abbatis elevatio an juſſu Romani Pontificis, 51. 52.
Oxonienſi academiæ præfecti Grimbaldus, Joannes & Plegmundus monachi, 35. 36.

P

Papæ autoritas in canonizandis ſanctis, 44. & *ſeqq.* In recipiendis actis martyrum, 46. Papa Indulgentias vivis & defunctis rogantibus Epiſcopis aliiſque concedit, 54. & *ſeqq.* Papæ non ante medium ſædulum X. mutatum nomen, 5.
Paſchaſii Abbatis Corbejenſis elevatio juſſu Romani Pontificis, 53.
Pauſantium ſpiritus, id eſt Confeſſorum in Miſſa memorati, 59.
Petrus de Montelauro monachus Maſſilienſis, Archidiaconus Aquenſis eccleſiæ, 63.
Petro Eremitæ adtribuenda Roſarii B Mariæ origo, 62.
Plegmundi Archiepiſcopi Cantuarienſis ſtudium in reſtituenda diſciplina, 36.
Pœnitentiæ ſupplementum Indulgentiæ, 54.
Pœnitentiæ publicæ uſus ſæculo IX., 20. 55. Pœnitentia, vera contritio & confeſſio adhibenda pro percipiendo Indulgentiarum fructu, 56. 63.
Pontii Epiſcopi Arelatenſis indulgentia, 56.
Profeſſionis monaſticæ forma, 41.

R

Raimbaldi Epiſcopi indulgentiæ, 56. Ratherii locus inſignis de Romana ſede. 7. De canonibus, 9. De Euchariſtia, 16.
Regula S. Benedicti per Auguſtinum in Anglia recepta, 40. & *ſeqq.* Quando in Hibernia, 42. & *ſeqq.*
Remigius monachus ſtudiorum per omnem Galliam propagator, 20. & *ſeqq.*
Rotbertus Rex optime affectus in monachos, 66.
Romanæ eccleſiæ ſtatus ſæculo X. 4. & *ſeqq.*
Romana in eccleſia cur olim non lecta Martyrum acta, 47. Roſarium an Beltidum, 59. 61. Roſarii B. Mariæ origo, &c. 61. & *ſeqq.* Roſarii Confraternitatis inſtitutio Coloniæ, 62.

Digitized by Google

S

Sabbato memoria B. Mariæ & abſtinentia a carnibus, 58.
Sacerdotibus recens ordinatis hoſtia in dies 40. dari ſolita, 21. Sacerdotum conjugia ante ſæculum 10. inaudita, 17.
Salutationis Angelicæ *Ave Maria*, item precationis *Sancta Maria*, &c. atque *Coronæ* ſeu Roſarii origo & progreſſus, 58. *& ſeqq.*
Sanctorum canonizationis origo, progreſſus & ritus, 44. *& ſeqq.* Sanctorum feſtivitates, 51.
Sanctorum reliquiæ cur delatæ, 17.
Scapularis monaſtici forma, 32. *& ſeqq.*
Scholæ monaſteriales, 19. Scholæ Remenſes duæ, 13.
Scotti rituum patriorum tenaces, 42. 43.
Sepulchra dictæ Chriſtianorum Baſilicæ, 50.
Stephani Abbatis Obazinenſis tactum inſigne, 57.
Suidberti Epiſcopi canonizatio an genuina, 52.

T

Teutonicorum monachorum habitus, 34.
Theotmari Juvavenſis ſeu Saltzburg. Epiſc. Epiſt. 7.
Titulo monaſterii, non paupertatis ordinati ſacerdotes monachi, 63.
Translationes Sanctorum cur & quomodo vetitæ, 51.
Translationis epiſcopatus exemplum Romæ primum in Formoſo, 5.
Treugæ Dei origo, 17. 57.
Trevirenſis S. Maximini cœnobii religio, 35.

V

Udalrici Epiſcopi Auguſtani ſollemnis canonizatio auctoritate Romani Pontificis in Synodo, 52.
Vigilii Martyris & Epiſcopi Tridentini geſta Romano Pontifici oblata *pro more, ut martyrum memoralibus inderentur*, 46.
Vindicati martyres, 47.
Vitta S. Benedicti, 32. 34.

ADMONITIO.

Duo hic notamus ad ſupplendam hanc pagellam. Primum eſt, nullum INDICEM PRÆTERMISSORUM *in ſuperioribus a nobis fuiſſe præmiſſum, quoniam nullus, aut fere nullus (quem certe ſciamus) ex ſanctis noſtris, qui ad Sæculum decimum pertinent, omiſſus eſt, præter* THIETONEM *Abbatem, &* SUATACOPIUM *quem Bucelinus Moraviæ Regem appellat, & Menologio inſerit: quibus adde Tranſlationem* SANCTI PRÆCORDII *in monaſterium Corbejenſe.*

THIENTO *Abbas Vveſſeprunenſis cum ſex fratribus in* KHREITSBERG *ab Hungaris anno* 955. *martyrio affectus refertur cum titulo* BEATI *in tomo* 3. *Metropolis Salisburgenſis pag.* 486. *De eo Menardus* 3. *Aprilis, & Bollandiani ſocii in prætermiſſis.*

SUATACOPIUS *Rex Moraviæ in actis ſancti Cyrilli Moraviæ Apoſtoli laudatur ut pius, ſed non monachus: neque ullis faſtis nomen ejus inſcriptum. De eo in tomo* 2. *Martii Bollandiani in actis S. Cyrilli pag.* * 23. *& pag.* 53. *col.* 2.

Denique PRÆCORDII *Confeſſoris & diſcipuli beati Remigii tranſlatio facta ex oppidulo Valliaco,* VESLY, *pagi Sueſſionenſis ad Axonam, primo in Anglicam, dein Folliacum Gorbejæ ſuburbium, ac demum in Corbejenſe S. Petri monaſterium anno* 955. *cujus rei hiſtoria exſtat apud Bollandum, in tomo* 1. *Februarii pag.* 196.

Alterum notandum reſtat, ſecundas ſanctorum vitas, aut earum fragmenta, minutiori charactere editas fuiſſe, ne voluminis hujus moles ultra modum creſceret. Hæc lectorem monitum volui, ut in vacuo loco.

Digitized by Google

ACTA SANCTORUM ORDINIS S. BENEDICTI.

SÆCULUM QUINTUM,

Quod eſt a Chriſto nato decimum.

Digitized by Google

UNIVERSIDAD CENTRAL
BIBLIOTECA
DERECHO

AN.CHR. 903 8. Julii.

DE
S. GRIMBALDO
ABBATE WINTONIENSI
IN ANGLIA.

Scriptor vitæ.

MOLANUS *in Indiculo Sanctorum Belgii elogium refert ſancti* GRIMBALDI *Abbatis ex lectionario Sithienſi, quod ex Gotſelino monacho Grimbaldi encomiaſte acceptum dicit. Gotſelini de ſancto Auguſtino Anglorum Apoſtolo ſcriptionem ſuo loco retulimus : at libellum de Grimbaldo a Gotſelino ſcriptum nobis reperire non licuit. Jacturam hanc facile ſupplebimus ex Molano, Thoma Maiheuvio, aliiſque ſcriptoribus, qui pauca quidem, ſed tamen certa de Grimbaldo retulerunt.*

Vitæ epitome.

2. *Is ſub Hugone Abbate, Caroli M. filio, ſeptennis, Iperio teſte, oblatus Deo apud ſanctum Bertinum, deinde* votiva prece, *inquit Molanus* rerum monaſterii præpoſitus fuit. *Alius fuit ibidem Grimvvaldus* Priorum unus, *quem quidam Frater de revelatione ſibi per ſanctum Vincentium martyrem facta conſuluiſſe dicitur in lib. 2. de miraculis S. Bertini cap. 14. Id autem contigit ſub medium ſæculum 10. Odberto Abbate. Grimbaldus itaque prior ætate fuit, quem Cancellarii munere functum invenio in quadam charta Rodini cujuſdam, qui prædia nonnulla pagi Ambianenſis in Sana-terra * Sithienſibus tradidit.* Actum in monaſterio Sithiu in eccleſia ſancti Petri, anno 1. Karoli magni Imperatoris, *cognomento Craſſi*, 6. Id. Septem. Grimbaldus Sacerdos & monachus ſcripſit. *Ita apud Folquinum in hiſtoria Sithienſi ſub Rodulfo Abbate. Id ad annum 881. retuli in ſuperiori tomo, pag. 511. ubi de Joanne Abbate Æthelingienſi, ratus (id quod res eſt) primum imperii Caroli Craſſi annum ad iſtum referri debere. Verum id obſtare videtur, quod prædictus Folquinus proxime ante hanc donationem ita ſcribit de obitu Karlomanni Regis.* Obiit anno Domini 884. deinde Karolus Rex Suavorum, filius Hludovvici Regis Noricorum, qui erat filius Hludovvici filii Karoli M. filii Pippini, monarchiam totius Imperii Francorum & Romanorum aſſumit anno Verbi incarnati 885. *tum ſubdit idem auctor Rodini donationem, quæ proinde hoc ipſo anno facta eſt. At cum ex dicendis certum ſit, Grimbaldum in Angliam ſe recepiſſe anno 883. unum e duobus aſſerere oportet, aut Grimbaldum, qui prædictum inſtrumentum ſcripſit, alium eſſe a Grimbaldo, de quo nunc agimus : aut certe inſtrumenti ab eo ſcripti characteres ad annum 881. qui primus Caroli in Italia fuit, referendos eſſe.*

* le Santerre.

AN.CHR. 903 8. Jul.

Tranſitus in Angliam, recuſata Abbatis dignitate.

3. *Hæc idcirco diſtinčte explicare convenit, ut quo anno Grimbaldus noſter in Angliam trajecerit, intelligamus. Neque enim id fieri potuit ante prædictum annum 883. Sed ante quam eo ſe conferret, Abbatis munus in cœnobio Sitbienſi recuſaſſe dicitur apud Molanum.* Cum *enim* Balduinus Calvus Flandriæ Comes pro Abbatia ſollicitaret Grimbaldum monachum & præpoſitum; ipſe omnium Fratrum nomine Regem ſollicitavit, ut Fulco Archiepiſcopus in Abbatem reaſſumeretur, eo quod omnes mallent locum deſerere, quam pati ut locus ſacer ſub laica redigeretur poteſtate, *nempe ita ut Flandriæ Comes Abbatem nominaret, & non magis ut a Fratribus eligeretur*: quod quidem obtentum eſt. *Ab eodem Fulcone jam Abbate, qui in ſedem Remenſem Hincmaro ſucceſſerat anno 882. Grimbaldus in Angliam Alfredi Regis invitatu directus perhibetur apud Willelmum Malmesburienſem. De hac miſſione ita Aſſerus teſtis oculatus in libro de geſtis Alfredi Regis.* Legatos ultra mare ad Galliam magiſtros acquirere direxit Ælfredus; indeque advocavit Grimbaldum Sacerdotem & monachum, venerabilem videlicet virum, cantorem optimum, & omni modo eccleſiaſticis diſciplinis & divina ſcriptura erudit iſſimum, & omnibus bonis moribus ornatum. *Inſigne ſane elogium ab homine ſincero & extraneo. Willelmus Malmesburienſis id factum ait ad inſtauranda litterarum ſtudia, & Grimbaldum Abbatem novi monaſterii ab Alfredo creatum teſtatur in lib. 2. de geſtis Regum Anglorum cap. 4.* Alfredus in Wintonia * novum monaſterium conſtruxit, ubi Grimbaldum Abbatem conſtituit, qui ſe evocante, & Archiepiſcopo Remenſi Fulcone mittente, in Angliam venerat. Cauſa evocationis, ut litteraturæ ſtudium, in Anglia ſopitum & pæne emortuum, ſua ſuſcitaret induſtria. *Eamdem ob cauſam itidem ex Gallia in Angliam Alfredus, teſte Aſſero, advocavit* Joannem quoque Presbyterum & monachum, *cujus Elogium in ſuperiori tomo, ut mox dicebam, relatum eſt.*

* Winchester.

Oxonii Academia.

4. *De tempore quo Grimbaldus cum Joanne in Angliam arceſſitus eſt, conſentit Cambdenus, qui in deſcriptione Oxonii ita habet.* Anno Dominicæ Incarnationis 886. anno ſecundo adventus ſancti Grimbaldi in Angliam, inceepta eſt Univerſitas Oxoniæ, primitus in eadem regentibus, ac in Schola Theologica legentibus ſancto Neotho Abbate, necnon in Theologia Doctore, & ſancto Grimbaldo ſacræ paginæ ſuaviſſimæ dulcedinis excellentiſſimo profeſſore: in grammatica vero & rethorica regente Aſſerio monacho, &c. *Verum ante annos novem tum deceſſerat Neotus, ut in ejus actis diximus: &, teſtante ipſomet Aſſero, Academia Oxonienſis triennio ſaltem ante annum 886. inſtituta eſt.*

Diſcordia.

5. *Quippe anno* 886. exorta eſt peſſima, *inquit Aſſerus*, ac teterrima Oxoniæ diſcordia inter Grimboldum doctiſſimoſque illos viros, quos ſecum illuc adduxit, & veteres illos ſcholaſticos, quos ibidem inveniſſet: qui ejus adventu leges, modos, ac prælegendi formulas ab eodem Grimbaldo inſtitutas, omni ex parte amplecti recuſabant. Per tres annos haud magna inter eos fuerat diſſenſio: occultum tamen fuit odium, quod ſumma cum atrocitate poſtea erupit.. quod ut ſedaret, Rex ille invictiſſimus Ælfredus, de diſſidio eo, nuntio & querimonia Grimboldi, certior factus, Oxoniam ſe contulit, ut finem modumque huic controverſiæ imponeret, qui & ſummos labores hauſit, cauſas & querelas utrimque audiendo. Caput autem hujus contentionis in hoc erat poſitum. Veteres illi ſcholaſtici contendebant, antequam Grimboldus Oxoniam deveniſſet, litteras illic paſſim floruiſſe, etiamſi ſcholares tunc temporis numero erant pauciores, quam priſcis temporibus, pleriſque nimirum ſævitia ac tyrannide paganorum expulſis. Quin etiam probabant & oſtendebant, idque indubitato veterum annalium teſtimonio, illius loci ordines ac inſtituta a nonnullis piis & eruditis hominibus fuiſſe ſancita, ut a D. Gilda, Melkino, Nemrio, Kentigerno, & aliis: qui omnes litteris illic conſenuerunt, omnia ibidem felici pace & concordia adminiſtrantes: ac D. quoque

que Germanum Oxoniam adveniſſe, annique dimidium illic eſſe moratum, **AN.CHR. 903**
quo tempore per Britanniam iter fecit adverſus Pelagianorum hæreſes con- **8. Jul.**
cionaturus, ordines & inſtituta ſupra mirum in modum comprobavit. Rex ille inaudita humilitate utramque partem accuratiſſime exaudivit, eos piis ac ſalutaribus monitis etiam atque etiam hortans, ut mutuam inter ſe conjunctionem & concordiam tuerentur. Itaque hoc animo diſceſſit Rex, quoſque ex utraque parte conſilio ſuo eſſe obtemperaturos & inſtituta ſua amplexuros.

6. *Ex hac prolixa narratione, quam conſulto integram retuli, intelligitur, primo Grimbaldum ſecum* doctiſſimos viros *quam plures ex Gallia in Angliam adduxiſſe; ſecundo,* veteres ſcholaſticos *in Academia Oxonienſi non penitus defeciſſe, ac proinde non ab Alfredo primitus inſtitutam, ſed reſtitutam in melius; tertio, diſſenſionem illam inter veteres ſcholaſticos & Grimbaldum ex æmulatione profectam fuiſſe. Reliqua, quæ quidem ad Grimbaldum pertinent, perſequamur.*

7. Grimboldus hæc iniquo animo ferens, *ſubdit Aſſerus,* ſtatim ad monaſterium Vvintonienſe, ab Alfredo recens fundatum, proficiſcebatur. *Monaſterium iſtud novum appellat, eique præfectum fuiſſe Grimbaldum dicit Vvillelmus Malmesburienſis, cujus verba jam retulimus. At monaſterium iſtud novum ab Ethelvvoldo Vvintonienſi Epiſcopo inchoatum, ab Elfego ejus ſucceſſore perfectum teſtatur Vvolſtanus in carmine, quod in actis Ethelvvoldi poſtea referemus. Fuerit ergo aliud a novo monaſterium Vvintoniæ ab Alfredo Rege conſtructum, cui Grimbaldus præfectus ſit, Aſſero teſte indubitato. Niſi dixeris, novum quidem monaſterium ab Alfredo rudi opere primum, deinde ab Ethelvoldo magnificentius ex integro ædificatum.*

Grimboldi diſceſſus Oxonia.

Wintonienſis Abbatia.

8. *Aſſerus reliqua Grimbaldi facta præſtringit in hunc modum.* Deinde tumbam Vvintoniam transferri curavit, in qua propoſuerat poſt hujus vitæ curriculum oſſa ſua reponenda in teſtudine, quæ erat facta ſubter cancellum Divi Petri in Oxonia: quam quidem eccleſiam idem Grimboldus exſtruxerat ab ipſo fundamento de ſaxo ſumma cura perpolito.

9. *Grimbaldi obitum deſcribunt Harpsfeldius & Molanus, ſed neſcio an ea quæ dicunt, legitimos habeant auctores. Grimbaldus, Harpsfeldio referente, ingraveſcente jam ætate, quotidie magis atque magis a negotiis & curis omnibus ſe ſubduxit, de quibus neque loqui, neque audire ſuſtinebat, totum interim ſe in orationes & jejunia effundens, raro prodiens in publicum, niſi ad exhortandos aliquos ad pietatem, & conſolationem afflictis impertiendam: quæ ſancta exer- „ citia, gravi & lethali morbo accedente, adeo non remiſerit, ut ad cæleſtia „ animum vehementius defigeret. Addit Molanus: Fertur a Deo poſtulaſſe, „ ut camino languoris ante obitum purgaretur. Cum autem hinc migraturus „ ad Dominici corporis Viaticum ſe movere non poſſet; forti tamen niſu ſeſe „ erexiſſe, & in terram proſtraviſſe: a Fratribus autem petiiſſe, ut ſolus „ per triduum relinqueretur, ut iter ſuum pararet. Quarto denique die, Fra- „ tribus ad ſe revocatis, & in pace commendatis, ad æthereos cives migra- „ vit anno Domini* 903. *ætatis ſuæ* 83. *Hæc Molanus forſan ex Gotſelino, „ penes quem fides.* Humatus magna gloria, *inquit Vvillelmus Malmesburienſis,* ſanctus prædicatur & creditur. *Matthæus Vveſtmonaſterienſis ejus obitum refert ad annum* 904. *ipſumque* magnæ ſanctitatis *virum appellat. Corpus ejus magna in veneratione habitum in monaſterio Hidenſi, in quod monaſterium novum converſum eſt, translatis monachis ex urbe in ſuburbium, quod Canonicis veteris monaſterii viciniores ſeſe invicem interturbarent. Baronius eum* ſanctum *agnoſcit in Annalibus ad annum* 904. *tametſi Grimbaldi nomen haud exſtat in Martyrologio Romano. Annum & diem ejus obitus ſignat Chronologia Saxonica poſt Bedam.* Anno 903. obiit Grimbaldus Presbyter octavo idus Julii, *niſi quod dies per parentheſim expreſſus eſt. Sanctitatem declarat Benedictionale Roberti ex monacho Gemeticenſi Archiepiſcopi Cantuarienſis ſub annum* 1050. *quo in libro legitur* Benedictio in natali ſancti Grimbaldi Confeſſoris, *qualis ſequitur.*

Obitus.

Digitized by Google

AN.CHR. 903 8. Julii.

Benedic Domine omnem hanc plebem beatiſſimi Grimbaldi Confeſſoris ſollemnitate congregatam, atque fulgidis illius exemplis roboratam cæleſtis beatitudinis albo fac dignanter eſſe adſcriptam. Amen.

Quique illum hodierna die ad cæleſtem cum tripudio evexiſti catervam, plebem hanc reſpice placatus tibi ſubjectam, tantique interventu patroni, a peccatorum omnium ſqualoribus clementer concede fore abſolutam. Amen.

Sicque eos labentis ævi tranſigere tribue felicitatem, ut cum in mundi defectu judex adveneris cunctorum, non eos collegio damnes reorum, ſed omnium concives eſſe concede ſanctorum. Amen.

Quod ipſe præſtare dignetur cujus regnum & imperium ſine fine permanet.

10. *De Plegmundo Archiepiſcopo Cantuarienſi, qui Grimbaldi in aula Alfredi ſocius fuit, agendum infra ad annum 922.*

AN.CHR. 909 13. Octob.

DE SANCTO GERALDO

COMITE AURILIACENSI.

Geraldus in Ordinem S. Benedicti munificus.

1. *ETſi vitam monaſticam Geraldus numquam amplexus ſit, tanta tamen ei debet, cui plurimum ſemper addictus fuit, religio Benedictina, ut inter Ordinis noſtri ſanctos viros locum merito obtineat. Illius acta ab Odone Cluniacenſi Abbate quatuor libris conſcripta hic repræſentare non eſt neceſſarium, tum quia in Bibliotheca Cluniacenſi jam edita ac notis illuſtrata ſint: tum quod ea quæ ad res monaſticas pertinent, inde delibare ac colligere ſufficiat. Præter hæc autem Geraldi geſta, quorum auctor Odo fuit, alia inſuper ex codicibus manuſcriptis Compendienſi & Conchenſi nancti ſumus breviora, quæ cum nihil ab Odonis fetu diverſum habeant, illa etiam omittere ſatius duximus, quam ſcriptionibus inutilibus tomum hunc onerare. Id unum monuiſſe ſatis fuerit, duo ultima capita Vitæ ſancti Geraldi ab Odone compoſitæ, quæ in Bibliotheca Cluniacenſi deſiderantur, ex codice mſ. Ciſtercienſi per bonæ memoriæ Joannem Lannoyum Ciſtercienſem monachum ad nos tranſmiſſa eſſe, quibus, abſque auctoris nomine, adnectitur ſermo in laudem beati Geraldi exaratus, & in octo lectiones, ut ad matutinum legi ſolent, diviſus.*

Ejus genus & ætas.

2. *Geraldi genus ex alto Regum ſanguine per Cæſarium Arelatenſem Epiſcopum & Aredium Abbatem deducit Odo Cluniacenſis; alii per Mathildem filiam Pippini Aquitaniæ Regis; quam Mathildem Geraldi aviam fuiſſe putant. Ut ut ſit, patre Geraldo Auriliaci Comite (ſic Comites quandoque vocabant toparchas illuſtres) matre Adaltrude, clariſſimis ac ditiſſimis parentibus, Geraldum natum conſtat, & quidem anno Chriſti 855. ut colligitur ex Ademaro Cabanenſi in Abbatibus ſancti Martialis Lemovicenſis: quo eodem anno idem Chronographus Belli-loci cœnobium a Radulfo Bituricenſi Epiſcopo erectum, ac Clericos ſancti Martialis ex canonicis monachos omnes effectos fuiſſe commemorat.*

Charitas in pauperes.

3. *Traditam a parentibus piam inſtitutionem ſummis ſemper virtutibus Geraldus excoluit. Hinc pro ſua in pauperes charitate,* ſemper ſedilia iis coram ſe parabantur, & aliquotiens menſæ apponebantur, ut per ſeipſum videret quid vel quantum ad refectionem eis daretur. Nullus vero umquam ab oſtio ſine datu eleemoſinæ excludebatur. Quin miniſtri procurabant, ut ad manum ſemper haberet fercula, quæ ipſe eis daret. Potus quoque afferebatur, quem inſpectum ac prægustatum tranſmittebat, ut ipſi primo biberent: quibus & ſui panis medietatem dabat, in his utique Chriſtum ſe ſuſcipere credens. *Dumque tanta ſollicitudine egenis neceſſaria ſubminiſtra-*

re

Digitized by Google

re ſatagebat, *ipſe* tribus feriis in hebdomada, ex omni tempore quod abſtinentiæ dicatum eſt, a carnibus abſtinebat. Si tamen in iiſdem feriis feſtivitas annualis eveniſſet, abſtinentiam ita ſolvebat, ut in qualibet abſoluta feria, ad vicem illius quam ſolverat, itidem abſtineret, cum & unum pauperem extra ſolitos, obtentu illius feſtivitatis reficeret. Sin vero jejunium die Dominica eveniſſet, nequaquam illud ſolvebat, nec ſub hac occaſione præteribat, ſed præcedenti ſabbato jejunii ſollemnitatem perſolvebat. *Hanc conſuetudinem adeo religioſam, Dominicæ jejunium in diem præcedentem tranſponendi, a ſingularitatis nota defendit hic ſanctus Odo, nec dubium quin ejus obſervantia a Geraldo, aliiſque ſanctis viris invecta, inſtitutioni, quæ hodieque viget, occaſionem dederit.* AN. CHR. 909 13. Octob. Jejunia.

4. *Charitatem in pauperes fovebat augebatque paupertatis amor, ac elegantioris cultus contemptus*. Veſtibus laneis aut lineis, *inquit Odo*, non iſto modo, quo nunc a filiis Belial præſumptum & excogitatum eſt, ſed antiquo more ſemper uſus eſt, ita dumtaxat confectis, ut nec affectatam pompam redolerent, nec plebeja ruſticitate notarentur: ſericatis vero vel pretioſis nec obtentu cujuslibet feſtivitatis, nec alicujus præſentia Marchionis plus ſolito ſe comere ſtatuit. *Nec tamen (quod mireris) chriſtiana hæc modeſtia, viri Dei auctoritatem aliquando imminuit*: *quin* apud omnes qui eum noverant, tantam reverentiam obtinebat, ut quiſquis eum læſiſſet, quaſi ſacrilegium feciſſet, non ſibi in proſperum cedere certus eſſet. *Hoc ipſum expertus eſt Adelelmus Comes ea tempeſtate potentiſſimus, qui incaſſum tentata Auriliacenſis caſtri obſidione, quod* mærore cor juſti affeciſſet, lætatus nequaquam redire permiſſus, poſt quartum-decimum diem tam terribiliter obiit, ut omne, ubi jaceret, turbo vehementiſſime diſcooperiret. Veſtium modeſtia.

5. *Geraldi amicitiam, immo & affinitatem ambiere clariſſimi quique Principes, quos inter* Guillelmus Dux Aquitanorum (*ut narrat Ademarus in Chronico ad annum* 910.) cum non haberet prolem, & ſororem ſuam in matrimonio deſideraret ſancto Geraldo conjugere, nullatenus quivit. Quippe cœlibem vitam Geraldus ducens, cum ſemper ad copulam ſuaderetur amore „ filiorum, reſpondit: Utile eſt ſine filiis mori, quam relinquere malos „ hæredes. *Ex hoc caſtitatis amore natum eſt ſummum vitæ monaſticæ deſiderium, quod vitæ genus licet variis impedientibus cauſis non ſuſceperit, ſic tamen ſemper animo proſecutus eſt, ut* ſi votum illius inſpicias, monaſticæ profeſſionis fidem Chriſto per devotionem ſervaverit. *Præcipua ex his cauſis una erat, raritas proborum per id tempus monachorum. Nam* cum eſſet providus, conſiderans quia profeſſores ſublimis propoſiti, dum ſæculi amore corrumpuntur, gravius ab alto ruunt: ſatius æſtimavit ſic ſtare *in habitu ſæculari*, quam abſque probatis cooperatoribus rem tam arduam attentare. Caſtitatis amor.

6. Poſtquam divino cultui ſe ſe mancipavit per omnia, ut ſua quoque domino conſecraret Romam profectus eſt, & Aureliacum inſigne prædium beato Petro Apoſtolorum principi, facto ſollemniter teſtamento delegavit, cum tantis videlicet appendiciis, quæ monachis quos ibidem congregare diſpoſuerat, ad omne ſtipendium ſufficere poſſent: cenſum quoque delegavit qui ad urnam beati Petri annuatim redderetur. *Eſt autem Auriliacus* * *oppidum, ſeu* (*ut loquitur ſanctus Odo*) caſtrum, *apud Arvernos ſitum, quod quondam ad Claromontanam, nunc vero ad ſancti Flori diæceſim pertinet, ubi celebre a Geraldo erectum eſt ejuſdem nominis cœnobium. Ejus originem ad annum* 894. *in ſingulari ſua de die & anno obitus & nativitatis ejuſdem Geraldi diſſertatione revocat vir doctus Ægidius Laccarius Societatis Jeſu, probabili ratione. Cum enim Geraldus privilegium a Carolo Simplice anno regni ejus ſeptimo hoc eſt Chriſti* 899. (*ſecundum calculum Transligeranorum, qui Caroli annos ab ejus redintegratione numerabant*) *obtinuerit, atque hoc privilegio bona Auriliacenſi cœnobio attributa, Adelgarii ejuſdem loci Abbatis ac monachorum precibus confirmentur; conſequens eſt* Auriliaci fundatio. * Aurillac.

AN.CHR. 909 13. Octobr.

hoc monaſterium jam ab aliquot annis ædificatum , & a monachis excultum antea fuiſſe.

S. Geraldi teſtamentum.

7. *Sancti Geraldi teſtamentum, cujus meminit ſupra ſanctus Odo , quodque Auriliacenſis cœnobii primarium inſtrumentum eſt , edidit ad calcem Bibliothecæ Cluniacenſis Andreas Cheſnius : tametſi hic auctor ſubdubitat , an idem prorſus ſit hoc teſtamentum cum illo quod laudat ſanctus Odo, in vita Geraldi; propterea quod cenſus ad urnam beati Petri annuatim delegati nulla in illo mentio fiat. Et certe confirmatio Geraldi teſtamenti a Carolo Rege anno regni ejus 7. facta ſatis probat de eo non poſſe intelligi , quod anno tantum regni ejus 17. quale refertur, conditum eſt. Unde facile crediderim, Geraldum paucis ante obitum diebus teſtamentum prius a ſe conſcriptum altero poſteriori , ut ſæpe factum legimus, comprobaſſe & ampliaſſe, quod innuunt (ni fallor) hæc Odonis verba.* Spatio quo ſupervixit , ſummopere curavit , ut omnes ad ſe pertinentes in pace dimitteret, ne forte litis occaſio poſſet inter eos oriri . Prædia vel mancipia quæ beato Petro non delegaverat , inter quoſdam propinquos ac milites, vel certe ſervitoribus dimiſit, nonnullis tamen eo tenore , quo 11. poſtquam obiiſſent, ad Aureliacum rediiſſent : *quæ conditiones totidem fere verbis in Gerardi teſtamento apud Cheſnium reperiuntur.*

A regibus confirmatum.

8. *Auriliacenſis cœnobii erectionem ſuo diplomate ratam habuit Carolus Simplex, quod diploma cum altero Ludovici Junioris ipſum recognoſcentis e codice manuſcripto Cantoennenſi eruit Stephanotius noſter : quæ duo, quia in rem noſtram faciunt, hic exhibere viſum eſt.*

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis , Karolus divina propitiante clementia Rex . Si erga loca ſanctorum , divinis cultibus mancipata , beneficia opportuna largimur, præmium apud Deum nobis æternæ remunerationis non diffidimus rependi . Idcirco notum eſſe volumus ſanctæ Dei Eccleſiæ fidelibus & noſtris, tam præſentibus , quam futuris, quia quidam inluſter vir ac dilectus Comes GERALDUS præſentiæ meæ ſublimitatis ſuos dirigens legatos atque monachos , humillimis precibus per eos noſtram deprecatus eſt celſitudinem, ut ſuum monaſterium , quod eſt in pago Arvernico ſitum, cognomento Aureliacus, in honore Apoſtolorum principis Petri & beati Clementis fundatum, ubi præeſt Abbas ADALGARIUS una cum norma monachorum ibidem Deo famulantium , & res eidem monaſterio , quas idem Abbas & monachi, & ipſe, rector & fundator ejuſdem loci Geraldus tenuit, hoc eſt eccleſia ſancti Petri in Exitenſi,& Glinico, & Curtiniaco, cum eccleſia ſancti Cyrici, cum manſis & ſervis , de qua ipſi monachi poteſtati ſancti Petri Pictenſis perſolvant 5. ſolidos annis ſingulis , & Magrino in Condacenſe, & vineas per loca a Deum timentibus ibidem traditas, ſive manſa vel omnia ad jam dictum locum pertinentia , tam in rebus, quam in mancipiis, ſub immunitatis noſtræ tuitione ſuſcipere dignaremur . Cujus petitionem rectam eſſe cognoſcentes , animæque noſtræ ſalutem nihilominus perpendentes , libenter ei aſſenſum præbuimus , & hanc noſtram auctoritatem erga prædictum monaſterium vel rectores illius ſub pleniſſima immunitatis noſtræ defenſione fieri decrevimus , per quam præcipimus atque jubemus, ut ipſe Abbas & monachi ibi degentes ſine ullius judicis poteſtate, niſi ipſius Gerardi & ſororis ſuæ * ſub noſtro mundeburdo ſecuri permaneant : & nullus judex publicus , vel quislibet ex judiciaria poteſtate, in eccleſias, aut loca , vel agros, ſeu reliquas poſſeſſiones præfati cœnobii, quas moderno tempore in quibuslibet pagis vel territoriis infra ditionem regni noſtri juſte & legaliter poſſident, vel quæ deinceps in jure ipſius ſancti loci divina pietas augeri voluerit , ad cauſas audiendas vel freda exigenda, aut manſionaticos vel paratas faciendas , aut fidejuſſores tollendos, ſeu homines ipſius monaſterii tam ingenuos, quam alios ſuper terram ipſius commanentes diſtringendos, nec ullas redhibitiones aut illicitas occaſiones requirendas, noſtris futuriſque temporibus ingredi au-

*Avigernæ

audeat, vel ea quæ ſupra memorata ſunt, penitus exigere præſumat: ſed liceat præfato Abbati ejuſque ſucceſſoribus ac monachis res ſupra dicti monaſterii ſub noſtræ immunitatis tuitione quieto ordine poſſidere, quatenus ipſis ſervis Dei ibidem Domino famulantibus pro nobis ac regni noſtri ſtatu omnipotentis Dei miſericordiam exorare delectet jugis precibus. Ut autem hujus immunitatis atque confirmationis noſtræ auctoritas majorem in Dei nomine obtineat vigorem, manu propria ſubter firmavimus, & anuli noſtri impreſſione ſigillari juſſimus. Signum KAROLI glorioſiſſimi Regis. HERIVEUS Notarius ad vicem FOLCONIS Archiepiſcopi recognovit & ſubſcripſit. WILLERMUS Comes ambaſiavit. Datum 4. nonas Julii, indictione 2. anno 7. regnante karolo ſereniſſimo rege. Actum apud Liturnum in Dei nomine feliciter, amen.

AN.CHR. 909 13. Octobr.

Ludovici 7. diploma ſic ſe habet.

IN nomine ſanctæ & indivinuæ Trinitatis, amen, Hludovicus divina propitiante clementia Francorum Rex. Si erga loca ſanctorum divinis cultibus mancipata beneficia opportuna largimur, præmium nobis apud Deum æternæ remunerationis non diffidimus rependi. Idcirco notum eſſe volumus ſanctæ Dei eccleſiæ fidelibus univerſis, tam præſentibus, quam futuris, quod cum eſſemus in Arvernia in obſidione apud Nonedam * caſtellum; allatum eſt nobis in præſentia noſtri privilegium KAROLI prædeceſſoris noſtri, quod multa veneratione & auctoritate dignum æſtimavimus, & ad inſtantiam precum PETRI Abbatis de Aureliaco, conſilio familiarium noſtrorum inhærentes, quicquid in privilegio illo continebatur, & eccleſiæ de Aureliaco teſtimonio privilegii prædicti indultum fuerat in feudis & poſſeſſionibus univerſis, & omnibus quæ ad jus eccleſiæ ipſius pertinet, ſive in his quæ ipſa eccleſia juſte & rationabiliter adipiſci poterit, confirmavimus, & impreſſione noſtri nominis muniri fecimus. Addimus etiam & omnino inhibemus, ne aliquis in regno noſtro aliquod ædificium, quod in damnum eſſe poſſit aliquo modo eccleſiæ præfatæ, aliqua occaſione facere, vel ipſius jura aut poſſeſſiones auferre præſumat; ſed liceat prænominato Abbati ejuſque ſucceſſoribus & monachis poſſeſſiones ipſius monaſterii modis quibuſcumque poterit meliorare, & ſub noſtræ immunitatis tuitione quieto ordine poſſidere: quatinus ipſis ſervis ibidem Deo famulantibus pro nobis ac regni noſtri ſtatu omnipotentis Dei miſericordiam jugibus precibus exorare delectet. Quod ut ratum in poſterum habeatur, anuli noſtri impreſſione confirmari præcepimus. Actum publice apud Nonedam anno ab Incarnatione Domini 1169. aſtantibus in palatio noſtro quorum nomina & ſigna ſubſcripta ſunt. S. Comitis noſtri Theobaldi Dapiferi noſtri ſecretarii. Signum Matthæi Camerarii. S. Guidonis Buticularii. S. Radulfi Conſtabularii. Data P. B. per manum Hugonis Cancellarii & Epiſcopi Sueſſionenſis.

*Nonnette le beau.

9. *Conſtructo Auriliacenſi monaſterio*, animo ſemper volvebat Geraldus, qualiter poſſet reperire monachos qui bene morati eſſent, & locum ſub regulari propoſito incolere potuiſſent. Sed cum reperiendi raritas difficultatem intuliſſet, anxiebatur ille, & quidnam faceret neſciebat. Tum vero nobiles quoſdam pueros ad Vabrenſe cœnobium (*quod tunc non ita pridem a Raimundo Comite Toloſano ædificatum erat apud Ruthenos, ut inferius videbimus*) direxit, ut ſcilicet apud illam fraternitatem ſub norma regulari iidem pueri imbuerentur. Porro cum iidem pueri reverti juberentur, quia magiſtri defuerunt, mox puellari mollitia reſoluti, rigorem diſciplinæ neglexerunt, & ita contigit ut res ad effectum non veniret. Unum tamen eorum neceſſitate compulſus ceteris præfecit: ſed cum ille diſſolute viveret, vir Domini vehementer afficiebatur, quia illum corrigere non valebat, neque alium habere, quem loco illius ſubrogare poſſet. *An primus hic Auriliacenſis Abbas qui ſuſceptum Abbatis officium tam male adminiſtravit, idem ſit cum Adelgario,*

Monachi Auriliacenſes ex Vabrenſi cœnobio educti.

Abbates Auriliacenſes.

AN CHR. 909 13. Octobr.

gario, qui in charta Caroli Regis, & in Abbatum Auriliacenſium catalogo primus recenſetur, non facile dixerim, cum nomen ejus hic reticeat ſanctus Odo. Bernonem quidem Cluniacenſem Abbatem primum Auriliacenſibus ante alios præfuiſſe refert Chronicon Malleacenſe apud Labbeum. At vereor ut id verum ſit, cum Adelgarium omiſſo Bernone, ceteris præferat Chronographus Auriliacenſis in tomo 2. Analectorum noſtrorum editus, ex quo etiam diſcimus Joannem ejus ſucceſſorem a ſummo Pontifice, cui charus erat, privilegium impetraſſe, ut Aureliaci cœnobium ab omni dominatione eſſet abſolutum, niſi ſancti Petri & Romanæ ſedis. *Ejuſdem præterea Joannis mentio eſt in quodam inſtrumento, quod in ſuis ad Reginonem notis edidit vir clariſſimus Baluzius, in quo beati Geraldi propinquus, ac Tutelenſi ſimul & Auriliacenſi monaſterio præpoſitus fuiſſe memoratur.*

Geraldi adverſa.

10. *Geraldi ſanctitas multis miraculis comprobata, variis etiam adverſæ fortunæ caſibus, prædiorum direptionibus, propinquorum captivitate conflictata eſt. Præcipuum autem adverſarium ſuſtinuit Ademarum, qui cum Geraldum Carolo Simplici addictum in partes ſuas trahere, ac ſuæ ditioni (ut loquitur ſanctus Odo) ſubdere tentaret; omnem movit lapidem, ut hominem totum Chriſtianæ pietatis operibus deditum, qua dolo, qua vi armiſque opprimeret, quibus egregie defunctus periculis Geraldus, cum ad optatam animæ quietem apertam ſibi viam crederet oculorum lumine repente orbatus, per ſeptem & amplius annos cæcitatem patientiſſime toleravit.*

Pietas in morbo.

11. Diſſolutionem ſui jam inſtare cognoſcens, AMBLARDUM Epiſcopum jubet evocari, ut ejus tranſitum ſuis orationibus muniret. Per omne vero ſui languoris tempus ita fatiſcentes ad divinum obſequium impellebat artus, ut nec unum quidem nocturnale officium, niſi in eccleſia, pateretur celebrare: Miſſam vero unam diei competentem, & alteram pro defunctis coram poſitus audiret.

Obitus.

12. Sexta feria, diluceſcente die, ingraveſcere ſe ſentiens, juſſit ut nocturnale coram ſe Capellani peregiſſent, Epiſcopo cum ſuis in eccleſia celebrante. Cum pſallentibus autem & ipſe pſallebat, donec poſt matutinale officium omnes etiam horas diei compleret. Tum vero Completorium finiens, ſigno ſe crucis armavit, & ſubjunxit illud verbum quod ei ſemper familiariſſimum fuit: *Subvenite ſancti Dei*. Hoc in ultimo locutus, oculos tacens clauſit. Videntes vero qui aderant quod loqui ceſſaret, Epiſcopum advocarunt, ſancta quoque membra illius in cilicio poſuerunt: ceteriſque pro exitu pſallentibus, quidam de ſacerdotibus Miſſam concitus celebravit, atque ſacroſanctum myſterium attulit. Cum vero quidam diceret quod jam diſceſſiſſet; ille ſenſum adhuc retinens oculos aperuit, & hoc indicio nondum ſe diſceſſiſſe monſtravit. Tum vero Dominicum corpus, quod exſpectabat, ſua ſponte ſuſcepit, & ita felix illa anima ad cœlos migravit. *Hactenus Odonis verba: quæ ſi cum ſuperioribus conferas, annum ejus obitus non ægre intelliges. Enimvero neque ante annum 909. ſtatui, neque poſt annum 912. rejici poteſt. Primum vetant teſtamenti tabulæ ab eodem Geraldo menſe Septembri anni 909. conditæ: alterum mors Adelardi ſeu Amblardi Epiſcopi Claromontenſis, qui Geraldo morienti adfuit, atque menſe Septembri anni 912. Arnoldum habuit ſucceſſorem. At inquies, quid impedit Geraldi mortem ad annum 910. aut inſequentem revocare? Odonis auctoritas. Teſtatur quippe Geraldum feria ſexta ad cælos migraſſe. Atqui feria hæc nullo ex his, niſi anno 909. in diem 13. Octobris incidebat, quo tamen die tum apud Auriliacum, tum per totam Aquitaniam ejus obitus celebratur. Non me latet Chronographum Lemovicenſem Geraldi diem ultimum ad annum 917. retuliſſe. Verum Odonis teſtimonium ceteris præſtare debet, utpote qui a Geraldi familiaribus, ut ipſe aſſerit, ejus acta mortemque didicerit, prout ea litteris poſtea mandavit.*

Viaticum.

Tumulatio, & Translatio & cultus

* l. ariſtatonem, id eſt honorarium decus.

13. Corpus illud ſanctum quam plurimis comitantibus turbis ad Auriliacum, ſicut ipſe juſſerat, ſui detulerunt, & in ariſtonem * lapidem, ad ſini-

niſtram ſcilicet baſilicæ ipſius, collocaverunt juxta aram ſancti Petri, ita ut ſepulcrum ejus habeatur in dextro, & ipſum nihilominus in dextrorſum, *ubi cum per ſeptem annos variis coruſcaſſet miraculis*, ſarcophagus qui uſque ad medium cooperculi terra contuſa calcibus fuerat contectus, ſenſim eminere ſuper eamdem terram cœpit. *Id probatæ ſanctitatis indicium habebant veteres, ut in S. Droctovei Abbatis actis Sæculo* I. *obſervavimus. Hinc factum ut publicus Geraldo cultus, qui hodieque ei exhibetur, decretus ſit; contigitque quod longe ante uni ex familiaribus vir ſanctus prædixerat*, ut maceriæ hujus domus frequenter anguſtæ forent populis qui ad eam conventuri erant. *Celebris eſt per totam provinciam ſancti Geraldi memoria, illiuſque ad diem* 13. *Octobris mentionem faciunt recentiores Martyrologi ac vetera Auriliaci monumenta, ex quibus eumdem diem ipſius natalem eſſe conſtat.* AN. CHR. 909 13. Octobr.

14. *Præter eximiam populorum in ſanctum Geraldum pietatem, & incredibilem undique confluentium frequentiam, locum hunc ſequentibus etiam temporibus celebrem effecerunt Monachorum obſervantia doctrinaque. Jordanus Lemovicenſis Epiſcopus in Concilio Bituricenſi anno Chriſti* 1031. *celebrato, Auriliacenſem inter ceteros Abbatem laudat, quod* regulariter agens, lucrandis animabus potius invigilaret, quam de caducis & tranſitoriis rebus curam ageret. *At vero inter viros doctrina præſtantes non ultimum ſibi locum vindicat Gerbertus ejuſdem loci primum monachus, mox Remenſis ac Ravennenſis Archiepiſcopus, ac denique Romanus Pontifex Silveſter appellatus, cujus exſtant epiſtolæ ad Girardum ac Raimundum Auriliacenſes Abbates ab eo directæ, in quibus & grati ſui animi in Auriliacenſes monumenta, & in ſanctum Geraldum religionis indicia non vulgaria apparent. Perſeveravit etiam ſæculo* 12. *apud Auriliacenſes eadem doctrinæ fama, ut colligitur ex Joanne Sareſberienſi Carnutenſium Epiſcopo, qui in epiſtola* 60. *eos laudat*, quod multarum rerum peritiam & uſum haberent. Viri illuſtres.

15. *Medio ſæculo decimo quinto inclinare cœpit apud Auriliacenſes monaſtica diſciplina, Stephano ultimo Abbate regulari non ſine veneni ſuſpicione ſublato, ac in locum ejus Joanne Caſtrenſi Epiſcopo ſubſtituto: poſt quem hic locus Abbates deinceps commendatarios ſortitus eſt, quorum negligentia fatiſcentibus regularibus ædificiis ad Canonicos ſæculares tandem defecit cœnobium, Pio V. mutationem hanc approbante.*

16. *Quod attinet ad cœnobium Vabrenſe,* * *ubi pueros in rebus monaſticis erudiri curavit Geraldus, paullo ante id tempus, ut jam dixi, apud Rutenos* * *ad Dordonam* * *fluvium conditum fuerat a* RAIMUNDO *Comite Toloſano, aſſentiente ejus uxore* BERTEYZA. *Charta primaria data eſt* 3. idus Novemb. anno 23. Caroli Regis, *cognomento Calvi. Id ſe facere dicit* pro remedio animæ ſuæ & genitoris ſui FULCUALDI & genitricis ſuæ SENEGUNDIS, germani quoque ſui FREDELONIS; *atque ideo res proprietatis ſuæ*, ſitas in pago Rutenico, in vicaria Curienſi, *nempe* villam, cujus vocabulum eſt Vaber, *tradit* ADALGISO Abbati ſuiſque monachis, ad monaſterium conſtruendum in honore ſancti Salvatoris & ſanctæ Mariæ Dei genitricis, ſive ſancti Dionyſii martyris, ut unam dicto loco catervam congregent monachorum, qui ſecundum Regulam ſancti Benedicti ibi deſerviant, hoſpites recipiant, pauperes recreent, & pro ſe fideliter orent. Vabrenſe monaſterium. *de Vabre. * le Rouergue. * la Dordonne.

17. *Hæc autem tradit* eo modo, ut nullus Rex, vel aliqua poteſtas habeat licentiam ipſas res beneficiare, vel concambiare, ſive condonare, niſi tantum ut ſub tuitione & immunitate Regis perenniter conſiſtat, *& ipſe Raimundus loci tutor & defenſor fiat: poſt ſuum vero obitum* BERNARDUM, FULCUALDUM, ODONEM, *filios ſuos viciſſim defenſores conſtituit. Hæc charta edita eſt apud Catellum lib.* I. *de Comitibus Toloſanis pag.* 69. & 70. *ubi ex Agio Abbate Vabrenſi obſervat, Adalgiſum Abbatem & monachos ex cœnobio Palmato, quod Marcomanni apud Petrocorios* * *expilaverant, profugiſſe, atque in cognitionem veniſſe Raimundi Comitis, qui ad eos recipiendos Vabrenſe monaſterium condiderit, conſultu Heliſacaris Epiſcopi. Hanc porro* * le Perigord.

con-

Digitized by Google

AN.CHR. 909 13. Octobr. *conditionem Carolus Calvus anno regni ſui 24. confirmavit diplomate regio, quod idem Catellus ibidem refert. Obſervatione digna ſunt Agii Abbatis hæc verba.* Erat igitur eo tempore monaſterium in provincia Galliæ, Petracorio pago, nomine Palmatus, in quo jugiter deicolæ decem famulabantur, nihil habentes proprium, præter quod norma ſancti Benedicti concedebat. Alia namque plurima erant monaſteria in eadem provincia oppido ditiora: quæ jam fata ingruente peſte, famis periculo monachorum ſancti Benedicti normam negligere cœperunt, & contra illius ritum proprium habere: quod illi devitantes, nefas & illicitum cenſebant... Dicebant enim & ipſi, quod nullo modo forent monachi, qui in terra proprium quærerent, nec ſcilicet propriam voluntatem, niſi tantumdem proprias culpas, & proprium locum. Pauperes equidem erant in rebus, ſed divites in fide: quibus præerat Abbas Adalgaſius nomine, veneranda canitie, moribus juſtis, alacer vultu, proſapia quidem non vili genitus, & ore eloquentiſſimus: qui videns quod nullo modo illorum ſævitiam propter præſentem necem ferre poſſet; cœpit luſtrare, ceu bonus paſtor, regiones omnes, ſi forte inveniret, ubi ab ore ſævientium ſuas pauperculas ſervare quiviſſet oviculas: quoniam quidem minime illi opportunum erat ſuo degere ſolo, in quo creberrimas miſerabiles ex dilectis ſuis alumnis cerneret ſtrages. Ventum eſt igitur ad aures eximii marchionis Regimundi, qui illo tempore monarchiæ Toloſæ fungebatur officio, quod venerabilis Adalgaſius Abbas paganorum incurſione foret una cum clientibus proprio exſulatus ſolo . . . Denique concite ad præfatum Abbatem mittere non deſinens rogare viſus eſt, quatenus ad loquendum cum eo Toloſam ne pigeret accedere. Sed ille extemplo ad eum pergere nequiens, quoniam ab urbe Toloſa fere ſexaginta millia aberat; & pro re incerta meare ad eum nolens, duos ad eum direxit diſcipulos. *His conſilium ſuum pandit Raimundus: qui reverſi Adalgaſio rem ſignificant. Acceſſit ipſe Toloſam, & cœnobium Vabrenſe conſtructum eſt, quod poſtea Joannes 22. in eccleſiam Cathedralem erexit, mox factam ſæcularem. Agius Abbas, præmiſſi fragmenti auctor, fuit poſtea Narbonenſis Archiepiſcopus ſub initia ſæculi 10. Dolemus ejus epiſtolam a Catello ex integro non vulgatam fuiſſe.*

AN CHR. 912 8. Apr.

B. NOTKERI MONACHI S. GALLI ELOGIUM HISTORICUM,

Ubi de RATPERTO & TUTILONE monachis, ac de NOTGERIO Epiſcopo Leodicenſi, & de NOTKERO Abbate S. Galli.

Notkeri vita. I. *Inter illuſtres celebris ſancti Galli apud Helvetios monaſterii cœnobitas, de quibus in Sæculi 3. parte 2. ad vitam ſancti Otmari Abbatis egimus, haud infimus cenſendus eſt* Notkerus, *cui* Balbulo *cognomentum fuit. Ejus acta litteris mandavit* Ekkehardus *ſæculo 13. diſtinguendus a quatuor aliis ejuſdem loci ac nominis monachis, primo Decano ſub Ottone I. ſecundo Ottonis II. Sacellano & magiſtro; tertio item Decano ſæculo 11. quarto reſpectu hujus* Juniori *dicto, qui librum de caſibus monaſterii ſancti Galli, in quo quædam Notkeri facta referuntur, compoſuit ſub annum* 1040. *quintus fuit prædictæ vitæ ſcriptor ſub Innocentii III. Pontificatum. Hanc vitam erratis refertam hoc loco recudere piget, maxime cum apud Caniſium in tomo* 6. *antiquarum lectionum, Goldaſtum, & ſocios Bollandianos ad diem* 6. *Aprilis reperiatur. Notkeri autem elogium, quoad fieri poterit, ex Ekkehardo aliiſque auctoribus condere viſum eſt.*

2. *Sed*

Digitized by Google

AN. CHR. 912 6. April.

1. *Sed ne ob nominis communionem confuſio, ut apud Ekkehardum vitæ ſcriptorem, hic oriri contingat, advertendum eſt tres fuiſſe Notkeros parvo temporis intervallo ſibi eodem loco ſuccedentes, nempe* Balbulum, *de quo agere inſtituimus,* Notgerum *Leodienſem ex monacho Epiſcopum, &* Notkerum *Abbatem nepotem alterius Notkeri,* quem pro ſeveritate diſciplinarum Piperis-granum cognominabant, *inquit Ekkehardus Junior in cap. 9. qui fuit* Doctor, pictor, medicus, & poeta. *Hi ſæculo* 10. *floruere: at ſæculo* 11. Notkerus Labeo, *beati nomine donatus, & ſæculo* 13. Notker doctiſſimus & benigniſſimus. *De Balbulo in primis agendum.*

NotKeri Balbuli patria & educatio.

2. *Notkeri nominis etymologiam affert Ekkehardus vitæ ſcriptor, quaſi idem ſit ac* neceſſarie deſiderans: *ubi notat Papebrochius,* Noth-ghere *ſignificare deſiderium, ſeu deſiderantem rerum neceſſariarum.* Igitur beatus Notkerus de pago, qui Turgovve dicitur, oriundus fuit, & in vico qui Sacer-pagus Latine, vulgariter Heiligovve appellatur, nobiliſſimis progenitoribus procreatus *dicitur, &, ſi quæ huic auctori fides,* de Carolorum genere, & ſanguine Saxonum antiquorum erat parentum proſapia. *Caroli Magni, Calvi an Craſſi,* nepos *ab eodem perperam vocatur. Nihil de ejus genere apud Ekkehardum Juniorem: niſi quod claris & illuſtribus parentibus natus initio capitis primi, & Virginem Kerbildam* neptim *habuiſſe perhibetur cap. 9. Hæc illa eſt Kerbilt, quæ teſte Hepidanno* anno 952. 6. Kal. Junii, in die Aſcenſionis Domini ſacro velamine induta eſt, & in natali ſanctæ Mariæ incluſa. *Balbuli cognomen accepit ob linguæ impedimentum: unde ipſe in hymno de S. Stephano apud Caniſium tomo 5. pag. 776.*

Æger & balbus, vitiiſque plenus,
Ore polluto Stephani triumphos
Notker indignus cecini volente
Præſule ſancto.

Puer ad ſanctum Gallum oblatus ſub annum 840. *præceptores habuit Marcellum & Iſonem, uti ipſe in ſubjecta ad Liutvvardum epiſtola teſtatur: condiſcipulos in primis Tutilonem & Ratpertum.* Iſo magiſter, *ait Hepidannus* obiit anno 871. prid. Idus Maji. *Ejus geſta deſcribit Ekkehardus Junior præcipue cap. 2. ubi* ſanctorum parentum *filius dicitur. Apud Grandivallenſes in Aleſatia monachos, petente Ruodolfo Burgundionum Rege, litteras docuiſſe, ibidemque miraculis coruſcaſſe, atque deceſſiſſe memoratur;* quod ratio temporum non patitur; cum Rodulfus Burgundiæ Tranſſuranæ Rex longe poſt mortuum Iſonem fuerit. *Corpus ejus in eccleſia ſancti Germani ſepultum, in Burgundiam translatum creditur. De Marcello fuſe actum eſt in tomo ſuperiori pag.* 461. *Is NotKerum, Ratpertum & Tutilonem* ſeptem liberales duxit ad artes, maxime autem ad muſicam, *teſte EKKehardo Juniori cap. 3. Ex his NotKeri Balbuli ætatem colligere licet, præſertim ex tempore Iſonis ejus præceptoris primi, quem anno* 871. *obiiſſe mox diximus. Itaque longe ante hunc annum NotKerus apud ſancti-Gallenſes verſabatur, haud dubie principatu Caroli Calvi, non Magni, uti ex fabuloſo Ekkehardo plerique narrant. Nonnulli non bene capiunt hæc verba EKKehardi Junioris ex cap.* 1. Traduntur poſt tempus Marcello ſcholæ clauſtri cum Notkero, poſtea cognomine Balbulo, & ceteris monachici habitus pueris: exteriores autem, id eſt canonicæ, Iſoni cum Salomone & ejus comparibus. *His enim prioribus verbis ſignificatur, Marcello commiſſas fuiſſe clauſtrales ſeu interiores ſcholas, quarum ſcholares erant NotKerus & cæteri monachi juniores. Id factum Grimaldo Abbate poſt annum* 841.

S. Galli diſciplina.

3. *Per id tempus qualis fuerit apud ſanctum Gallum diſciplina, operæ pretium eſt explicare. Salomon Canonicus, in ſcholis exterioribus eruditus, etſi beneficus, atque inter Fratres conſcriptos admiſſus, ut tamen in clauſtrum admitteretur, impetrare non valuit, niſi facto quod monachus aliquando fieret voto, ipſe cappa monaſtica * indutus, quam egreſſus ad limina clauſtri deponeret. Lepida eſt ejus rei narratio apud EKKehardum* Juniorem

* v. infra num. 18.

cap. 1.

AN.CHR. 912 6. April. *cap. 1.* Erat Senatus reipublicæ, *inquit*, noſtræ tunc quidem ſanctiſſimus. Conſuluntur Hartmannus conſilio magnus, ille quidem qui *Humili prece* melodiam fecerat; Notkerus, qui Sequentias; Ratpertus, qui *Ardua ſpes mundi*; Tutilo, qui *Hodie cantandus eſt*, & pleraque alia dictaverant, qui in condiſcipulatu animum ejus didicerant. Hartmannus ait: Non ſimilitudinem monachi, ſed monachum ipſum quærit. Notkerus ait: Mihi prætexta hæc, qua ſuperindui, inquit, deſiderat, ſi togam prætenderet, non utique diſpliceret. *Conceditur ut in clauſtrum ſubeat cappa indutus, modo ut aliquando monachus fiat. Aſſenſit ille.* Parat autem pro hoc beneficio inſignem crucem ſancto Gallo. Convivia Fratribus duodecim diebus in anno, id eſt kalendis, prætextatus noſter, quamdiu ſæculariter vixit, hilariter facere ſuevit. Solebant idipſum ante etiam quidam alii Fratres conſcripti noſtratibus charitatis ſignum exhibere. Præ omnibus quidem karolus Rex, *cognomento Craſſus*, ipſe qui ſancti Othmari hebdomada, ipſe propoſitor & pincerna, per triduum de vico Stainhem ſervivit, volatiliaque nos edere fecit. Sed & Adelbero Auguſtenſis multo tempore Antiſtes, qui ſupra, & virtutes ſancti Galli a pluribus audiens, locum in die ſancti Galli orandi gratia adiit, & præſens plura conſpiciens: Major eſt, inquit, gratia loci hujus, quam rumor quem audivi. Reverſus illic altera vice: Quid cæteri, inquit, ſentiant, neſcio, quid mihi animo eſt pronuntio. Unum egomet ſanctum, & hunc defunctum quæſivi: vivos autem ſanctiſſimos, ut vere fatear, fratres inveni. Doctrinam autem illorum & diſciplinam in virtutum eorum operibus videre eſt. *Quid tamen poſtea ad explorandam ejus loci diſciplinam ab Ottone Imperatore factum ſit, inferius exponemus.*

NotKeri virtutes. 4. *Redeo ad Notkerum, qui ita cum Ratperto & Tutilone conjunctus erat, ut* cor unum & anima una eſſent, *ſicut Ekkehardus Junior cap. 3. loquitur,* atque votis unicordes. Notkerus corpore, non animo gracilis, voce non ſpiritu Balbulus, in divinis erectus, in adverſis patiens, ad omnia mitis, in noſtratium acer erat exactor diſciplinis, ad repentina timidulus & inopinata, præter dæmones infeſtantes, erat: quibus quidem ſe audenter opponere ſolebat. In orando, legendo, dictando creberrimus, &, ut omnes ſanctitatis ejus in brevi complectar dotes, ſancti Spiritus erat vaſculum, quo ſuo tempore abundantius nullum. Tutilo bonus erat & utilis homo, muſicus, ſerio & joco feſtivus. Ratpertus ſcholarum ab adoleſcentia magiſter, benevolus, diſciplinis aſperior, raro præter Fratres pedem clauſtro promovens, excurſus mortem nominans, ſæpe Tutilonem itinerarium ut ſe caveret monens. Labem maximam clauſtri impunitatem nominabat. Tales cum eſſent tres iſti noſtræ reipublicæ Senatores, quod ſemper Doctorum eſt & utilium, ab otio vacantibus & in levitate ambulantibus detractiones & dorſiloquia patiuntur aſſidua: ſed maxime, quia minus refellere ſolebat ſanctus (ut vere aſſeram) dominus Notkerus. *Subdit EKKehardus factum cujuſdam monachi, nomine Sindolfi, qui NotKero infeſtior, a Salomone Conſtantienſi Epiſcopo & Abbate operariis præfectus eſt.* Erat tribus illis inſeparabilibus conſuetudo, permiſſo quidem Prioris, in intervallo Laudum nocturno convenire in ſcriptorio, collationeſque tali horæ aptiſſimas de ſcripturis facere. At Sindolfus ſciens horam & colloquia, quadam nocte feneſtræ vitreæ, cui Tutilo aſſederat, clamdeſtinus foris appropiat, aureque vitro affixa, ſi quid rapere poſſet, quod depravatum Epiſcopo traderet, auſcultabat. Senſit illum Tutilo homo pervicax, lacertiſque confiſus, latialiterque, quo illum, qui nihil intelligeret, lateret, compares alloquitur. *Tum NotKero, quia* timidulus *erat, in eccleſiam cedere juſſo, alii duo hominem egregie excipiunt, rapto flagello Fratrum, quod* pendebat in pyrali. *Ratpertus id exſequitur, vir* ad diſciplinas acutiſſimus.

Monachi tunc ſancti apud S. Gallum. 5. Erant illo in tempore, *ſic Ekkehardus Junior perſequitur in eodem cap. 3.*

Digitized by Google

cap. 3. ſancto Gallo & alii cœnobitæ quidem ſancti, quorum juſtitiæ apud Deum non ſunt in oblivione: quorum quidem opera multa audivimus præclara: inter quos HARTMANNUS, & ipſe doctiſſimus Abbas cœnobii poſt Salomonem: WALTRAMNUS vero, cujus etiam melodiæ quis fuerit non celant: RUEGGERUS, cujus ſupra meminimus, & alii quidem multi, cum ſanctis ſancti, cum electis electi: de quibus, quia longum eſt operi audita proſequi, tres ſolos quos aſſumpſimus, in exemplum poſteris ſufficere credamus. AN. CHR. 912 6. April.

6. Notkerus vero dies, noctesque ſemper idem & novus, quod Ratpertus in ſcholis, hoc ipſe in clauſtro, præter verbera, omni charitatis egit cenſura. *Hinc Notkerum clauſtralibus ſeu interioribus ſcholis præfectum fuiſſe intelligimus.* Prioris permiſſo, magis autem & hortatu, juveniores adhuc idonei noctes dieſque, quando ab orationibus quieſcerent, velut in inſidiis erant, *id eſt obſervati, & quidem a Notkero.* Neque enim hora incompetens dicebatur, (*ſic ſanctus Benedictus horas* incompetentes *vocat cap.* 48. *quibus colloqui & ſimul convenire Fratribus non licet*) ſi codice in manibus quis cum domino Notkero loquebatur. Ipſe autem cum propter Regulæ tenorem ſibilis eos interdum & ſtrepitu abſturbaret, ab Abbatibus ei per obedientiam quod refutarat injunctum eſt. Quam autem mellifluus in reſponſis fuerit, lachrymæ eorum qui hominem viderunt, teſtantur. Notkerus ſcholis præfectus. Silentii tenax.

7. Enimvero etiam in ſpiritu Dei multa bonis & malis aut fortunia prædixit, aut infortunia: ſicut gratia exempli ſuperiora repetam, cuidam Karoli elati animi Capellano. Nam Rex idem cum ob charitates agendas fratribus, ut ſolebat, cœnobio veniret, totumque triduum gratia reverentiæ converſantium ibidem moraretur, ſanctiſque noſtris, ut & Ratpertus ſcribit, munificus Abbate jam muſato abire paraſſet: ille quidem elati animi Capellanus virum Dei pſalterio, ut ſolebat, aſſidentem præteriens conſpexit, agnitoque quod is eſſet, qui Karolo multa quærenti pridie quæſita reſolveret, comitantibus ait: Ecce, inquit, iſte eſt, quo neminem ajunt in regno Karoli doctiorem: ſed ego, ſi vultis, illum tam præcellentiſſime doctum ad irriſionem vobis tentabo, & quod tantæ famæ vir omnino neſciat, interrogabo. Illis vero ut hoc faceret curioſe rogantibus, accedunt pariter, ſalutant eum. Humilis ille aſſurgens quid petant quærit. At ille infelix quem diximus: Scimus inquit, homo doctiſſime, omnia te noſſe: quid autem Deus in cælo nunc faciat a te cupimus, ſi noſti, audire. Scio, inquit ille, & optime ſcio. Nunc enim facit quod „ ſemper fecit, & tibi utique quod mox facturus eſt. Exaltat enim hu- „ miles, & humiliat ſuperbos. Abibat tentator ille, & irriſor a ſuis irriſus, parvipendens quid ſibi futurum dixiſſet. Sonatur continuo ad concurſum & laudes Cæſaris abituri. Arripit ille infelix futurus labarum eo die ordinis ſui dominum antecedendi, & equo ſuperbus invectus ante portam civitatis offendens cecidit, & miſere in facie colliſus crus confregit. Committitur Abbati novo, Hartmuoto ſuffecto, Berinhardo procurandus: cui ipſe tandem præſagium Notkeri, omnemque hujuſmodi rem cum aperuiſſet, deſiderabat viri Dei, ſi ſe inviſere dignetur, abſolutionem & præſentis benedictionem. Quod cum ipſe deſpective de Notkero audiens nihil ſibi mali ejus vaticinio aſſereret contigiſſe, coagulari fractura illa nullis fomentis, nullis adunari valuit ligamentis. Supplicatur tandem media quadam nocte á miſerantibus clamores ejus Notkero: qui dum adveniens crus contrectaſſet, confeſtim combullire illud ſenſit confractus, didicitque ſevere de cetero humilia ſentire. *Hactenus Ekkehardus Junior in capite 3. Præterea quæ idem mox ſubdit de malis in Notkerum & Ratpertum artibus illius illiterati, de quo ſupra, monachi, qui Sindolfus vocabatur. Idem auctor cætera ſic perſequitur.* Futura prædicit.

8. Notkerus autem ſpiritualiter (ut diximus) fortis, quantum Tutilo in homines, tantum ipſe valuit in dæmones. Accidit autem ut quadam Dæmones ludit.

no-

AN.CHR. 912 6. April. nocte in eccleſia præveniens in maturitate, altariaque circujens, ut ſolebat, clamaret. In cryptam vero veniens duodecim Apoſtolorum ſanctique Columbani, acriores depoſt aram oculi ejus cum deducerent lachrymas, quaſi canem audierat muſſitantem. *Dæmon erat, quem appropinquantem loco ſtare jubet Notkerus.* Feſtinato autem aram ſancti Galli adiens, cambotam ſuam & magiſtri ejus (*Columbani,*) multarum virtutum operatricem, cum ſphæra illa ſanctæ Crucis notiſſima rapuit, & in introitu cryptæ dextero ſphæra poſita, cum baculo ſiniſtrorſum caninum illum aggreſſus eſt diabolum. *Dein dæmonem ita valide cædit, ut baculum ſanctum confregerit. Dæmon horrendum vociferatur: quo audito, æditùus Notkerum, quis baculum ſanctum confregerit, quis voces ediderit, interrogat. Ille præ ſilentii nocturni religione tacet. Sed cum neminem in eccleſia æditùus, qui myſterium haud noverat, reperiſſet, quid rei eſſet animo volvebat ſtupefactus.* Virum denique regularem, jam ſemel ſibi tacitum, amplius alloqui non auſus eſt præſumere. Notkerus vero, ſecundum quod humilis erat & prudens, æditùum extra eccleſiam „ ſeorſim traxit, benedictioneque prolata: Quomodo baculum, inquit, „ fili mi confregi? niſi tu juveris, ſecreta mea habent efferri. Sed quoniam „ meum non eſt ambulare in magnis & mirabilibus ſuper me, ſilentio fidei „ tuæ quod factum eſt committo. Sicque ei rem, ut facta eſt, enucleavit. At ille baculo per fabrum latenter reparato, quod factum eſt ad tempus occultavit: in temporis autem proceſſu res, ut erat, in medium venit.

De omiſſa Nonæ recitatione arguitur. 9. Habet illa ſancti Galli baſilica capellas: in quarum uno angulari foribus proximo Notkerus pſallere erat ſolitus. Accidit autem ut quadam die ad Nonæ ſynaxim non veniret, neque eam per ſe caneret. In illo autem ſolio cum poſt Completorium, clara adhuc die, precibus inſiſteret, videt ſuper ſe in laqueari interrupti trabibus diabolum conſediſſe, & ſtilo in tabula ſcribere: quem cum quid ſcelus ſcriberet interrogaſſet: Nonam, inquit, quam tu ſcelus hodie ſuperſederas ſcribo. At ille dicto citius, *Deus in adjutorium meum intende, (vides nullas præmitti preces)* proſecutus, videt eum manu celeberrima quod ſcripſerat, planaſſe. Cumque ad preces ſynaxis ſe in terra proſterneret, tabulam laquearii diſrupti ſuper eum dejecit. At ipſe videns, ut ictum declinaret, citus exſiliit. Cachinnans tandem ille, Mihi ut aſſurgeres, inquit, effeci. Enimvero, ait & Notkerus, ſi tu ut nuper caninus fueris, iterum habeo tecum operari. Tandem cum evanuiſſet, fratres aliqui in extremis templi orantes, ſonum tabulæ voceſque audientes, mirati quid eſſent, citi aderant: videnteſque eum, ut ſolebat, proſtratum, nolebant illum, quod etiam incompetens hora eſſet, impedire. Tandem tamen Tutilo unus ex illis ſigno dato, amice illum foras evocans, ſilenter in aurem: Magnas, inquit, inquietudines tu & dæmones tui fratribus facere ſoletis. *Tum interpellanti quid eſſet, Notkerus abnuit: ſed factum ex aliis qui viderant, non celatum. Hac in narratione obſerva religionem ſilentii in primoribus ſancti Galli monachis, maxime in eccleſia: ut ſi cui neceſſarium quid loquendum eſſet, primum extra eccleſiam ſecederet cum eo quocum colloqui vellet. Dein petita aut data benedictione (quod ex ſuperiori numero colligere licet) breviter in aurem quod in rem eſſet, inſuſurraret. Ad hæc abſoluto Completorio ſolitam fieri ſynaxim peculiarium orationum: quod forſam intelligendum de illa oratione, quæ* expleta pſalmodia *tempore ſancti Benedicti fieri ſolebat, teſte Gregorio M. in lib. 2. Dialogorum cap. 4.*

Wolonis caſus. 10. *Hepidannus anno 876. quoddam factum, quod pluribus explicandum eſt, uno verbo memorat:* Volo cecidit. *Rem ediſſerit Ekkehardus Junior in eodem cap 3.* Erat eodem in tempore in loco adoleſcens quidam monachus admodum litteratus, Comitis cujuſdam filius, nomine Wollo, inquietus & vagus: cui propter averſionem cum nec Decanus ipſe, nec dominus Notkerus, ſeu ceteri imperare potuiſſent, crebroque eſſet verbis verberibuſque correctus, nihilque proficeret; omnes pro talis ingenii viro dolebant. Nam cum numquam ſanctus Gallus niſi libertatis monachum, *id eſt ingenuum*, habuiſ-

buiſſet, nobiliores tamen ſæpius aberrabant. Advenerant parentes ejus pro eo ſolliciti : per quorum monita cum parum proficeret, iterum poſt abitum eorum ibidem erat. Diabolus autem quadam die domino apparuit Notkero diluculo: Malam tibi, inquit, & fratribus tuis facturus ſum noctem. Mala avis, ait ille, malam famam prodere ſolet. At ille fratribus quæ audivit, ut illo die caverent, prænotuit. Wolo vero cum hoc & ipſe a dicentibus audiſſet: Senes, inquit ſemper vana ſomniant. Erat autem dies ipſe, quo ſibi a Decano nequaquam, ut ſolebat, clauſtro progrederetur, interdictum eſſe omnes noverant. Et cum ſederet ad ſcribendum, ultima ejus ſcriptura erat, *Incipiebat enim mori*: illicoque exſiliens, ceteris illum inclamantibus, Quo nunc Wolo, quo nunc? in campanarium ſancti Galli per gradus, ad hoc quidem nobis paratos, aſcendere incipit, uti oculis, quia greſſu non licuit, montes campoſque circumſpiciens, vel ſic animo ſuo vago ſatisfaceret. Aſcendens vero cum ſuper altare Virginum veniſſet, impulſu (ut creditur) ſatanæ per laquear cecidit, collumque confregit. Plurimis autem qui viderant vel audierant occurrentibus, cum Viaticum ei properanter afferrent, confeſſione dicta communicavit. At illi cum eum efferre voluiſſent, & ad domum infirmorum portare: Sinite me, inquit, ſanctas Virgines, prius inclamare. Ipſæ enim ſciunt, quia quamvis alias nefandiſſimus, mulierem tamen non novi. Interea cum alte ejulaſſet, Notkero accurrente, manus illi porrexit: Tibi, inquit, Domine mi, & ſanctis Virginibus quas ſemper amabas, animam peccatricem commendo. At ille jactans ſe circa eum, Sanctæ, inquit, Virgines, in vobis confiſus, fratris ipſius crimina ſuper me tollo, & ambos nos vobis committo. Et hæc dicens flebat & ejulabat. Cumque ille efferretur, pro foribus eccleſiæ, quiete petita, Notkerum manu arctiſſime ſtringens, omnibus preces effundentibus emiſit ſpiritum. Inter exſequias Notkerus eum lavit, in feretrum collocavit, obſequium faciens totam ejus ſepulturam ipſe procuravit, ſemperque, quoad vixit, duo ipſe Monachi officia teſtatus eſt perſolvenda. Completorium ipſo obitus viri die dum finiretur, Patrum quidam ſimplicior precem, in qua ineſt, *ut ſicut læti duximus diem, ita noctem quoque læti tranſigamus*, dum recitaſſet, exſiliens vir Dei: Quid petis, inquit, frater admirabilis, quid petis? Sufficeret hodie diei malitia ſua, & ſuperabundaret: tu autem & nocti eadem precaris? Septima vero obitus hominis die cum pernoctans in eccleſia permanſiſſet, circa tempus laudis nocturnæ parumper ſuper genus pauſans, videt quaſi Ratpertum ſuum ſe excitantem & dicentem: Dimiſſa ſunt ei peccata multa, quia dilexit multum. At ille evigilans, unde, anime mi, unde hoc noſti? cum ſubjunxiſſet, quia modeſto gradu ille exiit. At ipſe putans eum eccleſiam, ut ibi licentius loqueretur, exire, dum eum extra velum proſequitur, (*erat ergo etiam tunc velum pro foribus eccleſiæ ſancti Galli*) neque ipſum, neque greſſus ejus ullum ſentire poterat ſonum: cereoque accenſo quæſivit eum in lecto: quem invenit ſurgentem, ut & ipſe, ſicut ſolebat, præveniret in maturitate & clamaret. Cereo exſtincto eccleſiam rediit, *Te Deum laudamus* præ gaudio flens ſilenter cantavit, *id eſt ſubmiſſa voce recitavit*. Die autem dato, quærente Ratperto, utrumne ad excitandum ſe nocte veniſſet, quod viderat amabili ſuo aperuit: tandem quoque & ceteros fratres res tanta non latuit. *Hic obſervare juvat, Ratpertum, tametſi docendæ juventuti præpoſitum, tamen a laudibus nocturnis non abfuiſſe, uti neque Notkerum; immo ſtatam horam antevertiſſe. Ceterum Wolo Notkeri Balbuli* ex ſorore nepos *a fabuloſo Ekkehardo appellatur, filius Comitis Kiburgenſis*.

AN CHR. 909 6. April.

11. *De obitu Ratperti Ekkehardus Junior ita perſequitur*. Ratpertus vero, & ipſe ſanctus, circa clauſtrum ſancti Galli cum languidus iret, nec tamen docere deſineret, quadraginta diſcipulis quondam ſuis Canonicis, tunc quidem Presbyteris, loco propter feſtum advenientibus, animam ſingulis in manibus commiſit: quorum quiſque ei triginta Miſſas obituro promi-

Ratperti obitus.

Digitized by Google

AN.CHR. 909 6. April. miſerat. Sicque ille lætiſſimus Deum, uti ſe diutius morbo coqueret rogans, panis nitidus factus, inter diſcipulorum manus in paradiſum, ut credimus, tranſiit: pro quo Notkerus & Tutilo præter ceteros fratres dolentes, qui poſt eum relicti ſunt, multa fecerunt. *Scripſit Litanias editas apud Caniſium tomo 5. pag. 742. & librum de caſibus monaſterii ſancti Galli, a tempore B. Columbani ad Salomonem Abbatem, apud Goldaſtum.*

Et Tutilonis. 12. Tutilo vero cum apud Mettenſium urbem cælaturas ſatageret, peregrini duo ſanctæ Mariæ imaginem cælanti adſtiterant, eleemoſynamque petebant. Quibus cum nummos clam tribueret, divertentes ab eo, clerico cuidam adſtanti ajebant: Benedictus Domino vir iſte, qui nos hodie bene conſolatus eſt. Sed eſtne ſoror ejus, inquiunt, Domina illa præclara, quæ ei tam commode radios ad manum dat, & docet quid faciat? Ille vero miratus quid dicerent, cum nuperrime ab eo digreſſus nil tale vidiſſet, revertitur, & quod dixerant, velut ad momentum & in ictu oculi contemplatur. Ait autem illi clericus & peregrini: Benedictus tu Pater Domino, qui tali magiſtra uteris ad opera: qui cum ipſos quid dicerent neſcire aſſereret, vehementer in illos invectus, ne cui tale quid dicerent interminatur. In craſtinum autem cum gloriam talem de ſe plures audirent dictitare, ſubtrahens ſeceſſit de medio, neque jam ultra in urbe illa operari volebat. In bractea autem ipſa aurea cum reliquiſſet circuli paniciem vacuam, neſcio cujus arte poſtea cælati ſunt apices: *Hoc panthema pia cælaverat ipſa Maria*. Sed & imago ipſa ſedens quaſi viva, cunctis inſpectantibus adhuc hodie eſt veneranda ... De obitu autem ejus, *ſcilicet Tutilonis*, quia nihil conſtans comperimus, hoc ſolum quod ad gaudia eum migraſſe confidimus, indubitanter aſſerimus. *Ejus obitus contigit* 5. Kal. Aprilis.

Notkeri facta extrema. 13. De Notkero quæ reliqua ſunt, audenter narrabimus, quoniam illum Spiritus-ſancti vas electum nequaquam dubitamus. Remanſit ille ſanctiſſimus uterinis in ſpiritu viduus & orbus: tandemque malum illi, quo dolore cordis intrinſecus tactus eſt, accidit. Epiſtolas canonicas græcas, a Liutvvardo Vercellenſi Epiſcopo petitas, multis ſudoribus ille exemplaverat. Et ecce Sindolfus, *nebulo ille, de quo ſuperius mentio facta eſt*, magnus jam & præpotens in loco, codicem illum delicate ſcriptum caſu incurrens furatus eſt, & ſingulas quaternionum, ſicut hodie videre eſt, cultro deciſas diſcerpſit atque depravavit, & iterum complicans in locum, ubi eas fuerat furatus, repoſuit. *Hæc ſunt quæ de Notkero, Tutilone, & Ratperto commemorat Ekkehardus Junior in capite 3. Subjicit deinde quas quiſque odas ſeu Sequentias compoſuerit, & ad concentum formaverit. Nec plura de Notkeri obitu* Obitus. *loquitur: ſic vero Hepidannus*: Anno 912. Notkerus magiſter obiit. *Keroldus ejus diſcipulus piiſſimus, teſte eodem Ekkehardo cap.* 14. ſepultus eſt non longe a Notkero Balbulo, magiſtro quondam ſuo, ſibique amiciſſimo. *In Necrologio Notkeri obitus ita exprimitur*. 8. Idus Aprilis obitus Notkeri, qui Sequentias compoſuit: in cujus anniverſario datur minor ſtoupus * de Balnea-ſtupa retro muros, & de aliis duabus domibus ſibi adjacentibus & hortis ſuperpoſitis, quæ pertinent ad eccleſiam ſancti Petri. *Corrigendi itaque Vvion & alii, qui ejus obitus diem ad 6. Idus collocant. Epitaphium ejus ſic habet apud Bollandianos*:

* ſcyphus.

Ecce decus patriæ Notkerus, dogma ſophiæ,
Ut mortalis homo conditur hoc tumulo.
Idibus octonis hic carne ſolutus Aprilis,
Cælis invehitur, carmine ſuſcipitur.

Inter macrobios ponitur ab his, qui eum a tempore Karoli M. vixiſſe putant cum fabuloſo Ekkeardo: nec melius ſentiunt qui Notkero Balbulo *cæcitatem affingunt cum eodem* Ekkehardo, *cum id* Notkero *medico tribuendum ſit.*

NotKeri ſcripta. 14. *Notkerus Balbulus varias compoſuit Sequentias, id eſt rythmicas preces, quales ad Miſſam ante Evangelium in feſtis ſollemnioribus cantari ſolent.*

Digitized by Google

lent. Sequentiam de Spiritu-ſancto incipientem ab his verbis, Sancti Spiritus adſit nobis gratia, *ei tribuit Ekkehardus ſequioris vitæ ſcriptor, atque hanc a Notkero miſſam fuiſſe Carolo Imperatori, qui hymnum* Veni Creator *a ſe compoſitum eidem remiſerit, ubi quod de Carolo dicitur, falſum eſſe conſtat. Verius eſt quod idem auctor ſubdit, piam illam de Spiritu-ſancto Sequentiam*, Veni ſancte Spiritus, *compoſitam fuiſſe ab Innocentio Papa III. cujus tempore vivebat. Ex omnibus porro Notkeri ſcriptis præcipuum eſt Martyrologium, a Caniſio editum tomo 6. Tempus ſcripti operis aſſignat Notkerus ipſe ad 7. Kal. Maji in hæc verba* : Quod idcirco ſignificandum putavi, ut Patriarcha noſter Hatto Magontiacenſis, qui hoc anno item ab Incarnatione Domini.... caput ejus, *id eſt ſancti Georgii*, & aliud quoddam membrum, cum plurimis & maximis Sanctorum reliquiis in Alemanniam ad novum Monaſterium ſuum a Formoſo Apoſtolico impetratis aſportavit. *Annus quidem non exprimitur in codice quo uſus eſt Caniſius : ſed ex Formoſi pontificatu, qui ab anno 891. in annos quinque Romanæ Sedi præfuit, præter-propter intelligi poteſt. De Hattone infra. Vide ad 10 Kal. Junii, ubi de reliquiis ſancti Deſiderii Viennenſis Epiſcopi ab Adone anno 870. miſſis per Beroldum Presbyterum, qui adhuc ſuperſtes erat.* AN CHR. 909 6. April.

15. *Præterea* literas alphabeti, *quæ olim in modulatione ſignificanda uſui erant*, cuidem amico quærenti Notker Balbulus dilucidavit, *ex Ekkehardo Juniore cap. 4. Lantberto nomen erat illi amico, apud Caniſium tomo 5. pag. 739. & apud Goldaſtum. Idem NotKerus Pſalterium Arnulfo imperatore in Alamannicam linguam tranſtulit, tanta verborum difficultate, ait Joachimus Vadianus apud Goldaſtum lib. 2. de monaſteriis Germaniæ, ut nonniſi ab attento lectore intelligi queat. Specimen ejus linguæ in Oratione Dominica & Apoſtolico Symbolo poſt idem Pſalterium ſcripto refert idem Vadianus pag. 47. NotKeri varios hymnos refert Caniſius in tomo 5. a pag. 769. & pag. 790. fragmentum vitæ ſancti Galli ab eodem Notkero tribus libris metrice ſcriptæ. Meminit iſtius operis Notkerus ipſe in epiſtola ſequente ad Liutvvardum Vercellenſem Epiſcopum & ſancti Galli Abbatem, quam ex mſ. codice Cluniacenſi eruit noſter Stephanotius, prout hic ſequitur.*

SUmmæ Sanctitatis merito, ſummi ſacerdotii decore ſublimato, domino dilectiſſimo LIUTVVARDO incomparabilis viri Euſebii Vercellenſis Epiſcopi digniſſimo ſucceſſori, Abbatique cœnobii ſanctiſſimi Columbani *, ac defenſori Cellulæ diſcipuli ejus mitiſſimi Galli, necnon & Archicapellano glorioſiſſimi Imperatoris KAROLI, NOTKERUS cucullariorum ſancti Galli noviſſimus. Cum adhuc juvenculus eſſem, & melodiæ longiſſimæ ſæpius memoriæ commendatæ inſtabile corculum aufugerent, cœpi tacitus mecum volvere, quonam modo eas potuerim colligere. Interim vero contigit, ut Presbyter quidam de Gimedia nuper a Nordmannis vaſtata veniret ad nos, Antiphonarium ſuum deferens ſecum, in quo aliqui verſus ad Sequentias erant modulati, ſed jam tunc nimium vitiati : quorum ut viſu delectatus, ita ſum guſtu amaricatus. Ad imitationem tamen eorumdem cœpi ſcribere, *Laudes Deo concinat univerſus orbis qui gratis eſt redemptus*. Et infra, *Coluber Adæ deceptor*. Quos cum magiſtro meo ISONI obtuliſſem, ille ſtudio meo congratulatus, imperitiæque compaſſus, quæ placuerunt laudavit, quæ autem minus, emendare curavit, dicens ſingulæ motus cantilenæ. Quod ego audiens, ea quidem quæ in prima veniebant, ad liquidum correxi : quæ vero... quaſi impoſſibilia vel attentare neglexi, cum & illud poſtea uſu facillimum deprehenderim, ut teſtes ſunt, *Chriſtus in Sina & Mater*. Hocque modo inſtructas ſecunda mox vice dictavi, *Pſallat Eccleſia mater illibata* : quos verſiculos cum magiſtro meo MARCELLO præſentarem : ille gaudio repletus, in rotulos eos congeſſit, & pueris cantandos aliis alios inſinuavit. Cumque mihi dixiſſet, ut in libellum compactos alicui primorum illos pro munere offerrem; ego pudore retractus numquam ad hoc cogitare poteram.

* nempe Bobienſis.

Digitized by Google

AN.CHR. 909 6.April. Nuper autem a fratre meo Othario rogatus ut aliquid in laude veſtra conſcribere curarem, & ego me ad hoc opus imparem non immerito judicarem; vix tandem aliquando eo quoque ad hoc animatus ſum, ut hunc minimum viliſſimumque codicellum veſtræ celſitudini conſecrare præſumerem: quem ſi in eo placita veſtræ pietati compererо, ut ipſi fratri meo apud Domnum Imperatorem ſitis adminiculo, metrum quod de vita ſancti Galli elaborare pertinaciter inſiſto, quamvis illud fratri meo Salomoni prius fuerim pollicitus, vobis examinandum, habendum, ipſique per vos explanandum dirigere feſtinabo.

In his litteris clarus eſt Liutvvardus Vercellenſis Epiſcopus, Caroli Craſſi Imperatoris Cancellarius, cui Pauli Apoſtoli epiſtolas græcas Notkerus (ut ſuperius dictum eſt) deſtinaverat. Eidem Sequentias dedicavit, apud Caniſium tomo 5. pag. 758. Monaſterium de Gimedia, eſt Gemeticenſe * *in Neuſtria ad Sequanam infra Rotomagum, quod a Nortmannis, teſte Vvillelmo Gemeticenſi, vaſtatum eſt anno 851. quo tempore Notkerus* juvenculus *erat. Atque vel inde patet, eum ad Caroli M. tempus non pertinuiſſe, nec ita longævum, ut plerique fingunt, exſtitiſſe. Scripta eſt autem hæc epiſtola ante annum 887. quo Carolus Craſſus imperio & vita ceſſit, Salomone necdum ſancti Galli Abbate. Poſt ſuperiorem epiſtolam ſequuntur hymni ſub hoc titulo:* Incipit liber hymnorum Notkeri Balbuli cœnobiolæ ſancti Galli; *nempe, in Natali Domini,* Dies ſanctificatus: *de ſancto Columbano.* A Solis occaſu; *& de ſancto Gallo,* Chriſte ſanctis unica ſpes.

* Iumieges.

16. *Poſtremo Goldaſtus exiſtimat, nulla allata ratione, Notkerum Balbulum auctorem eſſe duorum librorum de rebus bellicis Caroli M. ad Carolum Craſſum Imp. ſub nomine Monachi S. Galli editis. Certe conſentit tempus, faventque hæc verba in lib. 2. cap. 26.* His igitur quæ ego balbus & edentulus... explicare tentavi, &c. *Verum magis gravis ac ſeverus videtur Notkeri genius in Martyrologio ſuo, quam ut eidem duo iſti libri tribui debeant. Non parum tamen momenti habere debet hic locus. Simili enim modo Notkerus ſe balbum, dixit ſupra n. 2. in hymno de S. Stephano. Quidquid ſit, emendandus eſt locus in lib. 2. de rebus Caroli M. cap. 8.* Apud quem & dominus meus Gallus, *ubi legendum* Grimaldus, *quod prima tantum litera initiali in codice mſ. indubie deſignatum erat. Grimaldus vero Abbas erat ſancti Galli primis Notkeri annis.*

Inquiſitio de ejus ſanctitate.

17. *Reſtat agendum de NotKeri noſtri cultu, de quo litteras Caniſius & Goldaſtus ediderunt, & ex eis Papebrochius. Iverat quondam Romam Vodalricus Abbas ſancti Galli, eo miſſus a Frederico ſecundo ad Innocentium III. Peractis Miſſis, quibus Apoſtolicus interfuit præſente Abbate, de NotKero Sequentiarum auctore, quas quidem forte legerat, ſciſcitatur Pontifex & quomodo dies anniverſarii ejus celebraretur, & an denique feſtivitatem ejus agerent. Reſpondit Abbas, Notkerum* ſimplicem monachum *fuiſſe, ex nobiliſſimis terræ parentibus ortum, valde eruditum ac ſanctum: ceterum* „ privatim tantum agi de eo, ſicut pro alio defuncto. His verbis Papa „ commotus, O nequiſſimi, *inquit*, malo veſtro tanti, tam ſanctiſſimi vi„ ri, qui erat pleniſſimus Spiritu-ſancto, quod hujus feſtivitatem non ce„ lebratis, infelices eritis. *Ita in poſteriori Notkeri vita & in geſtis Vodalrici Abbatis. Res tamen infecta manſit ad pontificatum Julii II. qui mandavit Hugoni Conſtantienſi Epiſcopo, ut de inſtituendo Notkeri feſto & officio inquiſitionem faceret, ac pro ſententia ſua decerneret: ita tamen ut ex his quæ feciſſet, decreviſſetve, aut ordinaſſet,* prædictus NotKerus propterea canonizatus aut approbatus non cenſeretur. *Hugo id officii demandavit Joanni Zvvicho Canonico Conſtantienſi, tum ejus defectu Leonardo Altvvegero Notario anno 1513. Demum ipſe Hugo abſoluta inquiſitione permiſit Abbati & conventui,* & quibuslibet aliis perſonis, ut una die cujuslibet anni per eos eligenda, vel die qua beatus Notkerus ab hoc ſæculo migravit, feſtum Confeſſoris minoris, ac Miſſam & officium ejuſdem beati Notkeri a primis veſperis uſque ad ſecundas veſperas ejuſdem diei, in dicta capella ſanctorum Petri & Pauli ac ejuſdem monaſterii, necnon aliis eccleſiis & capellis eidem monaſterio ſubjectis, cujuſ-

vis

Digitized by Google

vis licentia minime requiſita, ſollemniter celebrare, & facere celebrari AN.CHR.
poſſint, & licite valeant: *ita tamen ut*, prout Julius Papa ſecundus in 909
litteris ſuis voluit, idem beatus Notkerus propterea canonizatus aut alias 6. April.
approbatus non cenſeatur. *Actum id Julio mortuo, nimirum anno* 1514. *ſub Leone X.*

18. *Antequam Notkerum dimittamus, de duobus aliis Notkeris hoc loco paucis agere juvat, nempe de Notkero Abbate & Notkero Epiſcopo Leodicenſi. Notkerus Balbulus vivendi finem fecit Salomone Abbate, qui anno* 919. *& ipſe vivere deſiit. Anno* 921. *ſucceſſit Hartmannus: huic vero poſt biennium Engilbertus. Anno* 933. *Thieto Abbas efficitur, iſque anno* 942. *Abbatiam Craloni fratri ſuo uterino reſignavit. Ejus tempore Anno in Abbatiam, vir alioqui frugi, intruſus eſt, anno uno & dimidio. Anno* 959. *Craloni mortuo ſuffectus Burchardus, Notkeri præceſſor, cujus tempore cum ſiniſtra de ſancti Galli diſciplina ſuſpicio oborta eſſet, juſſu Ottonis Auguſti viſitatio loci facta eſt. Id paucis refert Hepidannus in hunc modum*: Anno 968. adventus & immiſſio octo Epiſcoporum, ac totidem Abbatum in monaſterium ſancti Galli ad examinandam vitam noſtram & Regulæ obſervationem, qui Deo dante optima teſtimonia daturos polliciti, fratreſque facti, charitative abierunt. *At totam rei geſtæ narrationem, lectu quidem, præſertim monachis, haud infructuoſam aut indignam, fuſius exponit EKKehardus Junior in capitibus* 10. *&* 11. *ex quo Epiſcoporum nomina diſcimus. Primus Henricus Treverenſis Archiepiſcopus*, cui ſumma rerum commiſſa; *tum Arnolfus Tullenſis, Dietricus Mettenſis, Hiltebaldus Curienſis, Poppo Herbipolenſis, Palzo Spirenſis, & Erpho Vvormatienſis Epiſcopi. Abbates nominantur Kebo Laureſſenſis, Kerbo Vvirzinburgenſis, Milo Elevvangenſis: ceterorum nomina ignota. Iſti viſitationi cauſam præbuit Abbas Augienſis, qui & ipſe viſitationi intererat, Ruodmannus, qui ſancti Galli monachos*, quaſi minus regulares, *ad Hadvvigam Heinrici ducis filiam*, quæ Suevorum poſt Burkhardum virum dux erat, *detulit traduxitque. Id ipſa retulit ad Ottones patrem & filium, in quorum aula EKKehardus tunc Capellani munere fungebatur, dum EKKehardus alter Decani munus apud S. Gallum obiret. Et Otto filius ad delectos Epiſcopos & Abbates*: Ite, *inquit*, vos nominati Epiſcopi cum Abbatibus, cœnobii ſancti Galli monachos, „ qui infamantur, correcturi. *Ad hæc Arnolfus Tullenſis, rem arduam eſſe, at-„ que ex invidia profectam; ſe votivum iſtuc nuperrime adiviſſe; ceterum ſimilem „ charitatem vix alibi ſe inveniſſe: non unius tramitis & regulæ via cælum ſcandi. Tum Hiltebaldus Curienſis*: Omnia quæ ibi noſcuntur, pie Rex, laude digna ſunt, *ait*, præter quod ibi habent quædam ſua, & carnium aliqui illorum utuntur eduliis: & hæc ipſa quidem Abbatum ſuorum, ne deficerent, ſemper egerunt permiſſis. *Ad hæc*, Enimvero ſi de ſuo, ut aſſeritis, Rex ait, vivunt, id ipſum ſecundum Regulam Benedicti ut faciant, quantum potiſſime poteritis, ut agatis, vobis omnibus injungimus. Et quoniam & nos quidem aliquos de ipſis venerabiles agnoſcimus, non hoſtiliter eos aggredi libet, ſed tot conſultores quidem amiciſſimos dirigimus, ut infirmo fratri meo Abbati, quoniam pater meus filium eum vocat, adminiculo ſitis, ut bona multa quæ faciunt, ad Benedicti Regulam deinceps vergant. *Eunt illi lege ab Ottone patre data, ut Burchardo Abbati, qui nepos ejus erat, parcerent, neque eum abjicerent. Eunt illi ad locum, ubi plerique nutriti fuerant, Dietricus, & Palzo præter alios. Abbas in medium vocatus, jubet EKKehardum Decanum ac NotKerum medicum ſurgere, atque inſtituti ſui diſciplinam edicere. Quibus auditis Kebo Abbas Lauriſhamenſis & Abbates Epiſcopis*: Enimvero, ajunt, hæc omnia quæ audivimus, Benedicti ſunt Regulæ, præter hoc ſolum, quod ſecundum illam laborant, ſecundum illam autem non vegetantur. Sed & hoc ipſum eis cauſa eſt, ut undecumque quærant quo vitam ſuſtentent. Quæ quia Abbatis permiſſo quæſita, ubi juſſerit, reponunt, & ad ejus nutum & arbitrium his quæcumque ſunt utuntur; contra Regulam non eſſe veraciter affirmare valebimus. *Tandem* placuit omnibus, quicquid quiſque privati haberet, in com-

Abbates S. Galli.

Viſitatio monaſterii.

AN.CHR. 909 6. April. communes officinas in fide deferret : carnibus omnes, præter quibus Regula indulget, abſtinendo; menſas, etiamſi paupertatis ſint, ſimul habeant. *Ceterum Henricus Archiepiſcopus pollicetur ſe daturum operam, ut Ottones loci penuriæ providerent: quod & factum eſt.* Lætis ob hoc omnibus, itur in eccleſiam : recepti manibus ſinguli in libro vitæ ſcribuntur. *Illis abituris*, pergunt *Fratres* in eccleſiam ad dandas abeuntibus proſperæ viæ preces, & recipiendas a tot Epiſcopis benedictiones, data prius confeſſione, & a ſtolatis remiſſione. *Poſtquam legati omnia ad Ottones perorarunt, mittitur Kebo Laurisbamenſis, qui quæ apud S. Gallum deerant, ſarciret,* & de ſcriniis Regum ſexaginta argenti librarum rata pondera deferret.

NotKerus Abbas. 19. *Paullo poſt Burchardus Abbas regimine ſponte cedens, ad capellam ſancti Galli ſeſe incluſit*, & Notkerum pro ſe, Ekkehardo favente, Notkeri medici ex ſorore nepotem, eligi rogavit, & Regibus eum pro ſe inthronizandum direxit. *Litteræ hac de re directæ ad Ottonem; quas cum Otto filius patri obtuliſſet*, & a patre ſigillum recludere juſſus, ipſi illi (nam ſancti Galli ſemiſacies erat) in manum dabat. *Litteras Otto junior perlectas* patri & matri *Adalbeidæ* fidus interpres reponens inſinuavit, & ut petita facerent, rogavit. *Ekkehardus Capellanus*, notularum peritiſſimus, *verba ultro citroque prolata, in tabulis notavit. Otto pater, quem Otto Junior Leonem vocabat, legatos poſtridie introductos*, Bon-man habere Romaniſce dixit. *Tandem paſtorali ferula, quam Burchardus miſerat, recepta*, condicto quidem tali eam Kotkero dedit, ut vivo Abbate ſuo, ſicut ipſe vellet, illam curaret, nihilque capitale abſque ejus nutu, & Ekkehardi Notkerique conſilio ageret. Et continuo, Meus eris, ait: manibuſque receptum oſculatus eſt: moxque ille Evangelio allato fidem juravit: dimiſſoque eo in eccleſiam ad *Te Deum laudamus*; milites Galli * qui aderant reverſo, coram ſe accitos jurare juſſit. *Notkerus apud S. Gallum* gratanter ab omnibus ſuſceptus, Burchardique manu in ſedem potentiæ locatus, colloquium in Capituli domo facere baſilicam egreditur: ibique in ſancti Benedicti vicem ab omnibus electus, *optime poſtea ſe geſſit, & Kebonis Abbatis Laurisbamenſis* doctrinam paulliſper ſopitam ſollicite excitavit. *Hæc omnia ex EKKebardo Juniori capitibus* 12. *&* 16. *Ad reliquam loci diſciplinam quod attinet*, quotannis more Romano officia *apud ſancti-Gallenſes* mutari ſolebant, *cap.* 15. *Clauſtrum vero* ab antiqua Patrum memoria tantæ venerationi eſt habitum, ut nemini vel potentiſſimorum ſæculi Canonicorum ſeu laicorum introitus vel etiam introſpectus eis licuerit, *cap.* 16. Vidi egomet, *inquit EKKebardus*, ante tempora quæ a Gallis patimur monachorum ſchiſmatis, Comites alioſque potentes, loci quoque milites, pro dilectione feſtis diebus crucem nobiſcum per clauſtrum ſequendo, juvenes, & ſenes quoſdam ad cingulum barbatos, monachicis indutos roccis * nobiſcum quaqua ivimus ingredi. *Quod de Gallis ait EKKebardus, id intelligendum de Sandra-do Trevirenſi monacho, Ottoni patri chariſſimo, qui reſtituendæ apud S. Gallum diſciplinæ obtentu Sancti-Gallenſibus non parum negotii faceſſerat, ut inferius in ejus Elogio dicemus. Hæc fuſius perſecutus ſum, quoniam multa in his occurrunt ad res monaſticas illuſtrandas. EKKebardus Junior deſinit in Notkero Abbate, qui anno* 973. *Abbas renuntiatus, ex humanis exceſſit anno* 981. *teſte Hepidanno.*

* id eſt S. Galli.

* id eſt cappis, ſupra n. 3.

NotKerus Epiſcopus Leodicenſis. 20. *Venio tandem ad Notkerum Leodicenſem Epiſcopum, cujus acta in geſtis Epiſcoporum Leodienſium prolixe referuntur, ſed nulla monaſticæ ejus profeſſionis mentione facta, neque apud Sigebertum, qui pontificatus ejus initium revocat ad annum* 971. *quo anno Everaci mortem locat Chronicon Magdeburgenſe, at anno ſequenti NotKeri ſucceſſionem. Idem Chronicon Notkerum S.* Galli præpoſitum *fuiſſe declarat ad annum* 1008. *his verbis* : Notkerus Leodicenſis Epiſcopus, & prius monaſterii ſancti Galli Præpoſitus, ad Chriſtum migravit. *Eum bonæ memoriæ Epiſcopum vocat Baldericus in Chronici Cameracenſis lib.* 1. *cap.* 110. Notgerus *in geſtis Epiſcoporum Leodienſium, perpetuo* Notkerus *in diplomatibus appellatur.*

NotKeri reliqua ſcripta. 21. *De Notkero Balbulo pæne prætermiſeram quod Goldaſtus in tomo* 2. *rerum Ala-*

Digitized by Google

Alamannicarum obſervat pag. 195. *nempe ipſum ſcripſiſſe* hiſtoriam S. Galli & ſubſequentium temporum uſque ad ſuam ætatem, in morem Ciceronianum, id eſt per dialogos: *quam hiſtoriam ait* exſtare in Palatinatu, apud viduam Wolfgangi Weſteri Sanctgallenſis. *Idem Goldaſtus eidem Notkero chartas quaſdam attribuit pag.* 6. *quas vice Vvinidhardi monachi ac Cancellarii ſcripſerit. Sed de his ſatis.* AN.CHR. 909 6. April.

DE V. ARGRINO EPISCOPO LINGONENSI,

AN.CHR. 913 25. Jan.

Ubi de Isaaco & Geilone Epiſcopis.

1. *ETSI ambigua* Argrimi *ſeu* Argrini *vita in epiſcopatu exſtitit, probabilior ipſe vitæ ejus exitus fuit. Defuncto Iſaaco Epiſcopo, a quo in Divionenſi ſancti Benigni cœnobio reſtitutam diſciplinam diximus ad annum* 878. *in Elogio Bertilonis Abbatis, contentio de eligendo ſucceſſore nata eſt, aliis Teutboldum, aliis Egilonem ſeu Geilonem præferentibus. Hæc ad Stephanum Papam VI. delata eſt, qui ea de cauſa litteras ad Fulconem Remenſem Pontificem in Teutboldi gratiam ſcripſit, teſte Frodoardo in Hiſtoriæ lib.* 4. *cap.* 1. Item pro Teutboldo Lingonenſi, ſignificans ad ſe hujus Lingonenſis eccleſiæ querimoniam perveniſſe, quod obeunte Iſaac Epiſcopo, inconſulto clero & populo, Egilonem quemdam monachum, nuper de ſæculo venientem, in Epiſcopum Aurelianus Lugdunenſis ordinaverit, eiſque vi illata præpoſuerit nolentibus: quo divina vocatione hominem excedente, ne in idipſum incurrerent, concordi voto clerus & populus Teutboldum ipſius eccleſiæ Diaconum eligentes, ab ipſo Papa ſibimet in Epiſcopum conſecrari petierunt. Sed ille uniuſcujuſque eccleſiæ privilegium inconcuſſum ſervare volens, id agere diſtulerit, eumque præfato Aureliano direxerit, &c. *Egilo ſeu Gilo Abbas erat Trenorchienſis* * *monaſterii, de quo in S. Filiberti translatione actum eſt ad annum* 836. *ubi Geilo multis laudatur a p.* 560. *Is vagæ congregationis Herienſis Abbas erat jam inde ab anno* 875. *id eſt anno quinto ante electionem Lingonenſem. Unde aſſerere licet, Stephano ſubreptum fuiſſe, cum Egilonem* nuper *de ſæculo tum* veniſſe *ſcribit. Neque cum ejus epiſtola convenit etiam Falconis monachi Trenorchienſis narratio, aſſerentis, Geilonem* acclamante clero cum illius provinciæ proceribus, *in ſedem Lingonenſem promotum fuiſſe. Verum falli potuit hac in re Falco, qui in deſignando Geilonis obitu itidem falſus eſt: at vero Abbatialis Geilonis dignitas ex Caroli Calvi diplomate autographo repetitur jam inde ab anno minimum* 875. *Anno* 887. *Geilo in Synodo Cabilonenſi litteras obtinuit, quibus donationes cœnobiis ab eo factæ confirmantur. Sub exitum anni ſequentis Geilo hominem exuens, Beſuæ* * *ſepultus eſt in monaſterio ſancti Petri.*

Gilo Epiſcopus Lingonenſis.

* de Tournu

* Beze

2. *Poſt ejus obitum, necdum plane obtinuit electio Teutboldi ſeu Theobaldi, tametſi jam ante Geilonis obitum ordinati Epiſcopi, & cathedræ vacationem præſtolantis ex ſuffragio Stephani Papæ: ſed prævaluit Argrimi electio, cujus regimen Theobaldus identidem interturbavit. Præventus a Fulcone Remenſi Archiepiſcopo Formoſus Argrimum ſede cedere jubet, eumque paullo poſt ad eccleſiam Lugdunenſem, Aureliani morte viduatam, deſtinat. Re infecta, Argrimus, quaſi metropolitani poteſtate jam utens, Vvalonem ad ſedem Æduenſem ordinat, Richardo Duce & Manaſſe Comite faventibus. Offenſus hac arrogantia Pontifex Argrimum abjicit, Vvalonem ſacris interdicit. Hinc in Theobaldum Procerum iræ: Theobaldi excæcatio, ac demum interitus. Tunc reſtitutus Argrimus, primo litteris Joannis Papæ IX. ad Carolum regem, quibus, abſque ulla exauctorationis per Formoſum factæ mentione, ſignificat, Lingonenſis Eccleſiæ unanimi conſenſu Argrimum Epiſcopum flagitantis querelas ad ſe uſque tertio de-* Argrimus.

ANCHR. 913 25. Jan. *latas, quod* pro quorumdam ſubreptione ab eis ſeparatus *fuiſſet Argrimus; additque ſe* ſententiam prædeceſſoris ſui Stephani cauſa neceſſitatis & utilitatis in melius commutaſſe, *atque Argrimum Eccleſiæ Lingoneſi* canonice reſtituiſſe. *Acceſſit deinde confirmatio ejuſdem reſtitutionis per Benedictum IV. Joannis ſucceſſorem, qui Argrimum Eccleſia ſua* injuſte privatum fuiſſe *pronuntiavit in Concilio Romano*. Verumtamen *Argrimus factorum ad extremum pænitens*, relicto Epiſcopatus honore monachus eſt effectus *in ſancti Benigni monaſterio, cui beneficus fuerat* : ac poſt biennium defunctus honorificæ traditus eſt ſepulturæ intra ſæpta eccleſiæ, *ut tradit Chronographus Benignianus in Spicilegii tomo* 1. *nempe prope tumulum Iſaaci Epiſcopi ante Geilonem præceſſoris ſui, cujus corpus Remis Divionem ipſe revexerat. Ejus abdicatio contigit ſub annum* 911. *mors poſt annos duos. In conſtructione novæ baſilicæ Benignianæ, quæ per Vvillelmum Abbatem piiſſimum facta eſt ineunte ſæculo* 11. *reperta ſunt corpora ſanctorum multorum, itemque Iſaaci mox laudati Epiſcopi*. Similiter & domini Argrimi Pontificis ac monachi, ſacerdotalia cum cucullo necnon interiore cilicio veſtimenta, in teſtimonium ipſius ſanctimoniæ incorrupta ſunt reperta. *Idem Argrimus in charta quadam, qua ſancti Hyppoliti eccleſiam Beſuenſibus monachis reſtituit* anno ſecundo regnante Odone Rege, Indict. 8. *id eſt anno Chriſti* 889. *Geilonem prædeceſſorem ſuum* piæ recordationis Epiſcopum *appellat*, *in Chronico Beſuenſi tomo* 1. *Spicilegii pag.* 529.

Iſaaci memoria. 3. *Necrologii Benigniani fragmenta quædam typis vulgavit Philippus Labbeus in tomo* 1. *Bibliothecæ novæ pag.* 656. *& ſequentibus, ubi elogia referuntur Iſaaci, Argrimi, Vvarnerii, & Roberti Lingonenſium Epiſcoporum. Iſaacus* mirandæ *vir* ſanctitatis *dicitur, qui* ſequacibus ſuis vitæ factus eſt forma. *Is inter pia ſua opera*, Divionenſe monaſterium, olim quidem refertum religioſorum caterva monachorum, ſed tunc infeſta paganorum, *id eſt Nortmannorum*, vaſtatione deſtructum, in qualem valuit reformavit ſtatum. In cujus nova reædificatione, non ſolum terris ſeu ornamentis regali dono conceſſis ditavit locum, verum etiam Abbatem ſecundum Regulam ſancti Patris Benedicti monaſtico gregi ordinavit, ſepulturæque ſuæ locum ibidem deſtinavit. Qui feliciter 25. annis in epiſcopali regimine tranſactis, cum 15. Kal. Auguſti quieviſſet in Chriſto Catalaunis, ſepultuſque fuiſſet Remis, permiſſione Regis Karoli, ſtudio quoque Præſulis Argrimi exinde advectus eſt hic & reconditus, ut vivens præceperat, 4. Nonas Februarii.

Argrimi. 4. *De Argrimo ibidem hæc leguntur abſque diei aſſignatione*. Depoſitio Domni Argrimi Lingonicæ ſedis Epiſcopi atque hujus eccleſiæ monachi, qui inter plurima quæ huic monaſterio contulit beneficia, hoc quoque ex ſuo ſuperaddidit, medietatem ſcilicet annualis mercati, quod eſt in feſtivitate omnium Sanctorum, ad veſtimenta Fratrum : quoniam alia medietas jam data fuerat ſancto Benigno largitione karoli Regis, quando eidem donaverat burgum pariter & diſtrictum. Adjecit præter hoc memoratus Pontifex Abbatiolam ſancti Joannis (*nunc parœcia eſt*) ipſi loco contiguam, cum omnibus appendiciis ſuis ad exceptionem hoſpitum. Prunidum quoque villam cum eccleſia & adjacente ſilva ad miniſtrandum hiberno tempore infirmis Fratribus focum : duarum quoque decimas & paratas eccleſiarum in Aſiriaco & in Longo-vico conſiſtentium ob diem anniverſarium depoſitionis ſui corporis, & cunctorum Lingonenſis eccleſiæ Præſulum eleemoſynario & ſollemni officio celebrandum. *Ejus depoſitio in alio Necrologio notatur* 8. *Kal. Februarii. De Brunone agendum ſæculo ſequenti ad acta Vvillelmi Abbatis Divionenſis.*

DE

Digitized by Google

DE V. HOGERO ARCHIEPISCOPO BREMENSI.

AN. CHR. 915 20. Dec.

1. *Sancto Rimberto, magni Anſcharii ſucceſſori, in metropolim Bremenſem ſuffectus eſt* Adalgarius, *laudatus in actis Rimberti tomo ſuperiori editis: qui Adalgarius Bremenſem eccleſiam rexit annos* 20. *Hujus obitus recte in Chronico Magdeburgenſi mſ. refertur ad annum* 909. Adalgario Bremenſi Archiepiſcopo mortuo Hojerus ſuccedit. *Adalgarius* ſenex valde, *cum* inimicis minus reſiſtere vel agenda diſponere *poſſet*, a monaſterio Corbejenſi Hogerum ſuſcepit adjutorem: cujus ope fultus ac miniſterio ipſe emeritæ ſenectutis otio potiretur, *teſte Adamo Bremenſi in cap.* 42. *Adalgario adverſatus eſt in primis Hermannus Colonienſis: quo agente* Brema, *jam pridem Metropolis*, Coloniæ ſuffraganea facta eſt, *perſeveravitque ſub Hogero*, conſentientibus iniquis decretis Formoſo Papa & Arnulfo Rege. *Poſtea tamen Sergius Papa* calumnias, *id eſt querelas*, Adalgarii miſeratus, privilegia Bremenſis eccleſiæ renovavit: *& quia* ſenectutis pondere gravatus Pontifex paſtorale officium obire non poterat circumeundo, prædicando, & conſecrando Epiſcopos; dati ſunt ei adjutores a Papa circumvicini quinque Epiſcopi, *quos Adamus memorat. An privilegio uſus ſit Adalgarius, incertum.* Migravit anno Domini 909. 7. Idus Maji, & ſepultus eſt in baſilica ſancti Michaelis, quam ipſe pro dilectione magiſtri *Rimberti* ſuper tumbam ejus erexit. Hogerus Adalgario ſuccedit.

2. Hogerus Epiſcopus ſedit annos ſeptem, per contentionem ordinatus a Colonienſi. Pallium ſuſcepit a Sergio Papa, ferulam a Rege Luthevvico. Unde fuerit, aut qualiter vixerit, Deo cognitum eſt. Invenimus tamen ſcriptum in antiquioribus eccleſiæ libris uno verſu, quis fuerit, ita. Acta ejus.

Sanctus & electus fuit Hoger ſeptimus heros.

Sanctitati ejus teſtimonium aſſerit veterum traditio, quæ narrat eum ſeveriſſimum in eccleſiaſtica diſciplina, pro conſuetudine monaſteria ſuæ diœceſis crebro circuiſſe. Unde etiam cum Hammaburg conſiſteret, exploraturus quid Fratres agerent, nocte intempeſta Ramſolam ad vigilias properavit matutinas. Anno domini Hogeri ſecundo Luthevvicus puer depoſitus eſt, & Conradus Francorum Dux in Regem levatus. In iſto Luthevvico, *inquit Adamus*, vetus Caroli finitur proſapia: hactenus etiam Francorum tendit hiſtoria.

3. In diebus illis immaniſſima perſecutio Saxoniam oppreſſit, cum hinc Dani & Slavi, inde Boemi & Ungari laniarent eccleſias. Tunc parochia Hammaburgenſis a Slavis, & Bremenſis Ungarorum impetu demolita eſt. Interea confeſſor Dei Hogerus obiit, & ſepultus eſt in eccleſia ſancti Michaelis cum deceſſore ſuo anno Domini 915. Depoſitio ejus 13 Kal. Januarii habetur. *Eumdem annum ſignat Chronicon Magdeburgenſe. Hujus* corpus Epiſcopi cum poſt annos centum & decem, diruta ſenio capellula, quæreretur, præter cruces pallii & cervical Epiſcopi nihil potuit inveniri. Et credimus reſurrectionem impletam eſſe, ſicut in David & Joanne Evangeliſta contigit. *Hactenus ex Adamo.* Perſecutio. Hogeri obitus.

Digitized by Google

AN.CHR. 918 29. Nov.

VITA S. RADBODI EPISCOPI TRAJECTENSIS AD RHENUM,

Auctore anonymo ſubæquali.

Ex Surio, qui ſtylum mutavit.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Vitæ ſcriptor. * Utrech.

1. Radbodum, *aliis* Radbodonem, *jam ſuperius in Amalbergæ Virginis elogio commemoravimus. Is poſt Egilboldum Trajecti ad Rhenum* * *Epiſcopus, ordine decimus quartus, inſigni pietate effulſit. Vitam ejus ſcriptor anonymus ac ſubæqualis condidit ex ipſius Radbodi convictorum relatu, qualem in ms. codice nanctus eſt Surius, qui melius rebus noſtris conſuluiſſet, ſi primigenium ejus nobis exhibuiſſet ſtylum, a quo non ſine mendis & debitæ auctoritatis jactura vix recedi poteſt. Anonymi verba ſunt num.* 5. Pauca commemorabimus accepta ab illis, qui rebus geſtis interfuere. *Eodem ſenſu loquitur ſub finem numeri* 10.

Monaſtica profeſſio.

2. *Trajectum inferius, priſco nomine* Vviltaburg *dictum, epiſcopali ſede donatum eſt a Vvillebrordo noſtro, qui adjunctis ſibi monachis, verbi Dei præconibus, Friſios ad Chriſtum perduxit, quemadmodum in ejus, itemque in Gregorii Abbatis actis diximus. Monachos in cathedrali eccleſia primum conſtitutos a Vvillebrordo, tum Bonifacio martyre, illic ad Carolina ſaltem tempora perſtitiſſe probant varia temporum illorum inſtrumenta, quæ ad Gregorii vitam præſtrinximus. At quocumque tempore Monachi in Canonicos iſtic deflexerint, aliquamdiu poſt Epiſcopos Trajectinos, ſaltem religioſiores, nonniſi ſumpto monaſtico habitu, ac emiſſa Regulæ profeſſione, hanc ſedem iniiſſe colligimus ex Radbodi pontificis exemplo, qui cum in aula Caroli Regis educatus, ad Guntarium Coloniam ſe contuliſſet; eo relicto, mox a Trajectinis accitus eſt in Pontificem: nec mora, ut ſcribit vitæ auctor num.* 4. mutat habitum, ... perfecteque regularis fit monachus: neque a carnium dumtaxat eſu, ſed ab omni ciborum voluptate abſtinet. *Id Vvillebrordi ac Bonifacii prædeceſſorum exemplo factum innuere videtur idem ſcriptor num.* 7. *Et recepto apud Cantuarienſis eccleſiæ antiſtites mori conſentaneum eſſe, non uno loco docent Anglicanæ hiſtoriæ ſcriptores, noſque in actis ſancti Oſvvaldi aliiſque demonſtrabimus.*

Studia & Præceptor.

3. *Antequam de rebus á Radbodo Pontifice geſtis dicamus, nonnulla de ſtudiis ejus in aula Caroli Regis, ac ſociorum Stephani & Mancionis, atque de Mannone, ſeu Nannone palatinæ ſcholæ præfecto delibanda ſunt. Carolum hunc Regem Germanici fere ſcriptores Carolum Craſſum Imperatorem eſſe putant, ſed vel hoc uno revincendi, quod ſubjectæ vitæ ſcriptor ſubæqualis Carolo Regi filium aſſignet Ludovicum, qui Calvi, non Craſſi (qui nullos reliquit liberos) filius, ac regni hæres fuit. Quanto ſtudio Carolus Calvus enixus ſit, ut ſtudia litterarum quæ graſſantibus inteſtinis bellis, ac Danorum incurſione non parum labefactata fuerant, refloreſcerent; ſatis ſuperque probavimus cum in Sæculi ſuperioris præfatione poſtrema, tum in Paſchaſii Radberti, atque Joannis Abbatis Elogiis. Sed auctorem noſtrum audiamus ex num.* 1. & 2. Primo Radbodus ad Caroli Regis Francorum, inde a Ludovici ejus filii aulam ſe contulit, non quod palatinos ambiret honores; ſed quod intra Regis palatium liberalium diſciplinarum ſtudia præclare colerentur. Præerat autem gymnaſio illi Manno, *aliis Nanno*, Philoſophus, cui ſanctus puer, fervens diſcendi ſtudio ſedulus adhærebat. Erant autem ei condiſcipuli Stephanus & Mancio, &c. *Nil moror Belgicos aut Germanicos ſcriptores neotericos, qui Nannonem Caroli Craſſi* Advocatum, *patria Friſionem, & aliquot opuſculorum, quæ paſſim jactari dicunt, auctorem fingunt. Mannoni fuiſſe nomen verior Surii lectio perſuadet, eumque non alium eſſe facile crediderim ab illo Mannone, monaſterii S. Augendi in locis Jurenſibus præpoſito, qui anno* 870. *in Synodo Viennenſi eccleſiam quamdam cœnobio ſuo vindicavit, ut dictum eſt in ſuperiori tomo pag.* 268. *Petavianus codex in quo Flori carmina Analectorum tomo* 1. *edita, deſcribuntur, hunc præfert titulum, uti & alii quos vidimus codices in Boheriana Bibliotheca:* Voto bonae memoriae Mannonis liber ad sepulcrum sancti Augendi oblatus. *A palatinis ergo ſcholis Manno (ut veriſimillimum eſt) in S. Augendi monaſterium ante annum* 870. *ſeceſſit, ibique locupletem librorum ſupellectilem Deo ſacravit. De Stephano Radbodi condiſcipulo, tum Epiſcopo Tungrenſis dicemus inferius. Mancionem Surius perperam Cabilonenſem dixit Epiſcopum, quem Catalaunenſem dixiſse debuerat. Ipſe eſt Mancio a Frodoardo in hiſtoriæ lib.* 4. *non ſemel memoratus, cujus epiſtolam ad Fulconem Metropolitam Remenſem de ſacerdote nupturiente miſsam, in Analectorum tomo* 3. *nuper edidimus.*

Scripta.

4. *Radbodum in Palatinis ſcholis multum profeciſse, &, ut ait Vvillelmus de Heda, carmine & pedeſtri oratione valuiſse, probat operum ejus elenchus a Trithemio relatus in hunc modum.* Scripſit nonnulla præclara opuſcula, de quibus iſta feruntur, Laudes ſancti Martini lib. 1.

Digitized by Google

lib. 1. laudes S. Bonifacii Epiſcopi lib. 1. De ſancta Amalberga lib. 1. Homiliarum & ſermonum lib. 1. de S. Vvillibrordo flores, integrum quoque de S. Martini translatione officium, & varios cantus in honorem ſanctorum. *Quas Trithemius ſanctorum Martini atque Bonifacii laudes vocat, anonymus noſter hymnos & encomia dicit num. 7. his verbis.* Texebat de illis hymnos & encomia, quæ in eorum ſollemnitatibus depromerentur. Et ne quis nos putet a vero aliena dicere, exſtat integrum beati Martini officium, ab ipſo compoſitum. *De Amalberga Virgine librum a Trithemio indicatum ms. codex Bigotianus olim complectebatur hoc titulo:* Tomellus Domni Radboudi ſanctæ Trajectenſis eccleſiæ Epiſcopi, de vita & meritis paradoxæ Viginis Amalbergæ. Tomellus *hic nihil eſt aliud præter homiliam a Trithemio laudatam, quam ex eodem codice Bigotiano ſuperius, ubi de Amalberga Virgine, publicavimus. In Sæculi 3. parte 1. ad vitam S. Vvillibrordi ſermonem in ejus natali habitum exhibuimus: qui neſcio an is ipſe ſit, quem Trithemius Radbodo noſtro tribuit. Præter ea, quæ Radbodo Trithemius aſſignat, Vvillelmus de Heda nonnulla ejus poemata deſcripſit, quæ pro tempore elegantem auctoris venam arguunt. Ex his unum referre ſufficiat, quod hunc titulum præfert in codice ms.*

AN.CHR. 918 29. Nov.

RADBODI EPITAPHIUM * DE VIATICO CHRISTI.

* id eſt encomium.

Eſuries, te, Chriſte Deus ſitis atque videndi
Jam modo carnales me vetat eſſe dapes.
Da mihi te veſci, te potum haurire ſalutis,
Unicus ignotæ tu cibus eſto viæ.
Et quem longa fames errantem ambeſit in orbe,
Hunc ſatia vultu, Patris imago, tuo.

Idem Vvillelmus Radbodi breve Chronicum retulit, ex quo initi ab ipſo pontificatus annum, & alia ejus temporis geſta diſcimus. Anno ab Incarnatione Domini 900. apparuit in cœlo mirabile ſignum. Stellæ enim viſæ ſunt undique tamquam ex alto in horizontis imum profluere circa poli cardinem, omnes fere inter ſe concurrere: quod prodigium ſecutæ ſunt triſtes rerum calamitates, aeris videlicet maxima intemperies, crebrique ventorum turbines, fluminum quoque terminos ſuos tranſgredientium, terribilis quædam quaſi cataclyſmi imago; &, quod his peſtilentius eſt, diræ hominum adverſus Deum ſe extollentium tempeſtates. Hoc eodem anno, priuſquam tamen Epactæ mutarentur, FOLCO Remorum Epiſcopus Metropolitanus, & ZUENTIBOLDUS Rex interfecti ſunt: ac non multis antea diebus ego peccator RADBODUS inter famulos ſanctæ Trajectenſis eccleſiæ conſcribi merui. Atque o utinam! cum eiſdem æternæ vitæ conſortium merear adipiſci. *Denique Surius tomo 6. Eglogam de S. Lebuino refert, eidemque Radbodo adſcribit. Hæc de ejus ſcriptis.*

5. *Anno igitur qui nongenteſimum præcedit deſinente, ad Trajectinæ ſedis faſtigium vocatus Radbodus, clericale ſchema cum monaſtico commutavit; moxque creditum ſibi gregem verbo & exemplo pavit aſſidue. Temporali quoque ipſius ſubſidio cavit, impetrata ab Arnulfo ejuſque filio Zuentiboldo Regibus Daventria, cum adjacentibus prædiis, in qua loca, deſtructo a Nortmannis Trajecto, ſe recepit. Quin etiam anno 914. privilegium a Conrado Rege accepit ab Heda relatum, quo eccleſiæ ſuæ prædiis ac juribus tuitionem ac ſecuritatem conſecutus eſt. Tandem cum inter frequentes paganorum procellas hac illacque tutandi gregis ergo diſcurriſſet, apud Homerſum ſive Othemarshem occubuit, Daventriæ ſepultus. Mortis ejus diem 3. Kal. Decembris conſignant omnes, in anno Auctores variant, aliis annum nongenteſimum decimum ſextum aut ſeptimum notantibus, aliis ſequentem, nonnullis vero decimum nonum præferentibus. Annus poſt Chriſtum natum nongenteſimus decimus octavus Radbodo poſtremus fuiſſe nobis videtur.* Obitus.

6. *Radbodi ſanctitatem anonymus noſter eximie prædicat: ſed qui poſt ipſum* ſancti *nomen ei tribuerit ante Adamum Bremenſem in Hiſt. cap. 21. lego neminem. Regino in Chronico Radbodum* venerabilem *vocat Antiſtitem; Joannes de Beka* virum veraciter ſanctum, *eadem de illo ſcribit Vvillelmus Hedda, Trithemius, Vvion, Miræus, Molanus, Cratepolius & alii paſſim recentiores. Auctorem noſtrum audire præſtat, poſtquam obiter notaverimus largiter falli eos, qui Radbodum noſtrum fingunt Regni Archicancellarium. Hoc enim munus Radbodo Trevirenſi Archiepiſcopo delatum eſt, non Trajectenſi, ut ex variis ejus ævi monumentis facile colligitur.* Memoria.

1. BEA-

Digitized by Google

AN.CHR. 918 29. Nov. Radbodi nominis etymon.

1. BEATUS RADBODUS e nobili Francorum genere prognatus, parentes Chriſtianiſſimos habuit, & ipſe ſuis meritis magno ornamento mundo fuit. Nam ab ipſis prope incunabulis jam animo tendebat ad cælos. Nomen ejus myſterio non vacat, quod *Conſilii nuntium* latine poſſis reddere. A Chriſto enim mittendus erat optimi conſilii legatus ad Friſios, a quibus maternum duxerat genus *a* quibus certe optime conſuluit. Dux Friſonum RADBODUS, quem alii Regem vocant, matris ejus atavus fuit; cujus nomen ei mater impoſuit. Cum primum diſcendi capax eſſe viſus eſt, diſcendis litteris admotus eſt. Primæ ætatis tempus exegit apud GUNTHERUM *b* Colonienſem Archiepiſcopum, avunculum ſuum, litteris operam navans. Sed cum illi Epiſcopo res adverſæ accidiſſent, puer egregiæ indolis, hortantibus ſuis, pleriſque etiam adjuvantibus, (quippe quem Dei gratia, qua præditus erat, omnibus charum efficeret) primo ad CAROLI *c* Regis Francorum, inde ad LUDOVICI ejus filii aulam ſe contulit: non quod palatinos ambiret honores, ſed quod intra Regis palatium liberalium diſciplinarum ſtudia præclare colerentur. Præerat autem gymnaſio illi MANNO * philoſophus, cui ſanctus puer fervens diſcendi ſtudio ſedulus adhærebat.

Maternum genus.

Studia litterarum.

Scholæ Palatinæ adhæret.

* al. Nauno.

Socii ejus.

2. Erant autem ei condiſcipuli STEPHANUS *d* & MANCIO, ætate quidem ſuperiores, ſed non tamen ſtudio. Itaque inter illos exſtitit pia quædam æmulatio, conabaturque alter alterum excellere, non honoris ambitione, ſed humilitate, legendi & diſcendi diligentia. Quorum virtus eo progreſſa eſt, ut non multo poſt uterque Epiſcopus creatus ſit, Stephanus quidem Tungrenſis eccleſiæ; Mancio vero Catalaunenſis *. Radbodus autem venerabilis adoleſcens, inſtar apis ſedulæ litterarum floribus inſidens, multam inde eruditionis copiam collegit, donec omnium judicio non mediocriter doctus eſt exiſtimatus. Interim virtute animi adoleſcentiæ motus comprimebat, carnis rebellionem parſimonia edomabat, mundum & mundana omnia cæleſtium amore contemnebat, ſpiritalibus inhiabat deliciis, rebus caducis omnibus nuntium remittere plane conſtituebat. Ætas quidem necdum matura erat, ſed maturis & canis erat moribus, illecebras omnes reſpuens, ſolique Deo placere contendens. Nocte ac die ſpiritalibus vacabat epulis, & jam tum affectu atque deſiderio conſectabatur quod poſtea opere præſtitit.

* Sur. Cabilonenſis, male.

Virtutum profectus.

3. Nec vero Regem ejus latebat virtus. Nam quanto ille ſtudioſius occultare ſe connitebatur, tanto ejus fama, vel maxime invito illo, latius populi ore diffundebatur. Fit charus Regi propter morum integritatem, proceribus regni venerabilis, acceptus & probabilis populo, ut qui non obſcure Deo gratus & amabilis videretur. Poſtquam autem Carolus, ſub quo adoleſcentiæ annos exegit, e vita deceſſit, ſuos volens inviſere, Lomaganium (ſic enim vulgo ejus patria dicebatur) adiit. Porro etiam HUGONI *e* ſummæ dignitatis Abbati, & ea tempeſtate inter Abbates præcipuo, ſeſe adjungens, doctrinæ palmam præ ceteris tulit: ſimul etiam virtutum ſcalis ſemper ad altiora ſcandens, ut lampas cæleſtis præclare ubique refulſit.

Patria. Hugonem Abbatem ſequitur.

4. Interea EGILBERTUS Ultrajectenſis eccleſiæ Præſul vitam cum morte *f* commutat. Tractatur de ſubſtituendo idoneo paſtore, miraque cleri & populi conſenſione, non ſine nutu Dei, Radbodus omnium digniſſimus cenſetur. Idem eſt ARNULFI, qui tum regni moderabatur habenas, itemque Principum de eo judicium. Itaque Cleri, Regis, Principum, populi ſtu-

Epiſcopus creatur.

a Inde plerique ſcriptores Belgici ſeu Germanici Radbodum genere Friſium dicunt. *Lomaganium* ejus patria dicitur infra num. 3.

b Alio nomine Guntarius Lothario Regi a conſiliis, quem *rebus adverſis* preſſum, hoc eſt a Nicolao Papa ſubjectum anathemati, ob inceſtas Regis cum Waldrada nuptias, Radbodus merito deſeruit.

c Carolum hunc Regem non Craſſum, ſed Calvum fuiſſe, ſuperius in obſervationibus præviis docuimus.

d De Mannone, Stephano, & Mantione vide etiam obſervationes prævias.

e Is Conradi filius, plurimis per Galliam cœnobiis auctus, Ducatu quoque inſignis, anno 887. Aurelianis exceſſit, ad S. Germanum Autiſiodori ſepultus.

f Egilboldum vocat Joannes de Beka cum Willelmo de Heda & aliis paſſim auctoribus: Eylboldum ſcribit Zuentiboldus in ſuo apud eumdem Willelmum diplomate.

Digitized by Google

AN.CHR 918 29. Nov.

Monaſticum induit habitum. Abſtinentia ejus.

Aquam in vinum commutat.

ſtudio & voluntate vir ſanctus, primo quidem hujus rei ignarus, poſtea vero diu reluctans, Epiſcopus creatur. Ea re non mediocri animo dolore affectus, diu hæſitabat quid faceret. Tandem honorem fugere dum vult, vel invitus rapitur ad cathedram honoris. Percepta igitur benedictione, æterni Regis miles proceſſurus ad pugnam, armis ſpiritalibus animo virili ſe accingit, mutat habitum, moribus addit majora etiam ornamenta, Chriſtique doctrinæ obtemperans, anguſtam valde amplectitur viam, perfecteque regularis fit monachus: neque a carnium dumtaxat eſu, ſed ab omni ciborum voluptate abſtinens, biduanis triduaniſque jejuniis animum paſcit, corporiſque imbecillitatem, vix oſſibus hærens, naturæ neceſſariis, iiſque vilibus ſuſtentabat alimentis: interim tamen vultu hilaritatem præ ſe ferens, & ita ſe comparans inter ſuos, ac ſi delicatis cibis veſceretur. Voluit enim, quoad fieri potuit, omnes latere abſtinentiam ſuam, paucis tantum ejus conſciis. Quam cum laicus *a* quidam Epiſcopo familiaris, & crebro eum inviſens, experiri vellet, aliquando ei ad menſam aſſidens, & more uſitato cum eo colloquens, tandem petit ſibi copiam fieri bibendi ex poculo quod erat pro conſuetudine illi appoſitum: quod quidem erat ex onyche factum, congruenterque ornatum auro, ſed aqua plenum. Ubi quid tum miri per ſervum ſuum effecerit Deus mirabilis in ſanctis ſuis, res ipſa ſileri non patitur: Non ſinit Epiſcopus ut ille ex poculo bibat: nolebat enim in aliorum notitiam deduci quid in illo eſſet: ſed tamen oblata quadam oportunitate, alter clam arripit poculum; Epiſcopus vero id advertit: ſed cum prohibere non poſſet quin biberet, ſuſpirat ad Deum & ingemiſcit. Et ecce antiquo renovato miraculo aqua mutatur in vinum optimum. Id ſentiens explorator ille, ad pedes ſanctiſſimi Antiſtitis advolvitur, petit veniam, ſpondet ſe deinceps nihil tale attentaturum. Et ſi autem Præſul ſanctiſſimus id celare voluit; non tamen par erat celari opus Dei, convenienter illi ſententiæ Raphaelis Angeli, dicentis ad Tobiam: *Sacramentum Regis abſcondere bonum eſt: opera autem Dei revelare & confiteri honorificum.*

Charitas ejus in pauperes.

Continentia.

5. Quotidiana ejus converſatio, quoad in corpore vixit, quam grata Deo, quam optata & ſuavis hominibus fuerit, quotidiana illo virtutum augmenta capeſſente, tametſi explicare nos pro dignitate non valemus, tamen vel pauca commemorabimus, accepta ab illis qui rebus geſtis interfuere, ut facilius lector fidem nobis adhibeat. Quidquid ex rebus mundi hujus habere potuit, accurate in pauperes erogavit: cumque omnium bonorum operum floreret exercitiis, attamen in benignitate erga pauperes nulli ſecundus fuit. Quotidie, demptis paucis ſollemnitatibus, ſuis manibus lavabat pauperum pedes, præbebat eis victum, nudos veſtiebat, infirmos viſitabat, claudis & pupillis curam adhibebat. Ejuſmodi ſtudiis & officiis humanitatis & miſericordiæ diu noctuque incredibili vigilantia & ſollicitudine indefeſſus vacabat, nec umquam id genus frangebatur laboribus: id plane in lucris ponens, quidquid in miſerorum ſolatia contuliſſet. Nulla apud eum viſebantur ornamenta, aut inanis mundi pompa, non illi inerat auri ſacra fames. Nefas putabat ejuſmodi oblectari. Itaque contempto mundo, & quidquid is præſtare poteſt amicis ſuis, cæleſtium amore fervebat, ſolo corpore degens in terris.

6. Cum autem Trajectenſem eccleſiam Dani vaſtaſſent, *b* ſæpius Daventriæ morabatur, animo tamen ſemper Trajecti inhabitans: quo etſi reddita pace crebro ſe conferret, non parum dolebat & ipſi & aliis, quod res & tempus non ſinerent eum illic perpetuo reſidere. Proponebat ſibi in animo ad imitandum multos ſanctos patres, eos præſertim qui ejuſdem

a Gommarum dicunt Bexa & Heda, quo fulti auctore, nuſpiam ſignificant.

b Qui Epiſcoporum Trajectinorum res geſtas perſecuti ſunt recentiores hiſtorici, ejus urbis excidium aptant Egilboldi temporibus. Potior mihi videtur hujus vitæ ſcriptoris auctoritas, qui Adamum Bremenſem in Hiſt. cap. 31. ſuffragantem habet his verbis. *Friſia depopulata eſt. Trajectum civitas exciſa, ſanctus Radbodus Epiſcopus urbis cedens perſecutioni, Daventriæ ſedem conſtituit; ibique conſiſtens anathematis gladio paganos ultus eſt.* Paullo ante Daventria ceſſerat Trajectenſis eccleſiæ juri Zuenteboldi & Caroli Simplicis Regum conceſſione, quam inter alios Heda commemorat.

Digitized by Google

AN. CHR. 918

29. Nov.

Sanctos Willebrordum & Bonifacium colit.

juſdem eccleſiæ fundamenta in firma petra Chriſto primo collocarunt, puta WILLIBRORDUM & BONIFACIUM, meritis & ſanctitate præcipuos, quos ardui itineris, quo illi præceſſerant, duces ſibi elegit, imitandoſque ſuſcepit: quos etiam in ſuperliminaribus pectoris ſui depinxit, intentaque animi contemplatione ſemper intuebatur. Qui morum ſanctitate & optimis exemplis, meritorumque patrociniis etiamnum ſummi Regis familiam ſublevant: quod alter in pace confeſſione, alter ſanguinis effuſione clarus, ambo ex hoſte triumphantes, cæleſtis militiæ conſortio perfruuntur. In horum igitur veſtigiis inſiſtens, ſemina fidei ſpargebat commiſſo gregi, ſeipſum quotidie vivam hoſtiam immolabat Deo, toto pectore adſpirabat ad cæleſtem patriam, moriebatur mundo, vivebat Chriſto, totus verſabatur in cælo. Erat lucerna Chriſti ſuper candelabrum poſita, lucens omnibus qui in domo Dei erant, interim apud ſe coram Deo humilis.

Futura prædicit.

7. Nec deerat illi prophetiæ ſpiritus. Multa enim ut prædixerat cito evenerunt, multa non longe poſt acciderunt. Semper animo Domini legem meditabatur, nec eo contentus, etiam opere exſequabatur eam: factus jam victor animi, doctor charitatis, cultor caſtitatis, pauperum ſuſtentator, mærentium conſolator, clero ſpes invicta ſolatii, populo indefeſſum levamen, ſuis omnibus a facie inimici turris fortitudinis; juſti adeo tenax, ut nec proſperis, nec adverſis adduci poſſet, ut ab eo deflecteret. Numquam ab ore ejus Chriſtus abſuit, quem etiam animo perpetim, quidquid ageret, affixum habuit. Numquam vel lectionis, vel orationis ſtudio fatigabatur, numquam miſericordiæ officiis & operibus ſatiabatur, jejuniis & vigiliis ſemper addictus. Ejus labia ſemper ſtillabant dulcedinem, ferebant pacem & ſalutis remedia, ſemper Chriſtum ejus eloquia ſonabant. Præcedentium Patrum, ut diximus, exempla cupidiſſime ſectabatur, eorum memoriam legendo, audiendo, colloquendo, vel quidpiam de eis componendo incredibili aviditate uſurpabat. Texebat de illis hymnos & encomia, quæ in eorum ſollemnitatibus depromerentur. Et nequis putet nos a vero aliena dicere, exſtat integrum beati Martini officium, ab ipſo compoſitum. Illum enim præ ceteris ſpecialem ſibi patronum delegerat, nihil dubitans ejus ſe patrociniis adjutum iri. Nullis umquam frangebatur adverſis caſibus, nullis circumventus eſt rugientis hoſtis inſidiis: undique firmiſſimo Dei præſidio communitus, non cujuſquam hoſtilia arma, non quoſcumque caſus aſperos reformidabat.

Virtutum ejus ſeries.

Hymnos & S. Martini componit officium.

Danos Friſiam infeſtantes.

Anathemate percellit.

Hinc illi peſte mulctati.

8. Viſitans aliquando creditum ſibi gregem, in Friſiam profectus eſt, ut ſi qui illic priſtini erroris emergerent frutices, eos ſpiritali vomere exſtirparet, doctrinaque fidei credentium animos irrigaret. Occurrunt autem Dani, ejuſque conatus impediunt. Sed ille tamen nihil mortis periculo abſterritus, ſalutares eis adhortationes adhibet, ut repudiatis erroribus, complectantur veritatis viam. At illis obduratis animis in malitia perſiſtentibus, mortemque ipſi minitantibus, anathematis in eos ſententiam vibravit. Tum vero divina ultio confeſtim eos perſecuta eſt. Nam peſte horrenda tamquam fulminis ictu percuſſi, omnes fere exſtincti ſunt, nec umquam impune tulerunt, quoties Trajecti moleſtia eum affecere. E veſtigio enim Dei judicio plectebantur, ut perſæpe teſtati ſunt ex illis pauciſſimi, qui ſe vivos evaſiſſe lætabantur.

Baldricum ſucceſſorem prædicit.

9. Per id tempus VALDRICUS *a* egregius adoleſcens, RICFRIDI Comitis filius, interdum ad beatum virum venire ſolebat. Itaque quandoque præſente illo, vocavit ad ſe NITGERUM Presbyterum & RICHARDUM militem, aitque ad illos ſpiritu prophetico: Adoleſcens hic, quem cernitis, mihi in epiſcopatu ſuccedet, & per eum Deus ſedem hanc inſtaurabit, eccleſiæ res multum augebit, deſtructa & diruta reparabit. Ne-

a Baldrici res geſtas fuſe referunt jam ſæpius laudati Beka & Heda, eique patrem Rixfridum, Cliveuſem Comitem, aſſignant.

Digitized by Google

Neque id ſemel atque iterum, ſed crebro de illo adoleſcente prædixit. AN.CHR. 918
Vera autem dixiſſe eum, toto orbe teſte, res ipſa declaravit. 29. Nov.

10. Aliquando Miſſam beatus vir celebrans, cum Apoſtolus recitaretur, accitis ad ſe Eliolfo & Rotguito Presbyteris cœnobii Embricenſis, ita ait: Equidem non diu poſt hac victurus ſum. Diligenter ergo honorem habetote huic juveni Baldrico. Ego enim poſt annos tres & menſes ſex hic e vita abiturus ſum, & hic ſine dubio obtinebit ſedem meam. Illi his auditis ſtant attoniti, non mediocriter admirantes ejus vaticinium. Non diu poſt idem juvenis eo tempore, quo ſolent conferri ſacri Ordines, duos ſuæ ditionis Clericos, Bennonem & Saxonem, ad virum Dei adducit, orans ut ſacros Ordines ab ejus manibus accipiant. Cui vir ſanctus, ut ſemper erat jucundo ore, ſubridens: Noli, inquit, fili fruſtra me ad hanc rem invitare. Tuum eſt id quod me rogas præſtare: non enim meis, ſed tuis manibus iſti ordinabuntur, idque poſt annos duos & menſes ſex. At Baldricus juvenis animo conſternatus, fundit lacrymas, omnia vel tuta timens, nec credens fore quod vir ſanctus ajebat. Cernens autem beatus Epiſcopus non mediocriter eum diſcruciari, blande conſolari eum cœpit. „Ne timeas, inquit, Baldrice, nec animus generoſus ignavia frangatur. Res eccleſiæ, quæ nunc pauper & inops habetur, per te donis Dei innumeris locupletabitur, & rerum facies inopinato mutabitur. Tu ædes Epiſcopi, jam multis annis Trajecti Danorum vaſtatione everſas, priſtinæ dignitati reſtitues. Hæc aliaque id genus plura vir ſanctus eventura prædixit, quæ non ſecus atque ab illo dicta ſunt, ut jam ab omnibus cerni licet, poſtea completa ſunt: ita ut verbis fruſtra fidem iis facere videamur, quæ ſuis quiſque oculis vera probare poteſt.

Eumque deſignat. *Tempus item mortis.*

11. Cumque a Rege invitaretur, ut aliquid ei præſtaret officii, comiter reſpondere ſolebat: „Juſtum eſt ſublimioribus obedire poteſtatibus; ſed Epiſcoporum non eſſe, ſæcularibus implicari negotiis, in quorum caſtris milites Chriſti militant, quiſnam ambigit? Debent illi ſpiritaliter induti armis eccleſiaſticis, pro Regis & populi ſalute, pace & ſtabilitate cum ſuis Dominum deprecari, continuis precibus animarum lucra quærere, non ſectari terrena. Milites militiæ regiæ cingulo præcinctos, beneficiiſque cumulatos, id præſtare par eſt. Atque ita inſpecta lege perfectæ libertatis, nec blanditiis dimoveri potuit a ſententia, nec minis ullis, ſi quæ eſſent intentatæ, ſoli Deo placere malens quam hominibus.

Epiſcopus a ſæcularibus officiis alienus eſſe debet.

12. Cum ſic autem longe ante præſciret obitum ſuum, dubitare nemo poteſt, quin ardenti lucerna præparaverit ſe Domino a nuptiis redeunti. Vigilavit plane, ut confeſtim aperiret pulſanti; triticique menſuram Domini ſui familiæ tanto diligentius erogavit, quanto certius noverat ſe brevi rationem illi redditurum. Nec formidabat mortem, cui mori lucrum & vivere Chriſtus erat. Ad pacis, concordiæ, charitatiſque ſtudium, ita ut ſolitus erat, hortabatur ſuos: ſe ipſum vero pauperem ſpiritu, meritis divitem, a terrenis alienum, cæleſtibus familiarem, quantum humana ſinit imbecillitas, efficere connitebatur. Jejuniis, pſalmorum deliciis, vigiliis, eleemoſynis, magna animi contentione mortem ſuam communire curavit.

Ad mortem ſe præparat.

13. Non eſt hic prætereunda ſublimis illa viſio, quam ipſe ſibi obtigiſſe quibuſdam e ſuis indicavit. Cum aliquando graviter decumberet, ita ut vivendi ſpem omnem abjiceret, beatiſſima Dei genitrix ſemperque virgo Maria, ſubſequentibus ipſam ſanctis virginibus Tecla & Agne, cum multa luce ei apparuit, totum habitaculum ſplendore perfundens. At ille tanta viſione valde perterritus, loqui præ timore nihil potuit, & propemodum exanimatus eſt. Tum vero Porta ſalutis, Domina mundi, conſolationis medicinam ei adhibens, omnemque non modo timorem, ſed etiam lan-

Beatæ Virginis ac ſociarum viſione recreatur.

Digitized by Google

AN.CHR. 918 29. Nov.

„ languorem depellens : Ne timeas, inquit, Radbode, certus eam te intueri, cui crebro ſupplices offers preces. Non ergo te mea dedignor „ conſolari præſentia, qui in tuis ad Deum precibus mei ſemper memo„ riam uſurpas. Noveris autem nihil ex hoc morbo tibi imminere peri„ culi : ſed curatum te iri, nec tamen diu poſtea in carne victurum : „ ſecurus eſto tui : vigilare & operari ne ceſſes, ſed perge ut cœpiſti. Sub his verbis repente ſplendor ille diſparuit, ſed permanſit diu odor gratiſſimus, morbus omnis plane ablatus eſt. Hæc cum ille clam quibuſdam e ſuis expoſuiſſet, (neque enim ſe vivente voluit cuiquam ea innoteſcere) ſimul etiam formam, habitum, ornatum ſanctiſſimæ Matris Dei illis explicavit, addens, pulchritudinem ejus neminem ſatis poſſe admirari: ſanctas autem virgines Teclam & Agnem, tam ex vultu, quam veſtitu, potuiſſe dignoſci.

Febre correptus.

14. Porro exactis triennii & ſex menſium ſpatiis, de quibus ſupra dictum eſt, in pago Trente *a* febre correptus, ocius jubet ſuos inde ſecum proficiſci, ne febre invaleſcente, manere illic cogeretur. Hieme enim non facile ex eo pago poteſt quiſpiam exire. Ipſe vero ſciebat adeſſe jam tempus migrationis ſuæ. Etſi autem morbo ejus omnes affligerentur, tamen morem illi gerentes, cœperunt iter habere ad Oetamarſem *b*, ubi ſi ſui permitterent, ſepulturæ locum ſibi ille delegerat. Parvum tunc illic oratorium erat, ubi ſæpe ille manere ſolebat, quod amœno loco ſitum eſſet. Ille ergo pro voto rebus ſuis conſtitutis, non Dei famulatu defeſſus, non morbi vi fractus; ſed vultu hilaris, mortem nihil metuens, quippe ad Chriſti convivium invitatus, corpore jam præmortuo, ſpiritu

Orationi indeſinenter incumbit.

magis magiſque vivificabatur. Nec quieſcebant labia, cum extremas duceret horas, mirumque in modum ita pſalmos depromebat, ut iis, qui aderant, lacrymarum imbres exprimeret. Planeque gaudenti ſimilis, quoad lingua moveri potuit, & halitus relictus erat, inter pſalmos idemtidem repetebat Antiphonam illam, *Ecce læti, &c.* quæ eſt prima in beati Martini Confeſſorum principis ab ipſo compoſitis Reſponſoriis. Nec dubium erat interim vallatum beatiſſimis angelicis ſpiritibus, nihil tenebrarum pertimuiſſe monſtra. Sed neque credimus longe abfuiſſe Martinum eximium præſulem, ſpecialem patronum ejus, quem toties canora voce ſalutare videbatur. Tandem menſe Novembri ad extrema tendente,

Moritur.

ipſe quoque diem clauſit extremum, feliciſſime migrans ad Dominum. Sanctum autem corpus mox feretro impoſitum, clerus & populus omnis cum hymnis & pſalmodiis in primis, reverenter & honorifice Daventriam

Daventriæ ſepelitur.

perduxerunt. Cumque jam oppido appropinquarent, incolæ ejus omnes mæſtis animis obviam proceſſerunt : atque ita permiſtis lugentium & pſallentium vocibus, ſacrum corpus in eccleſiam importatum, ea parte, quæ Septemtrionem ſpectat, humatum eſt : ſpiritu exſultante & perfruente gaudio Domini ſui, cui in hac vita ſervierat ; cui eſt honor, & poteſtas, & gloria per infinita ſæcula. Amen.

S. GEN-

a Drentenſis ſeu Trenta pagus Groningam inter & Coevordam medius.

b Nunc Otmarſum, *Ootmarsh*, dicitur hic locus in pago Wentenſi ad Linchelum amnem non longe a Benthemio, Decanatus caput apud Lindebornium in Hiſtoriæ Daventrienſis cap. 8.

Digitized by Google

S. GENNADII EPISCOPI ASTURICENSIS ELOGIUM HISTORICUM.

AN.CHR. 921 25. Maji.

1. *Poſtremam ſæculi noni partem, decimique initia illuſtravit Gennadius Aſturicenſis Epiſcopus, & erectis per varia diœceſis ſuæ loca monaſteriis, Benedictinæ Regulæ magnum in Hiſpania decus atque ornamentum attulit. Ejus patriam genuſque ignorare ſe fatetur Yepezius noſter, rectius ſane quam Tamayus Salazar, qui confićto perſonati ſui Juliani teſtimonio Gennadium ex urbe Bracara, Callæciæ tunc metropoli, originem traxiſſe aſſerit. Gennadius ipſe in ſubjecto teſtamento, nulla patriæ parentumve mentione facta dicit, ſe* ſub patre apoſtolico & Abbate Arandiſelo in Ageo monaſterio *degentem*, eremitarum vita *fuiſſe delectatum*, & cum duodenis Fratribus ad ſanctum Petrum ad ſanctam eremum *ſeſe recepiſſe. Sancta eremus in Vergidenſi ſeu Vierzenſi pago, Aſturicenſique diœceſi locata, trium milliarium intervallo a Ponte-ferrada, ſex a Compluto, primum quidem a ſancto Fructuoſo monaſticis addicta inſtitutis, dein a Valerio Fructuoſi diſcipulo meliorem in formam reſtituta eſt. Temporum inde injuria locus peſſumdatus, immanem in ſilvam evaſerat: quæ a Gennadio ſociiſque exciſa, ædificiis inſtructa, vineis & pomariis, aliiſque ad eſum idoneis conſita eſt.*

Gennadii patria & parentes.

Monaſtica vita.

2 *Quo primum tempore loci illius inſtaurationem aggreſſus ſit Gennadius, incompertum. Id æra 933. ſeu anno 895. contigiſſe docet lapis erectus ante fores eccleſiæ, memoratus a Mariana: cujus lapidis inſcriptionem Yepezius in tomo 2. Chronici refert ad annum 646. ſed ei ob recentioris ævi ſpeciem, minus fidendum exiſtimo. Utut ſit, certe Gennadius fratribus ſuis Abbas præfuit ad annum 998. quo tempore ab Ordonio Callæciæ Rege Geloiraque Regina privilegium accepit, cujus hic ſummam, quatenus hiſtoriæ noſtræ conducit, denuo exhibere juvat.*

Dominis ſanctis glorioſiſſimis, mihique poſt Deum fortiſſimis patronis ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, ſive & ſanctæ Crucis ejus ſancti venerabilis, cujus baſilicæ ſitæ ſunt, ſive monaſterium conſtructum juxta rivulum quod dicitur Oza, ſub monte Aquilana, ſubtus caſtello antiquiſſimo Rufiano, in confinio Vergidenſi. Ego ORDONIUS Rex & GILOYRA Regina.... unde pro hujus timoris domini largitate.... pro ſancto Ordine inſtituimus decretum, qualiter locum ipſum venerabilem eccleſiæ veſtræ, quamvis Domino dudum ſanctificatum, per manus beati FRUCTUOSI ædificatum, primo confeſſione * monachorum, poſtea vero multis temporibus manebat deſertum; modo tamen noſtris juſſionibus eumdem locum nos RANULFUS Epiſcopus Aſtoricenſis ſedis ordinavimus pro conſecrationis officio Abbatem, nomine GENNADIUM, dedimuſque ei Regulam Obſervationis ſanctæ, cunctaque illi monaſtica inſtrumenta. Præcipimus ego Ordonius Rex, & Giloyra Regina, offerimus ad honorem nominis Chriſti, ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli & ejuſdem ſanctæ Crucis, hæreditatem noſtram propriam, vallem quam dicunt Oza.... tam eremium, quam populatum.... pro illo monte de Aquiliana.... uſque in eccleſiam ſancti Tirſi.... dominio ipſius monaſterii & Fratrum in eo degentium ſic perpetim manſuram offerimus vaſa altaris, calicem argenteum & patenam, capſam argenteam deauratam, gemmis ſuis ornatam.... mihi principi Ordonio monaſterii S. Petri in domo Domini offertam coronam argenteam unam, veſtimenta altaris omnia ad plenum, ſive frontalia, ſeu principalia, ſignum fuſile æreum bonæ modulationis, demulcens audientium au-

* l. confeſſione.

AN.CHR. 919 25. Maji. * I. Comitem.

aures, in theſauro eccleſiæ conferimus : libros eccleſiaſticos, Pſalterium, Comicum *, Antiphonarium, manuale orationum, paſſionum, ſermonum, ordinum, precum & horarum, & data jam regula ſanctæ obſervantiæ monachorum firmaremus, ſicut & fecimus, & omnem doctrinam deificam conſtitutam in Regula beati Benedicti, quam eis obſervandam tradidimus, cum cunctis ſibi ſubjectis monachis retinendam injungimus, hanc jure monaſtico obſervare eligimus; ſic quoque ut omnem ſanctam a Patribus inſtitutionem, & cunctæ beatitudinis excellentiam regularem in eodem veſtro ſub nuper electo monaſterio idem Abbas, nomine Gennadius, cum ſibi delegata plene conſervet, & in omni ſpirituali exercitio ſemper intentiſſimus exſtet, hi ipſi monachi, vel Abbas ad regularem jugo ſubjectum.... monaſterium bonis teſtimoniis ornent.... ut ordinem Regulæ & inſtitutum noſtri decreti ab eodem monaſterio nullus ab hac die in ſubſequenti tempore conetur infringere, aut quolibet modo in deterius commutare.... ſi quis.... invaſor voluerit exſurgere, aut de loco vel eccleſia ipſa veſtræ Regulæ monaſticam traditionem aut Regulæ ſanctæ conſtitutionem voluerit evellere....., ſit anathema in conſpectu Dei Patris omnipotentis.... repetita anathema maranatha, id eſt duplici perditione damnatus..... & inſuper inferat parti meæ partique veſtræ ipſum monaſterium duplatum vel triplatum. Facta cartula teſtamenti 5. kal. Maji ſub era 926. Luna 14. Sub Chriſti nomine Ranulfus Dei gratia Epiſcopus Aſtoricenſis ſedis. Ordonius Rex confirmans hujus ſeries teſtamenti. Geloyra Regina hoc teſtamentum confirmat, &c.

Ceteras Principum, Epiſcoporum, atque Optimatum ſubſcriptiones vide apud Yepezium noſtrum in Tomi 2. appendice ſcript. 11. Ex his Ambroſium Moralem redarguas, qui in Hiſtoriæ lib. 15. Gennadium hoc anno ſcribit Epiſcopum fuiſſe, quod aliquanto ſerius accidiſſe Ranulfi Pontificis ſubſcriptio demonſtrat.

Pontificatus.

3. *Ante Aldefonſi, cognomento Magni, deceſſum Gennadius Aſturicenſi cathedræ fuit impoſitus; quam ei dignitatem Aldefonſus ipſe, tametſi ſenio confectus Callæciæ regimen Ordonio filio commiſerat, conferre voluit. Si mox citatæ inſcriptioni ſit fides, ea dignitate potiebatur Gennadius ad finem anni* 906. *quandoquidem ejus* monaſterii templum *dicitur* conſecratum ab Epiſcopis quatuor, Gennadio Aſtoricenſi, Sabario Dumenſi, Fruminio Legionenſi, & Dulcidio Salamanticenſi, ſub æra novies centena decies quaterna & quaterna, nono kalend. Novemb. *Ita poſt Marianam & Yepezium Thomas Weiſſius, qui Yepezii Chronicon Latinitate donavit: at Yepezius ipſe ad annum* 898. *hanc ipſam inſcriptionem Hiſpanice edidit cum æra* 957. *ex qua Gennadii Pontificatum ad annum* 919. *producit. Etſi vero nihil ex hac inſcriptione, quæ recentioris ævi genium ſapit, certum elici poteſt; potior tamen videtur editio latina. Cum enim Gennadius Abbas ante adeptum Pontificatum jam reparandis monaſterii ædificiis manum admoverit; haud quaquam veri ſimile eſt, baſilicam, ſi ab eo tunc cœpta fuiſſet, nonniſi poſt annos circiter viginti perfectam fuiſſe, ut ejus dedicatio ad extremos ipſius Pontificis annos fuerit differenda. Quidquid ſit, Gennadium ſaltem anno* 922. *pontificatu ceſſiſſe conſtat. Id probant ejus litteræ æra* 958. *datæ, quas inferius adducemus. Has integro quinquennio præceſſit ejuſdem teſtamentum, abdicata ut videtur præfectura conditum, quam nonniſi invitus retinuit, uti ipſe teſtatur in ſubjecto teſtamento, quod ex Sandovalio & Yepezio huc referre juvat.*

Teſtamentum.

SAnctiſſimis, glorioſiſſimis dominis triumphatoribus, poſt Deum mihi fortiſſimis patronis, cælorum Claviculario in arce Apoſtolatus conſtituto electiſſimo Petro, æquali vocatione Andreæ almifico, inter IBERIÆ terminos Jacobo clariſſimo, atque hero Thomæ aſſeclis Chriſti, & ejus martyribus a conſtitutione mundi, Deo notis Apoſtolis; cliens ſervus veſter GENNADIUS pauper meritis, abundans ſceleribus, indignus Epiſcopus. Certiſſime credo, firmiſſime teneo & indubitanter ſcio, quod vos, o piiſſimi & ſtre-

Digitized by Google

ſtrenui patroni, ad unam Domini vocantis vocem, ſtatim omnia quæ mundi ſunt, mundo reliquiſtis, indefeſſe adhærentes veſtigiis Salvatoris, ut neque puncto quidem ſecederitis ab illo, etiam neque ad funus patris, ſemina divinæ ſapientiæ haurientes prædicatores egregii effecti, univerſum mundum lumine veritatis illuſtraſtis: & quod ore docuiſtis, opere complevistis, & per effuſionem ſacratiſſimi cruoris veſtri roboraſtis. Quid igitur ego miſerrimus agam? quod immeritus in hac vocatione adſcitus, neque opere, neque prædicatione ſum idoneus? illam comminantis prophetæ, immo Domini vocem expaveſco dicentis: *Peccatori dixit Deus: Quare tu enarras juſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? tu vero odiſti diſciplinam*. Nam vas electionis, præceptor Gentium mirificus, qui ſupra cælorum viſibilia raptus ſidera, verbo Domini paſtus ac refertus, metuens noſtri detrimentum, de ſe ipſo dicebat: *Ne forte aliis prædicans, ipſe reprobus efficiar*. Conſcientiæ meæ teſtimonio perterritus, & piaculorum pondere gravatus, patrocinium veſtrum exopto humillimus, umbraculum culminis veſtri exſpecto obnixus, defendi ac tueri interventu veſtro fide intrepidus, nihil hæſitans, nihil dubitans, ut quidquid petieritis a Patre cæleſti, fiet vobis. Et ideo dum Paſtor paſtorum apparuerit, dum in gloria majeſtatis advenerit, dum in conſpectu ejus ignis præceſſerit, cum in throno claritatis ſimul & formidinis ad judicium ſederit; & vos & omnes ſancti cum eo ſeſſuri ſupra thronos iudicantes, quæſo ut ad optimum Regem pro me interpelletis, ut ſupereminear miſericordia judicium, & transferar a ſiniſtrorum & hœdorum gregibus, ſicut dexter agnus vellere indutus; & qui ſeſſionis non mereor cathedram, adſtare conſpectibus divinitatis abſque pavore meritis veſtris valeam. Cumque adhuc ſub Patre apoſtolico & Abbate meo ARANDISELO, in Ageo monaſterio degerem vitam eremitarum delectatus cum duodenis Fratribus & benedictione ſupradictis, ſcilicet ad ſanctum Petrum, ad ſanctum eremum perrexi, qui locus poſitus a beato FRUCTUOSO & inſtitutus, poſt quem ſanctus VALERIUS eum obtinuit. Quantæ autem vitæ ſanctitatis fuerint, & quanta virtutum gratia, & miraculorum emolumenta enituerint, hiſtoriæ & vitarum eorum ſcripta declarant. Nam ſupra fatum loculum in vetuſtatem redactum, pene oblivioni deditum, vepribus ſeu denſiſſimis ſilvis opertum, & qui magnis arboribus ex immenſitate annorum adumbratum, auxiliante Domino cum Fratribus reſtauravi: ædificia inſtruxi, vineas & pomares plantavi, terras de ſcalido * ejeci, horta & omnia quæ ad uſum monaſterii pertinent impoſui. Sed æmulus virtutum, vitam noſtram invidens, quaſi pro ædificatione multorum mentes plurimorum excitans, ad Pontificatum Aſtoricæ, ad ſuburbia adtractus ſum, in qua multis annis involens *, & magis in principium * perdurans quam ſpontanea mente, ſed neque plene corporis ibidem commoravi. Omnem ſollicitudinem, omnemque induſtriam, erga ſupradictum eremum exercens, eccleſiam ſancti Petri, quam dudum reſtauraveram, miris ædificaminibus revolvens ampliavi, & in melius ut potui erexi. Deinde autem in montibus illis aulam nomine ſancti Andreæ conſtruxi: aliudque monaſterium ad Ordinem monaſticum, intervallum diſtendens: in memoriam ſancti Jacobi tertium conſtruxi quod vocatur Pennalba: inter utrumque vero locum eſt, qui dicitur ad Silentium: in honore ſancti Thomæ quartum Oratorium fabricavi, & unaquæque eccleſiæ donaria, munuſcula, vel libros unicuique nunc offero ſegregatim, & in nunc habeant per hoc teſtamentum diſponere opto, & Præſulum, ſeu Principum præceptione adfirmare decerno, atque ſæculis infinitis diu valitura perſiſtere & permanere jubeo. In primis monaſterium ſancti Petri omnia quæ in circuitu ejus ſunt, pomares & terras, cunctaque per terminos ſuos. Item in Oza villa quæ dicitur ſancta Maria de valle de Scalius, cum tota ſua hæreditate, ſeu etiam alia eccleſia ſanctorum Juſti & Paſtoris, terras, vineas, pomares, horta, molina, ex integro

AN.CHR. 921 25. Maji.

* l. ſqualido.

* id eſt non volens.

* id eſt a principio.

Digitized by Google

AN.CHR. 921 25. Maji.

gro validitatibus præſtitis, & adjacentes per terminos ſuos ab integritate ſint propria monaſterii ſancti Petri, & nihil communionis ibidem habeant: ſed per ceteras eccleſias quæ in ſupradicto eremo conſtructæ ſunt, niſi forte unanimitatis gratia aliquid pro miſericordia conceſſum fuerit. In theſauro denique memoratæ eccleſiæ ſancti Petri, offero calicem cum patena, inſuper Evangeliarium, & coronas argenteas, ſignum *, cruces, & lucernam ex ære, libros eccleſiaſticos, id eſt pſalterium, Comitem *, Antiphonarium, manuale orationum, ordinum, paſſionum & horarum. Eccleſiæ vero ſancti Andreæ omnes terras quaſcumque habet per terminos ſuos, & pomares, vel quidquid ab hodierna die ibidem Fratres augmentare valuerint. Similiter libros eccleſiaſticos, id eſt pſalterium, Antiphonarium orationum, Comitem, manuale ordinum, paſſionum; vaſa autem altaris, calicem argenteum cum patena, & coronam, ſignum, crucem, & lucernam æream. Eidem Monaſterio eccleſiæ ſancti Jacobi terras, pomares, quas per circuitum ejus & terminos habet: libros, pſalterium, Comitem, Antiphonarium, orationum manuale, ordinum, paſſionum, in theſauro eccleſiæ calicem, coronam, & ſupereglangeliare * argenteum, lucernam, & ſignum æreum. Item eccleſiæ ſancti Thomæ terras, & pomares, per terminos ſuos, libros, pſalterium, in theſauro eccleſiæ, calicem, coronam, lucernam, & ſignum æreum. Hæc omnia ſupra comprehenſa unaquæque locum ſingillatim & ſeparatim proprium vindicent ſuum, neque unum cum altero communionem habeat; ſed unaquæque eccleſia ſibi vindicet quod ſegregatim offero. Reſtat autem, quia non in ſolo pane vivit homo, ſed de omni verbo quod procedit de ore Dei, ut ceteros libros tam divinos, id eſt bibilothecam * totam, Moralia Job, Pentateuchum cum hiſtoria Ruth liber unus, ſive etiam & ſpecies Doc rum *, id eſt vitas Patrum, item Moralium, Ezechielem, item Ezechielem, Proſperum, genera officiorum; etymologiarum catha Juanis, libros Trinitatis, liber Apringi, epiſtolæ Hieronymi. Item etymologiarum, gloſſematum, liber Comitis, liber Regularum virorum illuſtrium. Hos omnes libros jubeo ut omnibus Fratribus in iſtis locis communes ſint, nec quiſquam eorum pro dominatione ſibi vindicet: ſed, ſicut dixi, per partes & in commune poſſidentes videant legem Dei, & ad ſupraſcriptas eccleſias percurrant, verbi gratia, ut quantoſcumque fuerint & eis in ſancto Petro, alios tantos in ſancto Andrea, & alios tantos ſimiliter in ſancto Jacobo, & mutuo eos diſponentes, iſtos quos qui legerint in uno monaſterio, commutent eos cum alio, ita per ſingula loca diſcurrentes, ut totos eos communiter habeant, & totos per ordinem legant, ea dumtaxat ratione ſervata, ut nulli liceat ex his in alio loco transferre, donare, vendere, aut commutare: ſed tantum in his locis permaneant, & in hac eremo fundata ſint, ſeu etiam ſi adhuc alia Oratoria infra iſtis montibus adhuc conſtructa fuerint, habeant participationem in his ſpecialibus libris. Si quis autem Frater aut Abbas de his locis egreſſus alium monaſterium in alio loco ædificare voluerit, non habeat licentiam aſportare, neque ejicere ex omnibus quæ in hoc teſtamento reſonant, neque transferre de proprio loco, ubi nunc illud confero: ſed tantum in his locis quæ fuerint de termino ſancti Petri, uſque ad Pennalbam ſemper ea ibi conſiſtere decerno, inſtituo, & jubeo. Si quis præruptor Princeps, vel Judex, Pontifex, Abba, Presbyter, monachus, clericus, ſeu laicus, hoc votum meum infringere, aut immutare voluerit, aut ſecus quam hæc ſcriptura continet agere diſpoſuerit, in primis orbatus hac careat luce, ulcere peſſimo divinitus ultus a planta pedis uſque ad verticem capitis rivos vulnerum percurrentes madefactus, ſcaturiens vermibus, terror & horror fiat omnibus viſibus, & in futuro cum impiis & ſceleratis obrutus tradatur flammis ultricibus: inſuper ſæcularia damna mulctatus, coactus a judice, conferat ipſi eccleſiæ quantum auferre conaverat per undecuplum, & hoc teſtamentum firmiſſimum vigorem retineat in perpetuum.

* id eſt campanam.
* id eſt librum qui Comes vocatur.
* f. ſuperevangeliare.
* id eſt Biblia.
* f. Doctorum vel doctrinam.

Fa-

Digitized by Google

Factum & confirmatum teſtamentum era 953. Sub Chriſti gratia Gennadius Epiſcopus in hunc teſtamentum, quod fieri volui, manu mea roboravi. Ordonius Sereniſſimus Princeps confir. Geloira Regina confir. Ermigius Dei gratia Epiſcopus. Didacus Dei gratia Epiſcopus confir. Segeredus confir. Dulcidius confir. Sarracinus, qui Notarius. AN.CHR. 921 25. Maji.

4. *Quantumvis barbara ſit teſtamenti hujus oratio, multa ſane continet, ad res monaſticas Hiſpanicis in partibus illuſtrandas opportuna. Ex hoc enim diſcimus, Saracenorum incurſionibus deleta ſeu peſſumdata monaſteria, Gennadii ſtudiis & exemplo pluribus in locis excitata fuiſſe: quibus omnibus Benedictina Regula, velut monaſticæ normæ præcipuum exemplar, imponebatur. Deinde Gennadium ſecuti ducem in Ageo cœnobio educti monachi, ita cœnobiticis addicti erant officiis, ut poſt diuturnam probationem, in eremi ſeceſſum non raro convolarent, ex Regulæ ſancti Benedicti præſcripto. Sed illud in primis obſervandum, quod librorum varia ſupellex diverſis monaſteriis in commune erogatur: quo ſcilicet omnes ad litterarum ſtudia piæque lectionis amorem æmula librorum mutuatione compellerentur. Quanta autem tunc temporis eſſet egregiorum codicum penuria, norunt omnes, qui Abbatum & monachorum in exſcribendis illis curas aſſiduoſque labores expendere. Neque vero dubitem, quin ex Gennadii monaſteriis, quæ ſane plurima cum ab ipſo, tum a diſcipulis ejus condita ſunt, præſtantiſſimi prodierint eccleſiarum Paſtores, qui temporum ac barbaricæ impreſſionis jacturas ſarcierint. Sed hæc inferius. Denique Ordonius Rex cum Geloyra Regina aliiſque principibus viris Gennadii teſtamento ſubſcribunt; quod etiam interdum a primis tertiæ ſtripis Francorum Regibus, ſæpius ab Anglicanis uſurpatum alias notavimus.*

5. *Dimiſſo Epiſcopatu Gennadius ſucceſſorem nanctus eſt* Fortem, *ſtrenuiſſimum monachum, qui magiſtri exemplo, cum Silentianum in Aquiliano monte cœnobium ex parte condidiſſet, fato conceſſit. Hunc excepit* Salomon *inter Gennadii quoque diſcipulos numerandus, qui cœpto deceſſoris operi ſupremam manum impoſuit. Id ipſe teſtatur datis litteris, quas ex Prudentio Sandovallio patria lingua recudit Yepezius. Ab iis recenſendis abſtinemus, aliud Gennadii diploma, ab eodem Sandovallio Hiſpanice relatum, lubentius, quod in rem noſtram faciat magis, exhibituri, quale jam laudatus Vveiſſius latinam in linguam convertit.*

EGO Gennadius ſervus Chriſti, indignus quidem, tamen per miſericordiam ejus Epiſcopus. Poſtquam grave jugum prælaturæ depoſui, & ex ſæculi hujus maligni turba exceſſi, vitam contemplationibus conſumens, quibus certis diebus vacare ſolebam, me in ſecretum montem Silentii ſubducens, & monachorum anachoretarum ſocietati immiſcens, qui montem illum occupaverant, ut mei in ſuis orationibus eſſent memores, pro ſuſtentatione laborioſæ vitæ ipſorum, promittendo promiſi, confirmandoque illis dedi locum de Laguna in diſtricta de Molina, & territorio Aſtorgæ, quomodo eum habuerunt mei anteceſſores: quem ſic diviſum volo, ut media pars ſpectet ad ſanctum Jacobum de Pennalva, necnon ad Recluſiones, quæ circa hoc monaſterium ſunt, pro ſalute animarum, atque ut monachi, quando certis diebus conveniunt, habeant quod comedant: altera vero pars æqualiter inter cetera eremitoria diſtribuatur, fructibus perceptis ipſis applicatis, & tam pro amictu quam victu monachorum expenſis. Primo Octobris, æra 958. *Hiſce tabulis ſubſcripſere cum Gennadio Rex Ordonius & Geloyra Regina, quibus multi alii ſua nomina addidere.* Gennadii alia charta. Silentii eremitorium.

6. *Quem hic* montem Silentii *Gennadius ſubiiſſe ſe dicit, ut* monachorum & eremitarum, *qui montem illum occupaverant, ſocietati jungeretur; Prudentius Sandovallius egregie deſcribit, aſſeritque ibi quinque cellulas altiſſimis montium jugis impoſitas, ac naturæ ſolius opificio cava in rupe formatas, etiam nunc ſuperſtare. Unicus ad eas obliquuſque inter ſpineta ſemitæ trames, iſque adeo anguſtus, ut vultum aut oculos exinde demittentem incaute, continuo mortis imago terrorque præoccupet. Earum aditus patet ad orientem, triumque ad ſummum*

AN. CHR. 921 25. Maji.

pedum ſpatio porrectus, portæ ſimul ac feneſtræ locum præbet. Sunt tamen illæ ſatis amplæ, & commode elatæ, tametſi nullis ſeu fulcris, ſeu columnis ſuſtentatæ, nullo etiam impoſito, præter ſaxi naturam, ædificio tectove munitæ. Denique nihil in illis hominum elaboravit induſtria, ſed ad monachorum uſum omnia naturæ beneficio compoſita ſunt. Illuc ſtatis per annum temporibus, nempe Adventu & Quadrageſima, ſecedunt noſtri, qui aſperrimo victu ſoliſque herbis ac leguminibus utentes, continuas Deo preces offerunt, nec ante ſacrum Paſchæ diem ad ſuos in monaſterium revertuntur. Iſtic multæ ſanctorum, qui cellas iſtas incoluere, monachorum reliquiæ, quas Sandovallius ipſe veneratus eſt. Eos inter, Vincentius S. Gennadii diſcipulus, ac primus in S. Petri regimine ſucceſſor, præcipuus eſt; itemque Alfonſus Petri, qui per totos quadraginta annos eremiticam illic vitam duxiſſe perhibetur. Præter has eremitarum noſtrorum cellas, alias etiam in Aquiliano monte & circumpoſitis locis Gennadius ejuſque ſodales caſas monaſticas condiderunt. In his Gennadius ipſe in teſtamento ſuo poſt S. Petri aſceterium, recenſet aulam ſancti Andreæ ab ſe conſtructam; *tum* aliud monaſterium ad Ordinem monaſticum intervallum diſtendens: *deinde* in memoriam ſancti Jacobi tertium, quod vocatur Pennalba: inter utrumque vero locum eſt qui dicitur Oratorium ad Silentium: *Denique ait* in honorem ſancti Thomæ quartum oratorium fabricavi. *Inter hæc loca exſtruendo ſancti Jacobi monaſterio Pennalbæ ſeu Penalvæ dicto ſpecialem curam adhibuit, in eoque S. Jacobi reliquias ab Aldefonſo magno acceptas depoſuit. Hunc tamen locum Fortis poſt Gennadium Epiſcopus Aſturicenſis aliquot inde ſtadiis ſubmovit commodiorem in locum; ibique ſacrum Gennadii corpus recondidit. Floruit ibidem multos per annos Benedictina religio: verum ingruentibus bellis deſertus locus ille eccleſiæ Aſturicenſi tributus eſt, & Canonicorum tuendæ dignitati deſtinatus.*

Alia monaſteria.

7. *Præter memorata cœnobia, quæ proculdubio Gennadium habent auctorem, alia quoque circiter quadraginta ſex enumerat Yepezius in Aſturicenſi epiſcopatu ſita, quorum maximam partem Gennadio primiſque ejus diſcipulis acceptam tribuit. Multis etiam idem auctor teſtimoniis probat, monachos Gennadii, ejuſque diſcipulorum ævo epiſcopalem Aſturicenſium tenuiſſe eccleſiam, quibus poſtmodum Canonici ſucceſſerint. Verum omiſſis iis, nonnulla de monaſterio S. Petri de Montibus ſubnectere viſum eſt. In appendice tomi 2. Yepezii Chronicorum lego Alfonſi Legionis & Callæciæ Regis privilegium, quo eccleſiam S. Petri de Morales* de Rey *monaſterio S. Petri de Montibus concedit æra 1266. hoc eſt anno 1228. quam ejus donationem Alfonſus alter Caſtiliæ Rex æra 1293. ſive anno Chriſti 1255. confirmat. Ejuſdem loci prædia juraque recenſet ac confirmat Honorius Papa IV. alio diplomate, cui annus Chriſti 1280. inditus eſt.*

Gennadii memoria & cultus.

8. *Sunt qui Gennadium Aldefonſi magni Conſiliarium, ac teſtamenti exſequendi præfectum aſſerunt, ejuſdemque funeris in Aſturicenſi eccleſia curatorem. Aſturicenſe Breviarium exhibet ſancti Gennadii officium proprium ad diem 25. Maji, quo die ejus memoria in Benedictinis Hiſpaniciſque tabulis recolitur.*

CIRCA AN. 922 4. Nov.

DE VENERABILI PLEGMUNDO

ARCHIEPISCOPO CANTUARIENSI.

Plegmundus Aſſero carus.

1. I*Nter beatos Pontifices Cantuarienſes recenſetur a noſtris* Plegmundus, *quem paucis laudat Thomas Maihewius ad diem 4. Novembris, ubi eum* beatum *appellat. Is primo Eremita, haud dubie ex monacho (ut Godvvinus cenſet) ab Alfredo Merciorum Rege eruditionis cauſa accitus eſt, teſtante in primis Aſſero his verbis:* Deinde Plegmundum Mercium genere, Dorobernenſi eccleſiæ Archiepiſcopum, venerabilem ſci-

ſcilicet virum, ſapientia præditum advocavit. *Ubi per anticipationem Archiepiſcopus appellatur, cum prius in Alfredi familiaritatem venerit, quam Pontificali dignitate potiretur, ut ex Ingulfo Abbate Crulandenſi intelligimus. Anno quippe* 886. *ab Alfredo arceſſitus eſt, teſte Simeone Dunelmenſi in libro de geſtis Regum Anglorum, & non niſi poſt tres annos Æthelredo Dorobernenſi ſucceſſit, hoc eſt anno* 889. *ut idem auctor tradit. Chronologia Saxonica id factum refert anno* 890. *his verbis perquam honorificis*: Hoc anno Pleigmundus a Deo omnibuſque ſanctis electus fuit. *Simeon mox laudatus Plegmundum*, virum ſapientiæ fructibus venerandum *appellat*, præditum bis binis columnis, juſtitiæ videlicet, prudentiæ, temperantiæ, fortitudinis.

CIRCA AN. 922 4. Nov.

Dein Archiepiſcopus Cantuariæ.

2. *Plegmundi elogium contexuit Gervaſius Dorobernenſis monachus in hunc modum*. Plegmundus vir admodum religioſus, & ſacris litteris nobiliter inſtructus, qui in Ceſtria inſula, quæ dicitur ab incolis *Plegemundeſtan*, per annos plures eremiticam duxerat vitam. Hic Romam profectus, a Formoſo Papa ſacratus eſt, palliumque ſuſcepit & metropolitani plenitudinem poteſtatis. Reverſuſque in Angliam, ex mandato Formoſi Papæ & aſſenſu Regis Edvvardi, deſtitutas ſeptem Epiſcoporum eccleſias per Angliam inſtituit, & in eccleſia Cantuarienſi ſeptem Epiſcopos una in die conſecravit. Hic ſanctus Plegemundus pro loco & tempore Concilia celebravit, ſacravit Epiſcopos, & Regem Edvvardum apud Kingeſtun, ut fertur, coronavit. Plegemundus Archiepiſcopus Romam profectus eſt, & beatum martyrem Blaſium cum multa pecunia auri & argenti emit, & ſecum rediens Cantuariam detulit, & in eccleſia Chriſti collocavit. Qui cum in eccleſia Cantuarienſi ſediſſet annis 34. obiit in ſenectute bona, & in eccleſia Chriſti ſepultus eſt. *Hactenus ex Gervaſio, quæ paullo amplius explicanda.*

Vitæ ejus compendium.

3. *Romam profectus Plegmundus privilegium a Formoſo Papa obtinuit, quo Dorobernenſi eccleſiæ metropolitica dignitas aſſeritur. Exſtat decretum iſtud apud decem Anglicanos ſcriptores col.* 1751. *& apud Spelmannum in tomo* 1. *Conciliorum. Quod de Edvvardi inauguratione dubitanter refert Gervaſius, aſſerit Radulfus de Diceto his verbis ad annum* 900. Edvvardus Rex Anglorum conſecratus in Regem a Plejemundo Dorbernenſi Archiepiſcopo apud Kingeſtune. *Anno vero* 904. *auctore Vvillelmo Malmesburienſi*, miſit Papa Formoſus (*immo Joannes IX. nam Formoſus anno* 896. *deceſſit*) in Angliam epiſtolas, quibus dabat excommunicationem & malectionem Regi Edvvardo & omnibus ſubjectis ejus: *nempe quod* per ſeptem annos plenos deſtituta fuerat Epiſcopis omnis regio Geviſorum, id eſt Vveſtſaxonum: quo audito congregavit Rex Edvvardus Synodum Senatorum gentis Anglorum, cui præſidebat Pleimundus Archiepiſcopus Cantuarienſis, interpretans diſtricte verba apoſtolicæ legationis. Tunc Rex & Epiſcopi elegere ſibi ſuiſque ſalubre conſilium, & conſtituerunt ſingulos Epiſcopos ſingulis provinciis Geviſorum; & quod olim duo habuerunt, in quinque diviſerunt. Acto Concilio Archiepiſcopus Romam cum honorificis muneribus abiit, Papam cum magna humilitate placavit, decretum Regis recitavit, quod Apoſtolico maxime placuit. Rediens in patriam, in urbe Cantuariæ ſeptem Epiſcopos ſeptem eccleſiis ordinavit, Frideſtanum ad eccleſiam Vvintonienſem, Adelſtanum ad Cornubienſem, Vverſtanum ad Schirebornenſem, Athelelmum ad Vvellenſem, Eidulſum ad Cridienſem in Devonia. Sed & aliis provinciis conſtituit duos Epiſcopos, Auſtralibus Saxonibus virum idoneum Bernegum, & Merciis Cenulſum ad civitatem Dorceſtriæ in pago Oxoniæ. Hoc etiam totum Papa firmavit, ut damnaretur in perpetuum qui hoc infirmaret decretum. *Hæc ex Vvillelmo Malmesburienſi in lib.* 2. *de geſtis Regum Anglorum. In poſteriori hoc Romano itinere id contigit quod Ethelvverdus de Plegmundo memorat in lib.* 4. *cap.* 4. *nempe eum Romam profectum pro populo, & eleemoſynam pro Eadvvardo Rege obtuliſſe, ſcilicet anno uno antequam barbari pactum violarent, nempe*

Romanum iter duplex

Digitized by Google

CIRCA AN. 922 4. Nov. „ *anno* 911. *quo Dani in Northanimbria pacem violarunt, & in agros Merciorum effuſi ſunt, ut in Chronologia Saxonica legitur.*

4. *Præter ea quaſdam factorum minutias de Plegmundo huc referre juvat ex libro evidentiarum eccleſiæ Cantuarienſis, ubi hæc legimus.* Anno dominicæ incarnationis 895. ego Plegomundus, gratia Dei Archiepiſcopus, concedo eccleſiæ Chriſti terram quæ vocatur *Vveſingmerſc* juxta flumen quod vocatur Rumenea, liberam ab omni ſervitio, exceptis expeditione, pontis & arcis conſtructione. *Item in eodem libro* : Anno dominicæ Incarnationis 899. contigit conveniſſe in loco, qui dicitur Celehith, Eluredum Regem & Plegomundum Archiepiſcopum, Etheredum quoque Ducem Merciorum, & colloquium habuiſſe de inſtauratione urbis Londoniæ. Accidit tunc temporis affuiſſe venerabilem Vverefridum Vvigoracenſem Epiſcopum. Igitur inter multa alia colloquia, dati ſunt a Rege Eluredo duo agri in loco qui dicitur Etheredshythe : unus Archiepiſcopo Doroberniæ ad opus Monachorum, alter vero Vverefrido ad Vvigoracenſem eccleſiam. *His adde quod refert Etkelvverdus in lib.* 4. *cap.* 4. *nempe Plegmundum turrim in urbe Vvintonia* encæniaſſe, in honore genitricis Dei Mariæ.

5. *At nihil magis ad Plegmundi commendationem facit, quam litteræ Fulconis Archiepiſcopi Remenſis ad Albradum ſeu Alfredum Regem, de quibus ita Frodoardus in libro* 4. *Hiſtoriæ Remenſis capite* 5. Albrado Regi tranſmarino amicabiles litteras mittens, grates refert, quia tam bonum virum & devotum, eccleſiaſticiſque regulis congruentem, deſtinaverit Epiſcopum in civitate Cantaburg nomine. Audierat enim quod perverſiſſimam ſectam, paganicis erroribus exortam, & in illa gente tunc uſque relictam, verbi mucrone ſatageret amputare : quæ ſecta ſuggerere videbatur Epiſcopis & Presbyteris ſubintroductas habere mulieres : ad propinquas quoque generis ſui quiſque vellet accedere : inſuper & ſacratas Deo feminas inceſtare, & uxorem habens concubinam ſimul habere : quæ omnia quam ſanæ fidei ſint adverſa, documentis manifeſtat evidentiſſimis ex ſanctorum Patrum prolatis auctoritatibus. *Et infra eumdem Fulconem ad Pleonicum Archiepiſcopum Tranſmarinum (is eſt Plegmundus noſter) alias dediſſe litteras auctor eſt idem Frodoardus.* Pleonico Archiepiſcopo Tranſmarino, congratulans bonis ejus ſtudiis, quibus eum laborare compererat pro abſcindendis & exſtirpandis inceſtuoſis luxuriæ fomentis, ſupra in his litteris quæ Albrado Regi ſcripſerat commemoratis, quæ in ea gente videbantur inoleviſſe : ſacris eum inſtruens & armans auctoritatibus cenſuræ canonicæ, particeps nimirum piis ejus laboribus cupiens exſiſtere. *Hæc ſane duo loca in Plegmundo zelum & ſtudium rei Chriſtianæ affatim commendant, uti ſuperiora ejuſdem ſapientiam & auctoritatem.*

Obitus. 6. *Reſtat ut ejus obitum paucis exponamus, quem anno* 915. *contigiſſe Godvvinus affirmat poſt annos regiminis ſex & viginti. Radulfus de Diceto ſuffragatur cum Chronologia Auguſtinenſi. Attamen annos triginta tres Plegmundo tribuit Vvillelmus Malmesburienſis, Gervaſius Dorobernenſis annos* 34. *Si horum auctoritas præferatur, Plegmundi obitus in annum* 922. *aut in ſequentem differendus. Certe Chronologia Saxonica eum refert anno* 923.

Succeſſores 7. *Plegmundo ſucceſſit* Athelmus, *unus ex quinque illis Epiſcopis ab eo conſecratis, qui Ethelſtanum Regem unxit & coronavit anno* 924. *Fuit is patruus Dunſtani, futuri poſt Odonem Archiepiſcopi Cantuarienſis, ut in ejus actis dicetur infra, num.* 9. *Iſte* Athelmus non fuit monachus, *inquit Joannes Bromton*, ſed omnes alii Archiepiſcopi Dorobernenſes ante eum. *Verumtamen Godvvinus aſſerit, hunc fuiſſe Abbatem Glaſtonienſem. Id patet ex Hiſtoria Glaſtonienſi, in qua hæc de eo leguntur.* Athelmus monachus Glaſtoniæ factus eſt Epiſcopus Vvellenſis, deinde Archiepiſcopus Cantuarienſis. Hic nempe patruus fuit ſancti Dunſtani, *qui & ipſe Abbas fuit Glaſtonienſis. Et quidem Ordericus Vitalis in Hiſtoriæ lib.* 12. *pag.* 873. *teſtatur, ab Auguſtino* omnes uſque ad Radulfum Doroberniæ Archiepiſcopum, præter

Fri-

Digitized by Google

Frigeardum, & Odam, atque Stigandum, fuiſſe monachos. *Quamquam & quod ait de Oda ſeu Odone, explicatione indiget, videlicet quod Odo electus ſit ante monachatum, quem tamen ante ordinationem ſuſcepit, ut ex ejus actis inferius conſtabit.* CIRCA AN. 922 4. Nov.

8. Athelmo ſucceſſit Wlfelmus tredecim annis in Vvellis, eidemque defuncto in Cantuaria, *inquit Vvillelmus Malmesburienſis. Gervaſius addit, hunc a Joanne Papa, nempe X. accepiſſe pallium, &* ad regimen Schiraburnenſis eccleſiæ *ſanctum ſacraſſe Odonem, qui poſtea in ſede Cantuarienſi ipſi ſuffectus eſt, ac ſediſſe annis* 13. *Decem tantum ei tribuit Godvvinus, qui nihil de eo memoratu dignum comperit, ejuſque Cantuarienſem Pontificatum ab anno* 924. *ad* 934. *quo ſucceſſorem ejus Odonem locat, definit. Verum & plura de Vvolfelmo memoratu digna comperire licet, & plures anni Pontificatus in ſede Cantuarienſi eidem tribuendi, qui ab anno* 925. *ad* 942. *ineundi videntur. Ejus conſilio Ethelſtanus Rex ſalubres condidit leges* in magna Synodo apud Grateleyam, *quas leges refert Joannes Bromton. Il libro autem Evidentiarum pro eccleſia Cantarienſi variæ leguntur ejus donationes. Prima facta eſt anno* 923. *ubi legendum videtur anno* 926. *ex jam dictis. Anno* 927. *Ethelſtanus Rex quædam concedit eccleſiæ Cantuarienſi* pro reverentia & honore Archiſacerdotis Wlfelmi, *qui & ipſe Regis diplomati ſubſcribit. Sequitur alia donatio facta anno* 940. *ab Eadulfo Duce*, præſente Vvlfelmo Archiepiſcopo. *Denique anno* 941. *Eadmundus Rex. & Eadredus frater ejus, necnon Edvvius filius ejuſdem Eadmundi, quædam reſtituunt eccleſiæ Cantuarienſi, quo anno* Eadmundus levatus eſt in Regem. *Regiis litteris ſubſcribit* Wlfelmus Dorobernenſis Archiepiſcopus. *Ex quo intelligitur, non ante annum* 942. *Odonem ipſi ſucceſſiſſe, ut ſuo loco dicemus. Vvolfelmus recenſetur inter Fratres conſcriptos cœnobii ſancti Galli. Hæ obſervationes haud inutiles erunt ad acta ſubſequentium Antiſtitum Cantuarienſium, Odonis, Dunſtani, & aliorum, quæ poſtea referemus.*

DE VENERABILI ADELHARDO
MONACHO HIRSAUGIENSI
IN GERMANIA.

AN. CHR. 924 26. Dec.

1. *Inter hiſtorica Trithemii opera præcipuum mihi videtur Chronicon monaſterii Hirſaugienſis, quod non ita procul a Spira civitate* Erlafridus *Comes anno* 830. *inchoatum, poſt annos ſeptem abſolvit. Iſtuc quindecim Monachos, ex Fuldenſi aſceterio arceſſitos, induxit ſub* Liutberto *Venerabili Abbate, cui ſucceſſerunt Gerungus, Reginbodo, Haderadus, & Rudolfus, ſub cujus regimine* Adelhardus *monachus floruit, uti ex Trithemio diſcimus.*

2. *Quippe* anno Rudolfi Abbatis ſexto, qui fuit Dominicæ Nativitatis 924. mortuus eſt Adelhardus, qui ſub Haderado Abbate quondam in ſcripturis divinis & ſæcularibus ad plenum inſtructus, neſcio qua occaſione tantam capitis incidit moleſtiam, ut poſt biennium cæcus fieret. Amiſſo autem lumine viſus, dolor etiam capitis ceſſavit, & factus eſt homo præter cæcitatem ſaniſſimus. Inde cum jam cæcus factus præſentis vitæ dulcedinem magna ex parte amiſiſſet, fecit ex neceſſitate virtutem, ſeque totum divinis exercitiis mancipavit, & omni qua potuit virtute fidelem ſe Dei cultorem exhibere ſtuduit. Nemo illum deinceps mundanis umquam vidit negotiis intentum, non moribus levem, non verbis otioſum. Semper aut orationi, aut meditationi, crebrius tamen contemplationi erat intentus. Tantæ vero compunctionis & devotionis exſtitiſſe perhibetur, ut quotieſcumque de paſſione Domini noſtri Jeſu-Chriſti aliquid coram eo diceretur aut legeretur, mox reſolutus in lacrymas, cum rugitu clamaverit ita, quod etiam alios, qui fuiſſent præſentes, ad fletum provoca-

Adelhardi vitæ compendium.

AN.CHR. 924 26. Dec. caverit. *Ejus* autem tam pura & Deo grata converſatio fuit, ut ſpiritum conſequi meruerit prophetiæ. Multa enim ſæpe futura prædixit, quæ rei eventus vera probavit. Nam & triennio antequam moreretur, diem & horam obitus ſui futuri quibuſdam ex Fratribus aperuit. Deſolationem quoque hujus monaſterii, quæ poſt annos ferme 80. ſubſecuta eſt, tam clare prædixit, ac ſi eam præſentem ante oculos poſitam cerneret. In ejus tranſitu, ſicut Meginfridus monachus ſcribit, auditæ ſunt in aere Angelorum dulciſſime cantantium voces: noctu ſuper ſepulcrum ejus lampades viſæ, & quædam alia indicia ſanctitatis. Moritur autem anno præſcripto, 7. kalendas Januarii, anno ex quo viſum amiſerat 23. ætatis vero ſuæ 78. indictione 1. *Hactenus ex Tritbemio, qui identidem Meginfridum auctorem laudat. Fuit autem is monachus Fuldenſis, idemque Chronographus, quem anno* 1010. *floruiſſe Tritbemius in Chronico Hirſaugienſi teſtatur, aitque ſcripſiſſe monaſterii ſui Fuldenſis hiſtoriam, in qua eorum quoque cœnobiorum meminit, quibus vel Monachos ex Fuldenſi miſſos novit, vel Abbates:* ex cujus viri laboribus, *inquit Tritbemius*, multa me fateor in hoc opere noſtro de Hirſaugienſi hiſtoria neceſſario commiſcuiſſe.

Reginbodo Abbas pius 3. *Inter Abbates Hirſaugienſes Tritbemius præcipue laudat* Reginbodonem, *qui tertio loco ſedit*. Is ſenio gravatus, cum ſentiret ſe per occupationes rei familiaris ab internæ contemplationis dulcedine retrahi, & gauderet ſe ad ſtatum priſtinæ quietis poſſe reverti, Abbatiam ſuam ſponte reſignavit 12. kal. Decembris, anno promotionis ſuæ nondum ſexto completo, *Chriſti anno* 890. Qui ad privatæ converſationis ſtatum reverſus, tam ſancte & religioſe vixit, ut omnibus non ſolum in exemplum cederet, verum etiam cuncti Fratres tantam in ſe pænitendi conſtantiam & vitæ auſteritatem non agnoſcentes, de ſenis fervore multum admirarentur. Rigorem ſiquidem monaſticæ converſationis uſque ad mortem, quam ſemel aſſumpſerat, non reliquit. Interrogatus aliquando a Fratribus, quare ſe tantum affligeret, qui tamen nullum enorme peccatum in religione commiſiſſet, „ reſpondit: Et ſi gratia Dei me protegente, ex eo die quo monachus „ factus ſum, nullum enorme peccatum (ſicut dicitis) commiſiſſe me „ non memini, multa tamen interea boni operis exercitia negligenter o- „ miſi, & ex eo maxime tempore, quo Abbas eſſe cœpi, majoribus me „ negligentiis involvi. Afferre enim plures negligentias, quam virtutes, „ noſtris diebus prælatura conſuevit. Et ipſe quidem venerabilis ſenex „ Reginbodo in ſancta converſatione ſua firmus & conſtans perſeveravit „ uſque ad mortem. *Quantum ſub primis duobus ſæculis apud Hirſaugiam viguerint ſtudia litterarum, docet idem Tritbemius, enumerans ſingulos ſcholarum præfectos, qui unus poſt alium ſucceſſerunt.*

Hirſaugiæ reformatio. 4. *Anno Domini* 1059. *Hirſaugienſe monaſterium, prope ſolo æquatum, inſtaurat Vuilletrudis Comitiſſa, accitis ex monaſterio Einſidlenſi ſeu ad Eremitas Monachis ſub Friderico Abbate undecimo, reformationis primo: cui ſuffectus venerabilis Guillelmus, priſtinæ religionis decorem eo in loco reſtituit, ut ſuo tempore, Deo dante, oſtendemus.*

VITA

Digitized by Google

VITA S. WIBORADÆ VIRGINIS ET MARTYRIS, RECLUSÆ APUD S. GALLUM.

AN. CHR. 925 2. Maij

Auctore HARTMANNO monacho S. Galli, ejus æquali.

Ex Maji Bollandiani tomo 1.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. *Auctores qui de ſanctæ* VVIBORADAE *geſtis ſcripſerunt, tres fuere præcipui,* EKKEHARDUS, HARTMANNUS, *&* HEPIDANNUS, *omnes apud ſanctum Gallum cœnobitæ.* MULTOS *alios ſuppreſſis nominibus deſignat Hepidannus in Prologo ſuo. EKKehardus ab Udalrico Auguſtano Epiſcopo (cujus Acta inferius) ad ſcribendum impulſus, prout ipſe pridem ex voto ſe obligaverat, multa eorum* quæ a diverſis perſonis audivit, ſcribere inchoavit, *ut in fine vitæ per Hartmannum ſcriptæ legitur: ſed morte præventus, inchoatum opus non abſolvit, ex prologo Hepidanni. Is mihi videtur EKKehardus, qui Decani officio ſub Cralone Abbate functus eſt, mortuus anno 978. teſte Hepidanno in Annalibus, idemque Rachildæ recluſæ conſobrinus, de qua infra num.* 2. Eggehardus poſt doctrinas, *id eſt poſt expletum docendi officium,* Decanus *appellatur ab Ekkehardo Juniori in cap. 9. eodemque modo ſcribitur ejus nomen ab Hartmanno, infra num.* 40. EKKehardus *ab Hepidanno. Quis fuerit Hartmannus, non produnt ſancti Galli monumenta. Nam eo antiquior eſt Hartmannus, NatKeri Balbuli coætaneus, quem EKKehardus Junior laudat in cap. 3. immo etiam Hartmannus Abbas longe ante Cralonem, ſub quo EKKehardus primus vitæ ſcriptor apud ſanctum Gallum degebat. Hepidannus vero tertius auctor, Annalibus ſuis aliunde notus, tempus ſuſcepti operis ſatis deſignat in prologo ad Vodalricum Abbatem, quem anno 1072. Nortperto ſucceſſiſſe dicit. EKKeardi de ſancta Vviborada lucubratio excidit: Hartmannum primus in lucem protulit piæ memoriæ Godefridus Henſchenius in Maji tomo 1. atque doctis (ut ſolet) notis illuſtravit: idemque Hartmanno ſubjecit etiam Hepidanni libros duos, alterum de vita, alterum de miraculis, quos Goldaſtus & Gonon antea ediderant. Unum hic exhibemus Hartmannum, fragmenta ex Hepidanno, ex aliis, ſi quid alias ſcitu dignum occurrerit, mutuaturi. EKKehardus Junior, qui librum de caſibus monaſterii ſui condidit ſub Nortperto Abbate Voldarici deceſſore, quædam in Actis Vviboradæ ſupplet a vitæ ejus ſcriptore omiſſa. Nam relata Burchardi Suevorum Ducis in ſancti-Gallenſes rapacitate & Ungrorum irruptione, ita ſubdit cap.* 5. Hæc in Vita Vviboradæ per ſcriptorem ejus minus dicta, a fratribus qui hæc noverant docti perſtringimus. *Hartmannum ſine dubio intelligit, quem Conradus Presbyter in continuatione Hiſtoriæ ſancti Galli cap. 3. laudat, Ratperto ac Tutiloni ſubjungens* Hartmannum, qui vitam Vviboradæ luculento ſatis ſermone deſcripſit. *Hæc Conradus, de Fabaria cognominatus, ſcribebat ſæculo 13. deſinens in Conrado Abbate, qui anno 1226. electus eſt. Non itaque mirum, ſi nominis æquivocatione falſus eſt in Hartmanno ſanctæ Vviboradæ præcone, quem Ratperti, Tutilonis, & NotKeri Balbuli collegam (tametſi is junior fuit) eſſe exiſtimavit.*

Vitæ ſcriptores.

2. *Celebre quondam apud noſtros fuit Recluſorum inſtitutum, quos inter Hoſpitius Niciæ illuſtris exſtitit, ante eum Philumenus, cui Nilus ſenior lib. 2. epiſtolam 96. inſcripſit. Recluſionis modum in Regula ſua exponit Grimlaicus Presbyter (ut puto) Remenſis in cap. 15. Neque vero ſolum viri ad cœnobia virorum, ſed etiam mulieres includebantur: qualis fuit ſæculo 15. apud Corbejam beata Coleta, antequam vitæ religioſæ nomen daret. Una ex primis Recluſis fuit Vviborada, quæ anno 916. recluſa eſt, anno 925. ab Hungaris cæſa, ex Annalibus Hepidanni, ubi* Vviberat *appellatur. Hæc ſociam habuit* RACHILDEM, *cujus mentio in ſequentibus actis, quæ anno 920. recluſa, anno vero 946. mortua dicitur in iiſdem Annalibus. Ibidem ad annum 952.* KERHILT 6. Kal. Junii in die Aſcenſionis Domini ſacro velamine induta eſt, & in natali ſanctæ Mariæ incluſa. *Fuit hæc* neptis NotKeri Balbuli, *aſſerente EKKehardo Juniori cap. 9. ubi* apud ſanctum Magnum, *id eſt ad eccleſiam ſancti Magni, incluſa memoratur, nempe in Ivano colle: ubi & Vviborada verſata eſt, poſtquam annis quatuor reſediſſet ad ſanctum Georgium. Kerhildem ſecuta eſt* PERTHERATA, *quæ anno 961. recluſa anno 986. carcere corporis ac cellæ ſoluta ad ſuperos migravit, ex Hepidanno. Pertheratæ ſucceſſit* HARTCHERUS. *Quod Hepidannus his verſibus ſignificat ad eum annum.*

Vviborada recluſa.

Sociæ & ſucceſſores.

Pertherat in clauſtro defuncta petit loca cœlo:
HartKer mox antrum poſt quam ſe damnat in ipſum.

Et ad annum 1017.

HartKer in melius mutatur, ut opto, recluſus,
Dextera in octava fit bone Chriſte tua.

Hunc longe ante præceſſerat in recluſione HARTMUTUS *ex Abbate* incluſus, *ut legitur apud Mona-*

Digitized by Google

AN. CHR. 925 11. Maji. Rachildæ patientia.

Monachum ſancti Galli de geſtis Caroli M. lib. 2. cap. 15. Redeo ad Rachildam, Vviboradæ primam imitatricem, quam EKKehardus Junior laudat bis verbis cap. 10. Rachilda, paſſim in mamillis & corpore ulceroſa, quotidie mori viſa, & ipſa fere maryr: cui lenius erat cum magiſtra Vviborada ſemel cerebrum obtuliſſe, quam viginti & uno poſt illam annis teſta ſaniem cum ſancto Job incluſam raſiſſe. Cum tamen interea jejunare & orare (vigilare enim dolores dabant) & eleemoſynas dare non tæderat, ut de illa EKKehard *Senior* conſobrinus ejus cecinit.

Hanc Satan, hanc læſit, cum Job ſaniem ſibi raſit:
Jejunans flevit, tormenta dolens vigilavit.

Neque enim vitam vel paſſionem votivæ martyris lucidius ſuccingere potuit. Ad cujus ſepulcrum in repentinis anguſtiarum motibus (experto credite) multum valet oraſſe. *De ejus translatione infra ex Hepidanno. Hanc Menardus cum Vviborada jungit ad diem 2. Maji.*

Recluſæ ſub regimine Abbatis.

3. *Ceterum ejuſmodi recluſæ ſub regimine & diſciplina Sancti Gallenſis Abbatis vivebant. Unde illa in ſequentis Vita num. 26. ad Abbatem ſancti Galli:* Cur mihi, quia tua in me poteſtas eſt, tantillum ſpatium exacti laboris perdere præcipis? *Nimirum præcipiebat iſte, ut Vviborada recluſorio egreſſa, ob evitandam Hungarorum rabiem (quod alias nequaquam ei licuiſſet) in tutiorem locum ſe reciperet. Sed clarius Hepidannus in tertia Vita Vviboradæ ſubjectionem notat his verbis num.* 20. Conſuetudo fuit huic beatæ Virgini ter in anno balneo uti, non tamen ſine licentia Abbatis ſui. *Ad hæc legebat Regulam ſancti Benedicti, ex Hartmanno infra num. 3. Non itaque immerito Vviborada cum ſequacibus ſuis Ordini noſtro vindicatur. Præter ſocias jam dictas, ei aliquamdiu adhæſit Vveldigarda, Henrici Aucupis ex filia neptis, Vodalrici Comitis poſtea uxor, mater Burchardi Abbatis ſancti Galli, cognomento Ingeniti, de qua fuſe EKKehardus Junior in cap.* 10.

Wiboradæ canonizatio & cultus.

4. *Non integro poſt Vviboradæ necem ſæculo, de ejus canonizatione actum eſt.* De Vviborada, *inquit EKKehardus Junior cap. 5.* quia liber per ſe ejus eſt amplus, non loquemur, præter quod in ſanctam eam levari jam bis noſtris temporibus per duos Papas decretum eſt, ſub Nortperto tandem impletum. *Scilicet per Clementem ſecundum, teſtante Burchardo monacho in lib. de caſibus monaſterii ſui cap. 6. ubi de Norperto Abbate.* Obtinuit amminiculante HENRICO Imperatore & conjuge ejus AGNETE, hoc apud dominum Apoſtolicum Clementem ſecundum, recitata Vita beatæ Vviboradæ ejuſque miraculis, de tamdiu neglecta re ab ipſo Papa redargutus: quatenus ipſa præſente THEODIRICO Conſtantienſi Epiſcopo canonizaret, & pro ſancta haberi præciperet, & anniverſarium ipſius die ſollemnizandum inſtitueret. *Id factum anno 1046. quo Henricus, cognomento Niger,* venit ad monaſterium ſancti Galli, *ut in Hepiddanni Annalibus legitur: inde vero* Romam profectus *cum Agnete uxore coronatus eſt Imperator a* Clemente ſecundo, ex Epiſcopo Bambergenſi in Pontificem creato, *teſte Hermanno Contracto. Viguit deinceps apud Sancti-Gallenſes beatæ Viboradæ cultus, qui modo ſub rito duplici ſecundæ claſſis obſervatur. Hymnum de ſancta Vviborada incerto auctore Henricus Caniſius refert tomo 5. pag. 789. Verum longe ante ſollemnem hanc ſanctæ Vviboradæ canonizationem inſtitutus erat ejus cultus privata Sancti-Gallenſium auctoritate. Quippe ſtatim poſt ejus obitum.* Abbas Engilbertus vocavit ad ſe HITTONEM monachum, fratrem ipſius venerandæ martyris: & aliis Patribus plurimis de congregatione præſentibus, rationem cum illo de ipſius virtutibus habuit. Qui cum plurima, quæ vel nota omnibus, vel adhuc ignota fuerant, veritatis aſſertione in medium afferret; omni dubitatione ſubmota, Abbas certiſſimus, quanti meriti, quantique honoris glorificatione ante Deum digna haberetur, quæ tantis ſignis & virtutibus inter homines clareſceret, cum conſilio Fratrum eidem monacho & Preſbytero mandat, ut ſuperventuræ noctis vigilias cum pſalmodia & dulci hymnorum modulatione, ſicut antiquorum Patrum ordinatione de Virginibus conſcriptum habemus, cum Dei licentia & adjutorio ad tumulum ejus devotiſſime adimpleret: deinde etiam ſupervenientem diem ſynaxi & Miſſarum cellebratione ſollemnem duceret. *Ita Hartmannus infra num. 36. De privatis ejuſmodi canonizandi modis, aliiſque ſollemnioribus actum eſt in Præfatione hujuſce tomi.*

Wiboradæ patria & natales.

1. BEatiſſima igitur Dei virgo Vviborada ex Alemannorum, qui & Suevi, ſtirpe oriunda, parentibus bene natis vitæque laudabilis, nobilitate pollentibus, Chriſtianæ quoque militiæ exercitio inter primas Dominici agminis alas vexilla ſalutis ſtrenue ſubſequentibus, veluti bona arbor, bonæ radicis ex germine pullulavit. Quæ etiam per divinæ ſcientiæ providentiam omnia in menſura, pondere, numero ineffabiliter diſponentem, quaſi quodam præſagio, dignum ſortita eſt nomen.

Nominis etymon.

Nam Vviborat teutonica lingua prolatum, ſi latini ſermonis translatione mutetur, conſilium mulierum *a* ſonat. Et re vera huic apte tale congruit nomen, quæ ſibi primitus conſulens, utraſque ſorores recte agendi magiſtras, ambas in quantum Chriſti amatrices, Martham ſcilicet & Mariam imi-

a Germanis quippe *Vvib* mulier, & *rath* conſilium ſignificat.

imitans, per activæ quidem ſudorem converſationis ad faſtigium ſpeculativæ contemplationis aſcendens, cunctis iter rectum quærentibus, non ſolum mulieribus, ſed & viris, mundum ſpernendi, Domino ſerviendi & inconvulſe ac indefeſſe adhærendi, conſilium prærogavit pariter & exemplum. Hæc ergo ab ipſis cunabulis factori ſuo omnipotenti Deo devota, immo ab ipſo qui eam, etiam antequam formaretur, in utero noverat, miſericorditer aſſumpta; univerſas laſcivientis petulantiæ illecebras, cunctas infantilis ætatulæ levitates modeſta gravitate reſtrinxit, ac ſevera quadam maturitate edomuit. Inepta etiam parvulorum ludicra devitans, nugaces joculatorum ſcurrilitates deſpiciens, aniles veteranorum fabulas deteſtans, ad inceſta quæque carmina pudicas aures obturavit: ac ſi cum Sara, ideſt Raguelis filia, Tobiæ ſancti conjuge, futura Domino fiducialiter dicere & ipſa propoſuerit: *Numquam cum ludentibus miſcui me, neque cum his qui in levitate ambulant*. Nec mirum, ſi Spiritus-ſanctus in tempore veritatis & gratiæ famulam ſuam, quam ſibimet ipſi providerat ſponſam, in primævo adhuc vernantem flore, tantæ integritatis diligentia præmunivit, qui in umbra legis tantopere cuſtodivit puellulam, juſti viri thalamo copulandam.

AN.CHR. 925 2. Maji.

Educatio pia & exemplum.

Tob.3.17.

2. Sed operæ pretium prælibare, quia venerabili huic virgini quam dicturi ſumus, ſoror erat ſummæ ſimplicitatis & innocentiæ, in annis tenerrimis animos actuſque gerens ſeniles, cunctos lubricæ temeritatis exceſſus evitans. Quam cum die quadam coævulæ ſecum ad ludendum adhortarentur exire, bene illa anima, alacriter ad æthera ſuſpiciens, & iterum iterumque ingemiſcens, aureſque attonitas acutius ſubrigens, internam mentis jucunditatem tandem inter ſuſpiria providit, dicens: Quid mihi & inanibus hujus ſæculi vanitatibus? Audio in cælis ſigna ſonituſque campanarum, ac dulciſonam angelicæ modulationis harmoniam: illuc ire deſidero, his intereſſe delector. Nec plura effata, lacrymis gremium replevit obortis. Poſt paucos vero dies carne ſoluta eſt, in cælum nimirum profecta, quo paullo ante tam ſuaviter eſt invitata. Placita enim erat Deo anima illius, propter hoc properavit educere illam de medio iniquitatum.

Soror ejus pia obit.

3. Sed ut ad cœpta regrediar, beata Vviborada, ſicut ab illicitis ſe quibuſque ſubtraxit, & in bonis moribus ſe ſtudioſa ſagacitate exercuit. Nam velut ab ipſius Domini ore perceperit, *Primum quærite regnum Dei & juſtitiam ejus*, legeritque ſcriptum *a*, nihil divino operi præponendum; quotidie ad eccleſiam, quæ a domo paterna mille & eo amplius diſtabat paſſibus, via montuoſa & difficili ſæpius nudipes ire certabat: adeo ut parentes ſuos, ſacræ religionis (ut diximus) amatores, ſed tamen in labore mundialium more occupatos, plerumque, quamvis infans, de negligentia divinarum rerum admonuerit, & ad eccleſiam frequentius occurrere ſtudii ſui favore compulerit. Panem vero otioſa non comedit, ſed operibus manuum ſuarum impigre continueque inſtiterat; ac ſi ſumma ſcripturarum conventa & comminationem pertimeſceret, & diligeret ſponſionem: comminationem quidem qua dicitur, *Qui non laborat non manducet*: Sponſionem autem, quæ ſic exhortatur, *Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es & bene tibi erit*. Frequentiam vero non ſolum externorum, verum etiam notorum, cognatorum, domeſticorum, fratrum, ſororumque, prout licuit, fugere ſtuduit; ſola commorari, ſola operari, ſecreta ſemper amare: quatenus & ſuperflua facilius potuiſſet alloquia declinare, & ſanctis meditationibus aciem mentis liberius infigere.

Wiborada nudipes adit eccleſiam.

Matth.7.7.

Labori & ſilentio ſtudet.

2. Theſſ. 3. 10.

Pſ.127.2.

4. Quadam itaque celebri feſtivitate, cum ad eccleſiam proceſſura, coacta a parentibus cultioribus ſe indueret veſtimentis, crinalibus verticem redimiret ornaculis, laxos ſinus pretioſioris amictus aureolis præfigeret fibulis, poſita in equo una cum genitrice & ſociis ire perrexit: cum ecce via media caput

Capite dolet in itinere.

a Nempe in Regula S. Benedicti, in qua hæc verba leguntur cap. 43.

Digitized by Google

AN.CHR. 925 2. Maji.

caput dolere pariter cœpit : conſeſtimque per ſpiritum divina ſe ſentiens viſitatione commonitam, ab equo deſiliit, nudaque tellure reſidens, reductis inter amphibalum *a* manibus, aurum primo pectoris ſolvit, deinde ſubtus theriſtrum *b* vittatoriam verticis compoſitionem detrahens & revellens,

Capitis ornatus abjicit.

ſinu interiore recondit. Cui e veſtigio mater, quid cauſæ ſit quod ibi ſubſtitit, & quare remoretur, inquirit : quam diſſimulate pro tempore uti procederet adhortatur, ſe quoque continue ſubſequi profitetur. Cumque eam comites ut equum reaſcenderet perurgerent, penitus non conſenſit, ſed pedeſtri itinere ad eccleſiam uſque pervenit. Hæc dies ultima aliquid

Equo nuſquam inſidet.

in ea compoſitoriæ ſuperfluitatis ſeu ſuperfluæ compoſitionis adſpexit. Poſt hanc diem nullus eam jumento vel alicujus vehiculi adminiculo quoad viveret impoſitam vidit; excepto cum, ſicuti dicturi ſumus, Romam orationis gratia peteret, ſi ei neceſſitas tranſmeandi alicujus fluminis aut torrentis forte evenerit.

5. Hoc modo illa in tenerrimis & vix habilibus magno intellectui annis mundi voluptatibus renuntians, & matrimonii contractionem mirifice contemnens, preces quaslibet adventantes ſolius ſponſi Chriſti amore de-

Hittonem fratrem juvat ad S. Gallum.

ſpiciens, fratri ſuo Hittoni clerico, apud cœnobium ſancti Galli Confeſſoris Chriſti tunc temporis in ſcholis agenti, ſervire diſpoſuit : cui diebus certis veſtimenta & plæraque alia neceſſaria per fideles internuntios deſtinavit. In quo etiam monaſterio reverendiſſimis quibuſdam patribus, ad obvolvenda ſanctorum librorum volumina, propriis manibus decora ſo-

Libris tegendis linteamina donat.

lebat contexere linteamina. Memorato itaque fratre ejus ad Presbyteratus ordinem promoto, ſinceræ & laudandæ charitatis glutino cohærens, eo dictante pſalmos, quibus juvencula nullam operam dedit, partim ac ſparſim ediſcere cœpit. Cumque ille tum divinis operibus, tum incidentibus aliis cauſis præpeditus, ab inſinuanda ei lectione pigritaret, pro accipiendo pſalmo quinquageſimo ſoror ei ſedulo aſſidebat, nec tamen ut ad hoc vacare vellet obtinere prævaluit : cum ecce nocte quadam Sacerdoti in

Ab eo Pſalmos docetur.

ſomnis perſona adſtitit ſpecie fulgida, auctoritate metuenda, gravi eum admonitione corripiens, ac terribili comminatione interdicens, ne quid proxima die guſtare præſumat, priuſquam virgo pſalmum diu multumque flagitatum ediſcat. Quid plura? de nocte ſurgens, ſororem accerſit, viſum aperit, ſeque paratum ad demonſtrationem ſæpius poſtulati pſalmi affirmat. His illa auditis, alacriter ad meditandum accingitur : & non ſolum ex prioris deſiderii, ſed etiam ſtudio fratris jejunio abſolvendi, propinata Scripturæ pocula ſitibundo pectore hauriens, pſalmum cum omni celeritate excepit, ac memoriæ fundamento firmavit. Quinquaginta ergo pſalmis ſparſim, ut dictum eſt, a memorato germano ſuo perceptis, reliquos ſolo ſancti Spiritus magiſterio imbuente apprehendit, & continuato recitandi uſu reciproca ruminatione eos conficiens, quaſi naturale organum ori cordique ſuo compaginando connexuit.

6. Deinde relaturus ſum rem huic non diſſimilem & magis admirandam. Veſpere Sabbati quæ luceſcit in Dominica incipientis Quadrageſimæ, cum idem Sacerdos, inter alia domeſticæ confabulationis dicta, ſe pro labore diei ſequentis ſollicitum eſſe conquereretur, maximeque pro cantu qui dicitur Tractus, & eodem die admodum protrahitur, eo quod non haberet ſcholaſticum vel quemlibet concinendi peritum adjutorem; virgo eum ſancta modeſta increpatione compeſcuit, Deumque miniſtris ſuis in omni opportunitate certiſſimum adjutorem commonuit aſſiſtere. Quid multa? ſuperveniente die craſtina, competente Miſſarum tempore, Presbyter ad altare procedit, ſacræ actionis officium ſollemne imponit.

Eidem miſſam canenti accinit.

Cum quo ſine mora Vviborada decantare cœpit tam efficaciter & auctoraliter, ut non in ordine verſuum, vel in proprietate dictionum, aut in ipſa

a Superhumerale a Græco αμφιβάλλειν, circumponere, quod totum corpus ambiat.
b Veſtis æſtiva a voce item Græca θερίζειν, quod eſt æſtatem tranſigere.

Digitized by Google

AN.CHR. 925 2. Maji.

ipſa muſici tenoris euphonia Sacerdote inferior videretur : ſed ei cum ſuſtentationis ſolatio & gaudium ingereret, & ſtuporem admirationis incuteret. Tua ſunt hæc, Chriſte, miracula, cui mortua vivunt, inſenſibilia ſapiunt, cæca contemplantur, ſurda audiunt, muta diſerta ſunt: qui abſcondiſti ſecretum ſapientiæ tuæ theſaurum a ſapientibus hujus ſæculi & prudentibus, & revelaſti ea parvulis.

Parentes colit.

7. De cetero parentes dum adhuc ambo viverent, nemo reverentius coluit, nemo ſanctius honoravit, nemo erga ſuos divinæ præcepta legis devotius adimplevit. Poſt patris vero obitum, matrem jam ſenio gravem, laboribus fatigatam, orbitatis luctu anxiam, frequenti languore confectam, quanta charitatis benignitate coluerit, quam reverenti modeſtia honoraverit, quam indefeſſa diligentia uſque ad finem vitæ ejus procuraverit, facile dici non poteſt : ſed quid in deſcribenda ejus erga parentes humanitate, quod cunctis pæne naturæ jura ſervantibus commune videtur eſſe, diutius immoremur? cum indigentibus quibuſque, tam notis quam incognitis, tam indigenis quam extraneis, tanta conſueverit dignitate miniſtrare, ut etiam talia libenter credentium poſſit excedere fidem : adeo ut ægrotos quoſque ac debiles, quaſi Dominum ſuſcipiens, exſultaret: quos ei germanus ſuus prædictus, nunc humeris ſuis, nunc jumento impoſitos, prout ſe quiſque ei iter agenti ingereret, deferre conſueverat : quos a nulla familiæ ſuæ perſona tractari perpeſſa eſt, ſed ipſa per ſe eis & alimenta præbuit, & fomenta exhibuit, balnea miniſtravit, lectiſternia diſpoſuit, ipſa eos & reclinavit, & competenti tempore elevavit.

Pauperes & ægros ſolatur.

8. Cœpit inter hæc fratrem quotidianis monitis perurgere, ut quia ſcirent beato Petro Apoſtolorum principi commiſſam eſſe curam gregis dominici, claves regni cæleſtis cum poteſtate ligandi ſolvendique contraditas, ejus aliorumque ſanctorum limina *a* Romæ, quibus incomparabiliter urbs eadem illuſtratur, pariter debeant viſitare; qui cum ſanis ejus adhortationibus accommodaret aſſenſum, iter aggreſſi ſunt. In qua profectione quantum gemituum lacrymarumque profuderit, quali devotione loca Martyrum circumierit, tumbaſque eorum quanto affectu amplexa fuerit, ſolus & inſtigator & remunerator omnium bonorum noverat Deus. Quanta vero in eundo & redeundo largitatis munera pie prodiga diſperſerit, quidve pauperibus dederit, juſtitiæ ejus in ſæculum ſæculi commemorandum derelinquo.

Romam cum fratre pergit.

9. Poſt hæc autem cum regrederentur ad patriam (ut virtus ſtare loco neſcit, ſed ſemper ad meliora proficere geſtit) virgo Dei aſcenſiones in corde ſuo diſponens, per gradus ſcalæ, qua ibunt ſancti de virtute in virtutem, ut videant Deum deorum in Sion; cum animum jam actualis exercitii decoctum ſudore, in radium contemplativæ jucunditatis transferret, pro fratris ſalute, cui eatenus ſedula virtute miniſtraverat, anxia, ſagaci eum affabilitare adorta eſt; perſuadens ut periculoſum fluctuantis ſæculi naufragium devitans, ad quietem vitæ monaſticæ ſe conferat, ubi divinis operibus liberius ac tutius inſiſtere valeat. Sibi quoque confitetur eſſe cordi arctioris propoſiti ſtudium, quomodo vel ubi Deus annuerit, quantocius aggredi. Nec difficile obtinuit, quod cum pietatis ſinceritate ſuggeſſit. Obſequitur ſalubri conſilio ſororis religioſa ſimplicitas fratris, omnique dilatione ſepoſita, ad cœnobium S. Galli *b* Confeſſoris Chriſti confugiens, regulari jugo legis cervices corporis inclinavit & cordis; in quo etiam quam pudice, quam modeſte, quam patienter ſanctęque vixerit, multi noſtrorum qui adhuc ſupereſſe videntur, meminerunt.

Redux in patriam.

Fratrem ad monaſticen inducit.

10. De-

a Omiſſo hoc itinere Hepidannus multa inſerit de calumnia cujuſdam famulæ, & de Vviboradæ ſeceſſu Conſtantiam : quæ in fragmentis ex eo poſt hanc Vitam referemus.

b Hitto Vviboradæ frater alius mihi videretur ab Hittone ſeniore, eccleſiæ ſancti Magni cuſtode, de quo infra num. 28. niſi Hepidannus unum & eumdem diceret num. 8. ubi de Hittone Vviboradæ germano. *Itaque*, inquit, *in monaſterio ſancti Galli ad ſuave jugum regularis vitæ ſe humilians, cum univerſis ejus converſatio placuiſſet, Fratribus id in commune conſiliantibus, eccleſia beati Magni a Patre monaſterii præficitur, qua etiam uſque poſt ſororis martyrium probabiliter gubernata, divina vocatione migravit in regionem vivorum*. Confer num. 28. 31. 33. & 38.

AN.CHR. 925 a. Maji. Ipſa in ſæculo interim manens. A carne & vino abſtinet. Pernoctat in eccleſia. Cilicio humi ſtrato decumbit. Crucis ſigno dæmones fugat. Abreptitium ſanat.

10. Denique beata virgo, poſt converſionem fratris, ſex annorum ſpatio remorata eſt in ſæculo corpore, ſed non voluntate, oſtenſione, non intentione. Nempe videns mundum cum omni ſua dulcedine omnique temporali pompa caducum & inſtabilem, ipſaque inſtabilitate defectionem ſui jam jamque minitare, pro nihilo pendens omnia blandientis oblectamenta reſpuit, contempſit, atque calcavit. Et cum actualem ex imo largitatis affectu vitam prætenderet, interioris tamen hominis perſpicacibus oculis, facie ad faciem, Domini ſemper jucundatur contemplatione. Nam quis recitando poterit explicare, quanta continentia corpus fragile a mundi illecebris refrenando compeſceret, & ob ſervitium Chriſti carnem ſpiritui ſubjacere coegiſſet? Multa etenim tempora tranſierunt, ex quo ſe ab uſu carnium vinique abſtinuit; cum nec vicinorum, nec aliquis ex ipſius familia aliter ſuſpicaretur, quam quod quotidie variis deliciarum uteretur opulentiis, exceptis duabus quæ ei familiares erant: quarum una KEBENI, altera BERTHERADA vocabatur: quæ pia ſodalitate germanæ, multa tempora in ſanctæ virginis miniſterio pariter perduravere. Nam cum plerumque lautiora & delicatiora ciborum alimenta ei præpararentur; iſtæ, ut præmonitæ erant, aut olera, aut legumina ei in cibos attulerunt: cumque pariter menſæ ſuperpoſita fuiſſent, ſæpe ori admotam & quaſi dentibus inferendam, tamen rejecit carnem, ut per carnis abſtinentiam, carnem corporis edomando, ſpiritum redderet fortiorem. Vilioribus denique contenta alimentis quæ ſibi præparabantur, cetera in cibos pauperum & peregrinorum ſupervenientium, quorum illi maxima (ut diximus) cura fuit, ſeu etiam adſtantis familiæ erogata ſunt. Orationis ergo jugi tutamine ſe adverſus inimici infeſtantis inſidias die noctuque munivit. Solebat enim noctibus de domo furtim excedere, ſeque incomitatam ad eccleſiam conferre, ibique precum jugi inſtantia pernoctare. Nempe cum ſolis occubitu ſomni quies a cunctis peteretur, ipſa lectuli, qui ſemper ſumptuoſæ ſupellectilis ornatu paratus aſſiſtebat, ſprevit accubitum; januiſque clauſis eædem quæ ſupra memoratæ ſunt germanæ ſuper nudam humum cilicium ſternebant, proque capitali ſaxum aliquod capiti ſubdiderunt: ſicque paullulum guſtato ſomno, cum gratiſſimus aliorum corpora ſomnus gravaſſet, in clanculo ſurgens eccleſiam petivit.

11. Talibus ergo virtutum incrementis invidens diabolus, ad eccleſiam properantem, illicque manentem, ſeu pedem intro ferentem creberrimis luctationibus impugnationum laceſſivit, varias terrorum figuras nefanda arte ſubdoloque commento in ſemet transfiguratas ei objiciens: quæ omnia machinamenta diaboli, illa inexpugnabili ſcuto non fictæ fidei protecta, gladioque quæ ſpiritus armata, ſignaculo crucis imperterrita bellatrix dejecit. Et ut ea quæ generaliter complexa ſunt ſingillatim auctoritate veritatis aliqua ex parte proferam; quadam nocte dum ſolito more ad eccleſiam properaret, audivit in ipſo limine baſilicæ terribilem grunnientis ſuis fremitum, ac ſi ingreſſum intrare cupienti negantis. Quod ut ipſa vidit, per Spiritum ſentiens diabolico commento paratum, quo quidem hoc perterrita terrore deſiſteret ab incœpto bonæ operationis; convertit ſe ad illud quo monſtrum furere cognovit oſtium, atque aliquantiſper ſubſtitit: dein cum ſignum crucis dextera prætuliſſet, hoſtis nuſquam comparuit.

12. Quidam etiam a multis ſpiritibus nequam pervaſus ei oblatus eſt. Ipſa autem vexillo crucis armata, propius cum tot hoſtibus conflictura acceſſit: pedemque ſuum dexterum dorſo furentis ſuperpoſuit, Jeſum ſuppliciter exorans, ut hominem ad honorem ſuæ imaginis plaſmatum, dæmonum non ſineret ſævæ ſubjacere tyrannidi. Spiritus autem maligni, cognoſcentes ſibi precibus beatæ virginis denegari facultatem ibi ſubſiſtendi, horribili voce cunctorum aures impleverunt: Peſſima, iniquiunt, iſta Wiborada dorſa noſtra cum brachiis conculcando contrivit, quapropter differre non poſſumus effugii diſceſſum. His dictis confeſtim diſceſſerunt.

13. In-

Digitized by Google

[AN. CHR. 925. 2. Maji.]

13. Interea, ne lucerna in angulo domus abdita, modioque ſuppoſita, clari luminis radios occuleret; ſed ut in medium prolata candelabro ſuperponeretur, quatenus cunctis in Domo Dei commorantibus jucundiſſime rutilans jubar præberet; pervenit ad aures venerandi Conſtantienſis Epiſcopi SALOMONIS *a* fama virtutum beatæ virginis. Nec multum poſt ad monaſterium S. Galli idem Epiſcopus iter ſuum dirigens, miſit ad eam, interrogans ſi ſecum proficiſci vellet: magnoque ſtatim gaudio repleta, cum ſuis illis quas prædiximus domeſticis, feſtinanter ad navim properat, & proſpero curſu ad littus optatum perveniunt. Deinde in cella quadam in montibus ſita, juxta Eccleſiam ſancti Georgii, parva conſtructa manſiuncula, pæne annis quatuor converſata eſt, tanta abſtinentia cibi potuſque ſe conſtringens, ut vix narranti quiſquam credere valeat. Jugiter namque noctibus atque diebus in eccleſia permanens, precibus atque vigiliis divinam pietatem ſupplicando infatigabiliter perſiſtebat; ita ut numquam manſiunculam illam, niſi raro cauſa neceſſitatis, intraret, ſive ut ſomni aliquid caperet, ſive ut jejunum corpus interdum poſt tres dies recrearet: omneque hoc tempus in eccleſia perdurans, Domino confortante peragit. His exercitiis Deo ſerviens, & de die in diem duplicato jejunio tenerum corpus afficiens, ſolo ſpiritu membris deficientibus vixit.

[Cum Salomone Epiſcopo venit ad S. Gallum. Quadriennio cellæ prope S. Georgii Eccleſiam includitur.]

14. Fama ſanctæ puellæ inter populos crebreſcente, divino amore capti, & devotione largitatis cupidi veniunt multi, offerentes quæ neceſſaria illi fore ſperaverunt; de quibus aliquam partem ad uſus pauperum quotidie diſpenſandam reſervari præcepit, partem etiam devotis fidelibus commendans conſervari fecit: quatenus una die in anno circumquaque de cellis vicinæ mulieres congregatæ, in amore Dei & ſanctorum ejus lætificarentur. Cumque omnes advocatæ ad cellam ſancti Georgii alacriter conveniſſent, una earum opulentior ceteris venire renuit, dicens, ſe illius quidem eleemoſynæ indigam nequaquam eſſe. Cumque hoc ſancta virgo comperiſſet, & illis fœminis quæ aderant injurioſum eſſe videretur, ait ad ipſas: „ Non contriſtemini, Sorores, ſed cum gratiarum actione benedictionem „ Dei & ſanctorum ejus gratulantes accipite: veniet enim hæc, cum libentiſſime ad nos venire vellet, ſi tunc potuiſſet. Mulierque ipſa mox recepta infirmitate, & maximo dolore in dies confracta, cibum potumque faſtidivit. Cumque magnis cruciata doloribus ſe penitus deficere crederet, & nec manducare neque bibere valeret; advocans virum ſuum, cauſam infirmitatis indicat. At ille carrucæ impoſitam ad famulam Dei perduxit. Qua correpta de inobedientia, benedicens panem dedit ei: quem ut comedit, illico fugatis doloribus & ſanitate recepta, gaudens domum regreſſa eſt.

[Oblatis pauperes & hoſpites reficit. Mulierem ob elationem punitam oblato pane ſanat.]

15. Beata igitur Wiborada, ſicut prædictum, pæne annos quatuor in cella ſancti Georgii, probatis moribus & virtutibus adornata, in Dei ſervitio permanebat. Venerabilis itaque Pontifex iterum ad monaſterium veniens, clauſula *b* quam tota vita ſitiebat jam parata, miſſis quibuſdam monachis, juſſit eam duci ad ſe: quam Epiſcopus cum paucis proſecutus & benedicens clauſulam obſeravit. At inimicus atrox, invidus omnis boni, diabolus terrorem illi incutere tentans, caput hominis hiſpidum & horridum, tamquam vivens & ore hianti, ſua malitia proferens, ante illam in oratione jacentem projecit. At ſancta virgo nil territa, vel loco mota, ſupplex in oratione perſiſtens, ſigno ſanctæ crucis frontem munivit, moxque omnis phantaſia diaboli velut fumus evanuit.

[Cellula recluditur ab Epiſcopo.]

16. Nocte quadam item in vigilia ſancti Joannis Baptiſtæ, prima incipientis diei aurora, vidit in viſu ſanctum & venerabilem patrem noſtrum Gallum, quaſi viventem in corpore, paratum ad Miſſam, cum magna clari-

[S. Gallo docente futura diſcit.]

a Salomon, eo nomine ſecundns, ab anno 885. ad 891. præfuit Eccleſiæ Conſtantienſi.
b Hoc turguriolum eccleſiæ ſancti Magni adhærebat, ex Hepidanno. Modum recluſionis per Epiſcopos docet Grimlaicus in Regula Solitariorum, ex dictis.

Digitized by Google

AN.CHR. 925 2. Maji. claritate luminis adveniſſe. Secum etiam tanta multitudo candidatorum, ideſt felicium animarum, advenit, ut tota latitudo illius eccleſiæ repleretur. Sanctus itaque Gallus ad altare accedens, celebrat Miſſam ſancti Joannis Baptiſtæ: & levata antiphona, *Ne timeas Zacharia*, dulciſona modulatione, ſanctiſſimo illarum animarum conventu pariter concinente, ad finem uſque complevit. Poſt Miſſam accedens ad feneſtram, futura quædam ſanctæ virgini revelavit: in quibus hoc prædixit futurum, & jam decretum ante divinæ majeſtatis conſpectum, quod peccatis illud exigentibus plurimi in Pontamico lacu eodem anno de familia, ſed & de aliis quibuſdam, periculoſa navigatione eſſent mergendi: quod poſtea multorum experimento probavit eventus.

Ab Udalrico adoleſcente conſulitur. 17. Quidam puerulus bonæ indolis, de nobilibus parentibus ortus, nomine UDALRICUS, ad ſcholam cauſa doctrinæ venit ad monaſterium. Qui quidem edoctus cum ad intelligibilem ætatem perveniſſet; cum etiam beatæ illi amabilis crebro ab ea, ut juvenilia deſideria fugeret, moneretur; cœpit virtutibus pollere, caſtitatem amare, in Dei ſervitio ſedulus & devotus exiſtere, omnibus cum quibus converſabatur honorabilis & amabilis haberi: unde & patres noſtri fratrem ſibi conſcriptum cœperunt eum habere maximo honore & amore. In illo tempore Salomone *a*, fratre & Abbate noſtro, Epiſcopo facto, cum nos unice diligeret; poſt abitum illius cum metuerent Fratres & ipſe, ne, ſicut ante eum, in poteſtatem alienam *b* traderentur, ejus nutu Udalricum ipſum ſecretius accitum ſuadere cœperunt, quatenus monachico habitu ſuſcepto, ſe Dei & beati Galli ſervitio traderet, hoc pacto ut mox Patris nomine aſſumpto, Abbas ejus poſt illum conſtitueretur. At ille ut voluntatem eorum vidit, ſperans etiam juxta diſpoſitionem Dei hoc poſſe fieri, promiſit ſe in omnibus paratum fore petitioni illorum ſatisfacere. Et ut ſapiens, ſcriptum eſſe ſciens, *Omnia fac cum conſilio, & poſt factum non pænitebis;* (Eccl. 32. 24.) illico Vviboradam ſuam expetiit, petitionem fratrum „ ſuorum & ſuam promiſſionem illi per ordinem pandens. At illa dixit „ ad eum: Filii mi, peractis tribus diebus veni, & reſponſionis meæ verba „ audi: & interim miſericordiam Domini implorare non ceſſes, ut ſecundum „ placitam ſibi voluntatem & pietatem ſuam, circa rem de qua quæris, con„ ſilium nobis oſtendere dignetur. Statutis itaque a ſancta domina ſua in„ duciis adveniens, ſtetit, ante feneſtram quam illa aperiens dixit ad eum: „ Fili, habes in animo libenter te fieri monachum & Abbatem in iſto lo„ co? (Ei eventura prædicit.) At ille reſpondit: Si Dei voluntas eſt, libenti animo ad utrumque pa„ ratus ſum. At illa, Verte, inquit, animum tuum aliorſum: nec monachus „ nec Abbas hic fieri poteris: ſed ne multum contriſteris, vel tuos labores, „ quibus in Dei ſervitio te exerces, in oblivione coram Domino eſſe per„ timeſce: in plaga orientali *c* debes Epiſcopus fieri. Multis temporibus proſ„ pere deges; tandem autem etiam magnos labores & multa adverſa de pa„ ganis & Chriſtianis te paſſurum eſſe ſcias. Plurimi tuorum fidelium oc„ cidentur, loca vaſtabuntur, & iſta tribulatio, & conturbatio multis re„ gionibus imminebit. Hac tempeſtate ſedata reliquum temporis, quod in „ poſterum vixeris, cum magna tranquilitate pacis te ducere ſcias. Hæc ille audiens, laudes & gratias Deo & ſanctæ virgini reddens, inter ſpem metumque poſitus, lætus abſceſſit. Itaque omnia quæ prædiximus, ſancto Spiritu venerandæ virgini revelante, impleta conſpeximus.

18. Quadam die ſancta puella ſubito concutiens tintinnabulum feneſtellæ appenſum, fidelem vocat miniſtram: qua veniente, Vade, inquit, eripe gallum noſtrum: nam vulpeculæ illi ad mortem inſidianti bellum fecit, & vicit. At illa veloci curſu properans invenit gallum ſub ramis arboris ſpatiantem. Qui ut eam vidit, ſonitu alarum gaudens, & ut credo de inau-

a Is Salomon tertius, æquivoco ſucceſſit anno 892. ad annum 918. ſuperſtes.

b Nempe Abbatum ſæcularium, quales Grimaldus & Harmuotus.

c Nempe Auguſtæ Vindelicorum, ubi Epiſcopus fuit Udalricus ab anno 924. cujus acta inferius ad annum 973. De eo iterum infra num. 40.

Digitized by Google

inaudita ante victoria ſuperbiens, illico cantavit; quem aſſumens, & valde admirans de tanta gratia virginis conceſſa, ad proprium hoſpitiolum, unde procul aberraverat, magno gaudio reportat. AN. CHR. 925 2. Maji.

19. Quidam venerabilis monachus & presbyter fuit in congregatione ſancti Galli, literis eruditus & egregius prædicator, nomine VVALDRAMNUS. Hic habuit familiarem quemdam in miniſterio, ſibimet charum & fideliter ſervientem. Per hunc ergo idem ſenior charitatis gratia ſæpius ſuam benedictionem dominæ Wiboradæ mittere conſueverat. Cumque hac miſſione directus adveniret, & allata præſentaret, ſicut omnibus ad ſe venientibus fecit, remuneratus ab ea fragmen beati panis accepit. Quod accipiens, & inde egrediens, prius, ut credo, alio ſaturatus edulio, guſtum ſanctificati panis devitat, & obvianti cuidam pauperi illum porrigens, ſine ulla tarditate properat ad dominum ſuum. Nec multum poſt idem febre correptus, & magna infirmitate detentus, manducare nec bibere potuit. Et cum de die in diem ægritudo creſcens non minueretur, ſuus ſenior valde dolens ſuper eum, interrogat, ſi ſcire potuiſſet unde ei tam ſubita infirmitas eveniret. Quo reſpondente ſe ſcire non poſſe, inquit: Numquid excogitare poteris ſi aliquando miſſus illuc a me aliquid benedictionis de ſancta Wiborada acceperis? Qui demum pietatis illius memor, & ſuæ culpæ vel arrogantiæ conſcius, quanta voce potuit exclamat: Domine mi, ſcio & cognoſco hac de cauſa me nunc tanta infirmitate teneri, quia a ſanctis & largis manibus panem accepi, ſed minime de eo propter peccata mea guſtavi, tradens illum cuidam qui mihi occurreret. At ille de ſanctitate beatæ virginis certiſſimus, ſimul & reatum jacentis agnoſcens, adduci caballum præcepit: quem ſuperimpoſitum ante conſpectum illius præſentare mandat. Sancta itaque virgo agnita moleſtia, valde illius contumaciam redarguit; panemque benedicens iterato porrigit: quo deguſtato ſtatim convaluit; & poſt parvum labentis temporis intervallum, plena ſanitate recepta, ſicut antea fecit, ſuo domino gaudens mini[illegible]

Panem ab ea benedictum puer reſpuens, Febre corripitur. eo guſtato convaleſcit

20. Quadam nocte apparuit in viſ[illegible] Wiboradæ quædam famula ſua, quæ dum in ſæculi actibus detineret[illegible] [illegible]bilis converſationis ducens vi-
„ tam, migravit; & ait ad eam: O co[illegible] chariſſima, calicem & patenam,
„ vel corporale, ſed & fanonem *a* cum quo ſolita es offerre, omnia pura &
„ munda aqua lavare præcipias. Illæ enim oblatæ, in proximo factæ, non
„ ſunt mundæ; quia fidelis veſtra domeſtica, alio opere detenta, ſorori ſuæ
„ has facere injunxit. At ſancta virgo; Quæ enim, inquit, es tu? Reſpon-
„ dit: Ego ſum illa quondam famula tua, & huc miſſa hæc eadem nuntia-
„ re tibi. Dic mihi, ait, quomodo tecum eſt? At illa ait: Domina, Dei
„ gratia & tuis meritis, inenarrabilibus bonis utor, & delectabili requie per-
„ fruor. Ad hæc ſancta: Vade, inquit, ad præparatam tibi requiem, &
„ mei memor eſſe digneris. Facto autem mane advocans miniſtram: Quas hac
„ vice tuliſti, inquit, quis fecit oblatas? Reſpondit: Ego domina. Cui ſancta
„ ait: Cur hoc te facere fingis quod non feciſti? Mox illa reatus ſui & ne-
„ gligentiæ memor, veniam petens inquit: Piiſſima domina, audeo dicere ali-
„ quid? At illa, Dic, ait, quod vis. Quomodo, inquit, domina ſcire po-
„ teris omne quod facio? quis mei apud te delator eſt facti? nullam cauſam
„ te celare poſſe credo. Beata virgo reſpondit: Hac nocte quieſcenti apparuit
„ mihi in viſu famula mea quondam fideliſſima, nunc in Chriſto ſoror chariſ-
„ ſima, hæc omnia quæ ad nos pertinent, & quæ divina gratia illius meritis
„ rependere voluit, per ordinem pandens. Nunc præceptum nobis ſine ulla
„ tarditate ſtudeas implere: vaſa offertoria & divino cultui præparata, cor-
„ porale & linteum oblatitium mundiſſima lympha purgare non pigeat: ulte-
„ rius

a Triplex *fanonis* ſignificatus. 1. pro quavis mappula. 2. pro veſtis ſacræ parte illa, quam manipulum vocant. 3. pro corporali, ut apud Papiam. Hic ſumitur pro mappa, in qua Wiborada hoſtias Presbytero ad Miſſam offerebat pro more illorum temporum. Unde *linteum oblatitium* vocatur infra. Ex his vides, Wiboradæ licuiſſe vaſa ſacra contingere, hoſtias conficere: quod olim devotarum fœminarum officium erat, ut in Præfatione Sæculi 3. prima obſervavimus.

Digitized by Google

AN.CHR. 925 2. Maji.

„ rius caveto, ne rebus in Dei ſervitio exercendis crimen ſubrepat negli-
„ gentiæ.

21. Hæc ſancta virgo quidquid de annona ſibi vel miniſtrantibus ſupererat,
larga manu cuncta pauperibus erogabat. Inter quos unum elegit, quem
tempore ſui prandii circa nonam jugiter ſecretius adeſſe præcepit. Hujus
greſſus aliter eſſe non poterat, niſi quod duobus baculis aſcellas ſuſtentanti-
bus incedebat. Igitur diabolus, omnis boni invidus, gerens mille nocendi
artes, quadam die in ſimilitudine illius egeni magno ſtrepitu baculorum
horam refectionis antevenit, & proſtratus terræ ante feneſtellam tanta ſe
infirmitate detentum ſimulat, ut ſe jam deficere proclamaret, niſi ſolitam e-
leemoſynam mox ab ea perciperet. Illa immota manens, ut ſemper ſine in-
termiſſione proſtrata in oratione jacebat, nullum profano reſponſum dedit.
Econtra deceptor amarum flens & ejulans: *Quid proderunt tibi, inquit, ſi
hic moriar, eleemoſynæ quas antedediſti? ubi nunc larga manus, quam mihi ſæ-
pe præbuiſti? Quare exeuntem animam ſaltem in hora ſubitæ mortis non re-
creas?* At ſancta virgo, ſicut cœperat, tacita permanſit. Interea malignus ſua-
ſor, caput horrendum ad feneſtellam ſubrigens, introſpicit. Sancta itaque vir-
go ſe paullulum a terra levans, contra hoſtis nequitiam ſignum ſanctæ crucis
„ imprimit, & ſemetipſam undique munivit. Deinde ad phantaſma dixit:
„ Recede quiſquis es, adjuratus per tremendum & venerandum Chriſti nomen;
„ recede a me; non accipies quidquam. Illico ſancti nominis invocatione
phantaſma, velut palea venti flamine translata, nuſquam comparuit. Diſ-
cedente diabolica fraude, certæ refectionis tempore, ſicut antea ſolitus e-
rat, eleemoſynarius pauper cum magna cautela advenerat. At virgo beata
„ gaudio repleta, ſimul admirans; Veni, ait, amice, te agnoſco, veni: quæ
„ a Domino præparata ſunt, lætus ſuſcipe: ille incognitus, qui dudum adve-
„ nit, Dei virtute ſuperatus & confuſus, procul recedat a nobis.

Diabolum pauperis ſpecie ſtipem rogantem fugat.

22. Quadam nocte paullulum quid beata Wiborada in lectulo quieſcente,
per noctem apparuit ei dominus noſter ſanctus Gallus, ſciſſis veſtibus & ve-
luti ſordidis, & inter ſcapulas quaſi ſigno crucis inſignitis: quem cernens ſancta
„ obſtupefacta: Quis, inquit, domine, tantum ſcelus in te perpetravit? vel
„ tam ſordidis & ruptis veſtibus induit? At ille: Tyrannus, ait, BURCHARDUS [a]
„ non Dux, ſed prædator & deſolator iſtius provinciæ, tanta in me commiſit
„ ſcelera; loca & prædia circumquaque a fidelibus mihi collata prædavit, &
„ ſibi cooperantibus in beneficium tradidit: crucem auream venerandis ſan-
„ ctorum reliquiis plenam abſtulit, familiolam deſolavit, monachos in loco hoc
„ ſub ſancta profeſſione Deo & ſanctis ejus ſervituros fame & inedia cruciavit.
„ *Vere dico tibi, quia melius ei eſſet ſi natus non fuiſſet*. Mox ſancta virgo, ſom-
no recedente evigilans, ſecum de viſione tractavit: nulli tamen hanc illis diebus
innotuit. Non poſt multum autem comperto ad monaſterium ejuſdem Ducis
adventu, cum Abbas [b] tyranno loco cederet, illico ut advenit, eum ad ſe ac-
cerſiri præcepit: quem advenientem dire ſuſcipiens, aſperis verbis de ſingulis
„ ſibi per viſionem oſtenſis valde increpavit, & hoc addidit: Cur, inquit, hunc
„ adis, quem tantis injuriis afflixiſti? Crucem ejus auream cum ſanctorum re-
„ liquiis refertam contumaciter de iſto loco tecum aſportare auſus es. At ille,
„ cum hanc non ſponte, ſed monachis offerentibus & ſibi dantibus ſe ſuſcepiſſe
„ teſtaretur; Non propter amorem tuum, inquit, hoc fecerunt, ſed propter
„ timorem. Sed niſi reddideris, ut loco ſancto unde ablata eſt reſtituatur, ſcias
„ vitam tuam in periculo & in extremis conſtitutam. Cumque de omnibus, pro
quibus erat admonitus, emendationem dignam promitteret, & crucem ſan-
ctam aliaque quam plurima injuſte ablata ſe reddere paratum fore; inquit
inter alia: Domina cariſſima, ſcio quia mulier ſancta es, ora pro me, &
„ ſuſcipe me in orationem tuam. At illa: Si juxta promiſſa tua, inquit, coram
„ Deo

Burchardum ducem arguit.

Et ad pœnitentiam excitat.

[a] Is erat Burchardus, Dux Suevorum, S. Galli monaſterio infeſtus, de quo vide Hepidannum, Ekkehardum Juniorem, Hermannum, & acta S. Udalrici infra.

[b] Engilbertus, qui ab anno 924. ad 934. Sancti-Gallenſibus præfuit, infra laudatus num. 25.

Digitized by Google

„ Deo & ſanctis ejus mihi ſatisfeceris, faciam voluntatem tuam. Quo audito vertens ſe ad altare, jusjurandi affirmatione omnia ſecundum condictum ſe facturum & deinceps emendaturum ſpopondit. Quem his verbis ſuſcipiens, data licentia cum ſe parumper a ſanctis ejus obtutibus avertiſſet, „ iterum eum ad ſe vocans, inquit: Proviſores monaſterii relicti fratres „ circa tuum adventum ſolliciti, mane conſiliantur, quo theſauro te hono„ rare poſſint. En ego tuæ incolumitati conſulens, prædico, quia calicem au„ reum cum patena tibi offerent: cave ne ſuſcipias. Quod ſi ſuſceperis, & iſta „ quæ promiſiſti non impleveris; ſcias tibi longi temporis vivendi ſpatium eſſe denegatum. At ille promiſſis promiſſa adjiciens, benedictione percepta, ad domicilium ſanctæ RACHILDÆ proceſſit: quæ a ſpirituali matre præmonita, illis verbis ſimilia promittentem humiliter ſuſcepit ac dimiſit.

AN.CHR. 925

1. Maji. Vitam meliorem ſpondet.

Monitus ne calicem aureum acciperet.

23. Mane facto, ſicut ſancta virgo prædixerat, inito conſilio, monachi ſancta vaſa, id eſt calicem aureum cum patena, quia aliud non habuerunt, Duci pro munere obtulerunt. Quæ dona ſuſcipiens, oblitus ſui juramenti & ſponſionis, quam virgini Deo dignæ promiſerat, ad propria remeavit. Non poſt multum temporis idem Dux iter ſuum dirigens ad Italiam, RELINGINDÆ matronæ, ſibimet in matrimonium ſociatæ, omnia quæ ſancta Wiborada, & periculoſa, & ad ſalutem pertinentia animæ præmonuit, ex ordine narravit: hoc ei præcipue injungens, ut ſi ad propria vita comite non rediiſſet, calicem cum patena monaſterio reſtituere non diſtuliſſet. Sed heu hominem dolendum, non ſolum iſtum, ſed unumquemque, qui ſibi ipſe dum poteſt conſulere deſinit, & non cogitat quia, vilitati fœni quod in campis vileſcit, & floreſcit, & mane inciſum areſcit, aſſimilatus eſt. Dux itaque, ſicut mente conceperat, magno comitatu Italiam ingreſſus, dum totam ſibi terram ſubjicere, & multos decipere cogitat, ipſe doloſitate illius gentis præventus, dum ſtudet evadere, ſubito lapſu infrenis equi in foveam *a*, veluti caſui illius præparatam, cecidit, hocque inſperato obitu miſerabiliter vitam finivit. Igitur Relinginda matrona, domini ſui Ducis obitu comperto, non ſicut antea ab ipſo commonita fuerat, de ſanctis vaſis fecit; ſed patenam pretioſo opere decoratam ſecum retinuit, aliamque multo minorem minoriſque pretii fabricatam, ſicut in præſenti cernimus, cum prædicto calice monaſterio reſtituere præcepit.

Voti immemor ſuſcipit.

Profectus in Italiam necatur.

24. Quadam die poſt celebratam ſollemnitatem beati Joannis Baptiſtæ, ante feſtivitatem ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, inter meridianum tempus & nonam, ſolito ſedili in pſalmodia beata reſidente, jacens ante eam patens Pſalterium ſubito ſe ultro complicuit: in quod paulliſper caput reclinans obdormivit. Hoc tenui ſomno per viſum ei revelatum eſt, ſævam gentem Hungarorum anno futuro in Kalendis Maji, aliis terris pervagatis & devaſtatis, ad monaſterium ſancti Galli perventuram: & in eadem revelatione oſtenſum eſt illi, quod per martyrii gloriam ipſis paganis eam vulnerantibus, & certaminis præmia in cæleſtis regni beatitudine percipere deberet. Mox evigilans, & de viſione ſollicita intentione pertractans, inter ſpem metumque poſita, ſpe ſuæ vocationis, metu populi contritionis, aliquantis diebus conticuit. Deinde cogitans ſe deliquiſſe, ſi revelata a Deo aliis non manifeſtaret; virum venerabilem VVALDRAMNUM, cujus antea fecimus mentionem, ſibi affabilem, ſecretius ad ſe vocatum, paganorum adventum, tempuſque ſignatum pronuntiat: ipſi autem, nec umquam ulli, quæ ei de ſua paſſione revelata fuerant, pandens. Inſuper admonuit, ut palam in eccleſia cunctis advenientibus, ſed & undique circumquaque manentibus, imminens periculum patefacere curaret: ſe etiam in hoc laborare promittens, quatenus dilatione tanti temporis, orationum frequentatione, jejuniorum celebratione, ſancta eleemoſynarum largitione, ſine intermiſſione miſericordiam Domini jugiter implorantes, iram ſuperni Judicis propter multimoda cun-

Wiborada Hungarorum adventum prævidet.

Waldramno monacho indicat.

a De hoc caſu Liutprandus lib. 3. cap. 4. ubi ab irruentibus Auſoniis ſeu Italis confoſſus lanceis perhibetur ſub initium anni 925.

Digitized by Google

AN.CHR. 925 cunctorum populorum delicta ſævientis, aliquatenus bonis actibus inſiſtendo mitigaret.

2. Maji. Hungarorum adventus. 25. Cumque illius anni circulus vergeretur, & tempus Maji menſis, ſanctæ Virgini per viſionem oſtenſum, appropinquaret; ſubito fama terras pervolante nuntiatur paganos tota provincia Bajoariorum eſſe diffuſos. Sed corda hominum, peccatis exigentibus quo imminens exitium evadere poſſent, cum heu! dura ſemper eſſent ad credendum; iterum atque iterum fama percrebeſcente de adventu paganorum, antea credere noluerunt, quam ſæviens interitus, gladio imminente, hanc etiam provinciam uſque ad lacum Potamicum gens barbara circumſæpſit, plures & innumeros occidi, cuncta villarum officia circumquaque ignis incendio devaſtavit. Plurimi etiam apud noſtrates, imminens periculum tarde vel nullatenus credentes, Domini tamen miſericordiam ſine intermiſſione implorare ſtuduerunt: alii etiam ex illis nullomodo crediderunt. Quidam etiam de familia, juga montis excelſi ſupra monaſterium poſiti ſcandentes, flammarum & fumi uſque ad æthera tendentis indicio vix aliquando potuerunt credere. Sancta fugere recuſat. Abbas itaque monaſterii, ENGILBERTUS nomine, vir providus, cum jam caſtellum quoddam monaſterio proximum valde firmaſſet, undecim fratres de præcipuis monachis miſit ad beatam Wiboradam, quatenus cum illa tractarent, quomodo ipſa poſſit ſalvari, & ſe ob paganorum ſævitiam devitandam de clauſula educere pateretur, & hoc illi dicerent, quia Domino protegente ſcirent, eam quidem de ſeipſa eſſe ſecuram, nec periculum mortis pavere; ſed ob ſtatum loci & in eo commorantium vel Deo ſervientium, pro quibus ſemper devota oravit, & adhuc orare deberet, Domino confortante vitam ſibi illius per longa tempora fore neceſſariam. At illi juxta præceptum properantes, conſilium & voluntatem Abbatis ſanctæ virgini indicarunt. Quæ ut audivit ſermones iſtos, gratanter ſuſcepit, & certa de viſione anno præterito ſibi oſtenſa, ſed & de ſpe retributionis æternæ, inducias uſque mane poſtulans, dum ſibi apud Abbatem ipſum colloqui liceret, illis abeundi licentiam tribuit. Spe martyrii accenſa.

26. Mane facto nuntii iterato advenientes barbaros adventaſſe proclamant. Illico Abbas, velut anhelus ad eam veniens, pridie mandata per monachos „ repetivit, dicens cum lachrymis ad ſanctam Dei: Quare, domina, ſicut fa„ ma eſt, paganos non devitas? cur in periculis conſtituti privantur tuis ora„ tionibus & ſancto conſpectu? quare non pateris te tuto loco aliquantum „ temporis, ad conſolationem noſtram, Dei gratia comitante & adjuvante „ ſervari? At illa his fletibus mota, Cur, inquit, venerande Pater, tantam „ mihi triſtitiam ingeris? cur mihi, quia tua in me poteſtas eſt, tantillum ſpa„ tium exacti laboris perdere præcipis? Si Dominus mihi, ut ſpero & credo, „ adjutor eſt, quod ſemel animo fixum eſt mutari non poteſt: iſtam manſiun„ culam, Dei clementia mihi conceſſam, vivens in corpore vacuam non relinquam. Igitur Abbas tantam virginalis animi conſtantiam in Deo fixam conſpiciens, veniam ſibi dari poſcit, quod eam in tantum ſuis verbis fatigavit: & pro certo cognoſcens, quamvis ipſa non diceret, aliquam ſuæ vocationis revelationem ſibimet factam, interrogat, quod nunc ſibimet rebus agendis „ conſilium daret. At illa inquit: Sancte Pater, nullam moram interponas, „ quin temetipſum & animas tibi a Deo commendatas ſervare *a* ſtudeas. „ Theſaurum ſancti Galli, ſicut jam cœpiſti, & quidquid ad uſus mona„ chorum vel familiæ adhuc reliquum eſt, hodie & hac nocte portando & „ vehendo ad caſtellum tranſmittere non tardes: craſtina enim die ſine omni „ dubietate, vallis iſta undique circumſæpta multitudine barbarorum replebi„ tur. Tandem Abbas venerandus, omni dubietate ſubmota, & cunctis verbis credulus, fecit ut monuit; & omnem qui relictus eſt theſaurum ſancti Galli, in libris, in auro, in argento, in diverſi generis veſtibus, & quidquid

Monet omnia quantocius ſubducenda.

a Idem conſilium dedit Hoſpitius, apud Nicenſem urbem recluſus, qui Langobardorum in Gallias adventum cælitus edoctus, alios fugere præmonuit, & ipſe e cella ſua egredi noluit, teſte Gregorio Turonenſi Epiſcopo in lib. 6. cap. 6.

Digitized by Google

quid in ſumptibus vel uſibus monachorum eſſe poterat, cum omni cautela & feſtinatione ad caſtellum tranſmiſit.

AN CHR. 925 2. Maji.

Rachildæ parentes de ea ſecuros facit.

27. Venerunt etiam parentes dominæ RACHILDÆ [a] tractantes cum beata Wiborada, quatenus filiam ſuam de clauſula ſumptam ad tutiora loca ſecum „ ſervandam deducerent; quibus ipſa ait: Nolite ſolliciti eſſe de filia mea. „ Omnipotentis enim Dei & ſanctorum ejus munimine, vobis ad conſolatio- „ nem multiſque aliis, per multa tempora ſalvabitur. Ite ad hoſpitium ve- „ ſtrum & maturius ſurgentes venite ad nos, ut benedictione Dei ſanctique „ Magni de manibus noſtris percepta, gaudentes redeatis ad propria. Illuce- „ ſcente itaque altera die propinqui beatæ Rachildæ, ſicut erant religioſi, verbis & conſolationibus ſanctæ virginis fidem adhibentes, omni ſollicitudine poſtpoſita pro filia ſua, venerunt; & gratias ei reddentes pro omnibus bonis, ſemper ſibimet tanta benignitate oſtenſis, licentiam abeundi poſtulaverunt: „ quibus illa: Accipite, ait, benedictionem Domini de manibus meis, & „ paullulum guſtantes ite cum pace. Cumque hoc factum fuiſſet, illius ſanctis orationibus muniti, & Dei gratiæ ſanctorumque orationibus commendati, ſalutata filia ſua redierunt ad propria.

Hittoni monacho & famulis fugam præcipit.

28. Deinde quidam ex familia, equi velocitate delapſus paganis inſequentibus, venit fugiens: & multis adhuc in valle ſive in tabernis, ſive in diverſis locis conſiſtentibus, clamore magno: Fugite, inquit, o miſeri, fugite adſunt quos advenire credere noluiſtis. Senior etiam & monachus HITTO, adhuc in eccleſia ſancti Magni conſiſtens, quia ipſius eccleſiæ cuſtos erat, ſecum deliberans ut nuſquam fugeret; hortatu & præceptis ſanctæ Wiboradæ tandem compulſus, in proximum lucum monti adjacenti inhærentem, cum duobus ſibi famulantibus vix aufugit.

A Barbaris cæditur.

29. Interea veſanus quidam & Deo odibilis, adſcitis ſibi ſimilibus ſociis, ad ſancti Magni baſilicam una properant, ignique ſuppoſito, cum manſiunculam ſanctæ virginis exurere vellent, divina virtute flammæ reſtinctæ ſunt. Cumque effectum perverſæ voluntatis ſe non poſſe perficere cernerent, circumeuntes ædiculam, aditum, quo intrare potuiſſent, quærunt: & non invenientes, duo ex illis aſcenderunt ſuper tectum, & disjectis tegulis incidunt obſtacula quæque; factoque foramine ſe immittentes, ſanctam virginem ante altariolum ſtantem, & devotis precibus Deo omnipotenti & ſanctorum omnium ſuffragiis ſuppliciter ſe commendantem, ſpoliaverunt veſtibus, ſicque omni tegimine præter cilicium ablato, libratis aſcibolis [b] tria capiti vulnera ſanctæ virgini & martyri infligunt, & ſeminecem relinquentes diſceſſerunt. At ſanguis undatim profluens cilicium pæne totum perfudit, ſed & murus ejuſdem clauſtri ſancti ſanguinis adſperſione perfuſus, per multa tempora martyrium ſanctæ virginis advenientibus patefecit: qui nullis abolitionibus, quamvis mera calce ſæpius obductus, quin ſe panderet obtegi potuit. Nos etiam hoc verum eſſe proximis temporibus oculis noſtris inſpeximus.

30. Et ut plenius veritas pandatur fidelibus, verbi gratia interſeram ordini lectionis meritis ipſius & hac ope factum miraculum. Quidam Turicini pagi [c] mercator, oculorum dolore graviter laborabat, ita ut tanta cæcitate obtenebratus incederet, ut vix callem baculo regente teneret. Hic audiens famam virtutis egregiæ, pro Chriſto nomine martyrizatæ, quia multis infirmantibus ante ſuum tranſitum ſubveniret; devotus & fide armatus advenit. Cumque eccleſiam ſancti Magni orandi gratia intraret, rogat ſe ad venerandæ virginis ſepulcrum duci; ibique querulas preces Domino fundens, cum ſanctæ martyris auxilium flagitaſſet, ſurrexerunt: & quia antea audivit clauſulæ ejus murum adſpergine ſancti cruoris infuſum, petiit ſibi monſtrari locum. Hocque facto, aliis diſcedentibus, cultello parum quid ſanguinolenti

[a] Quæ fuerit occaſio Rachildæ converſionis inferius diſces ex fragmentis Hepidanni.
[b] Securibus minoribus, Gallis *Hache*, Teutonibus *AKſe*.
[c] Zuricgovia dicitur hic pagus, apud Helvetios, ad Turicinum lacum, vulgo *Zuricher-zee*.

Digitized by Google

AN.CHR. 925 2. Maji. lenti pulveris abradens, & linteolo involvens, ſecum retinuit. Deinde gratiæ Domini & ſanctæ virgini ſe commendans, iter quo venerat repedavit: & nil moratus, cum domum propriam intraret, pulverem ſanctificatum pæne cæcatis luminibus injecit: moxque omni fugato dolore integre ſe viſum recepiſſe gaviſus, meritum & martyrium ſanctæ Wiboradæ multis antea ignorantibus patefecit. Poſteaque quam citius potuit, ad monaſterium cum oblatione veniens, gratias Deo omnipotenti & ſanctæ virgini pro recepta ſanitate rependit, & publice illius meritis ſe ſalvatum omnibus manifeſtavit.

31. Tranſactis igitur octo diebus, incluſi caſtello, multorum qui advenerant diſceſſum paganorum audientes, Abbas cum monachis & familia ad monaſterium redierunt: ſed & alii multi ex diverſis locis in idipſum caſtellum congregati, ad propria remearunt. Prædictus enim monachus [a] & Presbyter, tertio die paſſionis ejus, rediens clam ab baſilicam ſancti Magni ſibi commendatam, aſſumtiſque quibuſdam de fratribus & laicis; una cum illis & fideli ejus miniſtra intrantes clauſulam, ubi ſancta membra jacebant, ſolitam orationem ſuper illam fecerunt. Cumque ſanctum corpuſculum, jugi parſimonia conſumptum, & oſſa arida vix tenui cute & nervis cohærentia, ad lavandum cilicio cruore rigente nudarent; vulnera capitis ſana repererunt: pedes etiam, antea aſperitate duri & nimii frigoris truncatos, ſanitati priſtinæ redintegratos invenerunt; uno tantum brachio & crure, ſicut adhuc vivens ad ſe contraxerat, aliquantulum curvatis. Inſpicientes etiam corpuſculum; invenerunt cicatrices ferreæ catenulæ, qua ſe circumligatam habebat, hocque cruciatu corpus tenerum mactabat; imitatrix egregia venerandi patris noſtri ſancti Galli, qui ænea catena ligatus, quatuor partibus corporis profunda vulnera cernentibus patefecit. Ipſa etiam martyrii ſui die beata virgo catenulam, quam diu priuſquam barbara gens adveniret, de corpore ablatam, ſecus altarium poſuit & abſcondit; poſtea in viſione apparens his qui excubias circa ſanctas exſequias celebrabant, admonuit, ut aſſumptam ipſam catenulam juxta ſuum corpus in ſarcophago collocarent: quod & factum eſt.

Wiboradæ corpus illæſum reperitur. Et cum catenula ſua ſepelitur.

32. Quadam nocte fidelis miniſtra ejus orandi gratia ad ſepulcrum accedere volens, priuſquam ad oſtiolum ædiculæ perveniret, tantam luminis claritatem intus ſplendeſcere vidit, ut ſi acum quærere deberet, invenire potuiſſet. At illa ſubita luminis apparitione ſtupefacta, & minime propius accedere auſa, loco quo ſtetit ſolo proſtrata eſt, & ſubnixis precibus Deo & meritis ſanctæ virginis ſe commendans, rediit ad lectulum, laudans & benedicens Dominum.

Sepulcrum ejus luce perfuſum.

33. Æſtate vero ſui obitus finiente, & autumnali tempore inſtante, venerabilis Presbyter & monachus Hitto, viridis fœniculi germen circa tumulum ejus fixit: quod diſpenſante gratia divina radicem figens terræ, per totam hiemem floruit, & velut in modum coronæ ſe ſibimet intexens, totum ſepulcrum hoc ſæpſit ornamine; & adeo crevit in altum, ut multi qui advenerant mirarentur, dicentes, numquam vidiſſe tam nobilibus foliis infloruiſſe. De hoc etiam germine multis poſtea infirmitate laborantibus ſubvenitur: ſed & beatæ Rachildæ jugiter ægrotanti exinde ſorbitiuncula facta, illico ſe medelam recepiſſe ſenſit in corpore. O flos virgineus, ſemper viridis & pulcher, quanta dignitate ſplendebis coram Domino in perennitate, qui tanto honore decoraris in mundi peregrinatione.

Fœnum hieme ſuper illud vireſcit.

34. Eiſdem diebus poſt paſſionem ſanctæ Wiboradæ, ſicuti paullo ante enarravimus, beata Rachilda, magna corporis infirmitate detenta, omnium membrorum viribus deſtituta jacebat, nihil guſtans, præter ſi ſacroſancti corporis & ſanguinis Domini vivificamine ſit recreata. Hacque infirmitate diu perdurante, contigit ut tribus continuis diebus ita immobilis & deſperata jaceret, ut hi qui excubiis interfuerant, mortua eſſet an viveret penitus

Rachilda triduo velut emortua,

[a] Hitto ſcilicet de quo ſupra num. 28. & infra num. 33.

Digitized by Google

AN. CHR. 925 2. Maji.

nitus neſcirent : quibus etiam ante feneſtram ædiculæ interfuit venerabilis magiſter & monachus Notkerus medicus *a*. Illa etiam fidelis miniſtra ambarum quondam virginum, in angulo ipſius cellulæ, parvo lectuli ſtramine, ob cautelam ſanctæ virginis quieſcebat. Tandem ſancta virgo, quæ deſperata jacebat, tertia nocte circa pullorum cantum, paullulum reſumpto ſpiritu, ajebat : Cara mater, ſi voluntas Dei, aliquod juvamen magna infirmitate mihi laboranti præſtare digneris. Nec mora illico divina affuit miſeratio. Ipſa namque cuſtode vigilante & aſpiciente, ſancta ac beata & glorioſa martyr cum magna luminis claritate & ſuaviſſimi odoris ſuavitate apparuit, & caput ſuum capiti infirmantis reclinans, ſalubri etiam tactu manus, ut ei viſum eſt, diu inibi morata, ſubſtitit. At miniſtra fidelis tremefacta hæc cernens, ait intra ſe : Quam pulcra & decora ſplendes mea domina ! moxque cum ipſa luminis apparitione, viſibus humanis ſublata martyr glorioſa receſſit, ſuaviſſimi odoris dulcedine ad lucem inibi uſque perdurante. Sancta etiam virgo poſt diſceſſum piæ matris infirmitate recedente, reſumptis viribus convaluit.

Apparente martyre convaleſcit.

35. Quidam juvenis monachus in venerandi patris noſtri ſancti Galli congregatione, Udalricus nomine, ſub ſcholari diſciplina degebat : qui infirmitate ſuperveniente longum tempus graviter laboravit, ita ut durante ægritudine, oſſibus tenui cute & nervis vix cohærentibus, ſupremum ſpiritum trahere videretur, nilque ſomni vel edulii capere potuerit. Hic cum morti proximus eſſe cerneretur, condiſcipulorum ſublevamine ductus, ante ſepulchrum beatæ martyris provolvitur. Cumque flebili & ſupplici prece ſe meritis illius aliquod medicamentum percipere deploraſſet, obdormivit ; moxque ſub ipſa hora evigilans, rogat ſibi aliquid ad manducandum donari. Hocque cum beatæ Rachildæ nuntiatum fuiſſet, miſit ei panem & piſcem. At ille ſuſcipiens ſatis avide comedit ; ſicque patrociniis beatæ martyris, veluti de præcipitio mortis ereptus, non ſine admiratione ipſe per ſe gradiens, ad clauſtrum rediit, qui aliorum adminiculo adductus, titubanti greſſu, membris etiam diſſolutis vix advenerat.

Udalricus Monachus ſanatur.

36. His & tantis ſignorum virtutibus jugiter ad ſepulcrum beatæ virginis oſtenſis, beatus Abbas Engilbertus, anniverſario depoſitionis illius tempore adveniente, anteriori die vocavit ad ſe Hittonem monachum, fratrem ipſius venerandæ Martyris : & aliis patribus plurimis de eadem congregatione præſentibus, rationem cum illo de ipſius virtutibus habuit. Qui cum plurima, quæ vel nota omnibus, vel adhuc ignota fuerant, veritatis aſſertione in medium proferret ; omni dubitatione ſubmota, Abbas certiſſimus, quanti meriti, quantique honoris glorificatione ante Deum digna haberetur, quæ tantis ſignis & virtutibus inter homines clareſceret ; cum conſilio fratrum eidem monacho & Presbytero mandat, ut ſuperventuræ noctis vigilias, cum pſalmodia & dulci hymnorum modulatione, ſicut antiquorum patrum ordinatione de Virginibus conſcriptum habemus, cum Dei licentia & adjutorio, ad tumulum ejus devotiſſime adimpleret ; deinde etiam ſupervenientem diem ſynaxi & Miſſarum celebratione ſollemnem duceret. At ille magna gratulatione cum matutinas laudes juxta præceptum ſibi, ad ſepulcrum ſanctæ virginis devotus exſolveret ; illuceſcente jam die gratia quieſcendi paullulum ad domicilium rediit. Cumque lectulo ſe collocaret & obdormiſſet, adeſt in viſu beata virgo, de ſervitio Deo reverenter expleto grates reddidit ; ſed tamen aliquid fore quod ſibi diſpliceret indicat. At ille, Audio, in„ quit, vocem loquentis ; ſed cui reſpondere debeam non ſcio. Ego ſum, „ ait Vviborada : & in ipſa hora, lætanti vultu & noto antea, ſibi quaſi „ arridentem conſpicit. Cui ait : Quid eſt, domina, quod deliqui ? At „ illa : Altariolum meum, velamine meis manibus, dum in carcere hu-

Engilberti Abbatis conſilio aliorumque ſuaſu.

Anniverſarius virginis dies celebratur.

Viſum de ornatu altaris.

a Floruit poſt NotKerum Balbulum, ſed ante NotKerum Abbatem, NotKerus iſte, *quem pro ſeveritate diſciplinarum Piperis-granum cognominabant*, *Doctor*, *pictor*, *medicus*, teſte Ekkehardo in cap. 9. Vide NotKeri Balbuli Elogium ſuperius ad annum 912. ubi de aliis NotKeris.

AN.CHR. 925 2. Maji. „ jus ſæculi morabar, ſemper coopertum, exſpoliaſti, & aliud pretioſius, quod alterius eſt, ſuperexpandiſti. Surge citius, & nil moratus, „ quod noſtrum eſt reſtitue ſuo loco. Quod ille audiens concitus ſurrexit, & illico præceptum perfecit.

Abſentes etiam ſanati.

37. Hoc etiam ſilentio prætereundum non eſſe utile arbitramur, quod ſancta virgo & martyr, non ſolum ad ſepulchrum ſuum fidelibus advenientibus, & devote illius ſolatium petentibus, medicina ſalubri occurrit; verum etiam his qui procul poſiti ſeu infirmitate, ſeu qualicumque labore detenti, ſi fideliter illius præſtolantur auxilium, divina opitulante clementia aſſiſtere non ceſſat. In pago Frichgovve nuncupato, quem Araris fluvius *a* uno latere præterfluit, & ex altera parte nobiliſſimus fluviorum, Alemanniam penetrans Rhenus inundat, fuit quædam materfamilias, laudabilem vitam ſæculariter ducens, nomine Hiltruda, beatæ Rachildæ Recluſæ germana; quæ ſuperveniente infirmitate tanta corporis moleſtia detinebatur, ut ablata facultate manducandi, bibendi, ambulandi, ſedendi, quidve paullulum in lectulo quieſcendi, extremum halitum vix trahere videretur. Cumque diu tantis laboribus fatigata tabeſceret; tandem ſuperna miſerante clementia, quæ in ſe ſperantes ſalubriter caſtigat ut ſalvet, paullulum reſumpto ægri pectoris ſpiramine, voce qua poterat beatæ virginis implorans auxilium: Beatiſſima, ait, martyr & virgo Chriſti digniſſima Vviborada, ſuccurre mihi miſeræ valde laboranti. Scio enim & credo, quia Dei gratia concedente potes tuis precibus pugnantem in me morbum aliquamdiu relevare, quo membra paullulum diu fatigata quieſcant. Hæc feſſa orando flebiliter, ut poſtea retulit, neque dormiens, neque penitus vigilans, vidit ſibi aſſiſtere ſanctam virginem, & manu tenere hyacintinæ pellis particulam, ſimilitudinem habentis vaginæ qua enſes obduci ſolent; quam etiam ſuper eam jaciens, inquit: Optaſti a „ me ut aliquantulum dormias: quieſce & dormi cum benedictione Domini. Illico ſomni ſuavitate ſalubriter obtenta, dormivit illam noctem & magnam partem ſequentis diei. Deinde evigilans, & circa manentes ob cuſtodiam ſui vocans: Date, inquit, mihi ad maducandum quantocius, ut corpus morbo & fame conſumptum paulliſper recreem, quia nihil mali patior. Dei enim gratia, & dominæ meæ Vviboradæ, liberata ſum ab hac infirmitate. Quæ poſt paullulum corporis viribus pleniter reſumptis, ad monaſterium ſancti Galli properat; moxque viſitato ſanctæ virginis tumulo, ob receptam ſanitatem laudat, & gratias Deo omnipotenti meritiſque illius oblata benedictione, devota perſolvit.

In his Hiltruda Rachildæ ſoror.

38. Poſt obitum Hittonis Presbyter quidam, Eggilbertus nomine, ſæculo renuntians, ad monaſterium venit: ibique ab Abbate benigne ſuſceptus eſt. Hic in monaſterio probabilem ducens vitam, cum omnibus converſatio ejus placuiſſet, ſucceſſor domini Hittonis effectus ab Abbate, ſancti Magni eccleſiam ſuſcepit regendam. Contigit autem poſt paucos annos infirmitate ſuperveniente tantis illum doloribus oculorum cruciari, ut nec requiem habere, nec per ſe quoquam incedere obtenebrato viſu potuiſſet. Cumque in hac infirmitate aliquamdiu laboraſſet, & adhibita medicina nihil profeciſſet; adveniente feſtivitate ſanctæ Agnetis martyris, fide armatus, cellam, qua beatæ virginis & martyris Vviboradæ membra tumulata quieſcunt, ingrediens, ibique ante ſepulcrum proſtratus diu ſupplicem fudit orationem. Tandem voce flebili pia vota conjungens: Domina mea, ait, ſanctiſſima, credo quia apud omnipotentis Dei miſericordiam meæ infirmitati potes implorare remedium. Scias etiam quia ſi in his laboribus, tuis meritis mihi ſuccurrere dignaris, quod omni hebdomada, dum vivo & vires corporis habeo, ad altarium tuo ſepulcro appoſitum

Sacerdos oculis privatus lumen recipit.

a Duplex ejus nominis fluvius, alter apud Sequanos ortus, *la Saone*, in Rhodanum influens Lugduni: alter apud Helvetios, vulgo *Aar* dictus, unde Argovia ditio & oppida Aarvvangem, Aarburgum & *Aaravv*, quibus pervagatis in Rhenum influit. Hos *locorum confuderunt ignari*, inquit Monachus S. Galli in lib. 2. de vita Caroli M. cap. 14.

Digitized by Google

AN.CHR. 925 2. Maji.

tum Miſſam de ſancta Cruce feria ſexta celebrare non deſinam. His votis & orationibus finitis, cum paullulum obdormiſſet, moxque eadem hora evigilaſſet, fugato omni dolore & cæcitate, tantam claritatem oculorum ſibi ſentiebat adeſſe, ut ſe in juvenili ætate clarius videre non poſſe fateretur : ſicque poſt omnibus diebus vitæ ſuæ, ſana & clara oculorum acie perdurans, largitori omnium bonorum, & benevolæ largitrici, quod promiſerat devote & fideliter implere non ceſſat.

Capitis dolor feminæ remittitur.

39. Mulier quædam, Reginſinda nomine, jugi capitis dolore laborabat. Hæc comperta fama de virtutibus ſanctæ virginis, qualiter Domini adſpirante gratia infirmantibus medebatur, in feſtivitate anniverſaria depoſitionis illius ad ſepulchrum venit : ibique cum fletibus devotis precibus inſiſtens, votis ſe conſtrinxit, ſi illius medelam mereretur, quamdiu viveret, diem tranſitus ſui feſtive celebrare. Cumque paullulum obdormiſſet, labente infirmitate ſua receſſit. Iterumque anniverſaria depoſitione natalis ipſius inſiſtente, veſperaſcente jam die, telam habens erectam, uſque ad extremitatem texendi prope perductam, anni præteriti promiſſa reminiſcens, ait in corde ſuo : Laborem operis mei finem adſpiciens cito perficiam, ſicque quod votis promiſeram, dominæ meæ feſtivum diem celebrare non deſinam. Nec mora doloribus capitis, antea ſibi valde notis, ſtimulata cecidit, ſtratumque cauſa hujus infirmitatis veluti oblivioni traditum per vim requiſivit. Sicque magnis cruciata doloribus, tandem reatus ſui pœnam conſiderans, iterato ad ſepulchrum venit : ibique ſe ream & prævaricatricem voti decedentis anni proclamans, vota votis adjungit, preces precibus : ſicque omnem lacrymabiliter emendationem debiti promittens obdormivit. Tunc viſum eſt ei quaſi aliquis veniret, & magnam quantitatem ligni in modum trabis ſuper caput ejus projeciſſet. Mox evigilans, ſedata infirmitate capitis, Deo & ſanctæ virgini gratias agens, propria habitacula lætabunda reviſit.

Eadem ob violatum ſanctæ feſtum iterum vexata.

Pænitens denuo ſanatur.

Udalricus Epiſcopus.

40. Sed ut aliquantum ab ordine temporis digrediamur, dum Craloh *a* Abbas venerandus cœnobio præeſſet, ſanctus Udalricus *b* Epiſcopus (qui nunc felici obitu cum Chriſto gaudet, & fideli devotione poſcentibus opem diverſis neceſſitatibus mirabiliter miſericorditerque accommodat) venit ad monaſterium. Cumque pro ſua conſuetudine loca ſancta circuiret, ad tumulum nutricis quondam ſuæ Vviboradæ oraturus acceſſit. Qui expleta oratione, inter reliquos circumſtantes reſpiciens virum venerabilem, ejuſdem monaſterii monachum & bene doctum, Eggehardum, *c* interrogabat eum dicens : Eſtne aliquid, chariſſime, ab aliquo Fratrum, quos doctiſſimos ſcimus, de præclara ſanctæ virginis vita & paſſione per litteras memoriæ traditum? Cui ille : Nemo, ait, adhuc eorum manum ad hujuſmodi opus inchoandum extendit : de quo tarditatem meam reprehendo, debitorem me ſciens ejus laudis proferendæ, ſi vires ſcientiæ cum quantitate materiæ concordarent. Quod Epiſcopus audiens, avidusque præconiorum ejus audiendorum, requiſivit, quid illud eſſet in quo ſe debitorem aſſeveraret. Et ille, Ægritudinis, inquit, incommoditatem gutta *d* infeſtante, & totum corpus meum contrahente, tantopere incurri, ut inter intolerabiliter ſævientes dolores ſpem recuperandæ ſoſpitatis amitterem : medicis re vera pro levamine languoris aſſiſtentibus, omnemque ſuæ artis induſtriam caſſatam fatentibus. Quapropter quantum humanum deſperabam auxilium, tantum cœpi intentius implorare divinum. Interea dum ſanctorum patrocinia diverſorum votis precibuſque flagitarem, meritis ſanctæ virginis ad memoriam redactis rogavi, ut cilicium quo ſanctos artus

Eggehardum monachum ad ſcribenda S. virginis geſta compellit.

Quod ille recuperata ſanitate emiſſo voto promiſerat.

a De Cralone Abbate EKKehardus Junior in cap. 7. & duobus ſequentibus. Præfuit ab anno 942. ad 958. teſte Hepidanno.

b Auguſtanus ſcilicet, de quo ſupra num. 17. & 18.

c *Eggehardus* etiam dicitur ab EKKehardo Juniori in cap. 9. *EKKehardus* ab Hepidanno in Prologo ſequenti, Decanus ſub Cralone Abbate, ut in Obſervationibus præviis num. 1.

d Gutta apud ſcriptores infimæ latinitatis varia ſignificat, aliquando podagram, unde Gallis *Goutte*. Hydropiſin hoc loco ſignificari teſtis eſt Hepidannus in Prologo, quem mox ſubjiciemus.

Digitized by Google

AN.CHR. 925 2. Maji. tus pro mortificatione carnis attriverat, mihi quamvis indigno apportaretur. Quo impetrato, vovi, ut ſi mihi vitæ incolumitas per merita ſanctæ virginis concederetur, quod ſcirem aut diſcere poſſem de laudandis ejus actibus, ſcripto memoriæ commendaturum. Cumque poſt illam ſponſionem ſanctum illud ſanctæ virginis indumentum mihi aliquoties ſuperextenderetur, illico cœpi lenius habere, ac deinde non multis diebus exactis plena ſoſpitate convalui: ſed adhuc diverſis obſtaculorum occaſionibus impeditus, votum ſolvere ceſſavi. Sanctus Antiſtes hoc audiens, modeſtis eum increpationibus hortabatur, ne ſe infidelem ſponſorem exhiberet; ſed in quod aliquamdiu neglexerat, citius aggrederetur perficere. Cujus ſalubria monita ille humiliter audiens, & in nullo dubitans, multa eorum quæ a diverſis perſonis audivit, ut propoſuerat, ſcribere inchoavit, & pleraque ſcribendo comprehendit. Notum ſit omnibus Chriſtum amantibus, quia ea quæ dictavimus, in veritate comperta, fidelium anteceſſorum relatione conſcripſimus. Teſtantur etiam hoc plurimi, & noſtris adhuc temporibus, variis infirmitatibus preſſi, id eſt frigoretici, capitis ægritudine, dentium dolore, aurium, oculorum, manuum, pedum, omniumque membrorum, qui ad ſepulchrum beatæ virginis medelam recuperationis experiuntur, præſtante Domino noſtro Jeſu-Chriſto, qui cum Deo Patre & Spiritu-ſancto vivit & regnat Deus, per infinita ſæcula ſæculorum, amen.

EPITAPHIUM BEATÆ WIBORADÆ.

Filius Altithroni poſtquam reſplenduit orbi,
Chriſtus in hoc mundo Virgine natus homo;
Annis nongentis viginti quinque [a] volutis,
Poſt quatuor menſes bis quatuorque dies,
Wiborada Deo meritis digniſſima virgo,
Palma martyrii ſcandit ad aſtra poli.
Illa hic ſponte ſua moribundo corpore clauſa,
Viſibus humanis abdita & alloquiis:
Cœlebs, cæleſti ſponſo ſed cognita ſoli,
Afflatu angelico paſcitur atque cibo.
Hac parſimonia duravit tempora multa,
Semper ut inſtantem mortis itura diem.
Demum a paganis Maji tunc paſſa Kalendis,
Mane ſequente obiit, mane perenne petit.
Cujus amore ſacro curamus membra ſepulchro,
Debita ſolventes fundimus atque preces.
Ejus at exſultans, victrici & dote coruſcans
Spiritus in cælo vivit, ovatque Deo.

FRAGMENTA EX HEPIDANNO de eadem S. Wiborada.

PROLOGUS AUCTORIS.

Apologia & cauſa novæ ſcriptionis. SOlet plerumque modernis ſcriptoribus a patribus vitio deputari, traditiones antiquorum ſcriptis vel factis ab eis mutari, ea videlicet objectione, quod quaſi illorum virtutibus calcatis, ſuis nihil probabilius velint æſtimari. Sed eorum reverendam canitiem ab hujuſmodi ſuſpicione oportet alienam conſpici, quidquam ab eis reprehendi, non quia craſſe compoſitum, illepideque putetur, ſed quia nuper: vel quia nil rectum, niſi

[a] Eumdem annum ſignant Hepidannus & Hermannus Contractus. Quod addit Epitaphii ſcriptor quatuor menſes & octo dies, cum Maji die 2. Wiborada obierit, anni initium a Natali Chriſti cenſendum eſt, priſco more.

Digitized by Google

niſi quod placuit ſibi, ducunt; vel quia turpe putant parere minoribus, & quæ imberbes didicere, ſenes perdenda fateri. AN.CHR. 925 2. Maji.

Non equidem inſector, delendaque carmina Livi
Eſſe reor. Horat. lib. 2. epiſt. 1.

Cum enim legerim aliquem priorum Deum oraſſe, quo dignaretur alicujus ſpiritum ſuſcitare, qui virginem ſuam Vviboradam, tot virtutibus decoram, venuſtiori ſtylo faceret ſaporam; quid dicam poſteros optaſſe? cum aliqui eorum, ſi temporalis vitæ dilatio illorum votis reſponderet, hoc opus voluiſſent attentare. Tamen numquam in animum induxi tale quid aggredi, tum conſiderans ruſticitatem mei ingenii, tum ne putarer meo ſtudio mihi ad favorem, patrum negligentiam velle denotare. Hæc denotatio duobus modis evenire ſolet, cum vel quilibet arrogans injuſſus præſumit ſuſcitare dormitantem Homerum; vel cum Tucca & Varo quis obediens, prævento morte Virgilio, tantum ſuperflua ſtudet præcidere. Ad illud provocat arrogantia; ad iſtud cogit obedientia. Obedientia, ut noſtis chariſſimi, nobis eſt neceſſaria, ſi perfectæ libertatis cupimus adipiſci compendia. Hæc enim quamvis omni humanæ creaturæ, ut Apoſtolus hortatur, ſit exhibenda propter Deum; ſpecialius tamen ad illos reſpicit, ſub quorum regimine in cœnobiis degentes, diſtricto Judici rationem de noſtris exceſſibus reddituros pro certo ſcimus; illorumque excuſationem, noſtram fore damnationem. Ad quod regimen tu venerabilis Pater Udalrice, anno milleſimo ſeptuageſimo ſecundo Incarnationis Domini, ejus mira diſpenſatione vocatus, cum bonæ memoriæ Abbatis tui Nortperti, tunc triginta & octo *a* annis ſuper ovile ſancti Galli vigilantis, non ſolum amabili præceptione, verum etiam communi Fratrum electione ſucceſſor effectus, prout complacuit tuæ paternitati, onus injunxiſti, quod prius exhorrui imponere meæ parvitati: nempe ut vitam memoratæ virginis interdum propter diverſorum ſimplicitatem ſcriptorum ſuperfluitate verborum, quaſi quibuſdam foliis, exuberantem, falce ſtrictioris eloquii præcidere ſtuderem. At ego quamquam in hac obedientia me ſcirem onus importabile debilibus aptare humeris; tamen non exacui linguam verbis contradictionis: eligens mihi ſatius eſſe ſub præceptorum tuorum faſce deficere, quam eis repugnando titulum inobedientiæ incurrere. Exemplum etiam cum grammatico proponere placuit, ne pigeat alios, etiam a me vel ignorantia forte prætermiſſa, vel vitioſe dicta, (nihil enim ex omni parte perfectum in humanis credo eſſe inventionibus poſſe) ſua quoque induſtria vel addere, vel mutare. anno 1072.

Sed antequam mihi alligatum onus ad aptandum moveam, operæ pretium eſſe duco, breviter in medium proferre, per quos præclara geſta hujus virginis poſteris primitus innotuerint: ut cum aperietur me non hujus relationis eſſe novum auctorem, ſed potius auctorum ſequacem, nullus vitium falſitatis adnotet meæ paginæ. Tempore igitur quo venerabilis Gralo congregationem ſancti Galli rexit, fuit in ea quidam frater, nomine Ekkehardus, totus ex ſapientia virtutibuſque factus. Is cum quodam tempore hydrope ad extrema deductus eſſet, vovit beatæ Vviboradæ, omnia quæ de ejus ſanctitate poſſet comperire litteris ſe traditurum, ſi ei ad præſens dignaretur a Deo aliquod impetrare remedium. Illico venit ei in animum, ut ſibi poſtularet afferri martyris cilicium, illudque ſuper aqualenta extenderet membra. Quod cum factum fuiſſet, confeſtim ſenſit ſe aliquid melius habere, ac deinde non multis diebus exactis ad plenum convaluit. Tunc memor ſponſionis ſuæ convenit Kebeni, quæ beatæ virgini ab ipſis incunabulis uſque ad mortis articulum obſecundavit, indicans ei quali voto ſe obligavit, quodque ſequenti die ad eam venturus foret, ut de hoc themate plenius ab ea informaretur. Quæ vehementer

Ekkehardo vitæ ſcribendæ occaſio.

a Immo triginta duos ex Annalibus ejuſdem Hepidanni, qui Nortpertum Thietpaldo Abbati ait ſucceſſiſſe anno 1040.

AN.CHR. 925 2. Maji. ter in verbis ejus admirans, non minus etiam cœpit admirari, quia ea de quibus interroganda erat, jamdudum lethæus abſorbuerat morbus. Ad ultimum ſuaſu cujuſdam ſacerdotis ad tumbam dominæ ſuæ oratura proſternitur, ut qui incenſam a Chaldæis legem per Eſdram voluit reparare, ipſe etiam martyris ſuæ merita, quantum ad hominum memoriam abolita, per eam dignaretur declarare. Poſtquam hujuſcemodi exaggeravit preces, ſurrexit, atque baſilicam non minori anxietate egreditur, quam etiam ingreſſa eſt. Erat enim ignara quam in proximo eſſet ejus conſolatio. Nocte vero inſequenti, cum ſe ſopori dediſſet, viſum eſt ei locum orationis repetere, atque beatam virginem pittacium aureis conſcriptum literis ſibi oſtendere, hac voce ſubjuncta: Utere cupitis. Mox expergefacta, omni fragilitate oblivionis propulſa, ita perfecte cœpit memoriæ viribus uti, ut luce reverſa non ſolum nihil ſollicita eſſet quid ſupradicto fratri reſponderet, verum etiam ultranea fieret invitatrix, eique deſideratum thema, a primordio uſque ad acceptum cum palma martyrii bravium, promulgaret. Quod ille imis reponens ſenſibus, cum ferventi opera, recte proclamavit cum Pſalmiſta: *In me ſunt Deus vota tua, quæ reddam laudationes tibi, quoniam eripuiſti me de morte.* (Pſal. 55. 12.) Sed cum hæc vota ex parte redderet, heu! dira morte præventus, multos ſui propoſiti habuit hæredes: qui (quoniam diverſi diverſa ſapiunt) interdum minus neceſſaria neceſſariis miſcuerunt. (Alii ſcriptores.) Horum ego inſiſtens veſtigiis, ſtudui ea quæ mihi digna memoria videbantur, ad hujus virginis ſanctitatem comprobandam, ſtrictim colligere, non illis ad opprobrium, ſed quod verius eſt, præcipue tibi ad obediendum, ut prædictum eſt, Pater reverendiſſime.

VITA INCIPIT.

Beata Dei virgo Vviborada, ex Alamannorum proſapia oriunda, a parentibus ſecundum ſæculi dignitatem non infimis, ſecundum Chriſtianam autem libertatem nobiliſſimis, originem duxit, &c.

(ex num. 2. & 12. Vviborada calumniam a famula patitur.) Iniquus autem vindicator imaginis Dei, fremens ſe ex alieno mancipio a beata Vviborada expulſum, zelo ultionis in ipſam armatur. Itaque cum jam cognoviſſet per diverſos terrores a ſe illatos frequentiam orationum non rareſcere, niſus eſt eamdem frequentiam macula infamiæ obvolvere, concitans adverſus eam quamdam ex ipſius ancillis, quæ affirmaret, eam non cauſa orationis clam per ſingulas noctes ſurgere, ſed potius ut nefaria quæ ſub ſole erubuiſſet agere, nocturna freta caligine ſecurius perageret; & hoc verbum quod iret oratum, quaſi deaurationem eſſe ejus ſcelerum, quæ & cum tam multis exercuiſſet, ut ſibi videretur impoſſibile eos calculo comprehendere: ſuper his autem tacendum eſſe, ſi immunis exiſteret fraterni concubitus. Hæc illa circumquaque inceſſabiliter latrante, & quibuſdam ficta eſſe dicentibus, aliis vero humanam fragilitatem culpantibus, pervenit fama ad aures Salomonis Conſtantienſis Epiſcopi. Quid opus eſt verbis? Siſtitur Præſuli vice mœchæ ſponſa Chriſti; criminatur pro innumero adulterio.... Negantur a virgine affirmata a meretrice. Epiſcopus autem ſtatuit ei diem, in qua de ſibi objectis, cum Dei judicio dubitanti populo fidem faceret.... Conveniente autem cum Epiſcopo ad præfinitum diem copioſa multitudine, omnipotens Deus omnibus ita liquido ejus innocentiam comprobavit, ut incredibili lætitia tripudiantes illi geminarent grates, & quod in ea innocentiam conſervavit, & eamdem diffamatam infamia diſcalceavit. Cumque ei a Præſule daretur optio, quali pœna plecteretur inficiatrix, reſpondit: Deo vindictam, ipſe ei retribuet. His tranſactis infelix ſerva, ſciens finem eſſe ſuis mendaciis apud ſcios virginis innocentiæ, pergens ultra lacum Potamicum, facta eſt & ibi plena rimarum, omnibus ubique, ut turpiſſima potuit, de illa loquens. Atque ut ejus ficta credibiliora viderentur, ſolita erat ſub-

Digitized by Google

ſubinferre, ſe a Vviborada ob aliam cauſam non eſſe expulſam, niſi ut ab ejus increpationibus pro illicitis quieta foret. Sed Deus omnipotens, ſibi deputatam vindictam non diu differens, ſicut prius per judicium comprobavit virginis innocentiam, ita etiam poſtea manifeſtavit per inficiatricis amentiam. Nam cuidam malefico ſpe felicis conjugii ſe ſupponens, non poſt multum temporis cœpit diabolizare: & ita vagata eſt circumquaque, donec in nimiam pauperiem delapſa eſt, & ſic de morte tranſmigravit in mortem. AN. CHR. 925 2. Maji.

Prædictus igitur Conſtantienſis Præſul, poſt agnitionem innocentiæ beatæ Vviboradæ, ampliori dilectione jucundior factus eſt erga illam, in tantum ut etiam ſollicitus ſæculares tumultus ei impedimento fore ad Dei ſervitium, eam alicubi congregationi Sanctimonialium inſerere cogitaret, ubi poſſet ſine intermiſſione orare: atque hujus rei gratia directis miniſtris ſuis, cum equitatu præciperet eam ad ſe perduci. Quibus illa hoſpitium & cetera neceſſaria benigne contulit, atque ſequenti die faciens eos cum equitatu remeare, comitantibus duabus ancillis (Kebinina & Berterada) pedes Conſtantiam pervenit: quam Epiſcopus honorifice ſuſceptam, improperabat ei aliquantulum ſpreviſſe equitatum. Data autem manſiuncula prope baſilicam, Præſul accerſitis duabus quas prædixi puellis, exquiſivit ab eis, quid in alimentis percipere ſolita eſſet. Illæ vero, ut præmonitæ erant, reſponderunt, dominam ſuam a nullis comeſtionibus abſtinere, quibus Chriſtiano homini uti licuiſſet. Quod ille laudans .... omnia, quibus indigebat, ſufficienter dari præcepit. At illa ſolito more corpus jejuniis afficiens, ea quæ ſibi ad victum dabantur, pæne omnia diſpergens dedit pauperibus, vix ſecunda ſeu tertia die ad veſperum parum quid panis & aquæ deguſtans. ex num. 13 Conſtantiam ſecedit.

Eodem tempore fuit ibi quædam incluſa, nomine Cilia, corpore non mente incluſa, quia nondum in ſe mortificavit philargyriam, quæ eſt radix omnium malorum. Quam expetens beata virgo, atque ſpiritualem matrem exiſtimans, petivit ut de bono theſauro cordis ſui dignaretur eructare verbum bonum: cujus petitionem non ſolum promiſſionis verba ſunt ſecuta, verum etiam quadam die iterum adeſt ultro vocata, promiſſionis ſolutione gaviſura. At illa aperta feneſtella, poſt mutuam ſalutationem infit: Incedis, ſoror cara, forinſecus in veſtimento ovium; ſed noſtrum eſt, ut ait Apoſtolus, probare ſpiritum ſi ex Deo ſit, antequam tibi ad exemplum nudentur ſecreta noſtræ converſationis. Obedientia ſine mora primus gradus humilitatis eſt, & ſine hac nemo poteſt Deo digne ſervire: nam & victimis præfertur. Per hujus impoſitionem in primis te volo probare. Et proferens loculum cum nummis dixit: Accipe, ſoror, hos nummos, quos mihi ad eleemoſynam a multis oblatos uſque huc ſervavi, & hic divitibus urbanis mutuum da ad tempus, quando eos recipias cum uſura. At illa valde obſtupeſcens, inquit: Tale præceptum interrogans Propheta ſuper perfectione habitantium in tabernaculo Dei non accepit, aut requieſcentium in monte ſancto ejus. Apoſtolus quoque uſurariis, ſive dicam avaris (avaritia enim eſt ſtudium pecuniæ) minatur, ut audio, non eſſe partem in regno Chriſti & Dei, hoſque non ſemel nominat ſervitores idolorum: quorum conſortium longe ſit a me. Etiam incautum foret me hoc aggredi, cum neſciam de tot talentis ſemis ſeclas *, vel obolos obſervare: hujuſmodi enim negotium numquam geſſi, &c. His dictis fecerunt diſcidium. ex num. 14. Recluſæ inſtituendam ſe tradit. Sed uſuræ odio diſceſſit ab ea,

* Gold. dimidium ſicli.

At Cilia invidioſe tumens contra virginem propter ejus inobedientiam, ſimul verita ſibi decreſcere quæſtum, ſi ibi diutius moraretur; demandavit Epiſcopo quod vellet cum illo ſecrete verba miſcere. Quo veniente, poſtquam remotis ceteris multa perfide quaſi fideliter de virgine locuta eſt, etiam hanc ſententiam ſubintulit: Compertam habeo veſtram ſpiritualem voluntatem circa eamdem puellam, quod eam, ſi vobis occaſio ex num. 15.

AN.CHR. 925 1. Maji. ſio detur, vultis inferre alicubi choro ſanctimonialium, quatenus tuta a mundi fluctuatione, liberius in Dei ſervitio poſſit durare. Ad hoc etiam reſcitum habeo veſtrum iter Linthaugiam *a*. Eo loci, ſi vos non alias trahit voluntas, conſiliarer ejus inſertionem: tum quod converſatio ibi valde ſpiritualis eſt: tum quod promptior ei illic pateret ingreſſus, ubi omnia veſtro nutui patebunt. Præſul autem hæc omnia de radice dilectionis procedere autumans, lætus effectus eſt. Et præcipiens ratem armare, miſit quemdam de ſuis ſervientibus beatæ virgini intimandum, ut ſibi ad navim eunti expedita foret ad navigandum ſecum ad prædictam inſulam. Sed illa, antequam epiſcopalis legatio veniſſet, ingreſſa baſilicam, oratura proſternitur coram quodam altari in honorem ſancti Galli conſecrato: & ſicut fuit voluntas Dei, inter preces obdormivit; & vidit oraculum, necnon ſomnium, beatum virum ſibi vas ſanguinolentum porrigentem, multis ſpurcitiis plenum, dicentemque ſibi: Si ad locum, ad quem Epiſcopus te ducere cupit, perveneris, hunc ſordidum victum manducabis; & ſanguine Kerbirgæ *b* recluſæ ibi inebriaberis. Cumque evigilaſſet, & ſecum miraretur de ſomnio, offendit eam legatus in admiratione. Qui cum depoſuiſſet ei mandata Præſulis, non reſpondit ei nec ad unum verbum; ſed dimiſit illum abire ſine affatu. Super quæ admirans Epiſcopus cum didiciſſet, miſit alium, & iterum alium, virgine in eadem taciturnitate permanente. Epiſcopus autem continuo cogitans ei aliquid revelatum eſſe, navigationem ſuam peregit, & ad urbem Deo gubernante ipſa die proſpere rediit. Cumque ad cœnam recumberet, non eſt oblitus conſuetudinis, ſed omnia neceſſaria in cibis & potibus venerabili puellæ direxit, Cilia jam tum penitus oblivioni tradita. Nam ejus res exinde ita retro cœperant vergere, ut poſt aliqua annorum curricula, pelle ejus ſimulatæ ſanctitatis detracta, etiam de clauſula eliminaretur, procul dubio nutu Dei, nolentis ſcilicet ſe a ſuis fidelibus diutius in idolorum ſervitute glorificari.

Linthaugiam ire cælitus diſſuaderetur.

Quæ hic inſeruntur de Alarico eremita in inſula Ufnaugia ad Turicinum lacum, qui Alaricus cæleſti monitu Vviboradæ præcepit, ut nimiæ auſteritati modum imponeret, inferius referemus ad annum 958. *ubi de Eberhardo Abbate.*

ex num. 26. Quædam mœcha genitrix effecta, adjecit peccatum ſuper peccatum, infantem quem ex adulterio conceptum peperit, in vivarium demergens. Sed Deus omnipotens, quem magis delectat noſtra converſio quam perditio, voluit hoc ſcelus ei ad ſalutem manifeſtari. Itaque plebs fidelium contra tale nefas zelo juſtitiæ armata, decrevit eam ad ſtipitem ligatam cute privari... ad hoc etiam decretum eſt, ut circulum anni clauderet, omnibus feſtivis diebus paſſis crinibus pedibuſque nudis in atrio ſancti Magni ſtando: ut qui ejus ſceleris conſcii contriſtabantur, illius pænitentiam videntes conſolarentur. Poſtquam autem circulum anni in tali pænitentia fideliter perſiſtendo clauſit, recogitans immanitatem reatus ſui, eadem pænitentia ſponte ſua tamdiu ſe adhuc obligavit, donec beata Vviborada eam ad ſe vocavit, frœnaque afflictionis jam laxanda eſſe indicavit, puerum in refrigerio eſſe. Poſtquam Vviborada meretricem pœnis afflictionis abſolvit, catenam cautelæ ei innexuit, admonens eam, ut in poſterum de tam nefandis ſceleribus ſe cuſtodiret, ne ei noviſſima pejora fierent prioribus. Ergo ejus admonitionibus admodum ædificata, in ſanctitate & juſtitia deinceps ſervire Deo ſtuduit omnibus diebus vitæ ſuæ.

ex num. 27. Rachilda ſanatur. Quædam prænobilis puella, nomine Rachilda, quæ etiam virginitate ſua Deo dicata, in ejus obſequio jugiter perſeverabat, frigoretico morbo non

a Linthaugia ſeu Lindavia, *Lindavv*, urbs imperialis in inſula lacus Bodanici ſeu Brigantini, ubi nobile cœnobium modo Canonicarum. Hepidanni Annales ad annum 948. *Lintaugia concremata eſt Nonis Junii.*

b Erat hæc proinde recluſa in eodem cœnobio.

Digitized by Google

non modice vexabatur. Quam cum parentes ejus Romam deferre vellent, ſpe recipiendæ ſoſpitatis; demandavit ei beata Wiborada ut ſi vellet ſanitatem recuperare, quantocius ad eam veniret...... At illa hac legatione gaviſa, implevit ſibi demandata. Poſtquam autem ventum eſt ad oſcula, ſancta Wiborada infit: Benedictus Dominus, qui te diu deſideratam huc tranſmiſit, ſibi ad ſervitium, & nobis ad ſolatium. Poſtea inibi morata, infra paucos dies non ex parte ſanitatem recepit: atque cuncta quæ ſpiritualis Mater eam docuit, non ſolum in tabulis cordis notavit; ſed etiam, ut ita dicam, ſupra ſuum poſſe omnia perfecit. AN.CHR. 925 2. Maij

Iiſdem diebus BURCHARDO Duce Alemannorum bella gerente, populis etiam inter ſe diſſidentibus propter Saxonicum HEINRICUM Regem factum, cum militaris populatio gravem penuriam terris inferret, parentes beatæ Rachildæ, metuentes eam ibi fame cruciari, voluerunt eam repatriare. Cumque ſe præſentarent beatæ Vviboradæ, cauſa petendæ licentiæ; dixit eis, ſuper hac re non tunc ſibi eſſe reſpondendum, ſed irent ad hoſpitia, & in craſtinum convenirent eam. Fecerunt ergo juxta verbum ejus; & dictum eſt illis ut cum gaudio ad ſua remearent, Dei prædeſtinationem eſſe, filiam ibi ſubſiſtere. Monſtrabatur illis etiam locus, qui ei a Domino ad clauſulam deſtinatus eſſe dicebatur. Igitur illius præſagio non diſcredentes, iter arripiunt. Nec longum tempus evolutum eſt inter parentum abſceſſionem, & filiæ incluſionem in eodem locello, quo ſancta virgo præmonſtraverat. Poſtea reclusa.

Sæpe memorata virgo Rachilda quodam tempore ægrotabat, & ex nimia infirmitate, in deſperatione vitæ præſentis jacuit. Sancta vero Vviborada, corrogata una ex domeſticis, tradidit ei baculum ſuum, & hujuſcemodi mandata: Defer illum ſpirituali filiæ meæ, & dic ei ut tripedem imitans ſenectutem veniat ad me. Cumque miniſtra exſequeretur præcepta dominæ, beata Rachilda extenſa manu ſuſcepit baculum, atque in ipſa ſuſceptione convaluit; confeſtimque ſurgens, beatæ Vviboradæ præſentavit, &c.

EX HEPIDANNI LIBRO II.

DE MIRACULIS S. VVIBORADÆ.

SOror erat huic beatæ Martyri, nomine VVILLIDRUDA, triceſimum poſſidens gradum (ſcilicet conjugii.) Hæc cum haberet natam, rogabatur a virgine ſorore, ut hanc permitteret aliquot dies ſecum morari: qua permittente, cum apud materteram paucos exegiſſet ſoles, infirmata mortis debitum ſolvit. Mater autem poſt aliquot annorum curricula, morte intercedente ſoluta a lege viri, cœpit frequentare tumulum martyrizatæ ſororis: ibique divinis laudibus ſe occupans, in gradu ſexageſimo (viduitatis) a morte inventa eſt. Huic autem in corpore degenti quodam matutino crepuſculo prædicta filia ejus hilari vultu apparens.... Surge, inquit, & dic avunculo meo (Hittoni,) quod domina mea Vviborada ægre feret, ejus theſaurum illius neglientia tamdiu celari..... Nec mora ſurgitur a Sacerdote, atque una locum ſepulcri virginis adeuntes, viderunt illius pectinem ſine appendiculo ab aere ſuſtentari, &c. ex num. 4. Willidruda ſoror Wiboradæ. Pecten inventus.

Per id temporis ægrotabat, atque tanta detinebatur infirmitate, quod pæne tres continuas noctes dieſque quaſi exanimis jacuit. Tertia vero nocte circa pullorum cantum, paullulum reſumto ſpiritu, cœpit implorare Martyris auxilium. Exaudivit ergo mater ſpiritualis vocem filiæ laborantis, &c. ex num. 6.

Opere pretium eſſe duximus & hoc paginæ commendare, qualiter omnipotens Deus has ſanctas virgines prius in ergaſtulis, in quibus ſe pro ejus amore incluſerant, tumulatas, baſilicæ ſancti Magni intromitti revelare dignatus eſt. Quadam igitur nocte ſæpedictæ Kebininæ viſum eſt per ſomnium quidam juvenis adſpectu decorus, trahens rhedam geminis rotis com- ex num. 15 SS. Wiboradæ & Rachildæ translatio.

AN.CHR. 925 1. Maji. poſitam, quadam cerea materia (ut ei viſum eſt) oneratam. Cumque illa interrogaret qua de cauſa veniret, vel quid ex hac materia facere vellet; *Miſſus ſum*, ait, *ut harum ſanctarum virginum ſepulcra muro interrupto baſilicæ intromittam.* Poſt hanc igitur viſionem aliquot diebus exactis Gralo, qui id temporis cœnobio ſancti Galli præerat, in animum induxit (credo divina inſpiratione) viſionem ancillæ factis exſequi. Tunc proſtratus ad memoriam virginum, devotis precibus illarum voluntatem & adjutorium cœpit implorare, ut is cujus voluntas opus eſt, patrandum opus dignaretur adſpirando prævenire, & adjuvando proſequi. Poſtquam hæc & ſimilia virgineis auribus humiliter inſtillavit, ſurrexit, convenienſque ancillam quam prædixi, enucleavit illi arcana voluntatis ſuæ. His illa auditis, retulit ei econtra ſomnium quod viderat: ſicque factum eſt ut fide veniente ab utroque, ad utrumque duo certa fugarent dubium ab opere patrando. Extemplo vocantur cæmentarii; opuſque in divina providentia perfectum, humanis ſtudiis traditur perficiendum. Jam tum fervente opere contigit, ut quoddam immane ſaxum ab eiſdem artificibus levatum incaute, ſed incautius relictum, uni ex illis in pedem cecidiſſet, graviterque collideret: qui a ſociis ad diverſorium delatus juſſit cereum parari, eumque ad ſepulcrum beatæ Vviboradæ accendi: quod cum factum fuiſſet, meritis beatæ martyris id obtinentibus, ſequenti die cum ceteris cæmentariis ſoſpes & lætus ad opus inceptum mature venit.

AN.CHR. 927 13 Januar.

B. BERNONIS ABBATIS

ELOGIUM HISTORICUM,

I. Bernonis natales, monachatus, Abbatialis dignitas.

1. *DUÆ ſunt res quæ Bernonem maxime illuſtrem reddunt, nempe conditio celeberrimi monaſterii Cluniacenſis, & inſtitutio ſancti Odonis, ampliſſimæ Cluniacenſis Congregationis (Ordinem vocant) auctoris. Sed illud magnopere dolendum, quod nemo veterum tanti viri geſta in commentarios retulerit: adeo ut ſola nobis reſtent ejus vitæ fragmenta, quæ variis locis data occaſione ab auctoribus relicta ſunt. Ea in unum veluti corpus redegerunt collector Bibliothecæ Cluniacenſis, & Joannes Bollandus in tomo 1. Januarii: nos eadem veſtigia relegentes, ſi qua ab ipſis prætermiſſa ſunt, accurate recolligere ſatagemus.*

2. *Atque ut a Bernonis genere ordiamur, inania de eo ſunt Paradini & Golluti figmenta, quæ nec referri merentur. Illud probabilius, quod Sigebertus in Chronico, aliique poſt eum, Bernonem* ex Comite Abbatem *dicunt. Illuſtriſſimus Cardinalis Baronius ad annum 912. Hincmari Remenſis, & Æneæ Pariſienſis Epiſcoporum litteras retulit de quodam Bernone, quem* Fratres de monaſterio ſancti Dionyſii per licentiam Domni Abbatis Hludovici ad educandum atque erudiendum commiſerant *Hincmaro: & quem Æneas Acolythum ordinaverat, Baronius hunc eſſe Bernonem noſtrum opinatur. At diverſus plane cenſendus eſt ex eo, quod is ex parochia erat Æneæ, noſter ex Burgundia Jurenſi.* Hunc e Comitibus Burgundiæ *oriundum ait Franciſcus de Rivo in Chronico Cluniacenſi. Forſan ejus pater fuerit* AUDO *Comes, qui in fundo ſuo ad Ararim* corpus ſancti Mauri, tempore Nortmannorum iſtuc delatum, excepit. Tempus ſane locuſque bene congruunt.* LAIFINUM conſobrinum *habuit Berno, ut patet ex litteris* Formoſi *Papæ, infra.* Conſanguineum *agnoſcit ipſe* WIDONEM, *quem in Balmenſi cœnobio ſucceſſorem teſtamento ſuo deſignat.* Nepotem *Franciſcus de Rivo interpretatur. Nec plura de Bernonis parentibus reperire licuit. Illud pro comperto habemus, Bernonem fuiſſe ex primoribus Burgundionum Sequanorum, apud quos Gigniacenſe monaſterium ex propriis conſtruxit, ut mox videbimus.*

* la Saone vide Sæc. 4. part 2. pag. 182.

3. Quo

3. *Quo in loco monaſticam vitam amplexus ſit, tradit auctor (ſi tamen non fallit) qui de vita ſancti Hugonis monachi Æduenſis ſcripſit, nempe in Æduenſi ſancti Martini cœnobio. Balmenſe regebat Berno, cum iſtuc Odo Adhegrinuſque deverterunt anno 909. Gigniacenſi itidem eodem tempore præerat. Neque enim tum vigebat lex a Patribus ſancita in Concilio Agathenſi anno 506. ne* unus Abbas duobus monaſteriis præſideret. *Contrarium morem induxerat in quibuſdam virtus ac probitas, in aliis cupiditas. Acceſſerat ipſo Bernonis ævo alia ratio, nempe idea Congregationis, quam Benedictus Abbas Anianenſis efformaverat, & ipſe variis Abbatiis præfectus. Iiſdem veſtigiis inſiſtens Berno, Balmenſi, Gigniacenſi, Æthicenſi, Dolenſi, ac Maſciacenſi ſimul præfuit, ac demum Cluniacenſi; ne quid dicam de Cella ſancti Lauteni, quæ eidem tum parebat. Quamquam hæc monaſteria ſub Bernone potius ex genere earum Cellarum erant, quæ principibus cœnobiis parere tum mos erat: tametſi id etiam prohibet Concilium Veneticum canone 8. totidemque verbis Agathenſe canone* 38. Abbatibus quoque ſingulis diverſas Cellas aut plura Monaſteria habere non liceat, niſi tantum propter incurſum hoſtilitatis intra muros receptacula collocare. *Verum alia conſuetudo Bernonis tempore ob jam dictas rationes obtinebat. Intereſt autem hic agere de ſingulis quæ Berno rexit monaſteriis; atque inquirendum, an ea per Bernonem, an ante eum condita fuerint. Fallit Chronographus Cluniacenſis, qui Bernonem refert ordinatum Abbatem a Gedeone Veſontionenſi Epiſcopo, quem Carolo M. imperante vixiſſe conſtat. Et tamen Chronologus iſte vivebat Odilone Abbate, idemque Odilonis juſſu chartas Cluniacenſes in unum redegit codicem, in quo ejus Chronicon legimus.* AN.CHR. 927 13. Januar.

II. Balmenſis monaſterii primordia, ejuſque ſtatus ſub Bernone Abbate.

4. P*Ræter Prioratum de Balmis, qui Prioratui de Paterniaco diæceſis Lauſanenſis ſub Balmenſi Abbatia ſubjectus eſt, ut patet ex Bibliotheca Cluniacenſi col. 1744. triplex fuit quondam apud Burgundiones Sequanos monaſterium Balmenſe, unum virorum, puellarum duplex. Puellare primum ſæculo 5. conditum eſt a ſancto Romano Abbate in Jurenſibus locis. Situm ejus conditumque deſcribit auctor anonymus antiquiſſimus, qui de vita ſancti Romani Abbatis Condatiſcenſis libellum compoſuit ſæculo 6. qualis exſtat apud Bollandum in Februarii tomo 3. ubi legitur, pag. 743. num. 9. Romanum prope Lauconenſe virorum cænobium, erexiſſe parthenona* in rupe valde edita, quæ ſuperjacet naturali ſaxo, prominente quoque cingulo, quod cavernas ſpatioſiſſimas intus abdebat; *ibique ſororem ſuam inſtituiſſe virginum Matrem, quæ* centum quinque monachas *illic rexit cum tanta diſtrictione*, ut quæcumque virginum illic cauſa abrenuntiationis intraſſet, foris non videretur ulterius, niſi extrema tranſitus cauſa deportaretur ad cœmeterium. *Ubi obiter adverte, virginum cœmeterium extra clauſtri ambitum fuiſſe contentum: quod etiam de ſanctæ Cæſariæ cœnobio Arelatenſi, aliiſque legimus. Addit vitæ ſancti Romani ſcriptor rem notatu dignam, nempe* cum in vicino Lauconnenſi monaſterio mater fortaſſis filium, vel germana fratrem haberet; ſic neuter alteri, aut viſo, aut nuntio verſari noſcebatur in corpore, ut putaret uterque alterum jam ſepultum: ne paullatim genuinæ recordationis gratia, mollicie quadam vincula profeſſionis diſrumperet. *Iſtic ſepultura donatus eſt Romanus Abbas, in cujus Actis hæc leguntur.*

5. *Aliud puellarum cœnobium etiam nunc ſitum eſt ad Dubim* fluvium, Veſontionem inter & Montem-Belicardum*, ubi ſanctam Odiliam virginem, poſtmodum Abbatiſſam, fuiſſe educatam intelligimus ex ipſius actis, quæ exſtant in Appendice Sæculi tertii. De hoc parthenone agens Odo Abbas in lib. 3. Collationum cap. 21.* Duæ Sanctimoniales, *inquit*, de monaſterio puellarum, quod juxta noſtrum Balma ſitum eſt, ante hoc triennium ad ſæcularem vitam regreſſæ ſunt, &c. *Inter hujus parthenonis Sanctimoniales & Odilonem Abbatem Cluniacenſem contentio quædam olim exorta eſt, ut legitur in autographo Cluniaci aſſervato, in quo ſanctus Odilo præfatur hoc modo.* Ego ODILO Cluniacenſis monaſterii Presbyter & monachus,

* le Doux.
* Montbeliard.

Digitized by Google

AN.CHR. 927 13. Jan. chus, & Dominus Rotbertus ejuſdem loci præpoſitus, notum eſſe volumus, contentionem cum ratione & pace inter nos & Abbatiſſam monaſterii de Balma Elizabeth fuiſſe pro prædiolo juxta villam Givriacum. Ob id ſimul dicta Abbatiſſa, & plures Dei ancillæ cum illa, & nos ad ſupra dictum locum convenimus, ubi præſentes fuerunt venerabiles Abbates Domnus Allenardus, Domnus Guidricus, Domnus Otgerius, &c. *qui rem compoſuere. Charta hæc caret chronicis notis. Hodie quoque cœnobium iſtud ſuperſtat,* Baume les Nonnes *appellatum.*

6. *Tertium denique Balmenſe monaſterium virorum itidem apud Sequanos viſitur,* ubi fluvius Salliæ ſurgit, *ut in litteris Rodulfi Regis legitur, haud ita procul a Ledone* oppido Sequanorum, ſeptem fere leucis diſſitum a Gigniaco, de quo mox agemus, modo quoque Abbatia Ordinis noſtri, tametſi ab Eugenio Papa III. ob quoddam malefactum in Prioratum redacta fuerat, aſſentiente Willelmo Burgundiæ Comite & Matiſconenſi anno 1147. Quo tempore conditum ſit iſtud monaſterium, non facile eſt definire. Ejus originem Petrus Venerabilis ex fama refert ad ſanctum Columbanum, ut lego in ejus litteris, aliquando ex integro referendis, ex quibus interim hæc verba delibare juvat.* Ego frater Petrus, humilis fratrum Cluniacenſium Abbas, notum facio tam eiſdem fratribus, quam cunctis legentibus ea quæ ſequuntur. Balmenſe monaſterium a ſancto (ut fama eſt) Columbano fundatum, diu non ſub ipſo tantum, ſed & poſt ipſum diutius in ſanctæ religionis propoſito, a ſancto fundatore ſuſcepto, tempore non parvo perſeveravit. Adeo autem tam conſtantem ſui perſeverantiam in his ſacris ſtudiis exhibuit, ut tam apud Luxovium & Lirinum, præcipua ipſius monaſteria, quam etiam in tota pæne Gallia religione monaſtica langueſcente, in ſola Balmenſi eccleſia fugaces ejus reliquiæ longo poſt tempore, velut ex propriis ſedibus expulſæ, reſediſſe viderentur. Teſtis eſt eorum quæ dico, cum multo amore & honore nominandus ſanctus Pater noſter Oddo, qui ab ultimis pæne Occidentis finibus, cauſa explorandæ religionis egreſſus, cum multa monaſteria per diverſas conſtituta regiones circuiſſet, non invenit ubi requieſceret pes ejus, niſi apud Balmam: ubi congruum votis ſuis ac ſanctis deſideriis locum inveniens, exuit ibi veterem hominem cum actibus ſuis, &c. *Jam vero inter monaſteria tempore Ludovici Pii recenſita, numeratur* Balma *inter ea quæ* tantum dona ſine militia *debebant: & in diviſione regni Lotharii facta inter Carolum Calvum & Ludovicum, poſt Luxovium & Luteram. Ad hæc Anſegiſus Abbas Fontanellenſis legat* ad Balmam libram unam & ſemis: *quæ loca an de Balma virorum intelligenda ſint, non penitus liquet: tametſi id veri ſimilius eſt. Quidquid ſit, Balmam virorum ante Bernonem exſtitiſſe conſtat ex litteris Rodulfi Burgundiæ Regis, apud eruditum Baluzium in tomo 2. Miſcellaneorum editis, quibus cellam, nomine Balmam, Bernoni ad Gigniacum Abbati attribuit. Diploma ſic habet.*

* Lyon le Saunier.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis RODULFUS ordinante divino munere ſereniſſimus Rex. Si ſervorum Dei juſtis poſtulationibus ſerenitatis noſtræ aurem accommodaverimus, & quod pie & rationabiliter petunt, benigne & clementer conceſſerimus, hoc nobis profuturum in præſenti vel in futuro minime dubitamus. Idcirco notum eſſe volumus omnium fidelium noſtrorum ſollertiæ, tam præſentium, quamque futurorum, qualiter vir venerabilis BERNO videlicet reverentiſſimus Abbas adiit noſtram magnitudinem, petens nos ut quemdam locum Gigniacum, quem ipſe Abbas & ſui confratres tenent vel conſtruunt regulariter, rebus proprietatis noſtræ ditaremus; quod libenter fecimus. Donamus itaque pro æterna retributione ad jam dictum locum in honore beati Petri Apoſtoli conſtructum, vel ipſi Apoſtolorum Principi Romæ ſubditum, res quas poſtulavit Abbas prædictus, hoc eſt, in Comitatu Scutindis quamdam Cellam, nomine Balmam, ubi fluvius Salliæ ſurgit, quam ipſi monachi prælibati ad fundamentum reædificaverunt: in præfato etiam Comitato Cellulam quampiam, in qua ſanctus

LAU-

LAUTENUS confeſſor pretioſus requieſcit: in ipſo etiam Comitato quamdam villam, nomine Cavanacum, & Clamenciacum cum omnibus ſuis appendiciis, quæ ad dictas villas juſte & legaliter pertinere videntur, vel ad dictam villam, in rebus vel mancipiis, cum omni integritate ad ſæpedictum locum Gigniacum donamus, & de noſtro jure in jus habendum præfati Abbatis, Bernonis videlicet vel ſucceſſorum ejus, qui ipſum locum dominaturi ſunt ſub inſtituta Regula, ſollemni more transferimus, nullo ipſis jam dictis monachis contradicente, ſed quiete hoc poſſideant in perpetuum. Ut autem hujus noſtri præcepti auctoritas firmius credatur, & ab omnibus inviolabiliter ſemper obſervetur, & in Dei nomine totius firmitatis obtineat vigorem, manu propria ſubter eam firmavimus, & anuli noſtri ſignum ſubtus in ea mandavimus affigi.

AN.CHR. 927 13. Januar.

Signum Domni RODULFI piiſſimi Regis.

Data 4. Idus Decembris anno ab Incarnatione Domini noſtri Jeſu-Chriſti 904. Indictione 6. *, regnante Domno Rodulfo Rege anno 16. Actum Nova-villa in Dei nomine feliciter. amen. * VIII.

7. *Ex his intelligitur, Bernonem non ex Æduenſi ſancti Martini cœnobio Balmam miſſum fuiſſe ad locum in melius reformandum, ut habet vita ſancti Hugonis monachi inferius referenda: ſed, ſi umquam in illo ſancti Martini cœnobio vixit, inde migraſſe Gigniacum, ubi ex rebus propriis aſceterium conſtruxit, quod poſtea exponemus. Falſus videtur vitæ ſancti Hugonis ſcriptor lectione Glabri Rodulfi, qui de variis Regulæ ſancti Benedicti propagationibus in lib. 3. cap. 5. agens, ait primum per S. Maurum invectam fuiſſe Regulam Glannafolium: tum in monaſterium ſancti Savini apud Pictones:* rurſuſque illo frigeſcente ejuſdem diſtrictionis tenore, apud monaſterium ſancti Martini Auguſtidunenſis ſuſcepta, dignoſcitur aliquoties viguiſſe. Deinde vero quaſi tertia tranſmigratione in ſuperiore Burgundia locatum Balmenſe occupavit monaſterium. Ad ultimum... in monaſterio Cluniaco. *Ubi Glaber ait Regulam* quaſi tranſmigratione facta *Balmæ ſuſceptam viguiſſe: quod nimis ad litteram interpretatus eſt auctor, qui de vita ſancti Hugonis ſcripſit. Ante enim Berno Gigniaci Abbas degebat, quam Balma ei a Rodulfo Rege traderetur.*

8. *Balmenſem cellam in melius reſtituit Berno, unde a Joanne Italo in lib. 1. de vita ſancti Odonis Abbatis iſtud* monaſterium nuper a Bernone Abbate conſtructum *dicitur, id eſt inſtauratum. Iſtic Adbegrinus Odonis ſocius a Bernone* intra domum hoſpitum officioſiſſime ſuſceptus ſecundum Regulam ſancti Benedicti, aliquo tempore commorari voluit, ut mores habitantium, locique conſuetudines poſſet cognoſcere. *Dein ſubdit Joannes:* Fuerunt autem inſtitutores ejuſdem loci imitatores cujuſdam Euticii. *Quis fuerit* Euticius *ſeu (ut in exemplari Compendienſi legitur)* Euticus, *expoſuimus in tomi ſuperioris pag. 570. ubi non dubiis (ſi non fallor) argumentis oſtenſum eſt, Euticium haud alium eſſe quam Benedictum Anianenſem, qui ritus ac mores veterum Patrum collegit, ſuiſque diſcipulis præſcripſit. Itaque* inſtitutores ejuſdem loci *fuerunt* imitatores *iſtius Benedicti, id eſt diſciplinæ regularis ab eo præſcriptæ, æmulatores: ubi* inſtitutores *Balmæ non alii mihi videntur, quam monachi ſub Bernone viventes, qui Benedicti Anianenſis exempla imitabantur. Porro ejuſmodi ritus Berno haud aliunde accepiſſe cenſendus eſt, quam a vicino Æduenſi S. Martini cœnobio, quod religione tum florentiſſimum erat, eo derivata per coloniam eductam e S. Savini monaſterio apud Pictones, (ut inferius in actis S. Hugonis Monachi Æduenſis dicturi ſumus) uno ex illis monaſteriis, quæ Benedicti Anianenſis inſtitutis imbuta fuerant.*

9. *Quinam fuerint ritus illi ab Euticio accepti, docet Joannes Italus in loco mox laudato, ſed maximè Udalricus in tribus libris de conſuetudinibus Cluniacenſibus, quarum mentio recurret inferius in vita ſancti Odonis: cujus admiſſio in Balmenſe monaſterium in primis Bernonem noſtrum ejus inſtitutorem commendat. Odonis animum pſeudomonachorum quorumdam querelis, qui in Bernone duritiam & auſteritatem nimiam carpebant, tantiſper fluctuantem, confirmavit Adbegrinus ejus ſocius, qui in eremo triginta minimum annos explevit. Hæc aliaque fuſius commemorantur in actis S. Odonis.*

Digitized by Google

AN.CHR. 927 13. Januar. 10. *Anno ſequente, poſtquam Berno Balmam a Rodulfo Rege obtinuerat, profectus eſt Romam, id eſt anno 895. ejuſque donationis aliarumque confirmationem a Formoſo Papa obtinuit, ut ex Formoſi litteris demonſtrabimus in capite ſequenti: Verum cum in res cellæ Balmenſis invaderent quidam præpotentes; cauſa hæc delata eſt ad Ermengardem Reginam, Boſonis relictam, quæ in ſollemni Placito ſententiam dixit in gratiam Bernonis, ſeu cœnobii Gigniacenſis, cui Præerat. Factum accepimus ex mſ. codice Petaviano, in quo Notitia judicati ſcripta eſt in hunc modum.*

ANno ab Incarnatione Domini 898. Idictione 8. cum conveniſſet Ermengardis Regina & cuncti Principes Ludovici filii Boſonis in loco qui dicitur Ravennas ad Placitum: acceſſerunt ad ejus præſentiam monachi...... ex Gigniaco monaſterio, Berno videlicet Abbas, aliique ſub ejus regimine poſiti, conquerentes & monachili humilitate conclamantes, quod Bernardus, ejuſdem Reginæ Vaſſallus, eorum res injuſto ordine invadendo poſſediſſet, hoc eſt Balmam cellam, quam olim a Radulfo Rege per Præceptum adquiſierant. Quod tam benigniſſima & venerabilis Regina, quam omnes undecumque confluentium Principes diligenter intendentes, diligentiuſque audientes, prædictum Bernardum in medium vocaverunt, & cur eaſdem res teneret interrogaverunt. Ipſe autem reſpondit, per donum Ludovici prædictas res ſe tenere credere. Cujus reſponſionibus nec Regina conſenſit, nec alii conſentire dignum fore adjudicaverunt. Et tunc ipſe per juſſionem Reginæ jam dictum locum in præſentia omnium vuerpivit, & ut ultra eaſdem res non invaderet ſpopondit, &c. His ita expletis juſſit dominatrix Regina tam Abbati, quam fratribus ceteris hanc firmitatis ſcribere Notitiam, ut nullo deinceps contradicente, præſcriptum locum quieto teneant ordine. Et ut hæc Notitia manere valeat firma per multa temporum curricula, manu propria, manibuſque tam Epiſcoporum quam Procerum, inibi undique confluentium, firmavit, firmarique rogavit. Signum Bernardi, qui vuerpituram iſtam fecit. S. Ermengardis Reginæ, quæ fieri juſſit, & firmare rogavit. S. Roſtagnus Archiepiſcopus Arelatenſis, S. Ardradus ſanctæ Cabillonenſis eccleſiæ Epiſcopus. S. Iſaac Gratinolicenſis Epiſcopus. Ricardus glorioſus Comes firmavit. Wido Comes firmavit. Ugo Comes firmavit. Adelelmus Comes firm. Baterius Comes firm. Teutbertus Comes firm. Ragenardus Comes firm. Anſigis firm. Rainbaldus Numiculator firm. Gormarus firm. Adelardus firm. Adelmarus firm. Actum Varenna.

11. *Ab eo tempore, ut jam dixi, Abbatiæ nomen habuit Balmenſe monaſterium, Abbatemque primum quidem Gigniacenſem, quales fuerunt Berno & Vvido ejus ſucceſſor; poſtea peculiarem, neſcio an principio Gigniacenſi ſubjectum. Legi Eugenii Papæ III. litteras ad Guidonem (qui alias Vvillelmus dicitur) Comitem Matiſconenſem, quibus Balmæ titulum Abbatiæ abrogat ob facinus quoddam commiſſum* in magiſtrum Osbertum; *eamque in Prioratum redactam ſubjicit Petro Abbati Cluniacenſi. Eamdem ob cauſam idem Pontifex ſcribit Humberto Archiepiſcopo Biſontino. Legi item epiſtolam Vvillelmi Comitis Matiſcenſis, qua Eugenii petitioni annuit, aſſentiente Pontia uxore ſua, filiiſque ſuis Stephano & Gerardo. Non tamen multo poſt Abbatiæ titulus Balmæ reſtitutus eſt, (ut ex variis Pontificum reſcriptis intelligitur,) perſeveratque in hunc diem.*

III. Gigniacenſis monaſterii primus auctor Berno, primuſque Abbas; varii eventus.

12. *GIgniacenſe aſceterium non altum habuit conditorem, quam Bernonem ipſum, qui neſcio an perfecto monaſterio ipſe monaſticæ vitæ ibidem nomen dederit. Illud enim non raro accidit aliis in locis, ut monaſteriorum conditores, ſi quan-*

Digitized by Google

quando monaſticen profiteri volebant, non alibi quam in cœnobiis ab ſe erectis id exſequerentur. Scio in vita ſancti Hugonis monachi id dici factum a Bernone in Æduenſi ſancti Martini monaſterio. Sed hæc vita non uſquequaque accurata eſt, uti colligitur cum ex aliis, tum ex auctoris ſententia de Gigniaco, quod inter reformata per Bernonem cœnobia reponit cum Vizeliaco: cum Gigniacum Bernoni ipſi acceptam referre debeat originem. Ejus rei luculentum habemus teſtimonium in diplomate Formoſi Papæ, edito in tomo 2. Miſcellaneorum Baluziano, cujus hic contextus. AN.CHR. 927 13. Januar.

FOrmoſus ſervus ſervorum Dei BERNONI religioſo ac venerabili Abbati cœnobitarum *, ſito in territorio Lugdunenſi, quod in honore *l. cœnobii beati Petri Apoſtolorum Principis conſtructum eſſe dinoſcitur in loco qui Gigniacus perhibetur, ac in eodem venerabili monaſterio in perpetuum. Convenit apoſtolico moderamini pia religione pollentibus benigna compaſſione ſuccurrere, & poſcentium animis alacri devotione impertiri aſſenſum. Ex hoc enim lucri potiſſimum pretium a conditore omnium Domino promeremur, dum venerabilia loca opportune ordinata ad meliorem fuerint ſine dubio ſtatum perducta. Igitur properans ipſe, Berno venerabilis Abbas, ad beatorum Apoſtolorum limina, noſtramque adiens apoſtolicam præſentiam, retuliſti nobis ipſum memoratum cœnobium a te tuoque conſobrino, nomine LAIFINO, de propriis rebus veſtris dumtaxat in honore ſancti Petri conſtructum atque dicatum exſiſtere: & ut ab omnibus immutilatum ſervetur, per teſtamenti paginam, quod nobis ſervandum contuliſtis, eidem beato Petro cæleſtis regni clavigero, nobiſque per Dei gratiam Vicario obtuliſtis ad ſempiternum vobis remedium conferendum. Ideo ſuggeſſiſtis noſtro apoſtolatui, ut apoſtolici noſtri privilegii illud ſanctione muniremus. Quapropter quod ſtatuiſtis devote admittentes, petitionemque veſtram ratam arbitrantes, inclinati precibus veſtris per hujus præceptionis ſeriem prædictum venerabile cœnobium cum cellis ſeu caſis, terris, vineis, caſalibus, fundis, pratis, ſilvis, una cum colonis & colonabus, necnon & cellulam quæ vocatur Balma, cum adjacentiis ſuis, omnia & in omnibus, quæ tam a glorioſis Regibus, quam ab aliis Deum timentibus inibi data vel præcepta ſunt, vel deinceps Domino adjuvante donanda erunt, hac præſenti tertia-decima Indictione apoſtolica auctoritate confirmamus, munimus, & in perpetuum ſub jure & ditione atque poteſtate beati Petri Apoſtoli & noſtra confirmatum ſtabilimus, ita ſcilicet ut nulli homini qualibet dignitate fulcito licitum ſit, aut etiam de ipſis donatoribus, quamcumque vim aut aliquam oppreſſionem ibidem inferre, aut res donatas vel amodo devote donandas quoquomodo auferre: potius autem firmum & ab omnibus immutilatum cuſtodiatur ad jus & protectionem beati Petri Apoſtolorum principis. Si autem (quod humanum eſt) Abbas prædicti cœnobii obierit, congregatio ipſius monaſterii ex ſeipſis ſecundum Deum & Regulam beati BENEDICTI, quem idoneum præviderint, concordi voto habeat ſemper eligendi, & ſecundum morem in Abbatem ſibi præficiendi. De decimis autem queſti eſtis, eo quod de propriis veſtris a vobis perſolvi quærantur. Quod ſi ita ſe res habet, hoc ne fiat interdicimus; maxime cum ſcriptum ſit, ne ſacerdotes decimas dare cogantur. Quiſquis autem (quod non optamus) tam ex ipſis donatoribus, quam ex aliis temerario auſu de donatis rebus vel donandis aliquid auferre præſumpſerit, ſive quamlibet (calumniam) eidem monaſterio ipſiuſve monachis ingerere tentaverit, & contra hoc noſtrum apoſtolicum privilegium agere non formidaverit; ſciat ſe anathematis vinculis innodandum, &, niſi reſipuerit, a regno Dei alienandum. Qui autem verus cuſtos & obſervator hujus pii noſtri ſtatuti exſtiterit, benedictionem & gratiam a Domino Deo noſtro conſequi mereatur. Scriptum per manum Sergii Scriniarii ſanctæ Romanæ Eccleſiæ in menſe Novembrio, Indictione ſupra ſcripta, per manum Stephani Cancellarii ſan-

AN.CHR. 927 ſanctæ ſedis apoſtolicæ, imperante domino piiſſimo Auguſto ARNULFO a Deo coronato. Bene valete.

23. Januar. 13. *In hac bulla, cujus Indictio 14. cum anno 896. convenit, obſervatione digna eſt clauſula de decimis, quas ex propriis monaſterii rebus (uti alibi etiam poſtea cautum eſt) perſolvi Pontifex vetat. Berno morti proximus eidem loco ſui vice Widonem conſobrinum ſuum ſuffecit Abbatem, ea lege, ut Alafracta & quædam aliæ res, quas in teſtamento ſuo exprimit, Cluniaco attribuerentur. Mortuo Bernone Wido hanc donationem, quaſi modo legitimo facta non eſſet, refutare voluit: ſed obſtitit Joannes Papa X. litteris ſcriptis ad Rodulfum Regem, Epiſcopos, alioſque Proceres, quæ litteræ ſic habent.*

JOannes Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, dilecto filio RODULFO glorioſo Regi Francorum, necnon reverendiſſimo & ſanctiſſimo confratri noſtro Widoni, ſanctæ Lugdunenſis eccleſiæ Archiepiſcopo, atque reverendiſſimis Epiſcopis STATEO & BERNONI, Comitibus HUGONI & GISLEBERTO. Auditum noſtris apoſtolicis auribus, quod GUIDO Abbas per violentiam abſtulit a Cluniaco hoc quod Berno Abbas de poteſtate Ginniacenſis monaſterii ſub cenſu tenendum legaverat. Quapropter monemus ſubjectionem veſtram, quatenus res omnes illas Clunienſibus reſtituatis. Quia prædictus vero Wido conqueritur, quod Berno Abbas hoc legaliter non fecit, pro eo quod terminum temporis ac perſonarum in illo ſuo teſtamento non poſuit; nos, ad quorum diſpoſitionem utraque loca pertinent, jubemus & conſtituimus, ut qnamdiu ex illis monachis qui in Ginniaco profeſſionem fecerunt, aut oblati ſunt apud Cluniacum, aliquis vixerit, res ipſas monachi Clunienſes teneant ſub noſtra ditione, niſi forte ipſi monachi ſua ſponte res ipſas dimiſerint. Cæterum vobis, o fili Rodulfe, & fidelibus tuis, qui monaſterio Clunienſi prodeſſe valeant attentius, & Abbatem & congregationem veſtræ dilectioni commendans, utque locus ille ſanctæ noſtræ ſedi commiſſus eſt, ſeſe pro amore Apoſtolorum, mundi videlicet judicum, atque paterna dilectione bene gaudeat elegiſſe.

14. *Hoc reſcriptum notis chronicis deſtitutum eſt: ſed ex Vvidonis litteris intelligimus id accidiſſe ante annum 6. Rodulfi Regis, ſeu anno Chriſti 928. paullo poſt obitum Bernonis. Quod vero Vvido Abbas allegabat, Bernonem in ſua donatione terminum temporis ac perſonarum non appoſuiſſe; id eo fundamento nitebatur, quod eccleſiæ aut monaſterii poſſeſſiones in perpetuum alienare non licebat, ſed tantum ad unam aut tres plurimum vitas, ut loquuntur. Unde Symmachus in reſponſis ad conſulta Cæſarii Arelatenſis cap. 1.* Poſſeſſiones, quas unuſquiſque eccleſiæ proprio dedit aut eliquit arbitrio, alienari quibuslibet titulis atque contractibus, vel ſub quocumque argumento non patimur: niſi forſitan aut clericis honorum meritis, aut monaſteriis religionis intuitu, aut certe peregrinis neceſſitas largiri ſuaſerit: ſic tamen ut hæc ipſa non perpetuo, ſed temporaliter, donec vixerint, perfruantur. *Idem ſtatuit Concilium Aurelianenſe 1. in can. 23. Attamen Hormiſdas Papa, etſi repugnans, confirmavit venditionem quarumdam Arelatenſis eccleſiæ rerum, a Cæſario factam* in gratiam parthenonis ab eo conſtructi; cujus rei diploma Hormiſdæ exſtat apud Bollandum in tomo 1. Januarii pag. 736. Hæc ergo cauſa fuit, cur Pontifex ratam eſſe jubens Bernonis donationem, ei modum ac terminum temporis ac perſonarum præſcribit: ſed VVido Pontificis mandato acquieſcens, conditiones ſuſtulit, ac donationem ſub annuo cenſu valere conceſſit edicto ſcripto, quod ex Cluniacenſi autographo accepimus ſub hac forma.*

* Vide hiſtoriam Trenorchienſem pag. 281.

MOS eſt lex, licet non ſcripta, & uſu jam communi pro lege tenetur, ut de rebus Eccleſiæ quibuslibet, etiam ſæcularibus, per ſcripturæ auctoritatem aliquid.... concedatur. Quapropter noverint omnes tam futuri, quam præſentes, quia Dominus BERNO venerabilis pater quaſdam res, quæ Gigniaco monaſterio fuerant ab ipſo traditæ, Clunienſi cœnobio per teſta-

Digitized by Google

teſtamentariam auctoritatem delegavit. Ego igtiur GUIDO, prædicti cœnobii Gignienſis Abba, libenter condominis fratribus idipſum conſentiens, hanc auctoritatem de ipſis rebus facio, conſiderans videlicet, quod ipſe noſter ſpecialis Pater utraque monaſteria uni domino, id eſt beato Petro dedicavit atque conſtruxit, & tam ipſos fratres qui eidem beato Petro apud Cluniacum, quam iſtos qui Gigniaco deſerviunt, in una fraternitate ac germana charitate dimiſit, & inſuper inibi ſepulturam ſibi locavit. Hoc igitur ego attendens, ſecundum auctoritatem quam prælibatus Pater jam fecerat, prædictas res, id eſt villam quæ dicitur Alafracta, cum omnibus ad eam pertinentibus, & cum omni alodo, quem Sanſon Gigniaco dedit, & cum dimidio prato, quod Nonnus Saimo ſimiliter dedit, ad Cluniacum ea ratione ex fratrum conſenſu trado, ut per ſingulos annos cera duodecim denariorum pretium valens, Miſſa S. Petri pro veſtitura Gigniaco reddatur: fratres vero res eaſdem ſine ulla contradictione poſſideant: ita tamen ut eas in aliena poteſtate non obligent, ſed ipſi perpetualiter in uſu eas habeant: niſi forte (quod abſit) locus ipſe vel habitatores ad canonicam vel ſæcularem converſationem redierint. Ut autem hæc auctoritas firma permaneat, firmo, dominiſque fratribus firmare præcipio. S. WIDONIS Abbatis. S. Vvineranni monachi. S. Gualanni monachi. S. Juliani. S. Sannoni. S. Raginelmi. S. Deodati. S. Ermendradi. S. Ardriæ. S. VVitbaldi. Ego ROTGARIUS Sacerdos rogatus ſcripſi & ſubſcripſi, atque datavi 12. Kal. Febr. anno 6. regnante RODULFO Rege. AN.CHR. 927 13. Jan.

15. *Tandem Gregorio VII. Pontifice, cum Gigniaci religio & temporales facultates in pejus ruerent; iſte locus Hugoni Cluniacenſi Abbati piiſſimo emendandus & reſtituendus commiſſus eſt, & Cluniaco ſubjectus, ea conditione*, ut nullus ibidem Abbas eligatur aut ordinetur, niſi vel ipſe Clunienſis Abbas affuerit, eumque approbaverit, vel per legatum ſuum aſſenſum præbuerit. *Exſtat ejus facti diploma Pontificium in archivo Cluniacenſi*, datum Lateranis 5. Id. Decemb. per manus Petri S. R. E. Cardinalis ac Bibliothecarii, anno 4. Pontificus Domni Gregorii Papæ VII. Indict. 14. *id eſt anno* 1076. *Poſtea in Prioratum conventualem redactum eſt Gigniacum, in quo primum e*rant, computato Priore, triginta duo monachi: ſed per definitionem factam anno Chriſti 1266. fuerunt reducti ad numerum 25. *qui numerus hoc tempore multum imminutus eſt.*

III. Cluniaci ſtatus ante cœnobii conditionem per Willelmum Comitem.

16. *INter res a Bernone geſtas præcipuum obtinet locum inſtitutio celeberrimi Cluniacenſis monaſterii, de qua priuſquam dicere incipio, videndum eſt qualis fuerit Cluniaci ſtatus ante conditum cœnobium. Locus eſt in pago Matiſconenſi ad amnem Graunam *, qui in Ararim labitur. Bugnonius ſcribit, Leduardum tertiumdecimum Matiſconenſem Epiſcopum obtinuiſſe Cluniacum a Carolo M. in augmentum dotis eccleſiæ ſancti Vincentii cathedralis. Eumdem locum retinuerunt ejus ſucceſſores ad Hildebaldum, qui ab eo quintus fuit. Is enim villam iſtam cum Vvarino Matiſconenſi Comite & Albana uxore ſua commutavit. Litteras hujus commutationis legimus in chartario bibliothecæ Boberianæ apud Divionem, ſimulque notitiam inveſtituræ de Cluniaco factam per Hildebaldum in manus Vvarini Comitis & uxoris ejus, quæ perpetuo* Alba *ſeu* Albana *nuncupatur. Utræque litteræ datæ ſunt* anno 12. regnante Ludovico Imperatore. *Idem Imperator hanc commutationem confirmavit dato diplomate, quod integrum exſtat tum apud Cheſnium in notis ad Bibliothecam Cluniacenſem, & in probationibus ad hiſtoriam Vergiacenſem, tum apud Petrum Cuſſetum in hiſtoria Cabilonenſi, alioſque. Diplomatis iſtius (cujus autographum in archivo Cluniacenſi aliquando legimus) aliqua fragmenta,*

* la Graune

AN.CHR. 927 13. Januar. *quæ in rem noſtram faciunt, huc referre ſatis fuerit*. Noverit omnium fidelium noſtrorum, præſentium ſcilicet & futurorum induſtria, quia vir venerabilis HILDUINUS Abba & ſacri palatii ſummus Capellanus innotuit ſerenitati noſtræ, eo quod HILDEBALDUS Mateſcenſis eccleſiæ Epiſcopus, & vir inluſter WARINUS Comes de quibuſdam rebus pro communi utilitate & compendio nuperrime inter ſe commutationem feciſſent. Dedit interea prædictus Hildebaldus Epiſcopus ex ratione Epiſcopatus ſui eidem Vvarino Comiti & uxori ſuæ Albanæ, ad eorum proprium perpetualiter ad habendum in eodem pago Mateſcenſe villam, cujus vocabulum eſt Cluniacus, cum eccleſia in eadem villa, & cum caſis, domibus, ædificiis, *&c.* necnon & in pago Niverninſe villam, cujus vocabulum eſt Loptannacus, cum eccleſia ibidem conſtructa, *&c.* Econtra in compenſatione hujus rei dedit memoratus Vvarinus Comes & uxor ſua Alba de rebus proprietatis eorum, eidem Hildebaldo Epiſcopo ad partem eccleſiæ ſuæ in eodem pago Mateſcenſe villam, cui vocabulum eſt Genuliacus, cum eccleſia ibidem conſtructa, *&c.* Et in pago Nivernenſi villam, cujus vocabulum eſt Calda-aqua, cum caſis, *&c.* Necnon in Ducatu Alvernico, in pago Donobrinſe, villam, cujus vocabulum eſt Lituinias, cum caſis, *&c.* Durandus Diaconus ad vicem Fridugiſi recognovit. Data 3. Non. Junias, anno Chriſto propitio 12. imperii Domni Ludovici piiſſimi Auguſti, Indict. 3. Actum Aquiſgrani palatio regio, *quæ notæ in annum* 825. *conveniunt. Ex hoc diplomate quidam Cluniacenſis cœnobii originem ad tempora Ludovici Pii perperam retulerunt, cum de cœnobii conditione hic nulla mentio fiat. Hujus ſententiæ longe veri ſimilius eſt fundamentum in apographo Chartarii S. Vincentii Matiſconenſis apud illuſtriſſimum Boherium, ubi fragmentum inſtrumenti ante litteras permutationis Cluniaci legitur in hæc verba.*

NOtum ſit omnibus, quod Hildebaldus Matiſcenſis Epiſcopus Cluniacum villam Vvarino Comiti & Albanæ ſeu Avæ uxori ejus commutavit, & vice commutationis eccleſiam ſancti Andreæ & villam Genoliacum, aliaſque terras, quæ in charta commutationis habentur, ſuſcepit. In qua Cluniaci villa nobile cœnobium in honore beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli conſtructum eſt, quod dudum prædictus Hildebaldus ſacravit: deditque ex ratione Canonicorum ſancti Vincentii Cluniaci eccleſiæ eccleſiam unam in villa Corta, alteram in villa Galoniaco.

Sic deſinit fragmentum, ex quo ſi modo ſincerum antiquum-que eſt, diſcimus Cluniaci cœnobium ab Hildebaldo ſacratum fuiſſe. Verum id de eccleſia quorumdam Clericorum, qui ibi ante conditum pro monachis cœnobium exſtiterunt, intelligendum eſſe videtur, ut poſtea dicemus. Idem fragmentum docet Vvarini Comitis uxori nomen fuiſſe Albanæ ſeu Avæ. Unde confirmatur Cheſnii & aliorum poſt eum ſententia, qui Albam ſeu Albanam, Vvarini Comitis uxorem, in diplomate Ludovici Pii laudatam, eamdem eſſe putant cum Ava Vvillelmi Comitis ſorore, quæ Vvillelmo fratri ſuo Cluniacum teſtamentario jure conceſſit, *ut diſertis verbis Vvillelmus ipſe teſtatur in charta de conſtructione cœnobii Cluniacenſis. Neque multum a veri ſimilitudine recedit hæc ſententia; tum quia Vvarini ſoror, quæ in autographo diplomatis Ludovici Pii* Abba *&* Abbana, *in editis* Alba *&* Albana *vocatur, in lemmate diplomatis & in textu inter lineas recentiori manu* Ava *ſcribitur in Chartario Cluniacenſi Thuano-Colbertino: tum quia inde facile intelligitur, qua ratione Cluniacum per manus Avæ in fratris ſui Vvillelmi poteſtatem venerit. Verum repertis tabulis, quibus Ava Cluniacum in fratrem ſuum transfert, vix adduci poſſum ut eamdem eſſe putem Albanam Vvarini Comitis uxorem: non ſolum quia differunt vocabula* Albanæ *ſeu* Albæ *(quod idem eſt) &* Avæ *ſeu* Avanæ: *ſed quia Albana pervenire non potuit ad id tempus, quo villa Cluniacus Vvillelmo fratri ab Ava tradita eſt. Quippe hæc donatio facta*

Digitized by Google

Ita legitur anno primo certantibus duobus Regibus de regno, Odone videlicet & Karolo, *id eſt anno Chriſti* 892. *Eadem Avana Abbatiſſa mancipia quædam cum duobus Canonicis eccleſiæ ſancti Vincentii Matiſconenſis permutat* anno tertio karolo Rege regnante. *Eadem, inquam, cum Vvillelmo fratre ſuo Ugoni fideli ſuo & Liliæ ejus uxori quædam tribuit apud Bigriam in pago Matiſconenſi, agro Galoniacenſi*, anno octavo regnante karolo Rege, *ut primariæ litteræ, quas habemus faciunt fidem, id eſt anno Chriſti* 905. *Caroli Regis annos numerando ab obitu Odonis, qua ratione in chartis Cluniacenſibus numerari ſolet, idque uſu venit in partibus transligeritanis, ubi Odo regnabat. At ſi eadem eſſet Albana Vvarini uxor, quæ cum viro ſuo ab Hildebaldo Epiſcopo Cluniacum obtinuit anno* 826. *dicendum foret, eam attigiſſe, aut etiam exceſſiſſe centum annorum ætatem, quod ſane parum veri ſimile eſt.* AN.CHR. 927 19. Januar.

17. *Ante monaſterii apud Cluniacum conditionem, eccleſia ibidem erat beatæ Mariæ & S. Petro ſacra, tametſi ſanctæ Mariæ nomen rarius exprimi ſolet, quam S. Petri. Ambo nominantur in Villelmi teſtamento: at in aliis paſſim chartis de ſolo Petro mentio fieri ſolet. Una data eſt anno* 4. *Odonis Regis in villa Dardario, ubi* ceſſum unum *in villa Naldis traditur* Sacerdotibus ſervientibus in eccleſia ſancti Petri. *Ex quo inferas, ibi quoddam Sacerdotum collegium tum exſtitiſſe. Eodem anno Teogrinus quidam cum uxore ſua eccleſiæ Cluniacenſi ſanctis Petro & Paulo conſecratæ res ſuas tradunt. In alia charta Girberga quædam* ad caſam ſancti Petri, ad luminaria accendenda & ad ſuos rectores *concedit manſum unum in pago Matiſconenſi, in villa Noviliago, anno* 6. *Odonis Regis. Duplex vero ibidem ante conditum cœnobium eccleſia erat: altera B. Mariæ, altera S. Petri. Illa hactenus integra perſtat; hujus abſida tantum. Prope Cluniacum eodem etiam tempore caſtellum ſtabat Lordonium *, nam quædam charta Odonis Regis anno tertio data eſt* in Lordonio caſtro publice. *Fuit Cluniacenſibus caſtellum iſtud loco præſidii & aſyli uſque ad Cardinalem Richelium, qui illud dirui curavit. Sed jam tempus eſt, ut Avæ Abbatiſſæ litteras de donatione Cluniaci Vvillelmo fratri facta referamus.*

* Lourdon

DIvinis atque eccleſiaſticis inſtruimur documentis in obſervatione utriuſque dilectionis, Dei videlicet & proximi, ante omnia operam dare debere, ut in utraque puro corde firmati, & præſentibus non deſtituamur ſubſidiis, & æternis gaudeamus auxiliis: quia ſine his impoſſibile eſt Deo placere, & laudabilem præſentis vitæ honeſtatem ducere. Quod ego Ava humilis Chriſti famula divino intuitu commemorans, atque amabilem conſanguinitatis propinquitatem conſiderans, dono tibi Vvillelmo fratri meo atque glorioſo Comiti quamdam villam meam, nomine Cluniacum, in pago Matiſconenſi, ſuper fluvium, qui vocatur Grauna, ſitam, cum omni ſua integritate & ſibi pertinentibus atque legitime aſpicientibus, tantum poſt peractum vitæ meæ præſentis curſum, hanc villam cum omnibus quæ ad eam pertinent, tam in eccleſiis quam & in capellis, mancipiis utriuſque ſexus, exceptis mancipiis viginti, manſis, olchis, viridariis, campis cultis & incultis, vineis, pratis, farinariis, aquis, aquarumque decurſibus, exitus & regreſſus, de mea poteſtate, poſt exceſſum vitæ meæ, in tua trado atque transfundo dominatione jure perpetuo: ut quidquid ex ea facere volueris, ſive donandi, ſive vendendi, ſeu communicandi *, liberam ac firmiſſimam in omnibus habeas poteſtatem. Eo vero tenore hanc villam tuæ fraternitati dono atque trado, ut ad vicem ejuſdem villæ conferas mihi quoddam alodum juris tuæ proprietatis, qui vocatur Audoenuſvilla, cum omni ſua integritate, quæ eſt ſita in Comitatu Calmontenſi, ſupra fluvium qui vocatur Cernonis, ad uſum vitæ meæ præſentis; & poſt meum diſceſſum, ad te tuoſque redeat. Clugniacum vero villam, quam tibi poſt meum deceſſum jure perpetuo dono, ſi vitæ tuæ ſuperſtes fuero, & dies meos ultra dies tuos Deus elon-

* l. commutandi.

Digitized by Google

AN.CHR. longaverit, & tibi de legitimo conjugio divina miſeratio filiorum vel filia-
927 rum fœcunditatem dederit; ipſi poſt meum deceſſum loco heredis recipiant,
13. Januar. hereditateque habeant, teneant, atque poſſideant, nullo contradicente. Si quis vero (quod futurum non credo) ſi ego ipſa, aut ullus de heredibus vel proheredibus (meis) ſive ulla oppoſita perſona contra hanc donationis cartulam, propria noſtra voluntate factam, venire, aut aliquam controverſionis calumniam generare tentaverit; non valeat evindicare quod repetit, ſed inferat tibi tuiſque heredibus una cum ſocio fiſco auri libras 50. & ſic hæc præſens donatio omni tempore verax, libera, atque firma permaneat, ſtipulatione ſubnixa. Actum Clugniaci villa publice. S. Avæ Abbatiſſæ, quæ hanc donationem fieri & firmare rogavit. S. Raculfi Vicecomitis. S. Amolungi. S. Sievoldi, Guntardi, Iſengerii, Vvarulfi, Achardi, Gladiri, Emerii, Grimoldi, Otberti, Friberti, Vvaninci, Rainaldi, Grummonis, Tullonis, Amalberti, Fulchradi, Stephani, Aloini, Giſonis, Vvingrimi, Heilberti. Ego Ratbodus indignus Levita ſcripſi & datavi menſe Novembri, ſub die 5. Id. (*vel* KL.) Novembris, anno primo certantibus duobus Regibus de regno, Odone videlicet & karolo.

18. *His litteris inter alios ſubſcribit* Raculfus Vicecomes, *nempe Lugdunenſis, qui in alia charta* Comes *nominatur, permutatque vineam in pago Cabilonenſi*, in villa Curteclaudia, anno 1. karolo Rege regnante, *id eſt anno* 893. *aut potius* 98. *Succeſſerunt aliæ, de quibus ſupra, in gratiam Ugonis & Liliæ de Bieria, anno Caroli octavo. Incertum eſt quamdiu his litteris ſupervixerit Ava, de qua Vvillelmus ipſe quaſi de ſuperſtite loquitur in charta pro conditu cœnobii Cluniacenſis, quod a ſe conſtructum dicit* pro amore Dei, *tum* pro me, *inquit*, & uxore mea, ſalute ſcilicet animarum noſtrarum & corporum, pro Avanæ nihilominus, quæ mihi eaſdem res teſtamentario jure conceſſit. *Verum quia his litteris Ava non ſubſcribit, id in medio relinquere malim, quam aſſerere. Fuit & alia Ava ſeu Avana, uxor Gaufredi Comitis, qui ambo villam Eſcozolas aliaque Cluniaco donarunt tempore Odonis Abbatis, ut ſuo loco dicemus. Sed jam ad ipſius cœnobii conditionem veniamus.*

IV. Cluniacenſis monaſterii conditor Willelmus Comes, ejus hac de re litteræ; Berno loci Abbas primus.

19. V*Villelmo Comiti, cognomento Pio, primam cœnobii Cluniacenſis originem deberi perſpicuum eſt, tum ex ipſius teſtamento, tum ex litteris Agapiti Papæ, Rodulfi Regis, Ludovici Tranſmarini, aliorumque: tum denique ex teſtimoniis ſancti Odilonis in Vita ſancti Mayoli, Glabri Rodulfi, & ceterorum. Unde patet falli eos, qui ad Ludovici Pii tempora hanc originem referunt, uti in ſuperiori capite jam oſtenſum eſt, relato ac rejecto oppoſitæ ſententiæ fundamento. Jam vero inquirendum, quis fuerit Vvillelmus iſte, quoſque parentes habuerit.*

20. *Vvillelmus ipſe in ſuo teſtamento ſe* Comitem *ac* Ducem *abſolute dicit, ab aliis non paucis* Comes *item &* Dux Aquitanorum *appellatus, eodem tempore quo Ebolus II. Aquitaniæ Dux præerat. Dux* Aquitanorum *dictus eſt Vvillelmus, quod eſſet ſuperioris Aquitaniæ, id eſt Arvernorum Dux, uti Acfredus, ejus nepos ex Adalinde ſorore, eumdem ſibi titulum tribuit in charta pro eccleſia Brivatenſi, relata in Miſcellaneis Labbeanis pag.* 520. *Nam & Ducatus apud Arvernos cenſebatur, ut patet ex diplomate Ludovici Pii relato num.* 16. *ubi* Ducatus Arvernorum *appellatur: & Arverni dicebantur Aquitani. Unde Stephanus Arvernenſis Epiſcopus in quadam charta pro Cluniaco dicitur Præſul* Aquitanorum. *Præter ea Vvillelmus etiam Comitatum Bituricenſem, alioſque titulos habebat. Joannes in vita ſancti Odonis laudat Guillelmum* robuſtiſſimum Comitem, qui eo tempore Aquitaniam, Gothiamque ſuo jure tenebat, *ubi Aquitania comprehendit Bituricenſem Comitatum. Idem vocatur* Conſul Palatinus *in charta quadam pro Ugone & Lilia; tum*

Ma-

Digitized by Google

Major in alia ad diſcrimen alterius Vuillelmi Comitis ejus nepotis atque heredis, nempe in diplomate Rodulfi Francorum Regis dato anno 927. *confirmantis teſtamentum*, quod Vuillelmus ille major, & ſui temporis vir magnificus, *de Cluniacenſi monaſterio fecit.* AN.CHR. 927 13. Januar.

21. *Vuillelmus patrem habuit Bernardum Arvernenſem Comitem, anno* 886. *mortuum; matrem Ermengardem, teſte ſancto Odone in lib.* 1. *de vita ſancti Geraldi Auriliacenſis cap.* 32. *&* 34. *Bernardo ejus patri aſſignant patrem itidem nomine Bernardum, Comitem Pictavenſem, qui anno* 844. *cæſus eſt. Hinc novum eruitur argumentum ad probandum, Albanam Vuarini Comitis uxorem aliam eſſe ab Ava Vuillelmi ſorore. Cum enim eorum Pater Bernardus ad annum* 886. *pervenerit; fieri non poteſt, ut ſi ex eodem patre progeniti ſunt, Ava anno* 825. *Vuarino jam fuerit conjugata.* Comitiſſa *vocatur Ava in quodam Placito, quo Cluniacenſibus monachis adverſus Hugonem vindicatur terra quædam, quam Vuillelmus quondam Comes eis donaverat in villis Iggiaco & Domanico, id eſt eccleſiæ duæ & aliæ res, quas* Ava Comitiſſa *habuit, & quæ hereditario jure Vuillelmo obtigerant. Placitum factum eſt anno* 15. *Ludovici Tranſmarini in præſentia Leotaldi Comitis & Mainbodi Epiſcopi. Ex quo apparet, Avam fuiſſe conjugatam, antequam eſſet Abbatiſſa. Porro Vuillelmus unicum tulit filium, qui a puero exſtinctus eſt; Boſonem ex Ingelberga uxore, quæ filia erat Boſonis Burgundiæ Regis, ut conſtat tum ex ipſius Vuillelmi litteris in ſuperioris tomi pag.* 254. *relatis, tum ex aliis infra num.* 23. *citandis, ubi Ingelberga Vuillelmi uxor Ludovicum Orbum, Boſonis Regis filium, fratrem ſuum appellat. Vuillelmus autem nepotem inter alios ex Adalende habuit Vuillelmum, qui in patrui ſeu avunculi ſui honores ſucceſſit. Nunc tandem proferendum eſt Vuillelmi Senioris charta (Teſtamentum vocant) pro conditione cœnobii Cluniacenſis, quæ ita habet in ipſo, ut videtur, autographo, aut certe exemplo æque antiquo.*

CUnctis ſane conſiderantibus liquet, quod ita Dei diſpenſatio quibuſque ditibus conſulit, ut ex rebus quæ tranſitorie poſſidentur, ſi ſuis bene utantur, ſemper manſura valeant præmia promereri, quod videlicet divinus ſermo poſſibile oſtendens, atque ad hoc omnino ſuadens, dicit: Divitiæ viri redemptio animæ. Quod ego Guillelmus dono Dei Comes & Dux ſollicite perpendens, ac propriæ ſaluti, dum licitum eſt, providere cupiens, ratum, immo pernecеſſarium duxi, ut ex rebus quæ mihi temporaliter conlatæ ſunt, ad emolumentum animæ meæ impertiar. Quippe quia adeo in his videor excreviſſe, ne fortaſſis totum ad curam corporis in ſupremo redarguar expendiſſe, quin potius cum ſuprema ſors cuncta rapuerit, quiddam mihi gaudeam reſervaſſe. Quæ ſcilicet cauſa nulla ſpecie vel modo congruentius poſſe fieri videtur, niſi ut juxta Chriſti præceptum, amicos mihi faciam pauperes ejus: utque hujuſmodi actio, non ad tempus, ſed continue peragatur, monaſtica profeſſione congregatos ex propriis ſumptibus ſuſtentem. Ea ſiquidem fide, ea ſpe, ut quamvis ipſe cuncta contemnere nequeam, tamen dum mundi contemptores, quos juſtos credo, ſuſceperim, juſtorum mercedem accipiam. Igitur omnibus in unitate fidei viventibus, Chriſtique miſericordiam præſtolantibus, qui ſibi ſucceſſuri ſunt, & uſque ad ſæculi conſummationem victuri, notum ſit quod ob amorem Dei & Salvatoris noſtri Jeſu-Chriſti res mei juris ſanctis Apoſtolis, Petro videlicet & Paulo, de propria trado dominatione *, Clugniacum * ſcilicet villam, quæ ſita eſt ſuper fluvium, qui Graunna * vocatur, cum cortile & manſo indominicato, & capella quæ eſt in honore ſanctæ Dei genitricis Mariæ, & ſancti Petri Apoſtolorum principis, cum omnibus rebus ad ipſam pertinentibus, villis ſiquidem, capellis, mancipiis utriuſque ſexus, vineis, campis, pratis, ſilvis, aquis, aquarumque decurſibus, farinariis, exitibus & regreſſibus, cultum & incultum cum omni integritate. Quæ res ſitæ ſunt in Comitatu Matiſconenſe, vel circa,

*donatione
* Cluniaconſem ſcilicet villam.
* Graunus

AN.CHR. 927 13. Januar.

circa, ſuis unaquæque terminis concluſæ. Dono autem hæc omnia jam dictis Apoſtolis ego Vuillelmus & uxor mea Ingelberga, primum pro amore Dei, deinde pro anima ſenioris mei Odonis Regis, progenitoris ac genitricis meæ, pro me & uxore mea, ſalute ſcilicet animarum noſtrarum & corporum: pro Avanæ nihilominus, quæ mihi eaſdem res teſtamentario jure conceſſit, pro animabus quoque fratrum ac ſororum noſtrarum, nepotumque, ac omnium utriuſque ſexus propinquorum, pro fidelibus noſtris qui noſtro ſervitio adhærent; pro ſtatu etiam ac integritate catholicæ Religionis. Poſtremo ſicut omnes Chriſtiani unius compage caritatis ad fidei tenemur, ita pro cunctis præteritorum ſcilicet, præſentium, ſive futurorum temporum Orthodoxis, hæc donatio fiat. Eo ſiquidem dono tenore, ut in Clugniaco in honore ſanctorum apoſtolorum Petri & Pauli monaſterium regulare conſtruatur, ibique Monachi juxta Regulam beati Benedicti viventes congregentur, qui res ipſas perennis temporibus poſſideant, teneant, atque ordinent, ita dumtaxat, ut ibi venerabile orationis domicilium votis ac ſupplicationibus fideliter frequentetur, converſatioque cæleſtis omni deſiderio & ardore intimo perquiratur & expetatur. Sedulæ quoque orationes, poſtulationes, atque obſecrationes Domino dirigantur tam pro me, quam pro omnibus, ſicut eorum memoria ſuperius digeſta eſt. (Præcipimus ſiquidem ut maxime illis hæc noſtra donatio ad perpetuum refugium, qui pauperes de ſæculo egreſſi, nihil ſecum præter bonam voluntatem attulerint, ut noſtrum ſupplementum fiat abundantia illorum.) Sintque ipſi monachi cum omnibus præſcriptis rebus ſub poteſtate & dominatione Bernonis Abbatis, qui quamdiu vixerit, ſecundum ſuum ſcire & poſſe eis regulariter præſideat. Poſt diſceſſum vero ejus habeant iidem monachi poteſtatem & licentiam quemcumque ſui Ordinis ſecundum placitum Dei atque Regulam ſancti Benedicti promulgatam, eligere maluerint Abbatem atque Rectorem, ita ut nec noſtra, nec alicujus poteſtatis contradictione contra religioſam dumtaxat electionem impediantur. Per quinquennium autem Romæ ad lumina Apoſtolorum, ad liminaria concinnanda decem ſolidos præfati monachi perſolvant, habeantque tuitionem ipſorum Apoſtolorum, atque Romani Pontificis defenſionem, & ipſi monachi corde & animo pleno prælibatum locum pro poſſe & noſſe ſuo ædificent. Volumus etiam ut noſtris ſucceſſorumque noſtrorum temporibus, prout oportunitas atque poſſibilitas ejuſdem loci ſeſe dederit, quotidie opera miſericordiæ pauperibus, indigentibus, advenis, peregrinantibus ſumma intentione ibidem exhibeantur. Placuit etiam huic teſtamento inſeri, ut ab hac die nec noſtro, nec parentum noſtrorum, nec faſtibus regiæ magnitudinis, nec cujuslibet terrenæ poteſtatis jugo ſubjiciantur iidem monachi ibi congregati: neque aliquis Principum ſæcularium, non Comes quiſquam, non Epiſcopus quilibet, non Pontifex ſupradictæ ſedis Romanæ, per Deum & in Deum, omnibuſque ſanctis ejus, & tremendi judicii diem conteſtor, deprecor, (ne) invadat res ipſorum Dei ſervorum. Non diſtrahat, non minuat, non procamiet, non beneficiet alicui, non aliquem Prælatum ſuper eos contra eorum voluntatem conſtituat. Et ut hoc nefas omnibus temerariis ac improbis artius inhibeatur, adhuc inculcans ſubjungo, & obſecro vos, o glorioſi principes terræ Petre & Paule, & te Pontifex Pontificum apoſtolicæ ſedis, ut per auctoritatem canonicam & apoſtolicam quam a Deo accepiſti, alienes a conſortio ſanctæ Dei Eccleſiæ & ſempiternæ vitæ prædones & invaſores atque diſtractores harum rerum, quas vobis hilari mente promptaque voluntate dono: ſitiſque tutores ac defenſores jam dicti loci Clugniaci * & ſervorum Dei ibi commorantium ac commanentium; horum quoque omnium propter clementiam & miſericordiam piiſſimi Redemptoris. Si quis forte (quod abſit, & quod per Dei miſericordiam & patrocinia Apoſtolorum evenire non æſtimo) vel ex propinquis, aut extraneis, vel ex qualibet conditione, ſive poteſtate, qualicumque calliditate contra hoc teſtamentum, quod

Anſulis incluſa leguntur in Chartario: ſed deſunt in exemplari antiquo.

* Cluniacenſis.

quod pro amore Dei omnipotentis ac veneratione principum Apoſtolorum Petri & Pauli fieri ſancivi, aliquam concuſſionem inferre tentaverit, primum quidem iram omnipotentis Dei incurrat, auferatque Deus partem illius de terra viventium, & deleat nomen ejus de libro vitæ, fiatque pars illius cum his qui dixerunt Domino Deo, Recede a nobis: & cum Dathan & Abiron, quos terra ore aperto deglutivit, & vivos infernus abſorbuit, perennem damnationem incurrat: ſocius quoque Judæ proditoris Domini effectus, æternis cruciatibus retruſus teneatur. Et ne ei in præſenti ſæculo humanis oculis impune tranſire videatur, in corpore quidem proprio futuræ damnationis tormenta experiatur, ſortitus duplicem direptionem cum Heliodoro & Antiocho, quorum alter acris verberibus coercitus vix ſemivivus evaſit; alter vero nutu ſuperno percuſſus, putreſcentibus membris & ſcatentibus vermibus miſerrime interiit; ceteriſque ſacrilegis, qui ærarium domus Domini temerare præſumpſerunt, particeps exſiſtat; habeatque, niſi reſpuerit, Archiclavum totius monarchiæ eccleſiarum, juncto ſibique ſancto Paulo obſtitorem, & amœni paradiſi aditus contradictorem, quos, ſi vellet, habere poterat pro ſe piiſſimos interceſſores. Secundum mundialem vero legem, his quibus calumniam intulerat, centum auri libras, cogente judiciaria poteſtate, coactus exſolvat, & egreſſio appetitus illius fruſtrata nullum omnino effectum obtineat: ſed hujus firmitas teſtamenti omni auctoritate ſuffulta ſemper inviolata ac inconcuſſa permaneat cum ſtipulatione ſubnixa. Actum Bituricæ civitatis publice. ✠ WILLELMUS ego hanc auctoritatem fieri & firmare rogavi, ac manu propria roboravi. Signum INGELBERGÆ uxoris ejus. MADALBERTUS peccator Biturigenſis Archiepiſcopus ſubs. † ADALARDUS Epiſcopus ſubs. ATTO peccator Epiſcopus ſubs. ſignum WILLELMI Comitis nepotis ejus. S. Armanni. S. Vvigonis. S. Ugberti. S. Stephani. S. Heradi. S. Gotbranni. S. Gauzfredi Vicecomitis. S. Odoni Comitis. S. Urſionis Græci. S Rataldi. S. Teutardi. S. Iſnardi. S. Raimberti. S. Iſengerii. S. Rotberti. S. Goberti. S. Girberti. S. Bermondi. S. Gerardi. S. Amblardi. S. Aimardi. S. Achedei. S. Vvidonis. S. Grimberti. S. Unberti. S. Arnaldi. S. Ainardi. S. Rotberti. S. Bodonis. S. Atſonis. S. Girbaldi. S. Iſmidonis. S. Ademari. S. Teotberti. S. item Teotbert. S. Bernardi. S. Geraldi. S. Vvalonis. S. Geraldi. S. Truanni. Data tertio Idus Septembris, anno undecimo regnante Karolo Rege, Indictione 13. Ego Oddo Levita ad vicem Cancellarii ſcripſi & ſubſcripſi. AN.CHR. 927 13. Januar.

22. *En totum atque integrum Vvillelmi teſtamentum, cujus loca non pauca & ſubſcriptiones variis in locis ope veteris exemplaris correximus. Notæ chronologicæ non facile ſimul conciliantur. Indictio 13. incidit in annum 910. quo anno Cluniacenſis monaſterii conditionem referunt Chronographus Cluniacenſis, Hugo Abbas Flaviniacenſis, & alii permulti: ſed annus Caroli Simplicis undecimus cum Indictione 13. non concordat, ſive ab anno 893. quo regnare cœpit; ſeu ab anno 998. quo Odone mortuo in regnum redintegratus eſt, ejus regni exordium petas. Rectius ſe habet chronologia in alia charta, qua* Vvillelmus Comes & Dux *villam Aionam, ex Avæ Abbatiſſæ conceſſione* ad Cluniacum dudum pertinentem, *de manu cujuſdam Anſcherii legibus recipit, & reſtituit Bernoni Abbati & Clunienſibus monachis, ſubſcribente Rotgario Comite*, anno 16. regnante karolo Rege, 3. kal. Novemb. *Verum & Indictio 13. cum anno 11. Caroli Regis legitur in ipſo exemplari atque in Chartario juſſu Odilonis digeſto: & annum Caroli Simplicis in exemplo Vvillelmi teſtamenti retinendum eſſe colligitur ex ſequentibus chartis, quæ in Cluniacenſis monaſterii jam conſtructi gratiam conditæ ſunt.*

23. *Quippe* anno 13. *Caroli Regis Berno, jam Abbas* Clunienſis, *commutat res ſitas apud Galoniacum* *, *in agro Matiſconenſi. Tum* anno 16. *ejuſdem Regis Guillelmus Comes villam Aionam, (ut mox dicebam) Cluniacenſibus monachis aſſerit. Poſtea anno 20. ipſius Caroli Ingelberga Comitiſſa, Vvillelmi Ducis uxor, menſe Januario tradit ad monaſterium Cluniacum, ubi Berno* * Ialogny

Ab-

Digitized by Google

AN.CHR. 927 13. Januar. *Abbas tum præerat, villam & fiſcum, cui* Romanis *vocabulum eſt, ſitam in pago Lugdunenſi, pro anima Willelmi Comitis viri ſui, & Ludovici fratris ſui. E converſo vero eodem anno eodemque menſe,* Eleemoſynarii Ingelbergæ Comitiſſæ, Willelmus videlicet Comes vir ejus, & Rotgerius Comes, Teuthardus, Adzſo, qui & Arnardus, per auctoritatem juſſionis ipſius Ingelbergæ, tradunt ad Clunienſe monaſterium, ubi Domnus Berno Abba præeſt, villam & fiſcum Romanis, cum eccleſia quæ eſt in honore almi confeſſoris Chriſti Martini ſacrata, ſitum in pago Lugdunenſi, atque alias res, quas per manus, *inquiunt*, noſtras tradit Ingelberga Domino Deo & ſanctis Apoſtolis ejus ad prædictum monaſterium pro ſeniore ſuo Vuillelmo, & pro ſe, & pro Ludovico fratre ſuo. Actum die ſabbati menſe Januario, anno 20. Karoli Regis. *Subſcribunt Vuillelmus Comes, Rotgarius Comes, aliique, ſed non Ingelberga, tametſi adhuc in vivis erat. At ſubſcriptionis vicem obtinebat charta, quam de eadem re, eodem tempore fecerat. Ex quibus non obſcure conficitur, Vuillelmum ſeniorem ad annum Caroli Regis vigeſimum perveniſſe: quod etiam probatur ex charta ejuſdem Vuillelmi, qui litteras Hildegardis pro conditu cœnobii Dolenſis ſubſcripſit, eaſque ſuis confirmavit eodem anno, apud Labbeum in Miſcellaneis pag. 505. & ſeqq. In prioribus litteris Hildegardis ait ſe hoc facere inter alia* pro anima *ſenioris ſui Vuillelmi Principis, cui tamen chartam ſuam corroborandam ac ſubſcribendam tradidit, & re vera is eam confirmat charta ſingulari. Ex quo intelligitur, hanc formulam,* pro anima, *non ſemper mortuos denotare. Eodem vero anno, ſcilicet Caroli 20. deceſſit Vuillelmus, ſi non fallit exemplum chartæ, quam* Willelmus Comes, ſucceſſor Willelmi majoris, *ejuſque nepos, condidit pro eccleſia Brivatenſi, apud eumdem Labbeum pag. 513. Cum vero in hiſce chartis nulla de inito aut redintegrato Caroli regno, ſed ſimpliciter de anno regni mentio fiat; de redintegrato explicandæ mihi videntur: quo ritu Caroli Simplicis anni numerari ſolent in illis partibus, hoc eſt apud Aquitanos, apud quos Odo, Carolo in Francia regnante, principatum obtinuerat. Id patet ex duobus Herivei Æduenſis Epiſcopi teſtamentis, quorum alterum in tomo 3. Galliæ Conciliorum, alterum in Spicilegii tomo 8. editum eſt, ubi anni Caroli* poſt obitum Domni Odonis quondam Regis *numerantur. Itaque ſi non fallunt notæ chronicæ inſtrumenti ex Labbeo mox laudati, Willelmi ſenioris obitus Caroli anno 20. Chriſti 917. locandus erit, aut ſequenti, ut habet Chronicon Hugonis Flaviniacenſis. Quamquam in optimæ notæ Chronico Maſciacenſi apud eumdem Labbeum in tomo 2. Bibliothecæ novæ pag. 733. refertur anno 919. his verbis:* Guillelmus famoſus, Dux Aquitanorum, & conjux ejus Ingelberga finem vivendi fecit. *Tum additur de Guillelmo ejus nepote.* Hoc anno urbs Biturix a Guillelmo nepote fraude intercepta, a ſuis patenter recipitur concivibus. *Et* anno 926. obiit Berno Abbas: & Guillelmus Dux Aquitanorum hominem exuit. *Conſentit Chronicon Dolenſe apud Labbeum in tomo 2. Bibliothecæ pag. 315. Ex quibus patet falli eos, qui Vuillelmi ſenioris ætatem prorogant in annum 927.*

24. *Hoc poſito fundamento, Cluniacenſis cœnobii primordia, quæ ad annum Caroli Simplicis undecimum revocat Vuillelmi teſtamentum, conſignanda ſunt anno Chriſti 910. qui annus redintegrati in regnum Caroli undecimus dici poteſt, non quidem ſolito Cancellariæ ſtilo, ſed annum ejus primum deſumendo ab eo tempore, quo regni Aquitanici quietus poſſeſſor factus eſt. Poſt Vuillelmi ſenioris obitum Gerbaldus quidam colonias aliquot, in pago Cabilonenſi ſitas, donat Cluniacenſi monaſterio,* quod juſſu, *inquit,* ac ſupplemento bonæ memoriæ Vuillelmi ſenioris ſub providentia Bernonis Abbatis conſtruitur: *aitque ſe hæc dare* pro anima Vuillelmi ſenioris mei defuncti, & pro ſalute nepotis ejus adhuc viventis, æque Vuilelmi, ſenioris mei. Actum menſe Majo, die ſabbati anno 4. regnante Rodulfo Rege. *Itaque eo anno, qui annus Chriſti erat 926. nondum perfecta erat cœnobii conſtructio, ut ex verbo* conſtruitur *liquet, & ex teſtamento ipſius Bernonis, qui ait ſe monaſterium deſerere* imperfectum.

25. *Dedicatio baſilicæ facta eſt ſub titulo Apoſtolorum, maxime Petri & Pauli, ſub quo-*

Digitized by Google

quorum nominibus etiam alii apud veteres comprehendi ſolent. Unde eccleſia Ferrarienſis, teſte Lupo in epiſtola 13. in honore beati Petri, & omnium ceterorum Apoſtolorum *conſecrata erat. Et quidem in nonnullis chartis Cluniacenſibus Petro adjungitur patronus Andreas, ut in libro ſub Majoli Abbatis regimine ſcripto, in charta* 51. *Cluniacenſe monaſterium ſanctis Petro & Paulo atque* Andreæ *dicatum legitur. Idem dicitur in charta* 59. *Quin etiam Joannem Evangeliſtam addit aliud inſtrumentum, quo res ſitæ in villa Montico pagi Lucdunenſis dantur* Deo & ſanctis Apoſtolis Petro & Paulo, atque ſancto Joanni ad locum qui dicitur Cluniaco, ubi Domnus Hoydelus Abbas præeſt, regnante Radulfo Rege *Burgundiæ Transjuranæ. Ibi erant ſancti Petri reliquiæ, ut diſcimus ex charta Helmeradi Epiſcopi Regenſis, qui agente Domno Warnerio Cluniensi Præpoſito*, coram reliquiis in imagine ſancti Petri contentis, *agnoſcit ſibi non deberi decimas proprii laboris in terris Valentiolæ, & aliorum locorum. Confer Formoſi Papæ privilegium ſuperius relatum. Monaſterii ſitum ita deſcribit charta ſub Aymardo Abbate ſcripta* : Sacroſanctæ eccleſiæ ſancti Petri, quæ eſt conſtructa in pago Matiſconenſi, in agro Rufiac, in villa Lornant & caſtello Lordonio, &c. — AN CHR. 927 13. Januar.

26. *Duodecim tantummodo monachos, exemplo S. Benedicti, principio apud Cluniacum Berno inſtituit, teſte Glabro Rodulfo, cujus hæc verba in lib.* 3. *cap.* 5. Ad ultimum quoque prædicta videlicet inſtitutio (*S. Benedicti*) jam pæne defeſſa, auctore Deo elegit ſibi ſapientiæ ſedem, vires collectura ac fructificatura germine multiplici, in monaſterio ſcilicet cognomento Cluniaco; quod cum ex ſitu ejuſdem loci adclivo atque humili tale ſortitum eſt nomen: vel etiam (quod aptius illi congruit) a cluendo dictum, quoniam cluere, creſcere dicimus. Inſigne quippe incrementum diverſorum donorum a ſui principio in dies locus idem obtinuit. Conſtruxit igitur prædictum cœnobium primitus Pater monachorum Balmenſis monaſterii Berno vocatus, jubente Willermo piiſſimo Aquitanorum Duce, in pago Matiſconenſe, ſuper Graonam fluviolum: quod etiam cœnobium in primo non amplius, quam quindecim terræ colonias dicitur in dotem accepiſſe. Fratres tamen duodecim numero inibi memorantur conveniſſe: ex quorum veluti optimo ſemine multiplicata ſtirps Domini exercituum innumerabilis magnam (*lege* mundum *vel* Eccleſiam) cognoſcitur repleſſe: qui quoniam his quæ Dei ſunt, videlicet juſtitiæ & pietatis operibus inceſſanter adhæſerunt; idcirco bonis operibus repleri meruerunt, inſuperque futuris mirabile reliquerunt exemplum. Nam poſt præfatum Bernonem ſuſcepit regiminis curam ſapientiſſimus Abbas Odo.

27. *Non ergo primus (quod ex ſuperioribus manifeſtum eſt) ſed ſecundus Cluniaci Abbas exſtitit Odo, qui vivente Bernone ſucceſſor deſignatus, rem familiarem numerumque Cluniaci monachorum, ac monaſteriorum Cluniaco ſubjectorum valde amplificavit, ut ex ejus vita & elogio diſcemus. Jam enim anno Ludovici Transmarini quinto adeo auctus * erat Cluniaci cœnobitarum numerus, ut Gaufredus Comes & Ava ejus uxor villam pagi Matiſcenſis Keitaelas Cluniaco tradentes, his verbis utantur*: ubi Odo Abbas præeſt multitudini monachorum. *Bernone Abbate nullæ fere, præter jam dictas Cluniaco factæ ſunt donationes, niſi quod Lilia matrona ſe ſuaque in villis Bieria & Ruſcia Cluniaco ſub Bernone Abbate tradit* pro remedio animæ Willelmi Senioris, *inquit*, noſtri defuncti, & pro ſalute ipſius nepotis Comitis Vuillelmi: *cui donationi ſubſcribunt Ermenfredus & Sigvvinus Comites. Primarias vidimus ipſius Willelmi Senioris litteras, quibus res ſuas apud Bieriam Ugoni & Liliæ concedit* anno 8. regnante Karlo Rege, *aſſentiente Ava ſorore ſua. Charta ſic incipit.* Dilecto fideli noſtro Ugoni & uxori ſua Lilia, ego Vuillelmus Comes Conſ. Palacius & Marchio, & Ava dono Deo Abbatiſſa, in pro amore & benevolentia quæ circa te abeamus, propterea donamus vobis aliquid, &c. *In aſſignandis prædiorum limitibus hæc formula ſæpius adhibetur*, a mane, *id eſt ab Oriente*, a meridie, a Serotina, a Cercio: *quo venti nomine in chartis Cluniacenſibus Septemtrio deſignari ſolet.*

* Sub Bernone etiam numeroſa fraternitas, infra pag. 87.

Digitized by Google

AN.CHR. *Præter ea Leothaldus & Garlindis ejus uxor dederunt in pago Matiſconenſi villam*
927 *Dumbinas cum appendiciis ſuis* pro anima Vvilelmi Comitis, & pro Vvillelmo
13. Januar. ſeniore *ſuo*, nepote ejus. Actum Cluniaci monaſterii publice, regnante Karolo Rege, 12. Kal. April. in feſto ſancti Benedicti: *quæ donatio paulo ante Bernonis obitum facta eſt. Chartæ omnes ſub Bernone ſunt numero* 156. *Nunc cetera quæ ad ipſum pertinent, perſequamur, de Cluniaci immunitate dicturi in actis ſubſequentium Abbatum.*

V. Conſtructio Dolenſis monaſterii, quod Bernoni Abbati commiſſum eſt, uti & Maſciacum.

28. A *Cluniacenſis monaſterii conditione divellenda non eſt origo cœnobii Dolenſis in pago Bituricenſi, quod eumdem auctorem, ſeu amplificatorem agnoſcit Vvillelmum Pium, eumdemque Bernonem Abbatem primum, ut ex ipſius Bernonis teſtamento & ex dicendis perſpicuum evadet. Quænam fuerit occaſio conſtruendi Dolenſis* * *ſeu Burgidolenſis* * *cœnobii, declarat ſcriptor Patriarchii Bituricenſis in tomo ſecundo Bibliothecæ Labbeanæ cap.* 52. Sub illa quoque perſecutione cum fera gens Normanica nihil ſibi obvium relinqueret integrum, ſanctus Daocius, Abbas Reuviſii monaſterii in Britannia minori, fugiens cum ſuis monachis, beatiſſimi Gildaſii ac aliorum ſanctorum corporum reliquias ſecum deferens, Bituricenſium fines tandem ingreſſus eſt. His autem diebus quidam nobiliſſimus Princeps, nomine Ebbo, maximam partem territorii Bituricenſis ſub ditione ſua tenebat: qui cum eſſet armis ſtrenuus, juſtitia inſignis, magnus gloria magniſque rebus geſtis, timore & amore Dei viros quoſque religioſos unice diligens, eiſdem monaſterium, ſumtuoſiſſimum opus, ædificaverat in ſuo Dolenſi caſtro; cujus famam audiens beatus Daocius, lætus effectus Dolenſe caſtrum ingreſſus, acceſſit ad Principem. *Subdit auctor Daocii colloquium cum Principe, qui Daocius ſecum attulerat corpus ſancti Gildaſii Abbatis Ruyenſis, item corpora ſeu reliquias ſanctorum Patricii, Albani martyris, Paterni Epiſcopi & Brigidæ virginis, cum calice (ut ferunt) Chriſti Domini. Hujus Daocii mentio fit in vita ſancti Gildæ Abbatis, edita in Sæculo* I. *pag.* 148. *ubi* Dajocus *appellatur*. Hic ſub altare eccleſiæ *Ruyenſis* reliquias beati Gildæ, octo ſcilicet de majoribus oſſibus, in ſarcophago ipſius recondidit, quæ tempore noſtro reperta ſunt: cetera vero ſimul cum reliquiis ſancti Paterni Venetenſis Epiſcopi, & aliorum Sanctorum, cum libris & ornamentis Monachi ſecum tranſtulerunt, *nempe in pagum Bituricenſem. Itaque Daocii poſtulatis annuens Ebbo, in nemuſculo* quod e regione caſtri Dolenſis *ſitum erat* verſus occidentalem plagam, *monaſterium conſtrui juſſit, eo nimirum in loco*, ubi antiquitus fundata fuit eccleſia in honore beatæ Mariæ, & juxta eam manſiones olim ab Eremitis habitatæ, ſed tunc habitatore vacantes. *Præter ea* in inſula, quæ dictæ eccleſiæ a Septemtrionali parte ſubjacebat, aliud monaſterium in honore Salvatoris propriis expenſis ædificare cœpit. *Sed cum Ebbo in expeditione contra Nortmannos, nondum perfecto opere, letaliter vulneratus eſſet, Radulfo filio ſuo, Geroncio Archiepiſcopo, atque Launo tum Archidiacono, poſtea Geroncii ſucceſſori, rem abſolvendam commiſit. Id quod impigre exſecutus eſt Radulfus, conceſſo monachis Dolenſi caſtro, alioque pro ſe (quod Caſtrum-Radulfi* * *ab auctore vocant) ædificato, Abbatiam ſancti Salvatoris perfecit, ubi corpus ſancti Gildaſii aliorumque reliquias cum prædicto calice repoſuit. Dolenſe Romano Pontifici proxime, ſancti Salvatoris monaſterium Bituricenſi ſubjecit.*

* de Deols
* Bourgdeols al. Bourgdieu.
* Chateauraoul

29. *Hæc ex Patriarchio Bituricenſi retulimus, quæ lucem accipiunt ab ipſius Ebbonis charta de fundatione ejuſdem Dolenſis cœnobii, quæ charta a Beslio primum edita eſt in libro de Ducibus Aquitaniæ, tum a Philippo Labbeo in Miſcellaneis, pag.* 505. *In ea vero charta nulla fit mentio de Daocio Abbate: ſed Ebbo cum uxore ſua Hildegarde res juris ſui tradit* beatiſſimæ Dei genetricis Mariæ & ſanctis Apoſtolis Petro & Paulo, *hoc eſt in villa Dolis, in territorio Bituricenſi, in Vica-*

Digitized by Google

AN.CHR. 927 13. Januar.

Vicaria Brivenſi, capellam in honore ſancti Germani, *tum* capellam in honore ſanctæ Mariæ ſuper Andram * fluvium; *aliaque permulta*: *quæ omnia donat pro amore Dei*, deinde pro anima ſenioris ſui Vvillelmi Principis, *eo tenore*, ut in Dolis in honore beatæ Mariæ ſemper virginis, & ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli monaſterium regulare conſtruatur, ibique monachi juxta Regulam S. BENEDICTI viventes congregentur: ſintque ipſi monachi cum omnibus rebus præſcriptis ſub poteſtate & dominatione BERNONIS Abbatis: *poſt deceſſum vero ejus habeant* iidem monachi poteſtatem & licentiam quemcumque ſui Ordinis ſecundum placitum Dei atque Regulam ſancti Benedicti promulgatam eligere Abbatem: per quinquennium autem Romæ, ad luminaria ipſorum concinnanda, quinque ſolidos perſolvant; habeantque Romani Pontificis defenſionem. *His litteris ſubſcribunt inter alios* Vvillelmus Comes, Gerontius ſanctæ Biturigenſis eccleſiæ Archiepiſcopus, Turpius *Epiſcopus Lemovicenſis*, Arnoldus *Arvernenſis*, Hildebertus Epiſcopus *cum aliis*. Data per manus Gerlamni Diaconi ad vicem Cancellarii juſſu Vvillelmi Principis, 4. Non. Septemb. anno 20. regnante Karolo Rege. *Neſcio an is ſit* Gerlannus *Abbas*, *quem laudat ſanctus Odo in lib.* 3. *Collationum cap.* 19. *in editis male* Gorlantius *dictus*. *De Dolenſi Cella fit mentio ibidem in cap.* 22.

* l'Indre

30. *Non hic ſtetit Vvillelmi charitas in Dolenſe monaſterium: quin etiam ex propriis rebus locum auxit cum uxore ſua Ingilberga, ut docet charta ſequens apud Labbeum.* Itaque, *inquit*, monaſterio, quod fidelis noſter Ebbo pro ſua noſtraque ſalute in honore ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli in villa Dolis conſtruere diſpoſuit, quodque ſub regimine Bernonis Abbatis ac monachorum ibidem Deo ſervientium, ab hodierno die ex toto transfudimus res ſcilicet priopríetatis noſtræ, ſitas in pago Bituricenſi, in villa Melliacenſi. Eſt autem eccleſia in honore ſancti Salvatoris, in villa, quam ad Maſnilium vocant, quam præfato loco atque prædicto Abbati atque monachis tradentes donamus. *Exſtat apud Labbeum in tomo* 2. *Bibliothecæ novæ pag.* 740. *ſeries genealogica dominorum Dolenſium & Caſtri-Radulfi ab ipſo Ebbone*, & *pag.* 741. *ſeries Abbatum Dolenſium ex veteri codice mſ. quos inter* primus Abbas Berno, *tum* ſanctus Odo, III. Franbertus, IV. Raynardus, V. Ramnulfus, VI. Dacbertus, & *poſt eos alii recenſentur*. *Is mihi videtur eſſe Dacbertus, qui poſtea Bituricenſis Archiepiſcopus creatus eſt. Dolenſis monaſterii præcipuum fuit ornamentum* Herveus *monachus, qui commentarios in ſacram Scripturam compoſuit, in his expoſitionem in epiſtolas Pauli, ſancto Anſelmo attributam. Ceterum Dolenſe aſceterium cum Abbatia ſancti Salvatoris ſeu ſancti Gildaſii anno* 1623. *dirutum eſt petente ſereniſſimo Principe Condæo Henrico Borbonio, qui utriuſque loco collegium Canonicorum intra Caſtrum Radulfi inſtituit, hoc eſt intra ſuas ædes. Poſtea aliud Dolis etiam erectum.*

31. *Præter Dolenſe etiam Bernoni Abbati ſubjectum fuit in eodem pago Bituricenſi Maſciacum * monaſterium, quod ſancto Odoni regendum teſtamento ſuo reliquit. Exſtat apud Labbeum in Bibliothecæ tomo* 2. *pag.* 732. *ejus loci breve Chronicon, in quo* initium monaſterii Maſciacenſis ab Egone Comite *notatur anno* 738. *tum anno* 814 adventus monachorum in Maſciaco. *In variis quæ Ludovicus Pius reparavit ædificavitque monaſteriis*, Maſciacum decimum *numeratur. In prædicto Chronico Maſciacenſi egregia fit mentio de* Abbone *Abbate cujus nativitas anno* 817. *ordinatio anno* 847. *obitus anno* 866. *conſignantur. Is ſucceſſorem habuit* VVANDALMARUM, *cujus ſucceſſores reticentur uſque ad Bernonem Abbatem, qui anno* 926. *obiiſſe ibidem memoratur. Anno* 935. *Odonis Abbatis ordinatio legitur, mors anno* 967. 8. *Id. Junii, his verbis*: Obiit Odo Abbas bonæ memoriæ, & Arduicus monachus Nonis Septembris. *Ex quo intelligimus, alium fuiſſe hunc Odonem ab Odone Cluniacenſi, pro quo indubie ſuffectus eſt in regimen cœnobii Maſciacenſis. Perſtat etiam nunc iſtud monaſterium in pago Bituricenſi, quod cave ne confundas cum Moiſacenſi * apud Cadurcos, aut cum Mauzacenſi*

* Maſſay

* Moiſſac

Digitized by Google

AN CHR. 927 13. Januar. ** Mauzac* cenſi * apud Arvernos. Non prætereundum hoc loco, quod de Maſciaco legitur in Chronico Ademari, ubi Odo Princeps ſecus Maſciacum monaſterium ædificaſſe caſtrum dicitur, quod Rex Rotbertus expugnans capere nequivit. Adde quod habet Martyrologium vetus in tom. 2. Bibliothecæ Labbeanæ, ex codice mſ. parthenonis ſancti Laurentii apud Bituricas erutum: 17. Kal. Junii, in territorio Bituricenſi, monaſterio Maſciaco, ſancti Victorini martyris.

VI. Silviniacenſis monaſterii conditio per Ademarum Militem, & ſubjectio Cluniaco.

32. *EXſtat in agro Borbonenſi inſignis Prioratus Ordinis Cluniacenſis, Silviniacus * nomine, quem locum Cluniaco attribuit Ademarus ſeu Aimardus Miles, cujus hac de re litteræ primariæ exſtant in chartario Cluniacenſi ſub hac forma.*

** Souvigny*

IGitur ego AIMARD timens gehennam inferni, & deſideravi Dei miſericordia, ut quando anima mea de hac luce migraverit, & ante tribunal Chriſti in diem judicii venerit, Dei miſericordia veniam merear accipere. Ideo pro Dei amore & remedio animæ meæ cedo ad locum Cluniacum, qui eſt in honore Dei & ſancti Petri, atque promitto, ceſſumque in perpetuum eſſe volo, & de meo jure in ipſius trado dominatione, transfero atque transfundo, in primis ipſam curtem Silviniaci, ubi eccleſia ſancti Petri eſt fundata. In primis in ipſa villa, ſicut caſalis cum ſuperpoſitis vineis, campis, & pratis, & quantumcumque in ipſa villa viſus fui habere, totum ad integrum trado ad ſupradictum locum. Et de illo foreſt de Born unam medietatem, & de alia foreſt, quæ dicitur Maſargas, unam medietatem; & illo Monte, quantumcumque in ipſa villa viſus fui habere, totum ad integrum: & alio Moncel ſimiliter, & in Bagenago ſimiliter, & in Vitlena, quantumcumque viſus fui habere, ſun campis, & pratis, & vineis, & quantum ad ipſa villa aſpicit, totum ad integrum. Et in velio * Salveniaco ſimiliter, & illa Genebraria ſimiliter, & in Fontonella ſimiliter, & in boſco Straderio ſimiliter: iſtas res ſuperius conſcriptas vel prænominatas ad integrum ibidem cedo in eleemoſyna pro remedio animæ meæ, ut faciant rectores ejuſdem eccleſiæ, ſicut mos & conſuetudo juris expoſcit. Et ut donatio iſta firma permaneat, cum omni ſtipulatione ſubnixa, ego ipſe Aimard manu mea propria firmavi, & bonorum hominum teſtium roborandam decrevi S. ipſius AIMARD S. Emmo. S. Arkembald. S. Dagbert. S. Aimo. S. item Aimo. S. & item Aimo. S. Notard. S. Adevrt. S. Nizezio. Unald juſſio Aimard ſcripſit. Datavi in die Lunis in menſe Martio, anno 24. regnante Karlo Rege.

** al. veteri.*

33. *Scio quaſdam alias chartas ipſius Aimardi nomine a duobus ſuperioribus annis circumferri, quaſi nuper inventas, & in archivum Silviniacenſe ingeſtas. Sed qualis eis ſit adhibenda fides viderint illi, qui earum auctoritatem ſibi neceſſariam exiſtimant. Unum ſcio, Silviniacenſium noſtrorum religionem ab omni ſuſpicione immunem eſſe. Ceterum poſt mortem Aimardi Aimo ſeu Aymus dominus Burbonenſis, filius ejus, cum Silviniacum quaſi ex patria hereditate ſibi competentem, ſibi vindicaſſet; poſtea facti pœnitens totum reſtituit; atque in ſuper allodium ſuæ proprietatis, qui vocatur Longovernus,* in emendationem *donavit in manu Domni Aymardi Abbatis Cluniacenſis, pro animabus genitoris ſui Aimardi & genitricis ſuæ Ermengardis, fratrumque ſuorum Dacberti & Archembaldi, & pro ſoſpitate uxori ſuæ Adalſendis, & filiorum ſuorum, Geraldi & Arkhembaldi. Superſtat ad uſque diem inſignis Prioratus Silviniacenſis conventualis, opidum cognomine adjunctum habens, pari fere intervallo ſitum inter Molinos & Burbonem-Archembaldi, hoc eſt duabus leucis ab utroque, celebris præcipue tum ob tumulos ſacraſque reliquias ſanctorum Majoli & Odilonis Abbatum Cluniacenſium, qui iſtic ſupremum diem obierunt: tum ob ſepulcra quorumdam Burbonenſium dominorum.*

VII. Ber-

Digitized by Google

VII. Bernonis teſtamentum, obitus, ſanctitas declarata, ubi iterum de Vuillelmi Ducis piis factis.

34. *JAM tandem devenimus ad ultimam Bernonis periodum, cum morti proximum ſe eſſe intelligens, facto teſtamento ſucceſſores duos deſignavit, Vvidonem conſanguineum ſuum, atque Odonem, qui monaſteriis ipſi ſubjectis Abbatis loco præeſſent. Præceſſerat jam inde ab ineunte vitæ monaſticæ ſtatu ritus ille in Pachomio, qui inſtante morte Petronium ſucceſſorem deſignavit: Petronius vero in eodem articulo Orſiſio vices ſuas demandavit. Sic ſanctus Lupicinus Abbas ſæculo 5. cum mortuo Romano fratre duplex regeret monaſterium, nempe Condatiſcenſe & Lauconnenſe; appetente ſenecta,* primitus Condadiſcenſi, ſeniori utique cœnobio, præficere Patrem; tum quoque imminente tranſitu, Lauconnenſi monaſterio deſignare Abbatem curavit, *teſte ejus vitæ auctore æquali. Sic Benedictus cognomento Biſcopus, Girvvenſi ac Vviremuthenſi monaſteriis ſubſtituit Ceolfridum Abbatem, quem prius Coadjutorem ſibi adſciverat. Nam & hic alter fuit quondam apud veteres monachos ritus. Exemplo in primis eſt Orſiſius mox dictus, qui Theodorum in Vicarium aſſumſit. Venerabilis Beda Biſcopi factum exemplo beati Petri tuetur, quem* ſub ſe duos per ordinem ad regendam eccleſiam conſtituiſſe, cauſa inſtante neceſſaria, tradunt hiſtoriæ. *Uterque ritus viguit apud Cluniacenſes, ut in ſubſequentibus Abbatibus obſervabimus. Et quidem deſignandi ante mortem Abbatis cautio eo tempore, quo Abbatum ſæcularium jugum paſſim graſſabatur, fere neceſſaria erat, ne in vacuam Abbatis ſedem Abbate mortuo involarent. Hæc ergo cauſa Bernonem impulit, ut Vvidonem & Odonem poſt ſe Abbates deſignaret, condito teſtamento, in hunc modum.*

EX quo divina diſpenſatio poſt diluvium præcepit, ut homo homini præeſſet, quicumque ſecundum Deum tam in veteri teſtamento, quam in novo aliis præfuerunt, quantum poſſibile fuit, procurarunt, ut conſultum ſubditis in poſterum eſſet. Quod & beatum Benedictum & alios complures noſtri Ordinis inſtructores feciſſe, ſibique ſucceſſores, dum adviverent, elegiſſe, multa documenta probant. Quapropter tam regalis poteſtas, quam ſacerdotalis auctoritas, ſed & principum ſublimitas, necnon & reliquorum fidelium, quos forte hanc ſcripturam audire contigerit cognoſcat univerſitas, quod ego Berno, omnium Abbatum extremus Abbas, ſupremum diem jam vicinari agnoſcens, duos ex noſtris fratribus, Widonem videlicet meum conſanguineum, atque Oddonem adæque dilectum, una cum fratrum conſenſu mihi ſuccedere delegavi; ut poſt meum diſceſſum, vice mea, Deo largiente, fungi præcepi. Ita ſcilicet ut dilectus noſter prædictus Wido cœnobio Gigniacenſi, Balmenſi, Æthicenſi, cum Cella quæ dicitur ſancti Lauteni, cum omnibus rebus ad prædicta monaſteria pertinentibus regulariter præſit, præter villam quæ dicitur Alafracta, & res quaſdam quæ fuerunt domni Samſonis in eodem pago conſiſtentes, & quartam partem Caldariarum, quæ ſunt ſitæ in loco qui dicitur Leodonis, & medietatem prati quod fuit domni Saimonis. At vero cariſſimus frater Oddo Cluniacum, & Maſciacum, atque Dolenſe monaſterium, ita cum rebus ad eadem monaſteria pertinentibus, Deo favente, ſuſcipiat. His igitur ita diſpoſitis obſecro vos per reverentiam, quam ſanctæ fidei & religioni debetis, o Principes & Seniores, quicumque terrenarum rerum judices eſtis, ut hanc ſcripturam mea vice loquentem, in quolibet noſtro conventu libenter audiatis; & ſicut lex divina jubet, bonis conſentientes ſitis, & tam prælatos prædictos, quam & monachos & loca cum rebus ad ipſa pertinentibus, in eo ſtatu quo & per regalia præcepta, quin etiam & per apoſtolica privilegia dudum ſancita ſunt, & nunc a me decretum eſt, permanere conſentiatis. Quod ſi quælibet vel inter ipſos, vel aliunde controverſia, quæ vobis diſcernenda ſit, forte ſuccreverit; juſtitiam ſuſtentetis, & calum-

Digitized by Google

AN.CHR. niam reprimatis, quo fiat illud quod in auctoritatibus noſtris inſertum eſt,
927 ut omnium bonorum, quæ in præfatis locis geruntur, ſicut adjutores fueri-
13. Januar. tis, ita quoque participes eſſe poſſitis. Villam autem quæ dicitur Alafracta cum omnibus ibidem pertinentibus, & quartam partem de Caldariis quas Leodonis habemus, verum etiam jam dicti prati medietatem ad Cluniacum trado eo tenore, ut per ſingulos annos cenſus duodecim denariorum Gigniaco pro veſtitura reddatur. Nec injuſtum videatur ſi Cluniaco eaſdem res aſſigno, quoniam ibi ſepulturam mihi locavi, & locus ipſe quaſi poſthumus, morte domni Guillelmi quondam incliti Ducis atque nunc mea imperfectus deſeritur. Et certe pauperior eſt poſſeſſione & numeroſa fraternitate. Et ut hoc inferam, ſi poſt filios priores & priorem locum quibus Teſtamentum feci, nobis alios divina largitas & locum & filios ampliare dignata eſt, ratum debet videri, ut poſteriores filii non exheredentur, ſed aliqua pars hereditatis noſtræ eis proficiat, qui quamvis in alio loco, tamen eidem Domino, id eſt beato Petro, in cujus nomine utrumque locum conſtruximus, ſervituri ſunt. De cetero tam Prælatos, quam & omnes fratres præſentes ſcilicet & futuros, per miſericordiam Dei, qui præſens reſpicit, depoſco, ut inter vos unanimitas ita perſeveret, quatinus modum converſationis huc uſque retentum, tam in pſalmodia, quam in obſervatione ſilentii, ſed & qualitate victus & veſtitus, & inſuper in contemtu rerum propriarum, ſi non melius, ſaltem ſicut huc uſque feciſtis, ſic deinceps cuſtodiatis. Si autem, quod abſit, ab aliquo eorum fuerit pertinaciter erratum, præcipimus per ſanctæ Regulæ auctoritatem, ut utriuſque loci Priores ad corrigendum errorem ſibi mutuo ſuffragentur. Si quis autem, quod abſit, hanc noſtram inſtitutionem in aliquo fregerit, deterreat eum vox divina, quæ dicit, *Maledictus qui transfert terminos proximi ſui*, id eſt inſtitutionem præceptorum ſuorum; & conatus ejus penitus fruſtretur: diſpoſitio vero noſtra, quæ, ut credo, per caritatem utriſque locis cupit eſſe conſultum, Deo diſponente, & beato Petro patrocinante inconvulſa permaneat.

Signum Bernonis Abbatis, qui hanc chartam fieri & firmari rogavit. Signum Vvidonis moderni Abbatis, qui hoc conſenſit. S. Oddonis Abbatis. S. Geoffredi S. Vvandalberti. Anno quarto regnante Radulfo Rege.

35. *Ex hoc Bernonis teſtamento intelligimus, ipſum de cogendis in unum Ordinis corpus monaſteriis nullatenus cogitaſſe: alias ea quæ ſub regimine ſuo habebat, non diviſurus fuiſſet in Vvidonem & Odonem, ſed unius Abbatis curæ commiſiſſet; aut ſi duos præfeciſſet, unum alteri ſubordinaſſet. Itaque num Berno Cluniacenſis Ordinis auctor atque inſtitutor dicendus eſt: an vero ſanctus Odo, aut quis alius Abbas ante ſanctum Hugonem, ſuo loco videbimus.*

36. *Quatuor monaſteria Vvidoni commiſſa ſunt, Gigniacenſe, Balmenſe, Æthicenſe, & Cella ſancti Lauteni: Odoni tria, Cluniacum, Maſciacum, & Dolenſe. De Gigniaco & Balma, ac de tribus poſtremis dictum ſuperius: hic de Æthicenſi & de Cella ſancti Lauteni paucis agendum. Æthicenſe monaſterium Balmenſi ſubjectum ſæculo* 12. *fuiſſe perſpicuum eſt ex diplomate Frederici Imperatoris relato in Bibliotheca Cluniacenſi col.* 1414. *ubi inter appendices Balmenſes recenſentur inter alia monaſterium ſanctæ Mariæ* infra urbem Biſuntinam, quod vocatur Juſſanum (*male in editis* Viſſanum) *de quo in Elogio ſancti Donati Epiſcopi Veſontionenſis Sæculo ſecundo*; monaſterium ſancti Eugendi, Ethicæ, *&c. Verum in ſyllabo Prioratuum Balmæ annexorum col.* 1741. *& ſeqq. nulla fit mentio de hoc Prioratu, niſi is ſit* Prioratus de Yſteim, *diœceſis Conſtantienſis. Notior eſt Cella ſancti Lauteni, de quo egimus in Indice Sanctorum prætermiſſorum Seculi ſecundi. Vixit ſæculo* 6. *in pago Æduenſi, ubi duo erexit monaſteria, Sieſtenſe & Maximiacenſe. Utrumque in Prioratum redactum eſt, quorum primus S. Lauteni nomen retinet, vulgo* S. Lautein: *alter vetus vocabulum Maximiacum, vernacule* Moyſnai. *Priorem obtinuerat Berno Abbas, quem Vvidoni Abbati commiſit. De hoc loco intelligenda mihi videtur charta Stephani & uxoris ejus Ermengardis, qui Aymardo Abbati Cluniacenſi tradunt curtem indominicatam,*

Digitized by Google

tam, quæ vocatur Oydeldis, cum capella, quæ eſt conſtructa in honore beatæ Dei genetricis Mariæ, ubi ſanctus Leotadus in corpore quieſcit. Sunt autem ipſæ res ſitæ in Comitatu Arvernico, in Epiſcopatu Auguſtidunenſe. *Hæc charta* anno 952. *data eſt, quam integram in Elogio ſancti Aymardi referemus. S. Leotadi reliquiæ coluntur in eccleſia Cluniacenſi. Cetera quæ in hoc teſtamento explicatione indigent, lucem accipiunt ex dictis, nempe quæ de Alafracta, & de caldariis ad ſalinas apud caſtrum Leodonis * dicuntur, Cluniaco ſub annuo cenſu attributis, ubi ſepulturam ſuam Berno deſignat; & id genus alia.*

AN CHR. 927 13. Januar.

* Lyon le Saunier.

37. *Annus quo teſtamentum ſuum condidit Berno, Rodulfi Francorum Regis quartus, coincidit cum anno Chriſti* 926. *ſub extremam vitæ periodum, uti indicat his verbis*: Et locus ipſe, quaſi poſthumus, morte Domni Guillelmi quondam incliti Ducis, atque nunc mea imperfectus deſeritur. *Id ſignantius exprimit Joannes in lib.* 1. *ubi legitur*. Per illud tempus exitiali languore cœpit decumbere beatus Berno. Mox vicinos Epiſcopos accerſivit, & ab omni ordine ſe depoſuit: inſuper & flebili voce ſe reum indignumque tali miniſterio proclamabat præfuiſſe. Rogabat autem inter hæc verba Fratres, ut ſibi quem vellent, Patrem eligerent. Tunc manibus Fratrum Pater noſter (Odo) captus & quaſi violenter conſtrictus, ac proclamantibus omnibus ut ordinaretur, coram Abbate ſuo vi eſt ductus; & cum nec ſic vellet cedere, & locum Paſtoris ſubire, ſuperatus eſt tandem Epiſcoporum conſenſu & excommunicatione. Ordinatus itaque ille: intra modicum tempus Pater Berno migravit ad Dominum. *Eodem tempore ordinatum fuiſſe etiam Vvidonem colligimus ex teſtamento, cui uterque* Abbas *ſubſcribit.*

38. *Annum atque diem, quibus Berno Abbas e vivis exceſſit, quem Baronius ad annum* 912. *non bene revocavit, Chronicon Malleacenſe rectius deſignat his verbis*: Anno 915. Berno Abbas ſuſcepit curam Cluniacenſis cœnobii, quam tenuit 11. annis. Obiit autem Idibus Januarii regnante Ludovico Rege, *ſeu Rodulfo, qui per intervallum illud, quo Carolus Simplex in carcere detinebatur, rerum ſumma potiebatur. Certior eſt auctoritas Chronici Maſciacenſis jam laudati:* Anno 926. obiit Berno Abbas. *Cum vero Idibus Januarii obierit Berno, dubitandi locus oritur, num chronographi iſti veteri calculo uſi ſint, anni initium repetendo a Martio ſeu Paſchate. Suſpicandi materiam auget Chronicon Dolenſe in tomo* 2. *Bibliothecæ Labbeanæ, ubi hæc leguntur*: Anno 927. obiit Berno primus Abbas Dolenſis. *Præfero annum* 927. *cui convenit annus quartus Rodulfi Regis, quæ eſt epocha mox relata tum ex Chronico Malleacenſi, tum ex tempore facti teſtamenti. Rodulfus enim regnum iniit a Julio anni* 923. *ac proinde annus ejus quartus a Julio anni* 926. *incipiebat. De Bernonis obitu ita Chronicon Cluniacenſe*. Berno obiit Idibus Januarii, jacetque apud Cluniacum in veteri eccleſia ſancti Petri, retro altare ſancti Benedicti, quod nunc ab aliquibus dicitur eſſe altare ſanctæ Catharinæ. *Nulla de eo memoria fit in Breviario Cluniacenſi anni* 1544. *Corpus ejus in eadem S. Petri eccleſia hactenus jacet*. Beatum *vocant Faſti Belgici Miræi*, ſanctum *Petrus Equilinus, Ferrarius, & recentiores e noſtris*. Beatum *cum Bollando appellare maluimus. In veteri Necrologio Silviniacenſi*, Idibus depoſitio Domni Bernonis Abbatis: *& in libro anniverſariorum, quæ ibidem uſque ad ſæculum* 15. *celebrari mos erat, recenſetur Anniverſarium Bernonis hoc modo*. Idus Januarii fiat plenum pro domino Bernone Abbate. Duodecim pauperes reficiantur.

39. *Is in vita ſancti Majoli per Odilonem* beatæ memoriæ Abbas; *& in actis ſancti Hugonis*, vigoris regularis tenore acerimus, ac ſanctitate decoratus vocatur. *Nec immerito de eo prædicatur* vigor regularis, *cujus fidem faciunt illæ immorigerorum monachorum querimoniæ in lib.* 1. *de vita ſancti Odonis*. Noſtis conſuetudinem Bernonis Abbatis? Heu! heu! ſi ſciretis quam dure ſcit ille monachum tractare! Correptionem vero ſuam ſequuntur verbera; & rurſus quos verberat, compedibus ligat, domat carcere, jejuniis atterit. *Sic molles & delicatuli neceſſarium rectæ normæ vigorem ferre non poſſunt, nec vitæ ſolutæ re-*

AN.CHR. 927 13. Januar. *medium. Porro quanto in obſervationes monaſticas ſtudio affectus fuerit Berno, ſatis demonſtrat in ſuo ipſius teſtamento, in quo præſentes ac futuros monachos obteſtatur, ut* unanimitatem *inter ſeſe, ac* modum converſationis huc uſque retentum, tam in pſalmodia, quam in obſervatione ſilentii, in qualitate victus & veſtitus, *ac demum* in contemtu rerum propriarum, ſi non melius, ſaltem ſicut huc uſque fecerant, deinceps cuſtodiant.

40. *Et certe ritus Cluniacenſes a Bernone habuiſſe initium, perſuaſum eſſe debet tum ex dictis, tum ex Joanne in vita ſancti Odonis. Unde mirari ſubit, cur Cluniacenſes tam parum illi hactenus tribuerint, adeo ut inter* ſui Ordinis principes & præceptores *non numeraverint, teſte Bernardo, immo nec inter Cluniacenſes Abbates, recentiores non pauci.* Sic ſancti Odo, Majolus, Odilo, Hugo, *inquit Bernardus in Apologia ad Guillelmum Abbatem*, quos ſe ſui utique Ordinis principes & præceptores habere gloriantur, aut tenuerunt, aut teneri cenſuerunt? *Apud Petrum Venerabilem in lib.* 6. *epiſt.* 15. *Odo* primus Cluniacenſis Ordinis Pater *laudatur. Et merito quidem iſte honos Odoni tribuitur, ſi plurimorum monaſteriorum regimen & incboatam ſocietatem ſpectes: ſi ritus ipſos ac vigorem diſciplinæ regularis, non minus Berno, quam Odo ejus rei auctor. Ceterum Cluniacum perfecit quidem auxitque Odo: Berno feliciter incœpit, eique per annos* 11. *præfuit. Porro in Bernonis gloriam cedere debet, quidquid Odo ejus diſcipulus egit, ſive ejus hortatu atque imperio, quales ſunt libri tres collationum, flagitante Turpione Epiſcopo de mandato Bernonis Abbatis ab Odone ſcripti: ſive ex ejus inſtitutione. Sed nimirum Odoni id contigit adverſus Bernonem, quod ſancto Bernardo Abbati Claræuallenſi in Rothertum & Stephanum primos Ciſterc ienſes Abbates, quorum Bernardus gloriam ſplendore ſuo obſcuravit.*

41. *Verum apud Benedictinos numquam præteribit memoria piiſſimi Ducis Vuillelmi, qui tot beneficiis rem monaſticam proſecutus eſt, ut maxime teſtantur ea quæ de Cluniacenſi & Dolenſi monaſteriis expoſuimus, confirmatque dotatio cœnobii Celſinianenſis* * *ab eo facta, cujus inſtrumentum retulimus in lib.* 6. *de re Diplomatica, n.* 124. *datum* in menſe Novembrio, in die Mercoris, anno 19. domino Karolo Rege Francorum ſive Aquitanorum, *id eſt anno* 19. *redintegrati in regnum Caroli Simplicis, Chriſti* 916. *Celſinianenſis hactenus Prioratus inſignis apud Arvernos ſubſiſtit ſub Cluniaco, cui attributus eſt ſub Aymardo Abbate, prout ſuo loco oſtendemus.*

*Soucillanges.

42. *In eodem pago Arvernenſi Abbas erat Archenoldus, qui ad Vuillelmum Ducem confugit, ejus auxilium imploraturus adverſus prædones & invaſores rerum ſuarum. Quippe* anno dominicæ Incarnationis 901. Indictione 4. cum eſſent in ditione ſua pagi Arvernici inclytus Comes Vuillelmus & præpotens Marchio, acceſſit ad eum quidam venerandæ vitæ Abba, nomine Archenoldus cum ſubjecta ſibi congregatione, narrans ſuppliciter, quo modo Comitis pater propria voluntate & ſuo interventu ditaverit locum, ubi ipſe & congregatio ejus moratur; quoque modo apud excellentes Reges, Ludovicum & Karolomannum, eumdem locum ſublimaverit: tandemque pravorum hominum procella deiciatur, pœnituſque vaſtetur, & in ſolitudinem redigatur: ita ut differatur ſacrificium eis, a quibus præparatum fuerat. *Supplicum votis annuit Vuillelmus, indeque chartam fieri juſſit*, & ſuo nomine roboravit, fideliumque ſuorum manibus contrectandam præbuit. *Subſcribunt* Vuillelmus illuſtris Comes, Guilelmus junior, Emmeno, Aremannus, Acpertus, Leotboldus, Gualdo, item Vuillelmus. Actum Lugduni 8. Kal. Aug. per manum Egyl ſancti Pauli Notarii. *Archenoldum hunc ſuſpicor fuiſſe Abbatem eccleſiæ Brivatenſis, in quam maxime benefici fuere Bernardus, ejuſque filius Vuillelmus, ad cujus memoriam hæc retulimus.*

43. *In pervetuſto Necrologio Brivatenſi, quod vir nobilis dominus* du Bouchet *nobis communicavit, hæc leguntur de Vuillelmo.* Prid. Nonas Julii obiit Guillelmus Pius Comes Pictavienſis, Dux Aquitaniæ. Ordinatum eſt per Capitulum, quod libretur per Bajulos panem & vinum Canonicis, & in proceſſione duos denarios Canonicis, & unum denarium Scholæ in dicta proceſſione in die obitus Guillelmi Pii Comitis ſupra dicti. *Attamen in peræque antiquo Necrologio Silviniacenſi notatur* 3. Id. Martii Guillelmus Comes, *non vero menſe Julio, quod forſan, de Vuillelmo ſecundo intelligendum.*

VITA

VITA S. HUGONIS MONACHI

CIRCA AN. 930
20. April.

ÆDUENSIS ET ENZIACENSIS PRÆPOSITI IN BURGUNDIA,

Auctore anonymo ſeculi 11. ſcriptore,

Ex mſſ. codicibus, Cheſnio, & Aprili Bollandiano

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Hugonis vitæ compendium.

1. *Hugonem, puerum ſeptennem, parentes genere & opibus illuſtres, in Pictavenſi ſancti Savini aſceterio monaſticis inſtitutis addixerunt. Inde a Badilone Comite cum aliis ſeptemdecim eductus ad ſarciendam in Auguſtodunenſi ſancti Martini cœnobio regularem diſciplinam, egregiis virtutum exemplis fulſit. Mox Bernoni (ſi ipſius Hugonis Actis hac in re fides) Comes adjunctus, Balmenſe diœceſis Biſuntinæ monaſterium adiit: unde, rebus optime compoſitis ad Cluniaci conditionem una cum eodem Bernone vocatus a Guillelmo Duce, ibidem aliquamdiu vixit Bernonis adjutor; tandem Enziacenſi Cellæ præpoſitus, locum Deo ſacravit, ibique virtutibus ac miraculis clarus, poſt annum 924. deceſſit, ut ſcribit Anonymus in ſequenti vita, cui libellum de ſancti Hugonis elevatione ſub initia ſæculi 11. [illegible], non ita multo poſt adjecit.*

Sancti Savini monaſterium.
* la Gartempe.
* la Creuſe

2. *Celebre fuit quondam, nec incelebre etiam nunc, apud Pictones ad Gartimpam * fluvium ſancti Savini monaſterium, a Ludovico Pio reſtitutum, in quo ſanctus Hugo tirocinia poſuit. Glaber Rodulfus innuit, inſtituti noſtri propagationem, aut potius reſtitutionem iſtic factam per Glannafolienſes monachos, qui metu Nortmannorum eo confugerant. Glabri verba mox referemus. Sed ante iſtud tempus Benedictus Abbas Anianenſis Savinenſibus religionem reſtituerat. Sub hæc,* anno ſcilicet ab Incarnatione octingenteſimo (*quadrageſimo*) quinto, RAYMUNDUS, *Comes Lemovicenſis* religioſiſſimus, quoddam conſtruxit cœnobium: quod vocatur Roſiacum, (Rufec *appellant, ſitum ad Crauſiam * amnem in pago Bituricenſi ad fines Pictavienſes, ſeptem leucis a monaſterio ſancti Savini*) rogavitque reverendum DODONEM Abbatem monaſterii ſancti Savini, ut habitatores monaſterii ſui in regularibus obſervantiis informaret. Quo facto, Dodo Abbas, habito tractatu cum prædicto Comite, a Lemovica ad Roſiacum, cum hymnis & Dei laudibus, corpus beati Alpiniani honorifice detulerunt. *Hæc leguntur in Aprilis Bollandiani tomo 3. pag. 480. col. 2. Poſt annos fere quindecim, id eſt ſub annum* 860. hoſtium infeſtationibus, *ut Glabri Rodulfi verbis utar*, expulſi Monachi a monaſterio Glannafolio, quod ipſe *ſanctus Maurus Regulæ ſancti Benedicti in Gallia inſtitutor*, conſtruxerat in Andegavenſi territorio, venienteſque ad monaſterium ſancti Savini Confeſſoris Pictavenſis, tulerunt ſecum totam, quam valuere, ſupellectilem; ibique per aliquod ſpatium temporis, iis quæ didicerant, operam dedere. Rurſuſque illo frigeſcente ejuſdem diſtrictionis tenore, apud monaſterium ſancti Martini Auguſtidunenſis ſuſcepta dignoſcitur aliquotiens viguiſſe. Deinde vero quaſi tertia tranſmigratione, in ſuperiore Burgundia locatum Balmenſe occupavit monaſterium. Ad ultimum prædicta inſtitutio jam pæne defeſſa, auctore Deo elegit ſibi ſapientiæ ſedem in monaſterio Cluniaco. *His verbis innuere videtur Glaber, reſtitutionem diſciplinæ Benedictinæ ex Glannafolienſi in ſancti Savini, atque inde in ſancti Martini Æduenſe monaſterium, tertio in Balmenſe, ac demum in Cluniacenſe propagatam fuiſſe. Hugonis vitæ ſcriptor id ita interpretatur, quaſi Berno ex monaſterio Æduenſi eductus ſit ad Balmenſe aſceterium reformandum tametſi ex ſuperiori Bernonis Elogio perſpicuum eſt, Bernonem Gigniaci tum reſediſſe, cum Balmenſe monaſterium ei a Rodulfo Rege commiſſum eſt. Atqui a veri ſimilitudine non recedet, qui Bernonem dicet inſtituti ſui diſciplinam accepiſſe ex Æduenſi ſancti Martini aſceterio, quod ſancti Savini Pictavenſes monachi, a Benedicto Anianenſi primum, deinde a Glannafolienſibus informati, in melius reſtituerant. Hinc ad Cluniacenſes profluxere inſtitutiones beati illius Euticii, quem Benedictum Anianenſem eſſe alibi oſtendimus.*

Glaber l. 3. c. 5.

Auguſtoduni duo cœnobia.
* Autun

3. *Auguſtoduni * in ſuburbio duo fuere antiquitus virorum monaſteria, unum ſancti Symphoriani pervetuſtum, cui ſanctus Germanus, poſtea Pariſiorum Antiſtes, præfuit Abbas: alterum ſancto Martino conſtructum, dotatumque a Brunechilde Regina, ubi hæc ſepulturam accepit. Ibi viſitur adhuc ſepulcrum ejus marmoreum, quod 7.* Kal. *Septembris anni 1633. reſeratum eſt.*

S. Martini cœnobii Abbates.

4. *Eidem loco primus Abbas datus eſt* LUPO, *notus ex vulgata Gregorii M. epiſtola: quem forſan Luponem excepere* MEDERICUS *Abbas Æduenſis*, VVINOBERTUS *in vita ſancti Leodegarii memoratus, atque* GAUDERAMNUS, *qui Vvidradi Abbatis Flaviniacenſis teſtamento ſubſcripſit. Inde ad cœnobii inſtaurationem ſæculo 9. factam, Abbatum mentio nulla, ad* ARNULFUM, *quem Badilone ſuffragante Fratribus præfectum Hugonis vitæ ſcriptor commemorat. Eo regente coa-*

cta

Digitized by Google

CIRCA AN. 930 10. April.

cta eſt Auguſtoduni ſynodus Epiſcoporum, anno 378. in qua procurante Ludovico Balbo, monaſterii juribus atque bonis proviſum eſt.

5. *Arnulfo* Badilonem *ſufficiunt indices: qui Badilo, an ipſe Comes monaſterii inſtaurator, ejuſve nepos æquivocus hic laudatus, aut ſane Badilo alter uterve, qui ſanctæ Mariæ Magdalenæ corpus Vizeliacum tranſtuliſſe dicitur, mihi fateor incompertum.*

Perard. monum. Burg. p. 37.

6. *Badiloni poſt* Gregorium *anno* 894. *Abbatem, atque* Davidem *brevi fato functum,* Aimo *ſive* Eimo *ſucceſſerat ante annum Caroli Simplicis ſextum, ut patet ex ipſius charta apud Perardum edita, ubi ratam habet cujuſdam capellæ commutationem, & Hugonem* Entiacenſis Cellæ præpoſitum *vocat. Ejuſdem Eimonis Rodulfus Rex meminit in charta a nobis edita; eique ſucceſſorem Hugonem deſignat. Datum diploma* anno Rodulfi Regis 1. Indictione 12. *quæ anno Chriſti* 924. *reſpondet. Herivei quoque Æduenſis antiſtitis teſtamento ſubſcribit Aimo Abbas poſt Epiſcopos omnium primus: ex quo viri dignitas & Martiniani cœnobii prærogativa elucet, Ejus obitus* 8. Kal. Julii *etiam in Necrologio Benigniano conſignatur.*

De re diplomat. p. 564.

7. *Aimonem Abbatem ſequitur in mſs. indicibus* Hugo *primus, ea forſan ratione, quod is a Rodulfo Rege ſucceſſor Aimoni deſignatur: at quid exinde ſecutum ſit, vel qualem ſe virum Hugo a Rodulfo memoratus præſtiterit, vetera ſilent monumenta. Hic, ſi Abbas præfuit, alius ab Hugone noſtro cenſendus eſt, quem etſi ſubjectæ vitæ titulus in mſ. codice præfert Abbatem, ipſa orationis ſeries monachum dumtaxat vixiſſe ſatis evincit.*

Labbe tomo 1. Bibl. novæ pag. 261. & 264.

8. *Tres inſuper alios Hugones ejus monaſterii Abbates invenio; nempe* Hugonem *Benignianum monachum, ab Hugone Flaviniacenſi in Chronico laudatum, qui* ad eamdem eccleſiam in priſtinum ſtatum Ordinis & religionis reſtituendam de eccleſia Divionenſi raptus, & ibi Paſtor inſtitutus, cum multa adverſa paſſus fuiſſet, & nec nocte, nec die requieſceret; cum etiam de monaſterio expelli ad horam quos ſecum adduxerat a Divione vidiſſet, & poſt ſecuri percuſſus pæne cerebro vacuatus eſſet; indefeſſus perſtitit, & noviſſime (ut dicitur) veneno vitam finivit, bravium beatæ perennitatis adeptus. In cujus obitus omnis illa religioſitas cœpta deperiit. *Obiit anno* 1099. *Alius item Hugo Abbas ſancti Martini Æduenſis anno* 1210. *ac tertius anno* 1292. *degebant.*

Reliquiæ.

9. *Ex ejuſdem loci Martyrologio diſcimus plurimorum Martyrum corpora illuc delata: quam narrationem propriis Martyrologii verbis referre non pigebit.* 12. Kal. Septembris in Oſtia civitate paſſio ſanctorum martyrum Hippolyti, Taurini, Herculiani, Felicis, Senatoris, qui ſub Claudio Principe palmam adepti, regna cæleſtia perceperunt: quorum corpora a Chriſtianis cum reverentia ſepeliuntur. Unde poſtmodum tranſlata, in Auguſtodunenſi civitate, in eccleſiam almi Præſulis Chriſti Martini cum honore tumulata ſunt. Sed longo poſt tempore ab Epiſcopo Cabilonenſi, & bonæ memoriæ Domno Hugone ejuſdem cœnobii ſancti Martini Abbate, & ab ipſius loci monachis, viris religioſis & honeſtis, necnon & ab univerſo Clero circumquaque adveniente honorifice recondita. *Nunc iterum aliqua de S. Hugone Monacho, ejuſque cella Enziacenſi prælibanda ſunt.*

Enziacus Prioratus.

10. *Poſita eſt hæc Præpoſitura, vulgo* Anzy le Duc, *una leuca a Ligeri fluvio & Marciniacenſi parthenone celebri Ordinis Cluniacenſis, in diœceſi Æduenſi, pendetque a cœnobio Martiniano, in quo ſancti Hugonis natalis dies* 13. Kal. Maji *celebratur ſub ritu duplici: Tranſlationis vero (quæ anno* 1001. *contigit) memoria quotannis* Idibus Decembris *ſemiduplici officio recolitur. Mos quoque ante aliquot annos erat, ut qualibet feria ſecunda vacante, ejuſdem ſancti commemoratio ſimplex ageretur, qui ritus poſt modum abrogatus eſt. In Martyrologiis Gallicano & Benedictino celebris eſt ſancti Hugonis mememoria, cujus vita ab anonymo ſæculi* 11. *ſcriptore exarata, hunc habet titulum in mſ. codice Æduenſi.* Incipit Vita Sanctissimi ac Beatissimi Hugonis Monachi.

S. Hugonis cultus.

1. AUctor Univerſitatis benigniſſimus manens in ſimplici deitate trinus, qui hominem formavit propriæ bonitatis inſtinctu, ne tanto colono viduatus abſque ſui intellectu degeret mundus: ſicut enim adimpletio hominis eſt inſpiratio trinæ divinitatis; ita completio mundanæ dignitatis, inſtitutio formæ humanitatis, &c. Idcirco igitur priſcorum ac venerabilium patrum Catholicorum informati roboratique traditionibus & exemplis, optamus qualicumque ſermone domni atque religioſiſſimi viri ac ſanctitate præcipui Hugonis, aliquorumque ipſius confratrum & ſociorum vitam, necnon & converſationem pie in Chriſto viventibus palam facere.

Ad S. Benedicti normam S. Hugonis exacta vita.

2. Conſtat ergo relatione veridica ac non mediocri auctoritate ſubnixa, ſanctiſſimum patrem Benedictum ubique terrarum notiſſimum, illorum Fratrum monachorum fuiſſe pædagogum, quorum educaminis linea enutrivit, atque ad perfectionis culmen direxit ſanctum ac venerabilem Hugonem monachum, illiuſque contubernales in regulariſſima, necnon & ſanctiſſima diſciplina. Siquidem ideo iſta præmiſimus, ut a quanta perfectione primitus ejuſdem exordium cœperit, Religioſorum auribus inculcaremus.

3. Præ-

Digitized by Google

3. Præterea eodem tempore quo iſdem præcellentiſſimus Pater jam dictus Caſini montis cœnobio præerat, quidam ſpectabiles viri à partibus Galliarum divino ſpiritu acti ob amorem ſanctæ religionis, quam in eo eſſe fama paſſim vulgante didicerant, legationem direxerunt ad eumdem Patrem, qualiter aliquos de ſuis monachis regularibus diſciplinis imbutis ad Gallias dirigeret, ut monachile inſtitutum, quod pæne in illis partibus adnullatum deperierat, aliquatenus reformare ſatagerent, qui Pater ſanctiſſimus illorum petitionibus benigne annuens, protinus eligens de ſuis duodecim fratres; quibus etiam præfecit ſuum dilectiſſimum alumnum, videlicet ſanctiſſimum Maurum monachum. Illi quoque protinus cum tanti Patris benedictione & gratia iter arripientes, licet cum difficultate aliqua & laboris gravamine, ad Gallias devenerunt. Tunc vero aliter valde quam ſperare poterant, illis dignoſcitur eveniſſe. Tandem quippe in territorio Andegavenſe monaſterio ſtabilito, in loco qui Glannifolium cognominatur, ibidem multorum ad eum confluentium fratrum in brevi tempore facta eſt congregatio permaxima: quibus etiam, ut beatiſſimus Benedictus inſtituerat, illorum pater exſtitit ſanctiſſimus Maurus. Floruit enim ibidem ſanctæ Religionis inſtitutio, quamdiu vixit, ac poſt ejus obitum in longinquum.

CIRCA AN. 930 20. April. B. Maurus a S. Benedicto miſſus in Galliam.

Glannafolienſe condit cœnobium.

4. Subſequenti quoque in tempore, poſt aliquot annorum curricula, occulto Dei judicio, ſeu propter ultionem plebis peccatricis, egreſſa eſt Nortmannorum gens a tranſmarinis partibus, quæ beſtiali ferocitate immaniſſima permaximam Galliarum partem depopulans latiſſimas ſtrages dedit. Tunc etiam præfatum cœnobium cum aliis quam plurimis ſociorum locis omni honeſtate propriæ ſupellectilis exſpolians, in eremiticam redegit ſolitudinem. Quod cernentes Monachi ejuſdem cœnobii, arripuerunt fugæ præſidium cum omnibus quæ ſecum ferre poterant, uſque dum devenirent in Pictavenſe territorium, ad ſancti videlicet martyris Savini monaſterium, quo in loco reſumtis viribus, Deo ſibi auxiliante, cœpit longe lateque norma regularis per eoſdem Fratres diverſis in cœnobiis bona fruge multipliciter propagari, multoſque etiam ſimiliter, quos vita & ambitio ſæcularis irretitos olim retentaverat, ſub jugum ſanctæ Regulæ applicare: qui tamquam ex ferociſſimis belluis in mitiſſimas Chriſti oviculas ſubito ſunt immutati, ipſius regnum cum ſanctis & fidelibus feliciter percepturi. Ipſi quoque Francorum Reges, necnon & devotiſſimi totius regni Præſules a primo Childeberto Rege, qui beatum Maurum ultra omnes ſuſcepit, devotiſſime ſemper illos excoluerunt ſumma veneratione.

quo a Nortmannis violato,

Monachi fugiunt ad Pictavenſe S. Savini cœnobium.

Loci ejus obſervantia regularis.

5. Præterea cum ad eumdem locum ex diverſis orbis partibus evocatio divina quarumque conditionum univerſos viros ob amorem regni cæleſtis congregaret, contigit tunc ut clariſſimum virum, domnum ſcilicet Hugonem, parentes illius puerum ferme ſeptemnem Dei omnipotentis ſervituti ſatis devote atque honorifice ibidem applicarent. Fuit enim pater ejuſdem vir ſpectabilis curiæ, atque induſtria militari inſignis; opum vero & latifundiorum largus poſſeſſor: mater vero inter matronas egregia, pari dignitate præcipua; ambo tamen cives & natione Pictavenſes, qui puer optimæ indolis ſcientiæ litterarum efficiebatur capaciſſimus, humilitatis quoque, ac totius probitatis luculentiſſimus. Cluebant namque in eodem cum incremento corporis inſignia ſanctitatis: eratque tam ſenioribus quam coævis carus & amabilis univerſis. Geſta vero & inſtituta ſanctorum Patrum memoriter retinens, lectioni atque orationi inſtabat aſſiduus, potius quam frequens. Non enim ſibi tantum, ſed magis Deo vivere geſtiens, publice & privatim pro Chriſti amore pariter & timore honeſte ac dulciter cunctis obediens. Sæcularis etenim pompæ cothurnum ita fugiens, ac ſi morſu appetiſſet eum lividus ſerpens; non minus itaque vitabat peſſimæ detractionis jaculum, a quo taliter avertebat auditum, quam ſi contra ſe graſſari mortiferum ſenſiſſet venenum. A verbis nempe noxiis & inanibus ſic cuſtodie-

Ibi Hugo puer recipitur,

ſtudet virtutibus.

Digitized by Google

CIRCA AN. 930 20. April.

diebat os ſuum, ut ſermo ipſius ſtatera diſcretionis moderatus, ac ſpiritali gratia conditus cunctis eſſet carus ac benevolus. In abſtinentia ergo talis illi erat ſobrietatis modus, ut triduanis jejuniis laudabiliter proferretur. Communis etiam amor, ac rerum licitarum participatio, hujuſmodi veluti vitæ inſitum; ut nullo modo diligeret in rebus conceſſis magis partem cenſus quam totum. Munditiam itaque mentis & caſtitatem corporis, ſimulque largitionem eleemoſynarum indefeſſus operator ſine interpolatione exercebat. De quavis nempe re, a quocumque interpellatus, dabat tale conſilium, ut jure crederetur animarum medicamentum.

Sacris ordinibus initiatur.

6. In proceſſu vero temporis optimis illius exigentibus meritis, ad miniſterium ſacrorum Ordinum tam a Patre ejuſdem monaſterii, quam a ceteris fratribus promoveri decernitur. Ille tamen humiliter renitens, ſeque indignum pronuntians, timenſque illud quod plurimis contigit, qui dum inſulſe cupiunt ſæculi lucrum, incidunt in ſuæ animæ damnum. Et quoniam beatus homo qui ſemper eſt pavidus; licet eadem lectio dicat, quod juſtus quaſi leo confidens abſque terrore erit. Utrumque nimirum in uno eodemque homine poſſibile eſt fieri, timor ſcilicet humanæ fragilitatis, confidentia vero fidei puræ ſinceritatis. Tandemque vir devotiſſimus illius veritatis exempli memor quod ait, *Non veni facere voluntatem meam, ſed ejus qui miſit me*; paruit obedienter in cunctis ſeniorum præceptis: ſicque ex more eccleſiaſtico gradatim ſacratus proceſſit uſque ad natinei *a* officium. Et licet in minoribus gradibus adhuc conſtitutus, tamen ipſis reverentiſſimis ſacerdotibus erat admirandus. Non poſt multum quippe temporis ſpatium effectus veſticeps *b*; ad leviticum promotus eſt gradum. Quo per aliquot annos ſtrenuiſſime functo, ſacerdotalem eſt dignitatem. Tunc denique omni virtutum decore ornatus, ut nullius tunc temporis in eadem provincia ei inveniretur ſecundus.

Prov. 28. 14 & 1.

Joan. 6. 38.

fit Diaconus, tum Sacerdos.

7. Regebat ergo illis diebus regnum Francorum Carolus Rex, cognomento & habitu Calvus, cum Regina Chrodechilde * ipſius conjuge, utrique Dei omnipotentis timoris pariter & amoris munere inſigniti. Idcirco igitur totius regni ipſorum partes ſumma pax & tranquillitas gubernabat. Paganorum quoque infeſtationes, quæ olim patriam debacchaverant, omni ex parte ſedatæ erant. Rex ergo pariter & Regina in reſtaurandis eccleſiis ac monaſteriis, quæ barbarorum hoſtilitas atque rabies deſolaverat, certatim inſiſtebant. Totum enim pæne ſui reipublicæ regni cenſum in hujuſmodi expenſis tribuebant. Erat quippe in ipſius Regis palatio tunc temporis Comes quidam Badilo nomine, qui veniens ab Aquitaniæ partibus; vir licet in ſæculari vita poſitus, correctis tamen & religioſis moribus & converſatione ſacris viris per omnia conſimilis. Exſtiterat enim opum gratia opulentiſſimus, & auri argentique ditiſſimus. Qui cernens Regem, necnon & Reginam in reſtaurandis eccleſiis Dei toto conamine inſervire, zelo divino & ipſe ductus, cœpit illorum in hac parte devotus ac pius æmulator exſiſtere. Qui inter ceteras paganorum ſtrages, conſpiciens apud civitatem Æduam egregii confeſſoris Chriſti Martini monaſterium, olim a Regina Brunechilde nimium excellenter atque honorifice conſtructum, tum tamen miſerrime dirutum atque omni ſupellectili nudatum atque dehoneſtatum; accedenſque incunctanter iſdem Comes ad Regem humiliter petiit, ut ſibi ad reſtaurandum daretur præfatum monaſterium. Dicebat etiam ſpondens ſe in voto habere, ut poſt monaſterii reſtaurationem, ſeipſum ibidem relictis ſæculi curis honorumque ſollicitudinibus Domino mancipaturum: quod denique poſtmodum annuente Chriſto rei probavit eventus. Hoc igitur Rex pariter & Regina comperientes, libentiſſime aſſenſum præbuerunt; & ut expetiverat conceſſe-

* l. Richilde.

Carolo Calvo regnante, paganorum infeſtationes.

Badilo Comes Aquitanus.

Æduenſe S. Martini monaſterium a Brunichilde erectum inſtaurat,

Rege annuente,

a Editores expuncta *Natinei* voce, *Acolythi* ſuppoſuerunt. At quid vetat hujus vitæ ſcriptorem græciſſare ſæpe geſtientem, Natinei nomen hic uſurpaſſe ad deſignandum Clericum minoribus Ordinibus inſignitum.

b Veſticeps, id eſt pubertatis annos ingreſſus vel etiam emenſus.

Digitized by Google

CIRCA AN. 930 20. April.

ſerunt : inſuper & juvamen ei polliciti ſunt impenſuros in cunctis quæ illi expedire cernerent. Statim denique vir devotiſſimus certatim actutum ſumma cum feſtinatione hujuſmodi utenſilia operis apta coadunavit, atque inſtanter labori inſiſtens uſque dum ad perfectum duxit, qualiter potuit, totum baſilicæ reintegravit opus.

diſtracta bona recuperat. Brunichildis Reginæ pietas.

8. Qua prout valuit reformata, atque per Pontificum manus iterum conſecrata, cœpit ſollicite inquirere ejuſdem loci poſſeſſiones, quæ olim illi largiſſime per liberalitatem Brunechildis Reginæ ſeu aliorum Regum privilegiis conceſſæ fuerant. Fertur enim primitus ipſius cœnobii ſumma fuiſſe totius poſſeſſionis ad centum uſque milia [a] manſos. Exſtiterat enim præfata Regina in eccleſiarum baſilicis conſtruendis affluentiſſima, in memoriis plurimorum ſanctorum & beatæ Mariæ ſemperque virginis, ſanctique Petri Apoſtolorum principis, & beati Levitæ & martyris Vincentii: quamvis vulgi fama illam in quibuſdam ex parte fuſcaret. Interea beatiſſimum Martinum Confeſſorem ſemper ultra omnes excolens, in voto habebat, atque in Dei honore & ipſius Confeſſoris nomine ceteris pluriores eccleſias ac monaſteria ædificari juſſit, & de propriis theſauris necnon prædiis honorificentius ditavit. Statuerat denique ante ſuæ mentis oculos, quoniam Martinus, qui partem ſui indumenti pauperi tribuit, Chriſtum veſtivit; præ cunctis tamen iſtud extulerat cœnobium in quo ſuæ ſepulturæ mauſoleum habere decreverat. Nam inter cetera donaria quæ illi contulerat, columnis etiam marmoreis ac trabibus abietinis formoſis illud decenter inſtituit, & muſivo opere mirifice decoravit. Habebat enim eadem Regina religioſos ac ſanctiſſimos Præſules ſanguinitate ſibi proximos affineſque, fratrem ſcilicet germanum ſanctum Syagrium Auguſtodunenſem Epiſcopum, inter Pontifices egregium; & nepotem quoque beatiſſimum Deſiderium Autiſiodorenſem Epiſcopum, inter Præſules Pontificem nobiliſſimum. Sanctiſſimus denique Papa urbis Romæ Gregorius in tanto amore ac diligentia illam habebat, ut plurimas ei epiſtolas mitteret; atque per ipſam, ipſis & regni primatibus de ſtatu catholicæ Fidei & religione eccleſiaſtica commonefaceret : gratulans valde devotioni ipſius & largitati, quam in honorificentia omnipotentis Dei liberaliſſime impendebat. Luponi quoque primo ejuſdem loci Abbati propriam direxit epiſtolam, hortans illum, qualiter religioſitatem gregis ſibi commiſſi cuſtodiret, atque tam Deo, quam hominibus iter juſtitiæ gradiens, placere ſtuderet. Præcepta etiam regalia, necnon & privilegia ipſius loci iſdem Pontifex anuli ſui impreſſione ſigillans roboravit : locum vero ipſum, ſicut Reges Francorum ſtatuerant, ab omni humana ſubjectione decrevit eſſe liberrimum. Deinde ſub anathemate imprecatus eſt omnem invaſorem rerum ipſius loci, ac tranſgreſſorem ejuſdem decreti : quod utique ſtatutum decentiſſime ab univerſis cuſtoditum eſt uſque ad Barbarorum invaſionis depopulationem. Tunc quippe cum cetera ſuppellectili edax ignis comſumpſit quæcumque in futurorum notitiam devenire potuiſſent. Perſpicuum enim eſt quoniam ſicut lux ſolis conſtituit diem fugatque tenebrarum caliginem, ita litteræ illuſtrant præteriti ſæculi antiquitatem & fugant oblivionem. Sed jam nunc ad narrationis ordinem redeamus.

cultus ſanctorum

Frater ejus Syagrius, Deſiderius nepos.

hanc Gregorius M. laudat.

Greg. M. lib. 11. epiſt. 12.

S. Martini cœnobium privilegiis munit.

inſtrumenta igne conſumta.

Badilo Monachos ex aſceterio S. Savini huc adducit.

9. Poſtquam denique vir illuſtris Badilo, prout poſſe habuit, loci reſtaurationem exercuit, cœpit anxie perquirere viros ſanctæ religionis doctrina imbutos, qui in eadem domo Dei dignanter eidem ſervitutis officia perſolverent : qui dum hoc ſedule ageret, reduxit ad memoriam beati Martyris Savini cœnobium, in quo olim noverat ceteris honeſtius diſtrictiuſque vigere inſtituta monachorum Regulæ. Pergens quoque protinus illuc, adduxit inde viros numero decem & octo monachorum religioſiſſimos : inter quos etiam excellentiſſimum meritis ſanctum ac venerabilem Hugonem, in quo pendebat

in his Hugonem, Oddonem, ac Joannem.

[a] Fidem hoc loco excederet auctor, ſi manſi nomine coloni villam intelligeret. At ſenſum longe anguſtiorem recipit hoc vocabulum, quandoquidem Otto Dux Saxoniæ Gandersheimenſi parthenoni tradiſſe perhibetur *prædium 11. milium manſorum*, in Chronico Saxonico mſ. ad annum 907. quo nomine jugera intelligi videntur.

Digitized by Google

CIRCA AN. 930 20. April,

bat cura ceterorum fratrum totius moderaminis; alios quoque duos inter ceteros non diſpari ſanctitate monachos, domnum ſcilicet Oddonem, virum ſagacem & mitiſſimum, atque Joannem admodum humillimum. At ubi ad præfatum Auguſtodunenſe cœnobium devenere, inſtructis regularibus officinis, veluti ſeges uberrimi ſoli, cœperunt centuplicatum Deo agricolante producere fructum, clauſtrorum videlicet munificentiam, ſilentii taciturnitatem, jejuniorum parſimoniam, necnon & eleemoſynarum largitatem, peregrinorum ſuſceptionem cum hilaritate, ſimulque hoſpitium univerſorum. Deinde vero in omnibus ſuis actibus & corporum geſtu, in loquela oris & moderatione ſermonum, ac per omnia & in omnibus his revera glorificabatur Deus: taliter ſcilicet, ut quicumque aliquem ex illis cerneret, divinum ſpiritum in eo eſſe minime dubitaret. Tunc jam cœpit fama loci ipſius circumcirca divulgari, atque ſitibundo pectore a fidelibus exoptari.

Arnulfus Abbas eligitur,

10. Interea nempe elegerunt ſibi unanimes Patrem & Abbatem, vita & moribus probatiſſimum, Deoque & hominibus probabilem, domnum ſcilicet Arnulfum, cum conſenſu tamen & voluntate illius protectoris, domni videlicet Badilonis, virum per omnia, ut poſtmodum claruit, uti expediebat utiliſſimum, qui quamdiu in corpore vitam duxit, tam in divinis rebus, quam in humanis ita omnibus in commune profuit, veluti optimus pater dulciſſimis filiis. Hic tamen in cunctis quæ agebat dictatore & conſolatore præ cunctis domno fruebatur Hugone, qui gratia humilitatis obediebat patri vice humillimi didaſcali. His vero ita geſtis, cœpit poſtmodum vir Dei Badilo de propria ſalute acrius ſollicitus eſſe, qualiter ſæculi hujus ambitiones & illecebras poſtponeret, ſemetque in monaſterio tonſorare, & monachum fore diſpoſuit. Audientes quoque Fratres, quos a Pictavenſi provincia ipſe illuc deduxerat, & præcipue domnus Hugo, cujus hortatu converſus fuerat, gaviſi ſunt valde. Quod utique dum expleſſet, quantæ humilitatis, quantæque patientiæ atque obedientiæ exſtiterit, a nemine poteſt enarrari, quem etiam venerabilis Hugo ſpeciali amore regularibus monitis benigne inſtituens, perfectiſſimum Chriſti militem reddidit. Habebat igitur iſdem Badilo nepotem ſibi æquivocum, benignæ ſatis indolis; quem etiam a ſæcularibus negotiis abſtrahens, in eodem monaſterio ſecum divinæ ſervituti mancipavit. Non minus quidem & ipſe, ſecundus videlicet Badilo *a*, in cultu divino devotus atque perfectus exſtitit. Tunc denique fama bonorum operum loci ipſius in longinquum propagante, multi relinquentes mundi hujus vanitates & pompas, iter mandatorum vitæ perpetuæ arripientes, ibidem committebantur; in quorum præcipue ſpiritali gymnaſio præcipuus judex & inſtitutor datus & ſemper aſſiduus exſtiterat Hugo ſanctiſſimus. Ipſi quoque Francorum atque Auſtraſiorum Reges, ac totius Galliæ proceres, veluti priſco in tempore ipſius cœnobii conſtitutionis, ut beati Papæ Gregorii regiſtrum habet teſtimonium, in tanta veneratione ac reverentia illud cœnobium habuerunt cum omnibus quæ ipſius eſſe videbantur, ut ſi quiſpiam quibuſcumque hominum contra jus faſque adverſus illud ageret, reus majeſtatis atque ſacrilegus reputaretur. Res quæ fuerant primitus ipſi loco editæ, utriuſque regni undecumque collectæ, tam cis Ararim, quam citra Ligerim & infra ſpatium duorum, integerrime, quantum inquiri poſſe fuit, reſtitutæ ſunt.

(Margin: adjutorem nactus Hugonem, quo hortante Badilo fit monachus. — cum æquivoco Badilone nepote. — Æduenſis cœnobii ſanctitas & celebritas, — opes reſtitutæ,)

Oddo S. Hugonis ſocius, ad Crucem orans elevatur in aëra,

11. Interea contigit ut unus illorum fratrum ex ſupra taxatis, domnus videlicet Oddo, ſancti Hugonis familiaris amiciſſimus concors, haberet uſui poſt expletionem matutinalis ſynaxis, ut beatus permittit Benedictus, in Oratorio peculiaris gratia orationis remorari: qui dum ſedule id ageret, atque cum lacrymarum imbribus & compunctionum cordis gemitibus, Creatorem univerſorum tam pro ſuis, quam pro aliorum peccaminum ſolvendis ne-

a An is ipſe Badilo monachus, qui ad annum 849. corpus S. Mariæ Magdalenæ Vizeliacum tranſtuliſſe dicitur.

Digitized by Google

nexibus exoraret, oſtenſum eſt mirum dictu & inſigne miraculum. Contigit ergo una dierum, ut more ſolito veniens ante ſignum ſalutaris Crucis ipſiuſque Salvatoris imaginis, quod reſtat decenter erectum in monaſterii *a* medio; dumque expanſis manibus in mentis jubilo ad cælum oculos dirigeret, viſus eſt a quibuſdam, qui ſpeculandi cauſa proſecuti illum fuerant, in ſublime aeris elevatus ſpatio ferre altitudinis trium ulnarum alacriter unius horæ ſpatio immobilis perſiſtere: eademque hora ipſa Jeſus-Chriſti domini ac ſalvatoris icona cruci affixa viſa eſt ab ipſis ſpeculantibus contra eumdem virum Dei ſeſe humiliter inclinare. Erat enim tam ipſe præfatus Abbas, quam ceteri qui iſta conſpexerant, nimium paventes; & alta admiratione perterriti, non habebant quid dicerent. Ante nempe plurimorum jacula conviciorum atque irriſionum in eum intorſerant, dicentes muſſitando, quod gloria vanæ jactationis poſt communis perſolutionis fratrum obſequia ſolus in oratorio remoraretur. Deinceps tamen fallaces exiſtimationes & linguas omnes æmuli compeſcuerunt, virumque ſanctitate dignum ſummo cum honore & reverentia, ut decebat, poſtmodum venerati ſunt univerſi. Nam & plurimorum infirmorum ſanitates per ipſum Dominus fieri contulit, multiſque virtutum miraculis uſque in finem vitæ claruit, quæ etiamſi notarentur, maximam voluminis partem operirent.

CIRCA AN. 930 20. April.

ei ſe Cruci-fixi effigies inclinat,

Inde omnium ſtupor,

& reverentia.

12. Tunc igitur per diverſa terrarum procul, & in vicinis cœnobii humiliter expoſcentes rogabant ſibi dari ad regimen ſuorum, correctionemque morum, de perſonis monachorum ejuſdem monaſterii, quod utique noverant cunctis excellere in religionis ſanctitate. Balmenſe igitur cœnobium inter cetera erat tunc temporis omni regulari diſtrictione deſtitutum: ad cujus regimen invitati, communi conſilio delegerunt prætaxati Chriſti tirones unum ex ſuis, vigoris regularis tenore acerrimum ac ſanctitate præditum, nomine Bernonem *b*, qui, ut rerum exitus perdocuit, divinitus electus exſtitit: qui Abbas conſtitutus, præfati cœnobii regimine, ſemper quæ Dei ſunt proclivius habens, magis animarum lucris, quam rebus tranſitoriis inſiſtere, multiplicem in brevi ovilis Chriſti coadunavit gregem. Cui etiam more ſolito, ut in ceteris, domnus Hugo per omnia fidiſſimus adjutor exſiſtens, qui creditum ſibi talentum a Domino, ut epibata ſagaciſſimus, amplificare ſtudebat. Hoc denique cœnobio domi foriſque diverſis bonorum copiis referto, plurima ad ipſius exemplum per eoſdem viros aut noviter fundata, ſeu in melius reformata claruere monaſteria.

Balmenſi cœnobio præfectus Berno.

Hugonem adſumit.

13. Erat igitur tunc temporis Guillelmus Arvernorum Dux, & Aquitanorum, Primorum Celticæ provinciæ liberaliſſimus, cujus familiares Milites ſæpius ipſum Balmenſem frequentabant locum, qui a præfato Abbate necnon a fratribus ejuſdem loci affectuoſe excipiebantur. At ipſi revertentes ad dominum ſuum, quidquid boni vel honeſtatis ibidem conſpexerant, oppido diligenter illi referebant. At ille, ut erat vir omni bonitate conſpicuus, cœpit mente tractare, ſi quomodo valeret talem reperire locum hujuſmodi religionis uſibus congruum, qui protinus mittens ad virum Dei Bernonem, mandavit illi ut ad ſe quantocius deveniret. Ipſe vero illico occurrens ei, devenit ad eum in locum revera a Deo bonorum omnium largitore prælectum, atque æternæ ſaluti prædeſtinatum, cognomento Cluniacum: ad quem cum veniſſet, habens ſecum clariſſimum Hugonem, ejus conſultu univerſa agebat. Statim vero jam dictus Princeps dum ſuſcepiſſet eos ſummo cum amore, patefecit eis ſuæ mentis deſiderium, de conſtructione videlicet cœnobii quod optabat explere, ſi divinitas annueret illi. Qui dum circumqua-

A Guillelmo Duce vocatus,

Cluniacum erigit.

a Id eſt Oratorii ſeu eccleſiæ. Viſitur etiam nunc in Æduenſi ſancti Martini cœnobio hæc Crucifixi Domini effigies, quæ Fidelium concurſu honoratur.

b Quæ hic tum de Balmæ emendatione, tum de Bernone dicuntur, quatenus vera ſint, conſule ſupra Bernonis elogium, & hic obſervationes prævias.

Digitized by Google

CIRCA AN. 930 20. April.

quaque loca circumjacentia ſuſpicaciter intuiti fuiſſent, nullum ad hujuſmodi congruentiam tam habilem repererunt locum, ſicuti Cluniacum. Sed cum diceret iſdem Dux, propter infeſtationem canum venatoriæ induſtriæ, quæ ibidem ſemper morabatur, fieri non poſſe; fertur Abbas facete ac jocundanter, ut erat vir prudentiſſimus, tale eidem Duci reſponſum dediſſe: „Tolle, inquiens, canes exinde, & immitte monachos: tu enim „ipſe bene noſti quod præmium reſtet tibi canum a Domino, vel quæ „merces monachorum. At ipſe ſumma cum exſultatione gaudens, ſuſce„pit verba viri Dei, & ait: Saniore, Pater, prudenter es uſus conſilio, „& ſine fictionis fuco: nunc quoque fiat cooperante Chriſto, ut tua hortatur benignitas. Denique protinus cœptum opus eſt, atque in brevi perfectum, & tunc in honore principis Apoſtolorum Petri conſecratum. Perparva tamen primitus fratrum conciola in eodem eſt conſtituta loco, quoniam iſdem Princeps dominium in promptu non habebat quod daret.

Ejus cœnobii amplitudo. Alia ipſi quoque ſubjecta.

Sed quam ingens copioſaque ſeges ex illo pauciſſimo ſemine procedens excreverit, ſoli Deo notum conſtat, non cuipiam mortalium homini. Optimam tamen loci famam inclite norunt

Belgicus & Celtes, Aquitanus, & Heſperus [a] *uter.*

Leobaudus vir primarius cum uxore Altaſia,

Sed jam ad ordinis ſeriem redeamus. Interea Gigniacum, necnon Viceliacum [b] cum aliis quam plurimis ditioni illorum ſubactis, atque ſtrenue emendatis, alacriter in divino proficiebant cultu.

Enziacum monaſteriolum fundant, eique Hugonem præponunt.

14. Subſequenti igitur tempore domno Arnulfo Abbate adhuc in corpore degente, quidam vir ſpectabilis in Auguſtodunenſi diœceſi commanebat, Leobaudus nomine, habens uxorem genere & moribus honeſtam, vocabulo Altaſiam, uterque Deum timentes, & hominibus chari. Erant enim illis poſſeſſiones ab atavis copioſiſſimæ, & cenſus opum multiplex: qui divino amore compuncti, accedentes pariter ad beati Martini confeſſoris monaſterium, dederunt illi in loco, qui Enziacus dicitur, hereditariam poſſeſſionem in perpetuum poſſidendam: domum etiam propriam ibidem honorifice conſtructam a ſe cum ceteris tranſcribentes, omnipotenti Deo in baſilicam eccleſiæ conſecrari ſtuduerunt. Ad hoc igitur monaſterium explendum electus eſt totius boni officioſiſſimus Domnus Hugo: pergenſque illuc ex Abbatis imperio & fratrum obſecratione, ſeminarium, uti mos erat illi, ſparſurus divinæ mercedis. Quod etiam loci cognomen bene congruens rei futuræ exſtiterat. Enziacus namque, quaſi laudabilis ſeu laudativus dici poteſt. Enzia * quoque argolice, laudes latialiter nuncupatur, ſiquidem tam poſitio ipſius fundi, quam fertilitas ſoli ejuſdem loci vocabulum congruenter aſſeruit. Condignum igitur fuerat, ut tali in loco maneret præco divinitatis, qui Deo & hominibus univerſis foret jure laudabilis. Tranſcriptum igitur, ut diximus, ad ſanctuarium a viro devotiſſimo omne jus hereditarium, cum omnibus ad eumdem pertinentibus, cœpit paullatim per incrementa temporis per ſanctiſſimum Hugonem dilatari, ac bonis quibuſcumque ad meliora reformari. Ipſe vero vir devotiſſimus poſtpoſitis curis & ambitionibus aliorum locorum, ſpecialius loco huic impendit laborem atque intentionem ſuæ devotionis. Conſtruxit enim ibidem ſecundum ſuum poſſe vel loci mediocritatem officiuncula regularia, uſibus Monachorum omnimodis apta. Revera totius loci facultatibus præparatum eſt xenodochium Chriſti pauperibus. Erat enim viro Dei, inter cetera divinæ largitionis beneficia, unum quoddam ſingulare ſpecialitatis donum ex conſuetudine proprio vocabulo attributum. Nam ſi quis fortuitu in vita illum nominabat, protinus adjungere mos erat, Domnus videlicet Hugo, *bonus ac ſanctæ Regulæ amator.*

Loci nomen unde deductum.

* ignota derivatio.

regulares officinæ.

ob Hugonis famam celebris.

---

[a] Sic præferunt veteres membranæ, non *Vveſter & Auſter*. Ut ſit ſenſus, Heſperiam utramque, hoc eſt Italiam atque Hiſpaniam, Cluniacenſium monachorum examina ſuſcepiſſe: quod ex dictis iterumque recenſendis manifeſtum eſt.

[b] Pro Vizeliaco codex noſter *Inzeciacum* habet, an *Enziacum*, de quo num. ſequenti, an Vizeliacum *Vezeloy*, quo ſanctæ Magdalenæ reliquiæ a Badilone translatæ.

Digitized by Google

tor. Diſtat enim prædictus locus a Ligere flumine duobus millibus: a civitate quoque Ædua millibus quadraginta. CIRCA AN. 930 20. April.

15. Confluebant denique plures utriuſque ordinis & ſexus e diverſis locis ad eumdem locum, expetentes humiliter ac devote viri ſanctiſſimi conſolatoria verba, implorantes orationum illius, ceterorumque beneficiorum illius largiſſimis copiis ac ſpiritalibus fieri conſortes. Si quæ vero in provinciis circumjacentibus ordinationes locorum, Abbatum ſeu præpoſitorum ex neceſſitate fieri imminebat, ejus conſilio nutu ac voluntate, dum conſultus fuiſſet, perficiebantur, & quicumque ad eum acceſſiſſet, velut ex petra ſalis conditus recedebat. Propterea ſi contigiſſet iſtius in tempore Chriſti Theologi, ut aeris infeſta perturbatione tempeſtatum aliqua proveniret, (quod manifeſtum conſtat propter ferocia hominum corda & eorum brutam converſationem in eadem creberrime devenire provincia; licet idem contingat in ceteris pluribus locis, pro facinoribus peccatricis plebis, ut ſanctorum „ Patrum auctoritas efficacius atteſtatur: ajunt enim: Nullo modo grata ele- „ mentorum conſocialis poſitio diſcors fieret, ſi non ad ultionem ſuimet hu- „ mani generis improbitas Deo vindice mereretur.) concurrebatur ad virum Deo devotiſſimum illico, tamquam ad veræ divinitatis confugium: qui protinus aſſumpta cruce cum ſanctorum pignoribus procedebat obviam imminenti cladi. Nec mora, ſtatim vero ut vir Dei ſignum crucis expreſſiſſet, continuo illa brumalis aeria coagulatio, Chriſto Domino miſerante, ita diverſas in partes diſperſa liquefiebat, ut nec veſtigium alicujus obnubilati veſperuginis appareret. Plerumque ipſarum grandinum tumultuationes compertum eſt per eumdem converſas fuiſſe in ſuaviſſimum imbrem. Nec minus interea Domni Hugonis meritis a totius boni auctore conceſſum fuerat, tam in diverſis infirmitatibus hominum, quam in multimodis cladibus animantium. Quodcumque igitur homini ſeu alicui animanti infortunium ſuperveniſſet, ſi dextera ſignum crucis illi imprimeret, ſeu ab eodem aqua ſanctificata illata fuiſſet, continuo expulſus languor omnis, dolor, aut infirmitas recedebat. Multi enim ſemina ſpargenda per eumdem virum Dei deferebant meliorandi gratia: at ipſe benedictione condita remittebat eis: qui copioſa poſtmodum ab eiſdem ſeminibus ubertate ſuſcepta, Domino omnipotenti ejuſque famulo gratias retulerunt. Præſtigiorum quoque faſcinationes & verborum illuſorum apoteleſmata, quæ tam in Kalendis Januarii, quam in nativitate ſancti Joannis Baptiſtæ inſipientium multitudo committebant, ita abhorrebat, ut ſub anathemate hoc a nullo mortali fieri prohiberet, ut ait quoddam proverbium:

Tempeſtates ſedat. Animantibus & frugibus proſpicit. præſtigias compeſcit.

Quamlibet in multis ſtuderis, quam juſte tenax ſis,
Nec tamen eſt virtus, ſi deteriora refutes.

Sed quid plura? univerſis ita erat donis virtutum affabre refertus, ut e diverſis partibus ad ipſum, tamquam ad divinæ ſalutis remedium, pro omni neceſſitate concurreretur.

16. Jam vero ad ejuſdem ſancti viri tranſitum optamus inflectere articulum. Compoſitis enim ac decenter ornatis procul & in vicinis circumcirca nutu & conſilio venerabilis Hugonis cœnobiorum conventibus fratrum; ſenio jam confectus, cygnæo capite decoratus, & quaſi in procinctu itineris univerſæ carnis conſtitutus, deceſſum ſuæ mortalitatis præſtolabatur ſecurus. Jejuniis quoque & orationibus aſſiduis intentus, in cælum frequenter adſpiciens, quo poſt paullulum ſequens Dominum Jeſum ſe credebat iturum; verba tamen ſalutis, quibus poterat, erogabat. Commonens enim quoſque paterno affectu pænitere de præteritis facinoribus, cavere in præſentiarum a peccatis, providere futurorum humanæ fragilitatis exceſſibus; præcipue tamen de incorruptione Fidei catholicæ, quam pertimeſcebat aliquoties in quorumdam pectoribus vacillari, maxime ob apoſtolici & evangelici præſagii oraculum quo ait: *Erunt in noviſſimis diebus tempora periculoſa. Et abundabit iniquitas & refrigeſcet charitas multorum.* Deinde a vitiis ſubtrahendum, maxime

Senio confectus, jejuniis vacat. Suos monet,

Digitized by Google

CIRCA AN. 930 20. April. me vero a cupiditate & ſuperbia, ex quibus pæne cetera flagitia oriuntur : ſicut videlicet e contrario ex vera humilitate & perfecta charitate copioſa virtutum multitudo. Exuberabat ſæpiſſime fratrum memoriæ actus & præcepta ſanctiſſimi patris Benedicti, necnon exemplar obedientiſſimi diſcipuli ejus Mauri, tamquam cæleſtis tramitis fidentiſſimos indices. Aſſerebat enim ſub oſtentatione communis & veræ fidei, quoniam ſi in quocumque locorum obſervatus fuerit tenor prædicti Patris regularis inſtitutionis, nullius indigentiæ paſſuros penuriam qui ibidem habitaverint: quod etiam plurimis in locis in quibus cuſtoditur, hodie dignoſcitur expertum. Nec minus interea in illis, in quibus fugeſcendo tepuit, egeſtas & inquietudo cubile locavit. Multa denique vir illuſtris tam in Ordine monaſtico, quam in quibuſcumque ordinibus ſæculi hujus futura prædixit, quæ poſtmodum in tempore ſubſequente probavit eventus.

& ad virtutem aſcendit.

17. In ſpatio igitur trium annorum ante ejus obitum cohibuit ſe ab omni re ſæculari in prædictæ cellulæ conclavum, lacrymis & orationibus inſerviens, magis aſſiduus quam frequens. Ibi vero pauper in anguſto triumpho regnabat habere maximum donum, præſtolans in mentis jubilo adventum Domini noſtri Jeſu-Chriſti poſt diſceſſum hujus mortalitatis, cum eo regnaturus in gloria beatæ perennitatis. Adveniente quoque quadrageſimalis obſervantiæ tempore, artubus frigore laſceſcentibus, mens ipſius roboratur igne ſancti Spiritus. Fratres enim ſecum cohabitantes, ac funus illius pertimeſcentes ita confortabat, ut ex mæſtitia paullatim redderet gaudentes. Promittebat autem ſpondens ſe oraturum aſſidue pro eis, quando largiente Chriſto pariter frueretur gloria paradiſi. Expleto namque ſacro quadragenario, a ſupervenientibus gaudiis dominicæ reſurrectionis attentius præſtolabatur diem ſui diſceſſus : manibus frequenter ad cælum expanſis, paullulum moventibus labiis, oculis lacrymis perfuſis, totus conſpiciebatur eſſe in ecſtaſi. Duodecimo nempe Kalendarum Majarum die felix & beata anima, ipſius relicta corporis gleba, migravit ad Chriſtum. Sepultum namque eſt ſanctiſſimum ejus corpus a devotiſſimis ejuſdem loci fratribus, quos ipſe devote educaverat in ſpiritalis militiæ virtutibus, infra ambitum præfatæ cellulæ, quam ipſe Deo conſecrari fecerat, ad percipiendam viam vitæ. Quo in loco cujus ſanctitatis ac meritorum in vita fuerit, ſignis & virtutibus multipliciter Deo largiente claruit. Nam poſt obitum illius multiplex infirmantium ſeu devotorum populi multitudo ad ejus tumulum devotiſſime confluens, quidquid ſuæ utilitatis ibidem expoſceret, abſque ulla difficultate gaudenter reportabat. Quaſi enim ex debito requirebant ab eodem tempore dulciſſimo more filiorum opem ſalutis, quos ſtatim conſolabatur ſuæ meritis interceſſionis.

Triennio cellæ incluſus. moritur. In ambitu cellæ ſepultus, claret miraculis.

18. Talibus atque hujuſmodi virtutum inſignibus præditus ſanctiſſimus Hugo, ſacerdos & monachus, ut dignum ſit credere, quod maneat poſt carnis depoſitionem in omnipotente Deo vivus. Jam vero ex parte vita illius & actus, & quidem tranſitus explicati habentur.

EPITAPHIUM.

Vivere poſt obitum teſtantur hic oſſa Beati,
   Hic cineres produnt vivere poſt obitum.
Corpora dum melius morituris ſpe reparantur,
   Quam prius exſtiterant corpora dum melius.
Functus amore Dei, præſtans pia dona petenti,
   Dat bona credenti functus amore Dei.
His opibus decorat tumbam pernobilis Hugo
   Omne quod hunc rogitat, his opibus decorat.
Gloria quem refovet, ſibi dat pro munere laudem,
   Omnipotentis ovans gloria quem refovet.

Dic

Digitized by Google

Dic bona verba Deo tumulum qui cernis Hugonis, CIRCA AN. 930

Ut decet omnis homo, dic bona verba Deo. 20. April.

19. Contigit igitur poſt obitum domni ac ſacratiſſimi Hugonis, clareſcentibus miraculorum ſignis, ut totius plebis multitudo utriuſque ſexus & ordinis, pro diverſarum ſanitatibus infirmitatum ad illius conflueret ſepulcrum. Tunc denique vir quidam adductus eſt in carruca, trahentibus ſe bubus duobus, uſque ad fluviolum Arrontiæ *. Eo enim tempore idem alveus ita exereſcens intumuerat, ut non foret cuiquam pediti præter navigium transmeabilis. Erat autem prædictus vir contractis nervorum poplitibus ad nates uſque calcaneo tenus, nec jam per tria luſtra quiverat in eundo per arvum figere greſſus, qui dum, ut diximus, præ inundantia aquæ alveum tranſire non poſſet, miſit unum de ſuis, qui candelam ad ſui corporis menſuram referret ad ſepulcrum ſancti Hugonis. Ipſe vero nomen ſancti confeſſoris tandem ſæpius invocans, pro ſui reddenda ſanitate attentius Dominum precabatur. Die quoque altera, mane facto, ſenſit virtutem Chriſti in ſe operatam per meritum ſancti Hugonis. Nam reſolutis poplitibus, cruribuſque extenſis, recepit corpus ſuum ex medio totum; pulſanſque oſtiolum andronæ *a*, quæ ſuper carrucam erat, rogabat ſibi aperiri voce qua poterat, invocans adjutorium Dei, conclamans iterabat nomen ſancti Hugonis. Foras namque progrediens ſtabat erecto corpore, oſtentabat ſuæ ſanitatis profectum, & ſuis gaudium, qui protinus mittens dedit ſancto unum de bubus, quibus illuc adductus fuerat, pro mercede vel gratiarum actione receptæ ſanitatis: qui dum ad monaſterium adductus fuiſſet, fratres ejuſdem loci pietate commoti, juſſerunt ut reſtitueretur ſuo domino. Statim quoque nutu divino intelligens animal quid vellet, ſeu quid potiſſimum expediret, arrepto itinere abſque ullo ductore repedavit veniens ad proprium dominum. Ipſe vero cognoſcens fratrum benignitatem, ac Dei omnipotentis miſerationem, jungens illum ſocio, agenſque divinitati gratias, hilaris ac lætus remeavit ad propria.

Miracula,
** l'Arroux*
Contractus ſanatur.

20. Eodem quoque tempore vir quidam, Theobertus nomine, ejuſdem loci indigena, habens dolabrum in manu, incidebat lignum, tenenſque pedem ſupra ſancti Hugonis ſepulcrum, qui dum a circumſtantibus moneretur, ut exinde ſe tolleret; alio procedens, ſancto viro reverentiam exhiberet, ille ſtomachabundus dixit: Ego enim non novi ſanctum iſtum quem dicitis, aliquando virtutem alicujus rei perpetraſſe: idcirco quod cœpi facere, inſtanter peragam: ſi tamen illi aliqua poteſtas ulciſcendi ineſſe conſtiterit, in promtu fuerit demonſtrari. Hæc dicens, continuo elevata manu dextera, toto niſu illiſit dolabrum in lævam, ita ſeſe vulnerans, ut pæne mancus illico fieret. Circumſtantes vero ſtupefacti, & admiratione perterriti, ſancto viro, ut decebat, idoneum præbuere teſtimonium: qui autem vulnus acceperat, in ſpatio ſex menſium deguit feriatus; tandemque poſtmodum per ſancti viri interceſſionem ſanitate recepta, Deo egit gratias, & ſanctum illum ut decebat excoluit. Claruit enim multiformiter in ſancto viro diverſarum virtutum miraculis, evidentiſſima fuiſſe gratia omnipotentis Chriſti.

blaſphemus ſauciatur,
mox ſanatur.

21. Quidam igitur ejuſdem cœnobii Monachus, cui cauſa obedientiæ impoſita erat cuſtodia ipſius eccleſiæ, quaſi in futurum providens, ex parte improvidus, circa ſanctum apparuit negligens, ac tenax ceu avarus. Erat autem ejus vocabulum Hademarus. Cum ergo e diverſis partibus ad eumdem locum multitudo confluerct virorum ac mulierum, afferentes copioſiſſima luminaria candelarum, ac cetera ſtipendia congruentia uſibus humanarum neceſſitatum, ſubripuit in eumdem monachum nimium tenacitatis ſtudium. Nam ſtatim ut ponebatur candela ſancto Viro delata, illico eam arripiens, velociter exſtinguebat. Hoc enim ſtudebat facere die noctuque, quaſi fidiſ-

Sacriſta candelas oblatas exſtinguens

a Androna hoc loco uſurpatur pro ea currus parte operta, in qua qui vehuntur ſedent, quod ſpeciem referat longiuſculæ porticus, quæ androna vocatur apud infimæ latinitatis ſcriptores, ex doctiſſimo Cangio.

Digitized by Google

CIRCA AN. 930 20. April. ſimus rerum cuſtos, abſque ulla interpolantia. Contigit vero una noctium, ut a fidelibus more ſolito candelæ offerrentur : ſed ille avide ſuſcipiens, excuſſa flamma ab omnibus manſit in tenebris locus, & ipſemet monachus, qui continuo cæcitate perculſus, & ut erat mente, effectus ex corpore cæcus, cœpit quoque manibus palpitare, greſſu oberrans, neſciens qua parte quærere deberet aditum eccleſiæ. Tandem ita cæcutiens, reperto oſtio inde exiens, convocans aliquos famulorum, reaccendens candelam, rurſus ad ſepulcrum ſancti juſſit ſe produci : quo veniens, cœpit devotiſſime orare cum lacrymis Domini miſericordiam, ſanctique Hugonis interceſſionem, ſeſeque increpare : ſe reum & peccatorem eſſe, negligenterque eſſe officio debitæ ſervitutis; ſpondens inſuper, ſi diu viveret, ſe omnimodis emendaturum. Dumque id ageret, ſubito adſpexit quaſi per tenuiſſimam rimulam ſuper ſepulcrum ſancti, luçidiſſimam micantem ſtellam, cujus radiis illius obtundebatur intuitus. Ipſe vero attentus deprecabatur Dominum, ut per interceſſionem præſentis Confeſſoris miſereretur ſui : ſed miſericors Dominus differendo quod optabat, intulit ei pænitudinem, ut plenam daret remiſſionem. Anno ſiquidem integro manens acie oculorum debilis, nec valuit quod cupierat perfecte intueri. Dehinc cognoſcens quam metuendus, ſeu cujus meriti eſſet vir ſanctiſſimus, & de correptione emendatus, pariterque ex reſtauratione viſus oculorum lætificatus, narrare ſtuduit ceteris quod per ſemet expertus probavit. Simili modo namque contigit cuidam hujus Confeſſoris æquivoco, dum incaute debita luminaria ſubtrahens auferret, ob ipſius ultionem propria perderet : ſed divina miſeratio poſt expertam viri Dei ſanctitatem & negligentis correctionem, reſtituit devoto quod ſubtraxerat noxio.

cæcatur, lumen recipit, item alius.

22. Teſtes exſiſtunt, tam hi quos ſuperius deſcripſimus, quam alii perplures, quoniam his diebus tanta multitudo infirmantium ac debilium ob recuperandam ſanitatem illuc confluxerat, ut incredibilis materies ſcabellorum atque oſcillorum *a* poſt perceptam incolumitatem a redeuntibus ibidem remaneret. Tunc denique inter ceteram multitudinem mulier quædam movens a Bituricenſi territorio, ut illuc pergeret, devenit uſque Ligeris fluvium : erat enim lunatica, &, ut verius fatear, dæmoniaca, quam dum nullus tranſeuntium auderet ſecum in navim aſſumere, timentes cuncti ne propter eam periclitarentur, ipſamet intrans navim, abſque nauclero vel remige, impulit ſcapham in undas; egrediens vero recto tramite impulit in ripam alteram : illico autem retro remeans, devenit ad locum priſtinum : rurſus inde egrediens, tantumdem ut optabat pertranſiit, arreptoque itinere pervenit ad ſancti viri ſepulcrum: ubi dum corruiſſet, cœpit illam malignus ſpiritus introrſum laceſſere, atque mente rabida concitare. Conclamans enim alterius vocibus ajebat : Propter Martinulum non exeam, nec pro Hugunculo recedam, hoc ſæpius idemtidem repetens, ut nulli dubium foret, quin ab immundo agitaretur ſpiritu. Altero quoque mane facto, diu multumque fatigata, evomuit in modum ſcarabeorum tria reptilia, quorum nihilominus forma ſatis nequam ſpiritui condecens eſſe poterat qui illam poſſidebat. Demonſtrat enim in hujuſmodi monſtruoſis effigiebus divina gratia, cujus vilitatis ſit dæmonum ſpecies vel forma. Poſt hæc mulier, ſana mente recepta, glorificans Deum, grateſque egregio egit Confeſſori, mirantibus univerſis incolumis reſtituta eſt ſuis. Innumerabilia enim conſtant cuiquam mortalium ſigna & prodigia virtutum, quæ Dominus operari dignatus eſt per ſanctiſſimum Hugonem famulum ſuum, tam in viris, quam in mulieribus, diverſarum infirmitatum conceſſis ſanitatibus, ad ſui nominis gloriam & honorem multis cernentibus. Jam vero qualiter contigerit, ut illius forte oſſa exinde ubi primitus locata fuerant ſint translata, in ſubſequenti opere Domino largiente relaturi ſumus.

Lunatica mulier, immo dæmoniaca, integritati reſtituitur.

DE

a Oſcilla hic pro fulcris ſubaxillariis intelliguntur, a ludicra actione ad neceſſariam movendi corporis librationem translata.

CIRCA AN. 930.

DE TRANSLATIONE.

20. April. Hugonis translatum corpus.

23. Sanctorum voluminum paginis edocemur, miraculiſque plurimorum ſanctorum inſtruimur, ut translationes eorum ſincero affectu recolamus. Dum enim per oſſa defunctorum fiunt miracula, conſtat teſtimonium efficax animas illorum vivere cum Chriſto in æterna gloria. Sancti igitur ac beatiſſimi confeſſoris Hugonis translationem, quam præſentialiter devota plebs excolit & veneratur, qualiter fieri contigerit, ſi evidentius referatur eſt operæ pretium. Multiplicibus ergo miraculorum ſignis, ut geſta illius & actus referunt, primitus ſacroſanctus ac Deo amabilis eſt oſtenſus. Requirebatur enim a multis jam humo defoſſus, in univerſis neceſſitatibus, ac ſi in carne degeret vivus: & revera vivit Deo, cujus cinis & oſſa plurima pie petentibus præſtant beneficia, ac recreant animas ſimul & corpora.

Evvrardo apparet.

24. Circa milleſimum igitur incarnati Verbi annum, ſub viro Dei Heldegrino Abbate, erat quidam frater in eodem cœnobio videlicet Enziaco, in quo ſanctiſſimus Hugo quieſcebat, vita & converſatione monachus, Evvradus * nomine, vir ſanctæ converſationis, qui etiam olim Jeroſolymam perrexerat ob amorem ſepulcri Domini ſalvatoris, degens ibidem ſpatio fere ſeptem annorum; indeque rediens delegit ſibi præfatum cœnobium fine tenus inibi commanendum. Erat enim ſacerdotalis officii gratia inſignitus, ac divinæ ſervitutis devotione præcipuus, humilitatis obeditione majorum imperio pronus, æqualium ac minorum pura dilectione amiciſſimus. Huic denique ſanctitate venerabilis Hugo ſeſe frequentiſſime in viſione oſtendens, familiari cum eo (ut ipſe cum lacrymis ſolitus eſt referre) utebatur colloquio. Imminente etenim die ſollemnitatis Dominicæ, ſolus frequentius cœpit prædicto fratri venerabilis Hugo in viſione apparere. Ipſe vero attentius, ut tempori ipſi congruit, jejuniis & orationibus ſemet affligere, & quod magis expediret, Dominum obſecrabat ut fieret: ita vero tranſactis tribus aut quatuor hebdomadibus, ventum eſt ad ſacratiſſimam Natalis vivifici Verbi noctem. Expletis quoque a fratribus ſollemniter, ut moris eſt, ipſius noctis ſollemnibus, Miſſiſque devotiſſime celebratis, retulit prædictus frater domnum Hugonem præſentialiter ſe vidiſſe in Dei laudibus pſallere cum ipſis.

* al. mendoſe Emirardus.

25. Quid plura? omnibus rite peractis obſequiis officiorum, ventum eſt ad horam prandii, qui ex conſuetudine regulariter in unum convenientes ſumſerunt cibum corporis cum edulio animæ ſacræ lectionis. Poſt refectionem vero Deo concorditer gratias agentes, ad eccleſiam repedarunt, quam dum intrarent, repererunt univerſa luminaria ejuſdem eccleſiæ hilariter accenſa, cum nullus mortalium remanſiſſet in ea, de quo dubium fore poſſet qui ea accendiſſet. Omnia quippe oſtia ipſius eccleſiæ peſſulis & clave diligenter tota prandii hora a clavigero obſerata erant: quod cernentes fratres qui convenerant, magno repleti glaudio, collaudantes Dominum, non habebant quid ultra dicerent. Poſt hæc vero accedens prædictus frater, videlicet Evvrardus, ad ſepulcrum ſui conſecretalis ac familiaris amici domni ſcilicet Hugonis, reperit lapidem qui ſuppoſitus erat ex omni parte remotum, ac ſeſquipede circiter in altum exſilientem. Tunc convocans ceteros oſtendit eis eventum rei, ac innuens quid ex eo ſentirent. Ipſi autem ſtupore perterriti anxiabantur animo, ex geminis & evidentiſſimis in tam præclara ſollemnitate oſtenſis ſibi miraculorum ſignis. Divulgata ſunt enim hæc circumcirca totius provinciæ; factumque eſt univerſis in ſumma admiratione.

Luminaria eccleſiæ accenſa.

ſepulcri lapis ſurſum erigitur.

a Vvalterio Epiſcopo Æduenſi, & Heldegrino Abbate S. Martini.

26. Quod comperiens Vvalterius *a* præſul Auguſtodunenſis, convocans ad ſe Heldegrinum Abbatem cum aliquibus fratribus, diligenter perquirens, qualiter ſe res haberet, cujus famam compererat. At ipſi narraverunt ei

a Vvalterius ex Abbate Flaviniacenſi, non Flaviacenſi, quemadmodum alii notant, Epiſcopus Æduenſis, etiam anno 1018. ſuperſtes.

BIBLIOTECA CENTRAL DERECHO

Digitized by Google

CIRCA AN. 930 20. April. ei ordinatim, quam evidentiſſimis miraculis pius Dominus famulum ſuum ſanctum ſcilicet Hugonem multoties clarificare dignatus fuerat. Tunc iſdem Præſul venerabilis, ac reverendiſſimus Abbas, cum ceteris fratribus utriuſque ordinis, unanimiter decreverunt, ut oſſa ſancti viri, quem tot ſigna prædicabant, exinde levarentur, & uti condecens erat, palam ut eſſet, honorifice conderentur. Quod audientes quique totius provinciæ, tam vicini, quam longe conſtituti, dignum fieri judicaverunt. Dehinc anno pæne evoluto, Idibus Decembris menſis, cum ſummo apparatu, & totius plebis conventu revelata ſunt oſſa ſanctiſſimi viri, atque exinde elevata, vinoque & balſamo perluſtrata, necnon in locello, ubi nunc adorantur, diligenter ſunt condita. Odor namque ſuaviſſimus profluxit ab eis, quamdiu manibus tractabantur, quem ſenſit totius olfactu populi conventus. Tunc etiam multitudo febricitantium, aliorumque debilium quæ convenerat, priſtina ſanitate recepta collaudans Deum, ſanctumque glorificans Hugonem, remeavit ad propria. Ex vino quoque, unde ſacra ipſius oſſa abluta fuerant, multi infirmantium in potu ſumto illico convaluerunt. Tunc ex longinquis provinciis diverſis morbis & infirmitatibus gravati ſimul cum ejuſdem vicinis loci illuc advenientes, pernoctanteſque biduo vel triduo, dehinc cum ſumma exſultatione, quod fideliter optaverant, abſque difficultate ulla conſequebantur.

ejus oſſa elevantur. *miracula tum patrata.*

27. Poſthæc vero in ſubſequenti tempore facti ſunt conventus *a* Epiſcoporum in pleriſque locis ob ſtudium reformandæ pacis; aliquantiſper vero propter ſtatum reintegrandum catholicæ Fidei: in quibus denique conciliorum conventibus obſecratum eſt a fidelibus, ut illuc uſque deferreretur ſancti viri corpus: quo delatum a fatribus, ſemper claruit cujus eſſet meriti vir ſanctus ſacris virtutibus. Audires ex viis, & domibus, & agris, dum in eundo & redeundo tranſitum per loca haberet, clamare viros ac mulieres pia voce cum „ exſultatione dicentes: Pater Hugo ſanctiſſime miſerere, & exora Do„ minum pro totius plebis ſalute, ut tuis meritis & precibus eripiat nos „ a peſte & fame, & valeamus poſt mortem carnis percipere tecum „ gaudia æternæ vitæ. At ubi ventum fuiſſet ad conventum concilii Epiſcoporum & plebis, cernere erat cunctos ut benignum Angelum, omnes ut Dei Apoſtolum, univerſos in commune ut Chriſti amicum ſuſcipere, laudare & exorare dulciſſimis vocibus beatum virum. Sic igitur & nos, quamvis illis meritis inferiores, imitemur pro poſſe fidem illorum, eorumdemque Chriſto nos juvante ſequentes veſtigia, recolamus digne ſancti viri memoriam, univerſorum Deum ac Dominum noſtrum in eo collaudantes conſonis vocibus, & exoremus humillimis precibus, qui nobis noſtræ gentis & ordinis talem dignatus eſt largiri patronum. Ipſe enim, poſt multa alia eccleſiarum Dei beneficia, locum iſtum ſua conſecravit habitatione, & exemplo beavit, per cujus nos ſuffragia muniamur inter mundi molimina, ut quandoque pervenire valeamus ad æternæ vitæ gaudia, præſtante Domino noſtro Jeſu-Chriſto, qui cum æterno Patre vivit & gloriatur Deus per omnia ſæcula ſæculorum, amen.

Ad conventum Epiſcoporum deferuntur. *ſanctum invocantibus populis.*

28. In Lugdunenſi diœceſi apud caſtrum vocabulo Anſa *b*, ex conſuetudine Epiſcoporum concilium haberi erat ſolitum. Quodam igitur tempore, dum idem concilium præpararetur haberi, multa ſanctorum pignora in diverſis apophoretis, ut ſolitum erat facere, illuc delata ſunt a fidelibus, ut ſanctorum gratia, meritis & precibus exinde omni plebi oriretur profectus. Contigit autem ut beatiſſimi viri Hugonis corpus illuc cum ceteris deferretur: ubi dum locatum ſatis decenter fuiſſet, maxima pars totius plebis quæ convenerat, devotiſſime ad illum confluxit. Tunc quicumque gravabantur aliquibus imbecillitatibus, aut ipſimet devenerunt, aut delati ſunt manibus alterorum. Narrari non poteſt quas voces, quos gemitus cum lacrymis Hugonem ſanctum univerſus populus acclamabat. Tunc divina mi-

Oſſa iterum in Lugdunenſi diœceſi ad concilium delata.

a De variis hoc tempore coactis Epiſcoporum conventibus legendus Glaber Rodulfus circiter an. 1002.
b Locus ad Ararim Villæ Francæ proximus, *Anſe* gallice dicitur.

Digitized by Google

miſerante clementia plures a febribus liberati; alii a vexationibus emundati, quamplures vero membris debilibus in melius reformati, quorum ſingulæ perſonæ non queunt viritim numerari. Aliis quoque recedentibus, occurrebant pluriores prioribus, quibus ad accedendum erga ſanctum vix inveniebatur locus, cunctis tamen ſubveniebatur divinitus. CIRCA AN. 930 20. April.

29. Erat quippe in ipſa multitudine populi vir quidam magna nimis ac plenus pia devotione, qui cernens virtutem Domini in diverſarum infirmitatum ægrotis, corde compunctus venit ante præſentiam corporis ſancti Hugonis; ſtanſque illic expanſis manibus in cælum, illacrymans oculis hujuſmodi proferebat verba. „ O ſancte Hugo confeſſor Chriſti, piarum virtutum „ operator, obſecro te per gratiam omnipotentis Creatoris quam meruiſti, „ ut impetres mihi apud Chriſtum, ſi ego in ſpatio hujus anni finem præſentis vitæ ex decreto ipſius ſum iturus; non permittat me hinc abire, ſed „ in præſentia tui corporis, quemadmodum opto, contingat. Stans vero idem homo hujuſmodi verba replicans, manebat immobilis: poſt duarum autem vel trium horarum ſpatium leniter flexis poplitibus in terram corruens, ſpiritum exhalavit. Quod cernens ipſa multitudo præſentis plebis, virorum ac mulierum, cuncti ſtupore perterriti glorificabant Deum in laude ſancti famuli ſui Hugonis. Sed quid in hoc facto intelligi debet præter illud, quod proverbialiter dici ſolet, quoniam non potuit male mori qui bene vixit? Non enim putandum eſt, quod vir iſte ita ad votum ſuum fuiſſet conſecutus vitæ exitum, niſi primitus ita vixiſſet, ut hoc a Domino fieri promereretur ſibi. Et in quantum conjici poteſt, optabilius fuit taliter iſtam miſeram vitam finiri, quam de communi morte ad illam reſurgere. Aſſerunt enim ſancti Patres noſtri ſacræ ſcripturæ tractatores, Dominum ſalvatorem majus miraculum feciſſe in Mariæ Magdalenæ internorum delictorum remiſſione, quam in fratris ejus Lazari corporis reſuſcitatione. Interea decretum eſt a ſagacibus viris, & præcipue a venerabili ODDILONE Clunienſi Abbate, qui ibidem aderant, ut in eodem loco corpus ipſius hominis (erat autem nomen ejus ANDREAS) ſepulturæ traderetur, quo finem vitæ ſancto Hugone intercedente Deoque jubente perceperat; ibidemque dignum judicantes exſpectare beatam illa reſurrectionem, ubi præſentem amiſerat vitam. Quo ſepulto, ſecundum univerſorum judicium conſtituerunt fideles viri brevem cellulam ſuper eum, ut memoriale hujuſmodi miraculi foret per longinquum temporis ſpatium, ſæculo futuro evidentiſſimum. Dehinc quique redeuntes ad propria magnificabant Deum, ſanctum Hugonem ipſius famulum per cuncta prædicantes.

Quidam ante ſacrum corpus orans, exſpirat, ibidem ſuadente Abbate Odilone ſepelitur.

30. Poſt expletionem igitur præfati concilii, dum fuiſſent exinde exportata oſſa beati viri, fama illius circumquaque crebreſcente, multi infirmi angebantur pænitudine ſui, increpantes tardius illuc deveniſſe. Tunc cæcus quidam toto privatus lumine, ex longinquo veniens, ſanctiſſimum Hugonem Chriſti confeſſorem ac Dei amicum cœpit creberrimis vocibus acclamare. Dum hoc ageret, percunctabatur quonam in loco præſentialiter ſanctiſſimus Hugo quieviſſet, quo veniens flexis genibus, pugnis percutiens pectus ſuum, ſimul & lumine vacuos humo defigens oculos, hujuſmodi ſeſe increpabat verbis: Væ mihi miſero & negligenti propriæ ſalutis, cui non contigit reperire iſto in loco amicum Dei omnipotentis. Credo enim ex intimo cordis affectu, quoniam ipſius interventu oculis meis reformaſſet lumen pius Dominus. Hæc dicens reſpexit in cælum, & miſerante Domino aperti ſunt oculi ejus, recepto lumine cæpit videre clariſſime, indeque ſurgens, aſſiduis clamoribus magnificabat Deum in ſanctis ſuis mirabilem, ſanctumque Hugonem ſuum interceſſorem prædicabat mirificum. Hæc & infinita alia miracula, quæ cauſa brevitatis dimiſſa ſunt, operatus eſt piiſſimus ac benigniſſimus Dominus noſter Jeſus-Chriſtus, & adhuc quotidie operatur in laudem & gloriam ſanctiſſimi nominis ſui, qui cum æterno Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat Deus per infinita ſæcula ſæculorum, amen.

Cæcus viſum recipit.

Digitized by Google

CIRCA AN. 930 20. Maji.

DE S. GERARDO EPISCOPO MATISCONENSI.

1. G*Erardus Matiſconenſis poſt Guntardum Epiſcopus noſtris accenſeri ſolet, habetque locum in Martyrologio Benedictino ad* 4. *Kal. Junii : ubi Menardus in Obſervationibus ſuis ſcribit, eum onere epiſcopali* * Brou. *depoſito, Cellam ædificaſſe ſeu cœnobium Brovienſe* * *in agro Breſſiano, ubi reliquum vitæ tempus in divinarum rerum contemplatione traduxerit. Idem habent Fuſtalius, Severtius, Gononus, Paradinus, & Guicheno; quod hoc loco examinandum.*

2. *Gerardum Guntardo in ſedem Matiſconenſem ſucceſſiſſe conſtat ex charta quadam Cluniacenſi, in qua Geroldus Matiſconenſis Antiſtes Ingelario Abbati Cariloci capellam ſancti Martini cum cœmiterio, vicinam monaſterii ſui, quam Lambertus præceſſor ſuus voce tenus conceſſerat, ſcripto dato confirmaſſe dicitur* anno Incarnationis 887. imperante domno Auguſto Karolo, ordinationis ſuæ ſecundo, Indict. 5. *Variis interfuit Conciliis, Cabilonenſi eodem anno* 887. *item alteri Cabilonenſi anno* 894. *in cauſa Gerfredi monachi Flaviniacenſis. Ad hæc teſtamento Herivei Epiſcopi Æduenſis ſubſcribit in alia Synodo Cabilonenſi anni* 915. *ac demum intereſt Carilocenſi anno* 926. *Unde arguitur vetus Kalendarium, in quo Gerardum anno* 912 *terrenis deſpectis ad Dominum migraſſe legitur, ut in Gallia Chriſtiana. In veteri catalogo a nobis edito in tomo* 3. *Analectorum* Sacratus Geraldus *appellatur; ac ſucceſſorem dicitur habuiſſe Bernonem, qui ab ipſo tertius in Gallia Chriſtiana recenſetur, nempe poſt Lebaldum & Adalramnum, qui poſtea monachus, indeque Abbas Nantuacenſis.*

3. *Quid de Gerardi ſeceſſu & vita eremitica ſentiendum ſit, mihi definire non licet, deficientibus hanc in rem vetuſtis monumentis. Interim ſalva ſit recentioribus ſua fides. Erit qui ſubdubitet, ne Gerardus iſte confundatur cum Gerardo Abbate Bronienſi, & Brovienſis cella cum Bronienſi monaſterio; aut cum Gerardo Archiepiſcopo, qui abdicata dignitate factus eſt monachus Cluniacenſis, ut legimus in veteri inſtrumento in hæc fere verba.* Ego GERALDUS Archiepiſcopus memetipſum Deo offero per ſæculi abrenuntiationem & habitus commutationem, & omnes res meas in cœnobio Cluniacenſi, ubi nunc domnus Eymardus præeſt : in quo, ſi Deus annuerit, meipſum ſub ordine regulari mancipare cupio. Res vero meæ ſunt in Comitatu Uzetico, in vicaria Caxionenſe, ideſt eccleſia S. Saturnini, &c. *Subſcribunt* Geraldus Epiſcopus, Roſtagnus Epiſcopus. Actum apud S. Saturninum publice menſe Auguſto, anno Incarn. 945. *Verum, ut dixi, recentiorum auctoritati cedendum eſt, qui Gerardum ex Epiſcopo Matiſconenſi monachum factum tradunt, uti legitur in Breviario Matiſconenſi, quod a vetuſtis monumentis acceptum credere par eſt. De Gerardi ſepultura varia ſententia. Aliis in ſua cella ſepultus dicitur, ſcilicet Brovienſi prope Forum* * Bourg en Breſſe. * *Sebuſianorum, ubi poſtea Prioratus Ambroniacenſi Abbatiæ ſubjectus, nunc Conventus Auguſtinianorum Eremitarum conditorio Sabaudiæ Ducum illuſtris: aliis in eccleſia Matiſconenſi.*

DE

DE B. TUTONE EPISCOPO RATISPONENSI.

AN. CHR. 931 14. Maji.

Ubi de aliis ejuſdem ſedis Epiſcopis monachis, deque cœnobio S. Emmerammi, atque de corpore S. Dionyſii Pariſiorum Epiſcopi.

1. *Epiſcopalem ſedem Ratiſponæ in Bajoaria ad Danubium inſtituit ſanctus Bonifacius Moguntinus Antiſtes, ut in ejus Actis dictum eſt ad annum* 754. *primumque ibi Epiſcopum conſtituit* GARIBALDUM, *quem alii* Gaibaldum *vocant. Eodem vero tempore erectum eſt, ut mox dicemus, ſancti Emmerammi monaſterium.* Fuit *autem* priſca conſuetudo in Ratiſponenſi eccleſia, *teſte Arnolfo*, ut qui Antiſtites, iidem eſſent & Abbates. *Ejus rei duas affert cauſas ipſe Arnolfus, ex Comite ejuſdem loci monachus ineunte ſæculo* 11. *in lib.* 2. *de ſancto Emmerammo.* Timebant enim *Epiſcopi*, ne ſi monaſterio Abbatem præeſſe facerent, quia a Patre monaſterii omnia ſperanda ſunt, ſibi coactum minueretur obſequium. *Hæc prima cauſa. Aliam ita reddit idem auctor.* Ex eo quippe tempore, quo primum a beato Bonifacio, apoſtolicæ ſedis Vicario, juxta decreta canonum in Bajoaria ordinabantur Epiſcopi; viciſſim ſibi ſuccedebant in hujus Epiſcopatu Monachi atque Canonici: ita ut ſi anteceſſor eſſet Canonicus, fieret ſucceſſor Monachus; & iterum huic anteceſſori ſuccederet Canonicus. Hæc conſuetudo, *ait gravis iſte auctor*, uſque ad noſtra permanſit tempora. Epiſcopalis vero ſedes erat apud ſanctum Emmerammum uſque ad tempora Caroli Principis, *cognomento Magni*, qui hanc reſtituit in civitatem, ubi erat prius.

Ratiſponæ Epiſcopatus ad S. Emmerammum.

Epiſcopi Abbates.

per vices ex Monachis.

2. *Ex his non immerito noſtris vindicare poſſumus pleroſque ante Arnolfum, id eſt ante ſæculum* 11. *Ratiſponenſes Epiſcopos: quos inter primus venit numerandus ſanctus* GARIBALDUS, *qui thecam ſancti Emmerammi laminis aureis & argenteis, margaritis & lapidibus pretioſis ornavit, mortuus ſub annum* 752. *Huic ſucceſſit ſanctus* SIMPERTUS, *& ipſe Monachus, cujus ſtudio ſancti Emmerammi cœnobium amplificatum eſt. Is Taſſilonem non ſemel reconciliavit Carolo M. retulitque ipſius Caroli conſtitutiones in Bajoariam anno* 784. *ſepultus apud S. Emmerammum. Poſt Conſtantinum brevi tempore Epiſcopum* ADALVVINUS *Antiſtes & monachus a Regibus Francis, qui Bajoariam occupaverant, perſuaſus, monaſterio cathedrali ceſſit, ſede epiſcopali in eccleſiam ſancti Stephani intramuranam tranſlata. Sepultus tamen cum aliis apud ſanctum Emmerammum. Anno* 814. BATHURICUS *ei ſucceſſit, ſub quo* Richobaldus *Abbas ſancti Emmerammi contra priſcum morem inſtitutus, electionis libertate conceſſa per Ludovicum Auguſtum poſt tranſlationem ſedis epiſcopalis. Hanc libertatem abrogavit* ERCANFRIDUS *Bathurici ſucceſſor: adeo ut poſthac omnes ejus ſucceſſores monaſterium obtinuerint uſque ad ſanctum Vvolfgangum, qui Abbates regulares ibidem reſtituit, quorum primus Ramuoldus, ut in ejus Actis inferius ſuo loco dicturi ſumus. Poſt Embricum Erchanfridi ſucceſſorem Epiſcopus fuit ex monacho* ASPERTUS: *cui ſuffectus eſt anno* 894. TUTO, *quem hoc loco laudare inſtituimus.*

Quinam iſti

3. *Sed antequam id aggredimur, primo dicendum eſt de monaſterio ſancti Emmerammi, quod Regulæ ſancti Benedicti ab initio paruiſſe conſtat, tum ex eo quod ſanctus Bonifacius eam ubique vel inſtituit, vel reſtituit: tum ex Arnolfo Monacho, qui id diſerte tradit in lib.* 2. *de ſancto Emmerammo.* In primis ergo promiſſionem faciebant monachi *ſancti Emmerammi* ſecundum Regulam ſancti Benedicti coram Epiſcopo Abbatis vices agente. Dein licentiam dedit eis Epiſcopus dandi & accipiendi propter inopiam loci. Lineis camiſiis ute-

S. Emmerammi monaſterium ſub Regula S. Benedicti.

Ejus diſciplina.

 ban-

AN.CHR. 931 14. Maji. bantur ſeniores, qui eas habere potuerunt: ceteri laneis induebantur ob penuriam ſcilicet cilicinarum veſtium. Præpoſitus & Decanus monaſterium regebant poſt Epiſcopum. *Præpoſitus rerum temporalium & externarum, Decanus ſpiritualium & interiorum curam gerebat.* Qui majoris erant ætatis, habebant cellas ſeu caminatas; junioribus inter ſe diviſis propter cuſtodiam. Communiter pauperem annonam habebant: volatilia manducabant. Cetera faciebant ſecundum conſuetudines, quæ in monaſteriis regalibus ad id tempus fuerant. Quæ cum diſplicuiſſent prænominato viro, reverendo ſcilicet Epiſcopo Wolfgango, Ramuoldum annis & moribus maturum aſſumſit in opus miniſterii divini, & conſtituit eum primum Præpoſitum, deinde Abbatem monaſterii. *Hæc anticipato retulimus ex lib. 2. Arnolfi de ſancto Emmetammo, quo in libro vita ſancti Vvolfgangi, inferius ex integro proferenda, deſcribitur.*

Primordia & incrementa. 4. *Tam inſignes cœnobii ſancti Emmerammi circumſtantiæ nos admonent, ut de ejus primordiis, titulis & incrementis paullo accuratius tractemus, in præſens. Hoc celebre monaſterium patrono ſuo Emmerammo ſancto martyri, ex Galliis, id eſt ex urbe Pictavienſi, oriundo, ſuam originem refert acceptam, aut certe originis occaſionem. Is ſæculo ſexto ex Gallia in Bajoariam profectus jam Epiſcopus, Ratiſponam adiit. Noricos Fidei Chriſtianæ præceptis imbuit: ſed tandem a Lamberto tyranno, quem ob ſcelera increpare non deſiſtebat, morte multatus eſt, atque ab ejus ſatellitibus membratim ſectus. Tum collecta ipſius membra in villa Aſcheim ab incolis ſepulta, dein in urbem Ratiſponam translata ſunt ſub Theodone Principe, & in beati Georgii martyris eccleſia compoſita. Poſtea Garibaldo curante, quem ſanctus Bonifacius ibi Epiſcopum inſtituerat, in novum monumentum elatæ ſancti Emmerammi reliquiæ, novæ extra urbem eccleſiæ martyris titulum ac famam indiderunt. Ibi tunc ad tumulum ejus colendum locati ſunt Monachi, Pippino Francorum Principe; atque ad augendam loci celebritatem ibidem inſtituta eſt ſedes epiſcopalis, quæ antea in eccleſia ſancti Petri intra muros urbis poſita erat. Sancti Emmerammi vitam in litteras retulit vetuſtus Auctor, qui ſe* CIRINUM * *&* Heredem *nominat; eamdemque ſæculo* 11. *ineunte expolire aggreſſus eſt* ARNOLFUS *ex-Comite monachus cœnobii ſancti Emmerammi: quo ex auctore pleraque hoc in loco mutuati ſumus. Editi ſunt apud Henricum Caniſium in tomo 2. tres ejus libri, quorum unus vitam & virtutes beati Martyris continet: duo alii agunt de miraculis ejuſdem & de memoria cultorum ejus: ubi multa commemorantur ſcitu digna de monaſterio ſancti Emmerammi; deque eccleſia Ratiſponenſi, ac primis ejus Epiſcopis, præcipue de ſancto Vvolfgango, cujus celebrando elogio liber de miraculis ſecundus (nam vitæ liber ab aliis duobus ſejunctus eſt) fere totus inſumitur.*

* Epiſcopum Friſingenſem. V. Sæc 3. Bened. part. 1. p. 500.

Monaſterii dotationes. 5. Quanto honore, *inquit Arnolfus in lib. 1. de miraculis cap. 5.*, & quanta reverentia, quove affectu Principes beatum Emmerammum coluerint, inter cetera ſibi ab his collata prædia ſeu pretioſa donaria, teſtantur ad Orientem provinciæ hujus Lunælacus * optimo piſce pervividus, unde regius cibus; ad Occidentem vero vinifer cæſpes Spalticus, e quo regius potus. Atteſtatur quoque territorium Ratiſponenſe & prædium regale, quod a faſtigio montis meridiani inter vias publicas uſque ad muros ipſius monaſterii a Carolo Magno traditum eſt beato Emmerammo & Monachis ejus ſub imperiali teſtamento. Hic inter cetera quæ regio more ac imperiali potentia conſtituit & ordinavit, Ducem TASSILONEM regno privans, cum filio Diotone monachum eſſe compulit; necnon ſedem Ratiſponenſis Epiſcopii a Ducibus prioribus extra urbem translatam, ad martyris videlicet ſancti Emmerammi baſilicam, infra urbis ejuſdem muros conſtitutæ, beati Petri Apoſtoli ſub Simperto Epiſcopo reſtituit eccleſiæ. Locum autem Martyris in patrocinium ſui honeſtavit munificentia regali, ſubdens eum illi, qui ibi inthronizatus fuerat ſede pontificali. Duces vero, qui ante hunc Principem, ſub Regibus Francorum, Ba-

* Manſee V. tom. 1. Metrop. Saliſb. p. 499.

Sedis epiſcopalis translatio

Bajoariæ regebant Ducatum, quæ bona beato Emmerammo contulerint, pitacia eorum & teſtamenta penes nos ſatis indicant inventa. AN CHR. 931

6. Ex his autem omnibus, qui Chriſti Martyrem reverenter colebant, ſeu cum reverentia diligebant, eo quod præ ceteris ejuſdem cultui deditus eſſet, excipiendum mihi puto perſuavis memoriæ Arnolfum Carolomanni filium, primo Bajoariæ Ducem, dein Franciæ *orientalis* Regem, noviſſime autem ob beati Petri defenſionem, poſt victorias mirificas, Romæ factum Imperatorem: ſub quo etiam veluti fundamentum quoddam Martyris almi miraculis ſcribendis ponere volo: quia hinc exordium ſumens, utpote ex noto, & circa eumdem Dei Martyrem maxime devoto, pulcram ad ceteros Principes his annotandos proceſſionem facere potero. Is namque ſperans Deum ſibi fore propitium, elegit beatum Emmerammum vitæ ſuæ ac regno patronum; adeoque illi adhæſit, ut in vicinitate Monaſterii regio cultui aptum conſtrueret grande palatium. Cum ergo hujus patrocinium duris in negotiis & in prœliis multis haberet expertum; manifeſtius hoc ſibi adeſſe ſenſit, quando Marahenſi * bello interfuit.... Hinc Princeps glorioſus victoria tali oppido lætus, Ratisbonam revertitur, ubi conſonis omnium in ea eccleſiarum campanis ſuſcipitur... Tunc ſapienti uſus conſilio,... per cuncta Noricæ monaſteria miſit gratifica munera. Speciali autem ſuo patrono Emmerammo pro gratiarum actione contulit totum palatii ornatum; in quo erat ciborium quadratum, cujus auro tectum tabulatum, faſtigium ſerto gemmarum redimitum: corpus vero, ad geminæ ſpecimen dilectionis, ſimilitudinem habens ſuperioris & inferioris, ſuſtentatur aureis octo columnellis, quæ & ipſæ tot virtutum ſeu beatitudinum inſtar exponunt. Erant etiam in eo Evangeliorum libri plenarii auro & gemmis tecti, ſcripti, picti, ac omnimodis ornati: e quibus unus eſt cubitalis, opere, pretio, pondere ſiquidem talis, ut ei non facile inveniri poſſit æqualis, &c. Hæc autem cum largifluæ Principis devotioni tanto patrono minime ſufficerent, pro dono addidit argenteam craticulam prædicto ciborio ſubponendam. Adjecit & pallia coloratu paria & varia: inter quæ unum unius texturæ, longitudinem habuit cubitorum triginta. Verum his quid diutius immorandum? Demum quippe apud ſanctum Emmerammum ſibi juſſit præparari mauſoleum: quo mortem obiturus, eum benignius in eccleſiis haberet patrocinantem, quem in terris utcumque vivens & valens, ſui ſuorumque optavit, immo fecit fore potentem.

14. Maji. Arnolfus in S. Emmerammum munificus.

Palatium ei adjacens condit.

* de Moravie.

Ciborium donat.

7. *Hæc de Arnulfo Rege fuſius ex Arnolfo retuli, ut inde oſtenderem, nihil in tota illa Arnolfi narratione, quæ minutiſſima quæque commemorat, haberi de ſancti Dionyſii Pariſiorum Epiſcopi translatione, quæ iſtuc per Arnulfum facta dicitur apud Ratiſponenſes. Nulla vero iſtius translationis mentio facta eſt ante Pontificatum Leonis IX. qui cum aliquando Ratiſponam acceſſiſſet, Wolfgangi Ratiſponenſis Epiſcopi piiſſimi corpus e tumulo extulit, & rogatu Reginbardi Abbatis ad ſanctum Emmerammum, litem de poſſeſſione corporis ſancti Dionyſii dirimere ſtatuit, dato diplomate ad Regem & Antiſtites Francorum, quod in Metropolis Salisburgenſis tomo* 1. *pag.* 253. *atque alibi vulgatum eſt. Verum ſi hæc translatio ab Arnulfo facta fuiſſet in eccleſiam ſancti Emmerammi, eam non omiſſurus fuiſſet Arnolfus ejus loci monachus, qui tam accurate beneficia per Arnulfum Regem in ſanctum Emmerammum collata recenſuit annis fere quadraginta ante Leonem IX. Quid? quod de inſigni illo Evangeliorum codice agens, nequaquam illum ex Pariſienſi ſancti Dionyſii baſilica una cum ſancti Martyris corpore allatum dicit, ut vulgo jactant Ratiſponenſes: ſed dono datum ait ab Arnulfo, nulla translati corporis (ubi ſane occaſio exigebat) mentione facta. Quin etiam ad tollendam omnem ejus rei ſuſpicionem, in eccleſia ſancti Dionyſii facta eſt manifeſtatio ejus corporis juſſu Henrici Regis, ut poſtea videbimus. Sed interim ad Tutonem veniamus, de quo ita Arnolfus in lib.* 1. *de miraculis cap.* 6.

An S. Dionyſii corpus eo translulerit.

8. Sub

AN.CHR. 931 14. Maji. Tutonis vitæ compendium. 8. Sub præfato itaque Principe Tuto ſancti Emmerammi monachus Ratisbonenſi præſulabatur eccleſiæ : qui a ſeptimo anno imperii illius uſque ad duodecimum regni Henrici Saxonis hac in vita permanſit. Hujus ergo anteceſſor Chunradus Rex, exigentibus publicæ rei utilitatibus, ad Reginam civitatem devenit : in qua rebus, quarum gratia venerat, profligatis, ex antiqua Regum conſuetudine commonitus acceſſit ad eccleſiam beati Emmerammi, quaſi licentiam accepturus Franciam remeandi, ubi Principum ſepulcra viſitanti, Arnolfi ſcilicet Imperatoris, necnon Ludovici, qui puer immatura morte e medio exceſſit, a Capellanis male ſuggeſtum eſt, ut regio jure ac poteſtate ſuorum, ut pote qui fuerit, anteceſſorum ſibi vindicaret præſcriptum magni pretii librum. Quem cum prænominatus Epiſcopus dare juſſus, ſed hoc facere Martyris timore nullatenus eſſet auſus; minis tandem ad id ventum eſt, ut librum eumdem coram Principe invitus in altari exponeret, cui tamen imprecatus eſt dicens : Beati Emmerammi ſit in die judicii, qui hunc uſibus ejus ſubtraxerit ſervitii. Quod quantum valeret cito experturus Rex, præcepit eum temere tolli & efferri. Cumque aſcendiſſet equum, prope monaſterium incurrit dyſenteriæ morbum. Quo tremefactus, ac in ſe facti commercium ſentiens per cruciatus, eodem momento reſtituit librum beato Emmerammo, inde ſecum ferens dolorem, quo in Francia ultimum clauſit diem. Tunc venerandus Antiſtes Tuto Chriſto adhærens in Martyre ſuo, coronis Principum Caroli, Carolomanni, Arnoldi addens de ſuo quantum potuit, beato Emmerammo aureum altare paravit, venuſtiſſima forma decoravit, mille gemmis ornavit. Hic atqui cæcatus corpore, ſed illuminatus mente, caſtigatæ infirmitatis neceſſitatem vertit in animi anguſtam virtutem, & nequaquam valde depenſans privatum ſe luminis, quod ſibi commune eſſet cum muſcis, talem ſpiritus habuit conſolationem, ut per eum ventura prævideret, ac ea quibus minime intererat facta patenter ediceret. Conſtitutus ergo apud Lunælacum triginta ferme raſtis a Ratisbona diſtantem, grande in ea quadam die factum ſuis indicavit incendium. Hujus rei non ſolum prolato; ſed etiam totius in eo pietatis teſtimonio, exemtus e medio, uti nobis dictat bona ſpes, migravit ad cælicas ſedes, ibi quem hic dilexit patronum ſuum ſemper viſurus Emmerammum.

Alia ejus facta. 9. *Hactenus Arnolfus de Tutone, quem laudat etiam Hundius in Metropolis Salisburgenſis tomo* 1. *pag.* 191. Tuto vir ſanctus, monachus Emmeranus, anno 891. fit Epiſcopus. Hic Arnulfo Regi Bajoariæ fuit a ſecretis: quem cum in Galliam ſecutus eſſet, Dionyſium illum Gallorum tutelarem cælitem furto ſurreptum, & Evangeliorum codicem auratum ac gemmatum, juſſu Caroli Calvi Francorum occidentalium Regis aureis litteris ſcriptum, ab eodem Arnulfo acceptum, Ratisbonam in monaſterium ſancti Emmerani intulit : quem codicem cum Imperator Conradus I. iterum auferri juſſiſſet, &c. *Sed nullam veri ſimilitudinem habent ea, quæ de furto corporis ſancti Dionyſii ab Hundio ex vulgari traditione referuntur, quæ Arnolfi monachi tempore nondum recepta erat, ex dictis. Certiora ſunt quæ de eodem Tutone addit Hundius, nempe ipſum litigaſſe* cum Rechario Abbate Mataniensi *ſuper quadam parochia, ut fidem facit charta* data in Straubinga curte regia, anno Domini 902. regni vero pueri Ludovici ſecundo, Tutonis autem Epiſcopi 8. *quæ notæ chronicæ obſervandæ ſunt ad ſtatuendum initium Tutonis Pontificatus, quem Hundius triennio citius, ideſt anno* 891. „ *defixit. Si verum eſt quod ait Aventinus, anno* 920. *cum Henricus Rex* „ *una cum Arnulfo Bojorum Duce Boemiam cum exercitu penetraſſet, &* „ *Spitigneum Ducem ad obſequium & fidem Chriſti coegiſſet; Tuto Epiſcopus* „ *eccleſiam Pragæ ſancto Vito dedicavit, rogante Vvenceslao Spitignei filio. Idem Tuto interfuit Concilio Triburienſi anno* 895. *Sub eodem Epiſcopo monachi ſancti Emmerammi, ut ſcribit Hundius, ab Imperatore Arnulfo exemtionem monaſterii impetraverunt. Exſtat apud Meibomium poſt Vvitichindi An-*

Digitized by Google

Annales, inter alia diploma Ottonis M. de donatione facta Ratiſponenſi mo-naſterio ſancti Emmerammi, quo in diplomate fit mentio iſtius immunitatis, quam Karolus Magnus cum auctoritate Leonis Papæ, filiuſque ejus Ludovicus cum Eugenio Papa, & pius Ludovicus Rex cum Nicolao Papa, & Arnulfus Rex cum Formoſo Papa *in ſuam poteſtatem recepiſſe memorantur, &* confirmaſſe de prædicto monaſterio unoquoque anno ſeptem aureos perſolvi ad altare ſancti Petri, *ſcilicet Romæ. Id autem Otto ipſe* per interventum Henrici Bajoariorum Ducis fratris *ſui denuo ratum habuit* in ſynodali Concilio ante altare principis Apoſtolorum, in præſentia Papæ Joannis & Epiſcoporum 117. *addens ſe id facere* propter improbitatem Epiſcoporum ejuſdem civitatis : quia non omnes, ſed multi ex eis ſemper inſidioſe contenderunt contra eumdem ſanctum locum. *Hundius tamen ſcribit, Arnulfi confirmationem irritam fuiſſe,* quia ſine conſenſu Tutonis Epiſcopi facta erat*: quod nequaquam veri ſimile eſt, cum Otto Magnus eam ſanctione tam ſollemni roboraverit. Ceterum idem Arnulfus Ratiſponæ muris incluſit ſancti Emmerammi monaſterium,* in *cujus* templi angulo, *teſte Hundio,* exſtat hodie ſepulcrum *Tutonis Epiſcopi poſt tumulum ſancti Vvolfgangi.* Sub hoc Epiſcopo, *inquit idem auctor,* fundatum dicitur monaſterium inferius Ratiſponæ, ad promotionem Juthæ aviæ ſancti Henrici, *nempe Sanctimonialium, uti & ſuperius, monaſterium. De utroque agitur in vita ſancti Vvolfgangi Epiſcopi, infra.* AN CHR. 931 14. Maji.

10. *Quod attinet ad tempus mortis Tutonis, eam ſerius anno 926. quem ſtatuit Hundius, contigiſſe intelligimus ex ſuperiori Arnolfi narratione num. 8. ubi Tuto* a ſeptimo anno imperii *Arnulfi* uſque ad duodecimum regni Henrici Saxonis *Ratiſponenſi eccleſiæ præſediſſe perhibetur. Arnulfus imperium adiit anno 887. Annus itaque ejus ſeptimus Chriſti anno 894. illigatur. Huic de Tutonis pontificatu calculo ſuffragatur ſpecimen chartæ apud Hundium relatum, in qua annus Domini 902. cum anno Tutonis Epiſcopi octavo componitur. Unde conſequens eſt, Tutonis annum primum coincidere in annum 894. Et ſiquidem ad annum undecimum regni Henrici Saxonis pervenit, ad annum 931. ejus obitus differendus eſt. Corrigendus igitur Hundius, qui annum 926. Tutonis ſupremum dicit. Tutonem ad diem 14. Maji abſolute ut* ſanctum *celebrant Menardus & Bucelinus, poſt Hundium, qui diem ſilet : ſed Ratiſponenſis eccleſiæ Breviaria nullum de eo officium habent. Nobis* beatum *appellare ſat fuit : cujus utique ſanctimoniam ſatis declarat Arnolfus. Tutonem prætermiſerunt 14. Maji ſocii Bollandiani, de ejus recepta ſanctitate incerti.* Tutonis obitus,

11. *Apud Hundium diplomata quædam Tutoni inſcripta referuntur, Arnolfi unum, alterum Ludovici ejus filii, a pag. 248. tomi primi. In alio item Ludovici fit mentio de Tutone tomo 2. pag. 20. Exſtat in tomo 1. pag. 44. epiſtola Theotmari Juvavenſis ſeu Saltzburgenſis Archiepiſcopi, Tuttonis Ratiſponenſis, aliorumque Epiſcoporum ad Joannem Papam IX. de variis capitibus eccleſiaſticæ diſciplinæ.* Diplomata & ſcripta.

12. *Tutoni ſucceſſit* Iſengrinus, (*Conradum interponit Hundius, ſed Arnolfus expungit) Iſengrino ſuffectus* Guntharius *monachus cœnobii ſancti Emmerammi. Ejus electio hac ſorte accidit, teſte Ditmaro in Chronici libr. 2. pag. 20. quod totidem verbis refert anno 952. Chronicon Magdeburgenſe mſ.* Imperator *Otto* audita Ratiſponenſis Epiſcopi morte, eo perrexit; & ut Epiſcopatum non alii daret, niſi qui primus ſibi occurreret, in ſomnis eſt admonitus. Craſtino die illuceſcente Rex ad monaſterium ſancti martyris Emmerammi, Monachis hoc neſcientibus, cum paucis venit; & paulatim oſtium pulſans, a quodam Gunthero eccleſiæ pervigili cuſtode & per omnia venerabili Patre eſt intromiſſus. Quem intuens ad adorandum primo proceſſit, deindeque talibus aggreditur : Quid mihi, Frater, pro adipiſcendo Epiſcopatus honore vis dare? Senior ad hæc ſubridens; Calceos, inquit, meos. Hunc autem cum ceteris Fratribus ad electionem Antiſtitis ad ſanctum Succeſſores.

AN.CHR. 931 14. Maji. ctum Petrum venientem, Rex explicato cunctis ſomnio ceteroque rei eventu, Sacerdotem conſtituit cum conſilio Cleri ac totius populi. Qui accepta benedictione ſedit tantum menſes 6. & compreſſus ægritudine valida, ad modicum convaluit: ſumtoque in manu cinere, locum quo de ſæculo migrare voluit, ſigno ſanctæ crucis ipſe ſpargendo ſignavit, ſolotenuſque poſitus illud beati Job carmen, beatus & ipſe cecinit: *Auditu auris audivi te, Domine, &c.* Et continuo confeſſione cum lacrymis peracta tradidit ſpiritum. Impletum in eodem eſt, quod anteceſſor illius ſimilis habitus (*Tutonem intelligo*) huic prædixit: Tu debes, Frater, ſecundus poſt me hanc eccleſiam regere, ſed parvo tempore vives, Domino tantum te miſericorditer coronante: quod quamdiu hic peregrinatus eſt, juxta Dei voluntatem idem fieri ſemper optavit. *Otto* audito obitu tanti Patris, Michaelem huic ſuccedere fecit. *Plura de Michaele ibidem, id eſt apud Ditmarum & Chronographum Magdeburgenſem, cujus lectionem in ſuperioribus quandoque prætulimus. Michael ſucceſſorem habuit* Vvolfgangum, *cujus Acta inferius adducemus.*

Boſo Epiſcopus Merſeburgenſis. 13. *Idem Ditmarus cum Chronographo laudat pag. 24. anteceſſorem ſuum Boſonem Merſeburgenſem Epiſcopum, de quo hæc Chronographus ad annum* 970. Boſo Mersburgenſis Epiſcopus obiit. Hic a præfato Imperatore conſtitutus Epiſcopus, curam ſibi commiſſam annum unum & dies tres regens, in patria obiit Bauvariæ Kal. Novembris, ſepultuſque eſt Merſeburch in eccleſia ſancti Joannis Baptiſtæ coram ſummo altari. Hic in monaſterio Chriſti martyris Emmerammi, quod extra urbem Ratiſponam in auſtrali parte ſitum eſt, monachus converſatione nutritus eſt, & inde ad ſervitium Regis aſſumtus, beneficium Cicenſis eccleſiæ pro magni laboris ſui remuneratione debita percepit, & juxta prædictam civitatem in quodam ſaltu quoddam monaſterium conſtruxit; ac ſuo nomine vocavit, *nempe* Buſonvve, *ut in margine additur*: templum Domino de lapidibus ædificavit, conſecrarique fecit... Et quia is in Oriente, *reſpectu ſcilicet Saxonum*, innumeram Chriſto plebem prædicatione aſſidua ſacro baptiſmate vendicavit, Imperatori placuit, electionemque de tribus conſtituendis Epiſcopatibus ei dedit, Miſnenſis, Cicenſis, & Merſeburgenſis. Præ his omnibus, eo quod pacificaverat, Merſeburgenſem expetens eccleſiam ab Auguſto, quamdiu vixit, ſtudioſe eamdem rexit. Hic ut ſibi commiſſos eo facilius regeret vel inſtrueret, Slavonica verba ſcripſerat, & eos *Kyrie eleiſon* cantare rogavit, exponens eis hujus utilitatem. Qui recordes in malum hoc irriſorie mutabant, *Uriſolſa*, quod noſtra lingua dicitur, *Alnus quæ ſtat in frutectis*, dicentes, Sic locutus eſt Boſo, cum ille aliter dixerit... Quo defuncto, interceſſione Annonis Vvormatienſis Epiſcopi Imperator Giſilero, moribus & natura nobili, Epiſcopatum dedit. *Nec prætereundum hoc loco quod habet Ditmarus paullo poſt initium libri 3. de Giſilero Epiſcopo, qui Merſeburgenſem Epiſcopatum deſtruxit, &* Abbatiam ibi ſtatuit, eidemque Otradum venerabilem de ſancto Joanne *Magdeburgenſi* præfecit, poſtque Heimonem de eodem monaſterio conſtituit. *Hæc dicta ſint occaſione cœnobii ſancti Emmerammi, ex quo Boſo eductus eſt, ut mox notabam.*

Buſonvvelenſe monaſterium conſtruit.

S Dionyſii corporis detectio Pariſiis. 14. *Antequam cœnobium ſancti Emmerammi miſſum faciamus, juvat hoc loco retractare id, quod ſuperius jam attigimus, de corpore ſcilicet ſancti Dionyſii Pariſiorum Epiſcopi, quod Ratiſponenſes illi monachi ſe habere gloriantur, adducto teſtimonio Leonis Papæ IX. in cujus præſentia hoc corpus manifeſtatum affirmant. Nec ſane infitiamur Pontifici oſtenſas fuiſſe quaſdam reliquias, quæcumque tandem illæ ſint, quas ei pro genuinis ſancti Dionyſii reliquiis approbare conati ſunt. Verum eas ſancti Dionyſii Pariſiorum Epiſcopi non eſſe inde patet, quod nemo ante Leonem IX. ejus rei meminerit, nequidem Arnolfus ſancti Emmerammi monachus, ubi locus & occaſio exigebat. Is enim, ut jam dixi, loquens de eximio codice Evangeliorum, aliiſque donis ab Arnulfo Imperatore ſancti Emmerammi eccleſiæ conceſſis, nullam omnino men-*

mentionem facit de corpore ſancti Dionyſii : quod tamen in primis memorari AN.CHR. *oportebat, ſiquidem hoc Pariſiis allatum dicunt cum illo codice Evangeliorum,* 931 *quem ab Arnulfo donatum memoravit Arnolfus. Deinde graſſante Nortmanno-* 14. Maji. *rum infeſtatione paullo poſt Arnulfi Imp. obitum, Monachi ſancti Dionyſii in urbem Remorum ſe receperunt* cum ipſius Martyris pretioſo corpore, *inquit Frodoardus auctor æqualis, in Hiſtoriæ lib. 4. cap. 8. ubi Heriveus Antiſtes* eos recepit & aluit. *Præterea Carolus Simplex Heinrico Germaniæ Regi* manum pretioſi martyris Dionyſii auro & gemmis incluſam *tranſmiſit anno 925. teſte Chronographo Magdeburgenſi, id eſt anno 26. a morte Arnulfi. Non ergo tunc ſancti Dionyſii corpus ex Gallia ſublatum fuerat. Sed quod omnem evincit difficultatem, miſſis Leonis Papæ IX. ad Henricum Francorum Regem & regni Epiſcopos litteris de prætenſa corporis ſancti Dionyſii apud Ratiſponenſes manifeſtatione, ſtatim Henricus ipſe Hugoni Abbati Dionyſiano mandavit, ut ſancti Dionyſii loculo ſollemniter reſerato diſpiceretur, an ſacræ ejus reliquiæ inde re vera furto ſublatæ fuiſſent. Id incunctanter aggreſſus eſt Hugo, diemque ſollemni detectioni indixit* ſub die quinto Iduum Juniarum. *Ipſo die in frequenti Epiſcoporum, Abbatum, procerumque conventu reſeratus eſt ſancti Martyris tumulus ac loculus : ubi reliquiæ integræ cum loculo pretioſiſſimo repertæ, nulla violati tumuli ſpecie apparente. Ejus rei hiſtoriam retulit Haimo ſancti Dionyſii monachus in libello inedito, quem alteri Hugoni Abbati nuncupavit. Inter alia ſcribit auctor iſte, Odonem Henrici Regis fratrem* cum curialium pluribus *a Rege directum, ut ſollemni detectioni intereſſet ; ac miſiſſe* ſanguineam purpuram ad involvendam pretioſi corporis glebam : *tum effoſſo tumulo,* oſſa pretioſiſſimi martyris Dionyſii reperta, pallio tantæ vetuſtatis nimietate conſumpto obvoluta, ut inter manus tenentium evaneſceret. Poſt hæc ablatis vetuſti pallii reliquiis, cum aliiſque pignoribus veſtimentorum ſancti Dionyſii ſociorumque ejus ſtudioſe conditis, oſſa devotiſſime ab Abbate involuta in pallio a Rege deſtinato. *Ut vero omnes intelligant, quanta cautela, & quam munito loco repoſitæ eſſent ſancti Martyris reliquiæ, tumulum ita deſcribit Haimo.* Dagobertus memoratum ſanctum cum duobus ſociis honorifice poſuit in ſcriniis argenteis artificioſiſſimarum ſerarum atque obicum mirifica atque ſubtili diligentia, ut adhuc hodie, *inquit*, videri poteſt, interius munitis : collocavitque poſt altare in crypta tantæ profunditatis, ut uſque ad genua omnino ſe intromittat, ſi quid inde voluerit abſtrahere aliquis. Quin etiam antequam ad corpora ſanctorum perveniatur, cryptula quædam aureis gemmis extrinſecus decorata habetur, in qua duabus ſeris diligenter munita Dominici clavi & coronæ condita ſervantur pignora, nulloque alio aditu præter hunc ſcrinia ſanctorum videri, aut ab aliquo poſſent ullatenus tangi. *Quæ omnia cum integra & inviolata reperta eſſent, nemini ſublati corporis (quod quidem ibidem inventum eſt) ſuſpicionem relinquere potuerunt. Sacrum corpus quindecim continuis* diebus dimiſſum eſt ſuper principale altare, Fratribus ad cuſtodiam diu noctuque ſibi ſuccedentibus. *Huic autem detectioni adfuerunt ex Epiſcopis* WIDO Remenſium Archiepiſcopus, ROBERTUS *Cantuarienſis ;* IMBERTUS *Pariſiorum* Epiſcopus, HELINANDUS Laudunenſis, BALDUINUS Noviomenſis, WALTERIUS Meldenſium, FROTLANDUS Silvanectis : *ex ordine Abbatum præter Hugonem Dionyſianum,* ALBERTUS Abbas Majoris-monaſterii, JOANNES Fiſcannenſis, LANDERICUS ſancti Petri Carnotenſis, ROBERTUS ſancti Petri Foſſatenſis, RODULFUS ſancti Petri Latiniacenſis, ADALBERTUS monachus ſancti Remigii, qui & ipſe aſſeruit in præſentia imperatoris *Henrici IV.*, in hac patria ſanctum Areopagitam Dionyſium eſſe, quando unius mortui hominis corpus pro eo de terra voluit extrahere *apud Ratiſponam. Ex ordine laicorum interfuerunt* ODO memorati Regis frater atque fidelis nuntius, WALTERIUS Comes Pontiſarenſis, WILLERUS Comes Corboilenſis, YVO Comes Bellimontenſis, WALERANNUS Comes Mellendenſis, & alii nobiles, multique devotæ fidei gregarii Milites. *Hactenus ex Haimone. Hujus detectionis feſtum quotannis in eccleſia Dionyſiana celebratur. Hæc ſufficiant ad explodendam fabulam* de

Digitized by Google

de translatione ſancti Dionyſii in ſancti Emmerammi cœnobium, de quo iterum in actis Ramnoldi Abbatis agemus.

AN CHR. 933 3. Auguſt.

DE B. GREGORIO ABBATE NONANTULENSI,

Ubi de Monachis ibidem cæſis ab Hungaris.

1. NOnantulenſe in agro Mutinenſi monaſterium condidit Anſelmus ex Duce Forolivienſi monachus & Abbas pietate inſignis, cujus acta initio Sæculi ſuperioris retulimus. Eodem ſæculo deſinente, loco iſti præfuit LEOPARDUS Abbas, ordinatus anno Domini 899. qui ſedit annos 13. menſes duos, dies 14. Obiitque 12. Kal. Julii, *uti ex Chronico Nonantulano Ughellus commemorat in tomo 2. Italiæ ſacræ col. 254.* In ipſo anno 899. venere Ungari in Italiam de menſe Auguſto, Indict. 3., 8. Kal. Octobris. Junxerunt ſe Chriſtiani cum eis in bello ad fluvium Brentam, ubi multa millia Chriſtianorum interfecta ſunt ab eis, & alios focavere; & venerunt uſque ad Nonantulam, & occidere Monachos, & incenderunt monaſterium, & codices multos concremavere, atque omnem depopulati ſunt locum. Prædictus autem venerabilis Leopardus Abbas cum cunctis aliis Monachis fugere, & aliquamdiu latuere. Poſtea vero congregati ſunt, & recondidere monaſterium & eccleſiam: & miſit ad SERGIUM Papam, qui tunc Romanam & apoſtolicam gubernabat ſedem, conſulendo de conſecratione eccleſiæ ſeu monaſterii, & de diverſis ærumnis quas paſſus eſt a barbaris atque ab aliis malis hominibus: cui prædictus Papa ſcripſit epiſtolam continentem hunc modum.

Leopardus Abbas.

Monachi ab Hungaris cæſi.

SERGIUS Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, LEOPARDO religioſo Nonantulani monaſterii Abbati. Viſis humilitatis tuæ litteris, condoluimus ſatis de cœnobio Nonantulanenſi tibi commiſſo, eo quod ſub cura tui regiminis commiſſus tibi grex nonnullis afficitur indigentiis: ſiquidem barbarorum gladio vaſtan... tuumque monaſterium ab eiſdem igne crematum, malorum hominum infeſtatione te ipſum cum tuis turbatum audimus. Sed miſericordiæ omnipotentis Dei eſto fiſus, beatorumque Apoſtolorum ſuffragiis adjutus, quod ad hoc prævaluiſti, ut poſt flagella, tui laboris certamine, eccleſiam ipſius tui monaſterii uſque ad culmen levares, quam cum toto tuo monaſterio ſub apoſtolica noſtra tuitione, quemadmodum ſub anteceſſorum noſtrorum tempore fuit, pro amore beati Silveſtri Pontificis Romanæ ſedis, cui Deo auctore deſervimus, decernimus eſſe; & te ubicumque adjuvare, & protegere debemus, pontificii noſtri dexteram libenter porrigamus, firmantes quæcumque ab ævo religioſo & ſancto conceſſa privilegia tuo fuere monaſterio Nonantulano. De cetero ſi ad conſecrandam monaſterii tui eccleſiam Epiſcopum quæris, hoc tempore nolumus, ut aliquem ad conſecrandam ipſam eccleſiam roges, niſi JOANNEM venerabilem Ticinenſem Epiſcopum, aut WIDONEM Placentinum, vel ELBUNGUM Parmenſem reverendiſſimos Epiſcopos. De his tribus qualem volueris, induc ad conſecrandum tuam eccleſiam.

2. *Hucuſque Sergii tertii litteræ, quæ notis chronicis deſtitutæ ſunt apud Ughellum, datæ anno 908. aut inſequenti, ſi non anno 910. quo Sergius deceſſit. Vvido, in præmiſſis litteris memoratus, erat* Monachus ex Ordine ſancti Benedicti, *qui Placentinum ſancti Sabini ſeu Savini monaſterium ab Hungaris itidem dirutum reſtituit, ut vetera monumenta teſtantur ibidem apud Ughellum. Anno 912. Leopardo ſucceſſit in regimen cœnobii*

bii Nonantulenſis GREGORIUS *Abbas, de quo accepimus dumtaxat paucula quæ ſequuntur.* AN.CHR. 933

3. *Antequam Abbatiali dignitate fulgeret Gregorius, tam doctrina, quam diſciplinæ regularis obſervantia clarus fuit. Hunc* Ligum *aut* Lygeum *vocat Coſmas Materienſis, ſæculi decimi poeta, in perrudi carmine, quod ipſi de ſanctis martyribus Theopompo & Theona ſive Syneſio nuncupavit. Illud Ferdinandus Ughellus, tum Nonantulæ Abbas, deſcripſit ex antiquiſſimo ejuſdem monaſterii codice, qui etiam Theopompi atque Syneſii acta, quatenus ab ipſomet in Epiſcopis Turviſinis vulgata ſunt in Italiæ ſacræ tomo 5. complectitur. Poſt annum 780. beatorum Martyrum corpora in monaſterium ſanctæ Crucis & ſanctæ Fuſcæ, Nonantulano ſubditum, deportata ſunt ex Oriente: ſed devaſtato ab Hunnis & Ungaris anno 899. ſanctæ Fuſcæ cœnobio, inde delata ſunt in Nonantulanum, agente in primis venerabili Petro loci Abbate circiter annum 911. qui miſſo Rodulfo monacho S. Fuſcæ locum recuperavit, atque Martyrum corpora colligi & Nonantulam deferri curavit. Rem pluribus apud Ughellum narrat anonymus, qui Rodulfo Nonantulæ Abbate initio ſæculi 11 florebat. Rodulfum autem eo nomine primum, qui ab anno 1002. ad 1035. præfuit, deſignat auctor, non ſecundum, qui Rodulfo patruo proxime ſucceſſit in annos quatuor. Hæc Martyrum acta recudere non vacat, quandoquidem ea ſuperius in Anſelmi Abbatis elogio delibavimus: quæ de Gregorio Abbate dicuntur, hic referre ſatis fuerit, poſtquam Coſmæ verſus nonnullos exſcripſerimus.* 3. Auguſt. Gregorius Leopardi ſucceſſor.

4. *Jam laudatus Coſmas opellam ſuam Gregorio ſic inſcribit:*

COSMAS MATERIENSIS GREGORIO LIGO.

Coſmas Gregorio monacho dedit iſta benigno
Carmina, levitico qui cluit officio.
Ob meritum magni Theopompi præſulis almi,
Obque Syneſii, ſeu Theone tanei.
Sæpius is celſam rogavit namque catervam,
Scribendi cauſam nos celebrare piam.
Mox operam dedimus, græco de fonte latinus
Murmeret ut citius geſta ſacrata pius.
Annuat ut Dominus nobis ſua munera Chriſtus,
Addat opem precibus cœtus ovans Lygeus.
Coſmas Martyribus ſacris carmen dedit actus,
Gregorii precibus mente pia japygus.

Non meliore vena decurrit carmen, plane inſulſum, & ferrei ſæculi genio reſpondens.

5. *Petro Abbati Nonantulæ exſtincto ſucceſſit Gregorius, quem anno 914. ordinatum refert antiquus Nonantulanorum Abbatum index, qui ex mſ. Chronico ſeu codice concinnatus, in Rodulfo II. ſive in anno 1037. deſinit: ubi de Gregorio hæc memorantur.* Hic reliquit Abbatiam, abiitque in locellum Solariæ, & cœpit ibi degere feliciter. Succeſſit autem in loco ejus Ingelbertus venerabilis Levita, anno ordinationis ejus 17. anno Domini 929. Et poſtea in ipſo præfato locello Solariæ jam prælibatus Abbas Gregorius converſatus fuit annos tres, & menſes ſex, dies quatuor; & tunc rediit ad ſuum cœnobium, & ſub regimine Ingelberti Abbatis honeſtiſſime vixit. Poſtea adſtante cuncta congregatione ſancti Silveſtri, Deo ſpiritum reddidit anno Domini 933. 3. nonas Auguſti, Indict. 6. *Nec plura de Gregorio Nonantulanæ ſchedæ apud Ughellum, qui melius rei litterariæ conſulturus fuiſſet, ſi integrum Chronicon, quale Wion* in monaſterii ſacriſtia *cum Kalendario & Anſelmi vita aſſervari dicit, exhibuiſſet. In Faſtis Benedictinis celebratur prid. Nonas Auguſti* depoſitio ſancti Gregorii *Nonantulani monaſterii Abbatis. Utinam ejus acta haberemus, quibus ejus ſanctitas demonſtraretur. Ferrarius in catalogo Sanctorum Italiæ eum ut ſanctum laudat, aitque* tanta prudentia

dentia & ſanctitate *Nonantulenſe monaſterium ſuum adminiſtraſſe*, ut etiam miraculis claruerit: *an autem officio eccleſiaſtico Nonantulæ celebretur, ſibi hactenus ignotum eſſe. De Leone Abbate inferius ſuo loco.*

AN CHR. 934 31. Martii.

DE VENERABILI JOANNE
I. ABBATE CASINENSI.

1. POST *ſanctum Bertharium, de quo in ſuperiori tomo egimus, incenſo a Saracenis Caſinate monaſterio, Monachi qui ex barbarorum ſtrage reliqui erant, Teanum in opidum ſe recepere: quibus* Ragemprandus *primum Abbas, dein* Leo *eo in loco præfuerunt. Leone Abbate Monachi Caſinates tertio Meſſanam profecti, apud S. Placidum pro Chriſtiana Fide a Saracenis cæſi ſunt.* JOANNES *eo nomine primus, a ſancto P. Benedicto viceſimus tertius Abbas Caſinenſis, Leoni ſucceſſit viro ſtrenuiſſimo, qui ſacri montis ædes Saracenorum incendio deformatas inſtaurare aggreſſus eſt, id quod Joannes feliciter abſolvit. Genere illuſtris fuit Joannes, Capuanorum Principum conſanguineus, quem ſingularis pietas præ ceteris ad Abbatiale munus evexit. Rem, uti habuit, ex Leonis Marſicani Chronico lib. 1. cap. 53. poſtremæ editionis diſcere juvat.* Hic, *inquit*, nobilium Capuanorum ortus familia, eo tempore, quo præfatus Leo Abbas deceſſit, Archidiaconi officio in Capuana eccleſia fungebatur, religioſis valde & honeſtis moribus præditus. Sed cum aliquanto tempore congregatio Monachorum, quæ Teani conſiſtebat, paſtore eſſet proprio deſtituta, nec inveniretur inter eos aliquis hujuſmodi, qui tantæ prælationi eſſet idoneus; tunc Landulfus & Atenulfus Capuani Principes ineuntes conſilium, præfatum Archidiaconum adiere; eumque tam monitis, quam precibus, ut ejuſdem congregationis regimen reciperet, compulere: quo tandem annuente, mox Monachus factus, nec multo poſt a fratribus univerſis juxta morem electus, atque a ſupradicto domno Joanne Papa (x) honorifice conſecratus eſt. *Notandus hic locus, ex quo intelligimus id in more poſitum quondam fuiſſe, ut ſi quando ex ſæcularibus poſtularentur Abbates, mox illi ſumpto habitu Monachum profiterentur: quod Probi exemplo docet Gregorius M. idemque Germanus Pariſiorum, Leodegarius Æduenſium Epiſcopi proprio, aliique a nobis alias indicati probant.*

Joannis genus.

Monachatus.

2. Factus itaque Abbas, cœpit monere fratres, ut relicto Teano Capuam habitaturi ſecum pariter pergerent: quæ videlicet civitas, & circumpoſitarum civitatum primaria eſſet, & in ipſa Domini ejuſdem patriæ Principes habitarent: qui obſecundantes ejus imperio, Capuam omnes ſimul habitaturi profecti ſunt. Verum in eadem civitate Monaſterium adhuc non erat ædificatum, ſed in eo loco, ubi nunc conſtructum eſt, juxta portam ſcilicet ſancti Angeli, perparva nimium & exilis erat eccleſia, ac ſecus eam alia ſimiliter parva viliſque domuncula ſtabat de lignis contexta, ubi tres tantum, aut quatuor fratres vetuli morabantur. Hunc ſiquidem locum Majo Abbas ſancti Vincentii, nepos videlicet illius, ſub quo monaſterium conſtruendum olim a Principibus acquiſierat, & eamdem, quam diximus, eccleſiolam atque domunculam ibi conſtruxerat. Sed cum poſt eum GODELPERTUS Abbas factus fuiſſet; locutus cum prædicto Abbate Joanne, permiſſione ſeu licentia præfatorum Principum concambiavit cum eo ipſum locum, recipiens ſcilicet pro eo locum alium tantumdem ambitus, ubi prius idem Joannes Abbas monaſterium ſuum ædificare ſtatuerat: & conſequenter ipſe Godelpertus ad Principes jam dictos accedens, acquiſivit ab eis alium locum juxta ipſam civitatem, & ſuper fluvium Vulturnum: & cœpit ibi ædificare monaſterium in honore ſancti Vincentii, & monachos, qui per diverſa diſperſi fuerant, congregare, & res atque poſſeſſiones ipſius monaſterii jam dudum perditas recolligere. Noſter autem Joannes, tam propinquorum, quam amicorum non parvis

Abbatialis dignitas.

Facta.

vis adjutus ſolatiis, cœpit nihilominus in eodem, quo diximus, loco monaſterium in honore beati Patris Benedicti a fundamentis conſtruere, atque intra non multum tempus magnam pulcramque eccleſiam, necnon & officinas diverſis monaſterii officiis congruas decenter fecit; ibique quinquaginta & eo amplius Monachos victuros regulariter aggregavit, &c. *Occaſione hujus tranſmigrationis Camillus Peregrinius, & ex eo Angelus de Nuce, Agapiti Papæ diploma referunt, in quo Capuanos Principes ambitionis & avaritiæ ſtudio ductos hanc promoviſſe Pontifex ſubindicat his verbis.* Quod malum in caput quodam Landulfi tui genitoris reſpicit, qui quaſi monaſterium intra Capuanam civitatem ædificans, non ob Dei reverentiam, ſed temporalis gloriæ honore cupidus, parvipendens animarum periculum, ſuo dominatui monaſterium ſubdere cupiens, perverſo more cum morbido grege reſidere deſiderans, ut totius poſſeſſionem jam dicti monaſterii ſuis quaſi hereditario jure relinqueret. AN.CHR. 934 31. Martii.

3. *Subdit Leo cap.* 54. *Joannem* renovatæ majori eccleſiæ *Caſinenſi varia contuliſſe ornamenta, prædia dediſſe, aliaque ſtrenui Abbatis munera præſtitiſſe. Ad hæc Petrus Diaconus in cap.* 15. *de Viris illuſtribus Caſinenſibus Joannem his verbis commendat.* Joannes ſupradicti Caſinenſis cœnobii Abbas, vir nobilis carne & ſpiritu, de perſecutionibus ejuſdem cœnobii, & de miraculis inibi factis, Chronicam ſuccinctam, ſed valde neceſſariam loco deſcripſit. *Chronicon illud Leo in prologo operis ſui ita deſignat*: Repertis illis ipſis ſcriptiunculis, quæ de hac eadem materia, lacinioſo licet ſtilo, videbantur vel breviter exarata, & præcipue CHRONICA JOANNIS ABBATIS, qui primus in Capua Nova monaſterium noſtrum conſtruxit. *Angelus de Nuce Chronicon iſtud in codice membraneo Caſinenſi, cura & ſtudio Joannis Abbatis exarato, contineri ſcribit; illud haud dubie ipſum, quod Camillus Peregrinius in hiſtoria principum Langobardorum pag.* 122. *evulgavit. Cetera Joannis acta ſcriptave nos latent, qui poſtquam Caſinenſibus ab undecimo Kal. Septembris anni* 911. *ad pridie Kalendas Apriles anni* 934. *præfuiſſet, vivere deſiit,* & apud Capuanum monaſterium, *inquit Leo,* decenti eſt ſepultura reconditus. *Præter Leonem & Petrum Diaconum in locis ſuperius memoratis, idem ipſe Petrus in lib. mſ. de ortu & vita Juſtorum Caſinenſium cap.* 36. *inquit Marus pag.* 28. *& Voſſius de Hiſtor. Lat. lib.* 3. *uti & Sanctuarium Capuanum Michaelis Monachi pag.* 157. *Joannem commemorant. Notanda Petri Diaconi verba in citato mox loco, quæ eum uti* virum ſanctiſſimum ac religioſiſſimum *commendant. Hunc Caffarellus in Elogiis Abbatum Caſinenſium, & in Martyrologiis Vvion, Ferrarius, Dorganius, Bucelinus, aliique e noſtris* ſancti *titulo afficiunt, immo & Marus ſanctorum Caſinenſium faſtis ſub pridie Kalendas Aprilis adſcriptum conteſtatur: quos ſanctorum faſtos reperire necdum licuit. In antiquo Caſinenſi Breviario, litteris Langobardicis ab annis ſexcentis exarato, ubi Kalendarium per menſes ductum habetur, nulla Joannis Abbatis mentio occurrit: unde* venerabilem *appellare ſufficiat, quem etiam Menardus in Martyrologio ſuo Benedictino prudens prætermiſit, & Bollandiani eadem ratione in Martio. Joanni primo in regimen Caſinenſis cœnobii ſucceſſere* Adelpertus, Balduinus, *idemque ſancti Pauli ad Urbem Abbas,* (*cujus mentio infra in actis ſancti Odonis Abbatis Cluniacenſis*) Majelpotus, & Aligernus, *de quo inferius acturi ſumus.*

Elogium.

Mors & ſepultura.

Digitized by Google

AN.CHR. 936 31. Maji.

DE VENERABILI HILDEBERTO

ARCHIEPISCOPO

MOGUNTIACENSI,

& aliis ejuſdem ſedis Archiepiſcopis.

1. *Ex ſerie Antiſtitum Moguntinorum, qui hoc ſæculo exſtiterunt, id verum eſſe intelligitur, quod ſuperiori tomo in Sunderoldo dixi, dignitatem Archiepiſcopatus Moguntini fere hereditariam a ſancto Bonifacio ad poſteros Benedictinos tranſiiſſe. Nam ſæculo decimo Antiſtites iſtius eccleſiæ plerique omnes ex Ordine ſancti Benedicti aſſumpti ſunt, ut ex ſequentibus quivis intelliget.*

Hatto Archiepiſcopus.

2. *Quippe Sunderoldo ſucceſſit anno* 891. Hatto Augienſis Abbas, vir ingenioſus, *teſtante Hermanno, ſeu (ut habet Regino) qui* in Augia monaſterio multorum Pater exſtitit monachorum. *Hunc duodecim Abbatiis præfuiſſe tradit Ekkehardus Junior in libello de caſibus monaſterii S. Galli cap. 3. ubi præcipua ejus facta commemorat.* Fuldenſis ipſe erat monachus & Abbas, *inquit Ekkehardus: quod ſi legiſſet Serarius, Bruſchium & Vvionem, qui Abbatem Fuldenſem dixerunt, non refelliſſet. Ita vero Arnolfo Regi charus erat, ut* cor Regis *appellaretur, ex eodem Ekkehardo.* Moguntiam ipſam, a loco ſuo antiquo motam, propius Rheno ſtatuit. *Idem* Cellam & baſilicam ſancti Georgii in inſula conſtruxit, *auctore Hermanno ad annum 888. quo Hattonem* Augiæ Rudolfo Abbati *ſucceſſiſſe tradit. Viſitur in hunc uſque diem hæc eccleſia S. Georgii cum ejus reliquiis in inſula Augienſi Conſtantiam verſus. De iſtius Oratorii conditione agit Notkerus Balbulus in ſuo Martyrologio ad 7. Kal. Maji occaſione ſancti Georgii: ubi Hatto Maguntiacenſis, quem ſuum ipſius* Patriarcham *vocat, ſancti Georgii* caput & aliud quoddam membrum cum plurimis & maximis ſanctorum reliquiis in Alemanniam ad novum monaſterium ſuum a Formoſo Apoſtolico impetratis aſportaſſe *memoratur. Ejus obitum refert Hepidannus anno 913. Chronicon Magdeburgenſe mſ. anno ſequenti, Serarius anno 912. Ipſo Pontifice apud S. Albanum, (quod monaſterium apud Moguntiam celeberrimum erat, ut in Probo diximus ad annum 859.) Adelbero monachus Hirſaugienſis Scholas magna cum eruditionis & ſanctitatis opinione rexit, teſte Trithemio in Chronico Hirſaugienſi.*

Herigerus.

3. *Hattonem excepit* HERIGERUS *ex Fuldenſi item Abbate,* diuturna religionis exercitatione commendabilis: *cui ſucceſſit* HILDEBERTUS *ſeu* Hilbertus *de quo in præſens agendum eſt. De utroque ita Chronicon Magdeburgenſe ad annum 925.* Herigerus Moguntinus Deo dignus Archiepiſcopus obiit: Hildebertus ſucceſſit.

Hildebertus.

4. *Hildeberti honorificam in primis mentionem facit Vvitichindus in lib. 2. ubi de coronatione Ottonis Regis.* Eo tempore, *inquit,* erat ſummus Pontifex *ſeu Archiepiſcopus,* nomine Hilbertus, Franco genere, monachus profeſſione, nutritus vel doctus Wldo monaſterio, & ad id honoris merito progrediens, ut Pater ejuſdem loci conſtitueretur, deinde ſummi Pontificatus Magontiacæ ſedis faſtigium promeruiſſet. Hic erat vir miræ ſanctitatis, & præter naturalem animi ſcientiam, litterarum ſtudiis ſatis clarus: qui inter cetera gratiarum dona, ſpiritum prophetiæ accepiſſe prædicatur. *Synodo Erfordienſi in Turingia præfuit anno 935. eodemque anno e ſancti Hilarii baſilica in ſancti Albani monaſterium, ſancti Aurei ac ſanctæ Juſtinæ aliorumque reliquias tranſtulit.*

5. *Sed*

Digitized by Google

4. *Sed inter cetera Hildeberti facinora præcipuum eſt illud, quod Ottonem mortuo* AN.CHR.
Henrico ejus patre, anno 936. Regem inunxit coronavitque. Iſtius ritus pompam 936
late deſcribit Vvitichindus initio libri ſecundi, & totidem fere verbis Chroni- 31. Majl. Ottonem
con Magdeburgenſe mſ. cujus quia nulla eſt lectionum varietas, hic teſtimonium coronat.
proferre juvat. Defuncto patre patriæ & Regum maximo Heinrico, omnis populus Francorum ac Saxonum Ottonem a patre deſignatum notantes, univerſalis electionis locum in palatio Aquiſgrani eſſe juſſerunt. Duces ac præfectorum principes cum manu principum ac militum congregati in ſiceo* *al. Xyſto baſilicæ magni Karoli cohærenti collocarunt novum Ducem in ſolio ibi conſtructo, manus ei dantes ac fidem pollicentes, & operam ſuam contra omnes inimicos. At Moguntinus Pontifex interim cum univerſo ſacerdotali ordine & omni plebe præſtolabatur infra baſilicam proceſſionem novi Regis. Procedenti Pontifex obvius læva ſua tangit dexteram Regis, ſuaque dextera lituum geſtans, linea indutus ſtola, planetaque inſulatus; progreſſuſque in medium uſque fani conſtitit: & converſus ad populum qui circumſtabat (nam erant deambulatoria infra & ſupra in illa baſilica in rotundum „ facta, quo ab omni populo cerni poſſet) En, inquit, adduco vobis a „ Deo electum, & a domino rerum Heinrico olim deſignatum, nunc ve- „ ro a cunctis Principibus Regem factum Ottonem: ſi vobis iſta electio „ placeat, dextris in cælum levatis ſignificate. Ad hæc omnis populus dextras in cælum levans, cum clamore valido imprecati ſunt proſpera novo Regi. Ita more Francorum Otto Rex creatus regnare cœpit ab Auguſto loco 76. anno ab urbe Roma condita 1688. ab Incarnatione Domini 936. Proinde procedit Pontifex cum Rege tunica ſtricta more Francorum induto pone altare, ſuper quod inſignia regalia poſita erant, gladius cum baltheo, chlamys cum armillis, baculus cum ſceptro ac diademate. Ipſe autem Pontifex Moguntinus Hildibertus nomine, Francus genere, monachus profeſſione, nutritus & doctus in Fulda monaſterio, & ad id honoris merito progrediens, ut Pater ejuſdem monaſterii conſtitueretur, deinde ſummi pontificatus Moguntiacæ ſedis faſtigium mereretur. Hic erat vir miræ ſanctitatis, & præter naturalem animi ſapientiam litterarum ſtudiis clarus: qui etiam inter cetera gratiarum dona ſpiritum prophetiæ accepiſſe prædicatur. Et cum eſſet quæſtio inter Pontifices in conſecrando Rege, Treverenſem videlicet & Colonienſem, (etenim Trevirenſis aſſerebat quod ejus ſedes antiquior eſſet, & tamquam a beato Petro Apoſtolo fundata: Colonienſis vero quia ad ejus diœceſim locus pertinebat) & ob id uterque ſibi convenire arbitrati ſunt hujus conſecrationis honorem. Ceſſit tamen uterque cunctis notæ Hildeberti almitati. Ipſe autem accedens ad altare, aſſumpſit inde gladium cum bal- „ theo, & converſus ad Regem ait: Accipe hunc gladium, quo Chriſti „ ejicias univerſos adverſarios, barbaros quoque & malos Chriſtianos au- „ ctoritate divina tradita tibi omni poteſtate totius imperii Francorum ad „ firmiſſimam pacem omnium Chriſtianorum. Deinde ſumptis armillis & „ clamyde induit eum. His cornibus, inquiens, humi tenus demiſſis monea- „ ris quo Dei zelo ferveas, & perdurare in pace tuenda uſque in finem te de- „ bere ſcias. Exinde ſumpto ſceptro baculoque: His ſignis, inquit, moni- „ tus paterna caſtigatione ſubjectos tuos corripias. Primum ergo Dei om- „ nipotentis miniſtris, & viduis ac pupillis miſericordiæ manus porrigas, „ numquam oleum miſerationis deficiat, ut Deo tibi propitio in præſenti „ pariter & in futuro, ſempiterno premio coroneris. Perfuſuſque illico oleo ſancto, & coronatus diademate aureo ab ipſis Pontificibus Hildiberto ac Wicfrido, ac omni legitima conſecratione completa, ab eiſdem Pontificibus ducitur ad ſolium ad quod per cochleas aſcendebatur, & erat inter duas marmoreas miræ pulcritudinis columnas conſtructum; unde ipſe omnes videre, & ab omnibus videri poſſet. Divina deinde laude dicta, ſacrificioque ſollemniter celebrato, deſcendebat Rex ad palatium, & accedens ad menſam marmoream regio apparatu ornatam reſedit cum Pontificibus & omni populo. Du-

Digitized by Google

AN.CHR. 936 31. Maji. ces vero miniſtrabant. Lothariorum Dux Giſilbertus, ad cujus poteſtatem locus ille pertinebat, omnia procurabat. Everhardus menſæ præerat, Herimannus Franco pincernis, Arnoldus equeſtri ordini & eligendis locandiſque caſtris præerat. SIGEFRIDUS vero Saxonum optimus & a Rege ſecundus, gener quondam Regis, tunc vero affinitate conjunctus, eo tempore procurabat Saxoniam, ne qua hoſtium interim irruptio accideret, nutrienſque juniorem HEINRICUM ſecum retinuit. Rex autem poſt hæc unumquemque Principum juxta munificentiam regalem congruenti ſibi munere honorans cum omni hilaritate dimiſit multitudinem.

6. *Non diu poſt illam inaugurationem ſupervixit Hildebertus : cujus obitum eodem anno* 936. *collocat idem Chronicon Magdeburgenſe his verbis*. Hildebertus Moguntinus Archiepiſcopus obdormivit in Chriſto prid. Kal. Junii. Hic in fine ſuo Deo gratias egit, quod eccleſiæ ſuæ nihil umquam injuſte adquiſierit vel perdiderit. *Eumdem annum ſignant Regino & alii*. Sanctum *Hildebertum vocat Chronicon Magdeburgenſe : ſed venerabilem interim nobis appellare ſatis fuerit. Menardus eum beatum vocat die* 24. *Maji : at Magdubergenſis Chronici auctoritatem præfero*.

Fridericus. 7. *De ſucceſſore ſic agit idem Chronicon* : Huic Fridericus ſuccedens, Deo placuit & ſæculo. *Fuit & ipſe monachus Fuldenſis, ut eccleſiæ Moguntinæ apud Serarium monumenta probant. Hunc in conſequentibus maxime laudat Chronicon Magdeburgenſe, ut, anno* 936. ſuaſione quoque optimi viri & omni religione probatiſſimi Friderici ſucceſſoris Hildeberti Moguntini Archiepiſcopi Eberhardus *Francorum Dux* adiit Regem, ſupplex veniam depoſuit, omnia ipſius arbitrio tradens. *Et anno* 942. *idem Fridericus* ſucceſſor Hildebrandi ſancti viri *dicitur*, & ipſe, quantum ad humanum judicium, bonis operibus deditus. *In Fuldenſe monaſterium ſemel & iterum ob quaſdam cum Ottone ſimultates, nempe quod Eberhardo & Giſilberto Ducibus contra Ottonem faveret, retruſus eſt, atque Hadumari Abbatis cuſtodiæ traditus. Inde vero eductus*, auſteriorem vitam cum eremitis ac ſolitariis *agere ſolebat, ut in Chronico Magdeburgenſi legitur ad annum* 953.

Monachorum vexatio. 8. *Per id tempus, id eſt anno* 946. *ex eodem Chronico*, cum bella interna externaque ceſſarent, leges divinæ atque humanæ auctorali vigore pollerent, gravis perſecutio monachis oritur in illis diebus, affirmantibus quibuſdam Pontificibus melius arbitrari, paucos vita claros, quam plures negligentes ineſſe monaſteriis oportere. Obliti, niſi fallor, ſententiæ Patris-familias, prohibentis zizania colligere, ſed utraque creſcere oportere uſque ad meſſem. Quo factum eſt, ut plures propriæ infirmitatis conſcii, depoſito habitu & relictis monaſteriis grave onus Sacerdotum devitarent. Fuerunt autem quidam, qui ſummum Pontificem Frithericum hoc non pure, ſed ficte feciſſe arbitrati ſunt : qnatinus venerabilem virum, Regique fideliſſimum, Vvldenſem Abbatem Hadumarum, quoquo modo poſſet, dehoneſtaret. Ipſe enim erat vir magnæ prudentiæ ac induſtriæ. Sub ejus temporibus templum famoſum Vvldenſe igne conſumptum eſt, & ab eo reſtauratum, & multo majore decore perfectum. Hinc Pontificem ſub cuſtodia tenuit, conjurationis culpabilem, primum honorifice, ſed cum litteras ab eo ſcriptas reprehendiſſet, ſevere ſatis. Pontifex vero dimiſſus, dum ultionem quærit, nec contra tantum virum prævalet, humillima primum monaſteria tentavit, ut ad excellentiſſima æqualiter procederet. Sed hujuſcemodi ſimultates incaſſum profuſæ ſunt. Nam Abbas in gratia & amicitia Regis permanſit, & cauſis intercurrentibus Pontifex quod cogitavit non implevit.

Friderici obitus. 9. *Anno* 954. *ponitur Friderici obitus a Trithemio, Serario, aliiſque, maxime a Chronographo Magdeburgenſi, cujus hæc verba*. Fridericus Pontifex ægrotare nuntiatur, ac deſperari. Quapropter Regis placitum modice eſt dilatum. Igitur Fridericus Archiepiſcopus mortuus eſt, vir in ſancta religione ſtrenuus, & valde laudabilis, niſi in hoc tantum videbatur reprehenſibilis,

ſibilis, quod ſicubi vel unus inimicus Regis emerſit, ipſe ſe ſecundum appoſuit: cujus finem qui interfuerunt, ſatis laudabilem prædicant. Cui Willehelmus filius Regis, ex matre quidem nobili, ſed Slavonica, in Archiepiſcopatu ſucceſſit, a populo in *Arneſtat* concorditer electus. *Non ergo ex Adelbeide, ut Serarius cenſet, natus eſt Willelmus, de quo in Elogio Adelberti Ruſſorum Apoſtoli iterum agemus.* AN CHR. 936 14. Maji. Willelmus ſucceſſor.

10. *Vvillelmum anno 968. excepit* HATTO *ex Abbate Fuldenſis monaſterii, quod Archiepiſcoporum Moguntiacenſium veluti ſeminarium fuit. De morte Vvillelmi ita Chronicon Magdeburgenſe.* Willehelmus filius Imperatoris Mogontinus Archiepiſcopus, cui cura ab Imperatore domino & parente ſuo commiſſa fuit Parthenopolim diſponendi, ceteraque regni neceſſaria regendi, cum finem ægrotantis Machtildis Reginæ aviæ ſuæ exſpectaret, in Redulverothe 6. Nonas Martii moritur ..... Cujus mater, licet peregrina, nobili tamen erat genere procreata. *Tum de electione Hattonis ad marginem codicis, ſed eadem manu.* Gillulfus Abbas Herfeldenſis ab Imperatore miſſus de Italia Fuldam veniens, conſtituit ut Fratres Fuldenſes eligerent Vvirinharium in Abbatem poſt Hattonem: indeque adiens Mogontiam perfecit, ut clerus & populus eumdem Hattonem, virum venerabilem, Archiepiſcopum acciperent: quo poſt annum ſubtracto ſucceſſit ROTBERTUS ex nobiliſſimo Saxonum, ſicut adhuc perſpicuum eſt in his, qui ex ejus genere deſcenderunt, & primus inter principes regni. *De Hattone Chronicon ipſum ſæpe laudatum hæc memoriæ prodidit, nempe quod ipſe Hademaro ſucceſſit anno 956. & quod anno 961. Otto* Rex Hattonem Abbatem Fuldenſem ad conſtruenda ſibi habitacula Romam præmiſit. *Nec plura ibi de eo: ut merito fabula illa de Hattone a Centuriatoribus tantopere jactata proſcribi debeat, omnium certe auctorum æqualium & ſupparium ſilentio damnata, nec ante ducentos annos conficta. Ajunt vero Hattonem adeo tenacem, atque in pauperes inhumanum fuiſſe, ut famis tempore ingentem egenorum multitudinem in amplum quoddam borreum, quaſi eos aliturus, concluſerit, atque igne ſubjecto eos concremari juſſerit: quorum cum in ipſis flammis ululatus audirentur, mures eſſe reſpondiſſe. Quam ob rem mures divino inſtinctu armatos, tertio ejus pontificatus anno (& unum tantum cum aliquot menſibus ſedit) in eum impetu facto coegiſſe ut loco cederet, & in ipſo Rheni medio turrim conſtrueret, quo eum beſtiolæ perſecutæ ſint, & morſibus ſuis necaverint. Inde turri nomen relictum* Hattemberg. *Merum figmentum, quod cum Serarius recte exploſerit, hoc loco iterum confutare nil juvat. Non negem tamen quædam Hattoni non recte geſta imputari, ſcilicet quod monachos e monte ſancti Diſibodi expulerit, quos Willigiſus ibi reſtituit.* Hatto. Rotbertus

12. *Rodbertum Hattonis, Willegiſum Rotberti ſucceſſorem idem Chronicon memorat his verbis ad annum 975.* Rodbertus Mogontinæ ſedis Præſul obiit: & Imperator Cancellarium ſuum Vvillegiſum, hoc multis ob vilitatem ſui generis renuentibus, eidem præfecit eccleſiæ. *Serarius tamen id factum ait anno 977. Denique Chronographus Magdeburgenſis eodem, quo Serarius, anno 1011. ponit obitum Vvillegiſi, & ſubſtitutionem Erkenbaldi Fuldenſis Abbatis,* quem Bernvvardus Hildenesheimenſis Epiſcopus Kal. Aprilis conſecravit. Erkenbaldus.

Digitized by Google

AN.CHR. 940 3. Auguſt.

DE VENERABILI BENNONE
EPISCOPO METTENSI.

*de Zurich

Bennonis Epiſcopatus & excæcatio.

I. IN *diœceſi Conſtantienſi, ad lacum Tigurinum* *, *celebris eſt mons Ecelius, quem Meginradus eremita ſeceſſu ſuo ac ſanctis operibus illuſtravit, ut in ejus Actis dictum eſt in tomo ſuperiori ad annum* 861. *Secundus ejus eremi incola fuit* BENNO, *qui ob ſanctimoniæ famam ab Henrico Germaniæ Rege ſedi Mettenſi impoſitus, paullo poſt excæcatus eſt impio facinore quorumdam ſervulorum. Factum agnoſcunt omnes: ſed incerta cauſa. Hugo Abbas Flaviniacenſis in Chronico:* Anno 928. peſtis, quaſi febris & tuſſis, mixta mortalitate in cunctas Germaniæ Galliæque gentes graſſatur: qua percuſſus WIDRICUS Mettenſis Antiſtes defungitur, & evocati ad colloquium Henrici trans Rhenum Herbertus Comes & Hugo Magnus Roberti filius, pace firmata muneribus Henricum honorant, & honorantur ab illo. Ibi Henricus contempta electione civium, Epiſcopium Mettenſis urbis cuidam ſervo Dei, ut ferebatur, dedit, cognomento Bennoni. *Et infra*: Benno Mettenſis Epiſcopus inſidiis appetitus eviratus, & luminibus privatus eſt. *Anonymus ſcriptor ſubæqualis in vita ſancti Joannis Abbatis Gorzienſis poſtea referenda, Bennonem a præconceptæ opinionis merito defeciſſe tradit.* Wigirico non poſt multum tempus abſumpto, cum ei Benno quidam, genere Suevus, in eremitica apud Turegum vaſtam ſolitudinem aliquando vita famoſus, zelo utique pio optimi tunc Principis Henrici, Ottonis Cæſaris poſtmodum glorioſiſſimi genitoris, ſucceſſiſſet, eoque, qua profunda judiciorum Dei abyſſo incertum, a priſtinæ ſanctitatis & eremo quæſitæ laudis dignitate deſervente, ad ultimum lacrymabili rerum ſerie a nefandiſſimis ſervulis in abditis excæcato, dudum ſe poſtea in Concilio Epiſcoporum idem publice officio abdicaſſet; ipſe ADELBERO..... in ſacræ Metenſis cathedræ pontificium ſuſtollitur. *Æquior fuit (tametſi idem videtur auctor) in Bennonem Joannes Abbas in libello de tranſlatione ſanctæ Glodeſindis, quem habes in Sæculi ſuperioris parte* 1. *ubi hæc verba ad propoſitum.* Poſt Rotpertum qui 40. præfuit annis, Wigirico decem annis pontificio exacto vita decedente, dum Benno quidam, in eremitica converſatione dudum famoſus, bona intentione Heinrici tunc Regis, patris glorioſi poſtea Cæſaris domini Ottonis, eidem eſſet ſubrogatus, vixque biennium in ſacro ordine exegiſſet; infanda & nimis lacrymabili ſervulorum quorumdam factione excæcatus & inutilis redditus, quo fungi non poterat officio ſeſe ipſe abdicavit. Inde a Principe electione petita & impetrata, virum magni poſt futurum præconii, dominum Adelberonem, hæc ſancta ſedes adepta eſt. *Si conjectura uti licet, fortaſſe Benno tam indigne habitus eſt, quod ſpreta eligentium libertate Henricus eum invitis impoſuiſſet, teſte Hugone. Et neſcio an hæc cauſa fuerit, quod in catologo Epiſcoporum Mettenſium edito in Spicilegii tomo* 6. *nullus datur Bennoni locus: ſed ſtatim poſt Vvigericum* 44. *Epiſcopum, ſubſtituitur* quadrageſimus quintus *Adelbero. De Bennone tamen agit Meuriſſius Madaurenſis Epiſcopus in hiſtoria Mettenſium Epiſcoporum: Bennonis hiſtoriam ex Franciſco Guillimanno de Epiſcopis Argentinenſibus referre juvat.*

Bennonis vitæ compendium.

„ 2. *Præſidente Ottoberto Epiſcopo Argentinenſi, cum adhuc in recenti eſſent „ memoria geſta & miracula ſancti Meginradi ab initio Augiæ monachi, ex Co„ mitibus Sulgæ oriundi, quoque is modo primo Eccelium montem occupaſſet, „ mox ſeſe in penitiorem ſilvam, quam ob arborum denſitatem, & opacitatem, „ obſcuram adcolæ vocabant, penetraſſet; in ea ſacellum in honorem & nomen „ Deiparæ Matris conſtruxiſſet, quod illuſtribus & inſolitis ſignis, & miraculis*

„ *divi-*

„ divina majeſtas celebrare dignaretur; poſtremo uti in eo ab latronibus qui AN.CHR.
„ auri & opum inſana cupidine advenerant, magnam ejus adeſſe vim ex bo- 940
„ minum religionis & pietatis cauſa jam tum eo ſe conferentium, frequentia rati, 3. Auguſt.
„ fuſtibus interfectus cecidiſſet. Earum, inquam, omnium rerum memoria, ſi-
„ mul loci & religionis ſolitudiniſque amore ac deſiderio accenſus Benno, Cano-
„ nicus Argentinenſis, ſancti Meginradi ſucceſſorem ſe præbuit, ſecunduſque fuit
„ qui ejus ſacellum & habitaculum excoluit, & inſedit, in eoque prope annos vi-
„ ginti peregit, ſolitudinem paullatim perpurgare, & monaſterio condendo ido-
„ neam reddere cœpit. Montem quoque vicinum, qui ab eo retinuit nomen Ben-
„ navv, ad paſcua cæſis arboribus, redegit. Plures eo exemplo ſuo invitavit,
„ quorum ope & opera alia habitacula erexit, alia ampliavit, locumque multo
„ frequentiorem reddidit, & ad tolerandam vitam longe commodiorem. Deinceps
„ ab antiſtita Sanctionenſi inſulam laci Tigurini Eccelio objectam, & ad ſeceſ-
„ ſum peridoneam, Aufnavv nominant, beneficiaria conditione impetravit. Do-
„ navit etiam Adalbero Epiſcopus Baſilienſis, Bennonis propinquus, cum ad
„ eum viſitatum veniſſet, & ejus cœpta deſtinata vehementer comprobaſſet, vi-
„ cum ſuum infra Baſileam in Sequanis a majoribus ſuis hereditario acceptum,
„ Sirns nuncupatum, augendis & conſervandus ſolitudinis novis colonis. Poſtre-
„ mo eo rem locumque Benno redegit, ut non amplius vaſtæ & incultæ eremo,
„ ſed monaſterio neque infrequenti ſimilis videretur. Dum his modis ſtudium &
„ operam ponit, & ejus fama ſanctitatis non ulterius intra ſolitudinem contine-
„ ri poteſt, ſed longe lateque ſpargitur, mortem obiit VITGERUS Mediomatri-
„ cum Epiſcopus. In ejus locum quem digniorem optarent accerſerentque nemi-
„ nem, præter Bennonem, Mediomatrices repererunt. Advocatus & eductus ex
„ ſua ſolitudine Benno, atque epiſcopali cathedræ impoſitus, & pro Bennone BE-
„ NEDICTUS nuncupatus anno 925. teſte Continuatore Rheginonis ad illum an-
„ num. Inquit enim: Eodem anno Vitgerus Epiſcopus obiit, cui Benno ex
„ Ordinariis Strasburgenſibus in Alpibus quondam eremiticam vitam ducens
„ ſucceſſor eligitur. Ait in Alpibus vitam eremiticam duxiſſe. Recte. Mons
„ enim Eccelius, & tota ea ſolitudo Alpium illarum, quas Julius Cæſar Sum-
„ mas appellat, pars longe maxima, & ex illis perpetua & altiſſima cacuminum
„ ſerie producta & continuata. Sed Bennonis infelix & brevis epiſcopatus fuit.
„ Cum enim epiſcopali officio & auctoritate egregie fungeretur, vitia & inſolen-
„ tiam compeſceret & caſtigaret, perſonarum nullum in ea re diſcrimen faceret;
„ paucorum factione vulgus in tumultum excitatus, impetum in ſanctiſſimum An-
„ tiſtitem fecit, oculiſque, ne eorum facta & ſcelera videre & coarguere amplius
„ poſſet, privavit, multiſque contumeliis affecit. Ob tam fœdum & impium fa-
„ cinus, conventu Duisburgi Epiſcoporum habito, omnes ſceleri affines primo ſacro-
„ rum omnium communione excluſi, mox ab Henrico I. Cæſare capti & ca-
„ pitis condemnati. Succeſſor electus ADALBERO. Hac de re idem conti-
„ nuator: Anno Dominicæ Incarnationis 927. Benno, qui Benedictus E-
„ piſcopus dicitur, a Mettenſibus excæcatur, & ſynodo apud Duisburgen-
„ ſes habita, omnes illius facti auctores excommunicantur; & Adalbero
„ nobilis pro eo Epiſcopus inſtituitur. At vero Benno etſi vehementer a ma-
„ jori & meliori Mediomatricum parte, ut apud eos permanere vellet rogare-
„ tur, in ſuam ſe ſolitudinem deducendum curavit, in eaque reliquum vitæ
„ exegit. Plerique ex nobiliſſima ortum ſtirpe prodiderunt; & Rudolfo, qui pri-
„ mus Burgundiæ regnum poſt multa ſæcula reſtituit, ſanguine conjunctum. O-
„ biit anno Domini noſtri 940. tertia Auguſti. Sepultus prope ſacellum Deiparæ
„ a Meginrado conſtructum, a ſocio ſuo & tertio eremita ſancto Eberhardo, de
„ quo poſtea.

3. Hactenus Guillimannus, cujus probamus narrationem præterquam in pau-
cis, quæ vel emendatione vel explicatione indigent. Ac primum quidem Benno,
non electione Mettenſium, ſed voluntate Henrici Regis invitis impoſitus eſt, ex
dictis. Deinde Bennonis promotio non in annum 925. ſed in 27. incidit, & Concilium
Concilium Duisburgenſe in annum 928. aut inſequentem: cujus rei teſtem ha- Duisburgenſe.

H iiiij bemus

AN.CHR. 940 3. Auguſt. *bemus Frodoardum in Chronico.* Anno Domini 927. Benno dum in Alpibus eremiticam vitam duceret, electus eſt Mettenſis Epiſcopus, & poſt biennium a Mettenſibus eſt excæcatus: cujus immanis ſacrilegii cauſa hæc Synodus congregata, omnes illius ſceleris auctores excommunicavit, & Adalberonem loco ejus ſubſtituit. Porro Benno hæc omnia patienter tolerans, exemplo magnæ pænitentiæ relictus, cognominatus eſt Benedictus. *His verbis innuit* Benno quando dictus Benedictus. *Frodoardus Bennoni cognomen tributum eſſe Benedicto non ante ſuam ipſius excæcationem: quod cognomen in epiſcopali ordinatione ipſi donatum fuiſſe tradit Guillimannus. Et rectius: ſiquidem apud Meuriſſium ejuſdem inſtrumentum refertur de donatione quorumdam prædiorum eccleſiæ ſancti Arnulfi facta ab illuſtri femina Rothilde, in qua ita Benno præfatur.* BENEDICTUS ſanctæ Mettenſis eccleſiæ Præſul humilis. Notum ſit omnibus fidelibus ſancti Stephani ſeu ſancti Arnulfi, qualiter illuſtris femina, Rothildis nomine, & filii ejus dederunt nobis ad partem eccleſiæ ſancti Arnulfi ſeu ſancti Stephani quaſdam res proprietatis eorum, hoc eſt in pago Salnenſe Racheringas, *&c. Frodoardus addit ad annum* 929. Bennoni quædam Abbatia ſuſtentationis tenore conceſſa. *Sed quæ ſit illa Abbatia, non exprimit, nec quivis alius.*

AN.CHR. 942 18. Nov.

S. ODONIS ABB. CLUNIACENSIS

SECUNDI

ELOGIUM HISTORICUM.

CAPUT I. Vitæ ſcriptores, ejuſque parentes & patria.

Vitæ ſcriptores duo. 1. ETSI *res a ſancto Odone geſtas ſcripſerint Auctores duo,* JOANNES *ſcilicet atque* NALGODUS, *ambo monachi Bluniacenſes; multa nihilominus ab ipſis prætermiſſa ſunt, quæ in commentarios referri merentur. Quapropter ne viri de re publica Benedictina quam optime meriti facta ſegniter exquiſiſſe videamur, duobus illis ſcriptoribus Elogium ejus hiſtoricum præmittere juvat, in quo res ab eis intactæ, aut non ſatis explicatæ exponendæ ſunt.*

Joannes primus. *Et primo quidem ordiri decet ab iſtis duobus Auctoribus, quorum primus* JOANNES *fortunam ſuam ipſe commemoravit ſparſim in tribus de Odone libellis, quos in duos contrahit codex Compendienſis. Fuit is natione Italus, patria Romanus, profeſſione Canonicus, quem Odo Romam anno* 939. *profectus, ſecum inde adduxit Ticinum uſque, ibique monachum inſtituit, ex lib.* 1. *num.* 2. *&* 4. *Tum eum in peregrinationis ſocium aſſumens, dein Priorem ordinavit, ut legitur non ſemel in lib.* 2. *nempe num.* 4. 7. *&* 10. *Cluniaci, an Romæ ad S. Paulum, quæ dubitatio oriri poteſt conferenti num.* 10. *&* 21. *Denique Joannes ſe Neapolim* Monaſterii ſui cogente neceſſitate miſſum *fuiſſe teſtatur num.* 21. *Biennium computat in lib.* 3. *num.* 5. *totum illud temporis ſpatium, quo Odonis ſocius fuit. Per iſtud intervallum quidquid in Odonis de ipſo dictis quidquid in factis (ſic enim fere præfatur) obſervare potuit, poſtea litteris mandavit, aliis rebus omiſſis, quas tum ab Arnulfo magiſtro ſuo, tum ab Hucberto Tiburtino Epiſcopo, tum a Landrico monacho & Hildebranno Præpoſito ſuo de Odone reſcierat. Nempe is ſuiſmet dumtaxat oculis atque Odonis relatui fidebat, utinam minus ſuſpicioſus de fide aliena. Hanc jacturam utcumque ſarcire conabimur. Ceterum opus ſuum Joannes dedicat Salernitanis monachis, neſcio an cœnobii ſancti Petri Salernitani* ſubtus & prope Fiſtulam, *quod a Petro Epiſcopo ante annum* 958. *conditum fuiſſe Ughellus probat in tomo* 7. *Italiæ ſacræ col.* 503. *In digreſſiones aliquando exſpatiatur Joannes, nec ſeriem temporum factorumve ordinem ſatis obſervat.*

2. His

Digitized by Google

Nalgodus alter.

2. *His incommodis occurrere volens* NALGODUS *monachus, Joannis lucubrationem in compendium melioremque ordinem redigere aggreſſus eſt: quod item præſtitit de ſancti Majoli vita. Nalgodum Odonis* diſcipulum *appellat Petrus de Rivo in Chronico Cluniacenſi, eumque eſſe tradit, qui* poſt deceſſum ipſius ſancti Odonis vitam ejus & miracula luculenter deſcripſit. *Godefridus Henſchenius in Majo id interpretatur de vita ſancti Majoli, cujus diſcipulum fuiſſe Nalgodum opinatur. Verum annis poſt Odonem* fere ducentis, *poſt Majolum paullo minus, vivebat Nalgodus: id quod ipſe diſerte aſſerit num.* 29. *nimirum Urbano ſecundo Pontifice, aut certe poſt ipſum, ex num.* 23. *Auctoris iſtius ſcriptionem tribus Joannis libellis minutiori charactere ſubjicere ſtatuimus propter nonnullas de morte & ſepultura Odonis aliaſque circumſtantias, quæ apud Joannem non leguntur. Odonis cum laude meminerunt multi alii auctores, quorum indicem exhibet Cheſnius in Notis ad Bibliothecam Cluniacenſem. In his fuſe de ſancto Odone agit Petrus Equilinus in libr.* 10. *cap.* 83.

Duo alii Odones.

3. *Antequam de Odone Cluniacenſi dicere incipio, non ab re erit obſervare, duos alios præter ipſum eodem ævo exſtitiſſe illuſtres ejuſdem nominis Abbates, unum Maſciacenſem, alterum ſancti Maxentii apud Pictones. De Maſciacenſi apud Biturigas cœnobio revocanda ſunt ea, quæ in Elogio Bernonis Abbatis ſuperius diximus. Iſti loco poſt Bernonem ſuffectus Odo Cluniacenſis, proabbatem ibi conſtituit ſibi cognominem, qui* anno 935. Abbas ordinatus *memoratur in Chronico Maſciacenſi apud Labbeum in tomo* 2. *Bibliothecæ novæ. De cujus ſecundi Odonis obitu ibidem etiam hæc leguntur.* Anno 967. 8. Idus Junii hic obiit Odo Abbas bonæ memoriæ, & Arduicus monachus Nonis Septembris. *Diem ſequentem ſignat Kalendarium ſanctorum Thuano-Colbertinum num.* 99. *his verbis.* 7. Idus Junii Odonis Abbatis Maſciacenſis. *Alter Odo fuit Abbas apud ſanctum Maxentium, nempe anno* 963. *cui Ramnulfus Abbas ſucceſſit anno* 968. *teſtante Chronographo Malleacenſi apud eumdem Labbeum.*

Odonis hujus parentes.

His præmiſſis, venio ad Odonem ſeu Oddonem Abbatem Cluniacenſem, cujus patriam & parentes primum inveſtigare neceſſe eſt. Patri nomen fuiſſe ABBONI, *militari ordine prædito, ex Joanne monacho aliiſque conſtat, apud quos nulla mentio de nomine Odonis matris. Abbonis elogium Joannes ex Odone commemorat initio libri* 1. *Utrumque parentem filii monitis ad monaſticam vitam ſe recepiſſe Nalgodus habet ex Joanne, qui recitato miraculo de micis in margaritas converſis, hæc ſubdit in lib.* 1. *num.* 35. Ex illo jam tempore cœpit infra ſeipſum æſtuare propter genitorum ſuorum ereptionem, quatinus eos poſſet ab hujus ſæculi nexibus ſubtrahere. Unde factum eſt, ut non multo poſt accepta licentia ad patrem ſuum abiret, eumque ad Monaſterium duceret, atque Monachum ordinaret: matrem vero indui fecit ſacro velamine: cujus vitam ſi licuiſſet ſcribere, (*utinam vero libuiſſet*) magis hiſtoria videretur eſſe quam ſchedula. *Talibus itaque parentibus natus eſt Odo anno* 879. *ſiquidem anno Chriſti* 939. *ſexagenarius erat, ex Joanne initio libri* 1. *num.* 4.

Nativitas Patria.

4. *Natalem ei ſedem fuiſſe apud Turonorum urbem colligere licet ex innata patris ejuſque devotione erga ſanctum Martinum, cui ab ineunte adoleſcentia ſeſe devovit, apud Joannem num.* 9. *Conjecturam auget id quod idem auctor in lib.* 2. *num.* 16. *memorat de parvulo Odonis nepote rapto per Nortmannos, cum* Turoniæ fines *devaſtarent. Ergo in Turonia verſabatur ejus nepos. Attamen in veteri chartario Cluniacenſi legitur Odonis elogium, quem auctor ex pago Cenomannico ortum dicit. Elogium hoc Odilonis Abbatis tempore ſcriptum eſt ab eo, qui ejus juſſu chartas ſuperiorum Abbatum in ordinem redegit. Præcipua elogii hæc ſumma.* Fuit igitur, ut veridica priorum relatione fertur, nobili proſapia ſatus, Cinomannica regione exortus, artium liberalium adprime regulis imbutus, almi Martini Turonenſis baſilicæ ædituus, ſermone clarus, &c. Delibutus proinde odore virtutum, quem id temporis Clu-

Digitized by Google

AN CHR. 942 18. Nov. Cluniacenſis rumor (immo Balmenſis) pretioſorum more aromatum, longe lateque profuderat, mente prompta quod diu concupierat, tenebroſi reliquit rura, lugente cive in patria, lætante Chriſto in gloria, divino jugo mitia ſubpoſuit colla. Tirocinio denique ſuæ converſionis non ſegniter peracto, precatione patris circumventus, cujus inſtitutis fuerat mancipatus, volens nolenſque, ut verius dictum ſit, nolens, totius fraternitatis ad regendum ſuſcepit examen. Quanta denique acrimonia excelſos animos ſternere, qualive cautela virtutes inſerere ſtuduit, non ignorat Italia, proteſtatur Burgundia, ſimulque refert Gallia. Prophetiæ denique gratia ſuffuſus ex hoc certiſſime approbatur, dum ſuprema ſorte præventus, contatione Fratrum requiſitus, quis ex tanto collegio ceteris præficeretur; alto flamine afflatus ſic ad eos reſpondiſſe fertur: Noſtra in hac, o filii, vacillante cenſura, Chriſti Domini larga non deerit prudentia, quæ & domui ſuæ ſanctum providebit Paſtorem, & vobis rogantibus famulis dignum non denegabit Patrem. Quod ſcilicet ſane conſiderantibus ſole lucidius patet, dum vita & converſio Domini HEYMARDI ſatis abunde experimentum præbet. Hucuſque ſiquidem de tanti viri laudanda nobilitate brevi peroratum ſufficiat, quatinus ex hoc intelligatur, quantopere oportet nos inhærere illius ſcitis, quem pro merito non ambigimus inſertum Angelorum cuncis. *Hactenus vetus auctor, qui tempore Odilonis Abbatis, id eſt poſt annos ab Odonis obitu centum, hoc elogium chartis ſub Odone conditis præmiſit in Chartario Cluniacenſi.*

II. Odonis pueritia & adoleſcentia, vita canonica, ſtudia.

5. ODO *alitus eſt puer partim apud Fulconem, ejus nominis ſecundum, Andegavenſem Comitem, quem ob id collactaneum ſuum in epiſtola vocat; partim* intra domum Guillelmi Ducis Aquitaniæ, *teſte* Joanne *initio libri primi: qui Guillelmus, cognomento Pius,* eo tempore Aquitaniam, Gutiamque ſuo jure tenebat, *is quem Cluniacenſis monaſterii fundamenta jeciſſe diximus in Elogio Bernonis. Sane apud ipſum Guillelmum multæ auctoritatis erat Abbo Odonis pater apud Joannem ibidem num.* 5. *Hic Odonem ablactatum* cuidam ſuo Presbytero, *qui* in remotiori *manebat* loco, tradidit educandum, & litterarum ſtudiis imbuendum, *num.* 7. *Sub hæc in aula Guillelmi* militaribus exercitiis *applicatus, ad ſanctiorem militiam a Chriſto Domino vocatus eſt in Natali Domini,* inſtante ſexto-decimo ætatis ſuæ anno, *dolore capitis per biennium in patriis ædibus afflictatus.* (Educatio.)

6. *Poſtmodum ſancto Martino ſemetipſum ex patris voto addicens anno ætatis nono-decimo, qui Chriſti fere undenongenteſimus erat, Clericus ibidem atque Canonicus factus eſt in frequenti civium & magnatum cœtu.* Inter hos vero affuit Comes FULCO, qui eum nutrierat, *eique* mox cellam juxta B. Martini tribuit eccleſiam, & quotidianum victum ex eadem canonica acquiſivit, eique conceſſit. *Fulconi Bono cognomen erat, de quo multa præclara in geſtis Conſulum Andegavenſium in Spicilegii tomo* 10. *pag.* 402. *&* 434. *ubi hæc verba pag.* 435. Boni ipſius mores domi & militiæ colebantur; jus bonum, concordia maxima, minima avaritia in ipſo erat. *Tum de Odone.* Iſte nutrivit ſanctum Odonem, & ei cellam juxta beati Martini tribuit eccleſiam, & quotidianum victum ex eadem camera: qui poſtmodum Magiſter ſcholæ & Præcentor ejuſdem eccleſiæ eodem Conſule adminiculante conſtitutus eſt. (Vita canonica.)

7. *Joannes deinde a num.* 12. *narrat Odonis ſtudia & virtutes, profectionem Pariſios, ubi præceptore Remigio Autiſſiodorenſi monacho artes liberales, in his Auguſtini* Dialecticam Adeodato filio miſſam, *didicit. Turonos reverſus, Moralia Gregorii Magni in Job, in compendium redegit: quod compendium ſtudio Domni Martini Marrerii, Monachi apud ſanctum Martinum de Campis, typis vulgatum eſt Pariſiis anno* 1617. *Joannes ait id operis ab Odone ſuſceptum fuiſſe* (Studia.)

roga-

rogatu fratrum, *id eſt Concanonicorum ſuorum; eumque reſtitantem viſo ad hoc animatum: tametſi Odo in præfatione ſua duplici, proſaica videlicet ac metrica, nihil tale commemorat, forſan modeſtiæ cauſa: ſed iſtud quaſi ſua ſponte ſe aggreſſum fuiſſe innuit his verbis*. Cum juxta capacitatem parvitatis meæ ſedulo lectioni ſacræ operam darem; quadam die manibus paupertatis meæ liber adhæſit, a B. Gregorio editus in hiſtoria ſanctiſſimi Job. Is etenim Doctor egregius divino afflatus ſpiramine, atque de fonte potatus ſuperno, ceu rutilans flumen in præfati viri hiſtoriam diffundens, tanto eam facundo protelavit eloquio, ut ex ea velut clarificos ſoles, triginta & quinque ediderit libros, quos in codicibus ſex artare decrevit. At dum ego ex his primam legendo percurrerem partem, nimio accenſus amore, pellectuſque ita eſt animus dulcedine quadam, ut totum ſagax vellet, ſi poſſet, mandere librum. Is etenim mirabilis Doctor divinis imbribus auctus, ſtuduit luculento enodare affatu, eaſque in exponendo menti occurrentium ſententias Patrum: ex quibus protenſis numeroſa in præfatam hiſtoriam contraxit volumina, quos nempe norunt, quibus ſacra non latet ſcriptura, a ſancto viro, Paterio nomine, mirabili opere abſtractas, propriiſque voluminibus redditas, lucida ſibi repoſuiſſe volumina. Ex quibus & ipſe ante biennium in Regnorum libro aggregatis omnibus Patrum ſententiis, maxime autem ſanctiſſimi Papæ Gregorii, unum quem non puto temnendum conjunxi libellum. Quapropter fragilitatis ſenſui corporiſque mei infirmitati, meique ſimilium utilitati conſulens, erexi me contra memet, non faſtu arrogantiæ turgidus, nec ſuperbiæ ſpiritu tumidus, ventoſis favoribus nitens incumbere, Deus ſcit: ſed igne lectionis præfatæ hiſtoriæ flagrans, quam toto niſu memoriter, ut intellectum retinere valeam, hunc operis parvi contraxi libellum. *Hucuſque Odo in præfatione compendii ſui*.

AN.CHR. 942 18. Nov.

8. *Poſt hæc num.* 21. *ſermonem reflectit Joannes ad Comitem Fulconem, quem ob ſublata ex theſauro ſancti Martini eccleſiæ duo vaſcula aurea letali morbo afflictum, atque Odonis precibus ſanitati reſtitutum affirmat. Repugnant nonnulli recentiores, pietate adducti Fulconis, cui Boni cognomentum hæc virtus dedit. At ſunt etiam in ſole ſuæ umbræ, & ſcriptor libri de geſtis Conſulum Andegavenſium, qui tam multa de Fulcone præclara commemorat, etiam hoc factum inſerere non dubitavit: quod dixerim ad ſuam Joanni auctoritatem aſſerendam*.

Fulconi ſanitas reſtituta.

9. *Redeo ad Odonis vitam canonicalem, cujus quænam fuerit eo tempore apud Martinianos diſciplina, paucis exponere juvat. Viguit eo in loco poſt vitæ monaſticæ abdicationem quædam forma regularis. Trecentorum monachorum numerus ad centum & quinquaginta Canonicos redactus: jugis pſalmodia in diſcretas horas reſtricta, ut fuſius dictum eſt in Elogio Alcuini num.* 46. *Servata nihilominus clauſtro ſua reverentia, aditus feminis interdictus, pleraque denique ad honeſtatis ſpeciem compoſita. Res in pejus abiit poſt ſecundam ejus loci baſilicæ combuſtionem, de qua ſermonem edidit Odo jam monachus* rogatu *Canonicorum*. Nam poſt illam, *inquit*, pridianam ſuccenſionem, muris cum ingenti ſtudio compactis ſæpta monaſterii communiſtis, hoc nimirum præcavere volentes, ne ſancta domus ultra poſſet ab hoſtibus lædi. Sed non ſatis attendentes, in quanta reverentia ſanctus iſte locus ab antiquis temporibus effulſerit, protinus religione relicta commune diverſorium eſſe permiſiſtis, ita ut feminis ad hauriendam aquam & ad diſcurrendum quo voluerint, portarii non reſiſtant: cum viderimus, quod nulli intra monaſterii portas vel parum intrare licuerit, *&c. Huc ſpectat Leonis Papæ VII. epiſtola ad Hugonem Principem & Abbatem, edita in Spicilegii tomo* 2. *ſancientis*, quatinus per totum veteris muri ambitum uſque ad viam, quæ juxta latus baſilicæ aquilonare vergit, nulla femina licentiam habeat commorandi, ſed nec intrandi quidem, niſi ſolius cauſa orationis. *Subdit Odo*. Neque hoc parum diſplicet, quod quidam in eodem loco nutriti, ſe quibuſ-

Martiniani monaſterii ſtatus.

Digitized by Google

AN.CHR. 942 12. Nov. buſdam laicalibus vel-nimium pompoſis veſtibus dehoneſtent: cum talis eſſe conſueverit eorum converſatio, ut hanc etiam Romæ laudari audiverimus, *&c. Nempe Canonicos ad meliorem frugem revocaverat Odo cum dictis, tum exemplo, apud Joannem in lib.* 1. *num.* 17.

III. Monaſticæ vitæ tirocinium, ſocii, Sacerdotium.

Odonis converſio ad monachatum. 10. C*UM in ſuo apud ſancti Martini baſilicam ſeceſſu lectitandis meditandiſque Patribus operam inſumeret Odo, incidit in Regulam ſancti Benedicti; ex cujus præſcripto per triennium decubuit nudus*, & necdum Monachus Monachorum leve ferebat jugum, *teſte Joanne num.* 15. *Fulconem Comitem ad ſuas partes forte invitaverat, cum ille necdum tempus eſſe allegans*, Adhegrinum *quemdam Militem*, *armis ſtrenuum*, *Odoni deſignavit conciliavitque. Ambo itaque* parviſſimo tugurio contenti, *ad monaſtica vota in dies anhelabant. Sed non occurrebat eis locus*, *in quo vigeret ea diſciplina. Miſſus Romam Adhegrinus*, *ut aliquem exploraret*, *in itinere Balmam devertit. Arriſit ipſi Abbatis humanitas, ac Monachorum religio: eoque Odonem ſecum pertraxit*, *qui* ſumptis ſecum centum voluminibus librorum *ad iſtud Monaſterium commigravit*. Erat autem ætate tricenarius, *cum Chriſti annus fere* 909. *excurreret. Hæc carptim ex Joanne a num.* 21. *De Balma dictum in Elogio Bernonis. Odo probatione facta puerorum ſeu novitiorum curam & educationem in ſe ſuſcepit*, *quos* ſcholæ *nomine Joannes deſignat*, *ut apud veteres non raro*.

Adhegrinus ejus ſocius. 11. *Adhegrinus*, *Odonis ſocius*, in unam ſe coartavit cellulam, & permittente Abbate Bernone per triennium manſit in ea. *Poſtmodum* eremum petiit, ibique parva ſubartatus eſt ſpelunca. *Iſtic divina poſt multos angores conſolatione dignatus*, *& dæmonum tentamentis ope ſancti Martini liberatus*, *ejuſdem etiam recreatus eſt alloquio*, *apud Joannem a num.* 23. *qui num.* 28. *hæc de eo ſcribere pergit*. Sunt hactenus evoluti, ni fallor, pluſquam triginta anni, ex quo intra ipſam eremum deguit, Dominicis tantum diebus aut præcipuis feſtivitatibus ad monaſterium S. Petri, quod Cluniacum dicitur, quia duobus fere milibus prope eſt, aſſuevit deſcendere, ſumpta videlicet modica farina, ex qua ſibi panem conficere ſolet, & fabæ paucis granis, mox ad eremum revertitur. Vino nec aliquando utitur: adipe vero vel oleo ejus cibus non conditur. Patitur omni tempore frigus & calorem: calorem inter ſcapulas, frigus inter manus & brachia. *Præclara omnino de Adhegrino*, *quem in album ſanctorum relatum eſſe Cheſnius in notis teſtatur. Meritum non infitior: auctoritatem quæro. Nihil enim de Adhegrino in Martyrologiis aut Breviariis invenio*, *nullam de ejus feſto reliquiiſve apud Cluniacenſes noſtros memoriam. Neſcio an ejuſdem in eremo ſocius fuerit* DROGO *Floriacenſis monachus piiſſimus*, *qui in cœnobitica converſatione probatus*, *eremi ſingularem aggreſſus eſt pugnam eo in loco*, qui Balma dicitur, *teſte Aimoino in ſuperioris tomi pag.* 361.

An etiam Teotolo. 12. *Odoni pro Adhegrino ſocium Teuthelonem adjungit Chronicon Malleacenſe*. Eodem tempore, adhuc vivente Turpione, Odo & Teuthelo Canonici ſancti Martini illuſtriſſimi, adimplentes evangelicum præceptum, derelictis omnibus ſuis, pauperes pauperem Chriſtum ſecuti ſunt, & Cluniaco ſancto habitu & vita induti ſunt. Unde nutu Dei Odo Abba præfuit ſanctiſſimus, ſicut ſequentibus dicemus: Teuthelo jubente Abbate ſuo Archiepiſcopus invitus conſecratur Turonis, *&c. Verum id de Teutelone ſeu Teotolone falſum eſſe ex ſuperioribus intelligitur*, *atque amplius ex conſequentibus apparebit*.

Odo Sacerdos. 13. *Poſt aliquantum temporis Odonem Sacerdotio dignum reputans* Berno, promovit eum: & accerſito Epiſcopo, ſine ſuo velle conſecrare eum fecit Sacerdotem. *Rem explicat Joannes num.* 37. *ſed Epiſcopo haud nominato*. Biſuntinenſem Archiepiſcopum *ſuggerit Nalgodus*, *ſed perperam. Conſtat ſiquidem*

Digitized by Google

dem ex Joannis loco præcitato, Odonem rogatu Epiſcopi ordinatoris ſui ac præcepto Abbatis compoſuiſſe tres libellos de Sacerdotibus ex Jeremiæ Vaticino, *id eſt tres Collationum libros, qui* TURPIONI *Epiſcopo Lemovicenſi inſcripti ſunt. Is ergo Epiſcopus Odoni Sacerdotium contulit paullo ante Abbatialem dignitatem.* AN.CHR. 942 18. Nov.

IV. Abbatialis dignitas, monaſtici Ordinis ſtatus.

14. NAM per illud tempus exitiali languore cœpit decumbere pater Bernus, *qui* mox vicinos Epiſcopos accerſivit, & ab omni ordine ſe depoſuit. Rogabat inter hæc verba Fratres, ut ſibi quem vellent, Patrem eligerent. Tunc manibus Fratrum, *inquit Joannes num.* 37. Pater noſter captus, & quaſi violenter conſtrictus, ac proclamantibus omnibus ut ordinaretur, coram Abbate ſuo vi eſt ductus: *&* ſuperatus tandem Epiſcopornm excommunicatione, ordinatus eſt *Abbas paullo ante obitum Bernonis, quem ineunte anno* 927. *contigiſſe diximus. Id factum* inſtante anno 926. *ſcribit Chronicon Malleacenſe: at rationes a nobis adductæ aliud ſuadent: quibus accedit Martyrologium Lemovicenſe a Cheſnio relatum in Notis ad Bibliothecam Cluniacenſem. Odoni commiſſa fuere tria Monaſteria, Cluniacenſe, Maſciacenſe ac Dolenſe: Widoni Bernonis conſanguineo quatuor, Gigniacenſe, Balmenſe, Æthicenſe, ac Cella ſancti Lauteni, ut fuſius expoſitum eſt in Elogio ipſius Bernonis.* Abbas deſignatus.

15. *Præclara omnino ac multa ſunt quæ Odo Abbas geſſit. Cluniacenſis monaſterii perfectio, ejuſque dedicatio, privilegia, ritus, & exacta diſciplina, ad cujus normam erecta aut adjuncta alia Monaſteria, ex quibus Congregationis Cluniacenſis corpus conflatum eſt; Romana itinera Eccleſiæ bono ſuſcepta; concordia Principum, charitas in pauperes, aliaque id genus eximia facinora, Odonis famam ubique celebrem reddiderunt. Legendi his de rebus Joannes in lib.* 3. *& Nalgodus: ex quibus quædam hoc loco illuſtrare ſufficiat, nempe Cluniacenſis monaſterii ritus ac dignitatem, aliorum monaſteriorum emendationem ſeu inſtitutionem, Romana itinera. Primum hic expedio: ſed prius de monaſtici Ordinis per id tempus in Gallia ſtatu agendum eſt.* Facta ejus.

16. *Poſtquam Auguſta illa capita, Carolus M. & Ludovicus Pius, de reſtituendo in melius Ordine ſancti Benedicti ſerio egiſſent, eorumque auctoritate id effeciſſet Benedictus Abbas Anianenſis, ut pleraque Galliæ monaſteria ſub uno capite veluti una Congregatio religioſe viverent; ſperandum videbatur eam diſciplinam diu ſubſtituram, ni exſtincto Benedicto, qui ejus auctor ac præſidium erat, bellorum cum civilium, tum externorum tempeſtates, & regno univerſo, & rei tam præclaræ vaſtitatem intuliſſent. Nam cum de ſumma rerum inter Ludovici Pii filios, nedum Ludovicum ipſum, atrocibus diſcidiis diſceptaretur; ex improviſo Nortmannni ex Septemtrione in Galliam irrupere, qui rem publicam, jam bellis domeſticis violatam, per annos ſexaginta miſere labefactarunt. Tunc quippe pagi in ſolitudinem redacti, urbes expugnatæ & incenſæ, eccleſiæ in prædam datæ, peſſumdata Monaſteria, Monachi partim necati, partim fugati, qui collectis Sanctorum reliquiis aliiſque ſarcinulis, quo belli impetus vertebat, inde ſe proripientes, ad tutiora, ſi qua occurriſſent, loca declinabant, aut palabundi vitam miſeram traducere vix ſinebantur. Sicubi vero eis tantiſper reſpirare conceſſum erat, caſas pro modulo ac tempore ſarciebant, in quibus non tam normæ regulari, quam vitæ ac ſaluti proſpicere cogebantur. Quibuſdam in locis, ubi monaſtici Ordinis incolæ deficiebant, pauculi ſeſe collegere Clerici, qui veterem Monachorum poſſeſſionem inſederunt, eamque rebus etiam ſerenatis ſibi retinuerunt. Hinc factum eſt, ut ſæculo decimo ineunte, cum Odo de monaſtica vita cogitare cœpit, pauca ſupereſſent cœnobia Monachorum, atque in paucis illis ſincera religio deſideraretur, ut ex Joannis lib.* 1. *num.* 22. *& ex Præfatione noſtra compertum eſt.* Ordinis tunc monaſtici ſtatus.

17. *In-*

Digitized by Google

AN.CHR. 942 18. Nov. Cluniaci religio. 17. *Inter hæc, Odone præſertim Abbate, Cluniacum ſuper omnia cœnobia caput extulit fama religionis, quam Odo poſt Bernonem ibidem inſtituit. Fervebat eo in loco virtutum æmulatio, ſtudium in res ſacras, Regulæ accurata obſervatio, charitas in pauperes, adeo ut* ſeptemdecim millia pauperum in capite Quadrageſimæ uno anno apud Cluniacum eleemoſynam habuerint, & ducentas quinquaginta pernas acceperint, *teſte Udalrico in lib. 3. conſuetudinum Cluniacenſium cap. 11. Quin etiam ſedi apoſtolicæ ſubſidium hæc domus præbuit non ſemel, haud ſecus atque commune quoddam Eccleſiæ ærarium: Petrus Venerabilis auctor. Ritus plerique deſumpti ab Euticio Abbate: ceteri a Bernone, Odone, aliiſque additi ſunt. Euticius non alius videtur quam Benedictus Anienſis, qui veterum monachorum inſtituta collegit, ſuiſque imitanda propoſuit. Ex his ritibus nonnullos delibat Joannes in lib. 1. num. 23. præſertim n. 30. & ſequentibus. Quidam ad officium divinum, quidam ad regularem diſciplinam & virtutes monaſticas; ceteri ad educationem juvenum aliorumque inſtitutionem pertinebant. Omnes Udalricus monachus ſanctus, poſt Bernardum ejuſdem loci cœnobitam, accurate deſcribit tribus libris, qui ab Acherio noſtro typis vulgati ſunt in Spicilegii tomo 4. In libro primo agitur de pſalmodia & Miſſarum ſollemniis, deque variis anni celebritatibus: in ſecundo de diſciplina regulari: in tertio de Officialibus. Duas Miſſas ſollemnes in dies celebrari mos erat: privatis ſacris, niſi extra divinum officium & majorem Miſſam, operari religio.* Studium in res ſacras. *Quotidie ſuas quiſque hoſtias ex alterutro choro offerebant: tametſi quinque tantum diebus Dominicis, tres feriatis communicabant: ceteri hoſtias benedictas in modum eulogiarum ante communem cibum ſumebant. In Miſſis defunctorum ſollemnibus atque in triduo Rogationum uterque chorus oblationem faciebat. In majoribus ſacris Diaconus ſemper communicabat ex hoſtia Sacerdotis: Subdiaconus nonniſi ex aliis hoſtiis. Communio omnibus præbebatur in triduo ante Paſcha: qui ſabbato ſancto ante majorem Miſſam privatim celebrare volebat,* non utebatur candela, quia novus ignis nondum erat conſecratus. *Sed in his nihil magis conſideratione dignum, quam quod de confectione hoſtiarum legitur in lib. 3. cap. 13. Quippe frumentum* granatim eligebatur, & lavabatur ſtudioſe per ipſos Fratres. *Colligebatur deinde in ſacculum* ad hoc ſolum reſervatum: *tum portatum ad molendinum a famulo probato, qui molam lavabat utramque, operiebatque* ſurſum & deorſum cortinis, *ac ſeipſum alba induebat, amictu faciem præter oculos operiente. Eadem religione cribrata farina, cribro diligenter abluto. Dein major eccleſiæ cuſtos, ſi Sacerdos erat aut Diaconus, reliqua perficiebat, duobus aliis ejuſdem ordinis atque uno Converſo adhibitis: ſi non Sacerdos aut Diaconus, vicarium ſubſtituebat. Hi quatuor finitis Matutinis, faciem manuſque abluebant: & ex his tres priores albis amicti, unus quidem farinam aqua nitidiſſima conſpergebat, alii duo hoſtias in* ferramento characterato *coquebant. Tanta erat Cluniacenſium Monachorum in Eucharistiam pietas ac veneratio.*

Diſciplina regularis. 18. *Jam vero in regularibus officiis non minor diſciplina. Silentium juge interdiu, noctu adeo ſacrum, ut illud ante Primam violari omnino ducerent nefas, mortemque ipſam potius appeterent. Hinc locutio per ſigna, quæ tamen non omnino probavit Guigo Cartuſiæ Prior quintus, quantumvis & ipſe ſilentio addictus,* ſufficere putans linguam ſolam, non etiam ceteros artus reatibus implicare loquendi, *ut ipſe in Statutorum cap. 31. loquitur. Ab Idibus Novemb. meditationi ſeniores poſt Nocturnos in eccleſia vacabant, dum pueri cantui operam navabant in Capitulo. Opus manuum cum pſalmis fiebat, proclamatio culparum erat in uſu. Poſt Completorium hoſpites non admittebantur, nec Fratribus comedendi tribuebatur facultas. Inſigne exemplum Udalricus de Cellerario refert, qui cum tota die in recipiendo vino fuiſſet occupatus, permiſſum poſt Completorium edendi impetrare ab Abbate non potuit. Eadem in officiis divinis ſeveritas. Iturus foras, & equum mox aſſcenſurus, ſi officii ſignum inſonuiſſet, ad illud properare tenebatur. De jejuniis id fere ſervabatur quod præcipit ſanctus Benedictus. Ab Idibus Septembris una tantum comeſtio, niſi in feſtis duodecim lectionum;*

&

Digitized by Google

& in Octavis Natalis Domini & Epiphaniæ duplex. In illis feſtis duodecim lectionum poſt prandium & lectionem in clauſtro, dicta Nona, ibatur in Refectorium ad bibendum : in diebus privatis, poſt veſperas lectio, inde pergebant in refectorium ad bibendum, poſtea iterum lectio, inde collatio ſpiritalis. Reliquiæ panis & vini ab Eleemoſynario in pedites peregrinos erogabantur. Præterea octodecim pauperes quotidie apud Cluniacum aliti. Ea vero erat vini parſimonia, ut octo carradæ vini pluſquam triginta Fratribus per annum in monaſterio Charitatis ſuffecerint, *apud Udalricum in lib. 3. cap. 1. Ad hæc ſancti Odonis præſcripto, jejunium quatuor temporum menſe Septembri, ubi dies exaltationis ſanctæ Crucis quarta ſextave feria aut ſabbato occurrebat, in ea ſeptimana peragebatur,* ut Crux a jejunis adoraretur. *An autem Odo medicinæ uſum Fratribus indulſerit, dubitare licet ex Joannis lib. 2. n. 14. immo & ex Petri Venerabilis lib. 6. epiſt. 39. Cartuſienſes, teſte Guigone in cap. 39.* medicinis, excepto cauterio & ſanguinis minutione, perraro utebantur. *Minuebantur porro in anno quinquies. Apud Cluniacenſes procedente tempore ſua quoque menſe aſſignata erat minutioni dies : quo ritu id fieret, docet Udalricus in lib. 2. cap. 21. Minutiora hæc mitto. Majoris momenti eſt id quod apud eumdem Udalricum legitur de educatione puerorum. Quippe* difficile fieri poteſt, ut ullus Regis filius majore diligentia nutriatur in palatio, quam puer quilibet minimus in Cluniaco. *Verba hæc ſunt ex lib. 3. cap. 8. Poſtremo diſciplinæ hujus ratio adminiſtrabatur ſub Abbate per Priorem majorem, Decanos, Priorem clauſtralem, Circatores, puerorum Magiſtros, Præcentorem, & Armarium, qui libros, maxime choro deſtinatos, in armario aſſervabat; Camerarium, cui veſtimentorum cura; Apocriſarium, cui eccleſiæ theſaurus commendatus erat; Cellerarium, Stabularium, Eleemoſynarium, & Infirmarium.*

19. *Ad loci diſciplinam item pertinet libertatis prærogativa, quam Cluniaco rogatu Vvillelmi conditoris ſui primum, dein Abbatum Romani Pontifices contulerunt. Calliſtus Papa II. in litteris ſuis Pontio Abbati inſcriptis ait, privilegium hoc Cluniaco fuiſſe conceſſum* ab ipſo fundationis ſuæ exordio; *memoratque Pontifices, qui illud confirmarunt, nempe Joannem XI. item Joannem XII. Agapitum II. Leonem IX. Gregorios VI. ac VII. Alexandrum II. Stephanum X. Victorem III. Urbanum II. Paſchalem II. & Gelaſium II. Unde Petrus Venerabilis quibuſdam objicientibus, quod Cluniacenſes proprium non haberent Epiſcopum, Romanum ſibi proprium eſſe reſpondet.* Hunc unum, *inquit*, ſolum & maximum nos habere Epiſcopum gloriamur... Hoc ipſius ſanctæ Sedis irrefragabilis ſanxit auctoritas, nec unius tantum, ſed multorum decreta inde apud noſtram matricem eccleſiam conſervantur. Hæc ipſi ita condiderunt, non ut hanc, de qua loquimur, Cluniacenſem eccleſiam alteri Epiſcopo prius eam poſſidenti auferrent : ſed a fundatoribus, qui eam in proprio alodio conſtruxerant, rogati in propriam retinuerunt, atque ſoli Romano Pontifici eam in æternum ſubjacere decernentes, pluribus hoc privilegiis confirmaverunt.... Hoc non ſoli Cluniacenſes obtinent, ſed & quam pluribus datum cernimus : & longe ante Cluniacum conditam multis aliis Monaſteriis ab eadem apoſtolica Sede conceſſum videmus. *Ita Petrus Abbas in lib. 1. epiſtola 28. Pleraque ejuſmodi privilegia vide ſis in Bullario Cluniacenſi : ex quibus ſeptem ſunt Odoni Abbati conceſſa, unum ſcilicet Joannis X. duo Joannis undecimi, unum Leonis VI. tria item Leonis VII. Joannis decimi privilegium, quod undecimo perperam tribuitur, editum eſt in Elogio Bernonis. In primo Joannis XI. præter alia Cluniaco jus confirmatur* monetæ *a Rodulfo Francorum Rege conceſſum, additurque* : Et quia, ſicut nimis compertum eſt, jam pæne cuncta Monaſteria a ſuo propoſito prævaricantur; concedimus, ut ſi quis Monachus ex quolibet Monaſterio ad veſtram converſationem ſolo dumtaxat meliorandæ vitæ ſtudio tranſmigrare voluerit, cui videlicet ſuus Abbas regularem ſumptum ad depellendam proprietatem habendi miniſtrare neglexerit; ſuſcipere vobis liceat; quouſque monaſterii ſui converſatio emendetur. Scriptum in menſe Martio, Indictione quarta, *id eſt anno* 931.

Digitized by Google

AN.CHR. 942 18. Nov.

931. *De privilegio Cluniacenſis libertatis iterum agemus ad Vitam ſancti Odilonis Abbatis.*

20. *Sed hoc loco prætermittere non poſſum id, quod Gregorius VII. de Cluniaco in Synodo Romana ſanxit in hæc verba.* Sacerdotes noſtri, immo hæc ſancta Synodus cognoſcat, quod licet ſint multa Monaſteria ad honorem Dei omnipotentis & beatæ Virginis utiliter & religioſe fundata; inter omnia quoddam illis in partibus Cluniacum eſt, & proprium B. Petro, & huic eccleſiæ ſpeciali jure adhærere dignoſcitur. Unde honorem & tutelam hujus ſanctæ & apoſtolicæ Sedis ab ipſis primordiis meruit obtinere... Et favente divina clementia ſub religioſis & ſanctis Abbatibus ad id uſque dignitatis & religionis pervenit, ut ceteris Monaſteriis, quamvis multo antiquioribus, quantum ipſe cognoſco, in Dei ſervitio & ſpirituali fervore præcellat, & nullum illa in terra (quod ego ſciam) huic omnino valeat adæquari. Nullus enim Abbas unquam ibi fuit, qui Sanctus non fuerit. *Præclarum ſane elogium ex ore Pontificis.*

Cluniaci fama & celebritas.

21. *Hinc* Cluniacenſe monaſterium, religione, diſciplina, ſeveritate, Fratrum numeroſitate, omnique monaſtici Ordinis obſervatione, toto pæne orbe notiſſimum *evaſit, teſte Petro Venerabili in lib. 1. de miraculis cap. 9. adeoque* ſingulare ac commune peccatorum refugium, per quod multa inferis damna illata, & regnis cæleſtibus quam plurima loca collata ſunt. Ibi innumeræ hominum multitudines, graves mundi ſarcinas ab humeris ſuis abjicientes, ſuavi Chriſti jugo colla ſubmiſerunt. Ibi omnium profeſſionum, dignitatum, & ordinum perſonæ faſtum luxumque ſæcularem in humilem & pauperem monachorum vitam commutaverunt. Ibi ipſarum eccleſiarum venerabiles Patres, etiam eccleſiaſticorum negotiorum onera fugientes, tutius quietiuſque vivere, magiſque ſubeſſe quam præeſſe elegerunt... Hinc effuſa ſpiritualium virtutum nardo, impleta eſt tota mundi domus ex odore unguenti, dum religionis monaſticæ fervor, qui illo tempore pæne refriguerat, illorum virorum exemplo ſtudioque recaluit. Gallia, Germania, tranſmarina quoque Britannia hoc teſtatur: Hiſpania, Italia, totaque Europa fatetur, plena monaſteriis ab eis aut noviter fundatis, aut ab antiquo ſenio reparatis.... Sed quid aliquas mundi partes enumero? cum de noſtro ultimo Occidente uſque ad ipſum Orientem fama hæc pervenerit, nec aliquem Chriſtiani orbis angulum latuerit. *Hucuſque Petrus Venerabilis, cujus dicti veritatem probare eſſet in promptu, ſi non alio nos propoſitum vocaret. Sed tamen ne hoc argumentum, quod ſane ad Cluniacenſis Ordinis, adeoque ejus auctoris Odonis laudem maxime pertinet, penitus deſeruiſſe videamur; hic de Monaſteriis ab eo inſtitutis aut reſtitutis agendum eſt, idemque de aliis Cluniaci Abbatibus ſuo quoque loco præſtandum.*

V. Monaſteria per Odonem reformata, erectio Congregationis Cluniacenſis.

Monaſteria reformata.

22. HIC *opportune occurrit quod Joannes de Odone ſcribit in lib. 2. n. 23.* Per illud namque tempus longe lateque Patris noſtri nomen, veluti clariſſimum ſidus, cœpit effulgere. Factus eſt notus Regibus, Epiſcopis familiariſſimus, magnatibus charus. Quæque enim Monaſteria in eorum finibus conſtructa erant, juri patris noſtri ea tradebant, ut noſtro more corrigeret & ordinaret. *Monaſteriorum ejuſmodi accuratam rationem inire difficile fuerit: obvia notare ſufficiat. In Gallia invenio apud Lemovices Auriliacenſe & Tutelenſe; Sarlatenſe in pago Petrocoricenſi; in Bituricenſi Dolenſe & Maſciacenſe; in Aurelianenſi Floriacenſe; apud Senonas S. Petri Vivi; apud Turonos S. Juliani; in pago Vualdenſi Abbatiam Romanenſem, in Matiſconenſi Carilocenſem cum aliis. In Italia legimus apud Joannem Ticinenſe ſancti Auguſtini, Romanum ſancti Pauli, Adventinum, Subpentonianum, & Salernitanum. De his omnibus quædam ſtrictim obſervanda.*

Ge-

Digitized by Google

AN.CHR 942

*Geraldus Comes Auriliacenſis * piiſſimus*, poſtquam divino cultui ſeſe mancipavit per omnia, ut ſua quoque Domino conſecraret, Romam profectus eſt, & Aureliacum inſigne prædium beato Petro Apoſtolorum principi, facto ſollemniter teſtamento delegavit, cum tantis videlicet appendiciis, quæ Monachis, quos ibidem congregare diſpoſuerat, ad omne ſtipendium ſufficere poſſent. Cenſum quoque delegavit, qui ad urnam beati Petri annuatim redderetur, *nempe* decem ſolidorum, *ex Odone in lib. 2. de ejus vita cap. 4. & 17. Odo addit in cap. 6. magnopere anxium fuiſſe Geraldum de reperiundis Monachis probatis, qui locum incolerent; & cum non reperiſſet*, nobiles quoſdam pueros ad Vabrenſe * cœnobium direxiſſe, *ubi* regularis obſervantiæ fervor incaleſcebat, *ut* ſub norma regulari *ibidem imbuerentur; ſed reverſos*, quia magiſtri defuerunt, *mox* puellari mollitia reſolutos, rigorem diſciplinæ neglexiſſe*: attamen unum eis ex neceſſitate præfectum fuiſſe, qui ob laxiores mores Geraldo magnum mærorem attulit. Neſcio an is erat Adalgerus, quem primum Auriliaci Abbatem ſuggerit Chronicon Auriliacenſe, editum in tomo 2. Analectorum: cui Abbati ſuffectus Joannes ex ſtirpe ipſius Geraldi*. Oddo venerabilis Abbas tertius Auriliacenſis & Cluniacenſis, rogatus a Turpione Lemovicenſi Epiſcopo & ab Aimone Tutelenſi Abbate deſcripſit vitam beati Geraldi. Habuit coabbatem Arnulfum. *Ex Auriliacenſi monaſterio arceſſitus eſt Odo, teſte Aimoino in lib. 1. de miraculis ſancti Benedicti cap. 4. ad reſtituendam diſciplinam in cœnobio Floriacenſi, procurante* Eliziardo *Comite, poſtea Monacho, ex Joanne infra in lib. 3. num. 8. Eodem tempore, ideſt regnante Ludovico Tranſmarino, Bernardus Petrocoricenſis Comes ſancti Salvatoris monaſterium Sarlatenſe, quod tandem in ſedem epiſcopalem evaſit, tradidit* domno Oddoni Cluniacenſi Abbati atque Adacio coabbati ejus. *Litteræ hac de re exſtant in tomo 4. Galliæ Chriſtianæ, ſed cum aliquot nævis. Utrique, Odoni ſcilicet Cluniacenſi Abbati atque Adacio ejus vices tenenti, etiam Tutelenſe * monaſterium, nunc ſedes epiſcopalis, paruit poſt Aimonem ſuperius memoratum, qui ex ſancti Savini cœnobio Pictavenſi ab Ebalo Comite Tutelam adductus fuerat. Hujus rei diploma a Rodulfo Rege conceſſum habes in additione V.C. Stephani Baluzii Tutelenſis ad lib. 8. de Concordia cap. 25. Tunc vero mos erat, ut quia pluribus monaſteriis unus haud ſufficere poterat Abbas Cluniacenſis; iiſdem ejus vice proabbates ſeu coabbates præficerentur, quibus poſtea ſolum Prioris nomen relictum eſt. Illud patet ex Clario in Chronico S. Petri Vivi apud Senonas, quo in loco Samſoni Abbati* ſucceſſit ſanctus Odo, qui accerſiens Vvillelmum Archiepiſcopum, cum conſenſu Monachorum S. Petri præfecit eidem cœnobio Arigaudum Abbatem, religioſum & timentem Deum, Monachum S. Benedicti ſupra Ligerim.

18. Nov. Aurilia-cenſe. * d'Auril-lac

* de Vabre

Floriacen-ſe.

Sarlatenſe, de Sarlat.

* Tutelen-ſe Tulle.

S. Petri Vivi.

23. *Idem ab Odone præſtitum puto in Turonico ſancti Juliani cœnobio, quod tempore Gregorii Epiſcopi conſtructum, ſed a Nortmannis poſtea everſum, cum Teotolo Archiepiſcopus, Gerſende ejus ſorore ſuppetias ferente, inſtauraſſet*, eccleſiam in honorem Dei Genitricis ſanctique Iuliani dedicavit; & coadunatis Fratribus Abbatem præficere cupiens, Odonem Abbatem, qui tunc apud ſanctum Benedictum morabatur, advocat. *Martyrologium ſancti Juliani id factum refert* anno 943 regnante Ludovico Rege anno 8. *Sed id tempus eſt donationis a Teotolone & Gerſende factæ, non inſtituti apud ſanctum Julianum Odonis, quem anno præcedente, id eſt anno 942. obiiſſe conſtat. Is vero in ſancti Juliani eccleſia cum Teotolone ſepulturam obtinuit, ut poſtea dicemus. Legi ejus loci chronici, ante annos quingentos ſcripti, fragmentum, quod chronicon diviſum erat in duos libellos: quorum in primo* Abbatiæ prima inſtitutio, inſtitutionis impia deſtructio, deſtructionis pia reſtauratio *continebatur: in ſecundo ejuſdem ſtatus ab inſtauratione. Ex primi libelli laciniofis membranis intelligimus, multa ſanctorum corpora in ſancti Juliani eccleſia primitus repoſita, Danorum tempore alte humi defoſſa fuiſſe: ex quibus quædam tum reſtabant, nempe ſanctorum* Bleviliguati *Epiſcopi Venetenſis*, Lauri *Abbatis*, & Antonii *Monachi. De primo ait Auctor, quod* Pontifex Morvannus, *a Bleviligueto* ſepti-

S. Juliani apud Tu-ronos.

AN.CHR. 942 18. Nov.

ſeptimus *Venetenſis*, *quædam ſibi retulerit miracula*, *quæ commemorat*. Blinlivetum *vocat*, *non ſanctum*, *Albertus de Monte-Relaxo*, *eumque ſtatuit trigeſimum-tertium Epiſcopum Venetenſem : Morvannum vero quadrageſimum nonum*. *Subdit fragmenti ſcriptor*, *Laurum*, *ex Britannia ortum*, *patriam parenteſque deſeruiſſe*, *ſed pro ipſis inveniſſe* Judicaelem Brittonum Ducem optimum, *qui ejus in omnibus adjutor exſtiterit*. Cujus adjutorio facto Monaſterio, in omni ſanctitate cum ſubjectis floruit, & tam verbo quam exemplo multum multis profuit, cujus nobilis vita in conſpectu hominum religioſiſſima, & in conſpectu Domini exſtitit precioſa: cujus etiam alta ſanctitatis præconia cumulare non deſinit miraculorum gloria. Nam per ejus ſanctitatem tam in vita, quam poſt mortem reformatur debilitas, & ſanatur infirmitas, maxime loco illo, quo exiit e ſæculo: ubi per ſigna quæ fiunt, cineres ejus vivunt. *Forſan monaſterium eſt ſancti Joannis de Gaelo*, *quod Judicael inſtauravit*. Et quoniam vitam ejus docet liber vitæ ejus, ſufficiat commendaſſe ſummam ſaltem ſuæ vitæ. *Hunc librum excidiſſe putamus*: *neque quicquam* (*quod ſciam*) *apud Albertum legitur de S. Lauro*. *Denique Chronographus ille ſcribit Antonium vixiſſe apud Turonos*. Fertur in te, *inquit*, ſanctum habitaſſe Antonium, quamvis nobis incertum ſit, utrum vel ex te fuerit, vel aliunde venerit, qui ſolitariæ vitæ delectatus dulcedine, pro vita ſolitaria mundi deſpexit quadra. Quem inhabitavit locus pulcher & quietus, & undique ſilva cinctus: cujus in lapide ſculpta fuit & eſt nunc capella, in qua duo altaria. Deo ibi Dei ſervus ſerviebat aſſiduus. Ad fontem qui in capella nulla accedit femina. *Viſitur iſte locus*, *qui Prioratus eſt*, *tribus a Cæſaroduno Turonum leucis verſus Cenomannos*. *S. Antonius colitur* 4. *Nonas Maji in Martyrologio Gallicano*. *Unum ex ſancti Mauri Abbatis ſodalibus fuiſſe quidam recentiores ferunt*, *Abbatem ſancti Juliani dicit inſtrumentum Joannis Turonenſis Archiepiſcopi*, *anno* 907. *conditum*, *in quo agitur de reliquiis S. Antonii & S. Lauri*. *Nobis ignorare liceat*, *quod ignoravit antiquitas*. *De monaſterio S. Iuliani iterum infra*.

Romanenſe.

24. *Inter cœnobia quæ Odo ſuo regimini adjecit*, *eſt Romanenſe*, *ſitum in Comitatu Vualdenſi pagi Lauſanenſis*, *quod Rodulfus I. Burgundiæ Rex Aleydi ſorori ſuæ conceſſit*, *litteris datis* 4. Idus Junias, Rodulfi piiſſimi Regis anno primo, ab Incarnatione Domini 888. Indictione 2. *apud Vabrevillam*. *Hæ litteræ*, *quarum integrum autographum penes nos eſt*, *editæ ſunt in Notis ad Bibliothecam Cluniacenſem*, *ſed cum vitio centenarii numeri*, *ubi pro anno* 800. *legitur* 900. *Poſtea Aleys ſeu Adeleys ipſa Comitiſſa Abbatiam illam* Romanis *dictam Odoni attribuit egregio diplomate*, *quod ineditum huc referre juvat ad hiſtoriæ illuſtrationem*.

CUnctis ſane conſiderantibus liquet, &c. Igitur omnibus in unitate fidei viventibus, Chriſtique miſericordiam præſtolantibus notum ſit, quod ego Adeleydis, dono Dei Comitiſſa, res juris mei, quæ mihi per præceptum Domini Rodulfi Regis, mei videlicet dulciſſimi atque dilectiſſimi germani, obvenerunt, hoc eſt monaſterium quod Romanis vocatur, quod ſitum eſt in pago Vualdenſe, cum omni Abbatia & omnibus rebus & adjacentibus ad ipſam Abbatiam pertinentibus dudum a ſanctis Patribus illic prærodinatis. Quod ſane Romanis præfatum monaſterium olim in honore Apoſtolorum principis Petri ſcilicet & Pauli ſub monaſtica profeſſione fuerat conſtructum : ſed modo ab eorum habitatione privatum penitus, pro amore Domini noſtri Ieſu-Chriſti ac eorumdem Apoſtolorum, de meo jure & dominatione ipſa ego jam dicta Adeleydis in dominium & providentiam monachorum per omnia transfundo, id eſt Odonis venerabilis ac reverentiſſimi Abbatis, omniumque fratrum ac catervæ monachorum ſub ejus regimine Cluniacenſis cœnobii degentium : ea dumtaxat ratione, ut ipſi monachi, prout potuerint, ipſum monaſterium per interceſſionem Apoſtolorum, Chriſto propitiante, in priorem ſtudeant reformare ſtatum. Prædictus vero Abbas, dum advixerit, & ipſi monachi idem monaſterium ita

Digitized by Google

ita poſſideant, ut quamvis apoſtolicæ Sedi, ſicut & Cluniacum, delegatum ſit; ſemper tamen velut una congregatio ſub uno agant atque diſponantur Abbate; in tantum, ut cum ipſe diſceſſerit, non illis aut iſtis liceat ſine communi conſenſu Abbatem ſibi præficere: nec privati, quod abſit, iſti alium niſi ipſum, quem illi habuerint, ſubſtituere præſumant: quoniam valde injuſtum eſſet, ſi illi qui forte velut filii Romanis monaſterio ſuccreverint, ſocialitatem Cluniacenſium, qui veluti patres locum reſuſcitant, aliquando diſciderint. Sane in ordinando Abbate conſtitutio ſancti Benedicti ſemper emineat: adeo ut ſi vel illius, vel iſtius congregationis minima pars ſaniori conſilio meliorem perſonam eligere voluerit, ceteri juxta Regulam eis conſentiant. De fratribus vero vel hinc illic, vel inde huc pro utilitate tranſmutandis, ſive etiam de ſubſidiis, quæ forte uni loco pluſquam alteri abundaverint, viciſſim ex altero in alterum transferendis in poteſtate Abbatis ſit. Et ut inter eos germanior ſocietas perſeveret, ipſas quoque divinæ ſervitutis aut eleemoſynarum ſeu cujuslibet boni operis ſanctiones ita communiter teneant, ut quod pro bonæ memoriæ Willelmo, vel certe aliis, aut vivis, aut defunctis apud Cluniacum geritur, nobis atque noſtratibus proficiat: & quod Romanis monaſterio pro nobis juxta voluntatem Domini geſtum fuerit, ipſi adæque participentur. Hanc ergo donationem pro Dei amore & ſanctorum Apoſtolorum in primis facio, deinde pro anima germani & dulciſſimi mei domni Rodulfi Regis, harum videlicet rerum largitoris; tum vero pro requie Domni mei piæ memoriæ principis Richardi, ac pro Willa Regina, dehinc pro me & domno Rodulfo Rege filio meo, & item Rodulfo Rege nepote meo, pro aliis quoque filiis meis, Hugone, Boſone, & Ludovico nepote; ſed & pro ceteris conſanguineis noſtris, atque his qui ſervitio noſtro adhærent; pro genitore etiam ac genetrice mea, & domno Hugone inſigni Abbate, ſeu ceteris noſtris utriuſque ſexus propinquis: poſtremo pro illis qui adjutorium vel defenſionem monachis ibi conſiſtentibus præſtiterint; pro ſtatu quoque totius religionis & pro omnibus Catholicis vel vivis, vel defunctis. Monachi vero inibi conſiſtentes modum converſationis iſtius, quæ nunc ad informandum eos qui futuri ſunt de Cluniaco, transfertur, ita conſervent, ut eumdem modum in victu atque veſtitu, in abſtinentia, in pſalmodia, in ſilentio, in hoſpitalitate, in mutua dilectione & ſubjectione, atque bono obedientiæ nullatenus imminuant. Placuit etiam huic teſtamento inſeri, ut ab hac die nec noſtro, nec parentum noſtrorum, nec faſtibus regiæ magnitudinis, nec cujuslibet terrenæ poteſtatis jugo ſubjiciantur iidem Monachi ibi congregati: neque aliquis Principum ſæcularium, non Comes quiſquam, nec Epiſcopus quilibet, non Pontifex ſupradictæ urbis Romanæ, per Dominum & in Domino, omnes Sanctos ejus, & tremendi judicii diem conteſtor & deprecor, invadat res ipſorum Dei ſervorum, non diſtrahat, non minuat, non procamiet, non beneficiet alicui, non aliquem Prælatum ſuper eos contra eorum voluntatem conſtituat. Et ut hoc nefas omnium temerariis & improbis arctius inhibeatur, adhuc idem inculcans ſubjungo. Obſecro vos, o ſancti Apoſtoli & glorioſi Principes terræ Petre & Paule, & te Pontifex Pontificum apoſtolicæ Sedis, ut per auctoritatem canonicam & apoſtolicam quam a Deo accepiſti, alienes a conſortio ſanctæ Dei Eccleſiæ & ſempiternæ vitæ prædones & invaſores atque diſtractores harum rerum, quas ſupradictis ſervis Dei hilari mente promtaque voluntate dono: ſitiſque tutores ac defenſores jam dicti loci Romanis, ſervorum Dei ibi commorantium ac commanentium, harum quoque omnium facultatum propter eleemoſynam & clementiam ac miſericordiam piiſſimi Redemptoris noſtri. Si quid forte, quod abſit, & quod per Dei miſericordiam & patrocinia Apoſtolorum evenire non æſtimo, ut ex propinquis aut extraneis, vel ex qualibet conditione, ſive poteſtate qualicumque calliditate contra hoc teſtamentum, quod pro amore Dei omnipotentis, ac veneratione Principum

AN.CHR 942 18. Nov.

AN.CHR. 942 18. Nov. cipum Apoſtolorum Petri & Pauli fieri ſancivi, aliquam concuſſionem inferre tentaverit, primum quidem iram Dei omnipotentis incurrat, auferatque Dominus partem ejus de terra viventium, & deleat nomen ejus de libro vitæ, fiatque pars illius cum his qui dixerunt Deo: Domine recede a nobis, & cum Dathan & Abiron, quos terra aperto ore deglutivit, & vivos infernus abſorbuit, perennem incurrat damnationem; ſociuſque Judæ proditoris Domini effectus, æternis cruciatibus retruſus teneatur. Et ne ei in præſenti ſæculo humanis oculis impune videatur; in proprio quidem corpore futuræ damnationis tormenta patiatur, ſortitus duplicem direptionem cum Heliodoro & Antiocho, quorum alter diris verberibus coercitus vix ſemivivus evaſit: alter vero nutu ſuperno percuſſus, putreſcentibus membris, & ſcatentibus vermibus miſerrime interiit; ceteriſque ſacrilegis qui ærarium domus Domini temerare præſumpſerunt, particeps exſiſtat: habeat, niſi reſipuerit, archiclavum totius monarchiæ eccleſiarum, juncto ſibi ſancto Paulo, obſtitorem, & amœni paradiſi aditus contradictorem, quos ſibi, ſi vellet, habere poterat piiſſimos interceſſores. Secundum vero mundialem legem his quibus intulerit calumniam, centum auri libras cogente judiciaria poteſtate compulſus exſolvat, & congreſſio illius fruſtrata nullum omnino obtineat effectum: ſed hujus firmitas teſtamenti omni auctoritate ſuffulta ſemper inviolata ac inconcuſſa permaneat cum ſtipulatione ſubnixa. S. Adeleydis Comitiſſæ regiæ matris & Abbatiſſæ hoc teſtamentum auctorizantis fierique jubentis. S. Hildegangi indigni Sacerdotis. S. Hulrici. S. Judittæ filiæ Rodulfi Regis. S. Albradæ. S. Widonis. S. Einrici. S. Ugonis. incliti Comitis atque fratris auguſti Rodulfi Regis. S. Gofredi. S. Rodulfi filii Ludovici Imperatoris. S. Stephani, Chriſtiani, Gonfredi, Unberti, Boſonis, Bavonis, Leodfredi, Wlitgerii, Rodulfi. Data 18. Kalend. Julii. Ego Hildebrannus Sacerdos ad vicem Cancellarii ſcripſi & ſubſcripſi anno quinto regnante Rodulfo glorioſiſſimo Rege, Indictione 2. Actum publice in villa Bojaco.

25. *Hactenus diploma: de Romano monaſterio hæc habet liber Prioratuum in Bibliotheca Cluniacenſi.* Prioratus Romani-monaſterii, *Romans-monſtier*, Lauſanenſis diœceſis, ubi debent eſſe, Priore computato, viginti duo Monachi, licet antiquitus fuerint plures, ſicut reperitur; & debent ibidem celebrari tres Miſſæ cum nota, &c.

Carilocum * Charlieu 26. *Redeo ad pagum Matiſconenſem, cujus Abbatiam, Carilocum * dictam, Joannes Papa XI. Odoni ſive monaſterio Cluniacenſi, poſtulante Hugone Burgundiæ Rege ſeu Duce, addixit* 7. Kal. Januarii, anno 2. pontificatus, Indict. 5. *id eſt anno* 932. *Idem præſtitit Ludovicus Tranſmarinus conceſſis litteris, quas habet Bibliotheca Cluniacenſis col.* 276. *Abbatiam hanc rogatu Siraldi Comitis Boſo Rex monachis reſtituerat, ut patet ex charta a Guichenone edita in Hiſtoria Sebuſiana pag.* 375. *ubi Cariloci monaſterium dicatum dicitur* in honore S. Stephani, *ſitumque* in Comitatu Matiſcenſi ſuper Surnan fluvium. *Diploma datum eſt* 3. Non. Decemb. Indict. 12. anno primo Boſonis Kariloco monaſterio, *id eſt anno* 879. *De Cariloco iterum in Aymardo, infra.*

Italica. 27. *Denique præter alia, quorum monumenta nobis deſunt, monaſteria Gallicana, Cluniacenſibus ſub Odone conceſſa; quædam item Italica in Cluniaci poteſtatem tum venerunt, nempe Suppentonienſe, Adventinum, & ſancti Pauli Romæ, ut ex Joanne manifeſtum eſt, atque Salernitanum, cujus Fratribus Joannes Odonis vitam dedicavit. Veri ſimillimum eſt etiam Ticinenſe S. Petri ex eo numero fuiſſe, cum Odo Roma revertens Joannem tum Canonicum, poſtea Monachum, ibi erudiendum reliquerit, ut ipſe de ſe teſtatur in lib.* 1. *num.* 4. *Iſtud eſt monaſterium ſancti Petri in Cælo-aureo nuncupatum, tum ſancti Auguſtini ab ejus translatione corporis in eum locum, de qua diximus in Sæculi* 3. *parte* 1.

S. Pauli Romæ. 28. *De eccleſiæ S. Pauli prope Romam primordiis varie ſcribunt auctores. Sunt qui primam ejus originem ad Silveſtrum Papam & Conſtantinum Imperatorem referunt. In ea ſententia eſt Leo Allatius in lib.* 1. *de conſenſione utriuſque eccleſiæ cap.*

cap. 6. *num.* 26. *ubi ait, baſilicam ſancti Pauli via Oſtienſi forma olim copyla, id eſt porta in Orientem converſa, a Silveſtro conſtructam fuiſſe: ſed Valentinianum Imperatorem, Siricii Pontificis diſpoſitione, ad eam quam hodie videmus ſtructuram cotbolam, fronte ad Orientem verſa, redigi curaviſſe. Contra vero Petrus Damiani vaticanam ſancti Petri baſilicam Conſtantino auctori tribuit, Oſtienſem ſancti Pauli Theodoſio ſeniori & Honorio ejus filio. Locus eſt in Opuſculo* 4. *reſponſione* 4. *regii Defenſoris*. Longe vero poſt Theodoſius Imperator beati Pauli baſilicam cœpit: quo defuncto filius ejus Honorius eamdem baſilicam ad calcem uſque perduxit. *Idem lego in veterrimo codice eccleſiæ Noviomagenſis, ab annis octingentis ſcripto, qui Iſidori etymologias complectitur: ubi hæc verba*. In baſilica ſancti Pauli Apoſtoli Romæ, ubi ſacrum ejus ſepultum eſt corpus, AN.CHR. 942. 18. Nov.

Teudoſius cœpit, perfecit Honorius aulam,
Doctoris mundi ſacratam corpore Pauli.

Eo ſpectat Prudentius, auctor æqualis, in hymno 12. *de beatis Petro & Paulo*.

Parte alia titulum Pauli via ſervat Oſtienſis,
Qua ſtringit annis cæſpitem ſiniſtrum.
Regia pompa loci eſt: Princeps bonus has ſacravit arces,
Luſitque magnis ambitum talentis.
Bratteolas trabibus ſublevit, ut omnis aurulenta
Lux eſſet intus, ceu jubar ſub ortu.
Subdidit & parias fulvis laquearibus columnas,
Diſtinguit illic quas quaternus ordo.
Tum camuros hyalo inſigni varie cucurrit arcus
Sic prata vernis floribus renident.

Hæc de origine baſilicæ: quæ quo tempore Monachis conceſſa ſit, inveſtigandum eſt. Id factum ante Odonem innuit Joannes in lib. 1. *num.* 27. *ubi ait, Odonem* ante quinquennium, *quam ejus vitam ſcriberet*, Romam perrexiſſe, ac Monaſterium intra eccleſiam beatiſſimi Pauli Apoſtoli (ut olim fuerat) reædificaſſe, cogente Domno Papa, & univerſis ordinibus ſacræ ſedis. *Ergo* olim fuerat *ibi Monachorum ſedes, quibus eam reſtituit Odo ſub annum* 936. *quo Romæ erat, ut poſtea exponemus. Idem Joannes variis in locis S. Pauli monaſterium, ac monachos memorat, Abbatemque Balduinum: ſed & ſanctum Odonem ibidem, cum Romæ verſaretur, degere ſolitum fuiſſe tradit, præſertim in lib.* 2. *num.* 21. *&* 22. *Neque hoc in dubium vocari poteſt: quandoquidem Joannes ipſe cum Odone iſtic moratus ſit. Et tamen in optimæ notæ libro de vita ſancti Joannis Abbatis Gorzienſis dicitur Andreas monachus* Romam ad poſtulationem Papæ Agapiti *miſſus, qui Agapitus* cum nuntio quodam idoneo viro multum a Domno Einoldo *Gorziæ Abbate* efflagitaverat, aliquos ſibi religioſos, quos in monaſterio beati Pauli, quod tunc ad monaſticam Ordinem transferre moliebatur, cum auxilio Regis Albrici collocaret, tranſmitti: quo cum altero quodam fratre, qui ex monaſterio Luxovio Gorziam ante aliquot annos advenerat, perductus, regulari inſtitutione loco informato, non multo poſt receptus ad Dominum ibidem eſt tumulatus. *Agapitus ſedere cœpit anno quarto poſt mortem Odonis, Chriſti ſcilicet* 946. *Qui ergo fieri potuit, ut cœnobium S. Pauli, quod ſub Odone monaſticis imbutum inſtitutis fuerat, denuo Agapito Pontifice* ad monaſticum Ordinem transferri *potuerit? Sed id de reſtitutione diſciplinæ regularis intelligendum, quam mirum eſt tam cito ibi defeciſſe. Certe defecerat Ottone II. imperante, aut ſane eo pretextu uſus eſt Otto, qui Canonicus apud S. Paulum loco ſolutiorum monachorum inſtituere meditabatur, teſte Glabro Rodulfo in lib.* 1. *cap.* 4. *Quidquid ſit, Oſtienſe S. Pauli monaſterium, etſi Cluniaco non penitus ſubjectum, identidem tamen inde præfectos accepit: cujus rei argumentum Petri Damiani ſuppeditat in Opuſculo* 33. *ubi de S. Majolo agit, qui apud S. Paulum Priorem inſtituit, ut in actis S. Majoli dicemus. Denique id diſerte confirmat Hugo Cluniacenſis monachus in epiſtola ad Pontium Abbatem his verbis*. Hoc

Digitized by Google

AN.CHR. 942 18. Nov. autem Monaſterium, *nempe ſancti Pauli*, ſequentibus annis commiſſum eſt ſancto Odoni tuo prædeceſſori, ubi per eum aliquamdiu Cluniacenſis vigor Ordinis radiavit. Tandem ſeditioſis urbe turbata motibus, quos illa civitas infauſto uſu creberrime patitur, malis urgentibus Monachi diſcedentes, vas illud apoſtolicorum cinerum, ſcilicet S. Pauli, ſacra ſecum pignora detulerunt: ſicque Cluniacum propere pervenerunt. *Monaſterii ſancti Pauli Abbas fuit Adam ille, cujus mentionem fecit Victor Papa III. in lib. 2. de miraculis ſancti Benedicti cap. 25. ad quem locum ſcrupulum movet Joannes Baptiſta Marus, cuinam tum ſubjectum fuerit ſancti Pauli Monaſterium, Congregationi Cluniacenſi, an Caſinenſi. Dubitandi ratio petitur ex eo quod Abbatia S. Pauli, teſte Leone Marſicano in lib. 1. Chronici Caſinenſis cap. 58. Balduino Abbati a Marino Papa commiſſa eſt. Unde Deſiderius ſeu Victor Papa, qui & Abbas Caſinenſis erat, ſancti Pauli monaſterium* noſtrum *vocat. Verum ita loqui potuit habita ratione communis Ordinis, cum nulla tunc eſſet Congregatio Caſinenſis, immo neque Cluniacenſis eo modo, quo poſtea ſub S. Hugone inſtituta eſt.*

29. *His omnibus aliiſque pluribus cœnobiis uniformem vivendi normam, qualis apud Cluniacum ſervabatur, præſcripſit Odo, eiſque præfuit non ſecus atque Abbas generalis: quæ res a S. Pachomio primitus inſtituta in Oriente, in Occidente per Benedictum Anianenſem tentata, demum ab Odone perfecta eſt. Unde a nonnullis S. Benedicti in Gallia Ordinis auctor habitus eſt, propterea quod monaſteria complura, quæ antea partim deſtructa, omnino a ſeſe diſtracta erant, in unum quaſi corpus adduxit. Saltem a Petro Venerabili* ſummus Ordinis monaſtici in Galliis reparator, & præcipuus Regulæ reformator *appellatur, idemque* primus Cluniacenſis Ordinis Pater, qui emortuum jam, & pæne ubique ſepultum monaſtici propoſiti fervorem reſuſcitare aggreſſus eſt, *in lib. 6. epiſt. 17. Eodem ſenſu ante eum Frodoardus in Chronico Odonem* multorum reſtauratorem Monaſteriorum, ſanctæque Regulæ reparatorem *vocat: & Glaber Rodulfus,* Hic in tantum, *inquit*, hujus inſtituti propagator exſtitit, ut a Beneventana provincia, quæque habebantur in Italia & in Galliis uſque Oceanum mare potiora monaſteria, illius ditioni gratularentur eſſe ſubjecta. *Tanta demum erat ejus nominis ac religionis celebritas, ut ad eum non modo laici nobiles & Clerici, ſed etiam Epiſcopi dignitatibus abdicatis confluerent, teſtante Joanne in lib. 3. num. 10.*

VI. Cluniacenſis cœnobii res auctæ per Odonem.

30. NON *ſolum Cluniacenſis inſtituti religionem Odo, ſed etiam rem familiarem (quæ æquo fere pede ſubſequi ſolet) magnopere adauxit. In primis Rodulfus Francorum Rex ad preces Immæ conjugis ſuæ atque Hugonis fratris ſui Cluniaco tradit* manſos veſtitos, *ſitos in pago Matiſcenſi, tres in Saluſtriaco, alioſque alibi. Datum* Bojaco villa Kalendis Juliis, *anno regni* 9. Indict. 3. *(an. 4.) id eſt anno* 931. *Anno ſequenti Berno Matiſcenſis Epiſcopus, rogante Archimboldo Prælato, id eſt Præpoſito Clunienſis cœnobii, & Hildebrando, ſedens* in conſiſtorio *juxta eccleſiam S. Vincentii Matiſcone* ad divina præcepta more præcedentium Patrum dirimenda, *conceſſit decimas terræ de Saluſtriaco, quam Rodulfus Rex eis dederat. Sub eumdem annum, ſcilicet anno 10. Rodulfi Regis, idem Berno Epiſcopus conſecravit capellam in eadem villa Saluſtriaco, quam capellam* Cluniacenſis parvula ſocietas, cui Odo mitis Pater & Abbas patrocinabatur, conſtruxerat.

31. *Biennio poſt Leotaldus Comes Matiſconenſis, & Ermengardis ejus uxor, Oddoni Abbati dant quidquid eorum facultatis erat* in villa Darbaniaco, in pago Lugdunenſi, ſuper fluvium Salliam, *ut Deus animas parentum ſuorum Alberici & Eſcolanæ, Manaſſis & Irmingardæ, necnon Gerardi amici ſui liberare dignetur* a pœnis inferni. *Subſcribit poſt Leotaldum & Irmingardem Gaufredus Comes cum aliis. Edita eſt hæc charta cum aliquot nævis in Bibliotheca Sebuſianæ pag. 168. alias ejuſdem Leotaldi vide ſis pag. 236. & 296.*

32.

Digitized by Google

32. *Anno* 936. *Odoni item donatur curtilus unus in villa Ruſiaco, (quæ ſita eſt prope Cluniacum) in pago Matiſcenſe*, menſe Majo, quando Rodulfus Rex migravit a ſæculo. Actum Cluniaco, firmatum Lurduno caſtello publice. *Anno ſecundo Ludovici Regis Odo Abbas & Monachi Cluniacenſes emunt campum ſubtus caſtrum Lordoni, vulgo* Lourdon, *quod caſtellum Richelii Cardinalis juſſu ſubverſum eſt*. AN.CHR. 942 18. Nov.

33. *Eodem anno* quo Rodulfus Rex migravit a ſæculo, *Gaufredus Comes & uxor ejus Ava dant Eſcozolas in pago Æduenſi pro animabus ſuis*, & pro anima ſenioris ſui Willelmi, & ejus filii Boſonis. *Iidem tradunt Keitaelos in pago Matiſcenſi* in vicaria Buſarias, pro animarum ſuarum remedio, & Gauzberti fratris, dicti Gaufredi, *anno* 5. *Ludovici Tranſmarini*.

34. *Anno* 2. *Ludovici ejuſdem Maimboldus Epiſcopus Matiſcenſis ait, Bernonem præceſſorem ſuum Cluniacenſibus tribuiſſe, ut omnes eorum eccleſiæ ex toto ſub illorum ditione conſiſterent: ſed cum poſtea* irruptione paganorum & malitia pravorum hominum *exciſæ fuiſſent, ſe de tributo ſynodali quod reddebant, minuere. Subſcribunt Canonici, & inter eos* Ado *Abbas, qui unus e præcipuis erat, deditque nonnulla cœnobio Cluniacenſi, nempe eccleſias S. Deſiderii & S. Juliani in Siviaco & Davagiaco, anno* 12. *ipſius Ludovici. Item anno ſecundo Rotmundus Epiſcopus Æduorum dat capellam ſancti Leodegarii de Blanciaco in Comitatu Matiſconenſi, quam* ſanctiſſimus *prædeceſſor ſuus Vvalo cuidam Sacerdoti ad vitam dederat. Teſtes ſunt* Hildebodus & Girbaldus *Abbates*.

35. *Anno* 3. *ejuſdem Regis, Indict.* 11. *id eſt anno Chriſti* 938. *datur Cluniacenſi monaſterio, ubi Odo Abbas præerat, manſus in villa Madaliaco in pago Lugdunenſi*, in agro Ternatenſe. *Item Airich quidam eidem Odoni dat campum cum ſilva in pago Lugdunenſi*, in agro Tarnatenſi, *in fine Denadaliaco*. Ternatum *ſine dubio erat iſte locus, ubi ſitum erat monaſterium Tarnatenſe, quod omnes confundere ſolent cum Agaunenſi. At Ternatum iſtud ſitum eſt ad Rhodanum in confinio pagi Lugdunenſis & Viennenſis, vulgo* Ternay, *ubi eſt modo Prioratus Ordinis ſancti Benedicti. Item Ludovicus Tranſmarinus anno regni ſui tertio res Cluniacenſes in Querceto apud Dociacum ſancit diplomate, quod exſtat in Bibliotheca Cluniacenſi. Alias donationes minutiores mitto, qualis eſt ea, qua Hugo Comes unam ancillam de villa* Romanis *in pago Lugdunenſi tradit Cluniacenſi monaſterio & Oddoni Abbati, & quidem* anno ſexto *Ludovici Regis: poſt quem annum donationes fiunt Aimardo Abbati. Omnes chartæ ſub Odone numero* 188. *Porro ex his omnibus chartis, aliiſque quas in Aimardo referemus, conſtat Matiſconem, eique attributum pagum, Regi Francorum, non Burgundionum tunc paruiſſe*.

VII. Odonis Romanum iter multiplex Eccleſiæ cauſa.

36. NON *continuit ſeſe intra Monaſteriorum latebras Odonis ardens in res divinas ſtudium: quin etiam in Eccleſiæ univerſæ commodum foras prodiit. Eum quippe in Italiam accivere ſemel & iterum Romani Pontifices, ut afflictis Eccleſiæ rebus prudentia & auctoritate ſua conſuleret. Primæ ejus Romanæ profectionis hæc fuit cauſa. Cum Berengario Imperatore mortuo, Hugo Theobaldi Arelatenſis Comitis filius, ſumma rerum in Italia potiretur; Marozia, infamis Vvidonis Tuſciæ Comitis relicta, quæ una cum Alberico filio manus in Joannem Pontificem injecerat, Romamque redegerat in ſuam poteſtatem; ipſum Hugonem miſſis nuntiis invitavit ad conjugium ſuum & urbis imperium capeſſendum: oblatam conditionem arripit Hugo, nuptiiſque contractis, urbis Romæ dominium obtinet. Interim cum ante epulum Albericus matris hortatu aquam ad abluendas Hugoni manus præberet non admodum ſcite, Hugo correctionis cauſa eum in faciem cecidit. Qua re offenſus Albericus Romanos ad defectionem impulit, atque Hugonem ex Urbe fugere coegit. Eo fuga elapſo Albericus Conſulari poteſtate civitatem adminiſtravit cum matre ſua Marozia, & veterem Urbis diſciplinam ſimul cum Conſulum nomine & officio redintegravit. Acta hæc ſunt ſub annum* 929. *ponti-*

AN.CHR. 942 18. Nov. *tificatu Joannis X. Leonis VI. ac Stephani VII. quibus anno* 931. *ſucceſſit Joannes XI. Maroziæ ex Sergii ſtupro filius, Alberici frater. Talia pati coacta eſt ſancta Dei Romana eccleſia, ſed a Marozia ipſa ejuſque filio Alberico.* Anno 933. *Miſſi Remenſis eccleſiæ Roma reverſi*, nuntiant Joannem Papam, filium Mariæ, quæ & Marocia dicitur, *inquit Frodoardus*, ſub cuſtodia detineri a fratre ſuo, nomine Alberico, qui matrem quoque ſuam Marociam clauſam ſervabat, & Romam contra Hugonem Regem tenebat. *Paullo poſt*, Hugo Rex Italiæ Romam obſidet. *Et anno* 936. Joanne Papa fratre Alberici defuncto, Leo quidam Dei ſervus Romæ Papa conſtituitur, *nempe Leo VII. Frodoardus mox ſubdit.* Hugo Italiæ Rex Romam niſus capere, afflicto ſuo exercitu fame & equorum interitu, pacta tandem pace cum Albrico, dans ei filiam ſuam conjugem, ab obſidione deſiſtit. *Nunc videndum eſt, quo primum anno Romam Odo a Pontifice arceſſitus ſit.*

37. *Id factum anno* 936. *Baronius cenſet, quo anno Hugo Rex filiam ſuam (quam Aldam vocat Liutprandus Diaconus Ticinenſis, ejus temporis ſcriptor) Alberico in matrimonium dedit, ſicque a Romæ impugnatione deſtitit. Et recte quidem Baronius: nam in procinctu Romani itineris Odo Adbegrinum inviſit, & ex revelatione ſancti Martini ab eo didicit Ludovici Tranſmarini unctionem, quæ anno* 936. *facta eſt. Id vero itineris Odo ſuſcepit duplicem ob cauſam. Prima, ut cum Alberico Principe reconciliaret Hugonem Regem, apud quem magnam ipſe gratiam obtinebat, ut patet ex tribus privilegiis, quæ Hugo in Odonis gratiam a Romanis Pontificibus impetravit, nempe a Joanne XI. Leone VI. & Leone VII. Altera*, ut monaſterium intra eccleſiam beati Pauli Apoſtoli, ut olim fuerat, reædificaret, cogente Domno Papa, & univerſis ordinibus ſacræ ſedis, *apud Joannem in lib.* 1. *num.* 27. *ubi de unctione Ludovici Tranſmarini agitur. Tunc ſancti Martini vitam Romæ ad S. Paulum correxit, & gloſſulis illuſtravit, ex lib.* 2. *num.* 22. *Ad id tempus referre licet id quod in lib.* 2. *num.* 9. *Joannes ſcribit in hunc modum.* Tempore præterito dum Romuleam urbem ob inimicitiam Alberici jam fati Principis prædictus Hugo Rex obſideret; cœpit ille intra extraque diſcurrere, & pacis concordiæque monita inter utroſque diſſeminare, quatinus poſſet furorem prædicti Regis ſedare, & prædictam urbem tueri a tanta obſidione. Interea quadam die dum juxta monaſterium beati Andreæ Apoſtoli iret, quod ad clivum Scauri dicitur ex nomine, quidam ruſticus voluit eum propter laguunculam aquæ occidere. *Ruſticum Albericus, niſi ab Odone prohibitus fuiſſet, morte punire voluit. Tanta erat non ſolum Hugonis, ſed etiam Alberici in Odonem veneratio. Aliud Alberici in Odonem benevolentiæ argumentum fuit, quod Suppentonienſe ſancti Eliæ monaſterium ei reformandum commiſit, teſte Joanne in lib.* 3. *num.* 7.

38. *Altera Odonis Romana profectio, non anno* 938. *ſed ſequente contigit, ut diſerte tradit Joannes initio libri* 1. *his verbis.* Anno itaque dominicæ Incarnationis nongenteſimo triceſimo nono, & ejus ætatis ſexageſimo, in monaſtica religione triceſimo anno, Romam veniens, me miſerum terrenis irretitum nexibus reperit, miſeranſque ſuo rete piſcatus eſt: atque cœnobium ſancti Petri Ticini poſitus uſque perduxit. Parvo ibi tempore ab Hugone detentus, prædicto viro Domno Hildebranno regularibus diſciplinis me tradidit educandum. *Non ergo Joannes Odonis ſocius fuit (ut Baronio viſum eſt) in prima profectione. Subdit Joannes:* Non poſt multo Romam veniens, me infelicem dignatus eſt ſibi ſocium ſumere; & quem Canonicum parentibus abiens rapuit, rediens poſtmodum Monachum reduxit. *Ex quibus Joannem Roma oriundum, ibidemque Canonicum fuiſſe intelligitur. Hæc reverſio Romam facta eſt ſuperſtite Leone Papa, ac proinde ipſo anno* 939. *aut ſaltem ineunte ſequenti, neſcio an priuſquam Odo in Franciam remeaſſet. Hanc temporis rationem firmat Joannes in lib.* 2. *num.* 7. Sub idem tempus Italiam miſſi ſumus a Leone ſummo Pontifice, ut pacis legatione fungeremur

Digitized by Google

mur inter Hugonem Longobardorum Regem, & Albericum Romanæ urbis Principem, *&c. Huc revocanda ſunt quæ Joannes commemorat in lib.* 1. *num.* 22. Ante hoc triennium dum eſſemus apud beatum Paulum Romæ, *&c. (Scribebat autem Joannes ſtatim poſt mortem Odonis, quæ ſub finem anni* 942. *contigit) & quæ refert in lib.* 1. *num.* 16. *Forſan eo tempore in Garganum montem peregrinatus eſt, qua de re in lib.* 2. *num.* 15. *Denique anno* 942. *Odo Romam tertio vocatus eſt a Stephano Papa IX. ut ſcilicet Hugonem Regem cum eodem Alberico reconciliaret. Frodoardus ad hunc annum.* Domnus Odo Abbas pro pace agenda inter Hugonem Regem Italiæ, & Albericum Romanum Patricium apud eumdem Regem laborabat. *In his pro Eccleſia ſuſceptis laboribus conſenuit defecitque vir ſanctus; & Romæ contracto morbo, vitæ a Deo inducias, donec Turonos ad ſancti Martini reverſus eſſet, impetravit, ut ex Joanne mox dicemus. Si anno* 939. *in Franciam non revenit Odo, Gerardus Regienſis Epiſcopus, de quo in vitæ lib.* 2. *num.* 6. *ipſi ſocius fuit in ſecunda: ſin contra in tertia peregrinatione: nam Joannem cum eis fuiſſe probant hæc verba.* Illo enim tempore, quo cum Geraldo Regienſis eccleſiæ Epiſcopo Cotias tranſivimus alpes, & Romam venimus, *&c. Sed qui quartum Odonis iter Romam ante poſtremum ſtatuerit, forſan a vero non aberrabit. Quippe præter tria hæc, quæ mox commemoravimus, Eccleſiæ cauſa ſuſcepta: aliud indicat Joannes in lib. num.* 18. orationis gratia. *At de his ſatis.* AN.CHR. 942 18. Nov.

VIII. Odonis morbus, mors, ſepultura, reliquiæ, & cultus.

39. CUM *mortem imminere intelligeret vir ſanctus, identidem præteritas delictorum labes animo revocabat, maxime eas, quibus in Abbatem privatus peccaverat, ita Joannem aliquando allocutus in lib.* 3. *num.* 6. Cariſſime fili, auſculta quæ dico tibi. Gratias ago Deo, quia ex omnibus peccatis quæ a juventute perpetravi, in hac vita jam ultionem recepi, exceptis illis quæ in Abbatem meum commiſi: & ſemper diem illum & tempus exſpectavi, deprecans Deum, ut ea non reſervaret mihi in futurum. *Hæc paullo ante poſtremam Romanam peregrinationem, quæ accidit anno* 942. *Ante vero quam itineri ſe committeret, Aimardum Abbatem in locum ſuum videtur ſubſtituiſſe, ut infra in Aimardi Elogio dicturi ſumus.*

40. *Per id tempus* acuta & continua febre *correptus, etſi ad cæleſtem vitam anhelaret, magno tamen deſiderio affectus eſt reviſendi tumulum ſancti Martini, ut illic ſpiritum ageret, ubi primos piæ vitæ annos hauſerat. Et re quidem vera id cælitus obtinuit optimi Patroni meritis, quem ſemper tantopere coluerat. Convaluit, rediit, optatæ ejus ſollemnitati* 4. *Idus Novembris interfuit: ſed quarta intra Octavam die*, rediviva febre *denuo* accenditur, *donec tandem vir beatus* divina illa & ſalutari pinguedine recreatus, & vivificanti poculo, *id eſt Viatico*, vegetatus, Martino duce *in cælum migrat* quarta-decima die ante Decembrem. *Hæc pluribus Joannes in fine lib.* 3.

41. *Quædam ſingularia ſuperaddit Nalgodus, nempe Odonem Fratres convocaſſe, Monaſteria ſibi commiſſa diſpoſuiſſe, Cluniacenſe commiſiſſe Deo*: capellam ſolummodo ſuam, *hoc eſt ſupellectilem ſacram, ad Miſſæ celebrationem retinuiſſe; cetera Cluniacum retranſmiſiſſe. Hæ forſan auctoris conjecturæ. Certius eſt quod ſubdit ſepultum fuiſſe Odonem Turonis* in eccleſia beati Juliani, quam ipſe a fundamentis conſtruxerat, *id eſt reſtituerat, ſumptus ſuppeditante Teotolone Archiepiſcopo, ut ſuperius dictum eſt. Hic loquendi modus familiaris apud auctores, aliique ſimiles. Sed audiendus inſuper Necrologus cœnobii ſancti* Juliani. Poſtquam reverendiſſimus vir Odo multa Monaſteria conſtruxerat, plurima correxerat, multos mundi ludicra ſpernere docuerat, ac utilia Eccleſiæ ſcripſerat, hymnos & antiphonas in beati

Digitized by Google

AN.CHR. 942 18. Nov. beati Martini laudem comte compoſuerat; jam ſilicernus, jam longæ ætatis ſenio feſſus, tamquam præſcius ſuæ vocationis, optaverat, ut ſarcina depoſita carnis glebam ſui corporis juxta corpus peculiaris ſui Patroni, domini ſcilicet Martini, ſi poſſet, tumulari; ad proprium cœnobium ſuum Turones redire diſpoſuit. Interea adveniente beati ſollemnitate Martini venerabilis Pater cum ſuis Monachis ad Matutinorum ſollemnia proceſſit multo ante lucem... Octavo incommodi die ſentiens ſibi horam imminere extremam, circumſtantibus cunctis Fratribus, Viatico corporis & ſanguinis Domini ſe fideliter muniri curavit: deinde in eccleſiam ſancti Albini, quæ proxima erat, ſe deferri juſſit, luminibuſque piis ac manibus in cælum intentis, Chriſto animam reddidit. *Supereſt ad hoc uſque tempus iſtud ſancti Albini Oratorium intra clauſtra prædicti cœnobii*. Obiit 14. Kal. Decembris: ſepultus eſt autem a ſæpe dicto Theotelone Pontifice in crypta ſancti Juliani, ſub altare ipſius Martyris, ad dextram partem. *Hæc ex Martyrologio loci renovato ad formam veteris anno* 969. *menſe Julio*, *Paulo II. Pontifice*, *Ludovico XI. Rege*, *Elia Archiepiſcopo: qui characteres ſunt reformati Martyrologii*.

42. *Annum quo mors Odonis accidit*, *Nalgodus ſignat* 945. *quem ejus ordinationis annum* 18. *numerat*. *Verum præferenda eſt Frodoardi*, *ſcriptoris æqualis*, *auctoritas*, *qui Odonem biennio ante deceſſiſſe affirmat his verbis*, *quæ in Chronico ſub finem anni* 942. *leguntur*. Domnus Odo venerabilis Abbas, multorum reſtaurator Monaſteriorum, ſanctæque Regulæ reparator, Turonis obiit, & ſepultus eſt apud ſanctum Julianum. *Nihil luculentius afferri poteſt tum ad mortis annum*, *tum ad ſepulturæ locum deſigendum*. *Et ſane hic annus conſequitur ex calculo Joannis*, *qui ſe non per integrum biennium Odoni convixiſſe teſtatur in lib.* 3. *num.* 5. Infelix ego, *ait*, qui nec duobus expletis annis illi merui famulari. *Ei vero adhæſit ſub initia anni* 940. *ex dictis in capite ſuperiori*. *Eumdem annum aſſignat Hugo Abbas Flaviniacenſis in Chronico*. Hoc anno Domnus Odo venerabilis, multorum Monaſteriorum reſtaurator, cum multum laboraſſet in reſtauranda pace inter Hugonem Regem Italiæ & Albericum Romanorum Patricium, obiit Turonis. *At corrigendum id quod ſequitur*: ſepultuſque eſt ad ſanctum Martinum, *quæ etiam lectio adhibetur ad oram Chronici Frodoardi in textu paullo ſuperius relato*. *At vitioſam hanc eſſe lectionem conſtat ex eodem Chronico ad annum* 945. *quo anno Teotilo Turonenſis Archiepiſcopus obiiſſe*, *atque* in monaſterio ſancti Juliani, quod idem vir ſanctus ſumma inſtituerat religione, juxta ſepulcrum Domni Odonis humatus *perhibetur*; & exinde ipſum templum divinis illuſtrari miraculis declaratur. *Corrigendus itaque prædictus Hugo Flaviniacenſis*: *corrigendus item Petrus Equilinus*, *qui Odonem* Cluniaci *ſepultum affirmat*. *Recte omnino Anonymus apud Cheſnium in tomo* 3. *pag.* 341. Eodem etiam anno, *nempe Ludovici Regis* VII. requievit in pace Domnus Odo, Abbas multorum monaſteriorum religioſus & prudens, litteratus & eloquens; & ſepultus eſt Turonis apud ſanctum Julianum. *Locum ſepulturæ recte notat Chronicon Malleacenſe*, *male obitus annum* 938. *His omnibus accedit Chronicon Dolenſe apud Labbeum in tomo* 1. *Bibliothecæ novæ pag.* 315. Anno 942. obiit ſanctus Odo ſecundus Abbas Dolenſis. *Itaque anno* 942. *ad ſuperos migravit Odo*, *annos natus quatuor & ſexaginta*, *regiminis Cluniacenſis anno quinto-decimo*.

43. *Ejus reliquiæ in ſancti Juliani eccleſia ſervatæ ſunt ſaltem uſque ad ſæculum* 15. *Ejus rei primum argumentum ſumi poteſt ex litteris ſocietatis*, *Cluniacum inter & ſancti Iuliani cœnobium initæ anno* 1117. *menſe Octobri*: *quo tempore* Domnus Pontius Abbas Cluniaci orationis gratia Turonis ad ſanctum Martinum honorifice venit, & ad nos (*ſic Monachi ſancti Iuliani in litteris loquuntur*) pro amore beati Odonis patroni noſtri ſuique devotiſſime divertit, & ad corpus ejus vigilia ſancti Dionyſii cum noſtris ſuiſque Monachis Miſſam de ipſo beatiſſimo Odone celebravit. Deinde aſſumpto ſecum Bernardo

Digitized by Google

do Craſſo Priore ſuo, aliiſque Fratribus, in Capitulum noſtrum venit, *&c. Longe poſt id tempus, id eſt anno* 1407. *Joannes Turonenſis Archiepiſcopus, a Roberto ſancti Juliani Abbate invitatus, reliquias ſacras in novas thecas tranſtulit, coram Maria Francorum Regina, & Magdalena ejus filia, Ioanne Duce Borbonenſi, Iacobo Marchiæ Comite, aliiſque clariſſimis perſonis: quas inter reliquias in quarta capſa* corpus ſancti Odonis Abbatis *continebatur, ut teſtantur ſollemnes ea de re litteræ, quæ ſic habent.* AN.CHR. 942 18. Nov.

JOannes miſeratione divina Turonenſis Archiepiſcopus, univerſis præſentes litteras inſpecturis ſalutem in Domino ſempiternam. Quicquid laudis vel honoris impendimus Sanctis Dei, id eidem exhibemus, teſte Propheta, jubente Dominum in ſanctis ejus collaudari. Perpendente itaque bonæ memoriæ defuncto fratre Guillelmo quondam Abbate monaſterii ſancti Juliani Turonenſis, Ordinis ſancti Benedicti, quod quamvis eccleſia dicti monaſterii plurimorum corporibus ſanctorum, reliquiis & præſentia decorata exſiſteret, quorum atque aliorum glorioſorum Sanctorum, qui in hac noſtra civitate requieſcunt, ſuffragiis & precibus, nedum monaſterium ipſum, verum etiam tota civitas proſperis viguit ſucceſſibus: ipſa tamen corpora & reliquiæ minus reverenter erant recondita, & eis debitus honor non exhibebatur. Devota igitur motus affectione Abbas prælibatus fecit dum vivebat fabricare quinque capſas ligneas, argento & auro a parte interiori decoratas, ſperans hujuſmodi reliquias & corpora in eaſdem facere collocari. Morte tamen, ſicut Domino placuit, præventus, nequivit per ſeipſum propoſitum negotium peragere. Deſideriis autem ejus adhærentes venerabiles & religioſi fratres Robertus modernus Abbas, totuſque conventus dicti monaſterii, illaque perficere peroptantes, nobis devote ſupplicarunt, quatenus reliquias & corpora præparata in locis ad id, ut prædicitur, conſtructis reponere dignaremur. Notum igitur facimus, quod nos pia vota quondam fratris Guillelmi Abbatis memorati, dictorum venerabilium Abbatis & conventus modernorum, ad gloriam & magnificentiam omnipotentis Dei ſummis affectibus amplectentes, die datæ præſentium, in conſpectu Chriſtianiſſimæ dominæ dominæ Mariæ Francorum Reginæ illuſtriſſimæ, & dominæ Magdalenæ filiæ ejus inclitæ, ac generoſorum Principum dominorum Joannis Ducis Borbonii, & Jacobi Comitis Marchiæ, aliorumque plurimorum Baronum, Militum, & nobilium perſonarum, necnon venerabilium & circumſpectorum virorum infraſcriptorum, ipſa corpora & reliquias a veteribus ſarcophagis in novas capſas, per nos prius ſecundum ritum Eccleſiæ ſanctificatas & benedictas, propriis manibus tranſtulimus & recondimus ſecundum ordinem ſequentem: videlicet in prima capſa verſus dormitorium ſæpedicti monaſterii corpus ſancti Pauli Epiſcopi Leonenſis; in ſecunda capſa corpus ſancti Antonii Abbatis dicti monaſterii ſancti Juliani Turonenſis; in tertia autem & media & majori capſa partes corporum ſancti Pantaleonis & ſanctæ Columbæ, una cum pluribus aliis reliquiis, quorum nomina apud nos incognita exſiſtunt. In quarta capſa corpus ſancti Odonis, primo Abbatis Cluniacenſis, & deinde dicti monaſterii ſancti Juliani. In quinta & ultima capſa corpus ſancti Lauri Abbatis. Quibus translationibus ſic factis capſas ipſas cum oſtiis ſeu clauſuris argenteis & auratis a foris clauſimus, & noſtra benedictione de divina miſericordia confiſi munivimus, ſtatuentes, & dictis religioſis ſuiſque ſucceſſoribus injungentes, prout per præſentes ſtatuimus & injungimus, ut de cetero annis ſingulis hunc translationis diem feſtive celebrent, ac divinis ſervitiis debitis & oportunis ſolemnizent. In quorum omnium & ſingulorum fidem, & teſtimonium præmiſſorum binas noſtras litteras exinde fieri, & per Notarios infraſcriptos ſignari, noſtrique ſigilli fecimus appenſione communiri: quarum unam in majore capſa prædicta incluſimus, & aliam præfatis Abbati & conventui in theſauro eccleſiæ reponendam conceſſimus. Datum in monaſterio prædicto die viceſima ſecunda menſis

Digitized by Google

AN.CHR. 942 18. Nov. ſis Januarii, anno Domini milleſimo quadringenteſimo ſeptimo, præſentibus & nobis aſſiſtentibus venerabilibus patribus fratribus Guidone Majoris-monaſterii prope Turones, Roberto ſancti Juliani prædicti, & Petro de Cormeriaco noſtræ diœceſis dicti Ordinis Abbatibus; ac circumſpectis viris dominis Joanne Campidenario, Decretorum Doctore, Præceptore Generali ſancti Antonii de Thuin in Almania, & oratore Illuſtriſſimi Principis Domini Ducis Auſtriæ, Guillermo Le Picart Theſaurario, Joanne Preſelli Archidiacono Transligerenſi, Joanne Nuloti Archidiacono Turonenſi, Nicolao Perturelli Officiali, Victore Hugneti, Guillermo Joubert Canonico eccleſiæ noſtræ Turonenſis, nec non Jacobo de Cormeray Priore clauſtrali & Infirmario, Joanne Præpoſiti Eleemoſynario, Philippo Præpoſiti Camerario, Joanne Charretier Sacriſta, Guillermo Du Vieu Hoſtellarico, Joanne Guibert Cantore, Guidone Auger ſuccentore, Guillermo Boutet de Bovo, & Michaele Belloneau de Guerchia, Jacobo Auderon de Caſtro Reginaldi, Petro Audebert ſancti Antonii, Joanne Selion de Bueil, Roberto Helonis de Ambillo Prioribus, Guillermo de Linaye, Joanne Faſeu, Petro Joulain Diacono, Petro Sourdeau, Joanne Lenfant, Aimerico de Mondanier, Joanne de Fonte, Joanne Budet, Andrea de Francia & Joanne de Turre, Religioſis dicti monaſterii ſancti Juliani, cum pluribus aliis. Sic ſignatum Thouar & Magiſtri.

44. *Ab eo tempore nulla de reliquiis S. Odonis mentio relicta eſt in monumentis cœnobii ſancti Iuliani : ubi tamen os tibiæ ejus aſſervatur. Fortaſſe inde aſportatæ ſunt in Inſulam-Iordani prope Toloſam (cujus loci Canonici eas ſe habere gloriantur) ingruente hæreticorum tempeſtate, qui Turonicæ civitatis ſacras exuvias profano incendio diſſiparunt, non parcentes ſancti Martini reliquiis, quas orbis univerſus ſemper in honore habuerat. Neque inſuper habendum eſt, quod de corpore ſancti Lauri Abbatis, cujus ſupra meminimus, in præmiſſo inſtrumento legitur, cum nulla ejus mentio facta ſit in Martyrologio Gallicano. Feſtum ejus apud ſanctum Iulianum nuper agebatur die prima Octobris : modo in ſequentem remiſſum eſt ob feſtum duplex S. Remigii. S. Pauli Epiſcopi Leonenſis corpus Floriacenſes noſtri ſibi vindicant auctoritate Aimoini, qui illud a Mabbone Epiſcopo in Floriacenſe cœnobium fuiſſe translatum aſſerit in lib. 2. de miraculis S. Benedicti cap. 2.*

45. *Redeo ad ſanctum Odonem, cujus cultus apud Cluniacenſes receptus eſt jam inde ab obitu ipſius, & quidem 13. Kal. Decembris, propter Octavam ſancti Martini, in quam incidit ejus mortis dies. Ob eam (ut puto) rationem ea die memoratur in Martyrologiis Brivatenſi mſ. & quibuſdam aliis. Apud Udalricum in lib. 1. Conſuetudinum Cluniacenſium cap. 2. ubi diverſæ per annum ſollemnitates recenſentur,* depoſitio ſancti Odonis *numeratur inter eas, quæ* in albis *coluntur. Honorifica ejus memoria habetur in Martyrologiis, Romano, Benedictino, & (ut alia omittam) in Gallicano, in quo ter de eo agitur, nempe 12. & 13. Kal. Decemb. & in Supplemento 14. eaſdem Kalendas :* Apud Inſulam Jordanis prope Toloſam, veneratio ſacratiſſimi corporis ſancti Odonis Abbatis Cluniacenſis, eo ex gremio eccleſiæ S. Iuliani Turonenſis, ubi ſolutus nexibus mortalis vitæ ſepulturam primum receperat, translati. *Denique Odonem ut* ſanctum *Bernardus in Apologia ad Guillelmum Abbatem, & ante eum Gregorius VII. in Concilio Romano, omnes ante ſe Cluniacenſes Abbates* ſanctos *agnoſcit. De S. Odone Sermo habetur inter additamenta Bibliothecæ Cluniacenſis, in ejus Natali legendus, qui nihil aliud eſt quam Sermo S. Maximi de B. Euſebio Epiſcopo Vercellenſi. Denique S. Odonem* miraculis vivere *teſtatur Petrus Equilinus.*

IX. Odonis ſcripta & ſcite dicta de moribus ſæculi ſui.

46. S*ED tempus eſt, ut ceteris omiſſis ad ipſius Odonis opera convertamur, quorum alia Canonicus, alia Monachus, alia ſcripſit Abbas. Et qui-*

quidem Canonicus Gregorii M. Moralia in compendium redegit, de quo ſupra in capite 2. atque hymnos de S. Martino & antiphonas compoſuit, ex Joanne in lib. 1. *num.* 10. *Jam Monachus tres libellos* ex Jeremiæ vaticinio *de Sacerdotio condidit, eoſque Turpioni Lemovicenſi Epiſcopo nuncupavit, apud Joannem in lib.* 1. *num.* 37. *Hos libros* Occupationum *ejus nomine quidam afficiunt, editi* Collationes *appellant. Abbas denique alia elucubravit, ſcilicet libros quatuor de vita S. Geraldi Comitis Auriliacenſis, Aimoni Abbati cœnobii S. Martialis Lemovicenſis (ut fert loci Chronicon) inſcriptos. Aimonem Tutelenſem Abbatem vocat Chronicon Auriliacenſe. Forſan utrique loco præfuit. Scripſit Odo Abbas libellum de reverſione corporis S. Martini e Burgundia, rogatu Fulconis Boni Comitis Andegavenſis; breve ſcriptum* de eo quod Martinus par dicatur Apoſtolis, *varioſque ſermones, quorum in editis quartus & ultimus eſt de combuſtione baſilicæ B. Martini. Sermonem de S. Benedicto, in ejus translatione Floriaci habitum, laudat Chronographus anonymus apud Cheſnium in to.* 3. *p.* 341. *Hæc omnia leguntur in Bibliotheca Cluniacenſi cum hymnis de ſanctiſſimo Sacramento, & de Maria Magdalena.* AN.CHR 942 18. Nov.

47 *Præter editos, Vitam S. Martini correxit Romæ apud S. Paulum, eamque gloſſulis explanavit, teſte Joanne in lib.* 2. *num.* 22. *Idem auctor in lib.* 3. *num.* 11. *mentionem facit libri de adventu S. Benedicti in pagum Aurelianenſem, quem librum excidiſſe dolemus. Libellus de vita Gregorii Turonenſis Epiſcopi, qualis apud Surium editus eſt,* Odoni Abbati *tribuitur in nonnullis codicibus mſſ. Hæc vita ſic inſcribitur in codice S. Sergii Andegavenſis.* Prologus in vitam ſancti Gregorii. Omnium quidem ſanctorum, *&c. & poſt prologum,* Incipit Vita S. Gregorii Epiſcopi Turonenſis ab Odone edita. Gregorius Celtico Galliarum tractu, *&c. Ut hunc libellum Odoni noſtro tribuam, facit & Turonum civitas, & S. Juliani monaſterium, quod Gregorio multum debuit, atque Odonem Abbatem habuit. In membraneo codice Carmelitarum Excalceatorum apud Pariſios, qui codex olim fuit* S. Juliani Turonenſis cœnobii, *prolixum habetur opus metricum ſub hoc titulo* : Incipit occupatio Domni Odonis Abbatis : *incipiens ab his verſibus :*

Frater amande nimis, te pius implet amor, gaudeo;
Juſtitiæque ſitis, pectoris eſt quod honor, eſt decus.
Cor gemis eſſe fluens, quæris & unde tamen de tuo.
Inde poema voles, forte quod hoc religet, ne fluat.

Conſtat quatuor libris, quorum primus eſt de opificio Dei : ſecundus de creatione hominis : tertius de ejuſdem caſu, & corruptione humanæ naturæ lapſæ : quartus de Patribus veteris teſtamenti uſque ad Chriſtum reparatorem. In fine, Explicit occupatio Domni Odonis Abbatis. *Videtur eſſe ſancti Odonis, tum propter Monaſterium S. Juliani, ex quo acceptus codex, ubi Odo Abbas fuit : tum propter codicis ſcripturam, quæ Odonis ætatem ſapit : tum propter titulum : nam ejus Collationes in codice Silviniacenſi inſcribuntur,* Occupationes ſancti Odonis. *In illis nihil hiſtoricum : ſatis apte de gratia. Baronius, aut certe concinnator Indicis Annalium tomi* 10. *Odoni noſtro adſcribit librum de vita S. Mauri Abbatis, quem Odonis Abbatis Foſſatenſis eſſe conſtat. Eidem etiam falſo tribuuntur Chronica quædam, quorum auctor eſt* Thomas Luochenſis, qui breves Chronicas nomine Odonis Abbatis intitulavit, *ut ex ipſius Thomæ ore didicit ſcriptor hiſtoriæ Conſulum Andegavenſium, in tomo* 10. *Spicilegii pag.* 400. *Odonem porro in componendo eccleſiaſtico cantu peritum fuiſſe docet inter alios Sigebertus in lib. de Scriptoribus cap.* 124. Odo Muſicus, ex Archicantore Turonenſi Monachus & primus Abbas Cluniacenſis, in homiliis ſcribendis & declamandis, & maxime in componendis Sanctorum cantibus, elegans ingenium habuit. *Ejus videtur eſſe cantus de S. Martino.*

48. *In opuſculis ſuis Odo, maxime vero in Collationibus, quædam præſtringit obſervatione digna. Chriſtianorum prolapſos mores luget variis in locis. In lib.* 2. *cap.* 17. Dicimus ergo quod poſſumus, ut nos de pravorum per-

ver-

Digitized by Google

AN.CHR. 942 18. Nov. verſitate ſaltem aliquid dolere monſtremus. An non merito dolendum eſt quod Chriſtianitas, quæ quanto provectior eſt, tanto magis roborari debuit; ſic econtra ab ſtatu rectitudinis incurvatur, ut ejus religio cuncta defeciſſe videatur? Omnes enim feſtini & præcipites ad malum currimus, *&c. & in lib.* 1. *cap.* 41. Sciendum ſane, quia ſicut noſtris temporibus omnia pæne ſuum ordinem perdiderunt, plerique prodigas rerum ſuarum expenſas charitatem nominant: cum res ad inanem gloriam profuſe diſpenſæ, comeſtio vel effuſio magis dicendæ ſint, quam charitas, *&c. tum in lib.* 2. *cap.* 37. Lugendum eſt ei præſentis vitæ tempus, in quo ſunt ita omnia confuſa, ut veritatis quidem nec veſtigium uſquam videas, nequitiæ vero atque luxuriæ cuncta eſſe repleta proſpicias, nec aliquid juſte recteque ſervari. Humiles & invalidos atque pauperiores videas a ſuperbis & potentibus divitibuſque comprimi, affligi, atque injuſte lædi: honeſtum vero quemquam & quietum multis læſionibus perturbari: econtra unumquemque peſſimum potentia cumulari, terribilem fieri, & tumido ſucceſſu in malis augeri: quibus nec judicum metus, nec reverentia ſacræ auctoritatis prævalere poteſt, nec eorum perniciem ullatenus cohibere. Sed quid de judicibus dicimus? Nam & ipſi qui ad hæc reprimenda conſtituti fuerant, graviores tempeſtates & pernicioſiores in miſeros exercent. Hæc autem iniqua atque injuſta inæqualitas non ſolum in urbibus, ſed in agris; & non ſolum in terra, ſed & in mari committitur & exercetur. *Subdit in cap.* 41. Quod autem inter omnia mala gravius nocet, ita peſſimus peccandi uſus jam conſuetudine roboratus eſt, ut pæne nullus juſto judicio peccatum diſcernere queat: ſed ſicut Aaron filiis Iſrael Deos quærentibus non reſtitit, ſic omnes aut iniqui ſunt, aut iniquitati cedunt. *Lege & quæ ſequuntur in fine iſtius capitis, & libri* 3. *caput* 28. *Tria vero ſæculi ſui vitia maxime carpit, malitiam, quæ ad violentos pertinet; ſuperbiam, & luxuriam: quæ vitia in libris primo & ſecundo exagitat.*

Euchariſtiæ indigna perceptio. 49. *Quartum addit in lib.* 2. *cap.* 28. Et de hoc quidem quod vel per hæc tria vitia, vel per cetera quæ enumerare pudet, a Chriſto apoſtatare videntur, valde dolendum eſt: ſed multo plus de hoc quod illud ſacroſanctum myſterium, Dominici videlicet corporis, temerare præſumunt. Hoc enim beneficium majus eſt inter omnia bona, quæ hominibus conceſſa ſunt; & hoc eſt quod Deus majori charitate mortalibus indulſit: quia in hoc myſterio ſalus mundi tota conſiſtit. Et certe dum indigne tractatur, per hoc maxime divina quotidie majeſtas injuriatur. De hoc ergo dolendum eſt, de hoc omnimodis ingemiſcendum: ut ſi emendare non poſſumus, vel dolendi affectum nobis ineſſe reclamando monſtremus, ne forte vox Chriſti nos arguat dicens: *Suſtinui qui ſimul contriſtaretur, & non fuit*. Quod denique myſterium primordiis Eccleſiæ non tam frequenter, ut nunc, celebratur: tamen quanto rarius, tanto religioſius agebatur. *Hæc vir piiſſimus: qui duo facta refert inſignia, quorum primum eſt de reliquiis ſanctæ Walburgis ſeu Gualburgis, miraculis celebris: cujus reliquiæ cum in altari poſitæ fuiſſent, ceſſavere miracula. Stupentibus peregrinis, cuidam ex infirmis virgo apparens*: Idcirco, inquit, non ſanamini, quia reliquiæ meæ ſunt ſuper altare Domini, ubi majeſtas divini myſterii debet ſolummodo celebrari. Quod cum ille cuſtodibus referret, tulerunt capſam, & protinus miracula fieri cœperunt. Si ergo, *addit Odo*, ob illius myſterii reverentiam nec ipſa pignora ſancti volunt propius vicinari; quid cenſendum eſt de immunditiis?

Miſſa pro latrone improbata. 50. *Aliud factum eſt de quodam latrone in ipſa ſceleris occaſione interfecto, cujus corpus cum ad eccleſiam delatum eſſet, Sacerdos pro eo Miſſam celebrare cœpit*. Cum ergo ad verba conſecrationis Dominica venire deberet, terribilis ſonitus in tecto eccleſiæ percrebuit, & altare, ſicut huc uſque patet, uſque ad radicem ſciſſum eſt: ſicque Sacerdos cum omnibus ingenti

Digitized by Google

ti pavore perculſus fugit, & pro apoſtata ſacrificare ceſſavit. Hoc contra eos dictum ſit, *inquit vir ſanctus*, qui pro ſceleratis ob gratiam eorum ſe oraturos pollicentur. *Id notaſſe videtur Odo ad convellendam eorum opinionem, qui dicebant, Auguſtini forſan teſtimonio non ſane intellecto adducti, damnatis Miſſæ ſacrificium prodeſſe, vel ut a pœnis omnino liberentur, vel ut tolerabilius damnentur. Ejus opinionis locus eſt apud Adrevaldum in libro de miraculis ſancti Benedicti cap.* 21. *ubi ait, Floriacenſes pro animabus prædonum in acie cæſorum preces ad Dominum fudiſſe* : quatenus etſi perpetuis non mererentur abſolvi cruciatibus, ſaltem minoribus multarentur a ſtricto Judice pœnis. *Exſtat in codice Gellonenſi pervetuſto* Miſſa pro cujus anima dubitatur, *in qua hæc oratio*. Omnipotens & miſericors Deus, qui habes poteſtatem mortificare, & iterum vivificare; deducere ad inferos, & reducere; & vocas ea quæ non ſunt, tamquam ea quæ ſunt; cujus poteſtas in cælo & in terra, in mari & in inferis plena aſſiſtit: te humiles trementeſque deprecamur pro anima famuli tui, quam traxiſti de præſenti ſæculo abſque pænitentiæ ſpatio, ut ſi forſitan ob gravitatem criminum non meretur ſurgere ad gloriam, per hæc ſacra oblationis libamina vel tolerabilia fiant ipſa tormenta. *Hæc aliaque ex tomo* 10. *fragmentorum noſtri Claudii Stephanotii. In paralipomenis de ſancto Pachomio, quæ in tomo* 3. *Maji apud Bollandianos pag.* 336. *habentur, ita orationes pro damnatis interdicuntur, ut tamen ea pœna ad eorum refrigerium prodeſſe putetur. Defuncti Monachi corpus efferebatur abſente Pachomio, qui obviam pompæ factus, pſalmos cantari vetuit. Et ad defuncti parentes inter alia* : Si enim, *inquit*, cum pſalmorum cantu ei parentare volueritis, plures defunctum & graviores cruciatus excipient... Eam ob rem rogo vos, ut ſi cruciatus defuncti cupitis reddere leviores, ſine pſalmis eum ſepulturæ mandetis. Poſſet enim Deus, cum bonus ſit & miſericors, ob hanc ei factam ignominiam requiem aliquam ei præbere, & in eam quæ ſuperne datur vitam revocare. *Hæc poſtrema verba expungit Papebrochius, (tametſi leguntur in græco) ne cuiquam offendiculo ſint. Ex ſimili perſuaſione Trajani fabula promanavit, de qua vide Hepidannum in Actis ſanctæ Vviboradæ recluſæ. At etiam ſi iſtud membrum extremum reſecemus, manet tamen eam quorumdam fuiſſe perſuaſionem, an errorem, damnatis quoquo tandem modo pœnas æternas poſſe fieri leviores. Verum quidquid ſit de illa opinione, quam communis hodie Theologorum conſenſus explodit, certum eſt recte improbatam eorum audaciam, qui pro quibuslibet indiſcriminatim, etiam in ferventi criminis actu mortuis, ſacroſancto Miſſæ ſacrificio parentare non verentur, quod damnavit Concilium Valentinum ſecundum canone* 12. *contra duelliſtas. Id de quibuſvis etiam damnatis ſtatuit Auguſtinus in lib.* 21. *de civitate Dei c.*24. Eadem itaque cauſa eſt, cur non oretur tunc pro hominibus æterno igni puniendis, quæ cauſa eſt, ut neque nunc, neque tunc oretur pro Angelis malis: quæ itidem cauſa eſt, ut quamvis pro hominibus nunc vivis oretur, etiam malis: tamen jam nec nunc oretur pro infidelibus impiiſque defunctis. *Quod autem inferius exponens eorum ſententiam, qui Dei miſerationes* uſque ad illa impiorum tormenta protendunt; *id ita permittit, non confirmat, ut impii pœnas* mitiores, quam merita ſunt eorum, levioreſque patiantur, *non tamen habita ſuffragiorum, ſed miſericordiæ Dei ratione. Neque vero idem ſanctus Doctor in Enchiridii cap.* 110. *ſacrificia ſentit prodeſſe damnatis ad pœnam æternam, ſed ad temporariam.* Eſt enim quidam vivendi modus, nec tam bonus, ut non requirat iſta poſt mortem: nec tam malus, ut ei non proſint iſta poſt mortem. *Ad ordinem revertor.*

An preces proſint damnatis.

51. *Monachis etiam Odo congrua dat monita, condignamque cenſuram adhibet, præſertim contra proprietarios, carnium comedones, religioſi habitus atque Regulæ prævaricatores, quos* apoſtatas *vocat, adducto Gregorii teſti-*

Monachorum vitia.

Digitized by Google

AN.CHR 942 18. Nov. *monio ex homilia nona in Ezechielem*. Quia ſicut apoſtata eſt qui de Fide recedit a Deo : ita qui ad perverſum opus poſt profeſſam religionem redit, ab omnipotente Deo apoſtata abſque ulla dubitatione deputatur, etiamſi fidem tenere videatur. An non eſt apoſtaſia, *ſubdit Odo*, de habitu vel victu traditiones Patrum contemnere, cum Deus terminos Patrum tranſgredi interdixerit : deſpectaque victus qualitate vel quantitate per beatum Benedictum præfixa, ſanguineas dapes cum filiis Iſrael deſiderare? An non eſt apoſtaſia humilem veſtitum ſpernere, & decorem veſtimenti quærere? & an ventrem colere non eſt apoſtaſia, cum flens Paulus proteſtetur, quod ligurgitones inimici ſanctæ crucis ſunt, & ventrem pro Deo habeant? Nobis inquam hæc apoſtaſiæ verba conveniunt : quandoquidem religionis habitum, per tot retro annorum curricula retentum, laſcivientes quique inter nos & petulantes in hac noſtra ætate mutare auſi ſunt. *Hæc ille in lib. 3. cap. 17. Vide lib. 2. cap. 7. & ejuſdem lib. 3. cap. 22. Ad hæc inter proprietarios deputat*, qui de propriis ciſtellis ſumptuoſum ad myſteria peragenda producunt apparatum, quem contra conſuetudinem ſanctionemque ſanctorum Patrum de iniquo mammona acquirunt, & quaſi ad ornatum eccleſiæ relicturi, ſecuri poſſident, *in lib. 2. cap. 34. Et proprietariorum objectis reſpondens in cap. 36.* Si ob negligentiam, *inquit*, Præpoſitorum ſolummodo, & non magis ob cupidinem ſuam propria haberent, non alios cibos, non alias veſtes, quam regulariter conſtitutas præſumerent.

52. *Hæc ſufficiant ad demonſtrandum ſancti Viri ſtudium in rem Chriſtianam & monaſticam : quæ increpationes utinam noſtro etiam tempori non convenirent, in quo (ut de nonnullis Monachis loquar) regularibus inſtitutis, quæ ſancti Patres tanta religione ſanxerunt & obſervarunt, tam modica religio impenditur.*

X. Odonis præcipui quidam diſcipuli.

53. AD *abſolvendum Odonis elogium neceſſaria eſt notitia ejus diſcipulorum, ex quibus maxime pendet magiſtri exiſtimatio. Sed illud hac in re incommodi eſt, quod vetera hac de re monumenta nos deficiunt; & ſi Joannes quoſdam nobis Odonis diſcipulos exhibet, nuda fere eorum nomina litteris conſignavit. Hos inter commemorandi veniunt* ARNULFUS, *&* LANDRICUS, *ex quibus multa de Odone ſe accepiſſe Joannes refert in præfatione ſua : quorum alterum magiſtrum ac præceptorem ſuum, alterum confratrem vocat. His ſubjungitur* Domnus HILDEBRANNUS *ſeu* Hildebrandus, vir *(ut idem ait)* veridicus, & Cluniaci cœnobii præpoſitus, in regularibuſque diſciplinis *ejus* præceptor, *qui in compluribus inſtrumentis Odone Abbate conditis laudatur, & Cancellarii vice ſubſcripſit præmiſſo diplomati Adelaidis Comitiſſæ. Idem Cluniaci Prior erat anno 17. Ludovici Tranſmarini, ex charta centeſima ſub Aimardo Abbate. Alius ejuſdem nominis Prior Cluniaci exſtitit ſæculo 11. is qui poſtea in ſedem Romanam aſſumptus, Gregorii VII. nomen tulit. Præter illos Joannes in ſecundo libro nominat* PETRUM *Preſbyterum*, BALDUINUM *Abbatem Caſinenſem & ſancti Pauli*, FIRMUM *ejus germanum*, *Domnum* GOTHEFREDUM; *&* duos venerabiles viros ex eadem congregatione, quorum unus ARCHEMBALDUS vocabatur, *ipſius Joanni* bene notus : alter vero ignotus *dictus* ADALASIUS, viri nempe, *inquit*, opinatiſſimi, *qui multorum Monachorum* Patres nunc ſunt effecti. *Archembaldus* Clunienſis cœnobii Prælatus, *id eſt Præpoſitus, laudatur in charta Bernonis Matiſcenſis Epiſcopi, data anno 10. Rodulfi Regis; idemque videtur, qui Odoni ſuffectus eſt in regimen cœnobii Floriacenſis, de quo Aimoinus in libr. 1. de miraculis ſancti Benedicti num. 13.* VULFALDUS *ejus*

Hildebrandus.

Archembaldus.

ejus ſucceſſor, cujus mentio apud Joannem in libro tertio, alibi a nobis laudandus in Actis ſancti Abbonis Abbatis. His etiam adnumerari poteſt ALIGERNUS, *ex Præpoſito S. Pauli ad urbem Abbas Caſinenſis, de quo hic ad annum* 986. AN.CHR. 942 18. Nov.

54. ADALASIUS, *mox a Joanne memoratus, indubie is eſt* Adacius, *cui ſub Odone coabbati Sarlatenſis ac Tutelenſis monaſteriorum regimen commiſſum eſt, ut ſuperius diximus in cap.* 5. *Eidem (ut puto) Adacio Bernardus Comes*, aſſentientibus Beata ejus uxore, & filiis Guillermo, Gausberto, ſeu Arnaldo & Bernardo pariter faventibus, monaſterium ſanctæ Suris, vocabulo Geridia, cum omni Abbatia *tradit*, & Monachis, quibus regulariter vivere inibi ſub ejuſdem poteſtate placuerit, ut tam cænobium, quam omnem Abbatiam teneant & poſſideant ſine ulla contradictione; & poſt obitum domni Adacii Abbatis, qualem voluerint ſecundum Regulam ſancti Benedicti Abbatem ſibi eligant, *ita ut* ſint ipſi Monachi in ſubjectione Regis ad locum ſalvum faciendum, non etiam ad aliquid perſolvendum. *Omnes vero ad hujus facti exſecutionem obteſtatur per omnia ſacra*, & per meritum beatæ Suris, cujus corpus in præfato loco requieſcit. *Charta hæc deſtituta eſt chronicis notis in chartario cœnobii de Regula apud Novempopulanos, ex quo eruta eſt a noſtro Stephanotio.* Adalaſius.

55. *His omnibus Odonis diſcipulis Joannes accenſet etiam* ADOLFUM, THEODARDUM, & ELIZIARDUM *ex-Comite Monachum. Forſan ex Bernonis diſcipulis erat* ARIBERTUS *ille de quo hæc narrat Odo ipſe in lib.* 2. *de vita ſancti Geraldi cap.* 19. Quadam vice cum illud iter, *nempe Romanum*, excurreret, quemdam Monachum, nomine Aribertum, ducebat ſecum, magnæ ſcilicet abſtinentiæ virum . . . Factum eſt aliquando ut deeſſet pulmentarium, quo abſtemius ille cum pane veſceretur. Senior vero ſtudioſe requirit, an conſuetum illi cibum miniſtri paraviſſent. Reſpondentibus illis, quod nihil præter panem haberent; anxiabatur ille dicens: O quid nobis hodie contigit! Nos omnes plenam refectionem habemus, & iſte Dei ſervus in attenuatione erit. Erat autem dies abſtinentiæ ſolutus. Tempus abluendi manus jam venerat, & Samuel qui hoc præſens narrat, ad afferendam aquam cucurrit: cum forte reperit piſciculum in litore expoſitum & palpitantem, qui ipſo vidente de aqua exſilierat. *Gratias Deo egit Geraldus*: tum vero conſedentibus ad menſam comedit ille abſtemius uſque ſatis *de piſce parato, partem reliquam Geraldus manducavit*, & omnibus qui aderant particulas pro benedictione dedit. *Ubi obiter adverte, pulmentarii nomine etiam ferculum ex piſce ſignificari. Hæc de Ariberto, atque de Odonis elogio ſatis: jam vitam ejus ex Joanne primum, deinde ex Nalgodo audiamus.* Aribertus.

Digitized by Google

AN. CHR. 942. 18. Nov.

VITA S. ODONIS ABBATIS CLUNIACENSIS SECUNDI TRIBUS LIBRIS SCRIPTA

a JOANNE Monacho ejus diſcipulo.

Ex mſ. cod. Compendienſi, & Bibliotheca Cluniacenſi.

PROLOGUS AUCTORIS.

Joannes operis hortatores memorat.

1. DOminis & in Chriſto fratribus Salernicenſibus ſervus Chriſti Jeſu frater *a* Joannes. Librum quem doctiſſimus vir Palladius de vita & virtutibus beatorum Eremitarum Patrum temporibus Theodoſii Imperatoris compoſuit, ſemel a vobis coactus ſcribere *b* non grave pertuli: ſed mox ſubnixo corpore, flexiſque articulis ſcribere curavi, veſtræ utilitati commodius nihil me agere aliquid fore cenſui. Igitur cœpti operis dum anhelanter ad finem vellem percurrere, ſtomachico cœpi dolore affligi vehementer. Interea contigit die quadam mecum adeſſe virum venerabilem Domnum Adhelradum confratrem noſtrum, unaque cum eo ſacri Salernitani palatii exactorem *c* Joannem, qui infirmitatis meæ tolerantiam providentes, cœperunt mihi ſanctiſſimi patris noſtri Domni Odonis piam & venerabilem eximiamque inſerere memoriam, ſcientes præ omnibus ſemper mihi pium eſſe atque dulce, vel aliis aliquid de eo narrare, vel meæ utilitati quiddam conferre. Aſt ego non immemor illius quod ſcriptum eſt, *Sapientiam ſanctorum narrant populi, & laudem eorum nuntiat eccleſia*; aſſumpto ſermone ejus illis, ut percunctati ſunt, cœpi originem exponere. Quo audito indiderunt mihi, ſi eum (ut tunc profitebar) diligerem; prolata verbis ſine dilatione, ut bonæ hereditatis commoda poſteris tranſſcripta dimitterem. Iraque corde volutans horum virorum vehementer præcepta amantium *, prius (ut moris eſt Monachorum) conticui ad modicum, veritus, ne temerario ore tanti viri vitam potius narrando dehoneſtarem, quam digne deſcriberem; & quod nec grammaticæ artis locutio mea decoraret verba, neque dignus videbar hujus ſanctiſſimi viri narrare vitam, etiam ſi loquendi adeſſet facultas.

* al. amans

2. Aſſumpto itaque opere, cum medullatis lacrymis Virginis Creatorem & Filium invocare cœpi, ejuſque comparem ſanctum Spiritum tributorem linguarum, diſtributoremque ſermonum, qui aperit os mutorum, & diſertas facit linguas infantium: ut qui me dudum voluit frigeſcere ſæculo, & in amorem tanti Patris eſſe accenſum; omni deſtitutum litterarum auxilio facundum eſſe ſuo concedat afflatu. Quapropter, dilectiſſimi, quia veſtra exhortatione compulſus tantum opus audacter ſumpſi; ut ad finem uſque perducam, veſtris orationibus me adjuvare dignemini. Sed ſi quis forte hæc legerit, vel alio legente audierit, obſecro ne horreſcat, aut irrideat, vel ficta temerario ore dicere præſumat, & quaſi derelicto a Deo mundo hactenus talem Ec-

a Sic Fratris nomen aſſumebant non ſolum Monachi, ſed etiam Abbates, cum de ſe ipſi loquebantur, ut S. Benedictus infra in lib. 3. num. 8. *Ego ſum ſcias frater Benedictus*, &c. itidemque apud Adrevaldum. Sic de ſe perpetuo in epiſtolis loquuntur Petrus Venerabilis, S. Bernardus, aliique, immo aliquando Epiſcopi ex monachis.

b Vides ut non ſolum indocti rudeſque litterarum, ſed etiam litterati ſcribendis codicibus operam dabant. Alia paſſim exempla obvia ſunt apud veteres, Hieronymi, Bedæ, Rabani, & aliorum.

c Exactor ſacri palatii forſan is erat, qui publicæ pecuniæ præfectus. Paullo aliter Anſegiſus Abbas ſub Eginhardo *regalium operum exactor* dicitur in Chronico Fontanellenſi. Ex hoc etiam loco patet, *ſacri palatii* nomen audiiſſe ante Fredericum Ænobarbum: quod jam antea demonſtravimus contra Conringium in lib. 2. de re diplomatica, cap. 11. num. 13.

Digitized by Google

AN. CHR. 942. 18. Nov.

Eccleſia non valeat edere virum, cui dudum inquiens promiſit Chriſtus: *Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi*. Ego tamen Jeſum teſtor, quia multa de eo mihi præter hæc quæ narro, magiſter meus Arnulfus jurejurando ſolitus erat recitare, quibus ſe teſtatus eſt interfuiſſe: ſimiliter Hucbertus *a*, Tiberinæ * eccleſiæ Epiſcopus, atque unus ex noſtris fratribus, nomine Landricus: e quibus minime ſcribere curavi, & non ob aliud, niſi quia dum inhianter ejus non obſequebantur viam, eorum nolui ſumere teſtimonia: quæ videlicet ſi vellem deſcribere, ſufficere arbitror poſſe in laudem cujuslibet antiqui Patris & apoſtolici viri. Ea nimirum ſcribere bene complacuit, quæ quaſi de alio narrante ex ejus ore ſumpſi, & meæ memoriæ commendavi. Deinde quæ Domnus Hildebrandus, vir nempe veridicus & Cluniaci cœnobii præpoſitus, in regularibuſque diſciplinis præceptor meus, mihi & multis aliis eſt profeſſus. Interim deprecor, o chariſſimi, ut a me progenitorum ſuorum, ceterorumque Gallorum, cum quibus ipſe adolevit, nomina non requiratis, quos neque vidi, neque facultas videndi aliquando ſe mihi præbuit: quia regularibus diſciplinis tunc eram artatus, ſaltem nec licuit percunctare, præcipueque cum me tellus Italica edidit, & intra ſæpta eccleſiæ nutrivit.

Teſtes profert. — * *al. Tiburtinæ.* — *Viſa & audita narrat.* — *Multorum nomina cur ſilet.*

LIBER PRIMUS.

3. ODO igitur, vir beatiſſimus, ex Francorum proſapia *b* exſtitit oriundus, ſed intra domum Guillelmi robuſtiſſimi Ducis Aquitaniæ eſt alitus. Nono-decimo ætatis ſuæ anno apud beatum Martinum Turonis eſt tonſus, ibique grammaticæ artis liberalibus ſtudiis educatus. Deinde apud Pariſium dialectica muſicaque a Remigio doctiſſimo viro eſt inſtructus, & triceſimo ortus ſui anno Burgundiam petiit, ibique per quindecim annos ſub Bernone Abbate monaſticam vitam duxit. Poſtmodum vero Abbas ordinatus, Franciarum, Aquitaniarum, Heſperiarumve partium, atque urbis Romanæ conſiſtentium cœnobiorum effectus dux & pater dulciſſimus.

Odonis ſumma vitæ.

4. Anno itaque dominicæ Incarnationis nongenteſimo *c* triceſimo nono, & ejus ætatis ſexageſimo, in monaſtica religione triceſimo anno Romam veniens, me miſerum terrenis irretitum nexibus reperit, miſeranſque ſuo rete piſcatus eſt, atque cœnobium ſancti Petri Ticini poſitus uſque perduxit. Parvo ibi tempore ab Hugone Rege detentus, prædicto viro Domno Hildebranno regularibus diſciplinis me tradidit educandum. Non poſt multo Romam veniens, me infelicem dignatus eſt ſibi ſocium ſumere; & quem Canonicum parentibus abiens rapuit, rediens poſtmodum Monachum reduxit. Illis præterea diebus dum iter carperemus, ſimul loquelis alternantibus, poſtpoſito pudore, & veluti monaſtico procul poſito tramite, audacter erupi in vocem, atque ſui ortus & habitus vitam converſationemve non veritus ſum ab eo diligenter inquirere, pariterque ut mihi dignaretur exponere proclivius cœpi rogare. Ille quippe, uti ſemper ſolitus erat, paululum conticuit: deinde terſo faciei rubore, atque ab intimo corde ſuſpiria trahens, ſuam mihi originem cœpit exponere: ſed tamen illius verba lacrymis & gemitibus erant plena.

Auctoris fortuna.

„ 5. Pater, inquit, meus Abbo eſt vocatus, ſed alterius moris eſſe videbatur & actibus, quam nunc homines præſentis temporis eſſe videntur. Veterum namque hiſtorias, Juſtiniani Novellam memoriter retinebat. In ſuo nempe convivio evangelicus ſemper reſonabat ſermo. Verum ſi quando lis quoquo modo inter partes fuiſſet orta, tanta in eum cenſuræ excreverat veritas, ut undique omnes ad eum ob diffiniendi proficiſcerentur.

Odo Joanni narrat patris ſui religionem, & vitæ ſuæ primordia.

a Hic deeſt in ſerie Epiſcoporum Tiburtinorum apud Ughellum in Italiæ tomo 1. col. 216 *.

b Auctor alter, *ex militari Francorum proſapia. Pater ejus Abbo nomine*: Joannes idem infra. Matris nomen uterque ſilet. Natus eſt porro Odo anno 879. vel inſequente, ex ſequente num. 4.

c Ita in mſ. codice Silviniacenſi, in aliis quotquot vidi omnibus mendoſe, *octingenteſimo*.

AN CHR. 942 18. Nov. „ tur gratiam : qua de cauſa omnibus charus erat, præcipueque apud Guillelmum *a* robuſtiſſimum Comitem, qui eo tempore Aquitaniam, Gutiamque * ſuo jure tenebat. Multo quidem aſſueverat ſanctorum pervigil celebrare vigilias. Noctem vero illam, qua Angelis & hominibus pax eſt reddita, & Chriſtus Dominus mundum viſitans a virginali utero eſt egreſſus, tamquam ſponſus de thalamo ſummo, in ſilentio cum lacrymis & orationibus tranſigebat. Dum ergo has excubias diligenter celebraret, menti ſuæ ſuggeſtum eſt, ut Domino peteret ob Virginis partum condonari ſibi filium, talique inſtantia precum maternum denuo jam emortuum meruit ſuſcitare uterum. Sæpius enim retulit pater meus, nonnullis talem fuiſſe ordinem meæ nativitatis.

*al. Gothiam

„ 6. Per illud namque infantiæ meæ tempus contigit illum ingredi ſæpta cubiculi, meque ibi ſuper cunabulum ſine cuſtode reperit : huc illucque circumſpiciens, cum neminem videret, ſuis me manibus elevavit, & corde ſurſum reſpiciens; Suſcipe, ait, gemma Sacerdotum Martine, hunc puerum : deponenſque me ſuper eumdem quo elevavit ſtratulum, abiens receſſit: ſed quod geſſerat nemini prodere voluit.

„ 7. Poſt hæc ablactatum cuidam ſuo Presbytero, remotiori manenti loco, me tradidit educandum, & litterarum ſtudiis imbuendum. Fatebatur poſtmodum ipſe Presbyter, quod his diebus talem vidiſſet viſionem. Videbam, & ecce eccleſiarum principes cœperunt mihi puerum petere etiam exacte. Cumque ſciſcitarer quid de eo fieri vellent, an ad domum patris reducere : non ita ſe inquiunt veniſſe, ſed ut in Orientis partibus eum ducerent. At vero Presbyter cum eum dimittere nollet, & eis reſiſtere nequiret, & quid amplius ageret neſcirent; terra proſtratus convertit ſe ad preces, deprecans, ut prius in eum ultionem plecterent *, quam puerum tollerent. Nunc vindictam patris ſe dicebat perpeti, nunc ſe a parentibus dicebat vocandum proditorem pueri. Ad hæc ferebatur reſpondiſſe unus eorum : Ne forte vindicet ſe pater pueri in Presbyterum, dimittamus eum uſque ad tempus. Hanc revelationem ipſe Presbyter addiſcens reſtituit me quidem meis parentibus. Hæc omnia quæ a me requiris, o fili, ita ego a meo patre audivi.

*al. exercerent.

„ 8. Factum eſt autem cum adoleviſſem ego, quem modo vetulum intueris ac turpem, ſtrenuum prædicabant & conſpicabilem juvenem: cœpitque pater meus per incrementa temporum me ab eccleſiaſtico ſubtrahere ordine, & militaribus exercitiis applicare : qua de re intra domum Guillelmi me tradidit ſerviturum Comiti. Relictis tandem litterarum ſtudiis, venatorum aucupumque cæpi deſervire officiis. Sed omnipotens Deus qui invitis ſalutem præſtat, & vocat ea quæ non ſunt tamquam ea quæ ſunt, cœpit me in ſomnis terrere, & vitam meam pronam ad malum oſtendere; ſed inſuper totam meam venationem vertebat in fatigationem. Nam quanto amplius me ingerebam hujuſcemodi luſibus, tanto rediebam mœrens ſine omni effectu & fatigatione confoſſus.

„ 9. His vero diebus ſuaſit mihi pater meus celebres habere vigiliarum excubias, quas ipſe celebrare conſueverat. Evolutis autem aliquot annis, Natalis Domini vigilias me celebraturum præparavi : & cum partem noctis duxiſſem pervigilem, ſubito menti meæ complacuit obſecrare pro vita mea Domini JESU Genitricem. Tunc ſiquidem orans cœpi dicere : O Domina, mater miſericordiæ, tu nocte iſta mundo edidiſti Salvatorem; oratrix pro me dignanter exſiſte. Ad tuum glorioſum & ſingularem confugio partum, piiſſima, & tu meis precibus aures tuæ pietatis inclina. Vehementer expaveſco ne vita mea tuo diſpliceat filio : & quia, Domina, per te mundo ſe manifeſtavit; propter te quæſo abſque dilatione miſereatur mei. Inter has preces & matutinas laudes, Miſſarumque ſollemnia „ dies

a Guillelmus is eſt, cognomento Pius, de quo ipſe Odo in lib. 3. de vita S. Geraldi cap. 32. & ſequentibus. Nos de eo ſupra in Elogio ſancti Bernonis.

Digitized by Google

„ dies craſtinus illuxerat : & ecce, ut ſolebat, Canonicorum dealbatus cho- AN.CHR.
„ rus affuit : & dum in laudibus tantæ ſollemnitatis diverſarum fieret mo- 942
„ dulatio vocum, velut impatiens juvenis in medio eorum proſilivi, una cum 18. Nov.
„ ipſis natum Regem mundi laudare cœpi. Scio enim & confiteor me im-
„ probe feciſſe, ſed tamen Davidicum illud corde quod ſcriptum eſt reti-
„ nens, non immerito hoc agere præſumpſi : *Laudate Dominum omnes gentes,*
„ *& collaudate eum omnes populi*. Statim vero capitis me invaſit nimius do-
„ lor, qui paullisper me contrivit & receſſit. Perlecta itaque lectione evan-
„ gelica, denuo me invaſit prædictus dolor capitis, & niſi extenſa brachia
„ ad cancellos applicuiſſem eccleſiæ, mox a ſummo ſtatu velut exanimis rue-
„ rem. In tantum enim excruciabat me dolor ille, ut eo veniente, nec ad
„ momenti ſpatium ulla ſpes vitæ in me remaneret. Sexto inſtante & deci-
„ mo ætatis meæ hoc mihi contigit anno, & tribus annis ſequentibus iſto
„ ſum vomere ſulcatus. Ob hoc & ad parentum reductus ſum domum, &
„ per biennium omne genus curationis adhibuerunt mihi : nam quanto am-
„ pliora & omnigena ſumebam medicamina, totiens eminus ſalutis a me re-
„ media fugiebant. Illis in diebus cum gravi mærore largoque ſuſpirio pater
„ meus prædictus meam hujuſcemodi exponebat fuiſſe nativitatem, addens
„ inſuper : Ecce beate Martine, quod grate obtuli exacte requiris. Vere
„ ut decet exaudibilis es in voto, ſed carus in negotio. Deſperato tandem
„ ſalutis remedio, unum fore putavi ſolatium, ſi anhelanter confugerem ad
„ eum : nempe ut cui traditus fui neſciens, depoſita capitis coma denuo illi
„ ſervirem, ſciens quod ita factum eſt. Ecce habes, o fili, ortum meæ na-
„ tivitatis, atque exordium converſationis : animadverte quia nihil boni egi
„ mea ſponte. Tu tamen de meis parvis moribus, ut dignum videris, judi-
„ ca, dum tamen miſericordiam ſuper me reſpicientem inceſſanter benedicen-
„ do prædices atque glorifices.

10. Nam tantam poſtmodum devotionem in beato Martino viſus eſt habere, ut præ ceteris ſanctis eum diligeret, ſuæque protectioni ſemetipſum quotidie commendaret, illum nempe ubicumque adeſſet corde retentans, ore prædicans, operibus ſequens. Ecce enim ſunt evoluti haud pluſquam ſex anni, dum ante ejus corpus vigiliarum excubias diverſus ordo Eccleſiæ celebraret, contigit ut ipſe ibidem intereſſet. Verum quia ejuſdem officii antiphonæ, ut omnibus patet, breves ſunt, & ejus temporis longiores noctes; volentes officium ad lucem uſque protendere, unamquamque antiphonam per ſingulos pſalmorum verſus repetendo canebant. Fiebat namque eis labor improbus. Denique venientes ad eum, quaſi uno ore dicentes deprecabantur : Diu namque eſt quod tuum adventum præſtolavimus, Pater, quatinus nos a tanto labore ſublevares. Nunc vero quia preſto es, alias nobis antiphonas de vita beati Martini domini tui precamur inſtitue, quarum prolixitas digne a nobis harum breviſſimarum faſtidium tollat. Ille vero cœpit dicere, non ſolum has ſe facere non poſſe, verum etiam diſcendi ſibi tempus ætas omne denegaret, ſi a quovis factæ fuiſſent; cœpitque inter hæc earum brevitatem laudare, & earum quas petebant prolixitatem in nauſeam habere. At illi e contra inferebant, ſi aliter faceret, Martinum offenderet; addentes quod talis excuſatio palliatam ſuperbiam ſignificaret. His verbis precibuſque mixtis pater noſter Odo convictus, mox ſuper tanti officium laboris anniſu incubuit. Tres vero hymnos [a] in ejus laude compoſuit, e quibus unius tantum exemplar inſerere huic operi adjudicavi. *Rex Chriſte Martini decus; Hic laus tua tu illius : Tu nos in hunc te colere, Quin ipſum in te tribue*. Similiter duodecim antiphonas ternas per ſingulas habentes differentias, quarum verba & vocum conſonantia adeo ſibi invicem concordant, ut nihil in ſenſum plus minuſve, nihil in ſymphoniæ modulationibus reperiri dulcius poſſe videatur. Retinentur hactenus Bene-

OdoS.Martino devotus, ejus hymnos componit.

[a] De his vide Udalricum in lib. 1. Conſuetudinum Cluniacenſium cap. 23. & Ditmarum in Chronico pag. 107.

AN.CHR. 942 18. Nov. venti. Numquam mane, numquam veſpere ejus memoria labebatur a ſuo pectore atque ore, illum corde retinens quem promebat ore. *O Martine, o pie, quam pium eſt gaudere de te, o Martine*, & cetera. Sed interim quia congrue locus ſe præbuit deſcriptæ narrationis, auxiliante Domino, cum ejus vitam pleniter exponere cœpero, tunc quæ per eum beatus Martinus operari voluit enarrabo. Nunc interim revertamur ad ea unde digreſſi ſumus.

Anno 19. ætatis clericus, 11. Igitur vir beatiſſimus Odo nono-decimo ætatis ſuæ anno confugiens apud beatum Martinum, clericatus ſuſcepit officium. Quænam ibi confluxerit turba magnatorum, & quanto cum apparatu; ne ſequenti paupertati, qua poſtmodum contentus fuit, injuriam facere videar, malo ſilere, quam promere. Inter hos vero affuit Comes Fulco, qui eum nutrierat: cui mox cellam juxta beati Martini tribuit eccleſiam, & quotidianum victum ex eadem canonica acquiſivit, eique conceſſit. Sed paupertatis amator vir beatiſſimus, contempta mundi gloria, ſoli Deo placere curabat. Diebus itaque continuatis lectioni inſudabat, & noctibus orationi vacabat, ſciens eſſe ſcriptum: *Qui ignorat, ignorabitur*. (1. Cor. 14.)

Virgilio deditus terretur. 12. His præterea diebus nauta noſter peritiſſimus, qui nos ſuo ductu docuit tranſmeare gurgites iſtius mundi, immenſum Priſciani tranſiit tranſnatando pelagus. Nam Virgilii cum voluiſſet legere carmina, oſtenſum fuit ei per viſum vas quoddam, deforis quidem pulcherrimum, intus vero plenum ſerpentibus, a quibus ſe ſubito circumvallari conſpicit, nec tamen morderi: & evigilans ſerpentes doctrinam poetarum, vas in quo latitabant, librum Virgilii; viam vero per quam incedebat valde ſitiens, Chriſtum intellexit.

Litteris ſacris dat operam. 13. Interea quanta in eum cœpit poſtmodum emanare virtus patientiæ, ſuccincte deſcribam. Deinde relictis carminibus poetarum, alti edoctus ſpiritu conſilii, ad Evangeliorum Prophetarumque expoſitores ſe totum convertit. Cœperunt interea rabido latratu omnes pæne Canonici furere contra eum. Quid agere velis? inquiunt: cur invadere quæris opus alienum? hoc opus pretii perdidiſti cum flore juventutis. Parce tibi, & relictis hiis inextricabiliter connexis litteris, ad pſalmos abi. Sed idem ſpiritus qui eum pridem docuerat a bonis ſilere, tunc docebat eum a malis conticeſcere. Ille vero curvato capite & obturatis auribus, defixiſque in terram adſpectibus, illud in corde verſabat Davidicum: *Dixi cuſtodiam vias meas ut non delinquam in lingua mea. Poſui ori meo cuſtodiam*. (Pſal. 38.) Nec tamen erat immemor dominici promiſſi: *In patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras*. (Luc. 21.) Quæ vero reſtant de ejus patientia, auxiliante Domino in ſequentibus deſcribam.

Virtutibus clarus. 14. Nunc tranſcurram ocius ad contemptus rerum. Laudent ergo qui volunt expulſores dæmonum, curatores cadaverum, ceteroſque infamatos viros virtutibus. Ego inter omnes exiguus, Odonis mei primam patientiæ laudabo virtutem, deinde contemptum rerum, poſt hæc animarum lucrum, reſtaurationem cœnobiorum, veſtimentum cibumque Monachorum, pacem eccleſiarum, concordiam Regum & principum, cuſtodiam viarum omnium, inſtantiam mandatorum, perſeverantiam vigiliarum & orationum, reſpectus pauperum, correptionem juvenum, honorem ſenum, emendationem morum, amorem virginum, conſolationem continentium, miſericordiam miſerorum, intemeratam obſervantiam regularum, ad poſtremum ſpecimen omnium virtutum. Conferebat in parvo locello tunc bonus Jeſus ex diverſis nemoribus Monachorum paradiſum, ex cujus irrigaret corda fidelium. Contentus denique parvula cellula, ſublatuſque ab oculis omnium, ſoli Deo placere feſtinabat. Diſtractis pauperibus univerſis quæ ad uſum temporalem ſecum attulerat, ſecundum evangelicum præceptum de craſtino nihil cogitabat. Noctu vero ab adſpectibus ſe privabat hominum, & ad ſepulcrum beati Martini orationis gratia ſolus ibat, quod videlicet ab eadem

S. Martini tumulum noctu viſitat,

eadem cellula duobus ferme millibus diſtabat: non collegæ fultus latere, non bacilli corroboratus munimine, ſed duas ſolum tabellas manu bajulans, ſcribendi officio aptiſſimas, fabrili opere ita connexas, ut poſſent patefieri, non tamen disjungi, quibus ſcholaſtici dextro femore ſolent uti. Sed bonorum hoſtis tales ei terrores inferre cœpit. Ex lateribus namque viæ undique egrediebantur vulpes, quæ prius terga illius perſequentes obſervabant, deinde in ejus faciem ſe objiciebant. Sed cum ardentiſſimum a recto & propoſito itinere vidiſſent ſe declinare non poſſe; gannitum dantes, & hianti ore ſuper eum irruentes, minitabantur ſtrangulare. At ille nec aufugit, nec deſtitit: ſed complicatis cruribus & contracto rigido collo, humeris ſe tantum & brachiis tuebatur. Tradens denique eorum dentibus totum corpus, gulæ ſolum cavebat letalem morſum: & ecce repente rapidiſſimo curſu intervenit lupus, eumque ab eorum liberavit incurſionibus, & deinceps illi comes eſt effectus atque domeſticus. Sed ne cui honeſtum vel grave eſſe videatur, legat vitam beati Pauli a beato Hieronymo deſcriptam; & ibi reperiet ejuſdem viri ſepulcrum a leonibus fuiſſe præparatum. Et ſi illi hoc unum exemplum nec ſic ſatisfacere videtur, tranſeat ad beati Ammonis vitam, & ejus reperiet cellulam ob prædones fuiſſe a duobus draconibus cuſtoditam. Deinde revertamur ad eumdem prædictum Hieronymum, & tranſeat ad noſtrum Florentium Nurſinum, cujus vitam in dialogo ſuo beatus expoſuit Papa Gregorius: ibi reperies Hieronymum meruiſſe leonem [a] habere cuſtodem aſinorum, & Florentium ferocem urſum ob cuſtodiam pecorum. Agebat autem extunc ſecurior iter ſuum, & ſemper bone Jeſu teſtimonia tua corde retinens, tibique reſultans, ore canebat dicens: Vere namque *fidelis es Domine in verbis tuis, & ſanctus in omnibus operibus tuis: Allevas omnes qui ruunt, & erigis omnes eliſos*. Nam verſa vice tuebatur lupus a comeſtione, quod aliquando comedere ſolet; & terrebat vulpes, a quo terreri ſolet. Quæ ergo & tamquam inviſibiliter diabolus contra eum ſampſerint tentamenta, obſecro nullus a me requirat. Ad fidem tamen probandæ rei, quæ potuiſſet per ſuggeſtionem inviſibiliter tolerando ſubſtinere, deſcriptum viſibile bellum ſufficere ad credulitatem poſſe arbitror omnibus legentibus. Nocte vero cum orationis gratia egrederetur a prædicta qua manebat cellula, non claudebat poſt ſe ejuſdem oſtiola: propterea quia nihil perdere metuebat, nempe qui ſuper humum nudam matta ſolum, & quibus induebatur veſtibus contentus erat.

AN.CHR. 942 18. Nov. *tabellas gerens, territus a dæmonibus*

15. Contigit interea dum diverſorum librorum legeret volumina, ad beati Benedicti perveniſſe Regulam: & curſim eam cum vellet tranſire, impegit in eumdem locum, in quo præceptum eſt Monachis, ut dormire debeant veſtiti: nam plene non intelligens eumdem ſenſum, per triennium jacuit veſtitus: & necdum monachus, Monachorum lene ferebat jugum. Iſtius ſancti præcepta curabat obaudire, alterius vitam imitari cupiebat. Jaciebat enim tunc Dominus Jeſus in rudi terra ſimplicia ſemina, ex qua providebat centuplicata recipere frumenta.

S. Benedicti Regulam lectitat. Reg. S. Ben. cap. 22.

16. Sed hoc mirabile eſt, quia candor ipſius corporis non eſt immutatus a nigredine in qua jacebat humi, & virtus ſui animi non fuit extenuata a longa continuatione jejunii. Præteritis namque his duobus annis, cum ſimul loca ſanctorum, quæ ſunt intra & extra urbem Romam orationis cauſa frequentaremus, venerabilem ejus ſexagenariam ſenectutem noſtra non valebat juventus non ſolum præire, verum etiam nec ſequi: ſed cum fatigati ut „ ſibi nobiſque parceret rogaremus dicebat: Certe videtis quia omnem „ virtutem perdidi. Longa enim ſenectus fecit me eſſe ſilicernium. Sunt „ ecce triginta anni, quod talis, qualem nunc me videtis, fui. Ipſe vero gemens ſuam nobis imbecillitatem tali modo pronuntiabat: nos vero

Corpore vegetus.

K iiiij cum

[a] Hinc ſanctus Hieronymus cum leone pingitur. Sed hiſtoria hæc æquivocatione nominis ad Hieronymum tranſlata eſt a Geraſimo Abbate ad Jordanem, de cujus leone aſini cuſtode mira leguntur in Prato ſpirituali cap. 107. Eamdem opinationem ſecutus eſt B. Odilo ſub finem vitæ S. Majoli Abbatis.

Digitized by Google

AN.CHR. 942 18. Nov. cum magno attonitu ejus mirabamur virtutem : & non immerito, ut qui a corruptione non paſſus eſt vinci, a corruptela non debebatur proſterni. Denique parvi pendebat quicquid virtutis in ſe videbat : illud magnopere judicabat, ſi quid in alio videre poterat. Suſtentabatur per idem infantiæ ſuæ tempus media panis libra & fabæ pugillo, atque (quod eſt contra naturam Francorum) perparvo potu. Depoſita itaque omni corruptibili ſarcina, nudo pectore, nuda miles Chriſti præcinctus ferebat arma. Videbatur ab omnibus rudis tirunculus ſenum præire cuneos, & confidens in Chriſto glorioſam de hoſte ſatagebat prædam reducere. Hæc autem omnia apud eccleſiam beati Martini Turonis fiebant. Eſt locus ille omnibus virtutibus fertilis, prodigiis mirabilis, divitiis uber, omnique religione præfulgens. Dignum namque eſt illum eſſe mirabilem, qui tantum meruit habitatorem habere. Non enim Martyr tantum aut Confeſſor opimus, ſed lux ſæculi, & gemma Sacerdotum : ibique Reges properant, diverſarum gentium Principes ibi cum muneribus & votis ſæpius frequentant.

Omnibus dat monita. 17. Contigit interea ut plurimi ex ipſis ad eum introirent viſitandi gratia, cogniti ut notum reviſerent, ignoti ut notum eum ſibi facerent. At ille, velut fons redundans, deſiderantiſſima cunctis præbebat pocula, &, quaſi ex aperta bibliotheca, omnibus congrua miniſtrabat exempla : huic caſtitatem indicens, illi ſobrietatem imponens: hunc contemnere mundum docet, alterum ne alterius res concupiſcat admonet. Unicuique enim quæque erant neceſſaria affluenter miniſtrabat : flebat miſerrimum hunc mundum, & cito cum ſuis eſſe fatebatur amatoribus ruiturum. Admonebat itaque omnes vivere parce, & male concupita non amplecti; ventris penitus refrenare ingluviem, inquiens : *Qui ventrem farcit, venerem nutrit.* Libidinoſis præcipitium opponebat draconis, dicens : *Heu miſeros illos!* quia tertiam partem ſtellarum poſt ſe trahit draco. Ebrioſis & comeſtoribus dicebat: Nabuzardan princeps coquorum deſtruxit muros Jeruſalem. Mollibus & maſculorum concubitoribus opponebat Herodis homicidium, & Scribæ exſilium. Quanto, inquit, melior eſt anima corpore, tanto qui talia agit pejor Herode. Ille corpora interfecit, animas in cœlo miſit : hic corpora a Deo ſeparat, animas æterna morte trucidat. Scriba vero qui probat tirones, captivus ductus eſt in Ægyptum : hic enim poſt mortem ducendus eſt in infernum. Doctor itaque flebat præcipitium, & dicebat : Adſpice, Domine, quia facta eſt deſolata civitas plena divitiis : & rurſum ajebat :
Job. 41. *Væ tibi Behemoth, numquam deſinis, proh nefas. Aurum tibi ſternis ut lutum, & radii ſolis ſub te ſunt.* Hæc illi audientes, alius terrebatur conſcius delicti ſui, alius lætificabatur inſons ab ejus conſolationis verbo: & quaſi ex uno promptuario diverſi diverſos ſumebant cibos. Teſtor Jeſum, quia ex ore hominis numquam audivi tantam dulcedinem ſermonis. Complebatur in eo quod dicit Dominus in Evangelio : *Simile eſt regnum cælorum homini patrifamilias, qui profert de theſauro ſuo nova & vetera.* Itaque omnes divino ſale conditi & cæleſti ferculo ſatiati, gratias agentes ad propria remeabant.

Munera reſpuit. 18. Multa denique illi dona offerebant & munera : ex quibus ille nihil recipere volebat, quippe qui ſua largiſſima diſtribuerat, ignorabat, quo pacto recipere poſſet aliena. Victus aliquando a prædicto ſuo domino, vellet nolletve, centum ab eo miſſos recepit ſolidos. Sed miles Chriſti nec momento paſſus eſt eos apud ſe moram pati, atque, ut prius, mox eos indigentibus erogavit. Cœpit interea alumnus cuneos præire præceptorum, & ſubſequentium fieri exemplum.

Pariſiis ſtudet. 19. His diebus abiit Pariſius, ibique Dialecticam ſancti Auguſtini Deodato filio ſuo miſſam perlegit; & Martianum in liberalibus artibus frequenter lectitavit: præceptorem quippe in his omnibus habuit Remigium [a]: quo peracto Turonicam remeavit.

20. Per

[a] Is erat Remigius Autiſſiodorenſis Monachus, de quo nonnulla jam diximus in Præfatione prima Sæculi quarti, plura de eo alias Deo dante dicturi.

Digitized by Google

20 Per illud namque tempus rogatus eſt a fratribus ſe diligentibus, ut Moralia beati Gregorii Papæ ſub uno eis coartaret volumine. Ille autem profeſſus eſt ſe hæc minime facere poſſe, addens, etiamſi facultas agendi ſibi adeſſet, tamen non debere hæc agere, ne tanti viri laborem, tantique operis pretium aliter immutare, vel aliquid demere videretur. Econtra illi opponebant antea ſuccumbi, quam tanto labore ſuſtineri, & ſatius eſſe judicabant funditus eum deſerere & ad ſcripturas reliquas tranſgredi, quam ſub eo velut ſub gravi mole interire. Quotidie namque apud eos de hac re non parva fiebat altercatio. Ego tamen ſcio ſuper hac re multos indignandos fore, & ad ſedandos eos hanc libuit orationem inſerere. Non enim fiebat iſtud propter arrogantiam, ſed diſponente Domino, ut ſupra montem poneretur lucerna, quæ ſub modio erat occultata. In exemplum tamen ſubjunctæ rei hoc quod diximus manifeſtius apparebit. Illis videlicet perſiſtentibus in hac petitione, factum eſt, ut quadam nocte domnus Odo intra eccleſiam Domni Martini conſuetæ orationi inſiſteret: & ecce ſubito ei ſomnus obrepſit, viditque in eadem viſione ſanctorum chorum venientem deſurſum in eamdem eccleſiam deſcendere. Et prius benedixerunt Dominum; deinde ordinatim in ſubſelliis ſederunt, atque poſt paullulum unus eorum proſiliens in medium dixit: Quidnam eſt quod hoc in loco immoramur? Ceteri vero Gregorium Papam exſpectare ſe inquiunt. Hoc audiens Pater noſter Odo, velut avidus indagator, cœpit huc illucque circumſpicere, quanam ex parte venientem eum poſſet videre. Deinde elevatis oculis ſurſum, quaſi e cælo miſſum videt beatum Gregorium, ſed ultra omnes qui præceſſerant eum, vultu ſpecieque & moribus perſplendidum atque ornatum. Mox veniente illo omnes ſurgunt, & flexis cervicibus benedictionem petunt. Ille vero non inter eos deorſum uſque deſcendit, ſed ſuper ambonem eccleſiæ ſubſtitit, & beatum Odonem terratenus proſtratum vocavit inquiens: Surge, frater Odo, noli timere: qui cum ſurrexiſſet, vidit veluti more ſcriptoris ſuper auriculam ejus hærentem pennam, & quaſi doctoris magiſterio productim acuminatam, & in ſummo fixam. Quam ſumens beatus, eamque illi tradens ait: Age ergo ſecurus, & perfice opus tibi indictum. Quem vero compoſueris librum, non delebitur, meum autem ſtabit in æternum. Et continuo evigilans, intellexit protinus quod viderat. Sumens dehinc volumen illud magnum, diligenter perlegit, & ſaniorem partem quam prævidit, ſub uno volumine compoſuit: & ſic quidem murmurationem compeſcuit.

AN.CHR. 942 18. Nov. Gregorii Moralia contrahit, Viſo ad hoc animatus.

21. Factum eſt poſtmodum, ut præfatus Comes Fulco de theſauris beati Martini, neſcio quo pacto, tulerit duo vaſcula auri: ſed chamo infrenatus avaritiæ, dum ea reddere nollet, gravi plexus eſt ultione. Ad mortem vero uſque perductus, ad beati Martini ſe jubet portari ſepulcrum: ibique quamplurima promittens munera, ſed nec ſic ſanitatis recipiebat munera. Præterea diutiſſime fatigatus adeo uſque eſt defectus, ut mortis exſpectaret exitium. Ad quem cum domnus Odo viſitandi gratia introiſſet, dixit illi: Redde miſer vaſcula beati Martini quæ infeliciter abſtuliſti, & protinus ſalvaberis. Ille autem & illa reddere, & alia ſpopondit conferre, ſi rei dictu fidem probaret. Mox Patris noſtri & obſequentium manibus elevatus, ad corpus beati Martini perductus, terraque proſtratus, nec moram pati potuit ſubſidium ſibi promiſſum: ſed qui venerat manibus, veluti latus vehiculo, recuperatis artubus remeare cœpit ſuis greſſibus. Siquidem ita factum eſt, ut ille correptus de cetero talia non committeret, & quæ promiſerat fideliter adimpleret. Cœpit interea pater Odo eum admonere, ut relicto mundo hoc tantum ſatageret, quemadmodum ſoli Deo placeret. Ille autem reſpondit: Mihi iſta modo ſuadere non potes. Habeo tamen dilectiſſimum militem Adhegrinum nomine, in armis ſtrenuum, & in conſilio providum, qui ſi te audierit, mox tuæ voluntati obaudiens erit: quod ita ſequenti tempore factum eſt. Intra paucos vero dies, omni recuperatus virtute,

Fulconi Comiti ſanitatem obtinet, eum ad contemptum ſæculi hortatur.

Digitized by Google

AN.CHR. 942 18. Nov.

tute, domum ſuam reverſus eſt. Confluentes ad eum undique ejus ſanitati congratulantes, aſſumpto ſermone, quæ & quanta pertuliſſet, illis circumſtantibus cœpit exponere, addens inſuper quam citatam virtutem in verbis domni Odonis comperiſſet.

Adhegrinum ad ſe trahit.

22. Unus autem ex aſſiſtentibus & auditor internus erat prædictus Adhegrinus: qui mox corde compunctus, diſpoſitis omnibus quæ poſſidebat concite rediit ad eum. Depoſita itaque capitis coma & ſæculari militia, extunc Chriſti factus eſt agoniſta. Sumens igitur Pater noſter univerſa quæ ſibi ipſi ad temporalem uſum tulerat, in ſinibus pauperum erogavit, ut pridem de ſuis fecerat. Manſerunt ſimul milites palatini parviſſimo tugurio contenti. Videntes denique mundum in maligno poſitum, & ejus amatores ruinoſam & illecebris plenam tenere viam, quotidie ad monaſtica feſtinabant ſcandere faſtigia. Interea non fuit locus in Franciæ finibus, ubi audierunt affuiſſe monaſterium, in quo aut per ſe non iſſent, aut ſuos perluſtratores non miſiſſent: & non invenientes religionis *a* locum inter eos in quo requieſcere poſſent, ad prædictum tugurium revertebantur cum magno dolore. Ob hanc

Balmam petit Adhegrinus.

cauſam placuit Adhegrino Romam pergere. Arrepto tandem itinere, devenit in finibus Burgundiæ, pervenitque in quamdam villam, quæ Balma dicitur ex nomine. In ea namque erat monaſterium nuper a Bernone Abbate conſtructum: devertitque illuc, & ab eo officioſiſſime ſecundum Regulam beati Benedicti intra domum hoſpitum eſt ſuſceptus: ibique more hoſpitis aliquo tempore commorari voluit, non tamen ut eorum aliquo indigeret, ſed ut mores habitantium locique conſuetudines poſſet cognoſcere. Fuerunt autem inſtitutores ejuſdem loci imitatores cujuſdam patris *b*

Ubi Euticii norma vigebat.

Eutici: cujus vitæ meritum converſationiſve qualis fuerit, huic operi inſerere nolui; obitum vero qualem meruerit, veſtræ memoriæ commendare curavi.

Quis Euticius ille.

23. Fuit iſdem vir temporibus Ludovici magni Imperatoris, carus videlicet Regi, omnibus quia amabilis. Nam cum eſſet laicus, & peregrinis ſtudiis eruditus, deſerens ea unde ſuperbire ſolet humana fragilitas, totum ſe dedit beatorum Patrum regulis & inſtitutionibus: ex quibus nempe auctoritatibus diverſas conſuetudines ſumpſit, unoque volumine colligavit. Deinde non multo poſt monachus eſt effectus: & in tanto amore apud Regem habitus, ut intra palatium illi conſtrueret Monaſterium. Decurſo enim vitæ præſentis ſtadio, circumſtantibus undique fratribus ſubito emiſit ſpiritum. Contigit interea dum diſcipulis pii Patris pararentur exſequiæ, ecce rediit vivus qui fuerat mortuus. Illis vero attonitis & ad-

* al. Euticius

mirantibus dixit pater Euticus *: Deo gratias, ſciatis, quia in his quadraginta annis unum tantum diem non memini me cibum ſumpſiſſe, niſi prius fleviſſem. Hodie namque ſublato mærore conſolatus eſt me Dominus, & inter choros Angelorum tribuit mihi requietionis locum. Dicens hæc quievit perpetue. Ipſe enim pater Euticus inſtitutor fuit harum conſuetudinum, quæ hactenus in noſtris Monaſteriis habentur: quas vir venerabilis Adhe-

Odo eodem ſe recipit, ibique ſcholæ præficitur.

grinus intuens, qnantocius patri noſtro Odoni curavit nuntiare. At ille ſumptis ſecum centum voluminibus librorum, mox ad idem demigravit monaſterium: factus eſt ille qui antea fuerat ſecutor, poſtea ſignanus. Domnus vero Adhegrinus in unam ſe coartavit cellulam: & permittente Abbate Bernone, per triennium manſit in ea. Nam patri Odoni, quia erat vir ſcholaſticus, laborioſum ſcholæ *c* impoſuerunt magiſterium. Erat autem ætate tricenarius.

24. Fateor inquam, putavi vitam ſanctiſſimi patris noſtri ſimpliciter, cur-

---

a Idem accidit Gerardo Comiti Auriliacenſi, qui huc illucque perquiſivit monachos, *qui bene morati eſſent: ſed cum reperiendi raritas difficultatem intuiſſet anxiabatur*, &c. in vitæ in lib. 2. cap. 6 Lege Præfationem hujus tomi.

b Euticum ſeu Euticium hunc non alium eſſe a Benedicto Abbate Anianenſi oſtenſum eſt ad calcem tomi ſuperioris.

c Id eſt curam puerorum, qui ſ*chola* nomine deſignantur. Nalgodum conferas, ſi lubet.

Digitized by Google

curſimque tranſire : ſed noſtrum ingeniolum, veluti repugnator violentus, una cum ejus vita vult enarrare viros, quos intelligit habuiſſe hic ſocios. Quapropter obſecro, ut quemadmodum me non piget ſub tanto deſudare labore, nec vobis videatur ad recipiendum onerosum vel grave. Juſtum namque & bene placitum coram Deo eſſe videtur, ut eorum exempla ad ornatum locutionis cum ſua deſcribantur vita, quos ab hac peregrinatione ſuo felici portu tranſvexit ad patriam. AN.CHR. 942 18. Nov.

25. Venerabilis igitur Adhegrinus, cujus ſuperius memoriam fecimus, ſumpta poſtmodum licentia eremum petiit *a*, ibique parva ſubartatus eſt ſpelunca. Contigit ut die quadam nimiis conſtrictus anguſtiis, cum nullus adeſſet, qui & conſolationis verba, aut alicujus patris conferret exempla, ut ait Sapientia, *Væ ſoli, quia ſi ceciderit, non habet qui porrigat ei manum*; more labentis gurgitis paullo minus ad deſperationem uſque deſcendit : & ecce ſubito adſtitit ei ſplendidiſſimus vir, quem blande quid haberet interrogavit, aut cujus rei cauſa accidiſſet illi, quod quaſi ad præcipitium ſe uſque immergeret. Reſpondit dicens : Ex quo enim tempore Domino inceſſanter cœpi deſervire, nullam conſolationem aliquo modo ab eo merui accipere : qua de re coanguſtor vehementer, quia neſcio ſi mea ſervitus illi placet, an ſi pro tanto labore recipere merebor quandoque mercedem. Mox ſuper collum ejus irruit, eumque oſculans, Crede, inquit, quia de bonis Domini unquam indignus non eris. Et conſolatus eum hiis verbis, abiens receſſit. Adhegrini in eremo vita. Eccl. 4.

26. Alio iterum tempore caſus ſe præbuit, ut extra cellam in quam manebat reciperet eum tentator : moxque in eum irruit, & ſupra immaniſſimæ rupis præcipitium evexit, indeque eum omni cum anniſu præcipitare voluit. Sed quid ageret miles Chriſti, qui recto greſſu illic ſtare nequibat? quomodo reſiſtere poſſet prorſus ignorabat. Verum cum in ſummo mortis articulo eſſet poſitus, ſubito illi affuit beatus Martinus, apprehenſque manum ejus dixit ad eum : Quidnam eſt, & quomodo huc adveniſti? At ille ait: Neſcio Domine. Deinde confortans eum reſtituit in locum ſuum.

27. Ante hoc fere quinquenium dum pater Odo Romam pergeret, ut monaſterium intra eccleſiam beatiſſimi Pauli Apoſtoli, ut olim fuerat, reædificaret, cogente Domno Papa & univerſis ordinibns ſacræ ſedis, placuit animo ſuo prius dictum virum reviſere, eumque de hac re conſulere, ut fieret quod ſcriptum eſt : *Omnia fac cum conſilio, & poſt factum non pænitebis*. Interea factum eſt dum de hac re ſecum quærerent, & multa de ſpiritualibus rebus diu ſermocinarentur ; cœpit eum pater Odo deprecari, ut quicquid ſibi eo tempore divinitus revelatum fuiſſet, familiariter ſibi conferret. Recordatus denique domnus Adhegrinus ſodalitatis antiquæ, & mox inflammatus charitatis igne, reſpondit dicens : Illo die, illa hora, pſalmodiæ peracto curſu ſubito affuit mihi beatus Martinus, cujus præclara facies, & quaſi aſſueta familiaritas poſt benedictionem, mox mihi dedit facultatem: effatiſque ſermonibus aliquantulis, deinde percunctari eum cœpi quo pergeret, aut unde veniret. At ille reſpondit dicens : Roma venio, & proficiſcor ad Franciam : ad te poſitus penes iter, viſitationis gratia deverti. Deinde gratias agens, cœpi eum obſecrare, ut quia dignatus eſt peccatorem viſitare, dignaretur ſub ejus tugurium vel ad modicum requieſcere. At ille, Hodie, inquit, ordinatio *b* fit Ludovici Francorum Regis, & ad ejus unctionem accelero intereſſe : & idcirco nullam patior moram habere. Ad hæc ego reſpondi : Et ſi ita eſt ut abire velis, oro ut prius me benedicere digneris. At ille ait : Non inquam neceſſe habes benedici a me. Olim quippe qui me benedixit, ſimiliter & tibi. Cumque inceſſanter eum urgerem ut me benediceret; mox ille quaſi e contra ſubjunxit ut eum ſimiliter bene- Eccl. 32

a Erant & apud Cluniacenſes Recluſi, qualis erat Giſlebertus ille, cui Petrus Venerabilis ſcribit libri 1. epiſtolam 20.

b Tranſmarini ſcilicet, cujus reductio ex Anglia & coronatio incidit in annum 936.

Digitized by Google

AN.CHR. 942 18. Nov. nedicerem, affirmans inſuper nullo modo ſe mihi acquieſcere, niſi viciſſitudinem benedictionis rependerem : qua de re non parva inter nos amica contentio orta eſt. Ille vero quia nolebat, ideo contradicebat : ego autem, quia non præſumebam. Unde factum eſt, ut collata prius in invicem benedictione, mox receſſit, abiens meque cum magno reliquit mærore. Ad probandam tamen hujus rei fidem affuit pater Odo fideliſſimus arbiter, qui diem illum & horam annotari juſſit; & ita poſtmodum omnia diligenter requirens, facta reperit ut ipſe prædixit.

28. Sunt hactenus evoluti (niſi fallor) pluſquam triginta anni, ex quo intra ipſam eremum deguit, Dominicis tantum diebus aut præcipuis feſtivitatibus ad monaſterium ſancti Petri, quod Cluniacum dicitur, quia duobus fere milibus prope eſt, aſſuevit deſcendere : ſumpta videlicet modica farina, ex qua ſibi panem conficere ſolet, & fabæ paucis granis, mox ad eremum revertitur. Vino nec aliquando utebatur : adipe vero vel oleo ejus cibus non conditur. Patitur omni tempore frigus & calorem : calorem inter ſcapulas, frigus inter manus & brachia. Sed nos vitam proſequentes viri iſtius, quantocius ad propoſitum redeamus, a quo longe digreſſi ſumus. Sed rurſum memini me promiſiſſe vel prius patris Odonis patientiam exponere, quæ eſt virtutum omnium fomes : deinde temporis augmentationem reliquas ejus virtutes diligenter enarrare. Idcirco auxiliante Domino, prout vires ſuppetunt, meam pollicitationem feſtinabo implere.

Odonem tentant falſi fratres. 29. Erant in eodem cœnobio ſupradicto quidam Fratres, quorum vitam moreſque reperietis in ſequenti narratione. Hi audientes quod domnus Odo converſationis gratia illuc veniſſet, accedunt ad eum ſimulantes, & qua cauſa ibi adveniſſet fingunt ſe interrogare. Itaque cum ab eo de hoc quod ſciſcitabantur reſponſum accepiſſent, ajunt dicentes : Omnes nos quærimus hanc congregationem fugere, ut poſſimus animas noſtras ſalvas facere : & tu e contra tuam venis hic perdere? Quibus cum reſpondiſſet cur hoc dicerent, rurſum adjiciunt : Noſti conſuetudinem Bernonis Abbatis? At ille : Nuſquam, inquit. Et illi : Heu, heu, ſi ſciretis quam dure ſcit ille monachum tractare. Correptionem vero ſuam ſequuntur verbera, & rurſum quos verberat compedibus ligat, domat carcere, jejuniis affligit : & hæc omnia perpeſſus, nec ſic ſuam poteſt miſer impetrare gratiam. Hæc audiens domnus Odo, pedetentim titubare de ingreſſu cœpit : quem prædi-
„ ctus intuens Adhegrinus, mox proſiliens in medium inquit : Odo pater,
„ noli trepidare; iſta verba non ſunt ſantis, ſed adminiſtrantis. Animad-
„ verte, & quia per eorum ora diabolus loquitur vide. Mox illi confuſi
„ retrorſum redeunt. Pater namque Odo cum Adhegrino collega ſuo ad ſuaviſſimum Chriſti jugum colla ſubmittunt. Qua de re beatus Benedictus, S. Bened. Reg. cap. 53. quia erat præſcius futurorum, in regularibus diſciplinis præcepit, ut cum hoſpite nemo loquatur, niſi cui a Priore fuerit conceſſum. Quanti enim tali modo decepti ab initio ſanctæ converſationis retro ſunt reverſi, atque a calore interni deſiderii ad torporem reverſi ſunt pravæ voluntatis? & 1. Jo. 4. quamvis Scriptura dicat, *Probate ſpiritus ſi ex Deo ſunt;* tamen probatio fidelium & quærentium Dominum talis eſſe non debet, videlicet cum Dominus per Prophetam his qui Spiritus-ſancti calore igniti ſunt, inquiens Job. 3. præcipiat : *Vos qui in auſtro eſtis, occurrite his cum panibus qui ab aquilone veniunt.* Sed miles Chriſti ſicut blandimenta non fuit amplexus, ita videlicet nec terroribus eſt concuſſus. De his autem talibus recte ita beatus Job loquitur : Maledicant ei qui maledicunt diei, qui parati ſunt ſuſcitare Leviatan.

Cluniacenſes ritus præſtringuntur. 30. Libet interea patris noſtri Odonis pauliſper ſeorſum ponere vitam, ut in exponendo ejuſdem loci conſuetudines parum mihi aliquid liceat immorari, quatinus ſequens lectio poſſit eſſe lucidior. Mos enim ejuſdem loci fuerat, ut magiſter ſcholæ ſolus cum ſolo puero nec quoquam iret ſaltem,

tem, nec ad naturæ digeſtionem, ſed nec ſolus puer ſecretius illi loqui præſumeret: ſed & propter bonum teſtimonium alium e pueris, aut unum ex Fratribus in comitatu, vel locutione ſemper aſſumeret. Si autem nox foret, & caſu accidente ſeceſſum puer peteret; ſine lucernæ lumine & alio fratre extra dormitorium pedem non auderet protendere. Tempore vero refectionis numquam deerat lectio utriſque menſis: micas vero quæ ex ſectione panum fiebant, unuſquiſque ante ſe diligenter recolligens, priuſquam lectio finiretur, cum gratiarum actione ſumebant. Finita itaque lectione, nec eas, nec cibum alium ſumere ultra aliquis audebat. Has autem micas ſacratiores aliis cibis eſſe fatebantur. Tale namque ferebant miraculum ex eis claruiſſe in eiſdem annis. AN.CHR. 942 18. Nov.

31. Frater quidam in eodem monaſterio fuit valde idoneus, & omnibus charus: qui ad mortem uſque perveniens, circumſtantibus Fratribus qui ejus venerant orando commendare Domino ſpiritum, ſubito emiſſa voce clamavit dicens: Adjuvate obſecro, domini, propter Deum, modo, inquit, ſum raptus ad judicium, ibique protulit accuſator humani generis diabolus contra me ad teſtimonium de micis panum plenum ſacculum, quas comedere ſecundum conſuetudinem nolui, & de menſa ceciderunt. Atque poſt puſillum iterum terribiliter clamare cæpit & dicere: Ecce de quo dixi vobis adeſt diabolus, deferens prædictum ſacculum. Nam cum territi fratres mirarentur, adjecit rurſum: Illo in loco adeſt, an non videtis eum? Deinde ſigno crucis totum ſe munivit, & inter verba orationis ſpiritum reddidit. Ab illo ergo die omni cum diligentia ſunt collectæ.

32. Eſt & alius inter eos taciturnitatis modus. Incompetentibus namque horis nemo intra clauſtrum ejuſdem monaſterii audet loqui, nec ſe cum alio fratre jungere. Quando vero duodecim celebrantur lectiones *a*, nullus intra prædictum clauſtrum, præter ad Capitulum, ſequenti die loqui audet. Octava enim Natalis Domini & ejus Reſurrectionis ſummum ſilentium die noctuque fiebat in illis. Breviſſimum quippe iſtud, illud ſignificare fatebantur æternum ſilentium. Nam, quotiens neceſſarias ad expoſcendum res inſtabant, totiens diverſa in invicem fiebant ad perficiendum ſigna, quas puto grammatici digitorum *b* & oculorum notas vocare voluerunt. Adeo nempe inter eos excreverat ordo iſte, ut puto ſi ſine officio linguæ eſſent, ad omnia neceſſaria ſignificanda ſufficere poſſent ſigna ipſa. At vero in quotidianis diebus & reliquis Octavis Sanctorum talis diſcretio tenebatur. Etenim in quotidianis diebus, inter diei noctiſque curſus, 138. canebant pſalmos: ex quibus 14. nos dempſimus propter puſillanimorum animos, exceptis peculiaribus orationibus quas noſtri frequentant Fratres, quæ videlicet modum Pſalterii videntur excedere. Similiter duabus Miſſis identidemque letaniis. Per ſingulas vero horas canonicas bis flectebant genua. In Octavis quas diximus, 75. tantum canebant inter prædictos curſus, & ſemel flectebant genua, & bis reficiebant. Sunt namque alia quam plurima, quæ arbitror propter faſtidioſos lectores huic operi non inſerere.

33. Igitur Odo dum ſcholæ magiſterium aſſumeret, mox ſe tempus præbuit opportunum, quo ejus patientia probaretur. Affuit nox, & ecce quidam de pueris ſigno ſeceſſum naturæ petiit. Erat autem ille locus adeo dormitorio conjunctus, ut lucerna quæ ibi auctoritate regulari ardebat, perluſtraret eum totum. Surgens itaque pater Odo, unum ſuſcitans e pueris, illo tantum contentus lumine, cum eo abiit. Altera autem die, ut mos eſt, convenientes ad Capitulum Fratres, Martyrologio & verſu finito atque lectione Regulæ, cœperunt illum graviter *c* increpare, cur ſine cereo tranſacta nocte poſt puerum iſſet. Verum quia ante veniam nullus ſuam audet Odonis patientia probata.

a Lege Udalricum in lib 2 de conſuetudinibus Cluniacenſibus cap. 40. & 55.

b De his ſignis vide Udalricum in lib. 2. cap. 4.

c Proclamatio vocatur, de qua item in lib. 2. num. 23. & apud Udalricum in lib. 2. cap. 7. Viget etiam nunc ejus uſus apud Ciſtercienſes.

Digitized by Google

AN.CHR. 942 18. Nov.

det proferre cauſam, nec ſuam poſt veniam defendere ſententiam; illico in terram corruens veniam petiit, ſufficere inquiens ſibi poſſe dormitorii lucem. Sed tamen ab illis non ſolum eſt auditus, verum econtra ſub gravi culpa adjudicatus. Vir denique beatiſſimus qui arrepto itinere anguſto ſequi venerat illum, qui cum pateretur, non comminabatur; non indignans, aut murmurans, nec obſtantiæ opponens querelas, ſed momentaneos quærens locos, terra proſtratus veniam eſt deprecatus. Abbas autem ſuus volens probare patientiam ejus, finxit ſe iratum, & protulit ſententiam excommunicatione connexam, ut ea die ultra ei veniam non peteret. Ille autem Davidicum illud in pectore volvens qui dicit, *Ut jumentum factus ſum apud te, & ero ſemper tecum;* & rurſum, *Poſuiſti tribulationes in dorſo noſtro, impoſuiſti homines ſuper capita noſtra;* abiens provolutus Fratrum pedibus, rogat ut eant, & vice ſua eidem Abbati veniam petant: quod & factum eſt. Tandem admirans Bernus * Abbas tantam in juvene patientiam, mox eum convocat, & more Regulæ ipſam commotionem benedictione ſanat: atque poſthinc charior factus eſt illi.

Pſal. 72. Pſal. 65. * al. Berno

34. Erant autem Fratres in eadem congregatione mente & actione juvenes, quorum ſuperius mentionem fecimus. Hi vero unde proficere debuerant, inde ad interitum ibant. Nam quotiens locum occaſionemve reperire potuiſſent, diverſas injurias & falſas increpationes ei objiciebant. At vero vir pacificus Odo ſeorſum eos ducebat, & innocens quaſi reus eorum pedibus ſe proſternebat veniam petens, non tamen metu humano, ſed amore fraterno: nimirum ut patientia corrigeret, quos videbat divinam incurrere ultionem. Compeſcebantur tandem aliquando ab ejus patientia: ſed more labentis aquæ protinus ad propria revertebantur vitia. Illum namque quem imitari debuerant, econtra inſequebantur. Princeps autem peſtis hujus Guido dicebatur. Sæpius enim cum inſtigaret alter alium, ut ei convitiaretur; ajebat ille qui mittebatur: Quid prodeſt quotidie hæc agere, cum non poſſimus eum nec fugare, nec ad contumeliam provocare? Tu enim noſti quia doctior eſt nobis. Hactenus enim quod ab eo diſcere volui, gratanter inſinuavit. Vereor inquam, ne quandoque tantis injuriis confractus incipiat retrahere poſtmodum invitus, quod nunc ſponte largitur. At ille: Non ut aſſeris ita eſt. Talis enim frater Odo eſt, ut non tantum iſta aut ſimilia, verum & pejora ſuſtineat: atque poſt hæc quod volueris gratanter impendat. Siquidem poſt modicum tempus divina ultione perculſi ſunt juſto Dei judicio, quia non potuit eos compeſcere fraterna correptio. Defuncto namque Bernone, qui erat tunc ipſius monaſterii Pater, mox depoſito religionis habitu ad ſæculum reverſi ſunt, & teterrimum meruerunt poſtmodum obitum.

Miraculum de micis.

35. Sane & hoc miraculum eo tempore inibi factum fuiſſe Pater noſter narrare ſolet. Erat quidam in eadem congregatione frater tali uſus conſuetudine: nam cum ſederet ad menſam, totam mentem ſuam lectione præoccupabat. Die quadam contigit, ut collectis ex more [a] micis, priuſquam eas ſumeret, Abbas præfatus lectioni finem imponeret. Sed ille quid ageret prorſus ignorabat. Nam eas poſt finitam lectionem non audebat comedere, nec dimittere ne caſu perirent. Clauſo vero pugillo dignum eſſe cenſuit, ut cum poſt verſum eſſent regreſſi, reſervandas fore Patri monaſterii. Factumque eſt, ut ab oratorio regreſſi, mox ſe pedibus proſtravit Patris: qui cum interrogaretur cur veniam peteret, & ille quod factum fuerat patula manu vellet oſtendere; omnes prædictæ micæ in margaritarum ſpecies ſunt converſæ. Glorificantes igitur Dominum, mirabiliter ſtupefacti ſunt. Deinde præcepto Patris quoddam ornamentum ipſius eccleſiæ ſunt intextæ. Ille autem de ſe, quaſi de alio, hæc ſolet recitare.

[a] Alius mos de micis in Regula Magiſtri cap. 25. nempe ut quotidie de menſis *mundando levatæ in uno vaſe ſerventur*, dein *ab hebdomadariis Sabbato mundentur: & patella exinde cocta, aut cum farre aut cum ovis adſtricta, antequam ultimum ſera caldum bibant, in menſa ponatur Abbatis.*

Digitized by Google

re. Ex illo jam tempore cœpit infra ſe ipſum æſtuare propter genitorum ſuorum ereptionem, quatinus eos poſſet ab hujus ſæculi nexibus ſubtrahere. Unde factum eſt, ut non multo poſt accepta licentia ad patrem ſuum abiret, eumque ad monaſterium duceret, atque Monachum ordinaret: matrem vero indui fecit ſacro velamine: cujus vitam quidem, ſi licuiſſet ſcribere, magis hiſtoria videretur eſſe quam ſchedula.

AN.CHR. 942 18 Nov. Parentum converſio.

36. Factum eſt autem in illis diebus, cum quadam die jam ſero divertiſſet quieſcendi gratia in domum nobiliſſimi viri cujuſdam, abſentibus dominis erat ibi eorum filia una cum familiis virgo jam adulta, quæ videlicet nimis curioſe per totam veſperam ejus actus conſiderare ſtuduit atque vitam. Deinde compuncto corde latenter per quoddam poſticium irruit ad eum: ejuſque proſtrata pedibus, ſe ream cito nuptiis tradendam eſſe dicebat: addens ut propter Deum, cujus ſe fatebatur famulum, in eadem nocte liberaret eam. Audiens hæc Chriſti miles, cum ignoraret quid ageret, & quomodo tantæ virginis voluntati ſatisfaceret, infra ſemetipſum cœpit vehementer æſtuare. Pietatem in Deum ſuo more, pietatem ſupra virginis lacrymas habens, proponebat ſibi judicium Dei animæque illius interitum, rumoremque contra ſe parentum & populorum, quare talia præpſumpſiſſet monachus. Sed amore Dei & virginis ſingultibus victus, tandem in ejus ereptione dedit aſſenſum. Nocte vero illa cum omnes famuli domus quieſcerent, ille & frater qui cum eo erat, aſſcenſis equis præceſſerunt, juſſuque ſuo famuli qui eum comitabantur, ſumpta virgine ſecuti ſunt. Altera vero die applicuerunt ad monaſterium. Erat autem prope ipſum monaſterium Oratorium conſtructum, ubi nobiliſſimæ mulieres cauſa orationis *a* recipiebantur, ibique eam manere conſtituit, deinde ad monaſterium perrexit. Sequenti vero die, ut mos eſt, Patri monaſterii omnia quæ geſſerat ſtuduit indicare. Etenim cum ea quæ de virgine geſſerat audiſſet, turbato adſpectu cur ſine licentia hæc agere præſumpſiſſet, graviter eum increpare cœpit. Mox ille in terram proruit, ejuſque pedibus provolutus veniam precabatur. Poſt hæc Patris juſſu a terra elevatus, poſt reiteratam interrogationem reſpondit dicens: „ Domine pater, ex quo me „ miſerum ſuſcipere es dignatus, in quantum conſiderare valui, numquam „ tibi aliud curæ fuit niſi de animabus lucrandis. Nam ceteri Abbates hoc „ ſtudent, qualiter rebus poſſint abundare, & hominibus placere. Tu vero „ pietate, miſericordiaque fretus, ſoli Deo placere ſatagis propter lu„ crum animarum: qua de re imitator tuus deſideravi eſſe, idcirco hanc „ virginem volui lucrari ad laudem tui nominis. Quamvis enim me etiam „ tarde vincerent ipſius lacrymæ, non ſum tamen oblitus tuam increpatio„ nem, quam certiſſime ſciebam me non poſſe evadere: ſed malui potius „ pii patris flagello cædi, quam reus pro anima ejus teneri. Et utinam om„ nes mulieres in hac provincia commorantes, quæ carnali vinculo retinen„ tur, potuiſſem lucrifacere, & tu me per ſingulas debuiſſes piiſſimo tuo „ more flagellare. His & ſimilibus verbis Patris commotionem delinivit, ſed tamen talem obedientiam ei protinus injunxit: Vade, & quemadmodum ſciſti eam de ſæculo eruere, ita ſcias quotidie alere, ac ſanctis monitis inſtruere, ne aliquando pæniteat, & revertatur ſuadente diabolo ad ſæculum. Cœpitque pater Odo poſt hæc per ſingulos dies cibum ei portare, & patrum præcedentium exemplis eam inſtruere, donec intra paucos dies eam ad quoddam Monaſterium duceret, ac ſacris virginibus ſociaret. Verumtamen hæc omnia propter bonum teſtimonium præſentia fratrum fiebant. Factum eſt non multo poſt ut ipſa dormitionem acciperet in Domino. Cumque circumdediſsent eam ſorores, ut ejus ſpiritum orando protegerent, & cum pæne illam præmortuam tenerent; ſubito voce qua poterat cœpit dicere: Adjuvate me obſecro levare. Interro-

Odo deſponſatæ virginitatem perſuadet.

 gan-

a Hinc intelligitur, mulieres in principem monachorum baſilicam non fuiſſe admiſſas: quod paſſim in Ordine noſtro quondam uſitatum, ut ſæpius obſervavi.

AN. CHR. 942 18. Nov. ganteſque eam cur hæc diceret, Ecce ait, beatiſſimum Paulum Apoſtolum video venientem, & illi volo occurrere. Necdum verba compleverat, & extendens brachia ut velocius ſurgeret, eadem verba rurſus repetebat. Ceteræ autem eam inſanire putabant. Interea in quantum potuit, ſupra genua ſe elevavit, & curvato capite benedictionem venienti petiit his verbis: Benedicite, & mox quievit perpetue. Qua de re nulli dubium fuit ab eo eſſe ſuſceptam, a quo fuerat viſitata.

37. Prævidens itaque pater BERNUS honeſtiſſimum virum fore futurum, promovit eum, & accerſito Epiſcopo ſine ſuo velle conſecrare eum fecit ſacerdotem. De quo videlicet Epiſcopo narrare ſolet pater Odo, quia benedictum ab eo cibum nullus canis audebat comedere: quod ſi caſu contigiſſet, mox canis moriebatur, veluti pro cibo aliquid guſtaſſet venenoſum. Sed obſecro ut nullus me deroget pro eo quod dixerim, quia abſque ſuo velle conſecratus fuiſſet: ne forſitan qui hoc attentaverit facere, videatur ex illis eſſe qui donum ſancti Spiritus emere, aut vendere non verentur. Ea itaque nocte, quam ſuæ ordinationis ſecuta fuerat dies, cum poſt noctis ſoporem evigilaſſet, & nec ſui conſecrationem meminiſſet, inveniſſetque circa collum ſuum (ſicuti mos eſt) ſtolam ab Epiſcopo ſibi collatam; protinus ſe in lamentum dedit, velut magni ei aliquid accidiſſet mali, atque per multum poſtea tempus præ nimio pudore neſciebat qua fronte extra monaſterium poſſet egredi. Unde factum eſt, ut ad eumdem Epiſcopum pater BERNUS mitteret eum reperta occaſione quadam. Cumque Epiſcopus ille pro ſua maxime conſolatione in longum ſermonem de culmine ſacerdotii traheret, contigit ut de ſtatu Eccleſiæ ſermo inter illos affuiſſet. Tunc pater Odo ex Jeremiæ vaticinio flebilem illi de ſacerdotibus cœpit ſermonem exponere: quo videlicet expleto, cœpit ille Epiſcopus rogare, ut eumdem ſermonem ei deſcriberet, & libelli more componeret. Cui econtra Odo pater protulit regulam in qua continetur, quod abſque licentia prioris nihil liceret monacho facere. At vero iſdem Epiſcopus ob hanc cauſam perrexit ad monaſterium. Et quia erat prædicti Patris ſodalis amicus, mox quod voluit obtinuit apud eum: deinde præcepto illius tres libellos compoſuit ex Jeremiæ vaticinio, quorum videlicet textus per diverſas jam eccleſias eſt translatus.

Odo Abbas electus invite.

38. Per illud videlicet tempus exitiali languore cœpit decumbere pater Bernus. Mox vicinos Epiſcopos accerſivit, & ab omni ordine ſe depoſuit: inſuper & flebili voce ſe reum indignumque tali miniſterio proclamabat præfuiſſe. Rogabat inter hæc verba Fratres, ut ſibi quem vellent, Patrem eligerent. Tunc manibus fratrum Pater noſter captus, & quaſi violenter conſtrictus, ac proclamantibus omnibus ut ordinaretur, coram Abbate ſuo vi eſt ductus. Et cum nec ſic vellet cedere, & locum paſtoris ſubire; ſuperatus eſt tandem Epiſcoporum excommunicatione. Ordinatus itaque ille: intra modicum tempus pater Bernus migravit ad Dominum.

LIBER SECUNDUS.

Fratrum quorumdam turbas patitur.

I. MUltis calamitatibus & crebris languoribus affectus, pauca mihi licuit narrare de Patre noſtro Odone, & ea tantum quæ geſſit ſub ſuo Abbate: tamen veſtra induſtria per hæc facile comprehendere poteſt, a quanta ipſe incœperit perfectione. Sed quia initium beatæ vitæ fert ſecum anguſtias & labores, finis vero certaminum gloriam & laudem; idcirco per ejus beatam vitam & quietam, quaſi per directum tramitem, ad ejus obitum quantocius feſtinabo tranſcurrere. Igitur pater Odo electus & Abba ordinatus, mox contra eum prædicti veterani perſecutores inſurgunt. Ille autem malens locum dare & beate quieſcere, quam contentioſe vivere; derelicto eodem monaſterio, & quæque ibi fuerant a domno Bernone parata, atque ei paterno more tradita; abiit

a Clu

a Cluniacum, & cœptum pridem perfecit monaſterium. Sequuti ſunt autem eum ſeniores loci illius. AN.CHR. 942

2. Per illud namque tempus defecit omnis ſumptus, quem ſecum detulerat in conſtruenda Monaſterii officina. Fiebant autem hæc omnia circa beati Martini natalitia. Eſt autem conſuetudo noſtra octo dierum circulo celebrare eam. Peracta itaque diei octavi celebritate matutina, & necdum illuceſcente aurora, omnes reverſi ſunt ad propria ſtrata, requietionis potius quam dormitationis gratia: ferebatque Pater noſter cuidam vetulæ perſonæ talem revelatam fuiſſe viſionem. Adſpiciebat, & ecce vir venerabilis canitie decoratus, ſtolaque ſplendida indutus, ſuper quam pallio pluviali utebatur, & Epiſcoporum more ferulam manu ferebat: qui propius accedens, ſtructuram ejus monaſterii circumcirca inſpicere cœpit: quem cum interrogaſſet quis eſſet, aut cur hoc ipſum ædificium circumſpiceret; ait ille: Ego ſum, de quo Fratres celebrant ſollemnitatem octavi diei: etenim viſitare eos veni. Dicito illis ne deficiant, ſed in incœpto opere perſiſtant. Ad hæc ſubjunxit perſona illa, quia defeciſſet omnis ſumptus quem ſecum detulerat. At ille: Ne timeant, inquit. Ecce nunc a Roma venio & Turoniam *b* vado. Iter autem meum per Gutiam Aquitaniamque faciam, & ex his partibus tantum eis penſum mandabo, ut eis hoc tempore affluenter abundet, & longo poſt perſeveret. Læti ergo fratres, & de tanti viri promiſſione ſecuri, omni cum hilaritate Deo gratias cœperunt agere. Cujus autem hæc perſona fuerit, profiteri non audeo, quia Patris noſtri mos fuit, ut deliberative ſuam perſonam numquam adſcriberet: ſed ſi magni aliquid vidiſſet vel parvi, tali modo quod viderat dicebat. Unus ex noſtris fratribus, aut quædam vetula perſona hoc vidit, vel illud. Nam quotiens hæc mihi retulit, totiens mihi profeſſus eſt, poſt hanc revelationem intra dies paucos ex finibus Gutiæ pluſquam tria millia ibi delatos fuiſſe ſolidos. Tanta namque & talia ſub tali ſpecie mihi narrare ſolitus erat, quæ apud cœnobium ſancti Benedicti, quod dicitur Floriacum, geſta fuerunt, ſimili modo & apud Cluniacum; quæ ſi auderem ad liquidum exarare, libelli modus ultra dictatoris ſe facultatulam extenderet. Sed ecce dum beati Martini fideliſſimam promiſſionem enucleatius adimpletam narramus, ſubito ad mentem recurrit ferarum beſtiarum non perparvum adminiculum: quod fortaſſis deſcriptum quibuſdam legentibus incutiet riſum: ſed quia ſpectaculum facti ſumus Angelis & hominibus, hi qui nos imitari dedignantur, aut nequeunt, habeant de nobis ſaltim excuſſum, videntes nos proficere a bonis in melioribus: ac tandem relinquentes lugubrem vitam, omni cum exſultatione ſequantur ad æterna gaudia.

18. Nov. S. Martinum adjutorem experitur.

3. Igitur conſtructo monaſterii Oratorio eunt Fratres, invitantque Epiſcopum, uti mos eſt, ad ſacrandum eumdem locum. Ille autem parvipendens Monachorum paupertatem, conſtituto die venit ſtipatus cuneis, fultuſque miniſtris. Quorum adventu cognito fratres nimio confundebantur pudore; non habentes tam dignum apparatum, quo eos poſſent honeſte recipere. Mane autem illo inſtante crepuſculo, ecce immaniſſimus aper de ſilva egreſſus feſtinanter properabat ad monaſterium: quem videns eccleſiæ cuſtos, & quia erat foras monaſterium, meditans de ornatu loci illius, in eccleſiam fugiens ejuſque fores contra eum obſeravit. Ille autem obmiſſa feritate, ut ingrediendi aditum a quovis concederetur, prædictas regias diutius pulſavit, atque oris ſui ſpuma, quo adhærere potuit, linivit. Re vera cum nullus adeſſet qui ei ob timorem aperiret, tamdiu ibi ſtetit, quouſque Epiſcopus cum ſuis venit: quibus ſe ſponte occidendum præbuit, impleta voce Pſalmographi qui dicit: *Timentes Dominum non minuentur omni bono*; & iterum: *Non confundentur in tempore malo, & in diebus famis ſaturabuntur*. Pſal 53. Pſal. 36.

Cluniacenſis eccleſiæ dedicatio.

 4. Vere

a Joannes hoc loco inſinuat, Odonem Balmæ Abbatem eſſe deſignatum: cum Wido Balmæ, Gigniaco, & cellæ Æthicenſi præfectus ſit, ex dictis in Elogio tum Bernonis, tum Odonis ſupra.
b Id eſt in pagum Turonicum, *la Touraine*. Idem vocabulum redit infra num. 26.

Digitized by Google

AN. CHR. 942 18. Nov. 4. Vere enim aliquando pater Odo confeſſus eſt, quia ſemper habuit unde fratres ſuſtentaret, & quod pauperibus largiretur. Nuſquam enim a miſericordiæ ſuæ ſinu pauper umquam receſſit vacuus. Quotiens enim cum eo abii, ſemper unde ſuſtentarentur pauperes, ſi haberemus, diligenter requiſivit: deinde quia ſi omnia nobis forent neceſſaria, jam ſecurus proceſſit nihil hæſitans; & quia ſe omnibus petentibus dabat, Dei nutu cuncta ei ſuppeditabant. Illud Tobiæ præceptum ſemper habebat in promptu: *Vide ne avertas faciem tuam ab ullo paupere, & omni petenti te tribue.* (Tob. 4.) Si quis vero attuliſſet ei aliquod munus, & pauper videretur habitu; mox interrogabat eum quid vellet, aut ſi aliquid ab eo egeret. Si enim quiddam peteret, ſtatim æqua lance munus illud æſtimabat quantnm valeret, & duplum illi præcipiebat dare: quod ſæpius in multis rebus vidi eum facere. Fateor peccatum meum, quia frequenter in talibus fui contriſtatus: & quia eram Prior, quaſi compatiens loci paupertati, & prævidens opportunitatibus Fratrum, veluti ſub prætextu inopiæ dicebam ei, injuſtum eſſe ſic omnia indiſcrete tribuere. Ego enim putabam ſcienter agere, ſed magis inſipientiæ obvolutus caligine a tenacitatis potius ſtrangulabar mucrone. Ille autem, quia erat peritiſſimus medicus animarum, quodammodo manu diſcretionis pulſum mei tangebat erroris, & hoc exemplo vulnus meæ curabat mentis. Ajebat ad hæc mihi: Tace, malo tuo hæc dicis. Fuit quidam juvenis, & erat deditus litterarum ſtudiis, qui nocte quadam hiemis tempore, dum ad matutinos agiliter pergeret, ut inter condiſcipulos maturius adeſſet; vidit in atrio ipſius eccleſiæ pauperem ſeminudum jacere: cujus compaſſus penuriæ exuit ſe ſcapulam, qua ſuperindutus erat, & uſui pauperis eam tranſiens projecit. Conſiderans quod fecit, idcirco metum rigoris procul a ſe avertit. Finita itaque laude matutina, totus jam rigidus ad ſuam reverſus eſt cellulam. Sed cum congelata membra voluiſſet lectulo tradere ut calefacerent, libram auri ſuper ſuum reperit ſtratulum; ac deinceps quod ſuo uſui retineret, & quod aliis tribueret habuit affluenter. Ego tamen ignoro de quo iſta dicebat. His & ſimilibus exemplis cataplaſmabat vulnus meæ pravitatis.

5. Vellem ad alia tranſire: ſed miſerationes ejus multæ compellunt me ſcribere, & iterum de ejus largitate plenius ſermonem facere. Attamen ſcio quia abſque meo pudore hoc nequibo adimplere. Ego tamen ſcribam, & gladium increpationis in memet infigam, ac dehinc culpas meas omnibus pandam, ut ſi ei modo, quia receſſit, hæc confiteri non valeo, ſaltem vos apud eum interceſſores obtinebo. In ſuo enim itinere quoſque circa viam pueros reperiebat, cantare eos quiddam cogebat: & quaſi eorum ludum remunerans, aliquid eis de ſuis rebus præcipiebat dari. Dignos eos eſſe dicebat remuneratione non parva. Ille vero ut nos ſua jocunditate lætificaret, & illos miſericordiæ viſceribus reficeret, iſta & his ſimilia dicebat. Verba enim ſua omni exſultatione erant plena: locutio vero ſua præ nimio gaudio ridere nos cogebat. Sed ille habenas moderationis manu tenens, mox capitulum Regulæ nobis opponebat dicens: Riſum multum aut excuſſum non amare: & iterum: Monachus non ſit facilis aut promptus in riſu, quia ſcriptum eſt: *Stultus in riſu exaltat vocem ſuam.* (Reg. S. Ben. cap. 4. ibid. cap. 7. Eccl 21.) Iſto namque & ſimili modo nos cohibebat a riſu: ſed ſpiritualis ejus hilaritas internum gaudium noſtro cordi inſerebat. Sed ego indignus quid de eo digne dicere potero, aut quid enarrare de tanto gaudio? Re vera cum menti noſtræ aliter nequibamus ſatisfacere, veſtimenta ejus oſculabamur occulte. Sed quid mirum de nobis, qui indeſinenter adhærebamus illi? Enimvero quando eccleſiam ſancti Petri intrabat, Dei famuli & qui illuc oraturi aſſcendebant, hinc inde exeuntes poſt eum curſitabant; & birrum quo tegebatur more cappæ, per extremitatem fimbriæ apprehendentes oſculabantur. Ille autem concito greſſu ibat ceu fugiens, & ipſi eum ſequebantur veluti perſecutores. Erat enim velut lapis angularis quadrus, angelicus videlicet & humanus, largus & gratus, ut quotidie ab eo compleri videretur hoc quod in pſalmo legitur: *Jocundus homo qui* (Pſal. 111.)

qui miſeretur & commodat, & cetera : & rurſum ſicut ait Apoſtolus Paulus: AN.CHR.
Hilarem enim datorem diligit Deus. Cæcos nempe & claudos paradiſi aſſerebat futuros fore oſtiarios: ideo nullus deberet eos pellere a ſua domo, ne paradiſi eis portas clauderent in futuro. Quod ſi fortaſſis aliquis e noſtris famulis non ferens eorum improbitatem, aliquid mutum *a* reſponderet eis aſpere, aut mox illis aſſueta beneficia non conferret, ſive eis acceſſum oſtii noſtri papilionis denegaret; ſtatim comminando increpabat eum graviter : deinde illo adſtante vocabat pauperem, eique præcipiebat dicens: Cum venerit iſte ad portam paradiſi, talionem retribue ei. Hoc autem dicebat ut eos terreret, ne ſimilia amplius facerent, & charitatis affectu eos informaret. Si autem ſecus viam (ut ſæpius fieri ſolet) anum reperiſſet aut debilem; ſtatim de ſuo equo deſcendebat, & eum deſuper ſedere faciebat, imperans eminus omnes præcedere, præcipiebatque adhærere ei aliquem e famulis, qui eum contineret ne caderet. Ille vero inter nos equitantes incedebat pedeſter, ac ſemper pſallens cogebat nos pſallere ſecum. Quod ſi pro pudore, aut illius timore aliquis vellet deſcendere, protinus imperabat illi, ut quo ſedebat ſederet, ſciens eum pro ejus reverentia, non enim pro paupere id facere velle : nam ſæpius vidi eum hoc facere.

942
18. Nov.
2. Cor.

6. Illo enim tempore quo cum GERALDO Regienſis * eccleſiæ Epiſcopo Cotias tranſivimus Alpes, & Romam venimus pariter, memini eum de quadam muliere dæmoniaca hoc feciſſe: quæ ſtatim reddita eſt ſanitati, & una nobiſcum uſque Senam * venit, ibique diſſenterico morbo infirma remanſit. Poſtea namque apud ſanctum Paulum ſimul eam Romæ vidimus, cui mox ſigno denarium dari præcepit. Illa vero cum ſedens verecundaretur, curvato capite, defixis in terram luminibus: quæ eſſet illa mulier interrogavi. Ille autem reſpondens, Illa eſt, inquit, talis ac talis. Signa mihi dicens, qualiter eam poſſem facilius recognoſcere. In ipſo namque itinere vetulus quidam & debilis prædictas Alpes nobiſcum ſimul tranſiebat. Erat autem oneratus ſacculo pleno panibus & alliis, cæpiſque ac porris, quarum videlicet herbarum fœtores ego minime poteram ferre. Sed prius Pater illico ut eum vidit, more ſuo ſuper equum ſuum ſedere fecit, ſibique prædictum impoſuit fœtidiſſimum ſacculum. Ego autem tantum fœtorem non ferens, ab ejus quem comitabar latere retraho longius pedem. Peracto itaque eminentioris Alpis artiſſimo itinere, ad declivum montis incipientes deſcendere, conſpexi eum eminus adſtantem, ſuumque cogente paupere equum ſuperaſcendere. Prædictum namque ſacculum nec tunc pauperi reddidit, ſed artioni ſellæ appendit. Ego autem eos qui me præceſſerant antecedebam, & ut appropinquarem illi, ocius & verecundans ibam. Et poſt puſillum cum veniſſem ad eum, dixit mihi : Accede, quoniam ſuperſunt pſalmi quos debemus cantare. Cui cum ego reſpondiſſem, quod fœtorem illius ſacci ferre non poſſem; protinus increpavit me dicens : Heu me ! pauper illud quod tibi fœtet, poteſt comedere, tu ejus non potes ferre odorem ! Pauper enim poteſt portare, tu eum dicis te non poſſe videre ! Hoc autem dicebat de ſe, qui verus Chriſti pauper erat. His & ſimilibus verbis me increpavit, & odoratum meum ita curavit, ut ipſum fœtorem denuo numquam ſentirem.

Romanum iter.
* de Riez.
* Sienne

7. Sub idem tempus Italiam miſſi ſumus a Leone ſummo Pontifice, ut pacis legatione fungeremur inter Hugonem Longobardorum Regem, & Albericum Romanæ urbis principem. Poſt nonnulla vero diſcrimina venimus tandem Senam. Patiebatur autem famis penuriam ipſa civitas. Affuerunt autem nobis in profectu tanti periculoſi itineris fere triginta ſolidi argentei, ex quibus pars maxima jam diſtributa erat. Ego enim recolens conſuetudinem illius, quia nihil ſibi noſtrove reſervabat uſui, metuens ne nos equique noſtri fame deficeremus, ſi deeſſet ex quo omnium emeretur cibus; ſumpſi quod ſupererat de prædictis ſolidis, & latenter ab eo diſceſſi, atque eo ignorante civitatem tranſivi. Illo autem introeunte civitatem, occurrerunt egen-

Aliud Romanum iter pro pace.

a Aliis, *aliquod mutum*, id eſt verbum, ni fallor, gallice *quelque mot*.

AN.CHR. 942 18. Nov. egentes aſſueta beneficia depoſcentes. At ille circumſpectis omnibus, dum me non vidit, protinus quod geſſeram intellexit. Sciebat enim, quamquam præſto non eſſem, non tamen longius fore: idcirco innuit omnibus manu ut eum ſequerentur: quod & fecerunt. Vidit igitur dum tranſiret civitatis plateam tres viros, ſed quadam honeſtate comtos, quæ eos ab improbitate egendi alienos reddebat: attamen & eidem penuriæ dediti fuerant. Iſtis namque & iſtam dedit occaſionem, ut ſuæ benedictionis participes fierent. Erant ante oſtia domus eorum poſitæ ſingulæ ſcutulæ lauri baccis plenæ. Statim unum ex eis interrogavit, prædictas lauri baccas quanti venderent pretii. At ille ignoro quid vile dixit: cui Pater noſter reſpondit: Tace, noli dicere pretium quod dixiſti, ſed dic tantos denarios. Ille vero ita fecit: protinus vero mutuo tot accepit denarios, & ſic eos ſub pretextu pretii ſua benedictione muneravit. Interea dum ego ejus obſervarem egreſſus, vidi illum venientem poſt puſillum a longe, ac quaſi præcinctus miles ad bellum incedebat ſtipatus cuneis pauperum: ſed tamen tanta repletus exſultatione, ut eo ſalutato more noſtro, vix poſſet me rebenedicere. Deinde finxi me interrogare, qui eſſent qui eum ambiebant incedentes, vel quid quærerent. At ille: Iſti ſunt, inquit, domeſtici Dei & laboratores noſtri. Ergo accelera, & redde illis mercedem. Hoc peracto rurſum interrogavi eum, quid ſibi opus eſſent tantæ lauri baccæ, aut unde eas tuliſſet. Ille autem cœpit nobis tanta & talia verba dicere, quanta & qualia numquam audivi ab ineunte ætate, nec ſpero me ultra audire. Adeo enim omnes exhilaravit, ut præ nimio gaudio ne quis ex noſtris ſuas lacrymas poſſet continere, ut valeret alter alteri loqui. Necdum fuerant terſæ tanti lacrymæ gaudii, conquiniſcens ejus paternitati cœpi eum rogare, ut baccarum illarum ſarcina nos non oneraret, ſed venditoribus eas remitteret. At ille, non, inquit, faciam, quoniam vereor ne fortaſſis poſt nos precium remittant. Vix tandem id obtinere potui, videlicet oſtendendo illi ſequeſtrationem loci & longinquitatem itineris jam peracti. Ipſa vero die prædixit mihi Priorem fore futurum, & multa alia quæ mihi poſtea acciderunt. Deinde cœpit me inſtruere, quemadmodum inter ceteras virtutes patientiam deberem obtinere; atque a ſe ipſo exordium ſumens cœpit exponere, quanta & qualia ordinationis ſuæ tempore a ſuis Fratribus pertuliſſet. Quod ſane nunc non expedit ſcribere propter ſanctiſſimam eorum poſtmodum converſationem.

Januario & Februario. 8. Necdum peracto itinere, & antea quam funditus noſtra defeciſſet pecunia, obvium habuimus fratrem noſtrum Petrum presbyterum, qui tunc converſationis gratia Romam veniebat: ex cujus ſubſtantia noſtra ditata eſt inopia, quia ab eo ſumpſimus ex quo iter noſtrum perfecimus. Fiebat autem iſtud duobus menſibus, Januario videlicet atque Februario. Fuit autem iter noſtrum per Ammiates alpes. Tanta namque inundatio nivis illis diebus effluxit, ut agnitionem nobis olim cogniti auferret itineris: & ita omnium replebat ſinus, ut frigeſcentibus artubus etiam loquendi modulos perderemus. Cumque ſenilia ejus membra tabeſcere cernerem, feci ei agilem tunicam, quæ ejus poſſet tueri & calefacere penetralia. Peracta itaque legatione, a noſtratibus coacti ſumus, ut per maritimas reverteremur fines. Faſtum eſt autem cum veniſſemus ad locum, qui vulgo Burrianum vocatur, jam ſole Occeanum tegente obvium habuimus ſeminudum pauperem cujus ego ſpeciem, ſicut tunc conſiderare non potui, ita nec poſtea recolere valui. Hoc tamen reminiſcor, quia nudis plantis, nudatiſque lateribus immenſitatem ipſius nivis calcabat intrepidus. Cui cum Pater noſter appropinquaſſet, greſſum fixit, & omnes ſe præcedere compulit, & mox ſe exſpoliavit, & pauperem operuit, mihique præcepit tantum ei pretium ſuperimpendere, unde poſſit iter ſuum implere. Tunc paulliſper ſubſtiti, & eum quo iret interrogavi, ſciens in vaſtam ſolitudinem divertendi locum non eſſe. At ille inquit, ad Paſtorale ſe caſtrum perſiſtente die poſſe pervenire. Ex cujus nempe verbis compertus ſum, quod ille qui apparuit, non fuiſſet homo purus, quia illud itine-

Digitized by Google

itineris ſpatium quod ſe ſub una hora pollicitus eſt peracturum, nos pæne AN CHR.
per totum diei ſpatium vix peregimus: cujus rei factum mihi terribili viſio- 942
ne antecedenti nocte eodem ordine fuit oſtenſum. Adeo enim ſinus illius di- 18. Nov.
latatus eſt miſericordiæ, ut non ſolum fidelibus iſta faceret, verum etiam
perſecutoribus ſuis manus aperiret & palmas extenderet. De quo & iſtud
vobis retexam exemplum cui rei interfuit frater Firmus, Domni Balduini *a*
Abbatis germanus.

9. Tempore præterito dum Romuleam urbem ob inimicitiam Alberici jam Odonis ſol-
fati principis prædictus Hugo Rex obſideret; cœpit ille intra extraque diſ- licitudo
currere, & pacis concordiæque monita inter utroſque diſſeminare, quatinus pro pace.
poſſet furorem prædicti Regis ſedare, & prædictam urbem tueri a tanta ob-
ſidione. Interea quadam die dum juxta monaſterium *b* beati Andreæ Apoſto-
li iret, quod ad clivum Scauri dicitur ex nomine, quidam ruſticus voluit
eum propter lagunculam aquæ occidere. Etenim, ſicut ſcriptura dicit, *Qui* Charitas in
ambulat ſimpliciter, ambulat confidenter, more ſuo nulli nocens, nihilque ſuſ- ruſticum ſi-
picans curvato incedebat capite. In tantum enim apud eum uſus inoleverat bi infeſtum
Regulæ, ut ubicumque eſſet, ſive ſtans, ſive ambulans, aut ſedens ſemper Reg. S. Ben.
curvato capite, defixiſque in terram luminibus incederet: qua de re quibuſ- cap. 7.
dam converſationis ſuæ tempore Foſſorium ludendo vocatus eſt. Factum eſt
autem dum prædictus ruſticus ictu caput illius appeteret, omnes qui juxta
viam aderant, emiſſis vocibus percutientis attraxerunt manus. Tunc dulciſſi-
mus Pater, ne fallar, ignoro quot denarios accepit mutuo, eique bonum pro
malo reddidit, & federatum dimiſit. Sed poſtquam ad prædicti Principis aures
hoc pervenit, amputare manus ejus voluit: quo audito Domnus Abbas Odo
obnixius ne fieret exoravit, & ruſticum illum incolumem atque indemnem
abſolvit.

10. Multorum ſane & veſtris auribus diffamatum eſt illud, quod cuidam in furem.
latroni Pater noſter dudum Romam veniens fecerit: quod magis libet mihi
deſcribere ne aboleatur, quam ut veſtræ induſtriæ inſinuetur. Perſiſtente ita-
que illo orationis gratia intra civitatem, viſum fuit omnibus, ut frater noſter
Domnus Gothefredus ſuper paſtores equorum iret in campum. Factum eſt
autem, ut in ſequenti nocte, cum gravati ſomno paſtores obdormiſſent, &
ipſe pervigil orationi inſiſteret, fur affuit, raptumque equum aſſcendit, &
fugam arripuit. Prædictus vero frater maluit equum perdere, quam ſilentium Silentii re-
rumpere: quod videlicet ſi feciſſet, protinus fur equum dimitteret. Hoc ligio.
tamen fecit: abiit, & tactu unum e paſtoribus ſuſcitavit, eique quod con-
tigerat ſigno oſtendit. Peracta itaque nocte & facto mane, viderunt fu-
rem eminus uno affixum loco ſuper equum ſedere: quem apprehendentes,
vinctum eum patri noſtro miſerunt: ſtatimque ei quinque argenteos ſolidos
dare præcepit, dicens injuſtum eſſe eum abſque digna mercede dimittere,
eo quod per totius noctis ſpatium multum ſuſtinuiſſet laborem. Sed enim
poſtquam Deo trahente ad monaſticam perveni vitam, ac dehinc per in-
crementa temporum Prior a fratribus ſum electus; Sæpe fratres noſtri fu-
rem illum mihi annotarunt: & quia erat filius noſtri molendinarii, quo-
tiens pater ejus fratrum voluntati contraibat, toties me prædictos ſolidos
repetere cogebant.

11. Quia de actu ſilentii ſermo ſe intulit, ſine quo videlicet ducenda
eſt pro nihilo vita Monachi; reſtat ut retro redeamus, & per eum ali-
quantulum pervagemus. Vita enim monachi uſque adeo eſt aliquid, donec
ſub ſilentio eſſe ſtuduerit. Eo vero remoto quidquid bene vel honeſte ſe age-
re putaverit, ſecundum inſtitutionem patrum nihil erit.

12. Tempore igitur quo ſæviſſima gens Nortmannorum, Pictavorum at- Exemplum inſigne.

 que

a Is fuit Abbas Romæ ad S. Paulum, infra numero 21. immo etiam Caſinenſis ex Chronico Leonis Marſicani in lib. 1. cap. 58. & quidem *genere Francus*, ex cap. 56.

b Egregia de eo monaſterio Alberici Principis charta exſtat in tomo 1 Italiæ col. 1099. ubi Benedictus Abbas, *religioſus Presbyter & Monachus*, tunc præfuiſſe dicitur; & Sergius Nepeſinus Epiſcopus Alberici frater, aliique ejus fratres ac ſorores laudantur.

Digitized by Google

AN.CHR. que Turonorum fines cruentis devaſtabat gladiis, contigit ut duo venerabi-
942 les viri ex eadem congregatione, neſcio qua de cauſa, mitterentur Turo-
18. Nov. niam. Unus eorum Archembaldus vocabatur, mihique bene notus: alter vero ignotus, & dicitur Adalaſius; Viri nempe opinatiſſimi, & multorum monachorum Patres nunc ſunt effecti. Factum eſt igitur dum tantum iter carperent, & in quemdam locum requietionis gratia divertiſſent, taliter ab eiſdem Nortmannis capti ſunt eadem nocte. Erat autem quoddam opidum ſecus locum, ſuper quod noctu irruentes cæperunt, alia vero Nortmannorum pars quæ ibat, cum pridem capta præda devenit in eumdem locum in quo prædicti fratres erant. Capere namque eos & ligare eorum manus, deinde minare potuerunt, ſed eorum ſilentium rumpere nequiverunt. Mane autem facto applicuerunt in aſſignatum locum, in quo ſibi congregandi poſuerant conſtitutum. Prædicti vero fratres paullulum ſe ab eis ſequeſtraverunt, &, ſicut erant ligati, in terra ſe ſuper facies ſuas dederunt, quatinus peracto pſalmorum curſu ſilentio finem imponerent. Nondum enim oratione completa, venit pars reliqua capta multa præda. Inveniens itaque dux eorum prædictos fratres in terram jacere, interrogavit qui eſſent. At illi retulerunt ei omnia quæ geſſerant per ordinem, addentes quod nullo modo potuiſſent eos loqui facere. Ille itaque quia erat barbarica immanitate turgidus, ob nimiam elationem cum eodem in quo reſidebat phalerato equo inclinato velut ad feriendum conto, irruit ſuper eos, metum mortis eis incutiens, volens eos probare an timerent. Ceterum vulgus undique quod confluxerat ad hoc ſpectaculum vociferantes barbarico ritu plauſum dabant manibus. At illi ut erant animo conſtantes, ita & corpore permanſerunt immobiles: & hoc non aliqua fiebat apud eos in deluſione, ſed jure obſervantiaque ſanctæ Regulæ, ſub qua videlicet cupiebant mori & vivere, numquamque ab ea declinare. Sed omnipotentis manus eorum exhilaratum ſpectaculum protinus convertit in luctum. Mox ut ad eos barbarus appropinquavit, equus in quo reſidebat in obliquum, reſilivit, ſeſſoremque ſuum in terram ſtravit, atque colliſit: quam colliſionem ſtatim febris lætalis ſecuta eſt. Conticuerunt omnes, & verſi in ſtuporem cæperunt quærere inter ſe, quid ex his facere deberent. Reperto tandem conſilio, barbarico ritu dignum eſſe cenſuerunt, ut pro vita ducis ſui unus ex eis cæderetur. Deinde cæperunt ſorte quærere, quem ex illis deberent interimere. Sed ſuper virtutum viros & ſorti Chriſti connumeratos diabolica nullo modo poterat cadere ſors. Obſtupeſcebant itaque ſuper eos, & admirantes dicebant, ultra homines eſſe, ſuper quos ſors eorum non potuiſſet cadere. Siquidem juxta hunc modum interemerant unum ex famulis eorum. Alter vero famulus qui ſupererat, optime ſciebat hoſtium linguam, qui eis omnia quæ loquebantur latino eloquio clam indicabat. Et hunc credimus conſolatorem hominum ſalvaſſe ob eorum revelationem. Tunc accedentes ad eos, velociter eorum manus diſſolverunt, atque pro vita ducis ſui obnixius eos per interpretem rogare cæperunt: & ita demum factum eſt, ut eos numquam ligare poſtea præſumpſiſſent. Sed & hoc fuit mirabile, quia unus ex prædictis fratribus ferebat auream crucem circa collum, & hanc cum reperiſſent, non præſumpſerunt auferre. Cibo vero quo voluerunt & potu apud eos uſi ſunt, quo uſque inter eos fuerunt: ſic enim completum eſt in eis illud probatiſſimum gaudium quod patientiam operatur, de quo ait Apoſtolus: *Non ſolum autem ſed & gloriamur in tribula-* (Rom. 5.)
tionibus ſcientes quod tribulatio patientiam operatur, patientia vero ſpem. Spes autem non confundit, quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris. Et nunc igitur quique monaſtica fertis indumenta, obſecro ut una mecum horum virorum intueamini exempla, & ſilentio tandem aliquando detis operam.
Iſa. 30. De hoc namque bono ſilentio Iſaias: *In ſilentio erit vobis ſpes*: & Jeremias:
Thren. 1. *Bonum eſt cum ſilentio præſtolari Dominum*: & rurſum: *Bonum eſt viro cum ab adoleſcentia ſua portaverit jugum, ſedebit ſolitarius & tacebit, quia elevavit*

Digitized by Google

vit ſe ſuper ſe. Similiter & David de eo inquiens proclamat : *Dixi cuſtodiam vias meas ut non delinquam in lingua mea. Poſui ori meo cuſtodiam* & cetera : & Apoſtolus Paulus. *His autem qui hujuſmodi ſunt denuntiamus & obſecramus in Domino Jeſu, ut cum ſilentio operantes panem ſuum manducent*. Diximus iſta de antiquis vatibus, ut nullus arbitretur hoc ſilentium modernis temporibus fuiſſe inventum, ſicut quidam male ſuſpicantes fatentur. Hos namque & novi teſtamenti Patres Paulus, Antonius, Hilarion, Joannes, ad poſtremum batiſſimus Pater Benedictus imitati ſunt, & alii quamplurimi, quos nominatim propter quorumdam faſtidium minime recenſemus : quorum videlicet ſilentium ſi quis ſtudioſe exquirere voluerit, in eorum catalogo affatim reperire poterit. Ergo ut nobis quilibet non opponat quietem in qua deguerunt ſolitudinis, his omiſſis noſter ſtilus totus ſe convertat ad inſtitutionem Evangeliſtarum, & de operibus Domini Jeſu ſumat exordium.

AN. CHR. 942 18. Nov. — Pſal. 38. — 2. Theſſ. 3.

13. Primum quidem teſtimonium in Matthæo habemus, *Juſſit*, inquit, *Jeſus diſcipulos ſuos aſſcendere in naviculam, & præcedere eum trans fretum, donec dimitteret turbas, & dimiſſa turba aſcendit in montem ſolus orare*. Secundum in Marco : *Coegit Jeſus diſcipulos ſuos aſſcendere navem ut præcederent eum trans fretum ad Bethſaidam dum ipſe dimitteret populum, & dum dimiſiſſet eos, abiit in montem orare*. Tertium in Luca ita continens : *Factum eſt in illis diebus, exiit Jeſus in montem ſolus orare, & erat pernoctans in oratione Dei* : item in eodem : *Vigilate itaque omni tempore orantes ut digni habeamini fugere omnia iſta quæ futura ſunt, & ſtare ante filium hominis. Erat autem diebus docens in templo : noctibus vero exiens morabatur in monte qui vocabatur Oliveti*. Quartum namque teſtimonium in Joanne hujuſmodi terminatur : *Jeſus autem perrexit in montem oliveti & diliculo iterum venit in templum*. Si enim verbum Dei & creator carnis, dum converſaretur cum hominibus, & vitæ prædicaret Evangelium, ad tempus ſiluit; quid nobis agendum ſit facilius comprehendere poteſtis : videlicet cum mors & vita in manu linguæ ſit poſita, & cum ſcriptura dicat, *In multiloquio non effugies peccatum* : &, *Vir linguoſus non dirigetur ſuper terram*. Si enim prædicti fratres cum cæderentur, atque vincti minarentur, voce ſilentium rumpere non paſſi ſunt, eum imitantes, de quo ſcriptum eſt, *Sicut ovis ad occiſionem ductus eſt, & quaſi agnus coram tondente ſe ſine voce, ſic non aperuit os ſuum* ; hi vero qui nullam vim patiuntur, nec a quovis coacti, ſed ſua ſponte Regulæ jura transgrediuntur, quid dicturi erunt ſimul poſiti ad judicium, cum utrorumque cauſa in conſpectu Dei & Angelorum examinabitur? De qua examinatione ſancta Eccleſia per beatum Job terribiliter clamat dicens: *Inſtauras teſtes tuos contra me*. Semper enim in his graviſſime ultio plectitur, qui per teſtes convincuntur. Et illi maledictum legis percipiunt, qui ea quæ legis ſunt ſciunt, & ab ejus mandatis temere declinare non metuunt. De quibus pſalmiſta ait : *Maledicti qui declinant a mandatis tuis* a.

Matth. 14. — Marc. 6. — Luc 6. — id. 21. — Jo. 8. — Prov. 18. — Prov. 10. — Pſal. 139. — Eſa. 53. — Pſal. 118.

14. Erant itaque in noſtra congregatione duo Fratres, quorum nomina huic operi non libet intexere, qui pro ſua graviſſima infirmitate crebrius eum aſſueverant orare, ut medicinæ illis remedia adhibere juberet, præſumentes de ſanitate. At ille non ferens eorum improbitatem, conſenſit voluntati eorum : petitoque medicamine licentiam tribuit, ſed prius eos convocans ſub ſimilitudine quadam dixit illis hoc paradigma. Vidi aliquando fratrem ſimili veſtro vulnere cruciatum, & prius mortuum quam priſtinæ ſit ſanitati reſtitutus. At illi nihil de ſe ſuſpicantes adhibuerunt ſibi medicum : ſed poſt ſedulos cruciatus, ſanitatem numquam receperunt. Scio & alium fratrem, qui tempore ſuæ converſionis dum ſtuderet præteritas flendo delictorum tergere maculas, cetera reliquit ſtudia, noctu dieque orationi, compunctioni & lamentationi inceſſanter deſudabat. Cumque eum

Fratribus infirmis ægre medicinam indulget.

a Quæ ſequuntur ad num. 22. in editis locantur in libro 3.

AN. CHR. 942 18. Nov. peritiſſimus Pater requiſiſſet, cur præſto cum aliis ad docendum vel dicendum non eſſet; veritatem retulit ei, & occulta cordis ſui patule revelavit, atque ut ſibi hoc perficiendi daret licentiam exoravit, ſciens pro certo ſecundum inſtitutionem Regulæ, quia quod ſine permiſſione Patris ſpiritualis monachus agit, præſumptioni deputatur & vanæ gloriæ, non mercedi: cui Pater noſter ait: *Reſtat ut uno vel amplius tempore iſte ſpiritus diſcedat a te, quo mens tua ſtimulis ſaucietur vanæ gloriæ*. Mox frater ille prædictam perdidit compunctionem, & vix poſt medii anni ſpatium eam rurſum exorando Patrem noſtrum meruit recipere. Sua namque verba miro gravitatis pondere plena erant: quia vir ſanctus repletus ſancto flamine incaſſum loqui neſciebat.

Reg. S. Ben. c. 49.

Joanni Epiſcopatum prædicit.

15. Præteritis his diebus coram noſtris fratribus & aliis qui aderant nobiſcum, retulit Domnus Joannes, Nolanæ *a* eccleſiæ Epiſcopus, quod ante hoc triennium bis Romam iſſet, & prædicti Epiſcopatus benedictionem reſiſtentibus inimicis nequiviſſet accipere. Interea Domnus Odo orationis gratia Garganum ibat. Cumque vidiſſet eum triſtem, ſciſcitavit eum quid haberet: cui ille cum omnia quæ ſibi aderant retuliſſet, & quia quaſi ſpe deſolatus accipiendi Ordinem Pontificatus confundebatur tertio Romam reverti; benedixit ei, & dixit; *Perge iterum ſecurus, & ſcias quia complevit Deus votum tuum*: deinde dimiſit eum. At ille accepta benedictione abiit, & infra ſpatium quindecim dierum, ſicut Pater noſter prædixerat, illi advenit. Qua de re indubitanter proferimus, vir iſte prophetiæ ſpiritum veraciter habuit, cujus verba tanta ſunt auctoritate firmata.

Nepoti baptiſmum obtinet.

16. Meminiſſe vos volo fratres, quod præterito anno ille peregrinus qui ſe de familia Patris noſtri eſſe fatebatur, & Jeroſolymam aſcendere feſtinabat, coram vobis de Patre noſtro bis terque narravit. Ajebat enim, quod iſdem annis quibus Normannorum gens Turoniæ devaſtabat fines, die quodam contigit ut nepotem Domni Odonis, necdum renatum fonte baptiſmatis, una cum nutrice ſua caperent prædicti Nortmanni. Erat autem Turonis prædictus Pater. Cumque hoc ei ibi nuntiatum fuiſſet, mox ille orationi incubuit, & tamdiu Dominum oravit, quo uſque liberatum puerum eſſe cognovit. Non enim potius de illo quam de ceteris dolebat captivis: ſed pro ejus anima graviſſime laborabat, timens ne aliquo caſu ſine lavacro fontis puer & ejus anima gehennæ traderetur. Sed inter cetera non ſunt prætereunda illa quæ nutrix pueri narrabat. Locus, ait, ille ad quem captivi ducti fuerant, ultra quoddam flumen erat, cujus tanta inerat profunditas, ut nullus illud aliter niſi navigio, aut natatu poſſet tranſire. Diſtabat autem a Turonia ſpatium itineris octo dierum. Jam vero reviſendi puerum ſpes fruſtrabatur. Stante itaque muliere in ipſo diſcrimine, ſubito inſpirata eſt Dei Flamine, ut arriperet puerum & abiret: quod & fecit. Etenim tam ſecura per medium hoſtium tranſivit catervas, ut non ſolum ab aliquo fuiſſet retenta, verum etiam nec interrogata. Profunditatem vero tanti fluminis ſiccis cruribus tranſivit, & longinquitatem tanti itineris triduo peregit, non eſuriens, neque ſitiens, aut laſſeſcens, donec Turonis perveniret. Hoc vero factum cujus fuiſſet meriti ſtatim claruit, quia mox ut puer Patri noſtro delatus fuit, ſacro eum fecit baptiſmate tingi. Deinde elevatis in cælum oculis ut moreretur oravit, atque dehinc poſt triduum cælo reddidit ſpiritum. Pater vero ejus factus eſt monachus. Quæ vero ſequuntur, ipſe beatus Pater expoſuit, non tamen ut a ſe vel pro ſe facta fuiſſent, ſed de quibus eum Dominus periculis liberaſſet narrabat.

Naufragium evadit.

17. Quodam tempore dum Rhodani alveum navigio tranſiret, comitantibus illum optimatibus regionis illius, contigit, ut dum unus equus alium vellet calce percutere, ictum ferientis navigii tabula excepit, illo videlicet loco, ex quo ramus fuerat cum dolaretur exciſus. Mox ut evulſus fuit vertex, tanta per idem foramen inundatio ingreſſa eſt aquæ, ut

a Ex hoc loco augeri atque illuſtrari poteſt ſeries Epiſcoporum ejus loci in Italiæ tomo 6.

Digitized by Google

ut ſubito repleretur navis uſque ad ſuperficiem. Sic tamen plena Deo gubernante ad aliam pervenit ripam. Etenim uſque adeo pater Odo intro ſtetit, quo omnes fuiſſent egreſſi. Ad poſtremum cum fuiſſet ille egreſſus, navis abiit in profundum: qua in re videlicet cujus meriti vir iſte fuerit perſpicue claret, qui hoc ſuis obtinere valuit precibus, quod prius meruerunt Petrus & Paulus, dein pater noſter Benedictus. AN.CHR. 942 18.Nov.

18. Sub eodem tempore competit illi Romam *a* orationis gratia venire: ſed non multo poſt dum patriam reverteretur, inter Burdonum Alpes ob nivis immenſitatem præoccupatum & ſæptum eſt ejus iter, qua videlicet mons ille nullo umquam tempore poteſt carere. Secus autem locum illum habitat quoddam genus hominum, qui Marrones *b* vocantur, & arbitror ex Marronea provincia illud nomen traxiſſe originem. Hi enim accepta mercede præbuerunt ei ducatum, ſicut & aliis facere conſueverunt, quia aliter hiemis tempore nemo quidem prædictos montes valet tranſire. Nam antequam ſol lucis terminum clauderet, illud quod ſupererat diei ſpatium verſum eſt a multitudine nivis in caliginem. Sed illis proficiſcentibus ut præterirent tetrum & periculoſum locum illum, ſubito equus ſuper quem ſedebat Pater noſter, tetendit pedem in obliquum, & ambo ſimul mergebantur in præcipitium. Tunc pater Odo relictis habenis, ambas manus dum caderet ad cælum erexit, & mox ramum arboris inter brachia ſua reperit, atque in eo uſque adeo ſe ſuſpendit, donec ejus clamoribus qui præceſſerant reverſi fuiſſent, & eum ſuſcepiſſent. Ramus autem ille amplius non fuit viſus, quia arbor illic numquam videtur, nec naſcitur, equus vero ultra nuſquam comparuit. & præcipitium.

19. Re vera cum pro pace Regum & Principum, necnon & correctione Monaſteriorum impatienti amore arderet, & ob hoc huc illucque diſcurreret, ſæpe ei latrones inſidias paravere. Quadam namque die quadraginta ſuper eum inſurrexerunt latrones: cumque unus ex eis qui erat inſignior ceteris, Aimon nomine, vidiſſet eum, fratreſque qui comitabantur illum inceſſanter pſallere, ac pſallendo iter peragere, illico compunctus corde dixit ſociis ſuis: Numquam memini tales viros vidiſſe, nec puto alicubi viſi fuiſſent: diſcedamus ergo ab eis. Eſt & quidam armiger cum eis, videlicet ſtrenuus vir, & ideo abſque noſtro periculo non poſſumus nocere illis: cui reſpondentes dixerunt: Armigerum illum in acumine lanceæ noſtræ levemus, ceteros autem exſpoliantes abire dimittamus. Ad hæc reſpondit ille: Prius in me arma convertite, alioquin me vivente nihil eis habetis facere. Sicque invicem ſunt diviſi & ad propria reverſi. Latro itaque quem prædiximus poſt Patrem noſtrum abiit, & reatus ſui pænitentiam egit, ac dehinc a latrocinii pravitate ceſſavit. Sed non ab re hoc cenſemus factum fuiſſe. Tanta enim ſpiritus cui adhæſerat eum repleverat gratia, ut ejus jocunditas non ſolum jocundos exhilararet, verum etiam & mæſtos veræ lætitiæ redderet, & perennis exultationis participes faceret. Lingua enim ejus, ut ſcriptura canit, lignum vitæ & lingua placabilis ac dulcedo mellis favus diſtillans labia ejus & lex prudentiæ in ſermonibus illius. Itemque latrones.

20. Quodam namque die iter habens juxta prædonum fines; quidam latro juvenis intuens vultus ejus affabilitatem, illico compunctus corde ejus provolutus veſtigiis, ut ſibi miſereretur humili precabatur voce: quem cum interrogaret quid vellet, monaſtica ſibi deprecabatur ſubveniri miſeratione. Deinde interrogavit eum Pater noſter, ſi aliquis ex eadem parrochia eum cognoſceret. At ille: Omnes, inquit: Vade, ait, hodie, & craſtino duc tecum unum ex prioribus loci illius cum veneris ad me. Quo audito abiit, & ſicut ei imperaverat peregit. Altera vero die cum utri- Latronem ſuſcepit ad monachatum.

a Confer libri 2 num. 16. ubi Joannes anno altero, quam ſcriberet, id accidiſſe refert.

b De iiſdem S. Odo in lib 2. de vita S. Geraldi cap. 17. *Ipſi quippe Marruci, rigentes videlicet Alpium incolæ, nihil quæſtuoſius æſtimabant, quam ut ſupellectilem Geraldi per juga montium jovina tranſveherent.* Vulgo *Marranes* appellantur.

AN.CHR. 942 18. Nov.

utrique ante eum veniſſent, cœpit pater Odo virum illum magnatem de vita moribuſque prædicti latronis ſciſcitare. At ille, juvenis iſte, inquit, Pater, inſigniſſimus latro eſt: quo audito diſcretus Pater dixit latroni: Vade & prius mores tuos corrige, & poſtmodum monaſticum appete diſcipulatum. At ille: Ego, inquit, projectus a te hodie vado in perditionem, animam vero Deus a te requiret. Tunc miſericordia motus pius Pater præcepit ei, ut arrepto itinere ad monaſterium eum præcederet: quod & factum eſt. Peracto itaque aliquo tempore ſub regulari degens examinatione, tandem effectus Monachus, Cellerario fratri eum ad obediendum ſubdiderunt. Etenim cum idiota eſſet, utrumque ei impoſuerunt, ſcilicet obedientiæ jugum, & ſtudium litterarum: quod devote ita peragebat, ut unam manum obedientiæ porrigeret, altera vero Pſalterium ferret, Iſraeliticum illum imitans populum, qui cum Jeruſalem ræedificaret, una manu gladium tenebat cum quo hoſtes pelleret; alteram vero ſubdebat ad laborem artis. Sicque frater iſte vitam ſuam peragens, poſt paucum tempus exſilii hujus vitæ ſuſcepit finem. Nam cum in extremo vitæ laboraret, vocavit pium Patrem, ſingularem ſupplicans locutionem: cui cum veniam peteret, interrogavit eum, ſi in aliquo excidiſſet poſt monachatum. At ille, Nudo cuidam te interrogante mea culpa tunicam noſtram tribui, & funem pilis contextum de cellario abſtuli: quem cum interrogaſſet quid ex ea feciſſet: Refrenando, inquit, ingluviem quam dudum male contraxi, ventrem meum ex ea circumligavi. Super quod factum ſtupefactus eſt pius Pater. Et cum vellet eam ab ejus viſceribus ſolvere, cutis quæ ei adhæſerat una cum ſanie ſecuta eſt. Adjecit & ait: hac nocte, Pater in cælis elevatus ſum per viſionem. Obviavit autem me glorioſiſſimæ perſonæ & excellentiſſimæ poteſtatis mulier, appropinquanſque mihi ait: cognoſciſne me? At ego, Nequaquam, domina. Et illa: Ego, inquit, ſum Mater miſericordiæ. Cui ego: quid jubes ut faciam, domina? at illa: Poſt triduum venies huc tali hora: quod & factum eſt. Tertio vero die hora qua dixerat defunctus eſt. Qua de re patuit perſpicue verum quod vidit, quia hora qua prædixerat ab hoc ſæculo migravit. Et inde pater noſter conſuetudinem tenuit beatam Mariam Matrem miſericordiæ *a* vocare.

qui religioſe vivens,

a B. Maria in cœlum vocatus eſt.

Joannis miſſio Neapolim.

21. Per idem tempus cogente neceſſitate noſtri monaſterii miſſus ſum Neapolim. Præparata tandem quæque neceſſitas expoſcebat, competit mihi navigio Romam reverti: & cum applicuiſſem Portuenſem civitatem, exceperunt me viri nobiles, qui & ipſi a Roma venerant ante ipſum diem: quos cum de Patre noſtro ſciſcitaſſem, quaſi de novo quodammodo gratulantes amico, inter cetera ejus opera iſta me abſente illo tempore narraverunt feciſſe. Præterito iſto menſe Auguſto, ipſa die Aſſumptionis beatæ Mariæ, in Adventino monaſterio fuit Pater noſter. Rogatus eſt autem a Domno Balduino Abbate, ut ipſa die ob amorem ſanctæ Mariæ ibi Miſſam celebraret, & ſuis manibus corpore & ſanguine Domini eos communicaret. At ille hoc ſe facere non poſſe reſpondit: ſed illis perſiſtentibus tandem conſenſit invitus. Deinde eccleſiam eſt ingreſſus, & cum fuiſſet paulliſper oratum, cœpit de eccleſia egredi. Nam volentes eum retinere, Obſecro ait, ſinite me abire, quia duo Fratres noſtri poſiti ſunt in extremo vitæ, & neceſſe habeo velociter ad eos ire ne exeant me abſente: deinde adjecit: Ecce ante januam monaſterii adeſt qui compellit ire. Necdum verba compleverat, & Miſſus affuit ut prædixerat: & cum veniſſet ad ſanctum Paulum, mox abiit, & pro fratre Benedicto Miſſam *b* celebravit, eique corpus &

Odonis revelatio de agone duorum fratrum.

a Hinc forſan uſus vulgaris orationis, quæ incipit ab his verbis. Uſitata hæc vox in Actis S. Majoli Abbatis.

b Moris erat quondam, ſaltem ſæpiſſime, ut Miſſa ad Viaticum infirmo præbendum celebraretur, quod in extremo fere agonte tribui ſolebat. Odo noſter in lib. 3. de vita S. Geraldi cap. 7. *Ceteris pro exitu pſallentibus quidam de Sacerdotibus Miſſam concitus celebravit, atque ſacroſanctum myſterium attulit. Cum vero quidam dicerent quod jam deceſſiſſet; ille ſenſum adhuc retinens oculos aperuit, & hoc indicio nondum ſe deceſſiſſe monſtravit. Tunc vero Dominicum corpus ſua ſponte ſuſcepit, & ita felix illa anima ad cælos migravit.*

Digitized by Google

& ſanguinem Domini Viaticum tribuit, & ſic prædictus frater Domino ſpiritum reddidit. Alter vero Giſlebertus fuit dictus, mihique conſobrinus, qui octavo die eſt ſecutus. Nunc ad priſca quaſi in circulo poſita revertamur tempora, & aliquantulum per majora curramus exempla. AN.CHR. 942 18. Nov.

22. Ante hoc triennium dum eſſemus apud beatum Paulum Romæ, rogavit eum Domnus Abbas Balduinus, ut librum quem de vita beatiſſimi Martini Epiſcopi more dialogi Gallus & Poſtumianus compoſuerunt, ei corrigeret, & gloſulis elucidaret, cujus videlicet voluntati ſtatim aſſenſum præbuit, & accerſito fratre Othecario emendandi operam dedit. Factum eſt dum hæc agerentur, ut veſpertinæ horæ pulſaretur ſignum: ſtatim ſecundum Regulæ præceptum relictis quæ in manibus tenebantur eccleſiam ingreſſi ſunt, codicem vero apertum ubi ſederant relinquerunt: præoccupati vero veſpertinis orationibus codicem obliti ſunt. Erat autem hiemis tempus. Tanta autem in ipſa nocte inundatio defluxit aquæ, ut omnes noſtri monaſterii officinas repleret. Locus autem ille, in quo liber fuerat relictus, ita eſt poſitus, ut aqua quæ ipſius labitur tecto, & ex tribus aliis tectis ſubjacent ſuperiori, quodammodo una converſione collecta more torrentis illo uno in loco decidit: ibique uſque mane patulus permanſit liber, & tot inundationes aquarum in circuitu ejus cecidere. Margo namque prædicti libri undique fuit lota, ſcriptura vero permanſit intacta. Facto mane appoſitus eſt coram fratribus liber. Cumque attoniti miraremur omnes, ait providus Pater: Quid admiramini, fratres? ſciatis quia vitam beati Martini aqua tangere timuit. Et hoc cum aliquo dicebat gaudio. Ad hæc unus ex fratribus noſtris, quia erat promptulus ad loquendum, accepto codice adjecit: Intuemini & videte, quia codex iſte vetuſtus eſt, & a tineis demolitus, atque ab aquis olim lotus, & uſque adeo humectatus ut jam ſqualleat palloribus. En indicia cernite, & dicit Pater noſter dudum lotum librum nunc aquam extimuiſſe tangere? aliud namque aliud eſt. Tunc pudicus Pater: Tace, inquit, iſta dicere noli. Non eſt enim ſimilis Martino qui poſſit habere laudem in omnes gentes. Sic eo quæ propter eum Dominus fecit in laudem Martini convertit.

Romæ vitam S. Martini corrigit & gloſulis explicat.

Codex ad pluviam inviolatus

23. Per illud namque tempus longe lateque Patris noſtri nomen, veluti clariſſimum ſidus, cœpit effulgere. Factus eſt notus Regibus, Epiſcopis familiariſſimus, magnatibus charus. Quæque enim monaſteria in eorum finibus conſtructa erant, juri Patris noſtri ea tradebant, ut noſtro more corrigeret & ordinaret. Interea veniens ad quoddam monaſterium, habens ſecum paucos fratres in comitatu, ex quibus nos unum cognovimus, nomine Adolfum; & ipſe ante hoc biennium migravit ad Dominum. Peracta itaque illa hebdomada, ſabbato veſperaſcente, cum noſtri fratres cœpiſſent Mandatum *a* Regulæ præparare more, contigit ut unus ex illis Monachis per eumdem locum ubi hæc parabantur tranſiret. Certe cum vidiſſet prædictum fratrem noſtrum noſtra conſuetudine ſuos abluere ſubtulares *b*, ira permotus rupto ſilentio cœpit dicere: Dic mihi in quo loco ſanctus Benedictus præcepit Monachis ſuos lavare ſubtulares? Ille noſtro more ſignum ei fecit ut taceret, quia hora erat incompetens. Non enim recordabatur illius quod ſapientia dicit per Salomonem: *Qui erudit deriſorem, ipſe ſibi injuriam facit*: & iterum: *Noli arguere ne oderit te*. Videns itaque ſibi non reſpondiſse, efferatus eſt vehementer, & rabido inflammatus igne, iſta cœpit verba evomere: O qui ſolebas negotiando circuire mundi provincias, nunc veniſti nobis prædicare Regulam, &

Monachi incondita locutio ut repreſſa.

Prov. 9.

a Id eſt lotionem pedum, ad quam cani ſolet Antiphona, *Mandatum novum do vobis* Sabbato id fiebat, lavabanturque utenſilia monaſterii ex Regulæ præſcripto in capite 35.

b Id eſt calceos, aliis ſotulares, quos ſingulis Sabbatis abluere ſolebant. Hunc uſum ſuſtulit Petrus Venerabilis Statuto 28 ſuperſtitionem eſſe exiſtimans, ſi calcei quos ob laborem *in pluviis & luteſis viis* exerceri primitus ſolitum ſordidatos abluere neceſſe erat; dimiſſo ſubinde manuum labore mundiſſimi *duabus aut tribus aquæ guttulis*, deinceps aſpergerentur.

Digitized by Google

AN.CHR. 942 12. Nov. & meliorum tuorum corrigere vitam. Jurando, perjurando more accipitris hominum aſſueveras auferre ſubſtantias: & nunc impudenter beatificari a nobis appetis, quaſi neſcientibus actiones tuas. Non enim ſerpentem me fecit Deus, ut tuo more debeam ſibilare, nec bovem ut debeam mugire: ſed hominem me fecit, & ut loquar linguam mihi tribuit. Hæc & iis ſimilia cum inceſſanter oblatraret, concito greſſu receſſit ab eo prædictus frater. Sequenti vero die cum hæc omnia ad Capitulum fuiſſent recitata, miſer ille non ſolum veniam non petiit, verum ſe bene feciſſe reſpondit, addens inſuper non decere talem perſonam ſuum meliorem increpare. Tunc Pater noſter ſuper ejus indignatus ſuperbiam, commotus ait: hodie dies dominicus *a* eſt, ideo nullus contriſtari debet. Ideo iſta diſcuſſio ſuſpendatur in craſtinum. Factum eſt, & poſt puſillum a Capitulo omnes ſurrexerunt. Ille autem ſubitò factus eſt mutus, atque poſt triduum ſine ſermonum abſolutione defunctus eſt. Ecce quantum eſt virus arrogantiæ, hujus namque mucrone multorum monachorum vitam reperimus hactenus ſauciatam: quia dum putant ſe ſcire quod neſciunt, ſuis propoſitionibus ſecundum Apoſtolum ſtulti efficiuntur dicente ſcriptura *b*: qui non vult eſſe diſcipulus veritatis, erit magiſter erroris: de quibus & Dominus per Amos loquitur: *Reverſi ſunt ut eſſent abſque jugo, & facti ſunt arcus doloſus*. (Amos 7.) Horum namque imagines procul dubio hi tenere videntur, qui prius vocitari magiſtri quam fiant diſcipuli nituntur, & antea regiminis arcem ſubire appetunt, quam ſubeſſe noſcuntur. Enim vero necdum tirunculi bravium uſurpant victoris, atque indocta manu arma fortiſſimi militis arripere non verentur, negligentes ea quæ dicit ſcriptura: Qui regulariter non ſubeſt, regularibus præeſſe non debet. Sed quia legaliter nolunt vivere a legis præcepto non verentur faciem cordis avertere. De quibus per Prophetam Dominus loquitur: *Verterunt ad me terga, & non faciem*. (Jerem. 2.) Nam & Nicodemus legiſlator venit ad Jeſum nocte, (Jo 3.) quia prius voluit inſtrui, ut poſtea alios docere poſſet. Hujus namque morbi duplex malum eſt: unum, quod clandeſtina præſumptione, quaſi ſub prætextu ſanctitatis, auctorem ſuum ad arcem inſtigat ſcandere magiſterii: alterum, quod ipſe deſtructus alios inſtruere quærit ſecundum ſectam ſui erroris, & (quod ſine dolore fateri nequimus) ipſi præcipites, quoſdam ſtantes poſt ſe ad præcipitium trahere moliuntur, de quibus per Evangelium Dominus dicit: *Cæci ſunt duces cæcorum. Cæcus autem ſi cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadunt*. (Matth. 5.) Horum namque conventum potius caupona, quam congregatio nuncupatur: quia ibi unuſquiſque id agit quod libet, & hoc non agit quod non libet. De talibus namque per Salomonem dicitur: *Maſſa ſtupæ ſynagoga peccantium*. (Eccl. 21.) Hoc namque monachorum genus teterrimum vocat beatus Benedictus. (Reg. S. Bened. cap. 1.) Eorum itaque converſationem miſerrimam dicit eſſe, atque in tantum miſerabilem, ut de ea ſatius taceri cenſeat, quam aliquid loqui. Ergo his omiſſis revertamur ad querelam prædicti monachi, & videamus quid beatus Benedictus

ibid cap. 31 & 32. „ præcipiat de rebus monaſterii. Omnia, inquit, vaſa monaſterii, cun-
„ ctamque ſubſtantiam conſpiciant velut altaris vaſa ſacrata; & iterum:
„ Si quis autem ſordide aut negligenter res monaſterii tractaverit corripia-
„ tur. Quid enim ſunt aliud calciamenta, vel veſtimenta fratrum niſi ſub-
„ ſtantia monaſterii. Si enim alibi ſeptimanariis iſdem ipſe præcipit, ut vaſa miniſterii munda & ſana cellerario reconſignent, quæ videlicet ſunt fictilia atque vilia, & officiis coquinæ deputata: quid ſentiendum eſt de calciariis, quæ ſunt ſuo pretio cara, & pavimento eccleſiæ adhærenda? Sed ſicut gravis culpa videtur fore monachos ſollicite aliena providere, ita multo

a Itaque die Dominico Capitulum olim celebrari mos erat, quod aliis exemplis probare licet. Nota quod ſubditur de religione reprehenſionis in Dominica. Conſentit Synodus Aquiſgranenſis anni 817. in cap 72. *Ut is qui noxe culpa tenetur, die Dominico remiſſius habeat, & veniam non petat*. Lege S. Bernardum in ſermone.

b In hoc & paullo poſt ſequente loco *Scriptura* nomine etiam comprehenditur doctrina Patrum, ſollemni veterum more.

Digitized by Google

to magis graviora ſua negligere. Si enim dives reprehenditur eo quod quotidie ſplendide epulabatur: procul dubio graviter reprehenditur ſervus Dei qui cotidie encæniare concupiſcit, videlicet cum in ſexto humilitatis gradu præcipiat beatus Benedictus, ut omni vilitate, vel extremitate contentus ſit monachus. Ob hoc enim quis negligens ſua non vult lavare calciamenta, ut in quoddam angulum ea projiciat, atque a luti pallore marceſcant; & demum nec ſibi, nec pauperibus aliquid valeant, cum omnia vetuſta pauperibus prædictus Pater præcipiat eroganda. Hoc namque dicimus, non quod ſqualidi aut lucidi more hypocritarum incedant: ſed ut omnibus ſuis veſtimentis nitidis utantur & lotis, ſicut per quemdam ſapientem dicitur.

AN CHR 942 18. Nov.

Qui cupis eſſe bonus & vitam quæris honeſtam,
Corporis atque animæ dilige munditiam.

Præcepta enim patrum termini ſunt ſequentium: de quibus Dominus per Moyſen loquitur: *Maledictus quicumque tranſgreſſus fuerit terminos proximi ſui*. Quem videlicet præcepti terminum dum iſte præfatus monachus tranſgredere non fuit veritus, jure maledictionis ſententiam illuc ſuſcepit in quo prævaricatus eſt. Et hoc eſt enim quod dives ille qui in inferno ſepultus eſſe dicitur, plus ſe in lingua, quam in ceteris membris ardere fatetur. Inde eſt illud quod per quemdam ſapientem dicitur: *per quæ peccat, quis per hæc & torquetur*. De quo & Jacobus Apoſtolus: *Lingua*, inquit, *eſt ignis univerſitas iniquitatis, lingua conſtituitur in membris, quæ maculat totum corpus, & inflammat rotam nativitatis noſtræ. Lingua eſt inquietum malum plena veneno mortifero*, & de ipſa Pſalmographus ait: *Diſperdet Dominus univerſa labia doloſa & linguam magniloquam*. Similiter & per Ezechielem: *Linguam tuam adhæreſcere faciam palato tuo, & eris mutus*. Et utinam lingua ſit mutus & non a fidelium conſortio ſeparatus. Quid rogo eſt excommunicatio, niſi ſeparatio bonorum? Inter cetera namque ſua præcepta beatus Benedictus illud ſub excommunicatione ligavit quod de ſilentio dixit, & ſub nullius prioris arbitrio reliquit. Qua de re quiſquis ad monaſtica pervenit faſtigia, perpendat quod agat, & ab ipſa ſe excommunicatione alienum reddat. Illud ſemper corde retineat quod illis duabus contigit virginibus, quæ præceptum beati Benedicti negligenter duxerunt, de quibus beatus Gregorius mentionem facit in ſuis dialogis. Sed ſatis in his immoravimus, nunc ad alia tranſeamus.

LIBER TERTIUS. [a]

1. EOdem namque tempore dum nos Pater noſter regularibus diſciplinis inſtrueret, multorum monachorum non dico obitum, ſed miſerabilem exceſſum ſedula nobis narratione aſſueverat narrare, ut juveniles in nobis comprimeret motus, & quaſi ſub timoris virga more paſtoris duceret nos ad eliſii gaudia. Quadam vero die dum talia nobis exponeret, ſuccumbens paternitati ejus, cœpi eum rogare ut nobis diceret, ſi tantum intra Italiæ fines monaſticus Ordo corruiſſet, vel ſi in Europæ finibus ſimili modo excidiſſet, & quomodo aut qualiter, vel quando hoc eveniſſet.
„ Tunc ille aſſumpto ſermone iſta nobis cœpit exponere. Ante hos itaque
„ annos, perſiſtente monaſtica congregatione apud eccleſiam beati Martini
„ Turonis, cœperunt modum ſuum, conſuetudineſque relinquere, ac pro-
„ priis voluntatibus vitam ſuam, propoſitumque corrumpere. Relinquentes
„ namque nativa & aſſueta veſtimenta cœperunt fucatas, atque fluxas pal-
„ lioque ornatas circumferre cucullas & tunicas. Calciamenta itaque quibus
„ utebantur adeo erant colorata ac nitida, ut vitreum colorem viderentur
„ aſſumere. Ad laudes namque nocturnas ne aliquo pede offenderent, cum
„ luce diei ſurgebant. Iſta & horum ſimilia multa contra Regulæ jura fa-
„ cie-

Monachorum S. Martini interitus.

[a] In mſ. Compendienſi, itidemque in Silviniacenſi veterrimo, nulla eſt hic libri diviſio, ſed omnia duobus libris continentur.

AN.CHR. 942 18. Nov.

„ ciebant : quibus rebus cum decreviſſet Deus finem imponere, nocte quadam omnes quieſcentes, cum unus ex eis eamdem horam inſomnem duceret, vidit duos viros dormitorium ingredi, unum videlicet gladium manu tenentem, cui alius imperabat indice ſingulatim eos his verbis percutere *a* : Hunc & hunc percute. Cumque eum qui hæc intuebatur gladio voluiſſet appetere, emiſſa voce adjuravit eum dicens : adjuro te per Deum viventem, ut non interficias me, ſtatim percuſſor gladium contraxit & ipſe ſolus evaſit ex omnibus.

Quam gravis culpa ſit veſtes monaſticas mutare.

2. Rurſum interrogavi eum quæ culpa eſſet in Monacho, qui pura mente quolibet uteretur veſtimento. Ad hæc protinus iſtud mihi oppoſuit exemplum. Per illud namque tempus quod Nortmannorum gladius in noſtris finibus graſſabatur, cæpere multi ex noſtro Ordine propria relinquere monaſteria occaſione hoſtium reperta, & cuncta uſui humano placita repetere quæ pridem abrenuntiaverant : pro conſortio namque fratrum frequentiam habebant parentum & amicorum ; & pro rebus monaſterii ſubſtantiis appetebant propriis ditari. Fracta tandem veſtimenta, cum quibus de monaſterio exierant, denuo non induebantur ſimilia, ſed colorata, quæ nos vulgo dicimus blava. Sub hoc namque tempore frater quidam recedens ab hac peſte noſtrum petiit monaſterium, deprecans ut eum reciperemus : cujus annuentes voluntati, protinus omnia quæ acquiſierat abrenuntiavit, & monaſterio conceſſit : cui cum fratres indixiſſent ut iret, omnia ſimul collecta monaſterio deferret, reſpondit : Ille ego, inquit, ut quæ uſque modo habui veſtræ ſubjacent ditioni, requirendi vero ac dimittendi veſtræ ſit poteſtati : qua de re de monaſterio ſolus non egrediar, ſed cui vobis placet hoc præcipite uni e fratribus requirere. Ego tamen veſtræ obtemperans voluntati, ibo cum illo, & ut melius ſciero, præceptis illius parebo. Sed ſive huc permanſero, ſive illuc ambulavero, deinceps omnibus rebus nudatus ero. Revera perſeverante fratrum ſententia, abiit cum fratre illo cui hanc indixerant obedientiam. Factum eſt autem cum veniſſent ad locum in quo antea prædictus frater habitaverat, ſubitanea eſt infirmitate addictus, ibique & defunctus. Illo namque in extrema poſito, frater qui cum eo ierat, quanto propinquiorem eum morti cernebat, tanto pro ejus anima inſtantiſſimas Deo preces effundebat. Sicque factum eſt ut utrique iſtam viſionem viderent. Erat enim thronus in excelſo poſitus, ſuper quem videbatur ſanctus Benedictus reſidere, ante cujus conſpectum adſtabat inæſtimabilis exercitus monachorum. Aſſcenſus autem throni illius palliis videbatur eſſe ſtratus, in cujus ſubteriori gradu ceu veniam petens jacebat frater ille infirmus. Dextera namque lævaque prædictus monachorum reſidebat exercitus : inter utroſque vero vacuum erat iter aſſcendentibus pervium. Porro cum per longum ſpatium frater ille jaceret proſtratus, acceſſit unus ex aſſiſtentibus ad beatum Benedictum, ſupplicans pro illo fratre, dicenſque dignum eſſe illum ſua * viſione levare, ut diceret quod vellet. Cui ille videbatur reſpondiſſe, hominem ſe videre, habitum vero non agnoſcere : idcirco alterius Ordinis hominem non debere nec cauſam diſcutere, nec vitam dijudicare. Hæc audiens noſtri Ordinis frater exuit ſe, & veſtimentis ſuis infirmum fratrem induit, eumque ut iterum veniam peteret, in eadem viſione coegit. Quo peracto vox deſuper venit quæ ei ut ſurgeret, & ſurſum aſſcenderet præcepit. Tunc evigilans a ſomno frater noſter, mox opere complevit quod in ſomnis ſe agere credidit, & quaſi jam ſecurus de anima fratris ejus exitum prout valuit orando protexit, & ſacra communione munivit. Perpende ergo, fili, Apoſtoli ſententiam dicentis : *Fides ſine operibus*

„ *mor-*

* f. juſſione

a Quid de hac cæde ſentiamus, dictum eſt in Elogio Alcuini in parte 1. Sæculi 4. Lege quæ habet idem S Odo in libello de combuſtione eccleſiæ S. Martini, ubi in Martinianis Canonicis arguit ingreſſum feminarum in monaſterium, ac veſtium pompam.

Digitized by Google

„ *mortua eſt* : & ſicut alibi ſcriptum eſt : *Qui enim dicit Chriſtum ſe noſ-* AN.CHR.
„ *ſe, debet ſicut ille ambulavit & ille ambulare*. Similiter qui ſe profitetur 942
„ eſſe Monachum, opere & mente imitari debet patrem Benedictum, quia 18. Nov.
„ ſcriptum eſt : *Non auditores legis juſti ſunt apud Deum, ſed factores*.
„ Non enim ſufficit monacho mentis tantum puritas, ſi defuerint cetero-
„ rum operum indicia vel ſigna, de quo Dominus dicit : *Luceat lux ve-*
„ *ſtra coram hominibus ut videant opera veſtra bona & glorificent patrem ve-*
„ *ſtrum qui in cœlis eſt*. De hoc namque beatus Gregorius in prima par-
„ te Ezechielis plenius ſermonem facit, ex cujus ſermonibus unum pro-
„ feremus teſtimonium. Sicut enim duobus modis a Deo receditur, ita
„ duobus modis a Deo apoſtatæ homines fiunt. Nam unuſquiſque a Con-
„ ditore ſuo aut fide recedit, aut opere. Sicut ergo qui a fide recedit
„ apoſtata eſt : ita qui ad ipſum opus quod deſeruerat redit, ab omnipo-
„ tente Deo apoſtata abſque ulla dubietate deputatur, etiam ſi fidem te-
„ nere videatur. Unum ſine altero prodeſſe non poteſt, quod nec fides ſi-
„ ne operibus, nec opera adjuvant ſine fide. Ergo nullus abhorreat de eo
„ quod diximus prædictum fratrem non potuiſſe veniam recipere, nec me-
„ ruiſſe ſurſum aſſcendere, priuſquam veſtimentorum facta in eo mutatio
„ fuiſſet. Nulli enim dubium eſt præceptum eſſe in lege, quæ & qualia fo-
„ rent filiorum Levi veſtimenta, ſine quibus ſanctuarium ingredi non au-
„ debant. Quis enim audeat dicere, quod pro humerali uterentur ratio-
„ nali, vel pro tunica byſſina ephod lineo induerentur? quod una quæque
„ ſuum habet colorem opus ac varietatem. Nam & Jeſum Sacerdotem
„ magnum tamdiu adverſatus eſt diabolus, quouſque aliis veſtimentis
„ ab Angelo fuit indutus : & David cum ſuper Amalecitarum popu-
„ lum voluiſſet inſurgere, bis Deum conſuluit, & reſponſum eundi non
„ accepit : tertio Ephod indutus eſt & protinus ſibi imperantis audivit
„ vocem.

„ 3. Hæc ait, & poſt hæc rurſum adjecit; Vis ne aliis documentis oſten- de monachis carnes edentibus.
„ dam tibi, quia perparvum eſt quod multum dehoneſtat, atque corrum-
„ pit? Cui cum ita me omni cum deſiderio velle reſpondiſſem, & in ſuis
„ auctoritatibus me ardere cerneret, horum mihi exempla expoſuit ſuccin-
„ cta relatione.

„ His diebus duo fratres iſta fuerunt rapidiſſima rapti morte, non tamen
„ uno in loco, nec uno die. Veniens autem unus ex eis ad domum cujuſ-
„ dam ſuæ ſororis vehementiſſime eſurire ſe dixit, & refectionem petiit,
„ cui protinus ſoror ſua piſces ſe abundanter habere reſpondit ut come-
„ deret, quales & qua hora vellet. Ille vero quaſi indignans, faſtidiri ſe
„ piſces reſpondit, eo quod per tot annos indeſinenter eos ſe comediſſe
„ adjecit, & non eos jam ſe poſſe videre dixit. Reſpondit ſoror ſua:
„ Ecce inquit in promptu carnem [a] habemus, comede ergo quæ placet.
„ Tunc ille armum ſibi aſſari præcepit cujuſdam animalis : ſed non fe-
„ rens aſſandi moram partiunculam incidit, & in prunas projecit. Dein-
„ de vinum ſibi afferri juſſit, & carnis morſum avide ſumpſit; ſed hoc
„ quod ſumpſit, gulam non tranſiit, nec rejicere potuit, ſed vitam cum
„ cibo perdidit.

„ 4. Alter igitur diluculo veniens ad domum cujuſdam ſui parentis, ſtatim
„ ſi haberent quod ei ad comedendum tribuerent inquiſivit : cui cum reſ-
„ pondiſſent quia nondum hora edendi eſſet; adjecit cum indignatione di-
„ cens : Hei tota nocte equitando per injunctam mihi obedientiam labo-
„ ravi & non ſilui, & nunc jejunare me cogitis? Afferte ergo mihi ſi ali-
„ quid habetis. Cui cum ſe piſces habere dixiſſent, potius indignatus eſt:
„ & faſtu repletus arrogantiæ, huc, illucque cœpit oculorum intuitus cir-
„ cumferre. Ibat autem circa pedes ejus grex cornicum, quas nos gallinas

[a] Exempla hæc refert, graviterque urget Petrus Venerabilis in lib. 6. epiſtola 15. ad ſuos Cluniacenſes.

AN.CHR 942 18. Nov. „ vocamus. Tunc quaſi furens quoddam bacillum arripuit, & quam ei „ complacuit percuſſit, ac furibundo ore dixit: Hæc erit hodie mihi piſcis. Ceteri ſiquidem qui circumſtabant, cum quodam rubore cæperunt „ ei dicere: Fortaſſis licet tibi carnem comedere, Pater? At ille: volatile, inquit, non eſt caro, volatilia enim & piſces unam habent originem & æqualem creationem, ſicut noſter hymnus continet. Ad cujus „ verba conticuerunt omnes. Interea appoſita eſt ante eum quam occiderat jam aſſata gallina, ex qua offam abſtulit & momordit: quem morſum nec evomere, nec glutire potuit, ſed eum vita privavit: pugnos tamen & cervicatas pro mercede ſuæ improbitatis in opprobrium antequam „ moreretur aſſumpſit. Si autem commovetur animus tuus ſupra mortem horum fratrum duorum, ſimili modo ut unius ſuperius, & nunc tibi exemplo oſtendimus, digni fuiſſent ea morte, qua perplexi ſunt: pro paucis lenticulæ granis Eſau primogenita perdidit, nam & Iſraeliticus populus dum cibo mannæ aleretur, reverſi ſunt corde in Ægyptum concupiſcentes ollas carnium quas nuper ſub jugo malæ ſervitutis comederant. De quibus mentionem facit Apoſtolus Paulus. *Non ſimus concupiſcentes malorum, ſicut & illi concupierunt*. Iſti enim dixerunt faſtidiri ſe piſces: illi vero murmuraverunt dicentes: *Non vident oculi noſtri præter manna*. Et hoc dicimus, non quod cibis imponamus vitium, ſed male utentibus. Unde & Paulus dicit: *Et carnis curam ne feceritis in deſideriis*. Quod enim in concupiſcentiis denegat, hoc in neceſſitatibus largitur. Tres namque pueri miſſi in camino Babylonis ignis, abdicantes regales cibos a tanto igne evaſerunt illæſi. Ipſe idemque ignis quotquot de Chaldæis reperit, combuſſit & occidit. Igitur & Nabuzardan princeps coquorum deſtruxit muros Jeruſalem. Ergo neminem moveat quod Elias famis tempore carne alitus eſt mane & veſpere, ſed qui requirit cibum conſideret miniſtrum. Sæpe enim dæmones horum alituum figuram tenent. Talis enim cibus corvorum aptus fuit miniſterio, & ejus ſaturitas veſpere & mane meruit eſuriem. At vero quando panem comedit, Angelum delatorem habuit, & in tantum confortatus eſt, ut per quadraginta dies cibi refectione non indigeret. Hæc omnia diximus, ut plenius oſtenderemus non eſſe in cibo vitium, ſed in appetitu. Horum tamen interitus multorum extitit emendatio morum. Sic enim apud nos Ordo Monachorum cecidit: Sicque & correctus fuit & frequenter multis prodigiis corrigitur, ut auctore „ Deo perſeveret. Sed dum vitam, doctrinamque Patris noſtri plenius enarrare diſpoſuimus, quaſi improvidi quodammodo nolentes in horum incidimus exceſſibus, & ob hoc a noſtro propoſito longe digreſſi ſumus: ad quod velociter ſtilum vertamus.

Item de alio cui vena ſecta. 5. Fateri autem ſolent fratres noſtri, qui ante nos adſtiterunt illi, quod fuit unus quidam frater ex Patris noſtri congregatione, qui licito tempore phlebotomi ſibi curationem adhibuiſſet. Super quo facto commotus eſt ejus animus, quia quamvis eum neceſſitas coegiſſet, tamen abſque ejus licentia hoc non debuit præſumere. Mox vero per quam prius ſanguis effluxerat, diſrupta eſt vena, & quouſque redderet animam, a quocumque medicamine non fuit reſtricta. Addebant inſuper, quod ſive proſpera, ſeu adverſa cuilibet indixiſſet, nullatenus illis carere potuiſſet: quod utinam quidam ex noſtris in ſe ipſo expertus non fuiſſet. Sed felices illi, qui ejus præſentiam cernere meruerunt quo ad vixit. Infelix ego, qui nec duobus expletis annis illi merui famulari.

Odonis timor de culpis in Abbatem. 6. Appropinquante autem tempore, quo ſecundum Dei diſpenſationem corporali ſepararemur viſione, & ejus abſentia quæ fieri debebat, potiorem menti meæ amoris inferret ignem; quadam die dum me cerneret nimium triſtem, cœpit me blande conſolari ſuo more. Sed cum videret miſeræ menti meæ nec ſic ſatisfacere poſſe; more Jacob patriarchæ a præteritis exordium „ ſumens, futura mihi præſago ſpiritu, ita cœpit exponendo prædicere. Cariſ-

„ ſime

Digitized by Google

„ ſime fili, auſculta quæ dico tibi. Gratias ago Deo, quia ex omnibus peccatis quæ a juventute perpetravi, in hac vita jam ultionem recepi, exceptis illis quæ in Abbatem meum commiſi: & ſemper diem illum & tempus exſpectavi, deprecans Deum, ut ea non reſervaret mihi in futurum. Et nunc credo me eſſe exauditum, quia quæ in illum geſſi, hæc rurſum a te recepi. Tibi autem ſcias non reddi ſimplicia, ſed decupla. Eſto namque fortis & patiens, ut ea valeas tolerando quiete portare. Hæc lacrymans dixit, deinde exoſculans caput meum, Domino me commendavit: ſed tu Domine omnipotens reddenti mihi verſa vice CÆSARIO Presbytero centuplicata ac graviora, miſericorditer parce, & ſi aliqua ſuperſunt meis mœrentibus malis propitiatus averte. *a*

Monachorum in carnes aviditas.

7. Eodem quoque tempore conceſſit nobis jam præfatus ALBERICUS princeps Monaſterium ſancti Heliæ, quod Subpentonia dicitur, de quo beatus Gregorius in libro Dialogi *b* mentionem facit. Sed ſicut idem beatus Gregorius dicit, durum eſſe in mente veteri nova meditari; hos quos ibi reperimus Monachos, non quibamus eos ſubtrahere ab eſu carnis. Ordinavit autem Pater noſter in eodem cœnobio Præpoſitum unum ex noſtris fratribus, nomine THEODARDUM. Videns autem ille eo quod virtute, nec ſanctitate ab eodem vitio eos poſſet cohibere; cœpit ex finitimis regionibus piſces emere, ut vel ſic voluntati eorum ſatisfaceret: qua etenim re penitus equi quos ei dimiſerat Pater noſter, defecerant huc illucque diſcurrentes. Hanc enim eorum improbitatem, ſuumque laborem prædictus frater Patri noſtro crebrius ſtuduit innoteſcere. Inter hæc eo a Domino petente vallis ipſa cui monaſterium præeminet atque interjacet, non multum procul junctis invicem monticulis ſe clauſit, & parviſſimi torrentis qui per eam defluebat, aditum interdixit. Dehinc multitudine aquarum collecta, lacum ex ſe produxit, & laborem fratri abſtulit, quia piſces illi emere ultra neceſſe non fuit. Sed hoc factum cujus fuiſſet meriti, quidam imperiti neſcierunt eo quod publice qua ratione ſit factum non viderunt, eo quod Patris noſtri orationem auditu non audierunt. Hoc enim hypocritarum eſt non fidelium, videlicet ignorantes qui hæc dicunt illud quod canit Pſalmographus: *Deſiderium pauperum exaudivit Dominus, deſideria cordis eorum audivit auris tua:* & iterum: *Voluntatem timentium ſe faciet, & orationes eorum exaudiet.* Nam & ſimiliter pridem fecit cum eſſet Franciæ apud beatum Benedictum: cujus rei rationem tanto ſecurius proferimus, quanto ex ea fideliorem teſtem eumdem Patrem habemus. Sed prius fideli ſermone proferendum eſt, quemadmodum prædictum ſuſceperit cœnobium, ut ad ea quæ ſunt ſequenda quaſi per directam lineam ſtilus noſter perveniat.

S. Benedicti Floriacenſe monaſterium ut reformatum.

8. Poſt finem jam fatæ perſecutionis, quæ facta eſt ſub NORTMUNDO ſæviſſimo Nortmannorum Rege in finibus Galliæ, ut adimpleret Dominus Eccleſiæ ſuæ quod per Iſaiam olim prædixerat, *Ad punctum*, inquiens, *in modico reliqui te, & in miſerationibus magnis congregabo te. In momento indignationis abſcondi faciem meam parumper a te, & in miſericordia ſempiterna miſerebor tui;* congregati fratres in idipſum ex cœnobio beati Benedicti, qui hoſtili metu pridem huc illucque fuerant diſperſi, proprium receperunt cœnobium: ſed (quod ſine dolore dicere non poſſumus) unita corpora ſciſſis mentibus ſanctiſſimum illum tantum præoccupabant locum: quod ſuccincta locutione tranſcurrimus, ne in talium vita noſter ſtilus immoretur. Re vera hoc patenter narrare ſatagimus, qualiter a beato Benedicto vocatus ſit atque electus, immo & præordinatus Odo pater beatiſſimus. Quodam vero die dum prædicti fratres intra clauſtrum reſidentes ſe invicem corroderent, quidam ex eis de obedientia rediens, obvium habuit ante fores monaſterii Benedictum patrem: cui

a Hic in editis inſeruntur ea, quæ in ſuperiore libro referuntur in codice Compendienſi, nempe a num. 14. ad 23.

b Nempe in lib. 1. cap. 7. ubi monaſterium iſtud *juxta Nepeſinam urbem* locat, *Nepi* in Etruria: quo de monaſterio rurſus agit Gregorius in capite ſequenti.

Digitized by Google

AN.CHR. 942 18.Nov.

„ mox imperavit, Vade, inquiens, dicito his fratribus, quia non me quieſcere ſinunt, ecce recedo ab his ædibus, & ſciant me non reverſurum in hunc locum quo uſque ex finibus Aquitaniæ talem virum huc deferam, qui ſit ſecundum cor meum. Quem frater ille cum de nomine vellet inquirere, reſpondit hæſitationi ejus: Ego ſum ſcias frater BENEDICTUS, ait, & ire cœpit. Igitur frater ille quæ ſibi imperata fuerant nuntiavit: ſed miſeri tanto patre orbati, non cucurrerunt ad lacrymas & preces, quæ ipſam Domini comminationem ſæpius ſedare ſolent: ſed aſſcenſis equis, huc illucque cœperunt diſcurrere ut eum invenirent, inventumque vi aut prece revocarent. Sed cum neminem inveniſſent, cœperunt poſtmodum fratri illi indeſinenter illudere. Per illud tempus vir ELISIARDUS, qui tunc erat Comes illuſtris, nunc vero in monaſtico degit habitu, audiens infamiam horum Monachorum, prædictam Abbatiam a RODULFO Rege Francorum petiit & accepit, acceptamque Patri noſtro tradidit. Deinde ſumptis ſecum duobus Comitibus, itidemque Præſulibus, ſimul cum patre noſtro Odone profecti ſunt: quorum adventu fratres cognito ſumptis gladiis alii aſſcenderunt ædificiorum tecta, quaſi hoſtes ſuos lapidibus & miſſilibus telorum jaculaturi. Alii muniti clypeis accinctis enſibus monaſterii obſervabant aditum, prius ſe mori fatentes, quam eos introire ſinerent, aut Abbatem alterius Ordinis [a] ſuſciperent. Interea in ſe reverſi dicebant: Ecce videmus quid nobis nuper minatus eſt beatus Benedictus. Heu proh dolor, quare non credebamus fratri noſtro? Omnia nempe quæ nobis dixit, opere complevit. Numquid non iſte eſt Odo Aquitanus ille, de quo frequenter ſuſpicati ſumus dixiſſe beatum Benedictum? Heu quare non prius nos ad eum miſimus, ac ſponte invitavimus? Interea quærebant qua ratione eos poſſent propellere, vertentes ſe huc illucque. Erat autem apud eos frater WLFALDUS [b] nomine, juvenis, ſed bonæ indolis. Hic enim dum inter eos diſcurreret, miſerunt ei quædam Præcepta regalia, in quibus continebatur, ut nulli ex alia congregatione ullo umquam tempore liceret ejuſdem loci prioratum ſubire: cui Pater noſter inquit; Pacifice veni, adeo ut neminem lædam, nulli noceam, ſed ut incorrectos regulariter corrigam. His & ſimilibus verbis, licet per internuntios, eorum aſſidue mulcebat mentes. At illi cum viderent ſuam nullo modo prævalere induſtriam, vertebant ſe ad alia argumenta, modo Regem vocabant, modo occidere eum minabantur. Hoc enim fiebat per triduum. At poſtmodum pater Odo cunctis ignorantibus aſſcendit aſellum, & cœpit ire concite ad prædictum monaſterium. Epiſcopi vero & qui cum ipſis erant Comites ſimul cum ſuis currebant poſt eum clamantes: Quo is Pater? an fortaſſis quæris mortem? anne vides quia parati ſunt te interficere? qua videlicet hora acceſſeris ad eos morte morieris. Veliſne eis de tuo interitu facere gaudium, & nobis exitialem luctum? has & hujuſcemodi voces poſt eum mittentes. Sed, ſicut ſcriptura ait, *Juſtus ut leo confidens abſque terrore erit*; accepto itinere eum nullo modo potuerunt declinare. Mira dicturus ſum. Appropinquante autem illo & agnitus ab his qui eum prius noverant; hi qui tunc reſiſtebant protinus commoti ſunt & immutati, ita ut proculdubio dicere poſſim: *Hæc eſt mutatio dexteræ excelſi*. Re vera extemplo projectis armis exierunt obviam ei, ejuſque ſunt amplexati veſtigia. Non parva ſiquidem lætitia eo die omnibus eſt facta. Patrem igitur Odonem cœnobii receperunt clauſtra: reliqui omnes redierunt in ſua.

Eſca carnium & proprietas vix reſciſſa

9. His præterea diebus cœpit eis ſuadere, ut ab eſu carnium recederent, parceque viverent, nihilque proprium poſſiderent: id ipſum quod occulte habebant Apoſtolorum more coram omnibus renuntiarent. Sed quia res Monaſterii nequaquam in commune poſſederant, ſed pro poſſe & libitu ſuo eas inter ſe diviſerant; cum viderent ſibi ultra jam non licere quod licuerat, malue-

---

a Id eſt alterius monaſterii ſeu congregationis, ut inferius explicatur.

b Is poſt Archembaldum Odonis ſucceſſorem Abbas fuit Floriacenſis, ac demum Epiſcopus Carnutenſis, de quo Aimoinus in lib. 1. de mirac. S. Benedicti num. 14.

Digitized by Google

luerunt potius ſuis fautoribus, immo profligatoribus injuſte poſſeſſas inique condonare, quam jure regulariterque abrenuntiare. Nam ſolo prodictu id ipſum quod abrenuntiaverant moliebantur mandendo conſumere cum ceteris quæ Pater noſter ſecum tulerat, ut conſumpta omnia ſaltem invitis eis carnem concederet: qua de re indeſinenter expetebant piſces. Econtra pius Pater cuncta illis impendebat competenter, ut ab uno eos cohiberet. Sicque factum eſt, ut ille largiendo, ipſique mandendo pene omnia conſumerentur. Inſtabat nimirum Pater noſter fide intrepidus, ſpe ſecurus, charitate munitus, ſciens ſe ſecundum illud Evangelicum nequaquam deſeri promiſſum: *Nolite ſolliciti eſſe quid manducetis, aut quid bibatis, aut quo operiamini*. Interea dum hæc agerentur, cuidam fratri ſanctus Benedictus adeſt in viſione, eique inter cetera imperat Patri noſtro dicere, ut pro pecuniæ defectu minime trepidaret; ſed nec pro adipiſcendis rebus ſolicitus eſſet, ait, & poſt hæc adjecit: Craſtina die mittam ei centum ſolidos, & ſequenti hebdomada ei tanta accommodabo diverſarum rerum ſolatia, ut multis temporibus ſufficere queant uſibus fratrum, quod & factum eſt.

10. Præterea cœpere quamplurimi ex circumfluis regionibus ad veſtigia beati viri concurrere, ejuſque magiſterio placitæ obedientiæ viam arripere, quo poſtmodum mererentur polorum ſcandere ſedes. In tantum igitur ſanctitatis ejus fama dilatata eſt, ut non ſolum laici ſeu Canonici ad eum confluerent, verum etiam Epiſcopi quidam proprias ſedes relinquerent, ejuſque ſe congregationi ſociarent. Interea videres locum illum quaſi exculta ſpinis terra novas ſoboles, ceu novas fruges proferre, & quaſi ex tritura areæ crebris verborum ictibus tunſis ſequeſtratum a vitiorum paleis frumentum conferre ad dominicum horreum. Epiſcoporum, &c. concurſus ad Odonem.

11. Alio item tempore appropinquabat dies feſtus beati Benedicti, complacuit Patri noſtro ex quodam monaſterio quo tunc erat, ad prædictum proficiſci cœnobium, quatinus ante corpus beati viri nocturnas devote excubias celebraret: quod & fecit. Nocte vero illa quæ ſollemnem præceſſerat diem, contigit ut ante lucis ortum matutina laus celebraretur. Nam cum quidam e fratribus nocturna vigilia fatigatus denuo ſe ſopori dediſſet, Benedictus beatus ei apparere dignatus eſt. Cui cum ſe prius agnitum reddidiſſet, protinus ſubjunxit: Nuntia, inquiens, fratribus, quia in hac nocte non potui cum illis eſſe, ero pro certo hodie. Et ubi fuiſti, inquit, Domine? Et beatus ait Benedictus: In inſula Brittannia. At ille: Quid, inquit, ibi feciſti! & ille reſpondit: Frater Leutfredus qui propter ſuam ſuperbiam deſerens hunc locum transfretavit maria, hac nocte fuit defunctus, & a dæmonibus receptus. Contra quos agonem intorſi, eumque ab eorum poteſtate liberavi: quo audito cœpit frater ille ſuper hujus rei factum admirari attonitus. Ad quem rurſus ait pater ſanctus: ſi ſuper hoc factum miraris, iterum audi: „ Scias pro certo, quia ab illo die quo hoc monaſterium fuit conſtructum, „ quotquot fratres hic fuerunt migrati, æterna requie *a* ſunt recepti. Deinde adjecit frater ille: quia Domine dixiſti hodie nobiſcum te eſſe debere, quis nobis notam faciet horam adventus tui, ut occuramus tibi. At ille: Nemo, inquit, ſed ego tale ſignum oſtendam omnibus, quod de mea præſentia nullus dubitet. Adjecit frater & ait: Et quali cum apparatu tantum Patrem ſuſcipere poterimus, aut quibus obſequiis adſtabimus ei? cui beatus reſpondit Benedictus: Si pro lautioribus cibis eſtis ſolliciti, piſces abundanter habetis. At ille: Nequaquam, ait, Domine. E ſanctus: præcipiatur, inquit, piſcatoribus ut nequaquam eant in Ligeris alveum ad piſcandum, ſed in hac palude, quæ ſecus influit monaſterium. His auditis evigilans a ſomno frater, Factum in ſollemnitate S. Benedicti.

 cum

a Ejuſmodi privilegiis nimiſquam non fidendum. Apprime huic loco ipſe ſanctus Odo in ſermone de S. Benedicto, ubi de Floriaco agit. *Videris ergo quiſquis eſt, cui locus tam multis uſquequaque tantum deſiderabilis non negatur, quanti habendus ſit, quantaque reverentia excolendus. Pondus quippe cujuslibet reatus non ſolum ex intellectu gerentis vel tempore, ſed etiam ex loco ſolet penſari. Alioquin quem præſentia tanti Patris ad ſui reverentiam non flectit, ſpiritum Judæ videtur participare.*

Digitized by Google

AN.CHR. 942 18. Nov. cum tempus fuiſſet loquendi, omnia quæ ſibi fuerant imperata, ſtuduit fratribus innoteſcere. Certi ergo fratres de adventu Patris & admonitione patris noſtri Odonis edocti, unuſquiſque ſatagebat ſpirituali Patri de corde proprio ſpiritualia offerre munera. Unde factum eſt, ut ipſum diem cum ſpiritualibus hymnis, orationibuſque tranſigerant. Interea famuli monaſteri qui piſcandi officio erant dediti, nequaquam, ſicut eis imperatum fuerat abierunt in paludem, ſed in Ligeris fluvium, a quo fuerant ſecreti. Unde factum eſt, ut abſque ullo emolumento, licet fatigati, fere hora tertia ad monaſterium ſunt reverſi: qui videlicet requiſiti, cur vacui rediſſent; confuſi præſumptione inobedientiæ erubeſcebant confiteri quod egerant. Sed ſilentium quod indicebat pudor, hoc reſerabat faciei rubor. Quibus ait Oeconomus: Scio enim præſumptionem veſtram. Sed quoniam prius imperata renuiſtis, nunc ſecundo in paludem piſcandi gratia redite: quod & factum eſt. Re vera ſubito tantos in hac piſcatione traxerunt piſces, ut pene nullus ambigeret, quod ipſe qui in deſerti regione ortigometras populo tribuerat, etiam tunc in eamdem paludem piſces influeret. Etenim uſque adeo ibidem ſuperabundant, ut videlicet nullo tempore ab ea deficiant. Sicque factum eſt ut palus, quæ ranas prius ebullire conſueverat, deinceps piſcibus abundaret. Hoc miraculum ipſe Pater noſter in libro *a* quem de adventu corporis ſancti Benedicti in Aurelianenſi, eodem ſenſu, ſed non eiſdem verbis cum ceteris perſpicaciſſime edidit. Convenerat igitur ad eamdem ſollemnitatem ex circumfluis regionibus non modica turba hominum *b*, inter quos quamplurimi erant cœci & claudi, ſeu paralytici, atque diverſis languoribus dediti, exſpectantes tempus refectionis: de quibus omnibus imperatum eſt a patre Odone, ut ante tempus Miſſæ nequaquam eis cibum impertirent. Facta autem hora, ingreſſi ſunt omnes ad Miſſam. Tanta enim eſt magnitudo eccleſiæ, ut nullus cogeretur foris ſtare. Enimvero ut angelicum cœpere hymnum canere, id eſt, *Gloria in excelſis* *c* *Deo*; magno quodam ſtrepitu fores eccleſiæ ſubito ſunt concuſſæ & reſeratæ, ita dumtaxat ut omnes poſt tergum adſpicerent quodam horrore perculſi. In ipſo autem ſtrepitu omnes qui illic aderant infirmi priſtinæ ſanitati ſunt redditi, ſcilicet cæci viſum, ſurdi auditum, claudi recepere greſſum. Equidem & lampades eccleſiæ omnes fuere illuminatæ. Tunc intellexerunt omnes ibi beatum (ſicut prædixerat) adveniſſe Benedictum. In tantum enim devotio ſpiritualis omnium corda replevit, ut præ immenſo gaudio a lacrymis ſe continere non poſſent. Nomina vero fratrum qui hoc viderunt, innoteſcere mihi renuit pater Odo: qua de re dubium eſt, utrum ipſe an alius fuerit qui hæc viderit.

Romæ ægrotans, 12. Inſtante vero jam mortis ejus articulo, cum piis ejus actibus (ut ſupra retulimus) corona beatæ remunerationis deberetur a Chriſto; Romæ poſitus, acuta & continua febre corripitur, membra dolore franguntur, frigidus ignis ipſas cum carne medullas conſumit, diverſaque & multiplicia genera paſſionum in uno homine ita inſurgunt, ut pro vero eſſet ſe jam jamque a Domino vocari, & terreni hominis indumento exſpoliari. Quid faceret vir ſanctus, nimirum Apoſtoli fidelis imitator & vicarius, jam reſolvi deſiderat, & cum Chriſto vivere votis omnibus exoptat. Percucurrerat enim ſanctorum certamen laborum, ac totius virtutis egregium compleverat curſum, ut merito per gratiam divinæ pietatis coronam ſibi juſtitiæ repoſitam eſſe in cælis, tota ſpei certitudine confideret. Præterea dum de hac ſua vocatione ſuſpenſus haberetur, deſiderio ſibi fuit, prius ſuum Nartinum, in quo (ut ita loquamur) cum ipſo lacte carnis ardorem inexhauſti amoris (imbiberat,) orationis

vitæ inducias obtinet.

a Excidit liber iſte ſancti Odonis, quem librum utinam quis, ſi alicubi eſt, proferat in lucem.

b De hac turba loquitur Odo in ſermone de translatione S. Benedicti, quem eo die pronuntiatum exiſtimo.

c Non cuivis privato Sacerdoti olim licebat hunc hymnum in Miſſa dicere. Lege Agapiti Papæ epiſtolam in Metropolis Salisburgenſis tomo 1. pag. 150. & Calliſti II. hac de re diploma pro Francone Abbate Trenorchienſi apud Chiffletium, pag 403.

Digitized by Google

tionis gratia reviſere, & ei extremum ſpiritum cum proprii corporis favilla conſignare. Quia vero Dei omnipotentis clementia piis ſemper votis dignatur adeſſe, affuit mox & in hoc noſtro Odone, quem ſibi alterum vas electionis ſegregaverat a matre. Videt enim Deo dilectus in ſequenti nocte virum quemdam conſpicabilis formæ ſimul & gratiæ, talia ſibi per viſum dicere: O ſancta & Deo dilecta anima, inſtat quidem tua vocatio, & ultima corporis reſolutio: ſed Martinus te precibus differt, & ad patriam reditum & vires miniſtrat: ſed cum illo perveneris, mox tibi vita pro morte dabitur, & beata ſocietas electorum pro tuo pio labore a Chriſto recompenſabitur. Viſioni mox ſigna dant fidem: ægritudo corporis aliquantiſper deficit, ſalus accelerata redit, itineris continuo difficultatem invadit; nec reputans ſenilia & præmortua membra, vicit durum laborem, ob nimium in Martino ardorem, tanto jam devotior in ſpirituali obſequio, quanto ſecurior de præmio. Conſumpta itaque tanti laboris via, Turonis ventum eſt, inſtante jam beati Poncificis celebritate, qua ſpiritus victor migravit a corpore. Fit tunc gemina urbis exſultatio, dum & Martini annua celebritas renovatur, & Odonis concivis diu deſiderata præſentis ab omnibus in commune venerabiliter amplectitur. In qua ſancta feſtivitate vir ſanctus quam devotus exſtitit, quas preces fletibus mixtas Martino effuderit, quæ etiam contriti cordis ſacrificia in ara illa ſalutari, tamquam vivens hoſtia mactaverit, non eſt noſtræ facultatis evolvere, quos deprimit ſtoliditas mentis & ruſticitas ſermonis. De ſua namque vocatione ſollicitus, fixus ad Deum erat animus; & terrena jam oblitus, puro mentis intuitu, tamquam verus Martini vernaculus, cæleſtia tantummodo contemplabatur attentius. Suſpenſus itaque redditur tali exſpectatione, tota illa beati Pontificis celebritate: ſed (quod contra ſpem ſibi accidit) per triduum differri ſibi repromiſſa munera anxius ingemiſcit: cum ecce quarto die tranſactæ feſtivitatis, iterum rediviva febris accenditur, frigidus inrepit mox præcordia ſanguis, atque ſuas conſumit acerbo vulnere vires. Tunc ſui jam voti compos effectus, & de Dei miſericordia certus, ſpiritus quidem feſſus langueſcit ægroto corpore.

AN.CHR. 942 18. Nov.

Turonos accedit in feſto S. Martini.

Sed mens læta Deum cernit, ſuſpirat, anhelat,
Ultima vox reſonat. Tu, Chriſte, parce redemptis.
Martinum ingeminat, Martinum ſuſpicit, orat.

Monachos undecumque venientes, & ſuam vocationem inremediabiliter deflentes, inſtruit ſermonibus, conſignat Deo paternis orationibus, protegit benedictionibus, & valedicit piis ſingultibus. Advenerat vero jam quartadecima dies ante Decembrem, quæ etiam octava Martinianæ celebritatis habetur, cum beatus ille ſpiritus, divina illa & ſalutari pinguedine recreatus, & vivificanti poculo vegetatus, corruptibili carne ſolutus, liber ad æthera migrat, & Martino duce, ſibi crediti talenti multiplicem fructum fideliter repreſentat. A quo percipiens & ipſe premium condignum pii laboris, ſanctorum cœtibus admixtus, reſplendet candore beatæ immortalitatis, per Chriſtum Dominum noſtrum, qui vivit regnat in ſæcula ſæculorum, amen.

Octava S. Martini moritur.

Digitized by Google

AN.CHR. 942 18. Nov.

ALIA VITA

Auctore NALGODO Cluniacenſi monacho Sæculi 12.

Ex codicibus manu-ſcriptis.

PROLOGUS.

Nalgodus Joannis ſcriptum reformat.

1. AD deſcribendum vitam beati Oddonis primi Cluniacenſium fundatoris ut apponerem extremam manum; religioſa ſeniorum virorum importunitas me promovit. Nec abnuere potui, quod tam imperioſa charitas exigebat. Sed animo quod jubebant, & novæ devotionis ſtudio perurgente, Joannem qui de illo ſcripſiſſe inveniebatur offendi. Legi cum diligentia qua decebat & oblatos ejus apices ex ordine percurri. Tanta erat verborum confuſio, tam diſperſa prolixitas, ita inordinatus & præpoſterus ordo narrandi, ut ipſa ſeries relationis vix ſibi aut ratione, aut tempore cohæreret. Diplicuit mihi valde: & præclara digniſſimi viri geſta quia indigne obſcuritatis nebula premerentur vehementer indolui. Acceſſit moleſtiæ meæ major ſpiritus libertatis, & in gratiam beati viri pia ſecuritate me transferens, ſententiam dedi ut ſcriberem. Scribam igitur meo domeſtico more loquendi, & ex multiplici agmine illo verborum puram & ſimplicem conabor eruere veritatem. Nec opus erit, ut futuris profectui labor noſter civili elegantia coloretur. Tanta eſt apud Deum & homines claritas beati hujus, ut ſi ei urbanæ facundiæ nitor acceſſerit videatur potius obnubere ſplendorem ejus, quam eum facere clariorem. Procedat in ſuo habitu glorioſa nuditas geſtorum ejus: & pie ſenſiſſe, vere dixiſſe de illo ſumma illi erit magnificentiæ claritudo. Sane apud ſiniſtros alieni ſtudii diſcuſſores ſimplex & ex radice charitatis aſſcendens veſtra devotio habeat me excuſatum. Non enim gloriæ lucro ductus, ſed cauſa publicæ utilitatis inductus, incompoſitæ relationis nubem detraxi, & magnificum ſolem noſtrum, qui uſque hodie vix comparuerat, legentium oculis reformavi. Sed hic hactenus. Ipſe autem Spiritus veritatis huic operi pius cooperator aſſiſtat: qui me & in dicendis parcitate ſuccinctum, & in ſcribendi veritate faciat expeditum.

INCIPIT VITA

S. Odonis Cluniacenſis Abbatis a Nalgodo Cluniacenſi monacho edita, vitæ ſimplicis & honeſtæ viro.

Odo piis parentibus,

2. Venerabilis igitur Oddo ex militari Francorum proſapia carnis originem duxit: ſed magis luce fidei quam natalium claritate reſplenduit. Pater ejus Abbo nomine tantæ legitur honeſtatis atque prudentiæ, ut in laicali propoſito non laicaliter vivens, apud ſuos vir conſilii & providentiæ haberetur: unde apud domeſticos in gratiam multam deveniens; præcipue apud & Vvilliermum Aquitaniæ ducem familiare privilegium obtinebat. Uxori ſuæ matrimonii lege conjunctus, licet de poſteritatis gratia deſperaſſent, nuptiale bonum mira continentiæ ſobrietate ſervabat honeſtis occupationibus ſe exercens, in ſanctorum vigiliis conſueta devotionis frequentia pernoctabat. Ducens itaque noctem Dominicæ nativitatis inſomnem, cum ad partum virginis excubias celebraret, inter lacrymas & ſingultus, dari ſibi filium contrito ſpiritu depoſcit. Qui in multa fide ſpem ſuſcipiendæ prolis concipiens, emortuum uxoris uterum virili conſuetudine ſuſcitavit. Proſperum fe-

cælitus impetratur.

fecit Dominus deſiderium utriuſque, & caſtis eorum petitionibus ſatisfecit; dans illi filium Oddonem nomine, virtutis non ſucceſſionis heredem. In quo nimirum jam tunc præludia ſequentis gratiæ luceſcebant, dum futurus ſobrietatis & ſanctimoniæ inſtitutor, ex oratione & continentia noſcebatur. AN.CHR. 942 18. Nov.

3. Adhuc infantulus in cunis jacens, nutricis diligentia fovebatur: cum ſecreto die quadam cubiculum pater ingreſſus, eumdem ſine cuſtodis providentia ſolum invenit. Circumjectis oculis, cum neminem deprehenderet adfuiſſe, reverenter manibus apprehenſum puerulum elevavit a cunis: quem veluti offerendum porrigens in ſublime, oculos cordis & corpus attollens in cælum; gemma inquit præſulum o Martine, ſuſcipe hunc puerum: providentiæ tuæ gremio confovendum. Quo dicto: puerum in cunis depoſuit: & ſum * coſio ſicut ingreſſus pater ingreſſus eſt. Quod eum inſtinctu divino potius quam humano feciſſe & Oddonis ſubſequta devotio in Martinum: & Martini gratia in Oddonem luce clarius manifeſtat. S. Martino puer oblatus.

* Locus mendoſiſſimus; forte legendum; & cum gaudio ſicut pater egreſſus eſt.

4. Infantulus depulſus a lacte, & nutricis cunis exemptus cuidam Sacerdoti longius commanenti traditur nutriendus. Suſceptum puerum blande ac leniter, ſicut ætas infirmior exigebat, Sacerdos inſtituens, literatoriis etiam rudimentis rudem ejus infantiam imbuebat. Gemina circa puerum diligentia Presbyter utebatur, dum ei & honeſtis viam ſuis colloquiis inculcaret & in ejus teneram & tenacem memoriam ſcientiæ fluenta transfunderet. Cujus informationi dum omni ſtudio ſubſerviret, videt in viſione noctis Eccleſiæ principes Petrum & Paulum, qui ab eo puerum quaſi violenta exactione poſcebant. Attonitus Presbyter, quemdam ſuper expoſtulatione illa ſtuporis patiebatur exceſſum. Sciſcitabatur voce qua poterat, quid de puero ſive in puerum acturi eſſent: an eum paternæ domui reſtituere cogitarent. Quærenti ex compendio reſponſum dantes, Non, inquiunt, ad domum patris, ſed in orientis extrema puerum adducemus. Sacerdos auxius, & ſuum ſpiritum fere non habens; ne ſibi puerum commendatum eriperent formidoloſa conſtantia deprecatur: ſe in cauſam ducendum, ſe paternæ gratiæ reum futurum, ſe apud affines infantuli notandum infamia proditoris, ſi puer non compareat, profitetur. Advolvitur genibus Beatorum, preces ingeminat, ut ſuæ calamitatis miſeriam temperare dignentur. Tandem piiſimi exactores, miſericordia Presbyteri ſupplicatione permoti, ſe dimiſſuros puerum, ſed ad tempus in voce miſericordiæ ſpoponderunt. Evigilans Presbyter poſt quietem, & quod viderat ſecum admirans, filium reformat patri præmiſſa, qua commonitus fuerat viſione. O diſcreta benignitas circa ætatem etiam non diſcretam. Puer nec dum ſcientiam electionis habens, in ſortem electionis Dei, exactione ſanctorum ſpirituum trahebatur. Non eſt hæc viſio Sacerdotis conſueta lege ſomnii metienda. Præmonſtrabatur in hac ſimilitudine non ſpernenda futuræ ipſius expreſſio veritatis, quibus videlicet actoribus, quorum ducatu & gratia in orientem ſanctitatis & juſtitiæ puer ille fuerat ducendus. Sacerdoti committitur erudiendus. a Petro & Paulo adoptatus.

5. Emenſo pueritiæ ſpatio cum in pleniorem adoleſcentiæ gratiam formaretur, clericalibus ſtudiis futurus Clericus ſerviebat. Erat in eo temperata totius corporis habitu ſtatura ſolidior & in eam pulcritudinem forma proficiens quæ inter collactaneos & coævos prædicabilis haberetur. Carnalis pater ejus carnem in eo plus diligens, de ſpiritu minus curans, in carne juvenis quæ carnis erant naturæ ductus impetu contuetur. Advertit in filio corporis elegantiam, ætatis acceſſum, plenitudinem virium, firmamenta membrorum. Ad hæc recurrit animo, cogitatione reflectitur, & hæc omnia carnis uſibus profutura non bene præſagans ſimulatio paterna blanditur. Jam impatiens animus quaſi ex judicii ratione deliberat filium juvenem longe aliis artibus imbuendum: eſſe minus conveniens, ut natura tam efficax, virtus ita & corpore redundans & animo, clericalibus nugis & ocio inſerviret, molles & remiſſas manus enerves animos Clerice vivens, ad militarem vitam a patre dirigitur.

Digitized by Google

AN.CHR 942 18. Nov. & imbelles litteris admovendos : adoleſcentem præſtantem tam fortitudine quam natura commendabilem virtute & gratia, ſacramentis militaribus applicandum. Quidquid in eo oculis adverti poſſet, expoſtulare militiam, & omnino renuere Clericatum. Sequitur cogitationis ſuæ judicium paterna ſtultitia, & filium jam adultum a clerico revocat: Vuillelmo duci dirigit ſerviturum, proceſſu temporis ab eodem ad militiam promovendum. Tirocinii lege mutata Oddo clericum exuit, ſæculi vias ingreditur, & propoſitæ ſibi militiæ actu & habitu ſe confortabat. Operam dare venatui, frequentibus aucupiis occupari, chirothecato pugno campros & accipitres circumferre verſum illi fuerat in naturam. Sed manus Domini ſuum deſertorem & transfugam averſata, ſingulis quæ agenda temptaverat, ſucceſſus proſperos abnuebat. Terretur inſomnis, urgetur viſionibus, revelationibus admonetur, ut ſpreta cui adheſerat vanitate, ad veram Dominicæ ſervitutis redeat libertatem. Recens tamen juvenis animus & informis, odore militiæ, quo fuerat ſemel imbutus evacuari non potuit.

Deo repugnante.

6. Curſu temporis evoluto, ſollemnis pius intervenerat Dominici Natalis dies, paternæ invitationis occaſio Oddonis incuriam excitavit, ut virginei partus vigilias ſuis ipſe vigiliis honoraret. Profecti ſunt ex conſenſu pater & filius & humilitate qua decuit, cæleſtibus excubiis incubabant. Suſcitata devotio Clericorum Deo nato laudem & gratias perſonabat : cum bonæ indolis adoleſcens ex animo ſe convertit ad virginem cujus partus gloria noctem illam divinis ſplendoribus illuſtrabat. Effundit coram Matre Domini cor ſuum, loquitur ad illam quaſi præſens ad eccleſiam ubi eſſet. Revelat in ejus facie vias ſuas, delicta juventutis ſuæ & ignorantias confitetur. Apud miſericordiæ matrem locum miſerationis & veniæ compunctus juvenis imprecatur. Magni conſilii Angelum natum ex ea medium adhibet : inſerit advocatum : orare ſe & deſiderio ſibi eſſe, ut ipſe ad beneplacitum ſuum ejus & inſtruat voluntatem, & dirigat actionem. Cæleſtibus præconiis nox exacta lucebat in diem : & myſteria lucis ex more devotio clericalis exſolverat. Inter agendum ſollemnitas majoris Miſſæ cum voces modulantium Regi nato in excelſis gloriam frequentarentur, tactus alio ſpiritu juvenis : in medium jubilantis eccleſiæ proſilivit, & in voce libertatis primitias laudis ſuæ filio Virginis offerre cœpit.

Viſo revocatur.

7. Temerarium præſumptorem e veſtigio divina eſt ultio ſubſecuta. Capitis dolore concuſſus extabuit, & non eſſe ſpecioſam in ore peccatoris & refugæ laudem Dei, acriori preſſus moleſtia, teſtimonium invitus dedit. Quievit tamen poſt modicum ſedatus dolor, & data in præſumptorem invectio reſediſſe viſa eſt ad momentum. Evangelica lectione perlecta, ſimili capitis dolore turbatus evanuit : conciderat totus, & pæne fuerat collapſus in terram, niſi accurrentium ſuffragio teneretur. Suſtentantium manibus deductus domum, fere per triennium duriſſimo illo doloris incommodo laborabat : conducta pretio medicina nec momentaneæ levitatis remedium, indulgere poterat ægrotanti. Dolor pene continuus urgebat infirmum : & deſperandi proximum genus erat, afflictum remediari non poſſe. Facilis fuerat tamen conjectura, quo merito vel reatu tantis paſſionibus plecteretur. Apud illos quibus fuit mens ſanior verbum erat, Martinum id agere, id moliri, ut reciperet commendatum : hanc eſſe cauſam totius diſpendii, quia minus providus adoleſcens ſe Martini ſervitio ſubduxiſſet. Martino jus proprium reformetur, & ægroto non deerit gratia ſoſpitatis. Tandem pater ſuis ipſe coarctatus anguſtiis, & Martinum in filio ſentiens indignatum, quo ultra evaderet non habebat. Super temeritate quam admiſerat ſatisfecit, & filium ad eccleſiam alienis manibus exportatum Martino deinceps ſerviturum, tutelæ ipſius gremio reſignavit. Senſit infirmus illico Martinum in gratia ſibi adeſſe : & de moleſtia convaleſcens, clericalem induit habitum : & apud egregium præceptorem ſortitur Canonici dignitatem.

Capitis dolore captus,

8. Pro-

Digitized by Google

8. Promotus in Canonicum prædicabilis adoleſcens, in tantam animi ſublimitatem excrevit, ut gloriam & ſuperbiam vitæ hujus humilitatis pede calcaret, paupertatem ſpiritus elegit ſibi, & eam matrimonii nive deſponſavit amator factus formæ illius. Victu & veſtitu juxta Apoſtolum contentus Oddo, & de ceteris nihil affectans, ut Deo viveret, ſuum in Domino jactaverat cogitatum. Noctes orationibus fere continuans, dierum ſpatia legendi ſtudiis occupabat. Tanto ſcientiæ ducebatur amore, ut ad legendas nænias poetarum colorati ſermonis elegantia raperetur. Propoſitum illius fuit ut Virgilii Maronis librum ex ordine lectitaret. Inſecuta nocte cum membra ſolveret in quietem, vidit in viſu vas grande mira exterius pulchritudine venuſtatum, ſed interius innumeris ſerpentibus æſtuantem: qui proſilientes ex vaſe ambiebant eum, licet minime nocuiſſent. Evigilans vir beatus, & prudenter conſiderans viſionem, advertit in ſerpentibus figmenta poetica, librum Maronis intelligens in vaſe illo, quod exterius civili facundia coloratum, immundorum ſenſuum vanitate interius ſordeſcebat. Abrenuntians deinceps Virgilio & pompis ejus, & ſuo cubiculo poetis excluſis divinarum ſcripturarum paſci voluit veritate.

AN.CHR. 942 18. Nov. Pie vivit.

Poetas & Virgilium tandem reſpuit.

9. Parvam cellulam longe a mundi ſtrepitu ſibi fecit; in qua ſolus ſolitariæ quieti vacans, ſolis cæleſtibus inhians, ad odorem ſpiritualium unguentorum ſolo Conditoris deſiderio trahebatur. Orandi virtutem aſſiduam, quam ſibi ſumma amicitiæ ſanctitate conjunxerat, ſumma alacritate & ſtudio ſectabatur. Sepulcrum beati Martini, quod ab ejus cellula duobus fere milibus abſiſtebat, nocturnis orationibus frequentandum pro conſuetudine viſitabat. Aliquando vir beatus illud orationis iter ſolus in nocte conficiens, venenatas veteris ſerpentis aſtucias in hunc modum expertus eſt. Vulpecularum exercitus obvius gradienti viro Dei in faciem ferebatur, ambiebant eum a latere & a tergo, graviter inſiſtebant, eumque ab itinere illo virtutis deflectere conabantur, cui cum prævalere non poſſent, horrendum quiddam & inſolitum gannientes, in ipſam ejus faciem miſerabiliter irruebant. Animadvertens Oddo deceptrices dæmonum verſutias inducta vulpecularum ſpecie adumbrari; inſiſtentibus ſibi ſignum crucis obvium intendebat. Lupus etiam qui ad ſuffragium laborantis accurrit, vulpes illas dato in eas impetu effugavit, & viro Dei uſque ad locum orationis ſocialem ſolatii ſecuritatem exhibuit. Vir autem Domini cui etiam immites beſtiæ ſerviebant ſpurcorum fantaſmatum vanitates, immotus, eo quo cœperat animo pertranſivit.

S. Martini ſepulcrum adit noctu.

10. Illecebroſos carnis appetitus excludens, pretioſis veſtibus abdicatis, ea quæ vix ſufficeret fuerat parcitate contentus. Matta ſuperpoſita ad nudam humum, ambitioſos lectiſternii eliminaverat apparatus. Triennio veſtitus jacuit tempeſtivus monaſticæ religionis & ordinis imitator. Nihil habens in cellula quod manus æmula furaretur, nullo eam ſerarum munimine tuebatur. Carnem ſuam amator jejunii tanta cibi raritate curabat, ut dimidia panis libra ſuam per dies ſingulos inediam ſuſtentaret: Neceſſitatem ſitis & faucium aridam ſiccitatem aquæ ſobria perceptione mulcebat. Eum circa ſe inhumanum, eum in ſe ſolum expaveſceres ſævientem. Quod miraculo proximum in illo erat nec animi crebra jejunia, nec in membris ejus candidam venuſtatem lectiſternia dura ſolvebant: indeficiens ſanctitas in viro Dei illæſa in eo & integra membra ſervabat.

Dure vitam agit.

11. His diebus honeſtus juvenis ſuccenſus amore diſcendi, Pariſium adiit primam ſedis regiæ civitatem. Ibi Remigius Autiſiodorenſis, vir prædicabilis, & theſauros ſcientiæ tunc temporis plures habens, moderandis & regendis ſtudiis inſudabat. Floreſcebant ſub eo ſtudia, quæ obſolverant jam per tempus: quia tunc primum ex ejus magiſterio naſcerentur. Huic adhærens Oddo, hunc habuit in liberalibus multo tempore præceptorem: per hunc in Dialectica & Philoſophiis, præcipue in Marciano valde proficiens, ad magnæ ſcientiæ cumulum evolavit.

Remigium auſcultat.

12. Qua-

AN CHR 942 18. Nov. Algenti veſtem dat. 12. Quadam die (ſicut ipſe ſub perſona alterius ſuo ſuppreſſo nomine referebat) maturius ſurrexit e lectulo, ut conſcholarium ſuorum conventui non deeſſet. Inhorruerat hyemis tanta aſperitas, ut denſis etiam pellibus involuti frigoris duritiam temperare vix poſſent. In atrio eccleſiæ pauperem nudum & miſerabiliter algeſcentem invenit, compaſſus miſero tabeſcenti, tunica ſua latenter ſe exuens, frigoreticum inveſtivit. Ingreſſus eſt ad condiſcipulos: ſed frigoris inclementiam ultra non ſuſtinens, redire ad lectulum algoris aſperitate compulſus eſt. Jam cubiculi primas partes attigerat, cum in ejus medio ſe reponens, repoſitam auri Libram incurrit. Intellexit cæleſte donum, & oblati ponderis quantitatem lætus excepit. O virtus ſcholaribus diſciplinis hactenus inexperta! Philoſophus eremita Deum ſuum, quem ad Socratem & Platonem, inter aureos rationis & eloquentiæ flores non invenerat; nudum in nudo paupere comprehendit. Commodavit Domino ad uſuram, & pro vili tunica magnum auri pretium reportavit. Ita conſuevit liberalitas Dei noſtri, ut amplius pVerogeт, quam fuit erogatum. Solvit mutuum quod pauper acceperat; & ex gratia tantum adjecit, unde ſcholaſticus & ſibi conſulere, & pauperum ſubſidiis adeſſe poſſet. Hoc in ſe factum vir Domini ſub alterius perſona ſæpius iterabat: quia hominum gloriam fugiens, gloriæ illius quæ Dei eſt, verus fuerat appetitor, ſuorum operum magnus oppreſſor, alienorum magnificus prædicator, ſua quoque aliis adſcribebat, evitati favoris gratiam ab eo qui videt in abſcondito recepturus. Cujus profectum in ſcientia & liberalibus ſcire qui volet, percurrat & relegat libros ejus, & magiſterialem illi apicem non negabit.

Poſt ſtudia rectius vivit. 13. Regreſſus a ſtudiis homo Dei ſcientiæ plenitudini adjecit virtutis altitudinem & profectum. Gratia viſitandi vicinæ ad illum multitudines confluebant. Quibus ſuſpenſis & adſpirantibus ad verba ejus, tantam cæleſtis doctrinæ copiam inſtillabat, ut proponens ſingula quæ ſingulis convenirent, dulcedinem verbi Dei affluenter ex promptuario divini pectoris eructaret. Inerat abundans gratia verbis ejus, quæ ad ædificationem auditoribus compararet, & eos ad propria remitteret alacriores effectos. Mirabilem loquendi facundiam vita mirabilior commendabat: & melius vivens quam loquens, dignitatem eloquii dignioribus ſtudiis vivendi anteibat.

Moralia in Job abbreviat. Eo tempore beatus Oddo ut Moralia in Job quæ nimis in prolixam longitudinem fundebantur, breviore compendio coartare, concanonicorum ſuorum inſtantia cogebatur. Non eſſe ſuarum virium quod petebant & operis egregii famoſam iminuere quantitatem ſibi non licere reſpondit. Fraternæ petitiunculam charitatis humilis, & ideo vera charitas excludebat. Piæ importunitatis inſtantiam reſponſio benigna frangebat dum illi indeſinenter expeterent, & iſte petentibus ſemper abnueret. Controverſia pietatis in hunc ſolutionis terminum ſe excepit. Nocte quadam dum apud beatum Martinum ſecretæ orationis ſtudio teneretur, carnis eum laſſitudo cogit in ſomnum, cujus exceſſum viſio ſubſecuta eſt finem impoſitura negotio. Videbat ſanctorum cuneos in eamdem eccleſiam deſcendentes ordinatim per ſubſellia conſediſſe: aliquamtulum remoratos unus ex eis quid præſtoletur inquirit. Reſponſum eſt, proximi Domni Gregorii Papæ adventum ſuſpenſam multitudinem opperiri. Quod audiens venerabilis Oddo, curioſos in partes oculos circumflectit, ut videre Gregorium mereatur. Secus adeſt longe ceteris clarior, & cultus elegantia, & vultus egregii dignitate. Adſurgitur venienti, benedictio poſtulata ſuffunditur inclinatis. Superior aliis beatus Papa, & loco editiore conſiſtens, Oddonem proſtratum in terram alloquitur: Surge, inquit, frater Oddo, ne timeas. Vox benigna jubentis timorem excutit pavitanti, & liberius contemplandi cæleſtia miniſtrat audaciam. Oddo ſe erigit & in vultum loquentis intendens, ſtatum in illo pene angelicum admiratur. Papa detrahit

hit pennam illam, quæ ipſius auriculæ inhærebat: & porrigens eam Oddoni: Accipe, inquit, frater hanc pennulam, & opus tibi a fratribus injunctum aggredere. Liber quippe meus in ſuo honore & gloria ſemper erit: tuus autem labor mercedis fructu & premio non carebit. Qua certe viſione commonitus Beatus Oddo, librum Moralium infloravit, & intra compendium manualis exceptum illius prolixitatis incluſit. AN. CHR. 942, 18. Nov.

14. Non potuit latere diutius ſidus accenſum; & ſanctitas intra cellæ parietes diu concluſa, apud longe poſitos radiis meritorum emicuit. Comes Andegavenſis Fulco effrenæ cupiditatis inſania ductus in præceps, eccleſiæ beati Martini duo aurea vaſa ſubripuit, cujus audaciam divino verbere circumcinctus ad extrema deductus eſt. Ad ſepulchrum beati Martini deportari ſe præcepit: ſed indignus Martini remedio nequaquam convaluit. Cælitus illata moleſtia pæne ultimam illi horam inflixerat cum ad eum vir Domini obtentu viſitationis ingreditur. Languentem durius increpat, objurgat extremis paſſionibus æſtuantem, minas promiſſione demulcet, promittens ei, ſi reddiderit vaſa illa, quod ſtatim a confinio mortis revocetur ad ſuperos. Gratia defluens ex verbis ejus, inter ſpem & timorem miſerum evagantem compulit ad redeundum. Reſtituit ſua vaſa Martino, promittens, ſi periculum illud evaderet, multo maxima ſe daturum. Ad imperium beati viri languens ante Martini ſepulchrum exponitur: ibi ſtatim & culpam ſatisfactio, & ſatisfactionem integra ſoſpitas eſt ſecuta. Quippe ut claritas beati viri vel tenui ſermonis exceſſu notabilis redderetur, affuit Dominus ſponſioni. E veſtigio perſolvit illud cui ſe obligaverat vir fidelis: ut dignitatem & gloriam ſervi ſui Dominus ſervaret illæſam. Comes autem reverſus ad propria, de collata in eum divinitus ſanitate verbum faciens ad amicos, fatebatur ſe miram in verbis Oddonis efficaciam perſenſiſſe: quæ & obſtinatam mutaret in melius voluntatem, & preſſuræ ipſius moleſtiam temperaret. In quo nimirum opere virtus claruit utriuſque, dum & Martini meritum in illius ſalute reſplenduit, & Oddonis humilitatem quanti fuerat apud Dominum promiſſionem ejus comitata veritas patefecit. Utrumque tamen, Martinum videlicet & Oddonem, languenti miſero cooperatos credimus in ſalutem.

Fulconi Comiti obtinet ſoſpitatem.

15. Signum illud ſanctitatis quod acciderat in Fulcone, in aures fere omnium rumore publico ferebatur. Verbum poſitum in ore multorum Adegrinum Militem, qui inter conſiliarios prædicti Comitis nobiliſſimus & magnus erat, latere non potuit, qui ita compunctus eſt in verbo illo, ut relicta pompa curiæ principalis, ad Chriſti pauperiem ſe conferret. Abrenuntians omnibus quæ mundi erant, apud beatum Oddonem ſeſe faciens tonſorari, mentem ſimul comam & habitum bona commutatione depoſuit. Induit ſibi veſtem religionis canonicæ, & ſocius futurus mercedis in agone Chriſti militi collaborat. Habitabant ſimul, & ſub eodem cellulæ ſtrictioris articulo tenebantur. Videres divini tirocinii profeſſores, contra ſpirituales nequitias pugnaturos, paupertatis & continentiæ arma ſumpſiſſe, qui licet necdum monachi perfectione clareſcerent, ſummam tamen æmulationem conſequendæ perfectionis monaſticæ jam habebant.

Adegrinus ei adiungitur.

16. Non multum ſpacii fuerat interjectum cum ambo majori ad cæleſtia deſiderio ſublevati, ad aggredienda majora devotiori rapiuntur affectu. Vident mundum poſitum in maligno: & exire de medio Babylonis etiam corpore decernentes, ad tutiora refugia cœnobialis converſationis adſpirant. Quiddam altius atque divinius ſpeculabantur in ea: quod ſi affectuoſe & ex animo ſequerentur remotiores mundo, viciniores Angelis haberentur. Procedunt pariter ex condicto per Gallias, domos religionis circumeunt, Monaſteria viſitant: ut ubi amplior fuerit Ordinis rigor, ſui propoſiti metam figant. Non invento ubi requieſceret pes eorum, hujus negotii gratia Romam ire, ſi forte in via reperiant ubi eorum deſiderium finem ſumat, pari alacritate conſentiunt. Iter accelerant, maturant negotium, & ad mona-

Balmam ſe recipiunt.

Digitized by Google

AN.CHR. 942 18. Nov. naſterium, quod vulgo Balma dicitur, in Burgundia Lugdunenſi perveniunt.

Sub Bernone Abbate. 17. Præerat Balmenſi cœnobio Berno Abbas vir in omnibus honeſte agens: qui vigorem diſciplinæ, quem ab Euticio loci fundatore ſuſceperat, ſucceſſor virtutis illius egregie ſequebatur. Erat magni nominis locus ille: ubique cœnobialis ordinis & fervere cenſuram, & mutuam eſſe habitantium honeſtatem, ſententia communis erat. Suſcepti more hoſpitum exploratores virtutum, qualitatem diſciplinæ & ordinis veritatem cum fidelibus oculis, cum veridicis aſſertionibus hurieban t. Quod palam quærere verecundiæ illis fuit, familiaribus ſcrutiniis extorquebant. Bona viſa eſt & ſecreta loci poſitio. Sed honeſtas habitantium & cenſorius Ordinis rigor ipſa poſitione plus placuit. Utriuſque deliberatio data eſt in conſenſum, ut ibi perpetuo militaturi, cæleſte cingulum ſibi aſſumant.

a falſis fratribus fruſtra perculſi. 18. Indoluit antiquus hoſtis, & jam invidens quod jam erant & futuram in eis gloriam ægre ferens, vires acuit, actus explicat, venena diffundit: & ſatellites iniquitatis ſuæ quoſdam ex monachis, ut neophytos illos a propoſito revocare nitantur, inſtigat. Secrete vocati hoſpites cautiſſime deducuntur in partem, & ut conſilium ſalutis ſuæ patientius audiant, ſimulatio venenata depoſcit. Prudentes viros rerum exitus debere metiri: ne ſi aliqua perverſos exitus habituri tentaverint, ignominioſum & turpe ſit incœpiſſe. Difficillimum quod ambiunt, in terra aliena & ſilveſtri. Sub homine barbaro & immiti monachatum induere: quem cum eos pænituerit aſſumpſiſſe, deponere ipſi non poſſint. Ita eſſe inhumanam & crudam Bernonis illius barbariam, ut prædo, non monachus; tyrannus, non pater; gladiatorius & carnifex, non corector aut nutritius haberetur. Probris verbera, plagas verberibus admovere: nec intendere profectibus filiorum, ſed pœnis eorum & mortibus ſolitum ſatiari: ſe in proximo diſceſſuros, quia ſub eo locum quietis & ſalutis invenire non poſſent. Animadvertit illico venerabilis Adegrinus in verbis aſtutiæ latentes dolos, & venena ſerpentis ſeductionum blanditiis palliari. Manſuetudinem ſancti viri, ſimulatorum objectionibus aſperatam, divinis rationibus ad conſtantiæ revocat firmitatem: domum diſciplinæ & Ordinis diu ſtare non poſſe: niſi in ſuis proviſoribus & prælatis rigore cenſorie fulciatur. Si paſtor fuerit remiſſus & negligens, animos ſubditorum torpore & incuria diſſolvendos: illud in Bernone favore potius quam inſania proſequendum, quod a vigore & propoſito inflexibilis frangi non poſſet, non ideo fugiendum ejus jugum, non imperia declinanda: ſed firmo potius animo viris ſapientibus amplectenda. Ita ſatisfactum eſt beato viro, & manſuetus ſpiritus in tempore verborum læſus reſtituitur ſibi ipſi, rationum copia delinitus.

Novitii ut ſe gerunt. 19. Ingreſſu precibus impetrato, ad ſocietatem fratrum regulariter admittuntur: & initiali profeſſione præmiſſa in veram Chriſti plenitudinem transformantur. Videre erat labore jam emeritos qui pro tempore debuerant magiſtri eſſe, uſque ad ipſa diſcendæ virtutis initia deſcendiſſe. Inſtituebantur ab illis, quos meritorum privilegiis anteibant: & virtutum itinera, quæ ſæpius ipſi jam triverant, velut inexperta precabantur ſibi ab aliis deſignari. Vivebant alieno more: qui hactenus vixerant more ſuo, & plerumque ab illis quæ bona & utilia eſſe credebant, ſeniorum imperiis arcebantur. Impoſuerant homines ſuper capita ſua: & ideo illis eatenus inconſueta fuerat lege vivendi. Totum eis proficiebat ad meritum, totum cooperabatur ad gloriam: ut quibus rerum inopia virtutis comparaverat meritum, vera & perfecta humilitas gloriam ampliaret.

20. Suſcepto habitu monachi beatus Oddo; idem fere perſeveravit qui fuerat: eadem illi abſtinentiæ parcitas, ſimilis vivendi modus: ſed puritatis & ſanctimoniæ incomparabilis fuerat appetitus. Patientia vero atque humilitas præter modum hominis illi erat: obedientiæ vigorem perpetuum inconcuſſa animi ſtabilitate ſervabat. In hoc tantum differre videbatur

Digitized by Google

batur ab eo qui prius fuerat, quod perfectionis arcem attingens, altiorem profeſſionis gradum, quo dignius evaderet, non habebat. AN.CHR. 942

21. Quia vero pietate & munditia ſpecialius eminebat, viſum eſt Abbati ejus puerilem ſcholam Oddonis providentiæ poſſe committi. Injungitur ei officium, nec recuſat: & ætatis infirmæ difficilem curam ſuſcipiens, puerorum invigilat diſciplinis, quorum unum cum nocte quadam ſine proprio lumine ad naturalia deduxiſſet, credens ſufficere commune lumen, quo interiora dormitorii complebantur, loci conſuetudinem viſus eſt exceſſiſſe. Sequenti Capitulo datur in medium, & communi judicio reus Ordinis *a* condemnatur. Nam ſicut monachis pene proprie eſſe ſolet ut rebus minimis inſoleſcant, ſublatis pariter vocibus acclamant, homini, obruunt inſontem verbis, convitiis lacerant innocentem. Ipſe Abbas publicos ſtrepitus gravi indignatione proſequitur nec minus aliis invehitur in Oddonem, ut virilis animi firmitas excocta injuriis clarior appareret. Vir autem Domini cujus mens in ſolido fundata erat, probra vociferantium tanta animi æquitate ſuſtinuit, ut nec ad illatas injurias moveretur, & injuriantium motionem ſua humilitate ſedavit. Advertit Berno Abbas in Dei famulo præclarum quiddam patientiæ & virtutis; & prævidens eum in corpore eccleſiæ præcipuum membrorum futurum, deinceps eum habuit reverentiæ & honori. 18. Nov. Odo ſcholam regit.

22. Præſidebat tunc temporis regendæ Aquitaniæ dux Guillermus virtute conſpicuus & potens armis, in quo militiæ ſplendor & fidei mira ſimilitudinis arce convenerant. Devotio quæ in illo obſederat virile pectus redundabat in pauperes. Conſilium fuit illi monaſterium conſtruere Monachis, quorum diligentia colligendis & fovendis pauperibus inſerviret. Deſiderio & fervore pennata devotio ad effectum erumpere geſtiebat. Præfixus dies illuxerat, & Berno Abbas Ducis litteris invitatus præſentiam ſuam intulerat curiæ triumphanti. Feſtivo conventui ſacerdotalis non deerat multitudo: cum incertus numerus optimatum & procerum frequentaret palatii vaſtitatem in facie omnium. Dux Guillermus aperit conſilii ſui modum, & in auribus aſſiſtentium ſuæ deliberationis exprimit qualitatem. Concepiſſe ſe animo nudam & ſimplicem voluntatem, quæ ſi eligendi opere veſtiatur, vitæ præmiis non carebit: Myſterium conſilii ſui eſſe, ut Monaſterium conſtruat in fundo ſuo: in quo Monachi Domino ſervientes, ſibi pro temporis hujus expenſis ſubſidia mercentur æterna. Dominum erga ſe aperuiſſe diutius manum ſuam, & ex dolio benignitatis beneficiorum copiam inſtillaſſe. Excepiſſe alios ſæpenumero mala pro bonis: ſe frequentius & pene ſemper de bonorum uberius parte ſumpſiſſe. Fines ſuos operante Domino diſtenſos ad miraculum, dilatatos terminos ad ſtuporem, & ſibi proſpera molienti proſperius ſucceſſiſse. Munificentiæ quæ tanta dederat affluenter, reſponſum operis amodo reponendum. Bonum eſse ordinem, ut poſt curam corporis rerum affluentia miniſtratam, ſua quoque animæ redemptio non negetur: bonum eſse ut non omnia caro inſufficiens conſumpſiſset, ſed, ad ſolatium neceſſitatis extremæ, ſibi aliquid gaudeat reſervaſse. Favor Epiſcoporum & totius curiæ aſsenſio proſequitur & attollit principalis conſilii pietatem. Dux Guillermus Bernonem Abbatem in oculis omnium advocat, & in manu ejus Cluniacam vallem cum adjacentiis quæ in territorio Matiſconenſi alodii jure poſſiderat, ſollemni donatione reponit. Teſtamentalibus etiam litteris præmiſsam donationem & ab omni perſona tam eccleſiaſtica, quam mundana quietiſſimam libertatem privilegii more conſignat. Acceleratur opus, fundamenta jactantur, ædificia conficiuntur ut deſiderii ſui poſt tempora longa complendi vel initia vivus adſpiciat. Bernonem Abbatem, quoad viveret, futurum Cluniacenſi cœnobio conſtituit proviſorem: quo ſublato liberam eſse Monachis facultatem, quemcumque vellent idoneum regulariter ſubrogandi. Acta res eſt publice ſeptimo Idus Septembris apud Bitu- Willelmus mentem ſuam aperit de condendo cœnobio Cluniaci. Privilegium datur.

a Id eſt normæ & obſervationis in congregatione ſervari ſolitæ.

Digitized by Google

AN.CHR. 942 18. Nov.

turicum, in conſpectu Epiſcoporum & Procerum, quos ad ſua negotia terminanda Principis dignitas invitarat.

Monaſterii initia ſub Bernone, & libertas.

23. Anno ab Incarnatione Domini nongenteſimo decimo, glorioſus Dux Aquitanorum venerandis Apoſtolis Petro & Paulo venerabile conſtruxit monaſterium in valle quæ dicitur Cluniaca; ibique venerabilem Bernonem deſignavit Abbatem: cujus cœnobii plenam & integram libertatem & egregius fundator eis in ipſis poſuit fundamentis, & felicis memoriæ Gregorius *a* ſeptimus, Urbanus ſecundus ampliſſimis privilegiis firmaverunt. In quo moveri ſe dicunt devotiſſimi ſuſurrones, qui jacturis epiſcopalibus verbi gratia condeſcendunt, ſæcularibus & divinis rationibus obvium eſſe dicentes, quod pontificales eccleſiæ dioceſaneis eccleſiis ſibi ſubditis ſui juris dignitate priventur. Quibus duo breviter objecta reponimus: bono Chriſti odore non debere eos mori, ut libertati eccleſiæ minoris invideant: nec vento elationis inflari ut juſtitiæ Romanæ ſedis præſumptorio ſpiritu contradicant. Bonum quippe eſſe quieti providere bonorum, niſi libeat inſanire, non negant; & injuſtas eſſe ſedis apoſtolicæ ſanctiones, etſi perverſe ſentiant, proferre in medium reformidant. In primis igitur caveant, ne ſi ex bono eccleſiæ moriuntur, non boni & impii eſſe probentur: in altero videant ne ſi apoſtolicis decretis diſſentiant, hæreticos eſſe oporteat qui Romanæ juſtitiæ non concordant, cujus auctoritas principalibus eccleſiis non detrahit, (ut ipſi garriunt) ſed bene diſponit & ordinat honorem ſuum. Nam in ſpiritu rectitudinis minorem eccleſiam aliquando majori ſubjicit: aliquando eam quam ſubeſſe contigerat, altiori gravitate ſuperponit. Licuit illi ſemper quod licebit, quod nulli alii licuit, vel licebit. Omnes aliæ filiæ ſunt in matres obtemperantes, non imperantes, vocatæ in partem ſollicitudinis, non in plenitudinem poteſtatis. Argumento gemino confutatis, non ipſa concluſio ſed inductum concluſionis hoc erit: ut inaniter æſtuantes & illicita ſuſurrantes, deinceps conquieſcant, & ulterius non loquantur. Nunc ad actorem libertatis noſtræ beatiſſimum patrem noſtrum Oddonem humilis recurrat ſtilus.

Factum de micis.

24. Legitimum fuerat in Balmenſi eccleſia, & quaſi pro jure ſervabatur in loco, ut micas illas quæ diſcumbentibus ſupereſſent, ſinguli fratrum diligentius collectas exciperent, ne fragmenta benedictionis negligentius deperirent. Contigit die quadam, ut beatus vir ad menſam ſedens tanta dulcedine lectionis traheretur, ut quia ad cæleſtis harmoniæ ſonum in quemdam raperetur exceſſum, ante poſitas micas ſibi oblitus fuerat pro conſuetudine ſuſcepiſſe. Finis lectionis eum revocaverat ab exceſſu, cum ipſe videns ſe antepoſitas micas expavit. Excipere eas pro conſuetudine non licebat. Quid aliud faceret non inveniens, micis pugillum implevit. Verſu *b* dicto, pro negligentia ſatisfacturus Abbati, & ejus in teſtimonium reatus ſui communi præſentiæ illaturus, exeuntium de oratorio pedibus ſanctus advolvitur: animadverſum eſt eum in aliquo deliquiſſe. Ductus in præſentiam Abbatis ſui, culpam proſtrato corpore confitetur, porrigit manum, & negligentiæ ſigna daturus pugillum aperuit. Quod dictu quoque minus credibile videatur, micas oſtenſurus protulit margaritas. Extra ſe facti qui aderant, rei cognita veritate negligentiam mutari miraculo divinis vocibus inſonabant. O mutatio dexteræ, ſed excelſi! In manu Oddonis vilia quæque & minima vertuntur in pretium, & minutiæ fragmentorum in pretioſos lapides formantur. Vere juſtus & multæ gratiæ apud Deum, qui dum ſe conatur oſtendere negligentem & reum, juſtus & innocens teſte miraculo comprobatur. Virtus humilitatis ejus expiat in eo culpam, purgat reatum, & fragmenta nullius pretii in admirabiles margaritas mirabili novitate transformantur. Quod miraculum duo nobis innuit non ſpernenda, & benedictionis reliquias colligendas ne pereant, & viri beatiſſimi ſanctitatem ſucceſſuris ſæcu-

a Aliorum Pontificum privilegia præceſſerunt, ut dictum eſt in Elogio ſuperiori.
b Id eſt gratiis poſt cibum dictis, qua voce utitur S. Benedictus in Regulæ cap. 43.

Digitized by Google

ſæculis prædicandam. Ipſe autem vir Domini contemptor temporalium & appetitor egregius futurorum, ne in præſenti eum aliqua remuneratio gloriæ ſequeretur, transferebat in alium quod ſuum erat. Suppreſſo quippe nomine perſonam alterius ſuæ rationis titulo proponebat, & volente Deo quo ſtudioſius evitavit, ne patrator miraculi crederetur, eo factum eſt ut in facie omnium operis hujus actor clariſſimus haberetur. Abbas vero præmiſſas ad miraculum margaritas aureo textui juſſit affigi, ne tantæ novitatis memoria caſu aliquo deleretur. AN.CHR. 942. 18. Nov.

25. Naturæ violentia cogebatur, ut parentibus quos periculis mundi hujus reliquerat innatantes, debitum ſuæ viſitationis offerret. Quærens licentiam impetravit, & accepta benedictione profectus eſt. Direxit Dominus iter illius, & tantam contulit efficaciam verbis ejus, ut primo collocutionis occurſu patrem Monachum *a* faceret, matrem vero Monialium numero traderet ſociandam. Virginem quoque cujuſdam hoſpitis ſui filiam, cum precibus ejus, lacrymis ſeſe expedire non poſſet, laudabili furto collegit & rapuit, & ſuæ virginitatis primitias Domino dedicantem moniali propoſito conſignavit. Ita virtutis miniſter & gratiæ, ubicumque oportunitas ſe præbebat, religionis profectibus & pudicitiæ delectabatur augmentis. Parentes ad monaſticen convertit.

26. Intuens Berno Abbas in viro Dei virtutum copiam, abundantiam gratiarum, dignum eum altiori gradu pronuntians, decernit officio ſacerdotis ſacris altaribus adpromovendum. Reclamantem pro viribus & nolentem extrema obedientiæ neceſſitate compellit. Advocato Biſuntinenſi *b* Archiepiſcopo & ſollemni conſecratione præmiſſa, ſacerdotis induit dignitatem. Diem conſecrationis ejus inſecuta nox fuerat: in qua vir Domini poſt quietem evigilans, & ſuæ conſecrationis nec memor, ſtolam ſacerdotalem collo ſuo repperit circumflexam. Timore diriguit: & tanto verecundiæ rubore ſuffuſus eſt, ut ipſum clauſtralis oſtii per multos dies revereretur ingreſſum. In grave etiam lamentum ſe dedit, & oculis ſuis non parcens, quia ſiniſtrum ei aliquando accidiſſet, ſolvebatur in lacrymas. Tandem occurrit occaſio, ut mitteretur ad Epiſcopum ſuæ promotionis actorem. Cui ſecreto loquens, ei mæroris ſui cauſas aperuit, & invectionem Jeremiæ in ſacerdotes repetens, quia grave ſacerdotii pondus eſt, mira eloquii facilitate diſſeruit. Rogatur ab Epiſcopo, ut ea quæ ibi dixerat, vel quæcumque meliora occurrerent, in libri ſeriem coaptaret. Tribus libellulis opus injunctum explicuit: ubi ſpiritus ejus bonus in tantam plenitudinem veritatis erupit, ut Eccleſia libros illos legendos cum amore ſuſcipiat, & omnino gaudeat ſe legiſſe. Sacerdotio initiatur. Libros tres condit de ſacerdotio.

27. Interim Berno Abbas annoſa ſenii gravitate deficiens, exitiali etiam languore correptus decubuit. Urgebatur duplici moleſtia, ægritudinis & ætatis, atque ad tollendam de medio vitam ejus morbus & ſenium in eodem corpore compugnabant. Vicinos adſciſcit Epiſcopos, conſilii viros invitat, quorum prudentia & reſponſis & ſibi conſulat jam migranti, & filiorum provideat diſciplinæ. Cum magno gemitu & multis lacrymis deducens in publicum annos ſuos, præteritum vitæ ſuæ in negligentia & torpore ſe inaniter conſumpſiſſe conqueritur. Se fuiſſe Abbatem nomine, non merito; officio non virtute: ſe infructuoſe & diu locum regiminis occupaſſe. Inde ſe damnationis obnoxium tormento: quia locum paſtoris mercenarius, locum innocentiæ reus implens, dignitatis officium indignis actionibus miniſtraſſet. Spem ſupereſſe remedii, ut dum ſuæ libertatis eſt animus, abrenuntians cathedræ paſtorali, ſedem prælationis evacuet, & locum tribuat meliori. Id ſe optare, id omnimodis ſe precari, ut ad curam ſpirituum, ad regimen animarum, ſubmoto infructuſo & ſterili, dignior & magis idoneus, ſubrogetur. Pudica libertas eccleſiæ provideat pudicitiæ ſuæ cuſtodem, qui ejus puritati meritorum & Berno ſucceſſores deſignat.

a Neuter horum auctorum meminit monaſterii, in quo Odonis mater velum aſſumpſit: patrem Cluniaci monachum factum fuiſſe conſtat ex Joannis lib. 1. num. 35.

b Immo Lemovicenſi, nomine Turpione, ut in Elogio probatum eſt.

Digitized by Google

AN.CHR. 942 18. Nov. & virtutum integritate jungatur. Eligat ſibi patrem caſta devotio filiorum, cujus ſobrietas imitationem, doctrina informationem, magiſterium pariat diſciplinam. Ipſi ſibi præficiant ducem, ipſi ſancti præceptorem inſtituant, ſub ejus imperio floreat virtus, reviреſcat honor juſtitiæ, & cenſura totius Ordinis recaleſcat. Verumtamen niſi a communi ſenſu ejus ſententia diſſentiret, videretur ſibi ut paſtoralis ſollicitudinis magnitudo partiri deberet in duos: quorum alter in altero conquieſcat, & neuter ponderis intolerantia ſuffocetur. Et eccleſia quidem Balmenſis pro conſuetudine habeat ſponſum ſuum: Cluniacenſi vero filiæ, jam adultæ, jura matrimonii non negentur. Probant ſinguli quod dictum erat, favent omnes: & in ſapiente viro veritatem conſilii admirantur. Sacerdotes qui aderant auctoritate, filii ſupplicatione contendunt, ut ipſe ad nutum ſuum quos idoneos viderit eligat, & geminum matri ac filiæ conſtituat proviſorem. Ipſe qui melius probaverat ſubditorum ſpiritus an Dei eſſent, verius poterat indicare, quis tanto officio dignus eſſet. Certum enim fuerat apud eos, eum cui tanta virtus erat conſilium miniſtrandi, ad faciendum quod dixerat ſpiritu ſapientiæ non carere. *Guidonem Balmæ Odonem Cluniaci;* Victus ſenior ſacerdotum reverentia & precibus filiorum, Guidonem venerabilem nepotem ſuum Balmenſis eccleſiæ fecit Abbatem; Cluniacenſi autem cœnobio ſanctum præfecit Oddonem: Deo pro nobis melius operante, ut domus gratiæ & virtutis, toto orbe poſtmodum dilatanda, in primo paſtore ſuo ſanctimoniæ fundamentum & religionis exciperet firmitatem.

28. Aſſumptus Oddo in Abbatem, fecit ſibi promotionem illam profectus materiam, non defectus; occaſionem gloriæ, non ruinæ. Loco ceteris præeminens, ſed gratia humilitatis inferior, prælationis officium merito potius & virtute, quam nomine ſive potentia Deo chariſſimus exercebat. Non ad honorem ſublimiores gradus attingens, ſed ex vertice prælationis ſuæ ad infima & humillima ſeſe dejiciens, chariſmata meliora de die in diem apprehendere nitebatur. Dominus autem qui in conſpectu ſuo direxerat viam ejus; ut in conſpectu quoque hominum mirificaret, & clarum quoque faceret ſervum ſuum, dignanter appoſuit operari mirabilia & præclara per ipſum.

Ædificia promota opitulante S. Martino. 29. Cum in exſtruendis regularibus officinis diligentiam ſuam inſumeret beatus Oddo, ſolatia ſumptuum defecerunt. Exinanitum omnino ærarium paupertatis, quid in manus largiſſimi datoris refunderet non habebat. Æſtuabat animus beati viri, & anxietate duplici torquebatur, dum & operarios inremuneratos dimitteret, & cœptum opus intermittere verebatur. Nec tamen in diffidentiam eſt elapſus: ſed ad nota recurrens præſidia, ex theſauro bonitatis divinæ ſtipendium benedictionis exſpectat. Octavus dies a tranſitu beati Martini more eccleſiaſtico colebatur, nocturnas laudes fraterna devotio perſolverat, cum idem Abbas ad ſtratum rediens, lectulo ſe recepit, & evanuit in ſoporem. Videt in ſomnis virum perſonalem, matura canitie floreſcentem, ſtola etiam puriore veſtitum: qui virgam Epiſcopi manu geſtans, pluviali pallio utebatur. Inquiſitus cum reverentia quiſnam eſſet, Epiſcopum illum ſe eſſe, cujus feſtivitatis celebraretur octavum, aſſeruit. Cœpit etiam circumducere oculos in ſtructuram, & poſita ædificia qua ratione ſederent vicinius intueri. Converſus demum ad eum qui ſeſe eminus proſpectabat, videbatur injungere, ut ex præcepto ipſius ad conſummanda ædificia quæ cœpta erant, fratrum ſuorum induſtriam excitaret: nec ſibi ſumptus crederent defuturos, quia ipſe eis ad conficiendum opus ſufficientes miniſtraret expenſas. Roma quippe rediens, per Gotiam & Aquitaniam tranſitum facturus erat: unde illis benedictionem remitteret copioſam. Expergefactus Abbas, viſionem quam viderat fratribus retulit, non omiſſa quam conſueverat cautela nominis ſupprimendi. Læti fratres de promiſſione Martini, ſuper viſitationis illius benevolentia circa eos majori lætitia triumphabant. Nec diſtulit bonus promiſſor, ſed ſponſioni ſuæ vicinam ſubintulit veritatem. Intra breve ſiquidem ſpatium temporis, allata ſunt fratribus de Gotia circiter tria millia

Digitized by Google

millia ſolidorum. Ipſa quoque ſucceſſio ſeniorum virorum Cluniacenſium quæ pervenit uſque ad nos, voce libera referre ſolet, vix aut numquam deinceps pertranſiſſe ſui procuratoris octavam, quin aliquid benedictionis in eos ex Martini beneficio redundaſſet. Ita per ducentos fere annos optimus proviſor noſter & in Cluniacenſem eccleſiam oſtendit gratiæ ſuæ veritatem, & circa ſuum alumnum Oddonem, cujus meritis vivimus, amoris ſui plenitudinem declaravit.

AN.CHR. 942 18. Nov.

cujus patrocinium ibi viguit per annos 200.

Cluniacenſis eccleſia jam perfecta, ſuiſque partibus abſoluta, conſecrationis gratiam poſtulabat. Vir Domini ſacerdotem Epiſcopum, qui eccleſiam dedicare deberet, invitat. Rogatus Epiſcopus, ſicut moris divitibus eſſe ſolet, ut ſtipatis lateribus glorioſius ſemper incedant, ſuam ſecum copioſam adduxerat clientelam. Concurſus uberior & epiſcopalium inſolentia miniſtrorum exigebat abundantes & ſplendidos apparatus. Recens Abbas, & vallis aridæ minus culta barbaries, delicias quas hominibus delicatis apponerent non habebant: anxietas & verecundia beati viri animum diſtrahebant. Refert tamen anchoram ſpei ſuæ ad Dominum, cujus munificentia ſervis ſuis aliquid deeſſe non patitur. In crepuſculum dies conſecrationis eruperat, cum immanis aper proximam ſilvam egreſſus, ad monaſterium curſu integro pertendebat. Cuſtos eccleſiæ beſtiæ illius feritate turbatus, intra oſtium ſe recepit, quod poſt ſe clauſum admotis repagulis obſeravit. Aper autem depoſita feritate, & quaſi domeſtico ſpiritu manſueſcens, eccleſiæ portas obſedit, januam pede pulſat, & foribus perſeveranter adſiſtens, ſuo more loquendi aditum precabatur. Interim epiſcopalis familia lectis excedens, dum ad officia divina contenderet, jacentem ad portam eccleſiæ aprum incurrit. Inſurgunt pariter, acclamant omnes: & vicinis domibus fuſtibus copulatis, ultro ſe offerentem belluam morti addicunt. Cujus carnes artificio coquorum præparatæ, & deliciis epiſcopalibus ſatisfecerunt, & Abbatis verecundiæ mirabiliter ſubvenerunt.

Eccleſiæ dedicationi neceſſaria ut ſuppleta.

30. Quia Deum timentibus nihil deeſt, numquam defuit beato viro, unde & fratrum curam gereret, & miſerorum inopiam ſublevaret. Afflictorum pauperies quaſi quidam caminus erat illi, in quo ad pietatem & miſeriam illius viſcera conflarentur. Sicut expetere videbatur vel egeſtas in miſero, vel poſſibilitas in ſumptu ſuo, largitatis ſuæ ſinum petentibus exſolvebat. Nemo vacuus vacuum illum invenit: quipe cui præcipue fuit in ſtudio ſupplere vacua, & inania cumulare. Privata eorum ſuſurria qui ejus ampliſſimam largitatem indiſcretam effuſionem vocabant, modeſtiæ verbis & exemplis veterum datis in medium compeſcebat. Inæſtimabilis amplitudo cordis illius formabat ſibi occaſiones & materias largiendi. Omnibus omnia factus, ut omnibus omnino prodeſſet votis ſollemnibus ambiebat.

Charitas in pauperes.

31. Conſuetæ orationis obtentu aliquando vir beatus Romam ad Apoſtolorum limina viſitanda profectus eſt. Alpium juga tranſſcenderat, cum inter illa prærupta, quibus in Italiam fit deſcenſus, mulierem quæ a dæmonio miſerabiliter vexabatur, offendit. Impleverat nocivus hoſpes viſcera mulieris inſanæ, & quaſi ex tribunali regio membra inferiora diſponens, prout libebat, ſubjecto mancipio crudeliter utebatur. Condoluit vir beatus tantæ miſeriæ: & præmiſſo orationis ſuffragio, captivatorem excuſſit, & captivam mulierem ab invaſione tyrannica liberavit.

Romam petens Dæmoniacam liberat Odo.

32. Per idem tempus Leo pontifex Romanæ ſedis apoſtolicæ legationis vicem injunxerat beato viro, ut inter Hugonem Langobardorum Regem & Albertum Romanæ rei principem bonum pacis componere laboraret. Senam * civitatem deveniens legatus pacis, multitudine pauperum qui panis premebantur inopia, undique cingebatur. Oeconomus viri Dei qui victuale marſupium ſuſceperat in ſua fide, cum ſuis ſumptibus vix triginta ſolidi ſupereſſent, quaſi rei proſpiceret commendatæ, civitatem excedens neceſſitati pauperum ſe ſubduxit. Egeni circumvenerant beatum virum, & ad oſtium miſerationis ejus ſublato clamore pulſantes, mi-

Legatus Papæ egenis ut ſubvenit.

* Sienaes.

AN.CHR. 942 18. Nov. miſericordiæ ipſius viſcera commovebant. Vocatus œconomus reſpondere non potuit qui non erat. Intellexit illico vir beatus imprudentem diſpenſatoris cautelam, & emiſſa manu pauperibus innuit ut prævium ſe ſequantur. Videns etiam tres viros perſonali præditos honeſtate, qui & communi premebantur inedia, & mendicare non noverant præ pudore, ſcutulas baccis plenas, quæ antepoſitæ illis erant, ſub pretii æſtimatione ſuſcepit, baccis non egens, ſed hac arte cupiens ſubvenire mendicis. Conſecuto œconomo egentibus ſtipem benedictionis indulſit, & ad viros quos ſuprà tetigimus, baccas cum pretio retranſmiſit. Demum conquerentibus expenſas victualium defeciſſe: Non deficiemus, inquit, ſed ſufficiemus ad omnia. Præſto eſt ei & quaſi ad manum, de cujus facultatibus puſillanimes ſpiritus debent animari. Dixerat, & inantea greſſum tendens, Petrum habet obvium ſacerdotem; cujus oblationem ſuſcipiens, & fratrum fidem modicam roboravit, & conficiendo itineri larga ſtipendia miniſtravit.

Veſtes ſuas dat algenti.

33. Negotium injunctæ legationis abſolverat, & per fines maritimos reditum maturabat. Venerat ad locum qui Burianum dicitur, cum ei pauper obviat ſemivivus. Gravis inhorruerat hiems, & inter alpes in immenſos aggeres nivis excreverat multitudo. Pauper veſte carens inter horrida montium niviumque diſcrimina quo ſe tueretur munimine non habebat. Subſtitit vir beatiſſimus viſo illo, & ſociis viæ præmiſſis exuit ſe tunica ſua; & pauperem induens, nummorum pretium, unde ſuæ neceſſitati conſuleret, benignus adjecit. Unus ex ſociis qui talium cautiſſimus diſcuſſor erat, reflexit pedem, & pauperem percunctatus, ubi ea nocte manſionem acciperet, cum nullus divertendi in ſolitudine locus eſſet, reſpondit, ad caſtrum quod dicitur Paſtorale ſub luce diei ſe facile perventurum. Dies vero claudebatur in noctem, & ſpatium illud itineris quod pauper ſub hora una ſe ſpoponderat exacturum, toto diei ſpatio vix ipſi confecerant. Habitudinem & vultum pauperis nec tunc ille de quo dicimus Joannes advertere, nec poſtea (ut ipſe referebat) potuit meminiſſe. Unde illum qui apparuit quiddam majus fuiſſe quam hominem, veriſimillimum mihi conſtat.

Bonum pro malo rependit.

34. Cum Langobardorum Rex Romam obſidione vallaſſet, beatus Oddo qui ad pacem evangelizandum inter duos tyrannos medium ſe præbebat, juxta beati Andreæ monaſterium, quod dicitur ad Clivum-Scauri, tranſitum faciens, ſubmiſſo capite incedebat. Ruſticus jactu lapidis oppetierat virum Dei: ſed clamore circunſtantium & obtentu, libratus in ejus verticem jactus evanuit. Vir autem Domini denariis acceptis, mutuo muneravit immeritum, Scripturæ conſentiens, ut redderet bonum retribuentibus ſibi mala.

Item præſtat in furem.

35. Aliquando vir beatus Romæ orationis gratia tenebatur. Viſum eſt illi ut ſuper equos ſuos qui in pratenſi planicie paſcebantur, aliquis ex fratribus ad cuſtodiam poneretur. Nox erat, & equorum proviſores ſe laxaverant in ſoporem. Fur advenit, & aſſcenſo equo inſiſtebat ut elaberetur in fugam: ſed meritis Oddonis detentus, procedere ultra non potuit. Frater ſuper equos invigilans orationi vacabat: & maluit equum amittere, quam interrumpere precem, vel ſilentium violare. Ubi terris dies illuxerat, fur inventus & comprehenſus eſt ſuper equum, Abbatis judicio condemnandus: quem ad ſe deductum vir miſerationis & gratiæ non ſolum exemit ſupplicio, ſed etiam laborioſas ejus vigilias quinque ſolidis muneravit.

Fratris religio.

Medicina ab ægris perperam extorta.

36. In Cluniacenſi cœnobio duo fratres adverſa valetudine laborabant. Importunius inſiſtentes, cum a beato viro ſumendi potionem licentiam extorſiſſent; Ite, inquit, & ſcitote morbum veſtrum nulla medicinæ ratione curandum. Ita factum eſt, ut & diuturna ſibi apponerent medicandi remedia, & uſque ad proximum vitæ finem incurabiles permanerent.

Frater ſingularitati ſtudens notatur.

37. Novitius quidam frater initiali fervore ſuccenſus, ſtudiis communibus abdicatis, compunctionis & lacrymis vacare decreverat. Secreto exquiritur a viro Dei, cur vitæ communis deſereret inſtituta. Aperit & frater cor ſuum, & quibus ſtimulis urgeretur inſinuat. Increpat eum ſenior, & hujuſmodi pro-

propoſitum vanitati potius quam juſtitiæ vicinum affirmat. Non deſerenda communia propria pro privatis, ſed privata communibus debere ſupponi. Ita frater in momento illo ſpiritum ſuæ compunctionis amiſit, ut deinceps gauderet publicis eccleſiæ conſuetudinibus occupari. Poſt dimidium tamen annum ad precem ſancti viri qui etiam in ſpiritualibus potens erat, jam dictus frater amiſſum ſpiritum ſe recepiſſe confeſſus eſt. AN.CHR. 942 18. Nov.

38. Nolanæ eccleſiæ futurus Epiſcopus Joannes bis Romam venerat gratia conſecrandi; ſed æmulorum oppoſitis gravem bis fuerat repulſam paſſus. Tandem confuſus & apud ſe erubeſcens, contulit ſe ad virum Dei, replicans ei Romanam ſedem ſeſe bis infecto negotio repuliſſe. Quem vir Domini pie conſolans, ut Romam tertio repetat inhortatur, promittens ei conſecrationis gratiam non negandam. Factum eſt ad verbum ejus, & Joannes in Epiſcopum ſubrogatus teſtimonium dedit Oddonem beatiſſimum prophetiæ ſpiritu claruiſſe. Joanni Epiſcopo conſecrationem prædicit.

39. Sollemnis dies Aſſumptionis Dei Genitricis illuxerat; & vir Domini orandi gratia monaſterium Adventinum ingreſſus, ut Miſſam celebrem publice celebraret, Balduini Abbatis precibus urgebatur. Reſpondit ſpiritus prophetiæ qui erat in eo, id agere non poſſe, quia duo ex fratribus ejus in extremo poſiti vitæ Viaticum præſtolarentur ab eo; nuntium præſto eſſe, qui eum ad fraternas exſequias invitaret. In hæc verba nuntius affuit: curritur ad ſanctum Paulum, Viaticum datur agentibus in extremo. Præſentialiter alter ex duobus migrat: alter ſervatus ad vitam, octavo die ſequenti quievit in Domino. Agonem ſuorum exitus diſcit.

40. Nortmanorum gens effera Turonorum vaſtabat provinciam. Regionem Turonicam venerabilis Oddo ſubierat, cum ei nepotulus ſuus, necdum renatus ex aqua & ſpiritu, cum nutrice ſua raptus incurſu hoſtium nuntiatur. Indoluit ex animo, & innocentis animam ſine baptiſmi remedio pereuntem æqualiter pati non potuit. Accumbit precibus, inſudat lacrymis, oratione Deum interpellat, quietem ſuo ſpiritui non daturus, donec ereptum reciperet innocentem. Octo dierum ſpatio a Turonis hoſtes abierant, tranſeuntes fluvium cum captivis, quem ipſius profunditas evadari ſine navigio non ſinebat. Nutrix infantuli ſpiritum concepit audaciæ. Infantem ſuſtulit, medias irrupit acies, fluvium ſicco pæne veſtigio pertranſivit, & in triduo iter dierum octo conficiens, beato viro adductum puerum reportavit, quem ſuſceptum regenerari fecit in Chriſto, & prece effuſa ad Dominum ut poſt triduum puerulus migraret obtinuit. O miraculum multis in ſe novitatibus admirandum! eadem unius orationis virtus tria pariter obtinet, ereptionem corpori, regenerationem ſpiritui, utrique ſimul ſalutis perpetuæ libertatem. Nepotem ex Nortmannis oratione liberat.

41. Vice quadam beatus Oddo Rhodanum fluvium, qui totus decurrit in præceps, navigio tranſmeabat. Equus impatiens equum alterum pede tentavit: ſed ictus elapſus in navim, locum illum attigit unde ramus erumpere videbatur. Percuſſionis locum dum planius edolare contendunt, ramum funditus abſciderunt. Avulſo nodo fluvialis incongruentia locum invenit, & ita navis exundavit ad cumulum, ut eam enatare, nec ſubmergi miraculo proximum non negares. Vir Domini ſtabat immotus, & quod ejus meritis cimba ſtaret, ipſius conſtantia teſtis erat. Delata eſt ad portum navis, & omnibus emiſſis ad terram, auctor ſalutis eorum Oddo ultimus egreſſus. Navis deſtituta præſidio, quo ſalva erat, virum Domini ſenſit abeſſe: elementi naturam ſecuta diſparuit, & ſubmerſa in momento intuentium oculis ſe ſubduxit. Sic enim ratio poſtulabat, ut cujus imperiis cetera quæque favebant, eidem reverentiæ debitum flumina non negarent. Naufragio ſubductus.

42. Per Appenninas Alpes beatus Oddo aliquando iter agebat. Tantus ibi nivium cumulus ſuperexcreverat, ut tranſire volentibus ſtrata viæ publicæ non paterent. Vir Domini horrendum ingreſſus periculum, cum poſt meridiem & præcipitio.

Digitized by Google

AN.CHR. 942 18 Nov. totus mons ille tetra caligine denſaretur, in manus Domini ſe commiſit. Præibant ſocii: ſolus ex more vir Domini ſequebatur. Repente equus, cui inſederat, obliquavit, & continuo diſcerpendus in immane præcipitium pedes dedit. Remiſit habenas vir Dei, palmas erexit in cælum; & invocato nomine Domini, de cælo auxilium precabatur. Nec defuit cæleſte adjutorium ſupplicanti. Inter brachia viri Dei ſubito ramus apparuit, cui tamdiu innixus eſt, donec præcedentes eum vocibus revocati, ipſum ex horrore illo periculi incolumem ſuſtulerunt. Diſparuit illico ramus ille qui prius apparuerat: & equus ille cui inſederat, nuſquam inventus eſt.

Latrones convertit. 43. Diverſis ex cauſis varios labores itineris ſubiens vir beatus, huc & illuc urgentibus vitæ negotiis diſcurrebat. Contigit ut die quadam quadraginta latrones irruerent ſuper eum, qui ad tollenda ſpolia & diſcerpendos homines tanta rabie ducebantur, ut nemini parceret eorum immanitas. Qui ceteris præerat, & fuerat major in ſcelere, vibravit oculos in ſervum Dei, & in eo vultus reverentiam & orandi frequentiam admiratus, compunctus ſpiritu ad miſericordiam major inventus eſt. Deinde converſus ad ſocios: Numquam, inquit, hujuſmodi homines recolo me vidiſſe. Non cederet nobis in proſperum, ſi in eos adverſum aliquid moliremur. Vir enim eſt inter eos multæ reverentiæ & ſplendoris, quem cæleſtibus armis video circumſeptum. Ad hæc verba cum ceteri nullatenus a ſuo furore miteſcerent, & virum ſanctum occidere, ſocioſque illius in prædam trahere minarentur; Non, inquit, ita fiet, nec capillus ex eis cadet in terram, niſi prius gladiis me petentes vitam meam cum ſanguine fuderitis. Sic ait, & ſociis huc illucque diſperſis, ipſe Sancti pedibus advolutus, ſceleri ſuo deinceps finem imponere ſe promiſit.

44. Alius tunc latro corde compunctus, cum a beato Oddone poſt repulſas innumeras in Monachum ſuſceptus eſſet, ad cuſtodiam Cellarii deputatur, qui poſt tempus tactus moleſtia corporali, extremo ſpiritu ducebatur: confitetur viro Dei quod in Monachatu deliquerat. Nudo pauperi tunicam ſuam ſine licentia ſe dediſſe, funem ſubductum Cellario circumligaſſe ſe ventri ſuo non ſine lacrymis proteſtatur. Nocte præterita ſibi per viſum perſonalem Dominam adſtitiſſe, quæ miſericordiæ Matrem ſe vocans, tertia ſequenti die eum pronuntiavit migraturum. Stupefactus vir Domini manum immiſit, funem circumvolutum carne & ſanie ſimul avulſit, Deumque mirabilem prædicans in latrone, tertia die defuncti Fratris exſequias celebravit.

Liber intactus a pluvia. 45. Romæ apud beatum Paulum, ut libello, quem de vita beati Martini Poſtumianus & Gallus ediderant, correctoris manum apponeret, Abbatis precibus pulſabatur. Aſſenſum dedit, & inſiſtens operi deſtinato, obſcura loca gloſſis appoſitis deducebat in lucem. Veſpertina ſynaxis revocaverat eum a ſtudio, & liber in Clauſtri angulo derelictus, ſequente nocte pluviam, quæ in domo illa copioſius exundavit, tanta æqualitate ſuſtinuit, ut margine vix contacta incorrupta littera permaneret. Animadverſum eſt ſequenti mane enatantis in pluvia, ſed intacti libri miraculum: & aliorum quidem favor in Martinum erupit, alii vero miraculum Oddonis meritis adſcribebant. Nos autem hoc ſignum utrique pariter aſſignamus, ut & Martini providentia ſervaverit codicem vitæ ſuæ; & Oddonis virtus effecerit, ne liber pereat commendatus.

Odonis pietas in S. Martinum. 46. Quid devotionis habuerit ſanctus Oddo, quanto amore incaluerit erga Martinum, vix aut difficile dici poteſt. Tota mens ejus, tota affectio ex Martini gratia dependebat; ipſum ſibi patronum fecerat, ipſum elegerat præceptorem. Martinum verbo ſonabat & opere; & ei indifferenter adhærens, indiſcreta miracula ſæpe cum eo viſus eſt operari. Ad cujus memoriam ampliandam, & amorem fidelibus inſerendum, ſollemnes illas Antiphonas in tranſitu beati Martini dicendas ipſe compoſuit, quæ fere per omnem Eccleſiam celebri tripudio frequentantur.

47. Fa-

Digitized by Google

47. Fama religionis, virtutis & fidei, quæ mirabiliter claruerat in Oddone, dilatabatur ubique, & ampliabatur in dies. Conferebant ſe ad eum Monaſteria Monachorum, quæ a ſui propoſiti rigore defecerant, ut per eum ad integritatem vitæ & diſciplinæ ordinem formarentur. In quodam ex Monaſteriis commendatis ipſe cum ſuis advenerat: veſperaſcente ſabbato regulare Mandatum ex conſuetudine parabatur. Vidit unus ex Fratribus loci illius de ſociis Oddonis unum, calciaria ſua ex Cluniacenſi traditione lavantem. Indigne tulit; & ſpiritum elationis in blaſphœmiæ verba reſolvens, cum ibi omnia fierent in ſilentio: Num, inquiens, ablutionem ſotularium Benedictus umquam aut fieri voluit, aut præcepit? Cumque Frater, cui hæc dicebantur, ſigno humili reſponſum daret; ille crudeliter efferatus, conviciis laceſſere, & maledicta cœpit evomere in inſontem. Sequenti Capitulo, cum eum argueret ſuper hoc vir beatus; & ille impatientius reſponderet, quia dies Dominica erat, procraſtinavit ſententiam, ne in die lætitiæ aliquis triſtaretur. Dominus autem, quem ille in ſervo ſuo non timuit provocare, ſuam minime diſtulit ultionem, & contemptorem illum officio linguæ privans, tertia dehinc die ſine Confeſſionis remedio lamentabili morte damnavit.

AN CHR. 942 18. Nov.

Monachi inſolentis mors ſubita.

48. Quiſquis contra voluntatem Oddonis aliquid præſumpſiſſet, ſuum illico ſentiebat exceſſum divina ultione multari. Frater quidam cum ſine licentia ſanguinem minuiſſet, vir beatiſſimus ægre tulit, præſumptorem illico pœna ſequta eſt, & vena inordinate decisa ita derupta eſt, ut nullo medicamine curari poſſet, donec Frater ſpiritum exhalavit. Alius apud ſororem ſuam cum aſſari carnem præciperet, eam urgente ingluvie non exſpectans, particulam prunis injectam & minus coctam avide momordit; ſed morſum nec in ſe trajicere, nec rejicere valens, infelicem vitam miſera morte finivit. Alius gallinam, quam ipſe occiderat, ſibi appoſitam nimia guloſitate tentavit; ſed buccellam glutire non valens, miſerum vivendi finem excepit.

Item aliorum.

49. In loco qui dicitur Suppentonia, Monaſterium ſibi commendatum exceperat beatiſſimus Oddo. Fratres admonuit, ut vitæ ordine cuſtodito, ſecundum Regulam ab eſu carnium abſtinerent. Cui cum Fratres opponerent, piſces apud eos inveniri non poſſe; meritis beati viri vivarium piſcium formavit eis divina pietas in hunc modum. Torrens exiguus defluens per illam vallem quæ Monaſterio ſubjacet, dum non invenit exitum, montibus ſibi oppoſitis collectus in lacum, vivarium effectus eſt. In quo uno die miſeratio duo præclara fecit, dum Oeconomi laborem minuit, & Fratribus murmuris occaſionem exemit.

Vivarium ad piſces obtentum.

50. Floriacenſe Monaſterium, in quo ſanctum Benedictum quieſcere celebris habet opinio, penitus a cultu Religionis exciderat. Defecerat ibi virtus: juſtitia receſſerat de loco illo in tantum, ut etiam beatus Benedictus relinquere ſedes illas, & alias ſe conferre nocturnis viſionibus & diurnis manifeſtationibus monſtraret. Quod prudenter advertens vir nobilis Eliſiardus, datum ſibi manu regia Monaſterium Floriacenſe Oddoni beatiſſimo tradidit regulariter ordinandum, qui in manu forti Epiſcoporum & Procerum illuc adveniens, cum ei per triduum aditus negaretur, tandem ſolus intrans, præſentem ſe obtulit, & ex ſola humilitatis ſpecie quam gerebat, turbulentam inſaniam Monachorum domeſtica reddidit & quietam. Pæne omnes ejus pedibus advoluti, ut eis præeſſe & prodeſſe vir Domini dignaretur intenſius obſecrabant. Ita omnibus plena honeſtate compoſitis (locus enim omnino incompoſitus omnino fuerat componendus) filiorum animos adhuc rudes divinis inſtitutionibus exercebat.

Floriacenſe Monaſterium reformatum:

51. Dies erat, in qua beati Benedicti feſtivitas votivo concurſu & celebri frequentia populorum publice colebatur. Intererat numeroſa languentium multitudo, qui morbis diverſis & variis moleſtiis aggravati, ad beati Benedicti ſuffragia promerenda confluxerant. Beatus Oddo, qui toti cœnobio Abbatis præerat dignitate, ſollemne ſacrificium oblaturus ingreditur. Ponit edictum, ut univerſi qui advenerant, & præcipue morbis oppreſſi, je-

S. Benedicti ibidem feſtum & præſentia.

Jejunium ad Miſſam indictum.

AN.CHR. 942 18. Nov. jejuni ſacrificiis intereſſent. Ingreſſis omnibus ad myſteria divina ſuſpenſis hymnum angelicum *Gloria in excelſis Deo* venerabilis Abbas impoſuit. Concutiuntur ingenti ſtrepitu fores eccleſiæ, ſeræ ſolvuntur, munimenta disjecta reſiliunt, lampades accenduntur, calamitoſi & languidi ſoſpitate integra convaleſcunt. Fit terror in populo, ſtupor ſubitus omnes invaſit, & Oddone interprete beati Benedicti præſentiam affuiſſe cognoſcunt. Tanta fuit devotio, tantus gratiæ fervor omnium corda replevit, ut fere nullus a lacrymis temperaret. O dignitas, cæleſtes animos tanta ſibi novitate concilians Benedictus Pater, qui de loco illo ſeſe promiſerat migraturum, Oddonis gratia revocatus, ſigna dedit idonea ſe veniſſe. In quo facto Oddonis meritum purius eluceſcit, qui abundantia virtutis ſuæ, & filiis abdicatis Benedictum in gratiam reformavit, & tanta morborum varietate depreſſis cæleſte levamen obtinuit.

Epilogus. 52. His & aliis magnis operibus ſeriem vitæ ſuæ continuans beatus Oddo, multis & neceſſariis argumentis, & Deo cariſſimus, & apud homines honore colendus & gratia comprobatur. Ita quippe vixit, ut ei vivere Deus eſſet: tanta operatus eſt, ut per eum & in eo Deum operari dubium nulli eſſet. De quo plurima dicenda reſtarent, niſi faſtidioſa prolixitas prohiberet. Plurima enim operatus eſt, quam noſtræ relationis ordo contineat, quæ vel ipſe ſuppreſſit, ut gloriam fugeret, vel humana diligentia prætermiſit, ne notam ſuperſtitionis incurreret. Pauca quæ diximus, & beato viro ad gloriam, & nobis ſufficiant ad exemplum.

Odonis morbus Romæ. 53. Beatiſſimus Pater Oddo, plenus dierum & vitæ, inter exercitia ſanctimoniæ & virtutis conſummaverat curſum, & vitam deduxerat temporalem. Aderat tempus, dies inſtabat, in quo ſublatus de exſilio & ærumna, incolatum patria, laborem requie, miſeriam gloria commutaret. Romæ poſitus acri febre corripitur, & inter acutos ignes ſævientis acceſſus, innocens & reus Dei, duris paſſionum moleſtiis agitatur. Alii interpretantur ad libitum, præſentem dolorem ſucceſſuræ ſalutis gaudio temperantes. Ille hoc genus ſolatii ægre ferens, ſe in proximo nuntiat diſſolvendum. Tangitur præcordiali memoria Martini ſui, cujus amorem & gratiam fere cum ipſo lacte carnis meruerat ebibiſſe. Martini ſepulcrum viſitare diſponit, ut cui vixerat, etiam moreretur; & cui dedicaverat ſpiritum, exuvias carnis & cineres conſignaret. Adeſt & in viſu perſona conſpicabilis, cæleſtis gloriæ præferens candidatum. Inſinuat tempus ſuæ vocationis inſtare: ſed Martini precibus illud differri. Reſumat ſpiritum, vires exacuet, inter acceleret: ubi ſe præſentem dederit præceptori, diuturnis ejus laboribus quies dabitur & corona. Signa ſecuta ſunt viſum, ut fides accederet viſioni. Fit remiſſior ægritudo, Sanctus animo magis quam corpore convaleſcit. Aggreſſus iter in feſto beati Martini Turonis

Reditus Turonos. affuit, & diem lætum ex obitu beati Pontificis geminata lætitia reddidit clariorem. Gaudio & lacrymis detinuit diem illum, & vivam hoſtiam immolans ſemetipſum, ad horam ſuæ diſceſſionis ad Dominum, ſuſpenſo deſiderio aſpirabat. Dies quarta poſt feſtivitatem illuxerat, cum rediviva febris incaluit, quæ virum Domini compulit in extrema. Fratres evocat, Monaſteria ſibi commiſſa diſponit. Cluniacenſe cœnobium Deo, qui ejus fundator fuit & exſtruxit, conſilio *a* committit. Capellam ſolummodo ſuam ad Miſsæ celebrationem retinuit, Cluniacum cetera retranſmittens. Filios ſuos qui adſiſtebant ei, ut in Deo proficerent exhortatur: la-

Verba extrema. crymas eorum & ſuſpiria compenſatione ſequentis gloriæ temperabat. Martinum ſuum mente referens, ore ſonans, verbis ingeminans, illud familiarius inculcabat: Tu Chriſte, parce redemptis. Tandem manum benedictionis emiſit in filios, & adſtantibus ultimum vale dixit. Ita ſpiritus ille felix ſpirituali munitus Viatico, quarto-decimo calendas Decembris, cor-

a Idem fere legitur in ejus elogio ex chartario Cluniacenſi ſupra pag. 126. Quamquam Aymardus jam ante Odonis obitum ſubſtitutus ei fuiſſe videtur, ut inferius patebit in Aymardi elogio.

Digitized by Google

corporis mole depoſita, liber exceſſit ad cælum. Sepultus eſt autem in eccleſia beati Juliani, quam ipſe a fundamentis conſtruxerat: ubi Dominus quanta ſit ab eo gloria coronatus, quanta apud homines reverentia excolendus, ſignis perſpicuis declaravit. Migravit itaque glorioſus Pater Oddo anno ab Incarnatione Domini nongenteſimo quadrageſimo *a* quinto, ordinationis ſuæ octavo-decimo, apud urbem Turonorum, regnante Domino Jeſu-Chriſto, cui eſt honor & gloria in ſæcula ſæculorum, Amen. AN.CHR. 942 18. Nov. Obitus & ſepultura. Annus mortis.

HISTORIA TRANSLATIONIS

AN.CHR. 944 3. Septemb.

SS. WANDREGISILI, ANSBERTI, ATQUE WLFRAMNI, IN MONASTERIUM BLANDINIENSE.

Ex manu-ſcripto codice Bigotiano.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. *Hunc de Tranſlatione ſanctorum Vvandregeſili, Anſberti atque Vulframni libellum e manu-ſcripto codice Bigotiano Rotomagi eruit noſter Johannes Garetus, cujus libelli auctor anonymus, ut colligitur ex numero 14. Blandinienſis cœnobii Monachus fuit. De illius ætate etſi nihil certi definire poſſum, eum tamen annum milleſimum & centeſimum exceſſiſſe non facile crediderim: ſiquidem num. 21. miraculum arborum, in flores autumni tempore erumpentium, ſuo adhuc tempore quotannis eveniſſe atteſtatur. Quod haud ſcio an pluribus ab hac Tranſlatione ſæculis perdurarit, cum illius apud ſubſequentes auctores nulla mentio reperiatur.*

2. *Triplex omnino fuit horum Sanctorum Tranſlatio. Prima per Bainum Tarvannenſem Epiſcopum ac Fontanellenſem Abbatem (ut etiam narrat auctor miraculorum ſancti Vvandregiſili a nobis in Sæculo 2. editus) ab eccleſia ſancti Pauli, in qua tumulati fuerant, ad eccleſiam ſancti Petri anno Chriſti 704. facta eſt. In ea vero ſancti Petri eccleſia cum centum & quinquaginta quatuor annis quieviſſent, cognita Nortmannorum per Neuſtriam debacchantium irruptione, Fontanellenſes Sanctorum ſuorum reliquias Bononiam ſecum tranſportarunt. Sed cum furentibus ſemper Nortmannis, ad propria redeundi nulla Monachis ſpes affulgeret, Arnulfus Flandriæ Comes reparatum a ſe Blandinienſe Monaſterium, ac Gerardo Abbati piiſſimo conceſſum, iis tandem ſacris reliquiis ditavit, quod anno 944. 3. Nonas Septembris eveniſſe notat Martyrologium Blandinienſe his verbis.* 3. Nonas Septembris in monte Blandinio Gandavi territorii, adventus ſanctorum corporum Vvandregiſili Abbatis, Anſberti & Vvulframmi Archipræſulum, & reliquiarum Vvlmari, Ermenlandi, Eremberti, & Condedi, aliorumque multorum pignerum Sanctorum. Tranſlatio triplex.

3. *Hic locus eſſet ventilatam olim Fontanellenſes inter ac Blandinienſes, immo & Abbatisvillæ Canonicos, de ſancti Vulframni reliquiarum poſſeſſione quæſtionem ſolvendi, aut ſaltem expendendi, niſi abunde intricata ſatis hæc materia a nobis jam diſcuſſa fuiſſet in Sæculi 3. parte 1. ubi de ejuſdem Sancti reliquiis ac miraculis egimus in appendice ad ejus vitam, quæ hoc loco revocanda ſunt.*

INCIPIT

Glorioſus a Deo diſpoſitus adventus in monte Blandinium rite vocato ſanctorum Wandregiſili Abbatis, Anſberti & Wlframni Archipræſulum, aliorumque pignerum Sanctorum.

1. DOminus noſter Jeſus-Chriſtus, qui ad nos de ſinu Patris venire, & nos in ſe dignatus eſt ſuſcipere, ipſe in ſanctis & electis ſuis WANDREGISILO, & ANSBERTO atque WLFRANNO hodie nos viſitare, & nobis in adventu eorum ſeipſum voluit præſentare. Jure ergo in

N iiiij eis

a Hunc calculum falſum eſſe in elogio ſuperiori demonſtravimus, & pro anno 945. annum 942. reponendum, teſte Frodoardo & aliis.

UNIVERSIDAD CENTRAL BIBLIOTECA DERECHO

Digitized by Google

AN.CHR. 944

eis ſe nobis præſentavit, cum quo illi, & per quem ſemper vivere ambiebant, &c.

3. Septemb. S. Wandregiſilus cum ſociis apud Fontanellam.

2. Ad hanc ergo tantæ felicitatis gloriam, commendata terræ aromatica corporis gleba, felici tranſitu, beatiſſime Pater Wandregiſile, ſcandere meruiſti, peractis cum gloria 19. luſtris, anno videlicet Verbi humanati ſexcenteſimo ſexageſimo quinto: ſanctus vero Ansbertus anno ejuſdem Verbi incarnati 695. & inclytus Wlfrannus 696. eamdem perenniter poſſeſſuri gloriam petierunt: ubi Chriſtus Pontifex Pontificum regnat, & eos pontificali diademate coronat. Locum autem funereæ quietis apud Fontanellam in eccl.ſia ſancti Pauli Apoſtoli in unum ſortiti ſunt; ubi beato Wandregiſilo poſt mortem hoc ad honorem gratia Dei providit, ut illo domum ſepulcri ſortiretur, ubi præfati Archipræſules Chriſti ad dexteram ejus & lævam condendi erant: nec immerito corporeo quoque funere honoratus eſt ab eis, cujus doctrina & exemplis adepti ſunt culmen regni cæleſtis.

Clarent miraculis.

3. Cœperunt autem ad ſepulchra eorum ſigna miraculorum radiare, Angelorum & homnium frequentia crebreſcere, Chriſtum, cui in carne viventes adhæſerunt, defuncti quoque omnipotentem declaraverunt. Quanti eſſent Altiſſimo, claritate prodigiorum & terræ innotuit & cœlo. Sed quia de incorruptione membrorum non minima divinæ laudis materies latebat in tumulis (ſicut enim Agnum Dei ſequuntur immaculati, ſic in ſepulcris ſervabantur incorrupti) placuit Altiſſimo & hoc mortalium revelare charitati. De qua ſcilicet revelatione quid digne expediam, Domini & Fratres mei? Aperiam tamen os in laudem Dei. Nam gloria quæ ibi in Sanctis claruit, hodiernæ feſtivitatis gaudio alludit. Quod enim tunc ibi glorificatum eſt, hic hodie nobis donatum eſt, & cum idipſum & ibi glorificatum, & hic hodie ſit ſuſceptum; dicamus qualis illa fuerit glorificatio, ut cunctis pateat, quæ & qualis iſta ſit ſuſceptio.

Prima eorum elevatio.

4. Hac re igitur de qua loqui incipimus ſacratiſſima revelatio facta eſt 11. Kalend. Aprilis, translatis eorumdem Chriſti Sacerdotum corporibus a memorata eccleſia ſancti Pauli Apoſtoli in baſilicam ſancti Petri a ſancto Baino Tarvennenſis Sedis Præſule & Fontanellenſis Cœnobii Rectore. [a] Cui Translationi ſollemniter celebrandæ occurit pari affectu omnis Clerus, omne vulgus, omnis quoque ſexus & ætas. Cumque ad exſequias cæleſtes tota animi & corporis devotione ſeſe ſanctus ingereret Epiſcopus, præmiſſis cum thymiamateriis atque lampadibus comminiſtris, ad memoriam Sanctorum cum laudibus accedunt & hymnis. Cunctis adſtantibus & in cælum ſpe & animo erectis ſacro-ſancti aperiuntur tumuli. Et ecce venerandus Pater Wandregiſilus, ecce venerandi Præſules Chriſti Ansbertus atque Wlfrannus cælo noti atque terræ cogniti, in ſua gloria gloriam Dei revelantes, cum integerima carnis ſuæ ſubſtantia, cum incorrupta ſacerdotalium infularum materia, mortalium obtutibus ſeſe offerunt intuendos. Ecce, inquam, digniſſimi Angelorum concives in repoſitoriis ſuis ſomno ſoporatis ſimillimi, tam mirabili ſuæ incorruptionis prodigio, quanta eorum ſpiritibus maneat in cæleſtibus gloria oſtendentes, tales natura ſtupente ſunt reperti, quales olim in ſepulcris fuere reconditi.

5. Quid dicam de emanantia inæſtimabilis fragantiæ, ſuavitatis mirificæ? Sentires odorem tamquam ex balſamo & aromatibus fluentem; nam conſpicuum erat Angelorum adeſſe frequentiam. O beati oculi, quibus illud ſpectaculum angelicum videre, o ſacræ nares, quibus delectamentum illud cæleſte datum eſt ſentire! Ergo omnibus ob tale ſpectaculum gaudio attonitis, cun-

[a] De prima hac S. Wandregiſili ſociorumque elevatione hæc habet auctor vitæ ejuſdem Sancti, Sæculo 2. a nobis editus: *Translati quoque ſunt inde in eccleſiam ſancti Apoſtoli Petri a S. Baino Epiſcopo urbis Tarvenna & Rectore hujuſce Cœnobii, ſub anno ſui regiminis quinto, qui erat ab Incarnatione Domini ſeptingenteſimus quartus.. & dies Translationis ſacra conſtitutus eſt pridie Calendas Aprilis*. Porro manſerunt in dicta S. Petri eccleſia ad annum uſque 858. quo vaſtata per Nortmannos Neuſtria, Boloniam deducti ſunt, ut narrat Scriptor miraculorum S. Vandregiſili ibidem exhibitus.

Digitized by Google

AN.CHR 944 3.Septemb.

cunctis quoque tam in eccleſia, quam in atrio eccleſiæ divini nectaris odoramento refectis, quid ibi piarum lacrymarum fuſum, quid ſancti timoris & piæ exſultationis a ſancto Spiritu ſit ſuſcitatum, quis digne enarrabit? Pontifex autem & cæleſtium exſequiarum miniſtri divino quod agebatur officio conjubilantes, ſacra buſta divinarum medelarum plena piis ulnis levantes, cum magno pſallentium choro ab eccleſia ſancti Pauli in baſilicam (ut dictum eſt) tranſtulere ſancti Petri. Quibus in abſidam ejuſdem baſilicæ ad orientem altaris reconditis, omnis populus dans laudem Deo in altiſſimis, in ſua reverſus eſt muneribus ditatus divinis. Sic ergo reconditis apud ſanctum Petrum cum incorruptionis gloria pretioſis Sanctorum artubus, quot ab hinc annorum curriculis in hoc tam admirabili permanſerint prodigio, cum ſoli omnium inſpiratori Deo, tum etiam ſanctis cuſtodientibus eos notum & compertum creditur Angelis. Quibus ad honorem Dei hoc digne attollendum commendamus: quia naturæ eorum competit quicquid incorruptioni ſubjacet limpidius penetrare.

Miraculis etiam illuſtrata.

6. Hæc nobis, chariſſimi, hodiernæ feſtivitatis jubilo ſermocinantibus, ſermonis ipſius ordo lacrymas in nobis ſuſcitare, & hodierna nititur gaudia perturbare. Nam gens barbara circa littus Oceani maris ea tempeſtate debacchando magno flumini Sequanæ vicinis multum erat infeſta. Unde contigit tumulos Sanctorum proprio deſpoliari honore, ut in territorio Bononienſe ab hujuſcemodi declinaretur infeſtatione. Ergo hujus diei gratia quæque tranſeamus triſtia, quæque adverſa, quæ non nobis adverſa, ſed cuncta genuere læta & proſpera. Bononiam igitur ventum eſt, ut prædictum eſt. Agebat tunc in ſceptris KAROLUS Calvus, filius LUDOVICI Pii, annum 17. *a*. Ibi quoque divinitus eſt revelatum, quanta in conſpectu Dei præemineant virtute, cum circa exanimes exuvias tanta vivens ſpem evigilaverit potentia. Et ut aliqua divinorum operum magnalia perſtringam, ibi, ut ſic dicam, catervatim cœci viſum, ſurdi auditum, muti linguæ officium, claudi greſſum, contracti erectionem, paralytici ſoliditatem, & fluxum ſanguinis patientes concitam manantium venarum obturationem. Omnes diverſis languoribus detenti, ex oſſibus mortuis cæleſtem atque vitalem hauſere medelam. Quid de expulſione dæmonum clamabo? quicumque amentiam aut phreneſim paſſi adducebantur, quicumque immundo ſpiritu vexati, atque legione dæmonum obſeſſi attrahebantur (laus & honor tibi Chriſte) abſque mora imperium ſentiebant divinum. Interdum quoque ſolo linteorum aut palliorum attactu curati ſunt. Ergo eruditus animus ex his medelis corporum & exterioribus perpendat miraculis, quam profluis hi Sancti languentibus animabus obvient beneficiis. Vere enim meritis eorum turbæ dæmonum a cordibus fidelium fugantur, peſtes vitiorum pelluntur, mors peccatorum perimitur, & vita animarum per Chriſtum ſuſcitatur. Et quoniam ductu ſermonis ad hoc jam pervenimus, ut glorioſus eorum adventus fidelium inſonet auribus, operæ pretium cenſuimus aliqua de loco prælibare, quem eorum patrocinio & ſacroſanctis meritis Chriſtus dominus noſter elegit nobilitare. De quo loco dicturi fraterna pace & Chriſtiana fide hoc narrare aggedimur, quod poſteritati ſuæ Patrum auctoritas, & fidelis commendat vetuſtas.

Blandinii montis deſcriptio.

7. In pago igitur Gandavo mons ſurgit aureus, & cunctis in edito poſitus, claro nomine *b* Blandinium nuncupatur: cujus quidem longitudinis tractus a plaga ſeptemtrionali in meridianum, latitudinis vero a plaga orientali in occidentalem porrigitur. Et hinc quidem a climate orientali fluvius Scaldis * nomine, illinc vero ab occidentali alius Legia * dictus, flexuoſo meandro nobilem manationis ſuæ dirigunt curſum. De quo plura in laudem Dei dicturi, ob merita Sanctorum ibi in cubilibus ſuis exſultantium illud libet Davi-

*l'Eſcault
* le Lys

a Eodem Caroli anno, Chriſti ſcilicet 858. hanc Translationem accidiſſe jam Sæculi 2. pag. 549. contra Chronici Fontanellenſis auctorem notavimus: tametſi eo anno currebat Caroli annus 18.

b De Blandinienſi monaſterio aliiſque a ſancto Amando conſtructis, conſule ejuſdem Amandi vitam Sæculo 2. editam, maxime pagina 720. & acta S. Gerardi Abbatis Bronienſis infra.

AN CHR 944 3. Septemb.

Davidicum conclamare: *Mons Dei, mons uber, mons in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo: etenim Dominus habitabit in finem.* In cujus ſupremo vertice locus magno fulget decore, quem ſermone aggredimur. Hunc ergo locum dilectus Deo & hominibus Præſul eximius olim adiens Amandus tempore quo glorioſus Rex Dagobertus honeſte agebat in ſceptris, Cœnobium ibi conſtruxit in montis vertice: ubi vetuſtiſſimum fanum fuit, in quo ex antiquorum more Gentilium ab ſtulto ruſticorum populo Mercurius colebatur. Contrivit ergo idolum, ſubvertit aram, ſuccidit lucos, atque (ut prælibavimus) ubi fanum deſtruxit, ibi Cœnobium conſtruxit, cui Blandinium vocabulum indidit, ob quod blanditiis ferocis populi animum delinivit. Cœptum eſt autem hoc opus ab anno Dominicæ Incarnationis ſexcenteſimo decimo ſub die Kalendarum Octobrium, Indictione prima, qui erat annus præfati Regis Dagoberti quartus decimus, pontificante ſedem Romanæ Eccleſiæ beatiſſimo Papa Martino, Acharii * autem Epiſcopi Noviomenſis anno ſeptimo. Quod perfectum dedicavit in honore ſancti Petri Apoſtolorum Principis primo Kalendarum Majarum die, inſertis ibidem reliquiis ejuſdem Principis Apoſtolorum, Doctoriſque Gentium Pauli, ſanctorumque Apoſtolorum Philippi & Jacobi, aliorumque Sanctorum pignoribus, quæ a Martino Papa impetraverat: in quo & Monachorum congregavit catervam, quibus & præfecit Abbatem nomine FLORBERTUM *a* virtutum ornamentis floridum, tum totius religionis honeſtate præclarum.

in quo deſtructo idolo, monaſterium conſtruitur.

* al. Aicari

ſub Florberto Abbate.

8. Et certum tenemus hoc primum eſſe cœnobiorum omnium, ab eodem ſancto Patre noſtro Amando ubi ubi fundatorum. Sed ne quis forte ſpiritu erroris ſeductus ſermonem noſtrum a vero æſtimet deviare, ſciat nos Orthodoxorum jamque in cœlis regnantium cum Chriſto inniti teſtimoniis Patrum, quibus derogare nulli fas eſt Chriſtianorum. Quæ etiam nunc opportune & competenter hic poſſent inſeri, niſi ſermo ab ordine ſuo vitaret deduci. Reſpondent quoque his magna auctoritate roborata & priſca & moderna Romanorum teſtamenta Pontificum, & chriſtianiſſimorum decreta Imperatorum auguſtorum *b*. Deo etiam annuente Clericorum Monaſterium in eodem pago Gandavo conſtructum eſt a beato Amando: ubi die noctuque laus a fidelibus decantatur ſub ejuſdem ſanctiſſimi Patris & Abbatis Florberti regimonio. Quo audito eumorphus BAVO præclarus Confeſſor Domini mox futurus, pleniſſima devotione ante oratorium Domini ſe proſternens, comam capitis ſui abſcidi deprecatus eſt, adeptuſque venerandi Pontificis manibus clericatus honorem, meruit fieri conſors Apoſtolorum. Sed nunc cœpti ſermonis ordinem proſequamur.

9. Beatus igitur Amandus omnibus rite ordinatis, alibi divino flagrans amore migraturus, famulum Dei virum ſtrenuiſſimum Florbertum (ut ſuperius dictum eſt) Monachorum gregi Paſtorem præfecit atque Abbatem. Qui ſtrenue ſancti propoſiti normam incedens, quod ſubditos verbo docuit, ipſe prior exemplo monſtravit. Rexit autem idem hoc Cœnobium ſub beato Amando annis 20. Qui 642. anno Dominicæ Incarnationis primo Kalendarum Novembrium die, humanis rebus exemptus, ad ſuperos (ut credimus) eſt evectus, atque in eodem Monaſterio tumulatus, atteſtante etiam marmoris titulo, ſculpto litteris tam Græcis quam Latinis hoc modo. *Hic eſt locus ubi requieſcit corpus Florberti Abbatis, diſcipuli & ordinati Amandi Epiſcopi, cujus depoſitio celebratur Kalendis Novembris.* Succeſſit autem ei in regimine vir venerabilis Abba Joannes *c*, a beato Amando ſubrogatus. Qui cum juxta nominis ſui ſignificationem Dei gratia plenus eſſet, utpo-

quo pie defuncto,

ſuccedit Joannes.

a Præfuit Blandinienſi cœnobio poſt S. Amandum Florbertus ab anno 618. ad 639. habet Sanderus; aut ad 642. habet hic auctor infra numero 9.

b Summorum Ponificum, Imperatorum, aliorumque principum privilegia Blandinienſibus conceſſa habes apud Sanderum in rerum Gandavenſium libro 4. cap. 1.

c Abbatum Blandinienſium annos regiminis habes apud Sanderum, qui Joannem, cujus hic mentio anno 618. Baudemundum 730. Ferrecum 752 Hattam 758. Cæleſtinum denique, qui a Carolo Martello cum Ragenfrido diſceptante in exſilium dejectus anno 765. mortuus eſt.

Digitized by Google

utpote quem Deus Paſtorem gregis proprii elegit, omnibus tam notus quam charus fuit, itaut vulgi ore locus ipſe longe per ſuccedentia tempora Joannis Monaſterium appellaretur. Quo etiam inter intelligibilia diſpoſito, ex diſcipulis ejuſdem Patris Baudemundus vocabulo ſucceſſit. Sicque ſuccedentibus ſibi Rectoribus, ad tempus quod uſque inter Karolum & Ragenfridum perduellem exortum eſt, admodum honeſte Deo inibi militatum eſt. Qua tempeſtate cum vices Chriſti in ſacro regimine Cæleſtinus Abba ageret, falſa invidorum delatione apud præfatum Principem innocenter laceratus, quaſi qui partibus Ragenfridi faviſſet, ab eodem & ipſe exſilio injuria eſt deportatus, & grex Domini eſt diſperſus. Qui peregrinus obiit, & in Monaſterio beati Petri quod Rodnace * ſitum eſt, ſepultus quievit. Karolo autem Magno imperante, ſalus mundum reſpexit, quæ & hunc locum viſitavit. Tetigit enim Dominus cor ejuſdem Principis, & gratuita pietate inſpiravit, ut viro Dei Agenardo *a*, qui ea tempeſtate inſignis eſt habitus, idem Cœnobium traderet regendum, a quo mox illuſtrium Clericorum multitudo adunata, *b* ſub umbra alarum Apoſtolicæ protectionis, hic Dei munere eſt collecta. Quorum ſibique ſuccedentium induſtria, idem locus decentiſſime veneratus, claro ſanctæ religionis vigore ubique gentium exſtitit floridus.

AN.CHR 944

3.Septemb.

Baudemundus.

Cæleſtinus in exſilio mortuus.

* Renais

Agenardus.

10. Surrexit illis diebus in regno ex fortiſſima heroum proſapia Balduinus, ob invincibile animi robur & fortia inſignia geſtorum cognomento Ferreus. Qui accepta Judith filia Karoli Calvi, univerſum regnum inter mare Gallicum & præfatum Scaldem fluvium cum ea Dei gratia ſortitus eſt: unde & locus de quo ſermo eſt, ejus quoque ditioni adjunctus eſt. Quem eodem tempore venerabilis Abba, nomine Rotbertus, eccleſiaſticis ſtudiis vitæque honeſtate omnibus notus, Dei diſpenſatione regendum ſuſcepit. Cujus laudabilis vitæ merito magnum præbet teſtimonium, quod piis lacrymis coram Domino fuſis, & jugi cordis contritione & carnis maceratione a domino Jeſu Chriſto obtinere meruit, ut ſacratiſſimum corpus ſponſæ & virginis Chriſti Amalbericæ *c* cunctis mortalibus diu abſconditum, mira ſibi revelatione & primitus oſtenſum, & cælitus fuerit donatum. Cujus revelationis & adventus tempore tanta meritis ipſius effulſit magnitudo prodigiorum, tanta & animarum & corporum enituit gratia remediorum, ut vix ab ullo mortalium aut numero comprehendi, aut verbis potuerint enarrari. Nec ulli fidelium incredibile videatur, Chriſtum ejuſdem virginis ſponſum hæc pro ea operatum in terris, quam coram Patre ſuo & Angelis ejus pudicitiæ & martyrii coronis glorificat in cœlis. Facta eſt autem Translatio corporis ejuſdem ſacræ virginis anno Verbi incarnati 870. indictione 3.

11. Ut autem ad ordinem redeamus, Judith inclita Karoli Imperatoris proles, Balduino peperit filium ei æquivocum: cui Elſtrudis, filia Regis Anglorum, magnum genuit Arnulfum. Hic igitur a ſancto Arnulfo, avo ſcilicet ſanctiſſimi Patris Wandregiſili & nomen traxit & genus a ſanguine Romanorum, *d* qui & olim Trojanorum: ornatum quoque virtutum titulis, & æternæ & temporalis vitæ decus. Hic ergo ille eſt Arnulfus, qui beatiſſimum Sacerdotem Domini Vvandregiſilum, & claros Archipræſules Anſ-

S.Wandregiſili ac ſociorum translatio facta Blandinium,

---

a Ainardum eum vocat Ludovicus Pius in ſuo apud Sanderum diplomate pro libertate eccleſiæ S.Petri Gandavenſis conceſſo, illiuſque obitum ſignat idem Sanderus ad annum 839.

b Ab obitu Cæleſtini Abbatis, id eſt ab anno 765. nulli amplius in Blandinienſi monaſterio monachi reſederunt ad ejuſdem loci reſtitutionem per Gerardum abbatem hoc ſæculo factam, commendato laicis hominibus, ut ex Chronographo Blandinienſi refert Sanderus, monaſterio. Hinc Eginhardus, vir ſuo tempore clariſſimus, cum diſperſos pluribus annis monachos colligere non poſſet, clericos eorum loco ſubſtituit. De Eginhardo vide plura in Sæculi 4. parte 1. pag. 414.

c De Translatione ſanctæ Amalbergæ hæc habet martyrologium Blandinienſe. *Sexto Kalendas Novembris, in Blandinio adventus corporis ſanctiſſimæ Virginis Chriſti Amalbergæ*. Et, *Kalendis Maji in Blandinio monaſterio translatio corporis ſanctiſſimæ Amalbergæ Virginis*. Vixit S. Amalberga medio ſæculo 8. & de ejus geſtis ac variis Translationibus egimus in Sæculi 3. parte 2. pag. 240. & ſequentibus.

d Multi alii Comitum Flandrenſium originem a ſancto Arnulfo deduxerunt: quos ut fabularum auctores merito rejicit Labbeus, pluresque doctiſſimi viri.

Digitized by Google

AN.CHR. 944 3.Septemb.

Anſbertum, atque Vulfrannum hodierna atteſtante ſollemnitate, huc tranſtulit. Mirabiliter enim & glorioſe ſanctiſſimo Patri Wandregiſilo divinitus proviſum eſt, ut ex ejus ſtirpe is ſurgeret, qui ejus ſe obſequio totum devoveret, locumque in quo transferendus erat in melius ordinaret. Tractante autem eo, & conſilium ſuper hoc placito a Deo quærente, non eſt fraudatus a deſiderio ſuo. Ecce enim huic aptus negotio inventus eſt vir vitæ laudabilis, ſanctitate clarus & genere GERARDUS *a* nomine, qui Monachus propoſito, Abbas autem exſtitit officio, & Apoſtolicus merito. Huic inclitus Marchiſus de ejuſdem Monaſterii ordinatione, & priſtinæ monaſticæ converſationis reſtauratione, conceptum in anima ſua de Spiritu-ſancto aperiens deſiderium, conſilium prudenter utile, atque utiliter prudens adinvenit. A quo etiam perductus anno humanati Verbi 941. hanc aulam apoſtolicam devota Monachorum cohorte comitante ingreſſus eſt. Ubi eliminato in primis clericorum grege, dominici ſcholam ſervitii a beato olim Amando conſtitutam reſtituit; & normam monaſticæ Regulæ, ut doctus a Deo, ſapienter intendere curavit. Quamplures vero tanti exemplo magiſtri excitati, cœperunt voto monaſticæ diſciplinæ hic confluere, cervicem cordis edomare, jugum Domini ſuave ſuſcipere. Et contigit in brevi, ut hoc Dominici ovilis Cœnobium numero & merito dilatatum, nobiliſſimis per omnia non ignobilius probaretur cœnobiis. Nec dubium ulli beatum Wandregiſilum & ſocios ejus piis hoc a Domino precibus obtinuiſſe, ut idonei præmitterentur ſanctæ religionis miniſtri, a quibus in adventu eorum religioſe occurreretur, a quibus etiam digne ſuſciperentur, dignius tractarentur. Si enim uſui eſt mortalibus viantibus diverſorii obtentu comites præmittere, hoſpitium aptum præoccupare, ut venientibus cum gaudio occurratur, ut læta ſuſceptione delectentur: quanto magis tam præclaros ſuperni palatii aulicos ab omnipotentiſſimo Rege & Domino hoc credimus impetraſſe, ut honorandus cum filiis præmitteretur Pater Gerardus, quorum converſatione in adventu eorum locus inveniretur ſanctificatus, & in habitatione eorum aptiſſimus?

procurante Arnulfo Comite ac Gerardo Abbate.

12. Jamque tempus aderat transferendorum huc corporum Sanctorum, ſicut diſpoſitum erat in conſilio eorumdem Sanctorum: ad quod negotium cum ſeſe ut fidelem miniſtrum Dei Spiritu excitatus magnus aptaret Arnulfus, aſſumpto ſecum eodem venerando Abbate cum magno Chriſti Sacerdotum, Monachorum atque Clericorum collegio, cum inſtructa quoque fide & ſpe Chriſtianorum exercituum legione, ad urbem uſque properat Bononienſem. Ubi ſeſe cum omnibus humili præſentans devotione Sanctis, quorum illo gratia advenerat, pavimentum ſolo ſtratus lacrymis rigabat, quibus ſe deſiderii ſui compotem fieri a Deo expoſtulabat. Vocatus quoque adeſt civitatis Epiſcopus, nomine WITFREDUS *b*, cum ſplendido apparatu, & nitidis eccleſiæ officiis. Qui cum in exſequendo nutui divino & Deo digni Marchiſi decreto, licet invitus & mentem gravi doloris vulnere ſaucius ingereret; ecce adſunt cum vulgo innumerabili primores loci zelo inſipientiæ armati, & mota ſeditione diſpoſitioni divinæ moliebantur reſiſtere: cujus ſeditionis auctor exſtitit Stephanus Capicerius. At Chriſtus pax vera, hoc opus pacis pacifice diſponens conſummare, ſurgentis ſcandali incendium hujuſmodi compreſſit miraculo. Intererat conventui illi reverenda quædam matrona nomine Torulla, quæ velut altera Anna die vel nocte non diſcedebat de templo, jejuniis & obſecrationibus ſerviens Domino; cui mira Dei revelatione oſtenſum eſt, qualiter loculi quibus pretioſa Sanctorum continebantur buſta, relictis in quibus tenebantur ſedibus, quaſi ſuper alas ventorum per inane levati, Abbatis & Monachorum inſiderent ulnis. Quod cum circumſtantibus clara ederet voce, adjecit: Sciatis per hoc, fratres mei,

Epiſcopus illam volens impedire, aſſentiri cogitur.

a Sancti Gerardi vitam inferius exhibemus ad annum 959. cujus opera clerici, qui Blandinienſe monaſterium centum circiter & decem annis incoluerant, monachis locum fecerunt.

b Sedem Bononienſem ſeu Tervannenſem tenuit Wictfredus, aliis Wilfridus, ex Præpoſito ſancti Bertini Epiſcopus, ab anno 935. ad 960.

Digitized by Google

mei, voluntatis eſſe Altiſſimi, ut migrent hinc hi ſanctiſſimi viri: unde Chriſtiana vos fide ſuadeo, ut favor veſter divino reſpondeat favori, nec tam deifico operi aliqua per vos oriatur occaſio ſcandali. Ad hanc vocem ſicut humidus aer nubem ſolvit, & fumum turbo diſpergit: ſic placita pax iræ flammas exſtinxit, & grata quies horrorem litis proturbavit. Coluber autem antiquus victricis pacis telo perfoſſus, toxicatum rurſus diſcordiæ ſpiculum inſtaurat, ipſe mox proprio mucrone feriendus. AN CHR. 944 3 Septemb

13. Ecce enim in noſtrates gravis ſuſpicio oritur, gravior ſeditio ſuſcitatur, dicentes corpus egregii confeſſoris Vulmari *a* atque Abbatis a nobis eſſe ſublatum: cujus rei materiem excitabant duo Clerici, quorum alter dicebatur Notgerus, alter Helgerus; unus eorum ſancti Vulmari Præpoſitus, alterque æditutus. Ubi vehementer motus in eos Epiſcopus, ſacrilegii eos cœpit arguere, & ignominioſo crimine denotare. Glorioſus vero Abbas cum hanc nec ſatisfactione, nec contradictione calumniam valeret delere, ad hoc res perducta eſt, ut ſigillo rupto & loculo fracto oculata id fide niterentur explorare. Videns autem Abbas eos ſibi nullomodo acquieſcere, neque cœptam pertinaciam deponere, id pro omine imminentis ſibi lætitiæ præſagus accepit. Unde & cunctis coram adſtantibus dixit: Vere ſcio, beate Wandregiſile, hic tuam vigilare virtutem pro conſociandis tibi collegæ tui Vulmari ſacris artubus, famulis tuis laborem iſtum impendere: quod & factum eſt. Aperto ergo ſacroſancto loculo corporis ſancti Vulmari, bina membrorum pii Confeſſoris occulto Dei beneficio promeruit, & unum epiſcopali benedictione gratias agens Deo ſuſcepit. Et ſatis forſan congrue, ut quod deſuper datum eſt, daretur duplum, quod vero deorſum ſubduplum.

14. His ergo reliquiis gratanter ſuſceptis, & junctis præfatorum Chriſti ſacerdotum ſacris exuviis, feliciter tranſiit in effectum, quod præſago Abbatis ſermone eſt prædictum. Quid fruſtra niteris invidia diaboli? Ecce unde deturbandum ſperabas conſilium & opus Dei, inde felicius procedit in ruinam tui. Sit illi gloria, qui technas fraudium quas in electos ſuos machinaris, per cuncta ſæcula in materiem ſui transfert honoris. Igitur litigantibus, quia filii pacis intererant, in concordiam reductis, Monachi præeunte Abbate ad ſancta ſanctorum accedunt, & læti, juxta revelationem divinitus oſtenſam, in ulnis recipiunt. Et ecce gaudia coronantur gaudiis, cum præfatis Sanctis ſanctæ Trinitati ternario numero junctis, innumerus Sanctorum accreſcit exercitus, cum eis ad indignos ſervulos venire paratus. Ut autem clarius in ſole prodeat quod dicimus, placuit in primis Deo altiſſimo, dein Sanctis quos hodie veneramur, ut ipſi non ſoli, ſed cum multitudine Sanctorum locum inviſerent, ubi ſupplices ſuos piis foverent patrociniis, & fidelibus largis occurrerent beneficiis. De reliquiis ſupradictorum ſanctorum Wandregiſili, Ansberti atque Vulfranni hæc nobiſcum detulimus. De caſubula ſancti Wandregiſili. Capellum etiam capitis ejus, unamque ex caligis ejus, ſubtalares, ſportam, partemque illius crociæ, quam alio ligno inſeruimus, & auro argentoque decoravimus. Hæc vero ſunt quæ de ſancti Anſberti habemus reliquiis. Tunicam ejus & partem ipſius caſubulæ, Marſupium vero & anaphum ſeu pyxidem, atque cultellos. Ex ſancti Vulfranni dalmatica, pars eſt apud nos maxima, & cultellus cum vagina. Præterea dignum duximus patefieri ſcire volentibus, & alias quas nobiſcum detulimus reliquias. De ligno ſanctæ Crucis. De ſpongia unde fuit Dominus aceto potatus. De ſepulcro Domini coloris albi, atque coloris rubri. De veſtimento Domini, & de tunica ejus inconſutili. De ligamento unde fuit ligatus. De loco ubi crucifixus fuit coloris varii. De monte Calvario, & de monte Oliveti. De lapide ſuper quem ſtabat Dominus, quando dixit Petro: *Tu es Petrus*. De manna Domini. De pulvere in quo Salvator noſter

Aliæ etiam reliquiæ transferuntur.

a De translato Bononiam ſancti Vulmari corpore diximus in appendice ad ejus vitam Sæculi 3. parte 1. pag. 238.

Digitized by Google

AN.CHR. 944 3.Septemb. noſter pedem poſuit, quando de Jordanis alveo in naviculam aſcendit. De ligno trans Jordanem plantato. De vaſe in quo benedixit Dominus aquam, quam in vinum mutavit. De quinque panibus. De petra quæ eſt in Golgotha. De ligno ubi Zacchæus ſedit. De veſtimentis ſanctæ Mariæ. De terra oritorii * ſancti Michaelis. De ſancto Joanne Præcurſore Domini, & de ſpongia ipſius. De pannis Innocentum aſperſis eorum ſanguine. De veſtimentis eorum. Reliquiæ de ſancto Petro, atque de lecto & pallio ipſius. Reliquiæ de ſancto Paulo, & de pallio ipſius. Reliquiæ ſancti Andreæ Apoſtoli. Reliquiæ de ſepulcro ſancti Joannis Evangeliſtæ, & de veſtimento ejus. De oſſe ſancti Matthæi Apoſtoli & Evangeliſtæ. Reliquiæ ſancti Simonis Apoſtoli. De ſancto Clemente. De oſſibus ſancti Protomartyris Stephani, & de ejus ſanctiſſimo ſanguine, & de uno lapide cum quo lapidatus fuit. Reliquiæ de ſancto Dionyſio, & de ſancto Eleuterio. Reliquiæ ſancti Laurentii Martyris. De oſſe ſancti Vincentii Diaconi & Martyris. Pyxides duæ ex ebore, quas ferunt a ſancto Wandregiſilo ab urbe Roma delatas; de quibus una retinet partem genu ſancti Leonis Papæ cum balſamo ſacrato, & altera, in qua eſt aliqua pars oſſium ſanctorum Criſpini & Criſpiniani, quæ etiam continet aliorum reliquias Sanctorum. Reliquiæ ſanctorum Mauricii, Exſuperii, Candidi, Victoris, Innocentii. De ſancto Victore. Reliquiæ ſanctorum martyrum Georgii, Saturnini, & Symphoriani. Reliquiæ martyrum Hyppoliti, Valeriani, & Proti. Reliquiæ ſanctorum martyrum Chriſtophori, Leodegarii & Solatoris. Reliquiæ ſanctorum martyrum Quintini, Marcelli, Danielis, Silvini, Simeonis. Reliquiæ de ſeptem Dormientibus. Ex ſancti enim Kiliani Pontificis & martyris articulis manuum gaudemus habere nobiſcum: quas reliquias Erkengerus Comes & Arnoldus de Germania Bononienſem civitatem deportaverunt. De ſancto Timotheo Martyre. De ſancto Caroutio Martyre. De ſanctis Lorio, Gemino, & Tadaſio Senatoribus. De ſancto Macchabæo & ſancto Martiano. De ſancto Marcello & ſancto Maureliano. De ſanctis Lantberto, Paterno & Deſiderio. De caſubula ſancti Gregorii Papæ, & aliæ de eo reliquiæ, ſcilicet de cingulo & de cilicio ejus. De membris etiam ſanctorum Ermelandi & Eremberti maximam habemus partem. De ſanctis Confeſſoribus Martino, Audoeno & Verano. De caſubula ſancti Silvini Epiſcopi. De barba Domini Dadonis, qui & Audoeni. De villoſo unde tectus eſt. De linteamine ſuper quod tranſivit, & camiſia & naſtula. De ſancto Friciano Confeſſore. De pallio ſancti Remigii. De ſanctis Confeſſoribus Germano, Sulpicio, & Samſone. De ſanctis Confeſſoribus Marcello, Bertino & Albino. De ſancto Stephano Pontifice. De ſancto Amatore. De ſanctis Fridegerio & Emetorio. De capillis ſancti Genardi. De ſanctis Gerano & Francoveo. De ſanctis Benigno, Maxentio & Maglione. De ſanctis Eligio, Wandone, & Hieronymo. Reliquiæ ſanctæ Agathæ Virginis. De tunica ſanctæ Agnetis. De capillis ſanctæ Aureæ. Dens ſanctæ Cæciliæ, & aliæ de ea reliquiæ. De tunica ſanctæ Eugeniæ. De ſancta Perpetua. De ſanctis Anaſtaſia & Suſanna. De capillis ſanctæ Radegundis, & aliæ de ea reliquiæ. De ſancta Bathilde Regina, quæ ſancto Vvandregiſilo multa bona fecit. De ſancta Columba. De ſancta Margareta. De capillis ſanctæ Hildemargæ, ejuſque veſtibus. De ſancta Fide. De ſancta Honorina, & de aliis 27. Sanctis, quorum reliquiarum breves non potuimus legere. Aliæ quoque reliquiæ nobiſcum ſunt delatæ, quæ olim in aureis atque argenteis capſis fuerunt inditæ: quarum auri argentique pretio diſtracto Monachi emerunt ex illis victui neceſſaria, quando a ſuo Cœnobio Paganorum incurſu per provincias fuerunt diſperſi. His ergo Sanctis quos etſi incircumciſis labiis nominatim expreſſimus, ut præcedentia hujus ſermonis teſtantur atque ſequentia, hodiernæ diei feſtivitas honeſtiſſime eſt dedicata. Hinc laus, hinc honor & virtus Deo noſtro, decus & imperium Regi noſtro per omnia ſæcula ſæculorum.

* an Oratorii.

15 Igi-

Digitized by Google

15. Igitur memoratus piæ memoriæ Abbas & comites venerandi præclaris tantorum Sanctorum ditati patrociniis, & pretioſis exhilarati pignoribus, lætum maturant reditum, lætiorem habituri adventum. Quibus Chriſto cum Angelis prævio caſtra moventibus & migrantibus, hi in magna cordis lætitia ſublatis in cælum vocibus Deo gloriam canunt; illi in magna amaritudine flebilibus modis luctum cordis aperiunt. Et ecce cum Epiſcopo patentibus portis omnis Eccleſiæ dignitas, ecce cum inclito Marchiſo tota in honore Sanctorum comitatur civitas: nec deſerunt concives ſuos comitantes Angeli, ſed præſentem ſervis ſuis Regem Chriſtum ſplendida ambiunt frequentia. Cujus præſentiæ teſtimonium ad gloriam nominis ſui per omnem viam inſignia præbuere miracula. E quibus plura prætermittentes, & pauca aſſumentes, in paradiſum Eccleſiæ flores ſpargimus in odorem ſuavitatis omnibus hujus diei gaudia colentibus. Cum enim populorum de cunctis finibus commeantium millia Sanctorum confluerent ſuffragia, & denſa per omnes campos ſeſe explicarent examina, tanta impediente multitudine celerem nequiverant pedibus greſſum imperare. Chriſti autem militum pretioſa geſtantes pignera, cum naturaliter veluti ſarcinis gravati impeditioris greſſus eſſe debuiſſent, adeo pii oneris non fatigabantur obſequio, ut eos magis ferri, quam aliquid æſtimares ferre. Et cum a Senioribus procedere, & laborantem plebem juberentur reſpicere, dixere: Ne turbemini Patres & domini, ſed Chriſtum hic in Sanctis operantem admiramini: onera quæ ferimus noſtros accelerant greſſus, quibus onerati nos fatigari non poſſe miramur: exonerati vero communi vobiſcum labore fatigamur. Quod audientes divina eos ſuſtentari gratia intellexere. Unde magnalia Dei in Sanctis ſuis tam mirifica, & beneficia in fidelibus ſuis admirantes tam proflua, altiſona voce dixere *Alleluja*. Hæc autem eo acta ſunt loco, ubi mons quem dicunt *Vvonesberth*, a radicibus aera petit. Ab hoc ergo loco pediſſequi Sanctorum, qui de vicinis advenerant civitatibus, ſanctis eorum ſe patrociniis commendantes, & interceſſionibus devoventes, ad propria magnis fatigati doloribus ſunt reverſi. Rogo Domine Jeſu-Chriſte gradere mecum, & viam Sanctorum tuorum calamo depingentem dirige.

AN.CHR 944 3. Septemb. Sine ullo portantium labore.

16. A præfato igitur loco plebe (ut dictum eſt) remeante, & ſeſe in ſua recipiente, inſignis Pater Gerardus ſanctique itineris comites in obſequio Sanctorum tanto apparuere devotiores, quanto a remotæ multitudinis ſtrepitu erant remotiores. Ubi cum tam in equis ad ferenda vivifica Sanctorum buſta deputatis, quam & in ceteris commodis diabolus jacturam diverſis moliretur modis, divina protectione, & Sanctorum interceſſione, nullo ſubjacere potuere periculo aut diſpendio. Qua in re ſolitam Dei admirantes clementiam, devota mente ei cecinere gloriam. Sole dein ruente, & conſummato diei itinere, in villam quam dicunt *Vveretham* diverterunt. Villa autem eadem ſecus mare ſita eſt. Gratulantibus autem eis & de inventa hoſpitalitate, & de proflua vicinorum humanitate, inopino aeris turbine & procelloſa pelagi concuſſione omnis lætitia mærore abſorpta eſt. Et niſi ſublevaret fixa in patrocinio Sanctorum pretioſa fides, totius ſalutis proturbaretur ſpes. Mare enim funditus everſum ita ſe mole fluctuum ſubrigebat in altum, ac ſi divino mox imperio terminos proprios egreſſurum, & ſuperficiem terræ occupaturum. Quid agerent, niſi in illo cui canitur, *Adjutor in opportunitatibus, in tribulatione*, ſpem omnem transferrent? Fuſis ergo ad Deum precibus & lacrymis cum ſacroſancta benigniſſimi Wandregiſili patrocinia fluctuantibus opponerent undis, ecce ſedato aere omnis ita in ſe reſedit pontus, ac ſi valida Dei dextera ſuis imprimeretur finibus. Renovantur hic antiqua ejuſdem pii Patris miracula. Nam expreſſis ſignorum ejus inſignibus, memoriæ occurrit, qualiter primo Geroaldus Abbas, ſecundo autem Grippo Præfectus ſævientis pelagi vim perpeſſi, baratro mortis pæne fuerint abſorpti, niſi ſolita clementia pius adeſſet Wandregiſilus pulſatus eorum & votis, & lacrymis, & precibus. Sic & nobis mellifluæ dulcedi-

Tempeſtas per eas ſedata.

Digitized by Google

AN.CHR. 944 3.Septemb. cedinis Patrone, inter hos mundi turbines peccatorum tempeſtate naufragantibus, per te cum tabula pietatis occurrat Chriſtus, cujus gratia adſpirante nobis aura Spiritus-ſancti portum regni intrare perpetui mereamur. Conſideremus adhuc Patronos noſtros ita in hujus quoque aeris elemento, ſicut & in mari glorioſos.

Prohibiti imbres. 17. Inundationis flagellum orbem premebat eo tempore univerſum. Apertæ cataractæ cæli viſæ ſunt aquis conſumere ſubſidium anni. Et forte placuit Deo hanc diebus illis plagam inducere, ut translatis & deductis per amplos terrarum tractus Sanctis, cæli miſericordiam eorum diſtillarent meritis; ſicque omnibus revelaretur populis, quantum nobis bonum daretur de excelſis: quod & factum eſt. Nam & cæli clauſi, & hanc juſſi ſunt legem pati, ut & imbres nimios ſuſpenderent, & aerem jucunditate ſereni exhilararent. Sicque contigit, ut ſicut inventus Protomartyr Domini Stephanus ſiccitati remedium fuit: ita beatus Wandregiſilus cum ſociis Præſulum gemmis translatus Chriſto eum mirificante inundationi ſuccurreret. Quod etiam intelligentes agricolæ, Sanctis per omnem viam ſtuduerunt occurrere: & tanta mirabilia confitentes, devote erant Deo gratias agentes. Illuxit dies beati Bartholomæi paſſione feſtivus: in cujus gloria immolata redemptionis hoſtia, alveum quem dicunt Neunam Sancti ſuorum obſequio tranſvecti. Et ecce glorioſus Marchiſus ex improviſu adeſt, ſpiritu turbatus, & vultu mæſtiſſimus. Vagabatur enim ſpiritus mendacii in ore dicentium: Quia Dominus noſter Sanctos ſedibus ſuis privavit, ultio eum jam divina invaſit. En in ſedibus quas Sanctis a ſe paratas credidit, ipſe ſubſiſtere non meruit. Hæc vox, vox dæmonum (ut dictum eſt) videtur fuiſſe: ſentientes enim in Sanctorum glorificatione vires ſuas conterendas. Nam ſicut ad memoriam eorum ab obſeſſis cum magno rugitu fugabantur corporibus: ita ſe pellendos præſciebant a fidelium, quas amplius lædere ſtudent, animabus: diſpoſitum a Deo adventum eorum aut retardare, aut forte mendaciorum figmentis moliebantur avertere. Quas inſidias doctus a Deo venerandus intelligens Abbas, has ordinata per ſpiritum ſapientiæ eloquentia detexit, atque falſiloquo rumori credulas adhibere aures Marchiſum prohibuit.

Alia miracula. 18. Incumbentibus autem tenebris villam vocabulo Ogiam hoſpitio delegere: ubi intermixta turmis fidelium ad memoriam Sanctorum cum hymnis pernoctantium, quædam infirma membris omnibus dolori capitis compatientibus, Deo miſerante mox priſtinæ ſanitati eſt reddita. Unde ventum eſt ad caſtrum quod dicunt Bergam cum magno fidelium concurſu & occurſu. Et depoſitis in eccleſia confeſſoris Chriſti VUINOCI *a* debito honore Sanctis, pauper quidam ob inſequentem ſe cum armis hoſtilem cuneum, ad eorum ſolida fide confugit patrocinium. Ubi cum in eorum aſpectu thura precum incendit, & aurum pretioſæ fidei appendit, mox ejuſdem ponderoſæ fidei merito, palma ei triumphalis eluſis & retroactis hoſtibus arriſit. Inde quoque poſt biduum egreſſi, ad alveum venere ſermone ruſtico cognomine *Driulit*, quod nos Latine Trinum-fluentum dicere poſſumus. Cui ſcilicet alveo, quia ex more mare exæſtuans jam inundare cœpit, comes ſancti itineris, inclitus ſcilicet Marchiſus cum omni exercitu, magno equorum & labore & ſudore vix tranſmeabilem habuit. Venerabilis vero Abbas & fratres obſequio ſanctorum deputati, memores illius Davidici, *Hi in equis & hi in curribus; nos autem in nomine Dei noſtri invocabimus*; non equis ſiſi aut curribus, ſed ſola invocatione nominis Chriſti, ſecura alacritate tanto ſeſe commiſere periculo. Et viam aggreſſi lymphaticam, ſenſerunt mare Dei nutu miræ dilationis moderamine ſuum coercuiſſe acceſſum, ut Sanctorum abſque difficultate perageretur tranſitus, & per hoc in eis glorificaretur Deus. Ecce quomodo ornat Deus mundum miraculis Sanctorum. Pro quibus omnibus dicamus cum Pſalmiſta:

a Sancti Winnoci vitam edidimus in Sæculi 3. parte 1. ubi de conſtructo Bergenſi, in quo nunc quieſcit, monaſterio egimus.

Digitized by Google

miſta: *Benedictus Dominus Deus Iſrael, qui facit mirabilia magna ſolus*. Inter AN.CHR.
hæc rogo Domine Jeſu-Chriſte, viam qua gradimur adbrevia, & adventum 944
Sanctorum tuorum accelera, ut celerius ſatisfiat deſiderio ſervulorum, poſt 3. Septemb.
eos in Spiritu-ſancto ſuſpirantium.

19. Igitur ab amne præfato progreſſis, ecce BALDUINUS *a* magni Marchiſi proles inclyta, ecce quoque regia mater ejus, clariſſima ſcilicet ADALA, cum omni comitatu & innumeræ plebis multitudine, devota honeſtate & honeſta devotione ſeſe obviam dedere. *Sanctorum reliquiis obviat Balduinus.* Apud quos unius tantum noctis ſpatio Sancti cum ſuis manentes, & viam diluculo carpentes, in villa cui nomen Atrecias, hoſpitio ſuſcipiuntur. Et facto mane, ecce clerus quam plurimus, ecce diverſæ conditionis populus duce LEUTHONE Archicapellano cum crucibus & lampadibus, cum hymnis quoque occurrit & laudibus! Quorum obſequio ſancta Sanctorum inde locata, cum concentu in aures domini Sabaoth reboante, Bruzzias * ſunt delata, atque celebri honore in baſilica ſancti Donatiani *b* depoſita. *(* Bruges)* Hic quidam BERNADIUS inter ſuos nominatiſſimus, cum febricitante ſocru Petri a Domino viſitatus, ex vivificis Sanctorum morticinis vitam hauſit medelæ cæleſtis. *Bernadius febre liberatur.* Qui Archidiaconatus functus officio in omni epiſcopio, cum ardentis febris æſtuaret incommodo, ad memoriam Sanctorum pro ſe rogaturus ægra vix trahens veſtigia eſt præſentatus. Ubi cum humi ſtratus tacitam coram Deo funderet precem, profluum lacrymarum imbrem & pii cordis contritionem recuperationis ſuæ certam fecit redemptionem. Unde conjubilans Deo & Sanctis, adſtantes Chriſticolas in vocem ſuſcitat exſultationis. Qui domi reverſus, atque ob celebratum in ſe Dei beneficium, ſuis gaudium facturus, ejuſdem mox febris incommodo, occulto quidem ſed juſto Dei eſt repercuſſus judicio. Quo languore invaleſcente, cæleſtes per ſe medicos, ut optabat, nequibat inviſere. In fide tamen ſe ſubrigens, a memoria eorum ſibi aliquid ſummopere flagitabat deferri. Deferuntur ſubtalares ſanctiſſimi Patris Wandregiſili, & ſcyphus ſancti Anſberti. Subtalares alta reverentia ſuſcepit, oſculo & oculis admovit, æſtuantibus quoque membris oppoſuit: ſcypho autem pauxillum aquæ libavit. Nec mora, fugata inclementis morbi malitia, in omnibus membris virtutem perſenſit antidoti cæleſtis. Relicto mox doloris lectulo ſurgit, ad eccleſiam deſcendit, pios ſalutis ſuæ auſpices adiit, & vota gratiarum devotiſſime perſolvit. Fit celebre miraculum tum ex loci celebritate, tum quoque ex perſonæ dignitate. En hic Archidiaconus noſter tam merito, quam etiam pretio glorioſæ fidei, mulieri illi evangelicæ, quæ fimbriæ attactu incolumitatem meruit, per omnia æquandus. Ibidem unus Diaconorum hymnis pernox & laudibus in honore Sanctorum, deteſtabilis furti fraude familiaris rei damnum perpeſſus eſt. Unde repræſentans ſe Sanctis, inter flebiles querelas preces fudit & lacrymas. *Diacono ablata reſtituuntur.* Ergo exauditus eſt non ſolum damno reſtituto, verumetiam lucro damni indepto. His miraculorum inſignibus tota Flandria & maritima regio nobilior reddita eſt. Ecce chariſſimi Patres & domini, dum viam ſermone levamus, & miraculorum gaudia ſpargimus, Gandenſes fines intramus, & jam aureum montem Blandinii cum gaudio ſcandimus. Unde gratias tibi agimus, Domine Jeſu-Chriſte, quod te duce & comite, viam electorum tuorum in tua laude peregimus, & ad locum tua eis promiſſione præparatum læti cum eis jam venire meruimus. De quorum adventu diu exſpectato, diuque deſiderato, nunc autem cælitus accelerato, quia nos Chriſtus certos reddit, ſuſceptionis eorum ordinem celebri pompa proſequamur.

a Balduinum III intellegit, qui patre ſuo adhuc in vivis agente anno 961. defunctus eſt. Adela ſeu Adelais ejus mater filia erat Herberti II. Veromanduorum Comitis, Arnulfo deſponſata anno 934. ex Chronico Frodoardi.

b Translatæ ſunt Brugas ſancti Donatiani Remorum Archiepiſcopi reliquiæ opera Balduini Flandriæ Comitis, ac Ebonis Remenſis Antiſtitis: cujus rei meminit Molanus in Natali SS. Belgii ad diem 14. Octobris.

AN.CHR. 944 3. Septemb. Sanctorum reliquiæ honorifice exceptæ,

20. Sancti igitur venerando ſuorum obſequio a caſtro Bruzzienſi devecti, nec prætergreſſo abſque reverentia Dei Genitricis Mariæ Monaſterio Truncinenſi *a*, trans flumen Legiam plaudentibus dulci modulatione turmis ſunt evecti. Et ecce citeriores ripæ amnis, & omnes plateæ obviam exſilientium excipiuntur agmine Chriſticolarum. Omnis patria occurrit, quique pagenſes honore mortalibus poſſibili obviam ruunt: confluit regalis militia & omnis plebs urbana. Horum omnium concentu, vocibus quidem diſſono, affectibus autem conſono, ad aures domini Sabaoth perveniente, Monaſterio Principis Apoſtolorum, de quo diximus, altiſona appropinquant modulatione. Et ecce prodit quaſi de ſinu matris religioſus Monachorum chorus eccleſiaſticis infulis admodum honeſte redimitus, præeunte toto mentis affectu cum gaudio ſpiritali venerabili Transmaro Epiſcopo, & comitante cum ſuis glorioſo præfato Marchiſo, ſuper his omnibus ſingulariter tripudiante, & Deo gratias omnigenas referente. Hac tali & tanta, tam nitida ſcilicet atque præfulgida fidelium chorea, cum hymnis cæleſtibus & organis angelicis, cum thymiamatibus aromaticum vaporem ſpirantibus Sancti hinc ambiuntur & inde: his ſanctæ Crucis ſtigmata cum vexillis micantibus, illis cereoferalia claritatem diei augentia honorifice geſtantibus. Cum hac ergo ſpeciali honoris prærogativa Sancti in hanc apoſtolicam introducti baſilicam, in aulam eis ſcilicet divina ordinatione & præparatione dedicatam, deponuntur juxta virtutiferum paradoxæ virginis Chriſti Amalbergæ mauſoleum, ſublata in cælum voce jucunda, hac dulci modulatione: Sacerdos Dei inclyte Wandregiſile, ora pro nobis, ut tuis ſemper precibus piis protegi mereamur, & quandoque digni apparere conſpectui divinæ claritatis.

anno 944. Acta ſunt anno incarnati Verbi nongenteſimo quadrageſimo-quarto indictione ſecunda, Martino Papa vices apoſtolicas in Sede Romana agente, Ludovico Francis imperante, Transmaro Noviomenſi Epiſcopo præſidente, & Domno Gerardo Abbate hoc cœnobium regente tertio Nonarum Septembrium die. O diem celeberrimum, & omnimodo laudum præconio digniſſime efferendum. O diem feſtum nobilioribus anni feſtis merito connumerandum: in quo Dominus omne regnum per ſpeciales Patronos Vvandregiſilum & Ansbertum atque Vvulframnum tanta benegnitate proſpexit: in quo etiam hunc locum ad æternam ſalvationem digne in eo manentium tam mira clementia viſitavit. Lætare ergo, & diem feſtum age omne Liſtrogaugium, & univerſum Gandenſe patrimonium ſic divina dignatione honoratum. Exſulta quoque & lauda, Blandinienſis eccleſia, egregia videlicet Mater noſtra, & ſupernæ Jeruſalem prædulcis filia. Ecce adeſt Sponſus charitatis tuæ, transferens in te filios dilectionis ſuæ & patronos miſeræ fragilitatis noſtræ. Hos tibi hodie conſignat in reſurrectione juſtorum a te ſibi reconſignandos: his quoque te commendat, ut per eos ſancta & immaculata ei occurras. Pro his ergo omnibus omnis Eccleſiæ chorus feſtive jucundus parili pſallat concentu mirabilia tua Domine, dicens: Te benedicat omnis cœtus angelici legio, o Oriens, qui nos viſitaſti cum Apoſtolorum ſenatu, & Martyrum exercitu, cum Confeſſorum collegio, & cum Virginum choro: quorum obtentu tibi Chriſte placeant devotionis noſtræ jubila.

Ad earum adventum terra erumpit in flores

21. Miraculum adhuc referam ſatis, & omnibus ſæculis ſine exemplo prædicabile, quo & Deus in ipſo adventus eorumdem Sanctorum articulo voluit glorificari, & ſancti meruerunt ab ipſo mirifice honorari. Autumnalia, ut noſtis, ſidera tunc exorta, & ſol jam in Virgine poſitus, terram natura auctore nec flores permiſit edere, nec germen aliquod parturire. Et ecce totus mons Blandinienſis, mirabile dictu, flores cœpit producere, & hujuſ-

---

a Perſtat etiam nunc hæc Abbatia ſub Ordine Præmonſtratenſi, in pago Mempiſco ad fluvium Legiam, *le Lys* trium fere horarum intervallo a Gandavo, quondam a S. Amando fundata, vulgo *Drongene*. Vide Sanderum pag. 122.

Digitized by Google

AN.CRH. 944 3. Septemb.

hujuſmodi honore ob gloriam advenientium Sanctorum ſeſe veſtire. [a] Arbores quoque eorumdem florum varietate candeſcere, virideſcere, purpuraſcere quoque cœperunt, & diſtinctorum varietate colorum merita declarare Sanctorum; in tantum ut etiam pullulantia fructuum primordia in naturales jam ſpecies mirareris formata: vernalis naturam temporis autumnus ſe ſuſcepiſſe miratus eſt. Et quod multum mirabilius eſt, eiſdem arboribus longis poſtmodum ſæculis tamquam legitimum accidit, ut redeunte anni orbita ſe eodem florum decore veſtirent, & hanc Dei gloriam in teſtimonium tanti miraculi memoriæ mortalium revocarent. Ipſi enim qui hæc loquimur, eoſdem flores oculis perſpeximus, manibus tenuimus, oſculis admovimus, honeſtis quoque perſonis & amicis longe manentibus ob honorem Dei direximus: quoſdam etiam eorum tactu & odore ab infirmitatibus ſuis gratuita Chriſti bonitate ereptos ſcimus. Quæ mira Dei magnalia fidelium relatu ad Orientales perlata Eccleſias, cum quidam in eccleſiaſtica hierarchia pollentium læta perciperet aure, alta hæc perpendens intelligentia infit: O ineffabilem Dei gloriam in tam ſpeciali hujus miraculi prærogativa. O diem inenarrabilis lætitiæ, merito diei palmarum conſimili officio eo loci conferendum, ubi in adventu Sanctorum tanta Dei gloria oculis apparuit mortalium, præclare & ſatis congrue dictum. Qui enim ſibi Jeroſolymam venienti a pueris Hebræorum cum floribus & palmis occurri voluit, ipſe in tam glorioſo Sanctorum adventu terram florere imperavit: quatenus hujuſcemodi revelaretur prodigio, quod cum Angelis coram ipſo ſicut lilia floreant in cælo. Merito autem adventum eorum Deus florigero honoravit miraculo: quia ipſi viventes in carne, illorum ſeſe florum decore decorare ſtuduere, quibus Chriſti Eccleſia hujuſmodi blanditur eloquio: *Florete flores quaſi lilium, & date odorem.* Quorum rurſus capta amœnitate, filiis quos Chriſto ſponſo genuit lætabunda ait: *Fulcite me floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo.* Hi ergo ſunt flores qui numquam marceſcunt, numquam a ſuavitate ſui deficiunt, quorum odore convaleſcunt infirmi, reviviſcunt mortui. Hos igitur flores cum Sancti quorum florigero gaudemus adventu ex plenitudine agri, *cui benedixit Deus* ſibi deflorarent: flos cunctis præeminens floribus ſe eis obtulit, qui & de virga Aaron proceſſit, & de radice Jeſſe deſcendit; qui etiam in canticis ſuis de ſeipſo ait: *Ego flos campi & lilium convallium.* Quem mox exemplo illius qui theſaurum in agro venditis omnibus emit, calcatis & ſpretis omnibus mundi deliciis tota ſibi aviditate rapuere, & in eo perennes ſibi voluptates cum gaudio Spiritus-ſancti locavere. Et nos, fratres chariſſimi, horum exemplo ut oliva fructifera in domo domini creſcamus, ut palma Domini floreamus, ut cedri Libani multiplicemur. Terra hæc quæ apud nos hodie flores protulit, & melliflua ſuavitate defluxit, ſit nobis exemplum ſpiritaliter germinandi, fructificandi, odorem vitæ ſpargendi. Immarceſſibilium ergo florum ſuavitate fragremus, fructus honoris atque honeſtatis producamus, & hos ſupernis odoramentis miſceamus, ut cum Sanctis quorum hodie memoriam agimus, acceptabile Deo ſacrificium redoleamus, & juxta illud Apocalypſin phialas aureas plenas odoramentorum in conſpectu Agni offeramus, atque illud canticum novum coram ipſo canamus: cui eſt cum Deo Patre & Spiritu ſancto una divinitas, æqualis gloria, coeterna majeſtas & nunc & ſemper & per immortalia ſæcula ſæculorum.

Deo quotannis renovante miraculum.

22. Igitur divæ memoriæ Arnulfus atque Marchiſus cluentiſſimus immenſam quam erga memoratum locum & præfatorum corpora Sanctorum habuit devotionem in mente, demonſtravit in opere. Deſtructa vero baſilica ſancti Petri, ad quam tantorum delata ſunt patrocinia Sanctorum, quia tam habitationi Monachorum, quam frequentiæ promiſcui ſexus pro parvitate ſui erat incongrua, funditus in quadam majori elegantia reædificavit, perfectamque opibus ditavit, villas quoque & prædia quam plurima, atque

Blandinii nova eccleſia ædificata.

[a] Haud abſimile prodigium in relatione corporis ſancti Patris noſtri Benedicti Floriaci eveniſſe narrat Diedericus in ſuo libello, quem in Sæculi ſuperioris parte 2. pag. 243. edidimus.

AN.CHR. 944 18. Nov. alia utenſilia eccleſiaſticis congrua miniſteriis in auro & argento prona contulit animi devotione: inſuper ipſorum corpora Sanctorum honorificentiſſime incluſit auro & argento.

Sanctorum corpora thecis aureis incluſa. 23. Poſt autem ſuccedenti tempore tranſtulit ad eumdem locum corpora Sanctorum GUDUVALI Archiepiſcopi, & BERTULFI [a] Confeſſoris Chriſti de Bononia civitate, ubi etiam ad præſens requieſcunt cum ſacratiſſima virgine Chriſti Amalberga: in quo orationibus & meritis ipſorum, ceterorumque Sanctorum ibi requieſcentium larga fidelibus præſtantur beneficia, ad laudem & honorem Salvatoris noſtri Domini Jeſu-Chriſti, cui omnis honor, gloria, regnum & imperium cum Deo Patre in unitate Spiritus-ſancti per immortalia ſæcula ſæculorum. Amen.

AN.CHR. 946 7. Nov.

TRANSLATIO CORPORIS

S. HUNEGUNDIS VIRGINIS HUMOLARIENSIS*

* de Humblieres

apud Viromanduos.

Auctore BERNERO Humolarienſi Abbate ſæculo 10.

Ex manu-ſcriptis codicibus S. Theoderici & Joliano, qui modo eſt Bibliothecæ cathedralis eccleſiæ Pariſienſis.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Bernerus auctor. 1. *Sancta Hunegundis Virginis & Sanctimonialis Humolarenſis vitam exhibuimus in Seculo 2. Benedictino, eamque* BERNERO *Abbati auctori tribuimus. Id vero conſtat ex ſubjecta Tranſlationis hiſtoria, quam unius ejuſdemque ſcriptoris fetum eſſe demonſtrant hæc verba num. 9.* His præmiſſis de vita & actibus ſæpe dictæ glorioſæ Virginis, ratum duximus pauca ſubſcribendo deſcribi miraculorum inſignia. *Atqui Bernerus tranſlationem litteris mandavit, idque conteſtatur Anonymus in ſubſequenti libello de mutatione corporis S. Hunegundis.* Cujus inventionis, *inquit num.* 2. necnon & tranſlationis deſcriptionem, ſimulque miraculorum inſignia, inibi divinitus declarata, volentibus agnoſcere, claro ſtilo loculentoque ſermone ſtuduit elucubrare piæ memoriæ Domnus Abbas Bernerus, qui Deo diſponente primus ſucceſſit locello, &c. *Et ſane idem utrobique ſtilus ac genius, niſi quod in tranſlatione ac miraculis, quæ teſtis auritus aut oculatus ſcripſit, certior eſt ejus auctoritas, quam in vita, quæ trecentis ab Hunegunde annis ab eo ſcripta eſt. Antequam plura de eodem Bernero ſcribamus, nonnulla de Berta Humolarienſi antiſtita primæ tranſlationis auctore prælibanda ſunt.*

Berta Abbatiſſa. 2. *Fuit hæc poſt mariti obitum Remis* ſub beatiſſimæ Dei genitricis tutela, ſuſcepto velamine *Domino conſecrata. Id in S. Petri parthenone factum ſcribit recentior Humolarienſis Monachus, qui anno 1681. S. Hunegundis vitam gallico idiomate concinnavit. Inde eductam ferunt ad Humolarienſium monacharum regimen, quarum prolapſos mores ægre continuit. Hinc nata perveſtigandi corporis ſanctæ Hunegundis occaſio. Augendis monaſterii ſui rebus Bertam graviter inſudaſſe probat Tranſmari Noviomenſis Epiſcopi diploma, quod hic, utpote ſincerum peractæ tranſlationis teſtimonium, referre juvat.*

Ego in Dei nomine TRANSMARUS, ſanctæ eccleſiæ Vermandenſis ac Noviomenſis indignus Epiſcopus, notum facio ſanctæ Eccleſiæ fidelibus, in noſtram veniſſe præſentiam Domnam BERTAM, Humolarienſis monaſterii Abbatiſſam, humiliter deprecantem, ut altare ſancti Stephani eccleſiæ, quæ eſt in eadem villa Humolarias, in cujus eccleſia ſedet præfata Abbatia, loco ſanctæ MARIAE & ſanctæ HUNEGUNDIS daremus ad uſus congregationis ibidem Deo militantis. Cujus petitionem inſinuando domino LUDOVICO Regi, ſimulque domno ARTOLDO Archiepiſcopo eccleſiæ Remenſis, ſuiſque ſuffraganeis noſtris Coepiſcopis, præfati Regis imperio, dominique Metropolitani ceterorumque Epiſcoporum conſilio, petitioni tam humillimæ decrevimus libentiſſime parere. Dedimus ergo ad præfatum locum ſanctæ Mariæ & ſanctæ Hunegundis præfatum altare congregationi ejuſdem monaſterii in perpetuum habendum ſine ulla contradictione, ea videlicet ratione, ut omni anno duos ſolidos

[a] De Guduvali atque Bertulfi tranſlatione egit Molanus in Natalibus Sanctorum Belgii ad diem 5. Februarii, & 6. Junii. Vitam S. Bertulfi habes in Sæculi 3. parte 1. pag. 125.

Digitized by Google

graтias retulit, qui ei conceſſit quod cum tanta animi anxietate jam diu poſtulaverat. Ibat itaque multum hilaris & nimis exſultans, & quaſi quadam immenſitate lætitiæ abſorpta, totius conſilii gravitate propoſita, ſuperni Regis æternalibus ornamentis perenniter inſerendam ſubito levare moliebatur cæleſtem margaritam. Sed affuit divini diſpoſitio conſilii, quæ circa beati corporis pignera aliquid inconſiderate vel leviter non eſſe agendam declaravit. Nam mox advenit, non caſu, ſed Dei providentia venerandus Presbyter GISO, ſanctorum martyrum Quintini & Victorici pignerum cuſtos idoneus, qui jam dictæ præcipitationi vix finem impoſuit, & eorum molimina vehementiſſima increpatione coercuit. Non, inquiens, rationabile videtur, ut ſine auctoritate & conſenſu hujus diœceſeos Pontificis levari debeat corpus tam beatiſſimæ virginis: videlicet ne quæ multo jam tempore fama virtutum longe lateque plurimis clara exſtiterat, hujus ſubitaneæ ac velut furtivæ translationis elogio vileſcat. Tali vero ordine eorum niſibus terminum poſuit, atque per triginta & duos dies ita apertum ſcrinium in quo beatiſſimum corpus jacebat, intactum obſervantes, ſacriſque vigiliis die noctuque incubantes, Epiſcopi adventum præſtolati ſunt. Non utique ſine cauſa hanc dilationem omnipotens Deus fieri voluit, ſed ut quam coram Angelis cunctiſque juſtorum ſpiritibus jam cum Chriſto in cælis regnantibus clarificaverat, eam etiam in terris hominibus adhuc carne corruptibili & peccatorum mole gravatis venerabilem deſignaret.

AN. CHR. 946 7. Nov.

levare cogitat,

a Giſone Presbytero prohibetur, Pontificis auctoritatem requirente.

Apertum triginta diebus ſepulcrum.

4. Erat profecto per idem tempus tanta pluviarum inundatio, ut præ nimia aquarum effuſione nequaquam valerent agricultores terram excolere, neque ſementem niſi cum deſperatione jactare. Eadem vero hora eodemque momento, ut operculum levatum eſt de ſarcophago, ſeſe per feneſtram, quæ ſita erat ſecus locum ſancti ſepulcri, ſplendidiſſimus infudit radius ſolis, qui mirabiliter effulſit ſuper corpus beatiſſimæ virginis: ſicque fugata omni nubium denſitate, cum tanta celeritate rediit ſerenitas aeris, ac ſi pro corpore almificæ virginis, alius quaſi ſol oriri videretur in terris: ac velut ſol iſte viſibilis ſuis vocibus proclamaret, ſe non poſſe ei non miniſtrare inſtabilem lucem in terris, cui ſtabiliter in cælis ſplendet lumen æternitatis. Tanta denique claritate perfuſus eſt locus ſanctiſſimi corporis, ut incertum foret intuentibus, utrum radio ſolis iſtius materialiter fulgeret, an lumine divinæ claritatis. Factumque eſt cunctis diebus, quibus ita reſerato jacuit mauſoleo, pie quærentibus conſpicabilis, ut numquam omnino recederet vis tanti fulgoris. Nam a pectore & ſurſum, pro minutiis & ſordibus pulveris, nitentia reſplendebant fragmina margaritarum; & quibuſdam clariſſimis ſcintillis erumpentibus aſpicientium reverberabantur obtutus. Cum eodem etiam lumine tanta adſperſa eſt miri odoris fragrantia, ut omnium adſtantium nares ineffabili ſuavitate replerentur. Quæ omni tempore quo ita jacuit, quotieſcumque variis infirmitatibus oppreſſis ad videndam revelabatur (nam quicumque hanc videre poterant, quacumque infirmitate detinerentur, illico ſanabantur) iſdem prædictus ſuaviſſimus odor ſeſe ſuavior, & ſemper in melius reparatus præſentium replebat olfactus. In hac ergo tantæ matris inventione factum eſt magnum gaudium in omni vicina regione. Lætabatur tellus ſe tam clarum diu ſidus texiſſe: exſultat aer tantæ virginis gratia cæli ſerena ſe adeptum fore nubila; gaudet ſolis radius obſequium præbens ſacri corporis artubus; gratulatur ſupercæleſtis beatorum turma ſpirituum, quod videlicet de cujus jam animæ gaudent ſocietate, ejus profecto ſacratiſſima membra, ineffabili lætitia in die reſurrectionis omnium pro meritis glorificanda, fideliter venerari conſpiciunt adhuc in anguſta tumuli ſpelunca.

Virginis corpus ſolari radio illuſtratur.

ſpargit odorem,

infirmos ſanat.

5. Ad laudes itaque referendas valere credimus omnium conditori, ſi tradantur poſterorum notitiæ, quæ Dominus miracula operari voluit in inventione ſanctiſſimæ HUNEGUNDIS virginis ſuæ. Nam quidam dæmoniacus per manus amicorum, qui ſpem curandi eumdem quem ducebant in ſan-

Dæmoniacus liberatur.

Digitized by Google

AN CHR 946 7. Nov. ſta Virgine firma fide locaverant, adductus, reluctans & proprium iter totis viribus impediens, tandem cum magno labore multis prementibus in ipſius beatæ virginis eccleſiam impulſus eſt. Qui dum per manus & brachia verſus altare traheretur, quanto magis eidem adpropinquabat, tanto majori veſania acceptus, impellentium niſibus reſiſtebat. Qui diu luctantes, ad ultimum veſania ſuperant, & coram altari ſtatuunt. Quem inde promoventes ad aſpiciendum ſanctiſſimi corporis tumulum oculos inflectere cogunt. Quorum deſiderio ſubvenire cupiens ſæpe dicta ſanctimonialis BERTA ſcilicet, retecto ſepulcro videndum velum, quod ſuper ſancta membra jacebat, eis copiam tribuit. Quo viſo, qui torquebatur, continuo ſenſui & omni priſtinæ ſaluti eſt redditus; moxque jam nullo cogente, in terram proſtratus omnipotentis Domini per beatæ virginis meritum clementiam exoravit, de recepta ſalute gratias referens, de futura cuſtodia deprecans: qui ad perfectæ ſanitatis indicium, non poſt multum tempus cum luminaribus reverſus ſanctæ virgini honorem detulit, atque in teſtimonium receptæ ſalutis, plures ex vicinis ſuis ſecum adduxit, ſeque omni anno quamdiu adviveret eumdem locum cum luminaribus & amicorum turba viſitaturum promiſit.

Berta ſepulcrum reſerante. — gratias agit.

6. Hoc quoque intervallo quidam ruſticus nomine Lupus, qui adhuc ſupereſt, & moratur in caſtro quod dicitur Parrona *a* acceſſit cum naturali filia quæ vocatur Afflindis, ambo pro ægritudinis ſuæ moleſtia iſtius ſanctiſſimæ virginis poſtulaturi ſuffragia. Nam pater obtuſis auribus auditum perdiderat; filia vero per non modicum tempus oculorum corporalium lumen amiſerat. Supplices igitur & cum nimia amaritudine flentes omnipotentis Domini miſericordiam implorabant, quatinus per meritum beatiſſimæ virginis eis proveniret remedium ſanitatis: quod & factum eſt. Ab illo namque die & pater auditum, & filia melius habere meruit viſum. Eadem quoque hora ſuprascriptæ inventionis, quidam pauper ſpiritu nomine Adelbodus jacebat omni membrorum officio deſtitutus, & pro exitus ſui vicinio, die tranſacta, corporis & ſanguinis Dominici ſacramentis munitus, cunctis quidem videbatur morti contiguus: mox ut audivit ſignis concrepantibus tanti ſomatis orama *b* perſpicuum, ſurgit a lectulo, nullum in motu membrorum oſtendens infirmitatis indicium, curritque ad templum ſanctæ virginis geſtiens videre ſepulcrum, & arreptam ſuis unam ex ovibus hanc ſanctæ virgini obtulit in munus, & ab infirmitate protinus convaleſcens, nullam deinceps tranſactæ moleſtiæ ſenſit injuriam.

Cæcus & ſurda curantur. — item paralyticus. — qui ovem ſanctæ offert.

7. Eodem vero adhuc reboante tripudio, quædam vidua nomine Wiburgis jacebat nimis ægrota, quæ paullo ante pro exitus ſui exſpectatione divinis perceptis ſacramentis per pœnitentiam & lacrymabilem confeſſionem a ſacerdotibus divinæ pietati fuerat reconciliata. Hæc populi exſultantis plenas lætitiæ voces perſentiens, interrogat quid ille ſibi ſtrepitus vellet, vel cujus cauſa feſtivitatis tanta in populo lætitia perſonaret: quæ ſtatim circumſtantium relatu didicit, quod ſacri corporis inventione talis in plebe lætitia ſit. Illa vero nomine ſanctæ virginis audito dictu citius caput a lecto erigit, membra componit, veſtem induit, eccleſiam celeriter petit. Cumque ad ſe reverſa ſuperna virtute fugatam infirmitatem, & ſibi ſubito redditam ſanitatem, ſecum tacita volvens miraretur, omnipotentiæ divinæ gratias & laudes retulit, atque illico unam ſuæ proprietatis ancillam, nomine Iſigildim, beatiſſimæ Hunegundi pro percepto beneficio ſanitatis, multis aſtantibus tradidit; ſicque ab illa infirmitate convaluit, & poſtmodum diutius vixit. His demum peractis, aliiſque non paucis miraculorum ſignis, quibus Dominus declarari voluit gloriam ſuæ virginis, quæ pro multiplicitate ſui incongruum exiſtimo huic pictaciolo ad unguem inſeri.

Vidua ægrotans ſanatur, — ancillam tradit in gratiarum actionem.

8. Nam

a Alias Perona, caſtrum ſeu regalis fiſcus ad Somenam fluvium, veteri palatio inſignis, de quo plura in lib. 4. de re Diplomatica.

b Corporis detectionem hic auctor græcizans intelligit.

dos denariorum perſolvat, ſecundum quod jubet auctoritas, propter honorem cathedræ epiſcopalis. Et quia corpus ſanctæ Hunegundis, tam venerabilis Virginis, hoc anno, Deo volente, coruſcantibus miraculis de terra levatum eſt, præfatum altare dedimus libenter. Jubemus itaque ut defuncta perſona ante Epiſcopum adducatur altera, cui idem Epiſcopus altare præſcriptum ſine pecunia donet, & curam animarum commendet. Et ut hoc donum inviolabile permaneat & inconvulſum, hanc chartam ſcribere præcipimus, & ſigno crucis inſignivimus, auctoritateque ſanctæ Trinitatis Patris & Filii & Spiritus-ſancti excommunicavimus, & a liminibus ſanctæ Eccleſiæ omnes illos, qui præfatum altare a loco ſanctæ Hunegundis vi aut ingenio abſtulerint. S. Ludovici Regis. S. Gerbergae Reginæ & S. Lotharii filii ejus. S. Hugonis Ducis. S. Heriberti Comitis. S. Arnulfi Marchiſi. S. Adelelmi Militis. S. Rainaldi Militis. S. Theobaldi Militis. S. Helberti Militis. S. Eurardi Militis. S. Gerberti Militis. S. Artoldi Remenſis Archiepiſcopi. S. Rodulfi Laudunenſis Epiſcopi. S. Transmari Noviomenſis Epiſcopi. S. Abonis Sueſſionenſis Epiſcopi. S. Stephani Morinorum Epiſcopi. S. Geraldi Ambianenſis Epiſcopi. S. Ingranni Cameracenſis Epiſcopi. S. Gildrici Meldenſis Epiſcopi. S. Evagrii Triectenſis Epiſcopi. S. Hincmari Abbatis ſancti Remigii. Actum Lauduno Clavato anno Dominicæ Incarnationis 947. quarto idus Aprilis, Indictione 5. Epacta 26. regnante Ludovico Rege anno 13. Oddo Diaconus ſcripſit & relegit vice & juſſu Erchemboldi Cancellarii domini Tranſmari Noviomenſis Epiſcopi.

AN. CHR. 946 2 Novemb.

Neminem moveat quod Tranſmarus Epiſcopus aſſerat hoc anno *dati diplomatis, id eſt anno Chriſti 947. Hunegundis Virginis corpus* de terra levatum *fuiſſe, cum ipſa Tranſlationis acta annum 946. præferant. His enim verbis Antiſtes rationem habet non anni Chriſtiani, ſed anni revoluti a tranſlatione. In diplomatis hujus ſubſcriptionibus duo notanda occurrunt, nempe illud in publico Epiſcoporum ac procerum conventu Lauduni conceſſum fuiſſe: deinde Epiſcoporum ſubſcriptiones hic Procerum omnium ſubſcriptionibus poſtponi præter ſolitum morem, forſan quod iſti poſt Regem continua ſerie unum tenerent inſtrumenti latus; Eccleſiaſtici vero eodem ordine alium occuparent. Ad Bertam revertor.*

Humolarienſis cœnobii ſtatus

3. Haud quaquam lætos diuturnoſve ſucceſſus habuere piiſſima Bertæ Abbatiſſæ ſtudia, quæ vergentibus in deteriora Monacharum animis ſub idem tempus loco ceſſit, aut forſan exſtincta eſt. Nam anno 948. evocati e Remigiano apud Remos archiſterio Monachi Humolarias ſubierunt, ductore Bernero meliorem loco famam redituri. Id docent Ludovici Tranſmarini litteræ in Sæculo 2. editæ, quibus ſubinde Joannes 12. Pontificatus anno 1. adſtipulatus eſt, ut patet ex ejuſdem bullis poſt Ludovici litteras ibidem publicatis. Præfectus Humolarienſi cœnobio Bernerus, mirum eſt quantum ei decorem ac bona contulerit. Quippe nobiliſſimi ſub eo viri monaſticen amplecti geſtierunt, in his Landebertus Quintiniani opidi præfectus, cum vicinis militibus ibidem ſæculo valedixit. Auctam a Bernero rem familiarem probat Humolarienſe chartarium, ex quo catalogus Abbatum apud Sancta-marthanos perficiendus eſt. Anno 964. ſuperſtes florebat Bernerus, cum alumnos ſuos ad Inſulanum Quintiniani opidi monaſterium dimiſit, qui ejectis maleſanis Clericis, monaſticas inibi leges inſtituerunt. Berneri lucubratio de S. Hunegundis Tranſlatione deſinit in deſcriptione miraculorum, quæ ante annum 965. patrata ſunt.

S. Hunegundis miracula & translationes.

4. Alia ejus Virginis tranſlatio ſeu corporis mutatio quarto Idus Junias anni 1051. a Macario *Humolarienſi,* Gerardo *Inſulano apud Auguſtam Veromanduorum,* Rainero *S. Præjecti &* Vvaleranno *S. Quintini de Monte prope Peronam Abbatibus celebrata eſt. Rem fuſius narrat anonymus ejus temporis ſcriptor, qui Berneri hiſtoriam perſecutus eſt. Poſt hæc, id eſt anno 1378. duodecimo Kalendas Septembris,* Petrus *eo nomine ſecundus Abbas Humolarienſis, conflata exquiſitiſſimi operis theca, S. Hunnegundis reliquias in eam inferri curavit per illuſtriſſimum* Guillelmum *Maraſinium, Epiſcopum Noviomenſem, cui* Joannes *Abbas S. Quintini Inſulanus,* Joannes *Præjectenſis, Joannes Aroaſianus, Joannes Vermandenſis, aliique cum ex Clero, tum ex militibus viri primarii adſtabant. Tum Petrus Abbas Humolarienſis unam e S. Virginis coſtis Ludovico XI. Francorum Regi, aliam Guillelmo Noviomenſi Epiſcopo, tertiam denique Decano & Canonicis collegiatæ S. Quintini eccleſiæ conceſſit. Confectum hac de re inſtrumentum anno 1679. in ejuſdem S. Hunegundis theca repertum eſt, cum Humolarienſibus ſuis redditas ſanctæ virginis reliquias, quæ ob bellorum tempeſtates diu apud Auguſtam Veromanduorum detentæ fuerant, illuſtriſſimus Franciſcus Claromontius Noviomenſis Antiſtes ejuſdem anni 6. Kalendas Julias aperta theca detexit, & habita ſollemni concione atque ſupplicatione populo venerandas exhibuit. Jam Tranſlationis hiſtoriam videamus.*

Digitized by Google

AN.CHR. 946 7.Novemb.

PROLOGUS.

1. MAgnalia divinæ pietatis, quibus omnipotens Deus merita juſtorum propalare dignatur, dum fideli devotione mens humana ſcrutatur, a ſui torporis ignavia erigitur animus; & quia ejuſdem conditionis qua & ipſe ſubſiſtit, fuiſſe conſpicit quos miratur, quibus nulla meritorum prærogativa, ſed ſola divini muneris gratia, tanta virtutum inſignia ſuperna conceſſit clementia, ad hæc promerenda fidem excitat, ſpem roborat, atque circa divini cultus exercitia ad bene agendum forti annisu exerit brachia; tantoque fidentius prorumpit ad fortia, quanto glorioſius perſpicit ſexum fragiliorem clara ſignorum luce ſplendentem. Aggrediamur ergo modis qualibus valemus quædam perſpicua narrare miracula, quæ Dominus in beatiſſimæ virginis ſuæ Hunegundis translatione dignatus eſt demonſtrare. Utile quidem duximus, quatinus lucidiorem reddamus hujus deſcriptionis textum, ut hujus officii nomina perſonarum, cauſas rerum, annorum numerum ſimul etiam ſeriem temporum intimemus: ſicque fit, ut perſonarum gravitas levitatis notam abjiciat, certiſſimæ rationis cauſa temeritatis maculam diluat; finitus annorum numerus aliquid nobis in eodem numero myſticum innuat, temporum quoque ſeries miraculorum gloriam augeat.

Berta ſanctimonialis

2. Erat igitur quædam ſanctimonialis femina Berta nomine, quæ in juventute ſua parentibus, ut ferunt, cogentibus cum viro juncta fuerat. Quo ab hac luce ſubtracto ſtatuit in corde ſuo non amplius mortali ſervire marito. Nam multis nobilibus & ditiſſimis viris ad ejus conjugium anhelantibus, vix amicorum manibus elapſa, in urbem Remorum ad beatiſſimæ Dei genitricis & ſemper virginis Mariæ tutelam confugiens, capitis velamen *a* devota ſuſcepit. Cui poſtmodum Deo diſponente contigit huic præeſſe loco, ubi noſtris temporibus cunctis imitabilem diutius peregit vitam. Fuit namque miræ abſtinentiæ, victricis patientiæ, amatrix paupertatis, devotæ humilitatis, miſericordiæ operibus dedita, jejuniis, & vigiliis & orationibus convenienter intenta: verumetiam quaſdam ſanctimoniales, quæ inibi per miſera carnalis deſiderii lenocinia turpiſſime volutabantur, crebris exhortationibus ad ſui imitationem juxta monita Apoſtoli, arguendo, obſecrando, necnon etiam increpando, continere invitabat. Sed ſicut ſemper contraria eſſe ſolet vita juſtorum moribus reproborum, gravis eis facta eſt etiam ad videndum. Unde per multa opprobria & maledicta atque inſidiarum jacula quæ ei intorſerant, quia amore ſanctiſſimæ virginis Hunegundis hoc in eodem loco detineri videbatur, de ejus ſacri corporis abſentia quædam auſæ ſunt commentari figmenta. Hujus namque rei gratia requirendum tanti corporis ſanctiſſimum theſaurum fidelis intentio provocatur, dicens ſibi non eam ibi oportunum eſſe amplius manere, ſi locus iſdem fraudatus eſſet tam ſancta & glorioſiſſima matre.

Humolarienſibus præfecta.

monita dat ſalutis,

de S. Hunegundis corpore ſollicita,

anno 946.

3. Igitur anno Incarnationis Dominicæ nongenteſimo quadrageſimoſexto, Ludovico regnante, quinto die pridie Nonarum Octobris, poſt plurima jejunia, poſt crebras vigilias, poſt multas lacrymas, eamdem noctem cum his omnibus quos vel quas ad hoc provocare potuit, inſomnem ducens per uberes & immenſos lacrymarum imbres, omnipotentis Domini clementiam humiliter imploravit, ut ei ſanctæ virginis ſuæ ſacratiſſimum corpus revelare dignaretur: factoque mane poſt peracta miſſarum ſollemnia, fidelis ac Deo devota femina, pretioſam ſacri corporis gemmam ſtudioſe quæſitura, ſarculum arripuit: factumque eſt annuente omnipotentia divinitatis, quæ ſe in veritate petentibus nihil negare conſuevit, ut quod fideliter quærebat, feliciter inveniret. Læta ſiquidem & gaudens, omnipotenti Domino gra-

illud reperit,

a Velamen iſtud cælibis vitæ peragendæ teſſera fuit, ſic Gundi femina *veſte & velamine ſancta Dei genitricis Mariæ* induta dicitur in Placito anni 874. in lib. 6. de Re diplomatica edito.

Digitized by Google

8. Nam omnipotens Deus ut oſtenderet cunctis, quantam ſuæ famulæ conceſſit gratiam curationis, tantus eodem tempore in hac eadem villa nimiæ infirmitatis graſſabatur morbus, ut nulla pæne remaneret domus, in qua non jaceret infirmus: qui omnes in prædicta ſollemnitate tanta ſunt celeritate ſanati, ut beatiſſima virgine levata de tumulo, nullus eorum infirmus remoraretur in lectulo. Arceſſito denique RODULFO Noviomenſis Eccleſiæ Archidiacono, poſtea ejuſdem Eccleſiæ Epiſcopo devoto; & ex Congregatione beatiſſimi martyris Chriſti Quintini, convocatis Patribus GISONE, ROTBERTO, aliiſque plurimis magna devotione repletis, diu dilatum feſtinatur ut fiat officium. Peractis itaque Miſſarum ſollemniis, mente humili ac devotis animis acceditur ad tumulum, in ipſo adhuc jam dicto divinitus infuſo lumine circa caput & pectus beatæ virginis tam clare radiante, ut præ nimietate ſui nequaquam pleniter poſſet intueri. Levatur autem ſanctiſſimum corpus de ſepulcro, ſeptimo Idus Novembris. Nobis autem fratres chariſſimi, quibus hæc beatæ virginis geſta aliorumque ſanctorum perplurima exempla oſtenduntur ad legendum, proponuntur ad imitandum, ſollerter intuendum, fortiter ſatagendum eſt, ne ipſorum expertes operum in illa perenni vita alieni efficiamur a communi lætitia ſanctorum omnium. Pulſemus ergo intimi cordis ſuſpiriis aures piiſſimi conditoris, quatinus ipſo nobis donante, quod jubet efficaciter complere valeamus, quod ſalubriter monet: ut venturus in illo diſtricti examine judicii, non in nobis inveniat quod damnet, ſed quod cum ſuis redemptis miſericorditer coronet Jeſus-Chriſtus Dominus noſter, qui cum Deo patre & ſpiritu ſancto vivit & gloriatur Deus per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

AN. CHR. 946

7. Nov. Multi curantur.

Rodulfus Noviomenſis Archidiaconus cum aliis eo vocatus,

ſacrum Virginis corpus tollit e ſepulcro.

MIRACULA.

9. HIS præmiſſis de vita & actibus ſæpedictæ glorioſæ virginis, ratum duximus pauca ſubſequendo deſcribi miraculorum inſignia, quæ Dominus ob tantam ſui famulam pie dignatus eſt operari per gratiam. Nam ea quæ aggreſſi ſumus deſcribere, quibuſdam noſtræ ætatis referentibus vix valuimus agnoſcere: fuerunt etiam innumera virtutis facta, quæ ſi per incuriam oblivioni tradita non eſſent, ſatis digne litteris mandari potuiſſent. Unum namque ſignum quod conſtat mirabiliter eſſe factum, conſequenter brevi locutione eſt narrandum. Denique quodam tempore homines perverſi ſua fortiori poteſtate fidentes, audaci temeritate ſilvam ipſius ſanctæ virginis, quæ ſita eſt ſecus fluvium Sambram, in villa quæ dicitur Dediniacus ingreſſi, eam ſuis porcis edendam pervaſerunt, & cenſum ſive aliquod ſervitium pro eadem ſilva eidem ſanctæ virgini eſſe deferendum, nulla ratione conſenſerunt. Quos per ſeipſam beata virgo increpare, atque a tanta audacia coercere curavit. Nam dum libere tanta ſilvarum copia læti potirentur, ſubito eadem Dei virgo paſtoribus in terribili ſpecie apparuit, eoſque cur ſibi fructum ſubriperent ſilvæ interrogans, virga quam manu geſtabat percuſſit: ſicque omnis illa porcorum multitudo huc illucque diffuſa, verſus monaſterium Humolarienſe præcipiti curſu iter arripuit. Inde factum eſt, ut ex quibus domina reditus ſilvæ habere non poterat, hos poſtmodum familia ipſius jure quieto poſſideret. Nam cum magno impetu villam ingreſſi, circa monaſterium per plateas & curtes a ſe invicem diviſi, a nullo umquam poſtea ſunt requiſiti. Hujus rei plurimi teſtes exſiſtunt, ex quibus quædam mulier nomine Dodiſma nuper ab hac luce ſubtracta eſt, quæ ſe tantæ rei interfuiſſe, ac ex eis ſuam portionem percepiſſe veraci aſſertione fatebatur.

Silvam Dediniaci villæ vaſtantes puniuntur.

10. Eodem tempore erat quidam Miles nobiliori genere exortus, nomine MAGENERUS, qui cujuſdam ſanctimonialis ejuſdem monaſterii pulcritudine illectus, nequaquam ſe abſtinere potuit ab ejus illicitis amplexibus. Dum igitur quadam die more ſolito monaſterium peteret, ut ſuæ & ipſius car-

Mageneri militis libido repreſſa,

AN.CHR. 946 7. Nov. carnis voluptati ſatisfaceret, ei ſancta virgo HUNEGUNDIS in atrio ejuſdem monaſterii viſibilis apparuit, eumque vehementer increpans quo pergeret requiſivit. Qui ad vocem increpantis valde confuſus erubuit, & ſe ab opere nefario compeſcens, ab acceſſu ſimul & actu nefando ad tempus ſubtraxit. Prædicta autem ſanctimonialis, velut labilis & laſciva, ſe a viro contemptam putans, dum acerrimo dolore fatigata ſe abominatam ingemiſceret, antiqui hoſtis inſidiis armata, eumdem virum calliditate qua potuit ad ſe revocare tentavit. Affabilis inquiens amice, cur me ſpernendam putaſti? non te viſio quam vidiſti, abſterreat, quia non fuit præſentia ſanctæ Hunegundis, ſed aliqua de æmulis meis, cupiens te avertere a me. Ita dato indicio, aliorſum clanculum præparato oſtiolo, is ſpurciſſimus vir intermiſſum nefas iterare tentavit. Cui mox pervigil cuſtos ſancta virgo Hunegundis obviam venit, & baculo quem manu tenebat in inguine percuſſit: qui mox exſanguis effectus corruit, & in manibus elatus coxa ejuſdem intumeſcente eodem dolore vitam finivit; cujus coxa anno integro ante obitum ſuum in terra computruit. Pro cujus tamen curatione amicorum ſtudio maxima donaria ad offerendum ſanctæ virgini præparantur, quæ velut immundiſſima ſtercora rejiciuntur. Nam iiſdem plurimum nummorum offerentibus turbo cælitus irruit, qui tanta exagitatione prædictam oblationem exſufflans diſperſit, ut nulli deinceps mortalium quicquam de ea appareret. Verum nulli incredibile videri debet, quod ſanctam Dei virginem ſuis hoſtibus viſibiliter apparuiſſe retulimus, cum ſimile quid de beato Petro Apoſtolorum principe, in libro Dialogorum tertio ſub capitulo vigeſimo quarto ſanctus Papa referat Gregorius. Ait enim quod iſdem venerabilis Petrus, cuidam Theodoro ſuæ eccleſiæ manſionario ſolito citius ſurgenti, atque in ligneis gradibus ad refovenda luminaria ſtanti, deorſum in pavimento ſtans in ſtola candida apparuit, eumque cur tam cito ſurrexiſſet, increpuit.

Iterans crimen morte plectitur.

Cæcus lumen recipit.

11. His breviter tactis, poſtremo ad ea quæ ad horam intermiſimus, quod ſupereſt narraturi redeamus. Quidam vir, nomine Guntardus, oculorum lumine privatus, cauſa audiendi Miſſam, ad ſanctæ virginis divertit eccleſiam: ſed cum Miſſarum ſollemniis ibidem officioſe peractis mediante jam die januas inveniret obſeratas eccleſiæ, in porticu foris proſtravit ſe in terram, diutius orans adeſſe ſibi Dei miſericordiam. Surgens autem poſt multas lacrymas ab oratione, cœpit oculos manu tergere, reſtituto viſus ſibi officio obtentu ſanctæ virginis piiſſimo. Unde & mulieri greſſus ſuos regenti dixit: Mulier dimitte me: nunc enim te trahente non indigeo, quoniam, Deo gratias recepto lumine perfecte video, quod mihi pie obtinuit interceſſio meæ dilectiſſimæ dominæ ſanctæ ſcilicet HUNEGUNDIS. Itaque ingenti lætitia perfuſus, laudando Deum reverſus eſt ad propria.

claudus greſſum.

12. Eſt & aliud magnæ virtutis miraculum, quod abſcondi ſilentio non eſſe congruum exiſtitimo. Alius quoque vir nomine Rotbertus, pedum officio deſtitutns, ſcabellis, ut moris eſt talium, ſubnixius, ejuſdem Dei virginis ſollemnitati glorioſæ, prout potuit, feſtinavit intereſſe. Qui eadem in eccleſia diu remotus, gratiam ſoſpitatis infundi ſibi petiit miſerabilibus membris. Tandem Deo miſerante meritis beatæ virginis & interceſſione, perfectæ incolumitati palam cunctis meruit reſtitui: ſicque factum eſt, ut qui contractis nervis curvus advenerat, eorumdem compagibus ſatis apte ſolidatus, poſtmodum in gaudio remearet. Sufficiat nos pauca narraſſe: calamus etiam noſtræ deſcriptionis plura dicere poſſet, ſi licentia temporis permitteret, quamvis multa miraculorum opera per incuriæ culpam ſint negligenter omiſſa. Agamus ergo gratias Deo noſtro, qui ſanctam ſui virginem ita glorificavit in mundo, cujus meritis & obſecratione perducat nos Dominus ad gaudia cæleſtis patriæ, in qua ipſa feliciter exſultat, & cum choris virginum canticum novum Domino cantat. Ipſi gloria, honor & poteſtas in æterna ſæcula.

Pſal. 134. 4.

13. In narrandis divinæ operationis mirabilibus, ille tota mentis virtute eſt utique laudandus, cui cantat Propheta gratulabundus: *Benedictus Dominus*

Digitized by Google

nus Deus Iſrael, qui facit mirabilia magna ſolus. Unde nos totis viribus laudemus & benedicamus eum, qui ſibi fideliter ſervientium gloriam perire non patitur meritorum : ſed ſicut æternaliter eos gaudiis facit intereſſe cæleſtibus, ita etiam temporaliter per quædam mira eorum merita ad memoriam reducit hominibus. Narraturi ſiquidem quod oculis noſtris vidimus magnum miraculum divinæ virtutis, non dubitamus in quorumdam mentibus generari ſcrupulum dubitationis, quod eſt proh nefas peſſimum genus infidelitatis. Caveant ergo derogatores divinorum operum, ne damnentur cum his de quibus loquitur Scriptura : *Sepulcrum patens eſt guttur eorum, linguis ſuis doloſe agebant, venenum aſpidum ſub labiis eorum*. Qui cum viderent Dominum Jeſum innumera mirabilia facientem, & ea a notitia populi occultare non poſſent, hæc peſſima mente calumniari tentabant dicentes : *In Beelzebub principe dæmonum ejicit dæmonia*. Nos vero falſiloquos & mendaciis ſuis infeliciter vacantes, quorum ſecundum Apoſtolum cor inſipiens obſcuratum eſt, & evanuerunt in cogitationibus ſuis, recepturos, niſi forte corrigantur, erroris ſui mercedem, poſtponentes, ad propoſitum redeamus, & piis ac fidelibus animis quod oculis noſtris vidimus, fideliter referamus.

AN. CHR 946 7. Nov.

Scriptoris ætas.

Pſal 5. 10.

Marc. 11. 15.

14. Anno igitur ab Incarnatione Domini nongenteſimo ſexageſimo quarto, die octavo calendarum Septembris, feſtivitate ſcilicet beatæ Hunegundis virginis, hoc de quo loquimur divina virtute factum eſt miraculum. In territorio namque cujuſdam villæ quæ dicitur Saſnulficurtis, meſſores in ipſa feſtivitate frumentum ſecabant ; quos Presbyter eorum nomine Lantfridus frequenter pro hac temeritate redarguerat, dicens ſe ſynodo interfuiſſe, in qua ab Epiſcopo Noviomenſis eccleſiæ Rodulfo hæc feſtivitas devotiſſime celebrari juſſa fuit. Sed ipſi ſuorum vicinorum errorem ſecuti, dicebant ſe ſolos hanc feſtivitatem non poſſe celebrare, dum cunctos ſuos vicinos viderent ſuas neceſſitates operando implere. Unde contigit ut quædam puella nomine Rotgildis, prædicti Presbyteri, ſicut ipſe nobis retulit, ex ſorore neptis, jam dictos meſſores ſequeretur, & ſpicas quæ eorum manus effugere poterant colligebat. Cumque ſe inclinaſſet ut ſpicas ſtudioſe colligeret, unam a terra levavit, quam recenti ſanguine madidam invenit. Quam mirans unde ſanguis ille veniret projecit ; aliam nihilominus colligens, eodem cruore madentem ſimiliter projecit ; ſic tertiam, quartam & quintam, & deinceps uſque ad faſtidium omnes quas colligere poterat, ſanguine plenas videbat. Unde tremens & nimis pavida ad patrem ſuum, qui tunc forte in campum eumdem advenerat cucurrit, & quid ei contigerat indicavit. Quam pater ſuus velut puellaris levitatis verba narrantem durius increpavit, & ad opus ſuum redire ammonuit; ſed illa tremente atque ita ut dixerat ſe rem habere affirmante, eam pater ſuus per campum ſecutus eſt, & ejuſdem cruoris plurimas ſpicas inundatione madentes collegerunt : & quæſierunt ſi forte in eodem campo aliquis ex meſſoribus manum ſibi aut digitum incidiſſet, unde ſanguis ille proflueret. Quod omnibus ſtupentibus atque cum magna adteſtatione negantibus, quaſdam ex eiſdem ſpicis ad eccleſiam detulerunt ; & Presbyterum ante altare ſtantem invenientes, ei ſpicas ſanguine plenas dederunt ; & quid eis in „ campo contigerit per ordinem indicaverunt. Sed Presbyter refugiens tan„ tæ famæ auctor exſiſtere, dixit : Si ſuper hoc quod dicitis amplius ali„ quid non videro, populo incredibile hoc prædicare non audeo. Quod dicens groſſiores quaſi lacrymæ ex ſummitatibus granorum cœperunt ſanguinis guttæ profluere, & ante pedes ejus in terram cadere. Quo viſo Presbyter tanto tremore perculſus eſt, ut deficiente ſpiritu vix ſeſe genibus trementibus ſuper pedes ſuos teneret : & quod prius timebat indicare, poſtmodum plus timuit, ne ſua negligentia tardius ad notitiam populi perveniret. Sicque tactis ſignis populum ad eccleſiam convocavit, & pro ſua inobedientia eos increpans hoc divinum eis miraculum patefecit. Quos pro inſolito miracu-

Anno 964.

S. Hunegundis feſto a meſſoribus violato,

ſpicæ ſanguinolentæ fiunt,

quæ delatæ in eccleſiam ampliorem emittunt ſanguinem.

Digitized by Google

AN.CHR. 946 7. Nov. carnis voluptati ſatisfaceret, ei ſancta virgo HUNEGUNDIS in atrio ejuſdem monaſterii viſibilis apparuit, eumque vehementer increpans quo pergeret requiſivit. Qui ad vocem increpantis valde confuſus erubuit, & ſe ab opere nefario compeſcens, ab acceſſu ſimul & actu nefando ad tempus ſubtraxit. Prædicta autem ſanctimonialis, velut labilis & laſciva, ſe a viro contemptam putans, dum acerrimo dolore fatigata ſe abominatam ingemiſceret, antiqui hoſtis inſidiis armata, eumdem virum calliditate qua potuit ad ſe revocare tentavit. Affabilis inquiens amice, cur me ſpernendam putaſti? non te viſio quam vidiſti, abſterreat, quia non fuit præſentia ſanctæ Hunegundis, ſed aliqua de æmulis meis, cupiens te avertere a me. Ita dato indicio, aliorſum clanculum præparato oſtiolo, is ſpurciſſimus vir intermiſſum nefas iterare tentavit. Cui mox pervigil cuſtos ſancta virgo Hunegundis obviam venit, & baculo quem manu tenebat in inguine percuſſit: qui mox exſanguis effectus corruit, & in manibus elatus coxa ejuſdem intumeſcente eodem dolore vitam finivit; cujus coxa anno integro ante obitum ſuum in terra computruit. Pro cujus tamen curatione amicorum ſtudio maxima donaria ad offerendum ſanctæ virgini præparantur, quæ velut immundiſſima ſtercora rejiciuntur. Nam iiſdem plurimum nummorum offerentibus turbo cælitus irruit, qui tanta exagitatione prædictam oblationem exſufflans diſperſit, ut nulli deinceps mortalium quicquam de ea appareret. Verum nulli incredibile videri debet, quod ſanctam Dei virginem ſuis hoſtibus viſibiliter apparuiſſe retulimus, cum ſimile quid de beato Petro Apoſtolorum principe, in libro Dialogorum tertio ſub capitulo vigeſimo quarto ſanctus Papa referat Gregorius. Ait enim quod iſdem venerabilis Petrus, cuidam Theodoro ſuæ eccleſiæ manſionario ſolito citius ſurgenti, atque in ligneis gradibus ad refovenda luminaria ſtanti, deorſum in pavimento ſtans in ſtola candida apparuit, eumque cur tam cito ſurrexiſſet, increpuit.

iterans crimen morte plectitur.

Cæcus lumen recipit.

11. His breviter tactis, poſtremo ad ea quæ ad horam intermiſimus, quod ſupereſt narraturi redeamus. Quidam vir, nomine Guntardus, oculorum lumine privatus, cauſa audiendi Miſſam, ad ſanctæ virginis divertit eccleſiam: ſed cum Miſſarum ſollemniis ibidem officioſe peractis mediante jam die januas inveniret obſeratas eccleſiæ, in porticu foris proſtravit ſe in terram, diutius orans adeſſe ſibi Dei miſericordiam. Surgens autem poſt multas lacrymas ab oratione, cœpit oculos manu tergere, reſtituto viſus ſibi officio obtentu ſanctæ virginis piiſſimo. Unde & mulieri greſſus ſuos regenti dixit: Mulier dimitte me: nunc enim te trahente non indigeo, quoniam, Deo gratias recepto lumine perfecte video, quod mihi pie obtinuit interceſſio meæ dilectiſſimæ dominæ ſanctæ ſcilicet HUNEGUNDIS. Itaque ingenti lætitia perfuſus, laudando Deum reverſus eſt ad propria.

claudus greſſum.

12. Eſt & aliud magnæ virtutis miraculum, quod abſcondi ſilentio non eſſe congruum exiſtitimo. Alius quoque vir nomine Rotbertus, pedum officio deſtitutus, ſcabellis, ut moris eſt talium, ſubnixius, ejuſdem Dei virginis ſollemnitati glorioſæ, prout potuit, feſtinavit intereſſe. Qui eadem in eccleſia diu remotus, gratiam ſoſpitatis infundi ſibi petiit miſerabilibus membris. Tandem Deo miſerante meritis beatæ virginis & interceſſione, perfectæ incolumitati palam cunctis meruit reſtitui: ſicque factum eſt, ut qui contractis nervis curvus advenerat, eorumdem compagibus ſatis apte ſolidatus, poſtmodum in gaudio remearet. Sufficiat nos pauca narraſſe: calamus etiam noſtræ deſcriptionis plura dicere poſſet, ſi licentia temporis permitteret, quamvis multa miraculorum opera per incuriæ culpam ſint negligenter omiſſa. Agamus ergo gratias Deo noſtro, qui ſanctam ſui virginem ita glorificavit in mundo, cujus meritis & obſecratione perducat nos Dominus ad gaudia cæleſtis patriæ, in qua ipſa feliciter exſultat, & cum choris virginum canticum novum Domino cantat. Ipſi gloria, honor & poteſtas in æterna ſæcula.

Pſal. 134. 4.

13. In narrandis divinæ operationis mirabilibus, ille tota mentis virtute eſt utique laudandus, cui cantat Propheta gratulabundus: *Benedictus Dominus*

Digitized by Google

nus Deus Iſrael, qui facit mirabilia magna ſolus. Unde nos totis viribus laudemus & benedicamus eum, qui ſibi fideliter ſervientium gloriam perire non patitur meritorum : ſed ſicut æternaliter eos gaudiis facit intereſſe cæleſtibus, ita etiam temporaliter per quædam mira eorum merita ad memoriam reducit hominibus. Narraturi ſiquidem quod oculis noſtris vidimus magnum miraculum divinæ virtutis, non dubitamus in quorumdam mentibus generari ſcrupulum dubitationis, quod eſt proh nefas peſſimum genus infidelitatis. Caveant ergo derogatores divinorum operum, ne damnentur cum his de quibus loquitur Scriptura : *Sepulcrum patens eſt guttur eorum, linguis ſuis doloſe agebant, venenum aſpidum ſub labiis eorum*. Qui cum viderent Dominum Jeſum innumera mirabilia facientem, & ea a notitia populi occultare non poſſent, hæc peſſima mente calumniari tentabant dicentes : *In Beelzebub principe dæmonum ejicit dæmonia*. Nos vero falſiloquos & mendaciis ſuis infeliciter vacantes, quorum ſecundum Apoſtolum cor inſipiens obſcuratum eſt, & evanuerunt in cogitationibus ſuis, recepturos, niſi forte corrigantur, erroris ſui mercedem, poſtponentes, ad propoſitum redeamus, & piis ac fidelibus animis quod oculis noſtris vidimus, fideliter referamus.

AN.CHR 946 7. Nov.

Scriptoris ætas.

Pſal 5. 10.

Marc. 11. 15.

14. Anno igitur ab Incarnatione Domini nongenteſimo ſexageſimo quarto, die octavo calendarum Septembris, feſtivitate ſcilicet beatæ Hunegundis virginis, hoc de quo loquimur divina virtute factum eſt miraculum. In territorio namque cujuſdam villæ quæ dicitur Saſnulficurtis, meſſores in ipſa feſtivitate frumentum ſecabant; quos Presbyter eorum nomine Lantfridus frequenter pro hac temeritate redarguerat, dicens ſe ſynodo interfuiſſe, in qua ab Epiſcopo Noviomenſis eccleſiæ Rodulfo hæc feſtivitas devotiſſime celebrari juſſa fuit. Sed ipſi ſuorum vicinorum errorem ſecuti, dicebant ſe ſolos hanc feſtivitatem non poſſe celebrare, dum cunctos ſuos vicinos viderent ſuas neceſſitates operando implere. Unde contigit ut quædam puella nomine Rotgildis, prædicti Presbyteri, ſicut ipſe nobis retulit, ex ſorore neptis, jam dictos meſſores ſequeretur, & ſpicas quæ eorum manus effugere poterant colligebat. Cumque ſe inclinaſſet ut ſpicas ſtudioſe colligeret, unam a terra levavit, quam recenti ſanguine madidam invenit. Quam mirans unde ſanguis ille veniret projecit; aliam nihilominus colligens, eodem cruore madentem ſimiliter projecit; ſic tertiam, quartam & quintam, & deinceps uſque ad faſtidium omnes quas colligere poterat, ſanguine plenas videbat. Unde tremens & nimis pavida ad patrem ſuum, qui tunc forte in campum eumdem advenerat cucurrit, & quid ei contigerat indicavit. Quam pater ſuus velut puellaris levitatis verba narrantem durius increpavit, & ad opus ſuum redire ammonuit; ſed illa tremente atque ita ut dixerat ſe rem habere affirmante, eam pater ſuus per campum ſecutus eſt, & ejuſdem cruoris plurimas ſpicas inundatione madentes collegerunt : & quæſierunt ſi forte in eodem campo aliquis ex meſſoribus manum ſibi aut digitum incidiſſet, unde ſanguis ille proflueret. Quod omnibus ſtupentibus atque cum magna adteſtatione negantibus, quaſdam ex eiſdem ſpicis ad eccleſiam detulerunt; & Presbyterum ante altare ſtantem invenientes, ei ſpicas ſanguine plenas dederunt; & quid eis in campo contigerit per ordinem indicaverunt. Sed Presbyter refugiens tantæ famæ auctor exſiſtere, dixit : „ Si ſuper hoc quod dicitis amplius aliquid non videro, populo incredibile hoc prædicare non audeo. Quod dicens groſſiores quaſi lacrymæ ex ſummitatibus granorum cœperunt ſanguinis guttæ profluere, & ante pedes ejus in terram cadere. Quo viſo Presbyter tanto tremore perculſus eſt, ut deficiente ſpiritu vix ſeſe genibus trementibus ſuper pedes ſuos teneret : & quod prius timebat indicare, poſtmodum plus timuit, ne ſua negligentia tardius ad notitiam populi perveniret. Sicque tactis ſignis populum ad eccleſiam convocavit, & pro ſua inobedientia eos increpans hoc divinum eis miraculum patefecit. Quos pro inſolito miracu-

Anno 964.

S.Hunegundis feſto a meſſoribus violato,

ſpicæ ſanguinolentæ fiunt,

quæ delatæ in eccleſiam ampliorem emittunt ſanguinem.

Digitized by Google

AN.CHR. 946 7. Nov. Hinc ſecuti agricolæ. culo nimius timor invaſit, & ad pœnitentiam agendam pro ſua temeritate promptiſſimos reddidit. Egreſſi denique ab eccleſia per campos, per rura, per agros, per viarum exitus circumquaque diſcurrentes, cunctis vicinis ſuis nuntiabant, ne amplius cœpto operi inſiſterent; ſed ad eccleſiam venirent, & divinum miraculum cernerent. Quibus omnibus nimium exterritis, fama celeriter pervolante, acſi paganos rugientes, ex opere proprio exturbabantur, & ne ſuper ſe cælitus ira Domini veniret ſupplicicicer precabantur.

15. Quidam itaque ruſticus nomine Rotbertus in eadem villa frumentum in area virga cædebat: qui hoc audiens proprium opus ſe relicturum promiſit, flagellum projecit, ſed ſtultus, quaſi hoc levius eſset ſcopam arripuit, & circa aream verrens, frumentum adunare cœpit, quam veſaniam ſtatim ultio divina ſecuta eſt. Nam mox ejus brachium diriguit, & divino verbere tactus in terram cecidit, clamans ſe reum, ſe miſerum, ſeſe ſub omni celeritate eſſe moriturum: quod factum prædictum timorem auxit. Presbyter vero circumquaque diſcurrens, ſanguinolentas ſpicas in manibus ferens, vicinarum eccleſiarum Presbyteris quod factum fuerat nuntiavit. Qui omnes tantæ novitatis ſigno turbati, convocatis ſuarum parochiarum populis, cum crucibus & cereis uno facto agmine, nudis pedibus cum ſupplicibus votis cum illo cujus brachium diriguerat, & cum puella ſpicas ſanguinolentas in manibus ferente, ad monaſterium ſanctæ Mariæ & ſanctæ Hunegundis celeriter pervenerunt; & ſuam culpam confitentes, in terram proſtrati, ut fratres pro ſe orarent, humiliter petierunt: quod & factum eſt. Eant ergo qui non credunt huic ſigno, & calumniam faciant illi, quod ſimiliter in ſanguine factum eſt in Ægypto ſub Pharaone. Nos vero benedicamus eum qui mirabilis eſt in ſanctis ſuis Deus Iſrael dans virtutem & fortitudinem plebi ſuæ. Benedictus Deus in ſæcula. Amen.

Rotberti opus non intermittentis brachium diriguit.

Conſternati ruricolæ ad Monaſterium confugiunt.

Incipit deſcriptio ſuper mutatione corporis ſanctæ Hunegundis virginis almificæ, miraculoque inibi divinitus patrato anno 1051.

1. SAnctorum miracula deſcribere, eorumque facta inſignia ob poſterorum notitiam chartulis imprimere, fidelibus non pigrum judicari ab omnibus adprime debet, honorificum ſimulque neceſſarium. Nam fabularum næniæ dum recitando fatuorum auribus in malum pronis ingeruntur, illectus animus torpet, mens hebet, & propria luce relicta deorſum fluit, corruptionis pernicioſa lenocinia concupiſcens, probitatis tramitem derelinquens; ſicque fit ut cor inſipientium auditis fatuitatibus per proclivia gradiens, nectat catenam, qua valeat trahi, tartarumque demum immergi. Verum ſanctorum merita dum divulgata in auditum populi proferuntur, virtuteſque eorum profectus gratia nuntiantur, fidelis mens de mortis ſomno exſurgens ad vitam, de tenebris infidelitatis exerit brachia ad ſtudia ſanctitatis: conſurgenſque ad proſpera, inardeſcit ad fortia, malignitatis præcipitia præcavet piæ intentionis iter arripiens. Taliterque perditionis nodis abſoluta, libero pede feſtinat ad gaudia cæleſtis vitæ, quatinus Deum deorum valeat videre in Sion, ideſt in ſpecula pacificæ viſionis. Quocirca veſtræ fratres dilectionis charitatem quoddam non pigeat audire miraculum, quod Dominus noſter Jeſus-Chriſtus in mutatione corporis ſuæ ſanctiſſimæ virginis Hunegundis ſua dignatione voluit demonſtrare: de qua videlicet mutatione, quia occaſionis articulus e vicino ſeſe nobis obtulit, non fiat tædioſum aliquantiſper obtentu reverentiæ immorari, ut qualiter facta, vel conſummata ſit ipſa mutatio, ad fidelium notitiam litteris licet imperitis queat pervenire. Habet enim mercedem ſuam piæ devotionis affectuoſa intentio.

Alterius ſcriptoris prologus.

2. Anno igitur Dominicæ incarnationis milleſimo quinquageſimo primo, re-

Digitized by Google

regni Francorum monarchiam gubernante optimo principe Henrico, Philippi Regis genitore, Abbate quoque Macario *a* Humolarienſis cœnobii curam adminiſtrante, viſum eſt fratribus beati Benedicti ſub regula Domino militantibus, quatenus corpus dominæ ſuæ Hunegundis, ſi facultas ſuppeteret, mutari debuiſſet, ut cujus ſcilicet non ambigebant animam inter virginum choros honorari in cæleſti thalamo, ejus glorioſum ſoma non negligerent in terris condere honorabili mauſoleo. Erat enim id ætatis ſacra margarita ligneo tantum involuta ſcriniolo, forinſecus aſpicientibus vile præbente domicilium; ſed intrinſecus ſervante admodum chariſſimum theſaurum. Ipſum vero ædificiolum laminis ferreis adeo fuerat circumſæptum atque præcluſum, cui introrſus inhærebant oſſa devotiſſima, ut vix aliquibus pateret apertionibus præter admodum paucis artis mechanicæ machinationibus. Eidem quoque aliud majuſculum ſuperpoſitum exſtabat ſcrinium haud quaquam minori ſollertia conſtructum, ligaminibus identidem ferreis & clavis quamplurimis munitum attentius, ſagaci cura ac induſtria altrinſecus vallatum, ne videlicet facile pateret captioſis, fraudulentiſve ingeniolis. Prædari quippe minime cupit, qui ſic theſaurum ſuum occultis atque firmiſſimis tectis recondit. Tali ſiquidem modo corpus Deo amabilis virginis Hunegundis fuiſſe conditum ab his qui viderunt nobiſque retulerunt, accepimus a tempore ſcilicet inventionis atque translationis ejuſdem virginis, quæ celebrata eſt anno Incarnationis Dominicæ nongenteſimo quadrageſimo ſexto, Ludovico regnante, Berta femina Deo ſacrata tunc temporis Humolarienſem regente Abbatiam. Cujus inventionis necnon & translationis deſcriptionem ſimulque miraculorum inſignia inibi divinitus declarata, volentibus agnoſcere, claro ſtilo luculentoque ſermone ſtuduit elucubrare piæ memoriæ Domnus Abbas Bernerus, qui Deo diſponente primus huic ſucceſſit locello, pulſis ob obſcœna carnalis voluptatis lenocinia, quæ ibi erant, monialibus. At nos iſta interim omittentes, cœptum opuſculum prout valemus intendamus.

AN. CHR. 946. 7. Nov.

Mutandi corporis S. Hunegundis conſilium ineunt Humolarienſes.

veteris capſæ deſcriptio.

Translationis prioris tempus.

3. Cum igitur cœnobitæ, ut præmiſimus, ſimul cum patre ſpirituali ad invicem pertractarent, ſi quo modo ad effectum perducere poſſent, quod quidem ſummo affectabant deſiderio, nec tamen inchoare præſumebant; fortuna loci ſummiſſius arridente, Dei providentia omnia prævidente contigit quemdam virum de burgo ſancti Quintini glorioſi martyris, mercimoniis atque mercationibus vitam ſuam deducentem, nomine Balduinum, cauſa devotionis animæque profectu noſtrum adiiſſe cœnobium, quatinus mutuæ dilectionis obtentu fratres dignarentur ſibi ſuam largiri ſocietatem. Quam petitionem Fratres cum Patre libenti animo amplectentes propter illud Domini præceptum quo dicitur: *Date & dabitur vobis*; &, *eadem menſura qua menſi fueritis, remetietur vobis*; &, *Omne quod ad me venit non ejiciam foras*, ſocietatem & beneficia loci, ut moris eſt monachis, ei gratanter impenderunt. Nam vir ille licet ſæcularis, religioni erat intentus, miſericordiæ operibus operam dans, fidei devotionem cordis intentione ſervabat, ſicut rei poſtmodum patefecit exitus. Sumpto enim habitu eodem in loco, poſtea devotus exſtitit monachus. Hac denique familiaritate inlectus homo, monaſterii frequentare curabat clauſtra, utpote quaſi alter Adam factus ex fratribus. Unde accidit ut ſæpe veniens fratres ſuſurrare ſuper memorato negotio frequentius animadverteret. Sed quia incipere pavebant, ceu dictum eſt, ne videlicet juxta Evangelium inluderent eis dicentes: quia hi cœperunt ædificare & non potuerunt conſummare; divino, ut eſt humana opinio, inſtinctu commotus præfatus homo (cupiebat enim & ipſe honorare ſanctæ virginis artus) convocavit ſeniorum cœtum, hujus allocutionis „ primordia libans. Quoniam, inquit, patres venerandi perpendo ex vobis „ quoſdam viciſsim ſerere colloquia, velle corpus ſanctiſsimæ virginis Hune- „ gundis noſtræ dominæ, ſi facultas ſuppeteret, lautiori ponere loculo, „ cor-

Balduinus Humolarias accedit,

Matth. 7. 2.

Jo. 6. 37.

fit monachus,

ad fabricandum novam thecam patres hortatur.

a Multa præſtitit Humolarienſi Monaſterio ſua commoda Macarius Abbas, quæ ex ejuſdem loci chartario alias Deo dante publicabimus.

AN.CHR. 946 7. Nov.

„ corde exhilareſco, opemque meam pro poſſe promitto, opuſculum dumtaxat concupitum initiare ne moremini. Sin autem nequaquam tale inceptare audetis opificium, ipſe ego ſuper me totum negotium accipio, Deique omnipotentis auxilio fretus ad finem uſque perducam, conceſſa mihi tantum populi oblatione. Quod cum audiſſent monachi, utra modum exhilarati, grates Creatori univerſorum reddiderunt, & in promiſſione ſua virum benedixerunt, divinitatis prærogativam venerantes cum hoc tanto tam repentino tamque inſperato gaudio. Quid opus eſt verbis? Sumpto ſiquidem vir ille negotio, componi fecit loculum opere anaglifario, in longum menſura duorum ſemicubitorum, altitudine continua ab utroque fronte cubitali, utrimque ab lateribus ſemicubitali, reliqua ſtructura in altum decentiſſime vergente, inſtar tabularum expreſſa, cælato atque ſculpto elaborata opificio. In cujus ſuperficie opuſculi ſanctorum Apoſtolorum atque Prophetarum imagines cernuntur expreſſæ, perpulchris atque politis tabulatis fulgentis auri & ſplendentis argenti ter ternis utrobique in ordinem digeſtis iconibus. Sed & in una frontium imago ſanctæ Hunegundis ſanctique ELIGII Noviomenſis antiſtitis, ejuſdem virginis in baptiſmo patroni, conſpicitur dignius elevata; in altera vero Chriſti Domini noſtri majeſtas cernitur ſatis eleganter expreſſa, cujus regnum & imperium ſine fine permanet in ſæcula. Quid plura? accelerato denique ſimulque, ut dictum eſt, laute conſummato opere, Domnus Abbas Macarius qui ea tempeſtate, veluti prælibatum eſt, loci Humolarienſis res adminiſtrabat, domnum Epiſcopum Noviomenſem invitare curat, vicinoſque adſciſcit abbates, domnum videlicet GIRARDUM Inſulanum, Domnum RAINERUM ſancti Præjecti Vicarium [a], atque Domnum BONIFACIUM VVALERANNUM de Monte ſancti Quintini, necnon & alios quamplures Viromandenſis territorii ſatrapas & Milites. Monachos quoque ac clericos huic actui intereſſe commonet, ne ſcilicet tam charum pignus abſque notitia teſtimonioque honeſtarum religioſarumque perſonarum tamquam furtivum vel ignotum tractari mutarive clanculum videretur. Ut ventum eſt ergo ad conſtituti termini diem, in quo agi habebant hæc, fama volante, quo alter non eſt velocior nuntius, fit conventus ſeniorum, occurſus nobilium virorum, ruſticorum ac feminarum turba cum parvulis confluit gratulabunda. Nec immerito: exiſtimabant etenim pro reverentia & honore debito tantæ matri impendendo ſimulque interceſſione ſe patrocinandos, & pro forfactis ſuffragia poſtulantes, veniam ſe fore conſecuturos. Interea loci reſeratur glorioſi gazophylacii aditus, ſublevantur adhibitis malleis cum cunctis ferreis ligamina ſagaci cura innexa, evelluntur opercula, panduntur pretioſi ſomatis cunabula.

[Margin notes: item exſequitur. — Thecæ deſcriptio. — Epiſcopus Noviomenſis invitatur ad mutationem. — item Abbates. — Clerici atque nobiles. — ſepulcrum reſeratur,]

4. Ceterum omnipotens Dominus volens ſuæ ſponſæ honorare membra, occulta diſpoſitionis ſuæ prærogativa differri fecit mutationem oſſium felicium diem uſque in tertium, hujus apologiæ, id eſt occaſionis eventu Epiſcopus quippe, in cujus diœceſeos procinctu ſitus eſt locus nomine Humolarias, regio impeditus obſequio atque negotio ad præfatum diem conſtitutum minime venit: quam ob rem compulſi ſunt eum præſtolari per triduum. Collocatur ergo venerandum ſcrinium, ſicut erat reſeratum, ſuper geminas baſes ligneas intra ſancta ſanctorum, inter altare videlicet Dei genitricis ſemperque virginis Mariæ, & altare ſanctæ Hunegundis in honore dedicatum. Inter tot denique devotæ multitudinis millia ad tam claram celebritatem concurrentia, plurimi corporea mole debiles nituntur huic ſanctæ actioni intereſſe, utpote rogaturi Domini miſericordiam ſuo quiſque pro incommodo. Unde accidit divina, quemadmodum fati ſumus, voluntate, quamdam puellam nomine Emelinam epileptico morbo invaſam, cum amicorum auxilio, ſpe recuperandæ ſanitatis ad monaſterium deductam eſſe

[Margin notes: Epiſcopo morante, interim apertum ſcrinium baſibus imponitur. — Epileptica puella.]

[a] Id eſt Coadjutorem, ſi bene interpretor. Abbas Inſulanus eſt S. Quintini de Inſula ad muros quondam; nunc intra muros Auguſtæ Veromanduorum: Abbatia S. Præjecti prope urbem, Abbatia de Monte S. Quintini prope Peronam.

ſe, iu vico natam qui Herlejus dicitur, ſuper Somenæ ripam ſitus, medius ſtans inter ſancti Quintini caſtrum & Humolarienſe monaſterium (Epilepſiam autem Græci vocant appenſionem mentis & corporis, quæ paſſio, ſpaſmos, ideſt contractiones membrorum generat, fit autem morbus iſte ex melancholico humore, id eſt ex abundantia fellis fuſi per membra, contingit autem per phantaſiam.) Ceterum dum puellula pro ſibi reddendo remedio templo fuiſſet injecta, ſiſtitur coram altario ſanctæ Mariæ virginis incomparabilis, quatinus ejus interventu ſanctæque Hunegundis interceſſu priſtinum conſequi mereretur ſoſpitatis gradum. Erat enim ipſa, de qua loquimur, puella adeo epilepſi oppreſſa, ut cujuſvis quietis non admitteret moras, vim vexationis corporeo monſtrans geſtu. Profitebatur enim ſe præ nimia gravedine morti adpropinquare, ſpiritumque propemodum exhalare. Qua de re confluentia populi in admirationem converſa, pietate ſimulque compaſſione compuncta, lacrymarum imbres fundebat, pugniſque pectus tundens, Omnipotentem cum devota mente implorabat pro miſerandæ mulieris liberatione. At puellula inæſtimabili pœna multata nec ad momentum ceſſabat, diris vocibus oratorium ſpargens, ſe ſeque manibus feriens, capite vacillante mirandum cunctis per biduum nulla occurrente requie ſpectaculum præſtans. Plebs ergo fidelium ſupero afflata ſpiritu, Abbates cum fratribus exorat, quatinus charitatis obtentu miſerandæ muliercuлæ darent copiam viſendi almæ virginis HUNEGUNDIS oſſa, ſi forte favente Chriſti clementia aliquo modo mitigaretur incommoditas tanta. Conceſſerunt igitur eadem & ipſi permoti humanitate. Quid ergo? dicam an ſileam? quin immo pandam prædicandæ virtutis evidentiam. Nam ſtatim ut oculus oſſa conſpexit, intromiſſo vertice, totius corporis compago recepit optatam ſalutem, interiit dolor, ſopitus eſt languor, avulſus eſt luctus, rediit priſtinus corporis ſtatus. Quod cum vidiſſent qui adſtabant populi benedicentes gratias perſolverunt Domino Deo univerſorum, qui ſuos mirificat ſanctos ſicut vult, & quando vult. Hujus autem divinæ operationis, quam Jeſus Chriſtus Dominus & Deus noſter dignatus eſt oſtendere per merita glorioſæ virginis HUNEGUNDIS ad laudem & gloriam ſuam, tot revera exſtiterunt teſtes, quot contigit tunc adeſſe fideles.

AN CHR 946 7. Nov.

virginis corpori admota,

ſoſpitati redditur.

5. Igitur ſuper hoc facto Abbates cum monachis congaudentes conferebant ad invicem, conveniens non eſſe mutationem ulterius differri, aut Epiſcopalem præſentiam præſtolari, viſo præcipue hoc tanto dignoque relatu miraculo, ne ſcilicet populus longa jam mora protractus, diutinaque exſpectatione jam laſſus paſcere ſpes videretur inanes. Communi ſiquidem conſilio atque decreto feruntur beata pignera in cryptam ſanctæ & individuæ Trinitatis in honore dedicatam, retro ejuſdem ipſius monaſterii tribunal fabricatam atque contiguam. Hoc equidem gemina pro cauſa actitare ſtuduerunt, ſcilicet ne vel in aliquo caſu offenderent ſanctitatis munera nimio tumultu ſexus utriuſque imminente ac premente, vel ne fragmina margaritarum coram idiotis atque imperitis hominibus penſare neſcientibus homines propter homines contrectarent, eo quod dicitur: *Nolite ſanctum dare canibus, & ne ſpargatis margaritas veſtras ante porcos.* Unde ait Iſaias: *Secretum meum mihi, ſecretum meum mihi.* Obſeratis ergo firmiter oſtiis quæ a dextris & a ſiniſtris cancelli eamdem cryptam petentibus aditum pandunt, circumdant beata munera pavitantibus animis ob exhibendam reverentiam. Hæſitabant enim, quiſnam eorum dignius contingere haberet a Chriſto conceſſa tam pretioſa donaria: ſed demum conſueti hanc tradere curam adminiſtrationem Domno GERARDO Abbati Inſulano, quoniam erat natu major, ætate provectior, moribus gravior, religione devotior, piiſque actibus proclivior. Ut quid mores innectimus? ſuſcipiens itaque Abbas prædictus cum humilitatis ſubjectione confratrum imperia, exerit lacertos, ſeſeque præparat ſollemnius adverſus votiva officia. Mutantur ſumma cum reverentia oſſa felicia, locanturque decentiori in cuna. O felix virgo, quæ quo-

S. Hunegundis corpus delatum in cryptam.

Matth. 7. 6.

Iſa. 24 16.

Gerardus Abbas Inſulanus novam in thecam infert.

Digitized by Google

AN.CHR 946 7. Nov. quoniam in cælo fulgida degis in gloria, ſic veneraris in terrena aula, o vere felix virguncula, cui ſponſus ille cæleſtis arridens locutus eſt in Salomonis epithalamio: *Veni ſoror mea in hortum meum, ut comedas fructum pomorum* Cant. 4. 16. *meorum, ſponſa mea, columba mea, immaculata mea, veni de libano, veni coronaberis*, o fœlix, inquam, virgo, quæ ſponſo vocanti reciproca voce cum virginum choris adplaudens, reſpondere meruiſti: *Curremus poſt te in odore un-* Cant. 1. 4. *guentorum tuorum:* ideſt in fragantia tuarum virtutum.

Godefridi & Rotberti Militum donaria. 6. Igitur duo militares viri qui aderant, ſollemnia peragunt munuſcula. Nam hi ſummopere efflagitaverant, ut eis concederetur mutationi adeſſe, ſanctaque oſſa propriis conſpicere oculis. Alter igitur eorum nomine GODEFRIDUS ſenior, pallium decentiſſimum ſanctæ virgini contulit in munus; alter vero nomine ROTBERTUS, cognomento Anguillula, ſeipſum ob devotionem per cervinam corrigiam *a* ſervum obtulit, atque in exhibitione ſervitutis hortum jure prædii tradidit in villa quæ Marceja fertur. Fratres autem non terrena, ſed divina perſolvunt officia, & venerationi, ut decebat, Sacra theca clauditur, ſatis idonea. Clauſo igitur tandem cum diligentia ſolertiaque honorabili ergaſterio, cum cereis & thuribulis & crucibus de crypta erumpunt, lætis adprime mentibus byſſinis poderibus, ideſt albis, palliatis monachis; more patrum feretrum bajulantibus.

7. Verum quia baſilicæ capacitas non ad hoc erat ſufficiens, ut confluentis vulgi multitudinem recipere poſſet, in tantum quippe copioſa utriuſque ſexus exſtabat eccleſia referta confluentia, utpote præſtolante pro quo venerat moxque populo irruente ſanctitatis dona, quod nec geſtantes devotionis pignera valebant egredi per quæ fuerant ingreſſi oſtiola. Qua de re conſilio inter ſe habito, per oſtium ejuſdem cryptæ in latere diſpoſitum, quod eſt pervium euntibus ad capellam ſancti Nicolai Epiſcopi miræ ſanctitatis Confeſſoris, per clauſtrellum extra eccleſiam defertur. efferunt venerationis loculum; ſicque per quamdam poſterulam ejuſdem clauſtrelli in maceria factam ejectum per pomerium atque cimiterium fratrum, ad alium identidem aditum ignorante populo perducunt. Sed rurſus atrio, quod eſt pro foribus eccleſiæ, gente ruſticana redundante, vix cum ingenti luctamine per portam ſecus capellam ſancti Archangeli Michaelis ſitam extrahunt. Tandemque impenſo multo & grandi labore, jamque defeſſi in campum cultum prope Xenodochium monachorum jacentem deferunt: quo in loco quadam providentia menſa lignea extenſa, ſanctum theſaurum in eum deponere atque locare feſtinant, cum reverentia tamen ut dignum erat, quatinus ab omni exſpectantium, ſed & deſiderantium multitudine adiri & venerari abſque gravedine potuiſſet. Siquidem tanta pullularat frequens populatio, quod nec totius villæ capacitas ad capiendum ſufficiens erat, ſed circumquaque populi per agros vagabantur incerti, quo pacto vel ingenio, quave ex parte templum adire quirent. Cum ergo dies jam inclinata eſſet ad veſperum, ſole a meridiano fervore tepente, rurſus Pa- adveſperaſcente die, tres cum fratribus reſumtis cero ferariis & crucibus, induti veſtimentis albis ſicut prius, glorioſum reviſere ſatagunt loculum. Nam in principio reverſi fuerant neceſſitate cogente, perpaucis inibi relictis, qui feretrum obſervarent, & eulogias atque oblationes ſuſciperent, utpote populo plurimum gravedinis ſimulque moleſtiæ inferente. Sumpto igitur cum diligentia pretioſo geſtatorio, etiam tum vulgo in vota graſſante, cum honore digno & hymnidica pompa, non modica turba eos comitante, ſanctas reliquias referentes in ſanctam Dei eccleſiam inthronizant, ac in ſacro peribolo retro pyramidi retro altare imponitur. altare ſanctæ virginis Hunegundis intra pyramidem, quod nos oraculum dicimus, digno eum obſequio componunt, ad honorem Domini noſtri Jeſu-Chriſti, qui cum coæterno Patre & ſancto Flamine vivit & regnat Deus per omnia ſæcula ſæculorum.

DE

a Servitutis ſpecies varias rite diſtinguit Cangius in Gloſſario, ubi nobilium pia vota laudantur. Traditionis item inſtrumenta cum apud eumdem, tum in noſtro de re Diplomatica tractatu ſæpe notata reperies.

Digitized by Google

DE TRANSLATIONE SS. EBRULFI

CIRCA AN. 950

ABBATIS UTICENSIS ET ANSBERTI

Monachi in cœnobium Resbacenſe.

1. *EBrulfi Abbatis Uticenſis vitam in Sæculo primo edidimus, Tranſlatione hunc in locum rejecta, quod illa ſæculi decimi rebus illuſtrandis aliquid conferre videretur. Ebrulfi diſcipulus fuit Ansbertus, & ſub illo monaſterii Uticenſis incola, quem nonnulli perperam cum Ansberto Rotomagenſi Præſule confundunt. Sed hunc errorem deſtruit Ebrulfi vitæ ſcriptor antiquus, qui Ansbertum ſine viatico defunctum, ab Ebrulfo excitatum, & ſacramentis munitum fuiſſe commemorat. Utrique Ebremundum Uticenſem quoque monachum & Abbatem adjungit Ordericus Vitalis, ejuſque reliquias Genabum Aurelianorum una cum aliis delatas tradit: quod ipſius verbis ſuo loco referemus.*

2. *Propius movet Ebrulfi atque Ansberti in monaſterium Resbacenſe tranſlatio, cujus hic rudem hiſtoriam, ex monaſterii Resbacenſis ſchedis erutam intexere juvat. Hanc ipſam præ oculis habuit Ordericus Vitalis, quam, tametſi minus probatam, maxima ex parte deſcripſit. Sic igitur anonymus ille Resbacenſis monachus, qui narrationem ſuam ante medium ſæculum* 11. *exaraſſe videtur.*

3. DIcendum nobis eſt ſeriatim, quomodo ſanctorum Ansberti & Ebrulfi nobis corpora contigit habere, quibuſque diatim noſcimur Deo favente famulitium ſanctis debitum impendere. Hæc narratio ſi ſilentio mandaretur, forſitan aliquis ſycophanta nos ipſa non habere cavillaretur: quia noſtri compatriotæ non fuiſſe probantur. *Anonymi ſcriptio.*

Ortum eſt aliquando bellum ſupradicto Regi Roberto contra Normannorum barbaricam rebellionem, qui ferociæ ſuæ confiſi (ut Annalibus Regum legitur) numquam Regum Francorum intemerata ſervaverunt jura fidei: quorum cervicoſitatem nimium claram cupiens Rex jure gladii ad priſtinæ jugum ſubjectionis revocare,

Accelerat miſſis cunctos accerſere ſacris
Quos dedicit animis ad martia tela paratis
Bella ſitire magis quam pocula grata falerni.

Convocans ergo veredarios velociſſime, legationis eis mandata injungit:

Tu mihi Santonicas acies deducere cura;
Et dices illis Normannia quos ferat hoſtes,
Quantaque commoveat inimico milite bella.
Tu Remis propera, regni caput atque corona,
Eſt ea Metropolis vallans ſua mænia turmis,
Turmis militiæ quæ neſcit terga referre.
Conveniat burgis Burgundia tota relictis;
Atque comata meis interſit Flandria bellis.
Acci tu toto diviſos orbe Britannos,
Et tu Vvaſcones, Aquitanos atque Britones.

Multis ergo legionibus equitum hæc audientibus a legatis ſtipatus ingreditur Rex Normanniam, non tam bello, quam ſola ſui præſentia incutiens hoſtium cuneis fugam: quia & rebellabant, & manus conſerere non audebant. Juſſit illius terræ eccleſias, quæ latronum erant conciliabula, ſolotenus deſtrui; & quicquid ad eaſdem pertinebat, igne, ferro, ac omnimoda

Digitized by Google

CIRCA AN. 950 da vaſtatione peſſumdari. Huic juſſioni aſſenſi ſunt omnes, maximeque Rodulfus quidam ditiſſimus pariter & nobiliſſimus omnium Sueſſionenſis urbis civium, cupiens, ſi eventus ſibi Deo favente alluderet, quorumlibet rapere corpora ſanctorum. Finis vero deſiderii ejus ipſis Sanctis honorem congruum impendere: non quaſi partem prædæ vilium ſarcinularum ſibi abripere & male tractare.

Quæ mora ſit verbis? invenit corpora ſancti
Præſulis Anſberti, necnon Abbatis Ebrulſi.

Accipiens denique reſolutus in lacrymas præ gaudio, inventum theſaurum jam dictorum ſanctorum, in coriis cervinis repoſuit; & dum in hoſte fuit, prout ratio temporis permittebat, honorifice excoluit, reſpectans. Cum ſuo Rege, ut proprios lares attigit, Dragiacum expetiit. Interim ipſa oſſa beatorum ſub altare poſuit, & quoad ſibi divina pietas inſpiraret quid de eis faceret, cuſtodiam ſervorum ſibi fidorum deputavit. Cum ecce fama, in modum bonorum fragrans unguentorum ſparſa ſacris odoribus Chriſti, de cœnobio Resbacenſi illic quoque advolavit; & ut ad eumdem locum pignora auro obrizo pretioſiora ferret, Deus ejus cordi velle immiſit. Et quoniam procraſtinatio ſemper bonis ſolet ſtudiis obſiſtere, participato conſilio cum ſua conjuge, Resbacis feſtinanter deliberat pergere, & ſupra ſcriptorum reliquias Sanctorum ibidem locare. Audito tam deſiderabili nuntio Fratres indicibili gaudio exhilarati occurrunt, rorantes lacrymis flammis cereos accendunt, dominicæ Crucis vexilla triumphalia præferunt, & candidis ſtolis holoſericiſque veſtibus ornati a Deo ſibi deſtinatos patronos excipiunt. At Chriſto devotus miles Portum-Alnonis & Bonolium Sanctis obtulit, & ne quid deeſſet ad eorum componendas thecas, maximam auri & argenti quantitatem donavit.

4. *Quæ hic Rotberto Regi accepta refert hic auctor, indubie Caroli Simplicis æmulo, anno 923. in pugna Sueſſionica cæſo, Ludovico Tranſmarino tribuit Ordericus Vitalis, quem in eccleſiaſticæ hiſtoriæ lib. 6. Ebrulſi Abbatis ſociorumque varias tranſlationes deſcribentem audire juvat.*

Orderici alia narratio.

5. Nihil de antiquis temporibus poſt tranſitum Patris Ebrulſi ſcriptum reperire potui, ideoque præcipue conabor litteris mandare quæ a ſenioribus audivi, qualiter corpus ſancti Confeſſoris de loco ſuo tranſlatum eſt Ebrulfi. Lectiuncula ſiquidem reperitur apud Resbacum, quam non ſatis approbo, edita nimirum ab auctore ignaro, cui plene, ut opinor, non patuit rerum & temporum certitudo. Oportet ergo, ut dum alterius relationi non acquieſcam, illud quod a ſenioribus indigenis Utici didicerim, evidenti ſcripto detexam, qualiter & quando Francigenæ pretioſam venerabilis Ebrulfi obtinuerint glebam.

6. Anno ab Incarnatione Domini 943. poſtquam Arnulfus Flandrenſis Satrapa Guillelmum Ducem Normannorum, cognomento Longam-ſpatam, per proditionem occidit, & Ricardus Sprotaides filius ejus decennis Ducatum Normanniæ ſuſcepit, hominiumque & fidelitatem cunctorum Optimatum ante humationem patris Rotomagi accepit, Ludovicus Rex Francorum, cognomento Ultramarinus, in Normanniam cum exercitu venit, &c. Interea dum Ricardus puer tribus fere annis exſularet, & Rex Franciæ ſibi Normanniam penitus ſubjugatam eſſe putaret; timens ne Hugo Magnus Aurelianorum Dux Normannos adjuvaret, Oximos & Bajocas cum toto Conſtantienſi pago uſque ad montem ſancti Michaelis in periculo maris eidem donavit, & imperioſe mandavit, ut valida manu rebelles Normannos impeteret, & opida eorum ſibi ſtrenue ſubigeret. Quod audiens cupidus Marchio exſultavit, fœdera cum Normannis olim pacta libenter rupit, & regiones eorum magno cum exercitu hoſtiliter invaſit. Apud Guacejum propria cum familia ipſe Dux hoſpitatus eſt, & exercitus illius paſſim per provinciam diffuſus eſt. Tum Herluinus Cancellarius Ducis, & Radulfus de Dragiaco Uticum diverterunt, & in cœnobio ſan-

ſancti Ebrulfi Confeſſoris hoſpitati ſunt. Erant ambo religioſi, & in timore Dei ſtudioſi. Tantorum itaque virorum adventu ſimplices monachi lætati ſunt, & omne illis officium charitatis pro poſſe ſuo benigniter exhibuerunt. Per capellas & oratoria ſua atque privatas ædes eos familiariter deduxerunt, philacteriaſque ſuas cum ſanctorum reliquiis ad ſui damnum illis oſtenderunt. Illi quidem tunc ſecreta monachorum reverenter intuiti ſunt, & oblatis muneribus atque orationibus receſſerunt: ſed paullo poſt veluti Chaldæi in Hieruſalem reverſi ſunt, & vaſa templi Dei, & omnia pretioſa ejus crudeliter aſportaverunt, &c. CIRCA AN. 950

7. Tunc Herluinus Cancellarius & Radulfus de Dragiaco, ... Uticenſis hoſpitii memores, illuc reverſi ſunt, & ex inſperato cum ſuis in cœnobium irruerunt. Baſilicam quoque, ſtupentibus & nil mali ſuſpicantibus cœnobitis, cum armatorum manu & violentia ingreſſi ſunt: arcana templi & ſacra buſta mox adierunt, tria corpora ſanctorum EBRULFI, EBREMUNDI, atque ANSBERTI de mauſoleis ſuſtulerunt, & coriis oſſa cervinis involuta cum aliis Sanctorum reliquiis aſportaverunt ..... Uticenſes autem in tanta deſolatione nimis lugubres .... cum tranſlato Patre ſancto peregrinari decreverunt ..... Uticenſes utique & clientes eorum modo natale rus deſeruerunt, & aſſociati hoſtibus, plorantes oſſa magiſtri ſecuti ſunt. Omnes quippe tam monachi, quam famuli eorum fere triginta erant, qui conglobati Capellanis, pedetentim adhærebant ..... Prima nocte poſt exitum de Neuſtria exercitus, in loco, qui Campus dicitur, caſtrametatus eſt: & poſt comeſtionem cœnæ a quibuſdam paraſitis cavillatio & incongruus ſermo exortus eſt. Unde quidam mimus Duci jocoſe dixit: Notumne vobis domine Dux, quod Herluinus Cancellarius & Radulfus Cubicularius fecerunt? Cadavera quorumdam ruſticorum in Normannia effoderunt, & male deluſi ſanctas reliquias eſſe putantes in Capella tua collocaverunt, & ſecum in Galliam reverenter deferunt. Cumque Dux nomina eorum inquiſiſſet, joculator ait: Ebrulfus, Ebremundus & Ansbertus. Porro Franci, quia minus uſitata illis eſſent hæc vocabula, & neſciſſent quanta prænominatis viris ante Deum in cælis eſſet gloria, diſſoluti ſunt in multa verba otioſa & deriſoria. Deinde prima noctis vigilia, ut quies ſomni mortales oppreſſit, altitonans de cœlo mirabiliter intonuit, fulmina cum nimiis coruſcationibus emiſit, joculatorem cum ſociis nebulonibus, qui ſanctis reliquiis detraxerant, percuſſit: quibus exſtinctis, Ducem & totum ejus exercitum haud modice deterruit. In craſtinum mane Dux omnem exercitum convocavit, Cancellario ſancta reverenter deferri ante ſe corpora præcepit, & omni exercitui juſſit, ut antequam de illo migrarent, ſanctis reliquiis devote offerrent. Flebiles quoque monachos cum clientulis ſuis accerſiit, quis & qualis fuerit vir Ebrulfus & ſocii ejus ab eis requiſivit: reſpondentes & referentes venerabilium geſta virorum libenter audivit, ac ad audiendum optimates Belgicæ alacriter adſcivit. Interea maturitatem & ſimplicitatem Uticenſium pie conſideravit, inſtinctuque Dei, qui ſuorum ibique miſeretur, condolens illis dixit: Oſſa Patris veſtri, quæ ſequimini ultro, omni auro & argento pretioſiora habeo. Vobis pro amore illorum faveo, & veſtri curam gerens Cancellario præcipio, ut vos honorifice ſecum habeat: omneſque oblationes quæ ſanctis viris offerentur, vobis annuat, donec Aurelianis (quæ Ducatus mei caput eſt) perveniatis: ibique providebo vobis unde victum ſufficientem habeatis.

8. Uticenſes itaque inter exteros ſpe melius habiti ſunt, & ingentem quotidie munerum copiam a fidelibus receperunt: affatimque donis, quæ neceſſitas infirmantium ſeu bona voluntas devotorum extorſit, opitulante Deo refocillati ſunt. Cumque Aurelianis veniſſent, & prœliatorum turmæ armigeris & equis domos per totam urbem occupaſſent; monachi cum ſanctorum pignoribus in clibanum quemdam diverterunt, ibique neceſſario prima nocte hoſpitati ſunt. Cives ergo poſtmodum in honore ſancti Ebrulfi baſi-

Digitized by Google

CIRCA AN. 950 baſilicam ibidem conſtruxerunt, meritiſque ſanctorum infirmantibus ſanitatum beneficia divinitus plura collata ſunt. Herluinus Cancellarius Abbas erat ſancti Petri de Puncto, ibique venerabiles reliquias Hugonis Magni collocavit imperio. Tunc Radulfus de Dragiaco hujuſcemodi prædæ partem ſuam requiſivit, nec pro quolibet pretio portionem ſuam indulgere cuipiam voluit. Hic nimirum inclitus erat Sueſſionenſium civis, præcipuus Ducis Camerarius, pollens poſſeſſionibus amplis, honoribus & divitiis, fideque clarus & virtutibus aliis. Tanto igitur Baroni nemo audebat injuſtitiam ingerere, ſed communi decreto in conſpectu Judicum allatæ ſunt & diviſæ reliquiæ. Herluinus quidem, quia ſacerdos erat & Abbas Canonicorum ſancti Petri, & Capellæ Ducis Capellanorum maximus; caput & majorem partem oſſium ſancti Ebrulfi, librum quoque & arulam argento coopertam, & cambutam atque cinctorium ejuſdem, chartaſque donationum ſibi retinuit; reliquam vero corporis partem Radulfo tradidit. In partitione aliorum oſſium nulla difficultas fuit. Aurelianenſes enim oſſa ſancti Ebremundi Abbatis ſibi elegerunt: oſſa vero ſancti Anſberti monachi Radulfo dederunt. Ipſe vero cum tanto theſauro Reſbacum feſtinavit, & eidem cœnobio, quia frater & amicus erat, devote obtulit. Reſbacenſes autem candidis holoſericiſque veſtibus induti proceſſerunt, cum cereis ardentibus & thuribulis fumantibus reliquias tripudiantes ſuſceperunt, & uſque hodie reverenter cuſtodierunt. Tunc Radulfus, ut de beneficiis ſuis eccleſiaſtica res augmentaretur, Portum-Alnonis & Bonolium donavit: & ne quid deeſſet ad condiendas eorum thecas, magnam auri argentique quantitatem donavit, pro quibus exeniis idem heros in eccleſia, ut defunctus eſt, ſepeliri meruit.

9. *Nonnulla ſubdit Ordericus, quo Anſbertum Ebrulfi diſcipulum ab Anſberto Rotomagenſi Epiſcopo diſcernat. Tum ait:* Hæc de partitione corporis ſancti Ebrulfi veraciter notavi, ſicut a religioſis & veracibus ſilicerniis jamdudum audivi.

10. Defuncto Hugone Magno, HUGO filius ejus in Ducatu ſucceſſit, *& poſtea* regnum obtinuit.... Gotfridus, Audegavorum Comitis filius, præfati Hugonis filiolus fuit ..... qui de oſſibus ſancti Patris Ebrulfi (cujus miracula ſæpe viderat Aurelianis poſitus) ſibi aliquid dari obnixe popoſcit. Hugo autem .... illi partem reliquiarum ſancti Ebrulfi erogavit. Ille itaque Andegavenſibus reliquias ſancti Ebrulfi primus exhibuit, quas in eccleſia ſancti MAIMBODI uſque nunc veneratio devotorum excolit. Uticenſes autem monachi, qui cum corpore ſancto peregrinati ſunt, opitulante Deo benignum apud externos hoſpites affectum invenerunt, abundantiamque panis & vini piſciumque, quos Ligeris fluvius ſuppeditabat, habuerunt; multimodaſque mobilis fortunæ varietates experti, finem ſuum in Gallia ſortiti ſunt.

Aſcelinus vero ſenex Uticenſem eremum cum paucis pauperibus incolis incoluit, quibus ait .... Corpora ſanctorum perdidimus .... Ceterum quamvis Franci oſſa ſancta tranſtulerint, & libros atque veſtes aliaque nobis neceſſaria diripuerint, ſepulcra tamen & pulverem ſanctiſſima reliquerunt, & alia ſacra quæ ſecum deferre nequiverunt, nobis favente Deo ad magnam conſolationem inviti dimiſerunt. Nos autem non negligenter ea tractare debemus, immo derelicta nobis ab hoſtibus diligenter recondamus, & veneranter ſervemus. Miſerante Deo pilum de barba ſancti Petri Apoſtoli adhuc habemus, quem beato Ebrulfo ad dedicationem eccleſiæ deſtinavit Papa Romanus. Alias quoque pretioſas reliquias novimus, quæ in hac baſilica reconditæ ſunt a priſcis patribus. Laudo ſi placet vobis omnibus, ut univerſa revolventes videamus, & tuto in loco propter ſacrilegos recondamus: donec revelante Deo manifeſtentur futuris cultoribus. Annuentibus cunctis & laudantibus, ſenex Miſſam complevit, factaque Miſſa populum cum benedictione dimiſit: pueroſque ſcholaſticos ad miniſterium thuribuli & cadelarum retinuit. Deinde cum cæmentario quodam ad tumulum ſancti Ebrulfi acceſſit, laminam reverenter amovit, ſanctæque carnis pulverem inſtar tortellorum congeſſit. Pyxides veeo plures protulit, ac phy-

Digitized by Google

phylacteria, in quibus erant ſacra cum inſcriptionibus ſuis pignora. Deinde pueris ut irent manducare præcepit, & ipſe cum macione & materiis neceſſariiſque miniſteriis reliquias in maceria recondidit, ideoque pueros ut arcanum eos lateret abeſſe compulit. Ab ipſis nimirum poſt multos annos hæc audivimus, ſed certum locum ubi reliquiæ poſitæ fuerint ſcire nequivimus : quia ipſi relatores a collocatione pignorum excuſſi fuerunt, ut diximus. Hæc itaque contigerunt RICARDI primi Ducis tempore .... Interea obeuntibus vel abeuntibus incolis Uticus in ſolitudinem rediit, &c. CIRCA AN. 950

11. *Poſtea a* GUILLELMO *Eſcalforii domino* reſtauratum eſt Uticenſe cœnobium, & anno Dominicæ Incarnationis 1051. THEODERICUS Gemmeticenſis monachus Abbatiæ curam ſuſcepit .... Uticenſes autem monachi corpus patroni ſui non ſe habere doluerunt, & quomodo ſibi redderetur multis modis quæſierunt, nec invenire adhuc valuerunt. Et quoniam totum deſiderium ſuum ſuper hac re nondum impleverunt, jam plures reliquias diverſis modis procuraverunt, variiſque temporibus favente Deo reduxerunt.

12. Fulco præpoſitus Uticenſis eccleſiæ, qui poſtea Divenſis Abbas factus eſt, a GUILLELMO notho Rege Anglorum ad BERTAM Comitiſſam pro privatis cauſis in Brigiam miſſus eſt. Tunc per quemdam Capellanum Comitiſſæ, quem natione Normannum eſſe cognovit, quia familiaris eccleſiæ Reſbacenſis erat, dentem ſancti Ebrulfi obtinuit, ac ad Uticenſem eccleſiam remeans gaudentibus cunctis attulit.

13. Regnante Ludovico Rege quidam Canonicus nomine FULBERTUS Pariſius erat, qui os integrum de ſpina ſancti Ebrulfi habebat, quod Capellanus de Capella HENRICI Regis Francorum ſubtraxerat, eique jamdudum pro amoris pignore dederat. Timens autem pro diverſis cauſis illud habere, Fulcone Presbytero Mauliæ mediante accerſit Guillelmum de Monſterolo Priorem Mauliæ; eique reliquias tradidit deferendas Uticenſi eccleſiæ. At ille gaudens munus excepit, & juſſa quantocius complevit. In itinere dum feſtinaret, ſancti Patris ſenſit ſuffragium. Præfatus enim Prior in cibo venenum neſciens manducavit, quod protinus equitantis per membra & viſcera ſeſe diffudit : at ille ut mortem cordi vicinam ſenſit, formidoloſus ad Deum exclamavit, & ut ſibi per merita ſancti Ebrulfi miſereretur, oravit : factiſque precibus & votis venenum evomuit .... & reliquias Uticenſi cœnobio lætus exhibuit, atque eaſdem argento decenter incluſit.

14. Anno ab Incarnatione Domini 1130. GUARINUS ſeptimus Abbas Reſbacum adiit, ubi medietatem corporis ſancti Ebrulfi eſſe audierat. Cum præfato patre duo monachi profecti ſunt. Odo namque de Monſteriolo, & Guarinus Sagienſis, ut ſancta Patris ſui pignora quærerent, comitati ſunt: quibus plurimæ difficultates contigerunt. NATALIS enim Resbacenſis Abbas aberat : voluntas conventus, non ut hoſpites, ſed ut hoſtes eos cavere erat. Par etiam incolarum alienatio verbis deſolatoriis ut fugerent, deterrebat. Bonum tamen deſiderium quod habebant, creſcebat, eoſque magis ad effectum pertrahebat. Abbas ergo dimiſſis duobus ſociis apud Reſbacum, Prælati ſchemate depoſito, iter arripuit laborioſum, & quaſi pauper monachus equitans occurſum non erubuit obviantium : ſed Natalem Abbatem obnixe quæſivit, ad curiam TETBALDI Comitis adiit Ruginiacum municipium. Secunda vero die ad Abbatem venit, nec quis eſſet, ſed quid quæreret indicavit. Ille autem Claras valles ſe ire velle intimavit, & ſi ſecum ire vellet annuit. Ambo itaque cum ſuis famulis Claras valles abierunt, benigne a fratribus illius cœnobii ſuſcepti ſunt, qui Regulam ſancti Benedicti omnino ad litteram obſervare ſatagunt. Domnum vero BERNARDUM illius monaſterii Patrem quæſierunt, cum eo locuti ſunt, & plurima ſciſcitantes magnam in eodem ſapientiam invenerunt. De ſanctis enim ſcripturis luculenter tractavit, & votis eorum & interrogationibus ſatisfecit. Cauſam quoque Uticenſium ut audivit, Guarinum

Digitized by Google

CIRCA AN. 950 num Abbatem benigniter adjuvit, litteraſque * exhortatorias Resbacenſi conventui deſtinavit. Denique Guarinus Abbas cum Natali Abbate reverſus, Odonem & Guarinum invenit alacres, atque Resbacenſibus charos & amabiles. Erant quippe ambo maturi, affabiles & modeſti, geminaque litterarum eruditione imbuti. Et quamvis facundia ambo pollerent & eruditione, Odo tamen caritativo fervore ſummopere ſtudebat ſibi Guarinum præferre. Guarinus enim gratiam & ſapientiam in divinis ſermonibus habuit, & per octo dies hoſpitalitatis, inſtinctu AMALRICI Prioris, exhortationem omnibus in clauſtro exhibuit, benevolentiamque totius conventus, non jam ut hoſtis, ſed ut fidelis amicus obtinuit. Guarinus ergo Abbas epiſtolam venerabilis Bernardi Abbatis protulit; quam Resbacenſis conventus libenter ſuſcepit, & audita licentius complere decrevit. STEPHANUS Pariſienſis Epiſcopus, & BURCHARDUS Meldenſis Epiſcopus nutu Dei aderant, & Resbacenſes ut charitatis nectare Uticenſes exhilararent, obnixe admonebant. Igitur annuentibus cunctis, dies ab Epiſcopis indicitur, quo multorum pignora ſanctorum ibi detenta pariter extraherentur; populus terræ hæc viſurus congregaretur, & multiplici benedictione confirmatus lætificaretur, ac poſtmodum Uticenſes optata ſuſciperent, & ſic propria reviſerent.

* Non extant.

15. Porro Natalis Abbas conſilium mutat, Uticenſes mobilitate verſuta turbat, dicens quod niſi Tedbaldus Comes concederet, numquam ea quæ conventus annuerat, traderet. Igitur communi conſilio in Normanniam Odo Uticenſis ad Comitem mittitur, qui tunc ad avunculum ſuum HENRICUM Regem ierat, ut cum eo loqueretur. Obediens monachus difficilem viam arripuit, Comitemque ſequens Vernonum venit, ſuumque ſecretum prius Regi, ut juvaret, detexit. Rex vero auxiliaturum ſe ei pollicetur, Comitemque nepotem pro monachorum negotio precatur. Comes autem precanti avunculo concedit, & per ANDREAM Dapiferum ſuum Resbacenſibus conceſſionem ſuam mandavit: qui ad diem quo reliquiæ monſtrabantur, non venit, ſed apud *Colummers* Comitis caſtrum remanſit. Illuc Uticenſis Abbas, & Guarinus Sagienſis, ac Andreas Columbenſis ad Andream perrexerunt: quos ut vidit, benigne ſuſcepit, eorum orationibus ſe commendavit, conceſſionem Comitis intimavit, ſeque legatum inde & fidejuſſorem nuntiavit. Tunc Guarinus Abbas lætus cum ſociis Resbacum remeavit, & Natalis Abbas, ut conceſſionem Conſulis audivit, pœnitentia motus, quod Uticenſes male vexaverat, votis eorum annuit. Amalricus itaque Prior mane conventum excitavit, cum Uticenſibus ad eccleſiam duxit, omniſque conventus ordinata proceſſione ad ſacrarium vadit. Vas argenteum, in quo beati Ebrulfi pignora clauſa erant, frangitur, reliquiæ reverenter extrahuntur, brachium dextrum cum pyxide plena fracturis oſſium erogatur. Uticenſes itaque in Neuſtriam redierunt, atque Uticum 7. Kal. Junii pervenerunt. Magna multitudo utriuſque ſexus fere ad quatuor millia convenit, ac ad ſuſcipienda tanti Patroni beneficia occurrit, & ejus ante Deum ſuffragia promereri fuſis precibus ſategit. Ægri diverſarum infirmitatum moleſtia prægravati accurrunt, & remedia ſuis doloribus ab Altiſſimo per almi patris Ebrulfi merita depoſcunt, & plurimi petita conſecuti Deo gratias & laudes devote concinunt. Multa illic habitantes beneficia Dei ſentiunt, meritoque gratulantes in beati patris Ebrulfi meritis tripudiant & confidunt.

16. *Hactenus Ordericus teſtis ejus rei oculatus. Præter memoratas S. Ebrulfi reliquias, propriis quaſque ſcriniis incluſas, Uticenſes noſtri partem etiam capitis ejus anteriorem argenteo exquiſiti operis capite reconditam oſtentant: reliquam vero ipſius capitis partem, quæ & potior, in paræciali Montis-Fortis eccleſia (ubi primum commoratus Ebrulfus) ab Uticenſi monaſterio tres dumtaxat leucas diſperata ſervari aſſerunt. Quæ quidem pignora, qua utrique ratione ſint conſecuti, ex veterum monumentis nullibi comperimus.*

17. Ca-

Digitized by Google

17. *Capite affectis mederi creditur Sanctus Ebrulfus, hiſque adhiberi ſolent ejus reliquiæ, quas ſollemni pompa ad vicinum eccleſiæ fontem deferre mos eſt. Ex ipſo vero fonte qui aquam hauriunt vel epotant, aut certe lavantur ægri, maxime deliquium patientes, frequens levamen ſentiunt. Ebrulfi translationem, an reliquiarum ejus relationem Uticenſes celebrant ad diem dominicum infra Octavam Aſcenſionis, quem hic aſſignare viſum eſt, cum Reliquiarum Ebrulfi receptionis dies Resbacenſibus ſit ignotus, ſanctique ſollemnitas apud eos ipſius natali conſignetur.* CIRCA AN. 950

18. *His attexere juvat litteras de tranſmiſſis Resbaco ad Uticenſes ſancti Ebrulfi reliquiis, ex quibus confraternitas inter utrumque monaſterium inſtituta eſt.*

NOtum ſit omnibus præſentibus futuriſque temporibus ſuccedentibus, quod in tempore domni Natalis Abbatis venerunt aliqui Fratres de monaſterio venerabilis Patris Ebrulfi cum Abbate ipſorum, exigentes a Fratribus Resbacenſibus, ut aliquid liceret aſportare ſibi de reliquiis ejuſdem Patris, cujus veridica fama & nomine & merito noverant eoſdem Fratres non in inane gloriari: quorum petitionibus primo quidam paululum renitentes, tandem precibus adquieverunt, ut aliquid poſtulatæ benedictionis ſibi conferre deberent, unanimiter aſſenſerunt. Placuit ergo prædictis Fratribus Resbacenſibus ob honorem Dei brachium dextrum donari ſancti Patris Ebrulfi, ut fama tanti viri longe lateque perfuſa creſcat ad laudem Creatoris, de quo ſibi adfuit ut promereretur gloriam aſſecutæ perennis beatitudinis. Fecerunt etiam ejus rei gratia pactionem quamdam ad invicem ſuper veneratione ſancti Agili Abbatis, feſtum illius eſſe permittendum omnibus, & in albis memorialiter celebrandum. *S. Agilus fuit Abbas Resbacenſis, de quo in Sæculo 2.*

DE S. ELFEGO EPISCOPO WINTONIENSI.

AN. CHR. 951 12. Mart.

1. ELfegi *duo ſæculo decimo eccleſiam Vvintonienſem * rexerunt, nempe* Elfegus *cognomento Calvus, &* Elfegus *alter, poſtea Cantuarienſis Archiepiſcopus & martyr, Monachi ambo, & quidem ſancti: de priori hoc loco, de poſteriori in Sæculo ſexto agendum.* Elfegi duo * Vinchester.

2. *Poſt ſanctum Svvithunum, cujus elogium in tomo ſuperiori edidimus, eccleſiæ Vvintonienſi præfuerunt* Adferthus, Dumbertus, Denevulfus, Athelmus, Bertulfus, Fritheſtanus *&* Birnſtanus, *quem* Elfegus *excepit. Eorum tempus accurate diſtinguit Chronologia Saxonica.* Anno 909. Denulfus, qui fuit Epiſcopus Vintonienſis, obiit. *Et anno ſequenti,* Fritheſtanus Epiſcopatum Vvintoniæ capeſſit. *Anno uno ante obitum Epiſcopatu ceſſit, nempe anno* 932. *quo anno* Birnſtanus in Epiſcopum Vvintonienſem 4. Kal. Junii ordinatus fuit, tertiamque anni partem tenuit Epiſcopatum. *Anno ſequenti* Epiſcopus Fritheſtanus obiit. *Et anno* 934. Birnſtanus ad feſtum omnium Sanctorum defunctus eſt. *Tum anno proximo* Alfeagus capeſſit Epiſcopatum. *Conſentit Simeon Dunelmenſis.* Anno 935. religioſus monachus Elfegus, cognomento Calvus, beati Dunſtani propinquus, ſuſcepit Epiſcopatum Vvintonienſis Eccleſiæ. *Cujus loci monachus fuerit, veteres non produnt. Bucelinus arbitrario more ſuo eum facit monachum Vvintonienſem. Verum in Annalibus Glaſtonienſibus apud Alfordum ad annum* 935. *num.* 7. *dicitur* ex monacho Glaſtonienſi aſſumptus: *tametſi nulla ejus mentio in Monaſtici Anglicani tomo* 1. *pag.* 8. *ubi Epiſcopi & Abbates ad diverſas eccleſias ex Glaſtonienſibus electi enumerantur.*

Vvintonienſium Epiſcop. ſeries.

Elfegus Calvus ex monacho.

AN.CHR. 951 12. Martii

Dunſtanum monachum facit.

3. *Inter Elfegi præcipua facta illud memorandum, quod Dunſtanum propinquum ſuum, Eccleſiæ Anglicanæ lumen futurum, ad profeſſionem monaſticam adduxit. Factum commemorat Osbernus monachus in vita Dunſtani inferius edenda. Et Osbertus monachus Vveſtmonaſterienſis in ejuſdem actis*, Dunſtanus, *inquit*, malignorum hominum iracundiæ ceſſit, & ad cognatum ſuum Elfegum Vventanum Epiſcopum, cognomine Calvum, profecturus, curia regali deceſſit.... Venit ad memoratum Epiſcopum, & aliquanto tempore degit apud ipſum. Erat autem Epiſcopus idem magnæ in Chriſto religionis, & apud omnes ibi locorum converſantes magni nominis. Egit igitur induſtria qua vigebat, ut Dunſtanus monachus fieret.

Eumdem Presbyterum ordinat.

Vvillelm. lib. 2. de Pont. c. 2.

4. Alio tempore, *ait Vvillelmus Malmesburienſis*, ordinavit pariter ad presbyteratum gradum tres Monachos, Dunſtanum, Ethelvvoldum, & quemdam Ethelſtanum, qui poſtmodum monachicæ veſtis apoſtata, cælibatu contempto in meretriciis amplexibus vitam effudit. Completis ſollem„ niis ſanctæ recordationis præſul adhærentes alloquitur: Hodie coram Deo „ tribus viris manus impoſui, quorum duo pontificalis Ordinis gratiam nan„ ciſcentur, unus in civitate Vvigornia, dein in Cantuaria: alter meam „ ſedem implebit quandoque ſucceſſione legitima: tertius voluptatum vo„ lutabro ſe ingurgitans, miſerabilem ſortietur exitum. Hic Ethelſtanus qui cum pro familiaritate cognationis præſens eſſet, proterva conſultatione Sacerdotem invaſit: Num ego ero unus ex duobus, qui epiſcopali dignitate ſublimandi ſunt? Non, inquit, erit tibi pars, neque ſors in eo, quem præfatus ſum, ordine; neque permanſurus es in ea, qua hominum oculis lenocinaris, veſte. Quanta ſanctiſſimæ mentis dignitas, ut evidenter & ſine fuco cælorum efferret ſecreta? Neque enim in terram ceciderunt verba iſta, ſed omnia rerum ſolidavit conſequentia, quod Dunſtanus & Ethelvvoldus anguſtam viam quæ ducit ad vitam tenentes, inſignes in prædictis epiſcopalibus emicuere: tertius latas ſæculi ſemitas curſitavit. *Hoc exemplo Vvillelmus probat, Elfegum prophetiæ dono clarum fuiſſe: ſed alterum præmittit, quod etiam adducere juvat.*

Quadrageſimæ tempore abſtinentiam & continentiam ſuadet.

Contemptori prædicit pœnam.

5. Dies erat cinerum, & Pontifex pro more pænitentes eccleſiæ liminibus excludebat: ceteros adhortatus eſt, ut jejunio & caſtitati vacantes, etiam uxorias delicias abjicerent: illis diebus fructum dignum pænitentiæ eſſe, ſi qui multa illicita commiſeris, etiam licitis abſtineas. Doctrinam reverenter audientibus ceteris, unus joculari voce emiſſa, aliis riſum excuſſit: non poſſe ſe temperare convivio ſimul & conjugio, ut pariter abſtineat cibis & venere. Quin immo uxorem quam cubili aliquamdiu ſubmoviſſet, in proximo ad uſum noctis revocaturum, petulanti & vulgari verbo fatuitatem ſuam exaggerans. Tum vos Epiſcopi ſubmurmurantis ab adſtantibus audita & intellecta eſt: Contriſtas me miſer, neſciens quid ventura pariat dies. Duram prophetiam vicina mors nebulonis excepit. Poſtero enim mane in cubiculo repertus eſt exanimis, incertum an a diabolo, guttur eliſus.

Acta ejus varia.

6. *In Martio Bollandiano varia recenſentur diplomata regia, quibus ſubſcripſit Elfegus, cujus nomen varie ſcribitur. Anno* 940. *donatio ab Edmundo Rege facta eſt* venerabili familiæ Vvintoniæ civitatis, quæ habitat in monaſterio, quod ibidem dedicatum eſt Deo & ſancto Petro. *Ibi tunc Clerici degebant, quibus Edgarus Monachos ſubſtituit ſub Athelvvoldo Epiſcopo, cujus acta inferius. Subſcribit apud Alfordum Elfegus hoc modo:* Ego Elpheah Vvintonienſis Epiſcopus triumphalem trophæum hagiæ † crucis impreſſi. *In aliis* Elfeah *&* Alfech. *Is eſt* Alphec *mendoſe* Pitavienſis *Epiſcopus dictus in monumentis Sceptonienſibus apud Harpsfeldium in fine ſæculi* 10. *Corrigendus annus in diplomate relato in libro Evidentiarum eccleſiæ Cantuarienſis col.* 2220. *cui diplomati* Elfegus Vvintonienſis *Epiſcopus ſubſcripſit anno* 927. *ubi legendum* 37. *ut ex ſuperiori calculo de initio ejus epiſcopatus intelligitur. Denique ſub extremos vitæ dies teſtamentum condidit, quod Alfordus ex Vvintonienſibus Annalibus refert, & ex eo Socii Bollandiani, in hunc modum.*

Iſta

Digitized by Google

Iſta eſt ultima voluntas Elphegi Epiſcopi. In primis volo, quod omnes ſervientes homines, inhabitantes Epiſcopatum, ſciant ac recognoſcant, pariterque ſint teſtes pro jure epiſcopatus & illorum qui in poſterum ſuccedent, ac pro me ac conſanguineis meis, quod eſt. Ego ad præſens jus meum hæreditarium duplici modo diſpono. Terras has apud Tauntune eccleſiæ Epiſcopatus aſſigno permanendas: qui per prius mihi ab ipſa eccleſia tradita erant. Et inſuper do terras illas apud Crundele poſt obitum meum Elphego, & poſt obitum ipſius tranſeat in jus veteris monaſterii Vvintoniæ. Et cognatæ meæ dono terras illas apud ambas Vvardias quamdiu vixerint. Et poſtmodum ſoror mea & cognatus meus, uterque habeant apud Cliere cum omnibus aliis terris, quas pater meus de proprio jure tenuit. Inſuper illas terras apud Tycheburn trado Vvlfrico Cuſinge ad habendas illas toto tempore vitæ ſuæ, & poſt ejus deceſſum tranſeat in jus Veteris monaſterii Vvintoniæ. Et ipſas terras apud Kyngvvoode, ſecundum quod per prius legavimus, tranſeat in jus Veteris monaſterii Vvintoniæ. Et Alſvvigo concedo ipſas terras apud Cyltingtone poſt viduæ deceſſum, & Vvulfrico de Vvikam terras ipſas apud Leteleæ. Et ego præcipio tibi, dilecte mi Elflethe, ut ſis teſtis amborum meorum cognatorum, quæ ſunt eorum terræ: & ne permittas quemquam iſtud teſtamentum alio modo convertere. Si quis enim aliter fecerit, Deus illum deſtruat, & tam corpus ejus quam animam diabolus in inferno poſſideat. AN.CHR. 951. 12. Mart.

7. *Elfegi obitum Anglicani ſcriptores paſſim anno 951. conſignant. Omnium inſtar erit Chronologia Saxonica ad eum annum.* Hic ſanctus Alfeagus Epiſcopus Vvintonienſis feſto die ſancti Gregorii defunctus eſt. *Ipſo die eum ut* ſanctum *celebrant vetera Martyrologia manuſcripta, Gemeticenſe, Ultrajectinum, & Romanum apud Bollandianos: qui recte notant a Joanne Vvilſono Martyrologii Anglicani concinnatore ob feſtum ſancti Gregorii remiſſam ſancti Elfegi commemorationem in Kalendas Septembris, quod noſtri etiam imitati ſint. Poſt Elfſinum & Brithelmum Elfegi ſucceſſores loco præſedit Ethelvvoldus, cujus acta in ſubſequentibus referemus. Elfegi mentio item recurret inferius, ubi de ſancta Eadgita Abbatiſſa, nedum in actis ſancti Dunſtani.* Obitus ejus & cultus.

DE V. RASSONE COMITE

DEIN MONACHO WERDENSI APUD BAJOARIOS.

AN.CHR. 954. 17. Maji.

1. *IN monaſterio Andecenſi ſeu Monte-Sancto, quod ſex horarum intervallo a Monachio Bajoariæ civitate diſtat, pro ſancto habetur* Raſſo *ex Comite monachus cœnobii Vverdenſis, quod juxta Amperenſem lacum ad pedem arcis ſuæ Razembergenſis conſtruxit, ubi Benedictinis collocatis eccleſiam per ſanctum Udalricum Auguſtenſem Epiſcopum, ad cujus diœceſim pertinebat, dedicari curavit. Eo in loco Raſſo votis Deo factis, poſt obitum ſepulturam accepit: ſed everſis ab Arnoldo, aliis Arnolfo, impio Bajoariorum Duce, atque ab Ungaris monaſterii eccleſia & ædificiis, tres ejus loci relicti monachi, nempe Euſebius, Adallertus, & Adelberus, fugerunt in proximam arcem, montis Andecenſis,* cum reliquiis beati Raſonis, *quæ ibi depoſitæ ſunt, ac demum poſt multum temporis ex loco incognito cum aliis reliquiis & monumentis effoſſæ, ut vetus Miſſale teſtatur, quod in monaſterio Abdecenſi vidimus, ibidem excepti cum omni humanitate a reverendiſſimo domino Abbate Mauro, qui monaſterium igne cœleſti combuſtum a fundamentis inſtauravit, & inſigni bibliotheca locupletavit. De Raſſione porro id tantum nobis reſcire licuit, quod apud Hundium legitur in Metropolis Salisburgenſis tomo 3. pag. 223. in hunc modum.*

„ 2. *Damaſia, Straboni non incognita, domino Velſero inter Vindonem & Ly-*

Digitized by Google

AN.CHR. 954 17. Maji.

„ Lycum recte collocata, Vindeliciæ portio ſeu tractus, Comites olim ſuos habuit clariſſimos & paſſim decantatos; atque in his inclytum heroem Raſſonem ſive Rathonem, nonnunquam etiam Razzonem, vulgo S. Srafrath dictum. Hic ab Heinrico Bojorum Duce, Ottonis M. ſive Imperatoris fratre, contra Hungaros tum gentiles, ſub Toxo Rege eorum in Bajoariam irruentes, belli dux factus, binis vicibus feliciter pugnavit, eoſque delevit. Poſt adeptam hanc victoriam peregrinationem ſuſcepit ad terram ſanctam, una cum præmemorati Ducis Heinrici conjuge domina Juditha, Arnulfi Bojorum item Ducis filia, fundatrice monaſterii Inferioris Ratisbonæ, in quo ſepulta quieſcit. Reverſus in patriam, religioſam vitam animo concepit. Conquiſitis igitur undequaque ſummi Pontificis licentia ac patrocinio Imperatoris, multis, iiſque pretioſis Sanctorum reliquiis, in inſula fluvii Ambronis, vulgo in Vvordt, in pede ſui caſtri Razzenberg Auguſtanæ diœceſis, in honorem Salvatoris & beatorum Apoſtolorum Philippi & Jacobi conſtruxit inſigne monaſterium Vverdee dictum, una cum eccleſia, quam ſanctus Udalricus Epiſcopus Auguſtanus conſecravit: & collocatis ibidem tredecim Sacerdotibus e familia ſancti Benedicti, ipſe Comes Raſſo haud multo poſt relicto magna cum humilitate ſæculo, cum eiſdem ſe conjunxit; ac religionem divi Benedicti profeſſus, anno Domini 954. 15. Kal. Junii ad ſuperos abiit: ſepultuſque in eodem templo, multis claruit miraculis. Tantum ex Metropoli Saliſburgenſi.

DE VENERABILI KENEWALDO

AN.CHR. 957

EPISCOPO WIGORNIENSI.

1 Vvigornienſis ſeu Vvicciorum apud Mercios eccleſia ſub Archiepiſcopo Eboracenſi, complures tulit monaſticæ profeſſionis Antiſtites, quos inter Egvvinus, Sæculo 3. a nobis laudatus. Anno 915. Vvilfretho, qui juſſu Alfredi Regis libros Dialogorum Gregorii M. in Saxonicum idioma tranſtulit, magnæ ſanctitatis viro, uti loquitur Simeon Dunelmenſis, ſucceſſit Ethelhunus ſeu Athelhunus, quem Godvvinus Abbatem Barkleienſem vocat. Anno 924. Athelhuno ſuffectus eſt Vvilferthus. Ejus mortem ac ſucceſſorem Simeon mox laudatus deſignat his verbis. Anno 929. Hvvicciorum Epiſcopo Vvilfertho defuncto ſucceſſit Kinevvoldus. Nudum hujus nomen habet Vvillelmus Malmesburienſis kenevvaldus ſeu Keonvaldus, aliis Kinevvaldus appellatur. Id unum de eo addit Simeon poſt relatum Dunſtani ab exſilio reditum ad annum 957. Excurſo dehinc parvi ſpatii tempore, paſtor Vvigornenſis eccleſiæ Ceonvvaldus, vir magnæ humilitatis & monaſticæ profeſſionis, defungitur. Idem totidem verbis more ſuo Rogerius Hovedenus repetit. Ex quo intelligimus, Keonvvaldum monaſtica profeſſione præditum fuiſſe.

Kenevvaldus monachus.

Facta ejus.

2. Hæc me conſideratio ad geſta ejus, ſi qua ſupereſſent, indaganda excitavit. Godvvinus id unum de eo commemorat, quod eccleſiæ ſuæ contulerit Odinglejam. Anno 939. cujuſdam Vvlhelmi, Dorobornenſi Archiepiſcopo Vvlfelmo quoddam prædium concedentis, chartæ ſubſcribit Cenevvaldus Epiſcopus apud Scriptores 10. col. 2219. Idem anno 948. diplomati Edredi Merciorum Regis pro cœnobio Crulandenſi apud Ingulfum. Hæc tantum apud Anglicanos auctores de eo reperire licuit.

Iter in Alamanniam.

3. Aliud obſervatione magis dignum nobis ſuppeditat Goldaſtus in tomo 2. rerum Alamannicarum, ubi de Fratribus conſcriptis monaſterii ſancti Galli pag. 182. Sic rem narrant vetera ejus loci monumenta. Anno ab Incarnatione Domini 929. Indict. 2. keonvvald venerabilis Epiſcopus profectus ab Anglis, omnibus monaſteriis per totam Germaniam cum oblatione de argento non modica, & in idipſum a Rege Anglorum ſibi tradita, viſitatis,

in

Digitized by Google

in Idib. Octobris venit ad monaſterium ſancti Galli : quique gratiſſime a Fratribus ſuſceptus, & ejuſdem Patroni noſtri feſtivitatem cum illis celebrando, quatuor ibidem dies demoratus eſt. Secundo autem poſtquam monaſterium ingreſſus eſt, hoc eſt in ipſo depoſitionis ſancti Galli die, baſilicam intravit, & pecuniam ſecum copioſam attulit : de qua partem altario impoſuit, partem etiam utilitati Fratrum donavit. Poſt hæc eo in conventum noſtrum inducto, omnis congregatio conceſſit ei annonam unius Fratris, & eamdem orationem, quam pro quolibet de noſtris, ſive vivente, ſive vita decedente, facere ſolemus, pro illo facturum perpetualiter promiſit. Hæc ſunt autem nomina, quæ conſcribi juſſit vel rogavit. Rex Anglorum ADALSTEAN, KENOWALD Epiſcopus Wighart, Kenuun, Conrat, Keonolaf, Wundych, Keondeud. *Iidem denuo referuntur ibidem pag.* 286. AN.CHR. 958

4. *Hæc ſunt quæ de Kenewaldo diſcere potuimus, quæ huc conferre viſum eſt quoddam operæ pretium, ne ejus memoria penitus apud noſtros oblitteraretur, qui & ob magnam qua præditus fuit humilitatem commendandus, & ob ſucceſſorem ſuum ſanctiſſimum Dunſtanum, cui Epiſcopatum Vvigorniensem anno* 957. *morte ſua reſignavit, ut inferius ad acta Dunſtani oſtendemus.*

DE S. VVLFSINO EPISCOPO

AN.CHR. 958
8 Januar.

SCHIREBURNENSI IN ANGLIA.

UBI DE ALIIS EJUSDEM SEDIS EPISCOPIS,

Præſertim ASSERO & ALFWOLDO.

1. POST *Aldhelmum Schireburnenſem* * *Epiſcopum (cujus Elogium ad annum* 709. *Vitam auctore Willelmo Malmesburienſi monacho in Appendice prima Sæculi* 4. *retulimus) eidem apud Weſtſaxones eccleſiæ fuerunt* Forderus, Herevvaldus, Ethelmodus, Denefrithus, Wibertus, & Alſtanus. Hic tempore Egbrithi Regis Weſtſaxonum & Adulfi filii ejus ſimul & ultra, magnæ in ſæculo potentiæ, & ingens in conſiliis auctor fuit, *teſte eodem Willelmo in lib.* 2. *de Pontificibus Anglorum cap.* 4. Quem libenter laudarem, *inquit*, niſi quod humana cupiditate raptatus uſurpavit indebita, quando monaſterium noſtrum ſuis ſubſtravit negotiis. Vixit in epiſcopatu annis 50. *Totidem annos ei tribuit Aſſerus in libro de vita Alfredi Regis ad annum* 867. *quo ejus obitum collocat.* Illum ſubſecuti ſunt, *addit Willelmus*, Eadmundus, Ethelegus, Alſius, Aſſerus. Epiſcoporum Schireburnenſium ſeries. * Shepton.

2. *Aſſerum idem Auctor prædicat his verbis.* ASSERUS ex ſancto Devvi evocatus, non uſquequaque contemnendæ ſcientiæ fuit, qui librum Boetii de Conſolatione Philoſophiæ planioribus verbis elucidavit, illis diebus labore neceſſario, noſtris ridiculo. Sed enim juſſu Regis factum eſt, ut levius ab eodem in Anglicum transferretur ſermonem. *Eadem repetit VVillelmus in lib.* 2. *de Regibus Anglorum cap.* 4. *ubi* Aſſerionem *vocat. Alfredus fuit Rex ille, a quo in ejus familiam adſcitus, poſtea in ſedem Schireburnenſem evectus eſt Aſſerus. Adventum ſuum ad Regem deſcribit Aſſerus in libro de rebus geſtis Alfredi ad annum* 885. *ubi agens de convocatione eruditorum hominum, VVerfrithi, Plegmundi & Grimbaldi, in aulam regiam, hæc de ſe ſubdit.* His temporibus ego quoque a Rege advocatus, de occiduis & ultimis Britanniæ finibus ad Saxoniam adveni. Cumque per multa terrarum ſpatia illum adire propoſueram, uſque ad regionem dexteralium Saxonum, quæ Saxonice *Suthſeaxum* appellatur, ductoribus ejuſdem gentis comitantibus perveni, ibique illum in villa regia, quæ dicitur Dene, primitus vidi. Cum- Aſſerus an Monachus. ab Alfredo vocatus.

AN.CHR. 958 8. Januar. Cumque ab eo benigne ſuſceptus fuiſſem, inter cetera ſententiarum noſtrarum famina me obnixe rogabat, ut devoverem me ſuo ſervitio, & familiaris ei eſſem, & omnia quæ in ſiniſtrali & occidentali Sabrinæ parte habebam, pro eo relinquerem: quod etiam majori mihi remuneratione reddere pollicebatur. Reſpondi ego, me talia incaute & temerarie promittere non poſſe. Injuſtum enim mihi videbatur, illa tam ſancta loca, in quibus nutritus, & doctus, ac coronatus fueram, atque ad ultimum ordinatus, pro aliquo terreno honore & poteſtate derelinquere, niſi coactus & compulſus. Ad quod ille ait: Si nec tibi hoc ſuppetat ſubire, ſaltem dimidiam partem ſervitii tui mihi accommoda, ita ut per ſex menſes mecum fueris, & tantumdem in Britannia. Ad quod ego taliter reſpondi, nec hoc ſuaviter * & temerarie ſine conſilio meorum poſſe promittere. At vero cum illum meum ſervitium (ſed neſciebam quare) deſiderare cognoſcerem; promiſi me iterum ad eum poſt ſex menſes ſoſpite vita reverſurum, cum tali reſponſo, quod mihi & meis utile, ac ſibi placabile eſſet. *Sed cum in itinere VVintoniæ ex febri decubuiſſet* per duodecim menſes & una hebdomada, *Rex moræ impatiens*, indiluculos *ſeu indiculos*, *id eſt litteras*, *ad eum miſit*, *quibus feſtinato eum revocabat*. Diſcedente igitur infirmitate, *inquit*, ex conſilio & licentia noſtrorum omnium, pro utilitate illius ſancti loci, & omnium in eo habitantium, Regi ut promiſeram, ejus ſervitio me devovi ea conditione, ut per ſex menſes omni anno cum eo commanerem; aut, ſi ſimul poſſem ſex menſes protelare, aut etiam per vices, ut tribus menſibus in Britannia, & tribus in Saxonia commanerem, & illa adjuvarerur per rudimenta ſancti Degui in omni cauſa. Sperabant enim noſtri, minores tribulationes & injurias ex parte Heimeid Regis ſuſtinere: qui ſæpe deprædabatur illud monaſterium & parochiam ſancti Degui, aliquando expulſione illorum Antiſtitum, qui in eo præeſſent, ſicut ex nobis Archiepiſcopum propinquum meum & me expulit. *Hæc referre viſum eſt de Aſſero, quem ex monaſterio ſeu eccleſia epiſcopali ſancti Devvi eductum fuiſſe inde conſtat. Sita eſt hæc eccleſia in Pembrochienſi VValliæ Occidentalis Comitatu ad Oceanum, ſanctis Andreæ & Devio ſacra, Davidem vocant, qui Epiſcopus archiepiſcopalem ſedem ab Iſca Legionum huc tranſtulit. Utrum autem eo in loco tempore Aſſeri exſtiterint monachi, fateor mihi nondum compertum eſſe. Nihilominus Ingulfus* Askerum Abbatem Bangorenſem *vocat. Quidquid ſit, Alfredus, ut eum ſecum retineret, duo ipſi monaſteria tradidit, Amgresburienſe & Banvvillenſe: ac demum illum ad Epiſcopatum Schireburnenſem promovit. Anno* 910. *exſtinctum fuiſſe Aſſerum docet Chronologia Saxonica poſt Bedam. Unde apparet eos graviter errare, qui ejus obitum ad annum* 883. *cum Godvvino revocant. Illud in primis argumento eſt, quod Alfredus Rex, cujus vitam ſcripſit, pervenit ad annum* 900. *Quid? quod Frithcſtanus, eodem die & anno quo VVerſtanus Aſſeri in ſede Schireburnenſi ſucceſſor, anno* 910. Epiſcopatum Wintoniæ capeſſit; *ex eadem Chronologia. Ex quo intelligitur, Aſſerum non ante hunc annum obiiſſe.*

Aſſeri ſucceſſores. 3. *Ante & poſt Aſſerum valde perturbata eſt ſeries Schireburnenſium Epiſcoporum. Apud VVillelmum Aſſero ſuccedit* Sighelmus *ſeu* Svvithelmus, *poſt quem* Ethelدus, *tum* Plegmundus, *dein Archiepiſcopus Cantuarienſis, de quo ſuperius, &* Werſtanus *ab eo ordinatus*, Ethelbaldus, Alfredus, *&* Wlſinus, *de quo mox agendum eſt. Alium ordinem init Matthæus VVeſtmonaſterienſis. Plegmundo Aſſerum, Aſſero VVerſtanum ſucceſſiſſe pro comperto habeo.*

S. Wlſinus. 4. Wulfſinus, *quem alii* Wlſinum *ſeu* Wlſium *vocant, laudatur apud Joannem Capgravium, ex quo Joannes Bollandus ejus vitam refert ad Januarii diem* 8. *verum hæc vita in communes fere locos excurrit*. Sanctum Wlſinum, claris natalibus Londoniis natum, & a parentibus diligenter educatum, Domino Jeſu-Chriſto parentes obtuliſſe *dicuntur*. *Præferendus VVillelmus Malmesburienſis*. Hunc Dunſtanus Archiepiſcopus, *inquit*, cum eſſet Epiſcopus Londoniæ, Abbatem apud Vveſtmonaſterium fecerat, inſtructo ad duodecim

Margin note: * f. leviter

cim monachos cœnobiolo in loco, ubi quondam Mellitus eccleſiam ſancto Petro fecerat. Ita commiſſum ſancte & prudenter adminiſtranti honos epiſcopalis apud Schireburniam impactus *ſub annum* 940. AN.CHR 958 8.Januar.

5. *Recens ordinato Vulſſino epiſtolam ſcripſit Dunſtanus, piis monitis refertam, & antehac quidem ineditam. Hanc in ipſius Dunſtani Pontificali ſecunda manu præmiſſam ex ipſo codice, qui modo eſt penes eruditiſſimum Antonium Faurum Doctorem ac ſocium Sorbonicum, eruimus prout ſequitur.*

D. Dei (gratia) Archiepiſcopus fideli amico Vulſſino Epiſcopo æternæ ſoſpitatis & pacis in Domino Deo ſalutem. Gratias agamus Deo, qui nos indignos & ultimos ſervorum ſuorum præordinavit ad regimen ſuæ ſanctæ Eccleſiæ in tam periculoſis & laborioſiſſimis temporibus. Et nunc in commune deprecemur omnipotentis Dei clementiam, ut ille nos adjuvet in omni opere bono. Et tu, chariſſime frater, viriliter fac, & fortiter opus Domini quod habes in manibus, perfice ad mercedem animæ noſtræ & ad ſalutem multarum animarum. Non ceſſet lingua tua in prædicando, non pes tuus circumeundo gregem tibi commiſſum, non manus tua a laborando, ut eleemoſynæ fiant per te, ut ſancta Dei ubique exaltetur Eccleſia. Eſto forma ſalutis omnium, in te ſit exemplum converſationis ſanctiſſimæ, in te ſit ſolatium miſerorum, in te confortatio dubitantium, in te diſciplinæ rigor, in te veritatis fiducia, in te totius bonitatis ſpes. Non te ſæculi pompa exaltet, non ciborum luxus enervet, non veſtimentorum vanitas emolliat, non adulantium lingua decipiat, non detrahentium adverſitas conturbet, non triſtia frangant, non læta elevent: non ſis arundo vento agitata, non flos auræ tempeſtatis decidens, non paries ruinoſa, non domus ſuper arenam poſita, ſed templum eſto Dei vivi ſuper firmam petram conſtructum, cujus ipſe ſit Spiritus paraclitus inhabitator. Mitem te & humilem ad meliores oſtende, durum & rigidum ad ſuperbos, omnia omnibus factus, ut omnes lucrari poſſis; habeas in manibus tuis mel & abſinthium, quicquid cui placeat edat ex illis: cui de pia prædicatione veſci libeat, accipiat mel; qui dura invectione indigeat, bibat ex abſinthio, ita tamen ut liceat ei mel veniæ ſperare, ſi roſea confeſſio pœnitentiæ præcedat: omnia veſtra honeſta cum ordine fiant. Tempus ſtatuatur lectioni, & oratio ſuas habeat horas, & Miſſarum ſollemnia proprio tempore conveniant. Qui diem ſapit, Domino ſapiat. Sit modeſta in conviviis lætitia, ſit caſta in jejuniis perceptio: lavetur pœnitentia facies, unguatur oleo miſericordiæ caput, ut omnia acceptabilia fiant Domino Deo, qui te elegit ſibi ſacerdotem. Ducem ammone & omnes ſæculares principes, ut pietatem & miſericordiam in judiciis conſervent, munditiam cordis & corporis ſemper diligant, quia Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt. Eccleſiam Chriſti defendant, ut eorum adjutor ac defenſor fiat Dominus Eccleſiæ. Viduis & pupillis miſericordes, ut illorum miſereatur Deus; & in omnes homines mites & benigni, populum Dei congregantes & non diſpergentes, pacem inter ſe habentes, quia Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur. Et tu, chariſſime frater, ante oculos cordis ſemper habeto timorem Dei & amorem, & liber Paſtoralis beati Gregorii patris, ubi Dei rectorum ſubjectorumque vita diligentius diſcernitur, ſæpius ante te legatur, & noſtri memoriam nominis habeto in tuis ſanctis orationibus, ut Dei omnipotentis miſericordia nos defendat, regat atque cuſtodiat, ſicut vos velle credo, ut in dilectione Dei & voluntate curſum agamus vitæ noſtræ. Et ſuperfluum non æſtimes, nec arrogantiæ, ut vos ammonerem; ſed intimo caritatis affectu ſuſcipite, quia urbs firma frater qui a fratre juvatur. Te Deus omnipotens ſalvum conſervet in ævum.

Hactenus epiſtola, quæ Dunſtani Pontificali egregio (ut jam diximus) præmittitur abſque nomine auctoris: ſed quam Dunſtani eſſe aliunde manifeſtum eſt. Unde indubitanter Dunſtani nomen ei propoſuimus prima dumtaxat littera deſi-

AN.CHR. 958 8. Januar. *deſignatum, uti apud veteres in uſu erat. Pergit Vvillelmus Malmesburienſis de Vvlſſino.*

6. Qui confeſtim in ſede epiſcopali Monachos clericis ejectis inſtituit, ne in tanta contemporaneorum Epiſcoporum ſedulitate dormitare videretur. Cœnobitis nihil ad victus neceſſitatem ex Epiſcopatu largitus, ſed ex alieno mercatus, Abbatem quoque inſtituere cogitavit. Illis reclamantibus, quod ejus dulci dominatione, dum adviverent, carere nequirent, ceſſit invitus, palamque pronuntians, magnarum id calamitatum initium ſucceſſoribus eorum fore. Cujus ſanctitatis documentum cum in vita ſæpe, tum in morte præcipue manifeſtatum eſt. Namque cum jam proxime mortis januas urgeret, apertis mentis oculis exclamavit in cantum: *Ecce video cælos apertos, & Jeſum ſtantem a dextris Dei.* Quo cantu ſine titubantia expreſſo, inter cantandum defungitur. Sancta & venerabilis anima, quæ dictum primi & beatiſſimi Martyris mutuari potuit! Beata quæ cælum apertum vidit, & introire meruit. Servatur ibi adhuc baculus ejus, & quædam alia Pontificis inſignia, mediocritatis & humilitatis ejus vivum (ut ita dicam) ſimulacrum præferentia. *Ejus obitum Godvvinus illigat anno* 958. *Martyrologium Anglicanum* 26. *Septembris eum laudat ſub titulo* Abbatis, *uti & Ferrarius*: *Menardus* Epiſcopum & Confeſſorem *rectius vocat* 6. *Idus Januarii, quem diem ejus vitæ ſcriptor aſſignat apud Bollandum. Quod in Monachorum ſtipendia præſtitit apud Schireburniam Vvlſſinus, idem apud Norvvicum fecit Herebertus, cognomento Loſinga, ex Priore Fiſcamni & Abbate Rameſcjæ creatus Epiſcopus: qui cum apud Norvvicum* Monachorum congregationem numero & religione percelebrem inſtituiſſet, omnia iis neceſſaria ſumptu mercatus eſt domeſtico; providens ſcilicet ſucceſſorum querelæ, nullas de Epiſcopio terras Monachis largitus eſt, *referente Vvillelmo in lib.* 2. *de Pontificibus Anglorum cap.* 2.

Alfvvoldus. 7. *Idem auctor cap.* 4. *poſt Vvlſſinum recenſet in ſede Schireburnenſi* Alfvvoldum. *Is Vvlſſini frater erat,* ex monacho Vvintonienſi Epiſcopus, qui apud Schireburniam imaginem ſanctiſſimi Svvithuni collocavit, facem venerationis extulit. Conſtat eum reverendiſſimæ vitæ fuiſſe, & inter profuſiſſimos conviviorum apparatus, qui tunc in Anglia a Danorum temporibus exhibebantur, catino ligneo, ſine ullo unctiori cibo, & pocillo exiguo aqua ſuperfuſa, ut omnis ſapor cerviſiæ dilueretur, ſemper uſum. Audivi ego bonæ fidei Presbyterum, & jam canis ſparſum, bona ejus lacrymabili gaudio referentem: quorum illud non excidit, nullum umquam vel ante, vel poſt obitum ejus, impune potuiſſe ſedem ejus dormitando premere, quin ſtatim tetris imaginibus territus reſiliret, increpantibus, cur ſedem Epiſcopi uſurparet indignus. Id multis nonnullo fuiſſe ſpectaculo. Surrexerat inter eum & Godvvinum Comitem ſimultas anxia: qua de cauſa, incertum mihi. Die placito dicta, cum res non ad pacem, ſed ad litigium procederet, diſceſſit Epiſcopus poſt altercationem, has minas in Comitem jaculatus: Per dominam meam ſanctam Mariam male tibi erit quod contriſtaſti me. Domum ergo reverſus, vix pedem terræ appoſuerat, equitaturam peditatu commutans, cum ecce ſatelles Comitis advenit, equo admiſſo & pulſu ilium curſus celeritatem prodente. Rogare ille miſerabiliter genibus flexis affuſus ut redeat: dominum ſuum ſtatim poſt ejus abſceſſum æſtuare corde, vix lingua palpitare. Tum inquit Epiſcopus, nondum ſedata ira: Per dominam meam ſanctam Mariam væ ſibi erit. Sed unanimi orantium preces inflexus, delicti gratiam fecit, benedictionem dedit, ægrum reparavit. *Addit Vvillelmus, eum propenſi cultus in ſanctum Cuthbertum fuiſſe, cujus gratia Dunelmum profectus,* revulſo ſepulcri operculo, cum eo quaſi cum amico fideliter collocutus, xeniolum in perpetui amoris pignus depoſuit, & abiit. Jam vero fatali puncto inſtante, antiphonam de ſancto Cuthberto quam vivens dicere ſolebat, quamdiu vox ſuffecit, cantitans, ſermone præcluſo, ut dicerent ceteri, manu innuit. Ita indicium amoris,

Digitized by Google

ris, quem in ſanctum habebat, cum extremo efflatu emiſit, *ſub annum* 978. AN.CHR. 958 8. Januar.

8. *Nuda tantum ejus ſucceſſorum nomina habemus uſque ad* Elſtanum, *qui quinto loco ſedit in eccleſia Vuiltunenſi, quæ poſt Alſvvoldum cum Salesberienſi iterum juncta eſt. Elſtanus Monachus fuit Abendonienſis; & poſt Siricium atque Alfricum octavus ſedit* Britvvoldus *Monachus Glaſtonienſis. Sed iſti pertinent ad ſæculum ſequens.*

DE S. EBERHARDO PRIMO

AN.CHR. 958 14. Auguſt.

ABBATE MONASTERII EINSIDLENSIS.

ubi de ALARICO piiſſimo Eremita.

1. EBERHARDI *vitam nemo veterum, opinor, litteris mandavit. Certe neque Chriſtophorus Hartmannus in ſuis Annalibus Eremi Deiparæ matris ſeu Einſidlenſis monaſterii, neque Franciſcus Guillimannus in Epiſcopis Argentinenſibus, tametſi de ſancto Eberhardo diſerte tractant, ullam veteris ejus vitæ mentionem faciunt. Primus e noſtris poſt Hermannum Trithemius virum ſanctum celebravit: nos, quoad fieri licet, noſtro hac in re officio non deerimus.* Eberhardi vita an ſcripta.

2. *Atque, ne hic quæ de Meginradi-cellæ ſeu monaſterii Einſidlenſis variis nominibus & origine ſuperius tum in actis ſancti Meginradi tomo proximo, tum hic de ſancto Bennone ad annum* 940. *diximus, repetantur; ab ipſius Eberhardi vita ſæculari exordium ducendum eſt.* Vir illuſtris *appellatur ab Ottone M. Imperatore in diplomate anni* 965. *pro Meginradi-cella. Id facile ſuadet Præpoſiti dignitas, quam in Argentinenſi * prænobili eccleſia ante ſeceſſum obtinebat. Hermannus vulgatus hunc ſeceſſum revocat ad annum* 934. Eberhardus Argentinenſis Præpoſitus proximus incola Cellæ-Meginradi venit. *Audiendus hoc loco Guillimannus in Ruthardo* 34. *Epiſcopo Argentinenſi, ſub quo id contigit.* Eberhardus illuſtris Canonicus. * de Straſbourg.

„ *Eberhardus Præpoſitus Argentinenſis, clara & opulenta familia, ſocios aliquammultos colligit, & cum eis ad Cellam ſancti Meginradi, quam Benno quondam, & ipſe Argentinenſis Canonicus, ut ſupra oſtendimus, multis partibus reſtituerat, auxerat, & celebrarat, ſe contulit; magnoque apparatu, cura, & artificum, quos ſecum adduxerat, copia & induſtria, novum monaſterium condere inſtituit. Ac primo quidem ab Hermanno Allemanniæ Duce, propinquo & conſanguineo ſuo (ſunt qui fratres fuiſſe putent, haud improbabiliter) flagitavit, ut totam eam ſolitudinem & montem redimeret a Comitibus Raperſvillanis, in quorum Comitatu erant ea omnia, tum vero ſuam uti opem, & favorem una conjungeret, & quocumque poſſet modo cœpta & deſtinata adjutaret, promoveret, & tueretur. Cum omnia Dux Hermannus promiſiſſet, tum vero Eberhardus ædem novam multo ampliorem & auguſtiorem in honorem Deiparæ Matris, ſancti Mauricii, & ſociorum exſtruere cœpit.* Monaſterium condit.

In ea ſacellum ab Meginrado ab initio ædificatum incluſit, illudque integrum & illibatum ſervavit. In hac ſancta ædicula non ſemel ſacra fecimus ſub finem Julii anni 1683. *cum in Germaniam rei litterariæ gratia profecti ſumus ego ſociuſque noſter Michael Germanus: ubi cum omni humanitate ab illuſtriſſimo Abbate ac Principe Auguſtino, ceteriſque religioſiſſimæ vitæ aſcetis excepti, multa inde præclara in uſum ſtudiorum noſtrorum retulimus.*

3. *Conſtructis ad eccleſiam monachorum ædificiis, loci immunitati conſultum voluit Eberhardus, atque rogante Hermanno Duce ab Ottone M. privilegium impetravit in hæc verba:* Privilegium obtinet ab Ottone.

AN.CHR 958 24. Auguſt.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, OTTO divina auxiliante clementia Rex. Noverit omnium fidelium noſtrorum, præſentium ſcilicet & futurorum ſollertia, qualiter HERMANNUS dux deprecatus eſt noſtram clementiam, quatenus pro Dei amore, loco qui vocatur Mehinrates-cella, ei a quibuſdam ſuis fidelibus in proprietate tradito, ubi domnus EBERHARDUS eremita eccleſiam in honorem ſanctæ Mariæ, & ſancti Mauricii, ceterorumque Sanctorum Dei, ipſiuſque adjutorio, a fundamentis ædificavit, & cetera ædificia monachis ad habitandum conſtruxit, quem & modo ille nobiliter regit, & monachis præeſt Deo ibi ſub regulari diſciplina militantibus, privilegium noſtræ auctoritatis, atque immunitatem, quam & ceteris monaſteriis conceſſam habemus, electionemque concederemus. Cujus petitionem benigne ſuſcipientes, ob amorem Domini noſtri Jeſu-Chriſti, noſtræque mercedis augmentum, juſſimus hoc auctoritatis atque immunitatis privilegium conſcribi, per quod volumus, firmiterque jubemus, ut poſt obitum venerabilis præfati Abbatis Eberhardi, monachi ejus qui ſupervixerint, monachicamque vitam, Deo auctore, in præfata Cella obſervaverint, ac illorum ſucceſſores amodo & deinceps firmiſſimam teneant poteſtatem eligendi quemcunque inter eos Abbatem voluerint: & ut nullus in judiciaria poteſtate conſtitutus, aliquam ſuper eos exerceat poteſtatem, vel ſuper eorum cauſas, ſeu ſuper familias intus, vel foris conceſſas: ſed ejuſdem cellulæ Abbas poteſtative cum ſuis monachis ad illorum neceſſarios uſus firmiter poſſideat abſque ullius contradictione; & ſub noſtra defenſione & immunitatis tuitione res illorum perpetualiter permaneant ad illorum, ut ſupra diximus, neceſſarios uſus. Et ut hæc auctoritas hujus immunitatis & confirmationis noſtræ firmior habeatur, & per futura tempora a fidelibus noſtris verius credatur, & diligentius obſervetur, manu propria ſubter eam confirmavimus, & anulo noſtro ſigillari juſſimus.

Signum Domini OTTONIS invictiſſimi regis.

Brun Cancellarius ad vicem Fridurici Archicapellani recogovit.

Data 6. Kal. Novemb. anno Dominicæ Incarnationis 956. Indict. 4. regnante domino Rege Ottone anno 12. Actum Franconefurt in Dei nomine feliciter, amen.

an Abbas. *Hactenus diploma ex Guillimanno & Hartmanno acceptum, in quo cum Eberhardus diſerte* Abbas *appelletur, mirum eſt* Thietlandum primum Abbatem loci *dici in vulgatis Hermanni Contracti libris ad annum* 945. *Sed fortaſſe id ita intelligendum eſt, ut Eberhardus non tam Abbas, quam loci inſtitutor cenſendus ſit; Thietlandus primus a conceſſione privilegii Abbas ſollemni electione creatus. Dicta porro eſt* Cella ad Eremitas, *quod primo Eremitarum more locum incoluerint Meginradus, deinde Benno, poſtremo Eberhardus, qui multiplicatis diſcipulis monaſterium ex eremitorio fecit, tametſi aliquanto poſt tempore primum nomen retinuit. Et ſicut a Meginrado* Meginradi-cella: *ſic ab Eberhardo* Eberharteſcella *nuncupata eſt ab Ottone M. in diplomate ad Gregorium Abbatem. Hartmannus aliud profert Ottonis diploma, datum* anno 948. *quo diplomate* admonitione ac ſuggeſtione filii ſui Liutholfi ac Herimanni Ducis, *quaſdam res juris ſui in Comitatu ejuſdem Ducis,* in villa Quadravedes nominata, *tradit* ſanctæ Dei genitrici Mariæ & ſancto Mauricio martyri, ac ceteris ſanctis, quorum juge obſequium in ſilva & in loco Meginrates-cella ab Eberhardo eremita cum ceteris fratribus monaſtica religione celebratur.

a S.Udalrico inviſitur 4. *Paullo ante ſuum ipſius obitum Eberhardus in Cellam ſuam hoſpitio excepit ſanctum Udalricum Epiſcopum Auguſtanum, in cujus vita hæc leguntur num.* 50. *infra.* Inde ad Cellam ſancti Meginradi perrexit ad videndum ſervum Dei ſanctum Eberhardum, ejuſque neceſſitatibus ſibique ſubjectis monachis ſubveniendum in quibuſcumque potuit eorum cognoſcere voluntatem. Ultima vero vice Eberhardo vivente, cum inde recedere debuiſſet; expleta multimodæ amabilitatis locutione, acceptoque cum orationibus in eccleſia permiſſo, ad vehiculum ſuæ reportationis egreſſus eſt. Cumque paratus eſſet ad pergen-

Digitized by Google

gendum, & eo die ſanctum Eberhardum amplius videre non putaret; ſubito poſt eum quaſi feſtinando veniebat, & oſcula charitatis iterans, cum flebilibus oculis ajebat: Ex hac hora ultra me non videbis, donec exempti corporibus in præſentia Dei nos videre merebimur. Cujus verbis reſpondens Epiſcopus dixit: Dulciſſimæ Pater, nunc ſcis me certe cito de hoc ſæculo eſſe migraturum. Cui ille reſpondit: Finis adhuc vitæ tuæ tibi non imminet: verba autem quæ tibi nunc dixi, vera eſſe non dubites. His verbis expletis, Epiſcopus remeavit: & antequam iterum eamdem Cellam reviſitaret, Eberhardus feliciter migravit a ſæculo. *Ita Anonymus, ex quo Berno & Tritbemius idem mutuati ſunt. Neſcio an hac ipſa vice (nam locum paſſim inviſere ſolebat) Udalricus Eremitorio conceſſit ſancti Mauricii brachium argento incluſum, gemmiſque a ſe ornatum, quod a Præpoſito monaſterii Agaunenſis auctoritate Manfredi Sedunenſis Epiſcopi dono acceperat.* AN.CHR. 958 14. Auguſt. Mortem ſuam prædicit.

5. *Denique anno* 958., *ut habet vulgatus Hermannus apud Caniſium*, Eberhardus Argentinenſis Præpoſitus cum magno apparatu in Cellam Meginradi veniens, ibique regularem vitam inſtituens, poſt ejus introitum vigeſimo quinto anno ad Dominum migravit. *In brevibus tamen loci Annalibus* anno 957. Eberhardus Pater obiiſſe *perbibetur. Dies non uſquequaque certus. Nam Einſidlenſes tabulæ veteres, aliæ habent* 19. Kal. Septembris, *aliæ* 11. Kal. ejuſdem menſis *apud Hartmannum. In veteri Kalendario Einſidlenſi, in quo præter ſanctos etiam alii mortui inſeruntur, ita legimus*: 19. Kal. Septemb. dormitio Eberhardi eremitæ. *Non ergo Idibus Auguſti, ut in Martyrologio Wionis & Menardi*. Sepultus eſt ante Sacellum Deiparæ prope Bennonem. *Eum* ſanctum *vocat Anonymus ſupra laudatus in Actis ſancti Udalrici, non multo poſt ejus obitum.* Obitus ejus & cultus.

6. *Inter ejus diſcipulos præcipuos cenſendi ſunt* THIETLANDUS, *quem primum loci Abbatem, &* GREGORIUS, *quem ſecundum ponunt vulgata Hermanni exempla, De Gregorio infra. In antiquioribus Hermanni exemplaribus mſſ. nulla fit mentio de rebus ad Einſidlenſes pertinentibus, ſic vero in ſubſequentibus ab annis circiter quadringentis: quorum in uno pro eo quod in vulgatis legitur*, Thiethlandus Patuen. primus Abbas loci, *rectius habetur adſcriptum*, Thietlandus Pater venerabilis. *Cenſendum etiam inter Eberhardi diſcipulos Adamus quidam vir præpotens, qui læſæ majeſtatis reus ad eum ſe recepit, ab Ottone in gratiam ob id reſtitutus, ut fidem facit Ottonis diploma apud Hartmannum, ubi hæc verba*. Noverit omnium fidelium noſtrorum tam præſentium, quam etiam futurorum ſagacitas, qualiter nos pro remedio animæ noſtræ, vel etiam dilectiſſimæ conjugis noſtræ beatæ memoriæ ETGIDIS, quaſdam res proprietatis noſtræ judicio Scabineorum pro cujuſdam viri commiſſu, nomine Adam, modo vero Dei famuli, noſtræ regalitati jure fiſcatas, denuo eidem in proprium conceſſimus, legem etiam vitamque ſuam pro æternæ remunerationis præmio perdonavimus... Data Kal. Jan. anno Domini 949. *Aliud haud abſimile Ottonis ejuſdem diploma de Gundramno Comite producit Hartmannus, ex quo etiam hæc delibare juvat*. Noverint omnes fideles noſtri præſentes ſcilicet & futuri, qualiter nos per interventum dilecti filii noſtri LUTOLFI, animæque noſtræ remedio concedimus atque offerimus eccleſiæ ſanctæ Dei-genitricis Mariæ, quæ conſtructa eſt in loco, qui dicitur Meginrates-cella, & ibi Deo ſervientibus Heremitis, quemdam locum Lielah nominatum, qui nobis de rebus Gundramni populari judicio in regiam rectamque venit veſtituram...ea videlicet ratione, quatenus ſervi Dei in loco prælibato converſantes, jam prædictum prædium, quod conſtat eſſe in pago Briſachovve, in Comitatu filii noſtri Lutolfi, per ſuccedentia temporum curricula ſecure & quiete fruantur...Data 5. Idus Auguſti, anno vero Dominicæ Inc. 952., Indict. 10. Diſcipuli.

7. *Sed inter Eberhardi diſcipulos non prætermittendus* Alaricus, *Regulindæ Duciſſæ filius, qui relicta ſæculi pompa in inſulam Ufnaugiam * cum paucis ſe contulit, deinde ea relicta ſeceſſit ad Meginradi-cellam*. Regulinda Alaricus. * Vfnavv

Digitized by Google

AN.CRH. 958 24. Auguſt. da *vero ejus mater, altero marito Hermanno Alamanniæ Duce vidua, in eadem inſula Deo ſe conſecravit, conſtructo Oratorio in honorem ſancti Martini; ibique quidquid vitæ reliquum fuit, pientiſſime traduxit. Morti proxima res ſuas Alarico filio ejuſque monaſterio contulit, ibidem ſepulta non ſine ſanctitatis opinione. Haud multo poſt, relicto cuſtodis officio, inquit Hartmannus, ad eamdem inſulam Adalricus rediit, ſive ut majorem baſilicam a matre inceptam abſolveret, aut (quod magis veri ſimile) ſolitudinis majoris deſiderio & amore. Hic eſt Alaricus ille, quem Hepidannus in libro de vita ſanctæ Vviboradæ cap.* 16. *inducit ita loquentem.* Ego Alaricus minimus ſervorum Chriſti, decrevi me pro ejus nomine in quadam inſula Turicini * lacus ſolitarium perſiſtere. Ergo me inibi conſiſtente quadam nocte angelico affatu hujuſcemodi verbis admonitus ſum. In monaſterio ſancti Galli, cella quadam in montibus conſtructa, ſcias quamdam virginem Deo conſecratam in ejus ſervitio fideliter perdurantem. Ad hanc fidelem legatum iſta mandata portantem dirigas. Unaquæque arbor, ſive fructuoſa, vel infructuoſa, dum viva terra radix tegitur, in viriditate poterit permanere, & fructibus vel frondibus ſe obducere. At ſi terram, quæ foveat, abeſſe contingat, nudata radice neceſſe eſt ut arbor areſcat. Quapropter a Deo admonita parcas tibi aliquid de nimia abſtinentia, quatinus aridum corpus plus aliquid ſolito reficiens, ejus ſervitio & laudibus plenius inſiſtere prævaleas. *Hæc monita ad Vviboradam, cujus acta ſuperius dedimus, perferenda cælitus accepit Alaricus. Deinde Hepidannus Alaricum ſic affatur.* Magnam ſane oſtendis, Alarice, virginis parſimoniam, cum Deum prædicas huic allegaſſe temperantiam. Nam labores Pauli, regyratio Laurentii oſtendunt eum poſſe pati, electos ſuos multum probari. Sed & tibi non deſunt teſtes, & bis refici juſſus Propheta ſub junipero, & turba Dominum triduo ſuſtinens, poſtremo univerſitas cui educitur panis de terra, ne ei in itinere hujus deſint viatica. Quid ſi & illud miraculum in teſtimonium ſumatur? Noſti cum prædictus a te lacus in tantum proluit, ut plurimi dies tranſirent, quam navigando eum nullus intrare auderet; & cum tu jam pæne fame conſumptus, ad orationem confugeres, perſona quædam tibi apparens, panem vinumque capiti tuo imminere indicavit: quibus refocillatus convaluiſti tuo, Frater, arbitratu. Nam ſcientia veritatis terret Alaricum huic teſtimonio refragrari: imperfectio vero meritorum diſſuadet eum hæc affirmando prædicare. Tuum enim eſt potius hæc annuntiare, maxime cum ad gloriam Vviboradæ tuæ non parum ſint reſpicientia. *Hactenus Hepidannus; ex quo quantæ modeſtiæ, quantique meriti fuerit Alaricus, diſcimus. Mortuus eſt Alaricus ſub annum* 973. *die feſto ſancti Michaelis, teſtante Hartmanno, in ſua Vfnaugienſi inſula, ſepultus in æde, quam ejus mater in honorem beatæ Mariæ incboarat, ipſe perfecerat. Fuerat monaſterii cuſtos: itaque vitam inſtituit, ut viventis defunctique ſanctitudinem frequentibus tunc, uti nunc quoque, miraculis teſtatam voluerit velitque Deus. Ex ejus hereditate magnæ ad Eremitas poſſeſſiones pervenerunt, ut non modo inter Divos tutelares monaſterii, ſed fundatores quoque numerari debeat. Ita fere Hartmannus. In Ufnaugiæ inſula hactenus Einſidlenſis Abbatiæ Præpoſitura eſt, duarum horarum intervallo diſtans a monaſterio, in lacu Turicino.*

*de Zurich

Oraculum perfert ad Vviboradam,

& cælitus paſcitur.

Hartman. pag. 83.

Digitized by Google

DE TRANSLATIONE S. PATERNI MONACHI ET MARTYRIS IN MONASTERIUM BRAJACENSE AD SEQUANAM.

ANTE CHR. 958

1. *ACTA hujus ſancti Paterni exſtant in Sæculi 3. parte 1. pag. 463. quorum in fine actum eſt de translatione ejus reliquiarum in Cellam Brajacenſem * ad Sequanam, diœceſis Senonenſis, prout eam refert Clarius monachus cœnobii ſancti Petri Vivi. Inſtituto noſtro ſufficiebat brevis illa narratio: ſed quia poſtea in manus noſtras incidit ejus rei diploma Lotharii Francorum Regis, iſtud hoc loco exhibere viſum eſt ad majorem facti illuſtrationem. Sic autem habet diploma, ex ipſo autographo (quod modo eſt penes V. C. Robertum Humbertum, eccleſiæ ſancti Aniani apud Aurelianos Præcentorem) erutum a noſtro Stephanotio.*

* Bray.

LOtharius Dei gratia Francorum Rex. Notum fieri volumus fidelibus noſtris, quod Burchardus miles, filius Alberici Ducis, adiit ſerenitatem noſtram obſecrans, ut quoddam monaſterium, quod ipſe conſtituerat de conſenſu Hildegardis uxoris ejus, & de conſilio Theobaldi domini de Centumliis fratris ejus, ſuper Sequanam fluvium, prope Brajacum in honore Domini Salvatoris, ad collocandum, ſervandum, & colendum corpora ſanctorum Paterni martyris & Pavatii Confeſſoris, quod ultimum corpus ex Anglia attulit cum aliquibus religioſis, quos avunculus ejus Rex Ædredus ei dederat de cœnobio de Perſora, ut ſtabilirentur & ſervirent Deo in dicto monaſterio ſub profeſſione Regulæ ſancti Benedicti: & nos in perpetuum ſtabile & firmum fore concederemus, & noſtræ majeſtatis vigore corroboraremus, quæcumque eidem loco largiebatur de bonis ſuis ſive advocatione. Cujus petitioni annuendo, præfatum monaſterium in poſterum ſtabile fore ſtatuimus, firmando quoque conceſſimus, idipſum poſtulante Domno Hilderamno Senonenſi Archiepiſcopo, ut locus ipſe deinceps ſolutus ſit & quietus. Quæcumque vero a præfato Burchardo eidem loco donata ſunt, villam videlicet Brajacus & duos molendinos apud villam, quæ dicitur Monſmorencius, & ſervos, & ancillas, & cetera omnia monachi quiete poſſideant ſine advocatione.

Ego Guido Cancellarius ad vicem Artoldi Archicancellarii regii ſcripſi.

Datum in palatio Laucduni Clavati apud monaſterium ſancti Joannis, 10. Decembris, anno 5. regnante Lothario Rege glorioſiſſimo.

2. *Hactenus Lotharii diploma, cui affixum eſt ſigillum cum imagine Regis in ſolio ſedentis. Monaſterium Perſorenſe in Anglia, ex quo educti monachi Brajacenſes, ſitum erat in agro Vvigornienſi. Fundatum eſt ab Oſvvaldo Athelredi Regis nepote ſub annum 680. reſtitutum ſæculo 10. primuſque a reſtitutione loco præfectus eſt* Foldbrithus *Abbas, de quo in vita prima ſancti Oſvvaldi Epiſcopi Vvigornienſis inferius, num. 8. ubi* Fudbertus *appellatur, a Pitſeo* Fuldebertus. *Anno 1259. dum poſt combuſtionem anni 1223. eccleſia nova reſtitueretur, in capella ſanctæ Mariæ* oſſa Oddæ Comitis, qui Ædvvinus vocatus in Baptiſmo, *ibidem* monachus effectus eſt, *ſepultuſque anno* 1056. inventa ſunt in craſtino ſanctæ Barbaræ virginis. *Eodem die ac ſequente,*

Perſorenſe monaſterium.

Folberthus Abbas.

AN.CHR. 958 *quente*, inventa ſunt etiam in alio plumbo oſſa venerabilis Patris Folbrithi primi quondam Abbatis Perſoræ, qui, ut ſcripta tradunt in vita ſancti Oſvvaldi Epiſcopi Vvigorniæ, cum hujus Folbrithi corpus examine componeretur in feretro, adſtantibus qui exſequiis invigilabant, revixit & erexit ſe: cujus a quodam in verbo Domini conjurato ſpiritu, ut ſi ex Deo eſſet, novitatem facti & reverſionis cauſam aperiret, inquit defunctus: Acturus gratias beato Oſvvaldo redii, cujus dignitas meritorum in conſpectu Domini mihi veniam impetravit delictorum: nam a beato Benedicto in viſionem Dei perductus, cum mihi trepidaret conſcientia, accuſaret vita; accepi a Domino pro meritis Oſvvaldi immunitatem pœnæ, ſecuritatem ſalutis. Quibus dictis, extemplo ſiluit, & accepto Viatico Dominici corporis, dimidium diem ſupervixit: ſicque iterato obitu obdormivit in Domino prid. Idus Auguſti. *Hæc ex Monaſtico Anglicano, quæ aliis verbis in actis Oſvvaldi referuntur. Ab iſto Abbate accepti ſunt Monachi, quos Burchardus Brajacum tranſtulit regnante apud Anglos Edredo Rege, quem Burchardus avunculum ſuum dicit. Datum eſt diploma anno quinto Lotharii, id eſt anno 958. principatu Edvvii Anglorum Regis: ſcriptum ſub Artoldo Archicancellario, Remorum Archiepiſcopo, qui anno 962. Odalricum habuit & epiſcopalis dignitatis, & Cancellariæ ſucceſſorem.*

3. Occaſione loci, temporis, & perſonæ, ſcilicet Burchardi, hoc loco referre juvat litteras Adelelmi ejus conſanguinei, datas in gratiam cœnobii Floriacenſis in hæc verba.

Adelelmi Militis charta.

OMnipotens Dei miſericordia plurimum voluit humani generis, *&c.* Ideo ego Adelelmus Miles promptiſſima devotione offero Domino Salvatori noſtro, ejuſque eximio Confeſſori Patrique Monachorum beato ſcilicet Benedicto, inſignem crucem argenteam vultu noſtri Salvatoris, qualiter pro noſtris reatibus in ea in impietate Judæorum appenſus fuit, inſculptam. Quin etiam dono ad illuminationem ejuſdem vivificæ venerandæque Crucis quoddam juris mei prædium, in pago Senonico ſitum, vocabulo Villaris * dictum, cum eccleſia honori beatæ Mariæ dicata, cum terris quæſitis & adquirendis, & mancipiis utriuſque ſexus, ſilva quoque & pratis, aquis aquarumve meatibus, pro remedio animæ meæ, & ſenioris mei incliti Francorum Ducis Hugonis; quin & pro genitore meo Rotberto, & genitrice mea, nomine Bertha, & pro Burchardo ſeu & aliis parentibus meis ... Et ut hæc charta certior habeatur, & in poſterum inconvulſa teneatur, manibus eam propriis ſubterfirmavi, ac ſeniorem meum inclitum Ducem Francorum Hugonem, ac Burchardum conſobrinum meum, pluresque alios nobiles precatus ſum corroborare. Actum Pariſii in nobilium conventu publico. Sancti Adelelmi & Burchardi, qui hanc donationem fecerunt. S. Hugonis Ducis Francorum. S. Odonis Comitis. S. Alberici. S. Emmonis. S. Droconis. S. Anſelmi. S. Gualterii. S. Ervæi. S. Gauzberti. S. Rotroci. S. Adelæ Comitiſſæ. S. Milonis Comitis filii ejus. Data 6. Id. Septemb. anno 21. glorioſi Regis Lotharii, Indict. 3.

* Villiers S. Benoiſt.

Anno 975.

DE

DE VENERABILI ALAWICO

AN. CHR. 958

ABBATE AUGIENSI APUD ALAMANNOS.

1. Celebre eſt in Alamannia, diœceſi Conſtantienſi, *Augienſe monaſterium ad Rhenum, cujus non ſemel in ſuperioribus tomis mentionem fecimus, nempe in Sæculi 3. parte 2. ubi de ſancto Pirminio primo iſtius cœnobii auctore, tum in Sæculi 4. parte 1. ubi viſio Wetini ejuſdem loci monachi relata eſt, atque in parte 2. ad acta ſancti Meginradi Eremitæ. Floruerunt ibidem non modo virtus & pietas, ſed etiam ſtudia litterarum, quas iſtic ſæculo* 9. *excoluerunt* Hetto, *dein Abbas, poſt Epiſcopus Baſileenſis;* Erbaldus, *ipſius in cœnobiali regimine ſucceſſor; (ſub quo* Meginradus *litteras docuit in cella quadam monaſterii ad lacum Turicinum:)* Wettinus *monachus, Grimaldi archicapellani germanus;* Tutto *ſeu Tatto, quem* Walafridus Strabus, *litteris etiam ibidem clarus, præceptorem ſe habuiſſe gloriatur, mortuus eſt anno* 849. *Walafridus Abbas: ſed qui poſt eum litteras docuerit, non ſatis compertum ex Hermanno Contracto, qui præcipuum iſtius monaſterii ſæculo* 11. *exſtitit ornamentum. Sub Rudhone ſeu Rudolfo Abbate* 16. *anno* 884. Ratholfus Veronenſis Epiſcopus obiit, qui ſui nominis Cellam * juxta Augienſem inſulam conſtruxit, *teſte Hermanno: ex quo item diſcimus, Carolum Imperatorem, cognomento Craſſum, Augiæ* juxta altare ſanctæ Mariæ *ſepultum fuiſſe. Rudolfo Abbati* Hatto ſucceſſit *anno* 888. *poſtmodum Archiepiſcopus Moguntiacenſis, qui* Cellam & baſilicam ſancti Georgii in inſula conſtruxit, *ut ſuo loco videbimus. Hattonem anno* 913. *excepit* Hugo *Abbas; eumque anno ſequenti* Thietingus: *quem ſecuti ſunt* Heribrachtus *poſt triennium, & anno* 926. Liuthardus*: cui anno* 934. *ſuffectus eſt* Alavvicus *eo nomine primus, de quo hic agere inſtituimus.*

Studiorum ſeries apud Augiam, & Abbatum

* Ratolfzell

2. *Alavvicum ita laudat Hermannus ad annum jam dictum* 934. Augiæ quoque poſt Liuthardum Alavvicus, venerabilis Abbas 22. præfuit annis 25. *Nec plura de eo ante obitum. Eodem anno apud Hepidannum Sancti-Gallenſem monachum,* Alavvicus Abba efficitur in Augia: *ſed iſte auctor quædam addit, quæ mox referemus. Anno* 940 *Udalricus, Auguſtæ Vindelicorum Antiſtes ſanctiſſimus,* Conſtantiam civitatem cauſa orationis viſitavit, & inde ad Augiam inſulam & ab Alevvico Abbate charitative ſuſceptus, non modicam partem de corpore ſancti Mauricii & de aliorum multorum ſanctorum reliquiis ei donavit, *ut in ejus vita legitur cap.* 15. *infra. Illud vero in primis memorandum, quod Abbas iſte ſocietatem Augienſium, cum ſancti Galli monachis anno* 800. *ſub Vverdone Gallenſi & Vvaltone Augienſi rectoribus initam, renovavit anno* 945. *ut legimus apud Goldaſtum tomo* 2. *rerum Alamannicarum pag.* 180. *cujus renovationis formulam hic exhibere juvat.* Anno Incarnationis Dominicæ 945. anno autem Domni Ottonis ſereniſſimi Regis 9. domnus Craloh hujus loci ſtrenuiſſimus Abba cum Alavvigo Augienſis cœnobii venerabili Abbate, Fratribus utrimque ex utroque monaſterio pari voto unoque aſſenſu in idipſum conſpirantibus, prænotatum renovando decretum, hoc ſaluberrimum ſubſequens pactum inivit, ſcilicet ut ſi quando Frater aliquis in utrovis monaſterio obierit, corpuſque defuncti in eccleſiam, ut moris eſt, translatum fuerit, antea inde non tollatur, donec omnes Horæ canonicæ tempore ſtatuto decantentur, & omnis celebratio Miſſarum ſive Vigiliarum, ſeu etiam pſalmodiæ pro defuncto perſolvatur, & tunc demum ſepulturæ commendetur. Ad eamdem autem Miſſam, quæ primum pro eo a fratribus in commune recitatur, dicto ter *Sanctus* angelico carmine omnes pavimento proſtrati tamdiu jaceant, uſque dum a Presbytero *Pax Domini* dicatur, gemitibus & ſuſpiriis, & lacrymarum inundatione animam fratris attentius Deo commendantes. Annona vero illi quondam viven-

Alavvicus

Societas cum ſancti-Gallenſibus.

Digitized by Google

AN. CHR. 958

viventi ſtatuta ad anniverſarium ejus diem, & inde uſque in 37. dies pro eo in eleemoſynam pauperibus adplene tribuatur. Et quando obitus alicujus de utrovis monaſterio ad alterum fuerit indicatus, ipſo die, ſi ita tempus dictaverit, in agendis Vigiliis & Miſſarum pſalmodiæque celebrationibus unanimiter abſque dilatione inſiſtunt. Similiter, ut ante notatum eſt, ad eamdem Miſſam hora prædicta fratres ſe ſolo proſternant humiliter pro anima defuncti Deo ſupplicantes. Ab illo etiam die annona, ſicut uni e fratribus, datur, pro illo quoque ex integro per totos 30. dies pauperibus tribuatur. Decreverunt etiam ut omnis congregatio fratrum utriuſque cœnobii in ſex turmas partita, cottidie privatis diebus unaquæque pars eorum die ſibi definito Vigilias & Miſſam cum oblationibus generaliter pro omnibus Fidelibus defunctis peragat, & ad unamquamque ſynaxim in fine orationis ab omnibus eorum commemoratio fiat. Et ut hæc ſaluberrima pactio nullo modo a poſteris noſtris ignorantia aut negligentia ulterius omittatur, placuit nobis ut in libello Regulæ noſtræ litteris commendetur, & frequentius in conventu congregationis recenſeatur.

Wolfgangus & Henricus ibidem ſtudent.

3. *Sub iſto Abbate Augiæ cum pietate florebant ſtudia litterarum, non ſolum in domeſticorum, ſed & in externorum gratiam. Id docet nos in primis liber de vita Vuolfgangi Epiſcopi Ratiſponenſis inferius adducenda, in qua hæc de eo leguntur.* Quamobrem non contentus in ſcholis trivialibus aut privatis erudiri, patre deducente eo ſibi properandum ſtatuit, ubi tum intra Germaniæ fines maxime florerent ſtudia litterarum. Itaque ad Augienſe monaſterium ſe contulit, ubi libenter & comiter exceptus eſt, quod fama ingenii ejus jampridem eo perveniſſet: brevique tempore tantos fecit in doctrina progreſſus, ut ipſis præceptoribus, qui acumen ejus jam perſentirent, admirationi eſſet. *Erat ibidem cum eo Henricus, futurus poſtea Pontifex Trevirenſis, ut paullo poſt in eodem libello.* Per idem tempus eo in loco degebat ſtudii cauſa Henricus quidam, illuſtri Francorum & Suevorum ſtemmate clarus. *Alios etiam plurimos eo loci tunc litteris operam dediſſe indubium eſt.*

Alavvici obitus.

4. *Denique Alavvicus vivendi finem fecit anno* 958. *ut apud Hermannum, vel inſequenti, ut apud Hepidannum, qui Alavvici extremum morbum collocat anno* 958. *his verbis.* Alvvic, Augenſis beatæ memoriæ Abba, paralyſi morbo ægrotare cœpit. *Et anno* 959. Alvvicus Augenſis Abba defunctus eſt: & in ejus locum Ekkehardus eidem cœnobio, horto deliciarum prælatus eſt. *Hic* beatæ memoriæ *appellatur Alavvicus: cujus obitus abſque ullo elogio notatur ab Hermanno hunc in modum:* Alavvico Augiæ Abbate defuncto, Eggehardus Abbas 23. præfuit annis 15. qui eccleſiam beati Joannis Baptiſtæ formoſo inibi artificio conſtruxit. *Et ad annum* 972. Augiæ Eggehardo Abbate, ob res eccleſiæ in paupertatem redactas incuſato, & ab Imperatore Ottone privato, Rudmandus Præpoſitus Abbas 24. promotus, præfuit annis 24. nimiſque abbatiam ditavit. *Is eſt Ruodmannus, cujus inſtinctu miſſi ſunt in cœnobium ſancti Galli Epiſcopi & Abbates, ad examinandam eorum vitam & Regulæ obſervationem, quam ille remiſſam & ſolutiorem eſſe cauſabatur. Id factum ait Hepidannus anno* 968. *atque viſitationem illam ad eum annum retulimus ſuperius in Elogio Notkeri. Quod ſi admittas, Ruodmannum, antequam Abbas eſſet renuntiatus, hoc præſtitiſſe dicendum eſt. De Vuittegovo ejus ſucceſſore lege Bruſchium.*

VITA

Digitized by Google

VITA SANCTI GERARDI

AN. CHR. 959. 3. Octob.

ABBATIS BRONIENSIS,

Auctore anonymo ſæculi 10. aut 11. monacho,

Ex manu-ſcriptis Bronienſi & Gisleniano.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Vitæ ſcriptores duo.

1. *Sancti Gerardi res geſtas litteris mandarunt auctores duo, uterque anonymus: quorum antiquior ex ſolo vitæ quam hic edimus prologo priore notus, cum* orationem grammatice quidem compoſitam, non tamen idiotis minuſque capacibus ſatis perſpicuam *conſcripſiſſet, Anonymus alter Gunteri Abbatis hortatu novum opus, aliis verbis aggreſſus eſt, quale hic damus, cum alterum penitus excidiſſe credatur. Optandum eſſet, ut purum putum auctorem primarium reliquiſſet Anonymus ſequior, qui minus apte ſubinde loquitur, alioſque loquentes inducit. Integram tamen fidem meretur in factis recenſendis, quæ tum per ſe a teſtibus oculatis, tum ab Anonymo priori accepit. Qualis qualis eſt, eum genuino ſtylo, quem Surius mutaverat, hic repræſentamus ex duobus exemplis, quorum unum a viro clariſſimo Daniele Papebrochio, alterum ex codice Bronienſi accepimus.*

Poſterioris ætas.

2. GUNTERUS, *cujus mandato ſcripſit Anonymus poſterior, Abbatis vices Bronii agebat anno* 1031. *teſtante Molano. Suffragatur Fiſſenus in Floribus Leodienſibus, ubi Bronienſium Abbatum exhibet catalogum: in quo poſt Gerardum* HERIBERTUS *anno 998. exſtinctus, deinde* GUINEBALDUS, *ac tertio loco* GUNTERUS *locatur his verbis*: Gontherus ſcribendam curavit vitam ſancti Gerardi, dicandumque templum anno 1038. quod auguſtius ipſe conſtruxerat. Obiit anno 1062. *Quædam tamen Anonymi loca huic calculo repugnare videntur, nempe quod de Lietaldo Moſomenſi Abbate anno 997. mortuo, tamquam de ſuperſtite loquatur num.* 12. Si cui autem ingerit ambiguitatem, Lietaldum percontetur Abbatem. *Eodem trahi debet id, quod legitur num.* 19. *de Rainero* II. *Longicolli Hainoenſium Comite*, qui nunc uſque, *inquit*, exſulat in ignotis regionibus. *Nam is ultra annum 985. vitam produxiſſe non videtur. Ex adverſo Anonymus num. 28. agens de numero monaſteriorum, quæ Gerardus ad ſeveriores leges revocavit, ait ſe id* a majoribus *accepiſſe, & num. 29. ubi de bellicis tumultibus tempore Gerardi exortis, laudat* chronologiam priorum, *id eſt majorum: quæ verba non bene auctori æquali conveniunt. Itaque his expenſis veri ſimilius eſt, hunc ſcripſiſſe ſub annum 1035. & quæ de Lietaldo Abbate & Rainero Comite dicit, hæc in perſona prioris Anonymi (quod non raro ejuſmodi interpolatoribus accidit, ut alias notavimus.) retuliſſe.*

Gerardi vitæ ſeries.

3. *Gerardus ante ſæculi noni finem editus eſt in lucem, utpote qui anno 917.* vir jam dudum barbatus, *ait auctor num. 9,* bello ſtrenuus, gerendiſque rebus aptus, legationem obibat. *Sequenti anno monachum induit apud ſanctum Dionyſium, ibique per annos decem ſub regulari tramite Deo militavit. Inde ſanctorum reliquiis onuſtus anno 928. rediit in patriam. Fuit hæc pagi Lomacenſis * villa, Stablecellæ * dicta. Hic pagus apud antiquos, quem ſubinde Lomenſem, Laumenſem, Lummenſem & Lomacenſem ſcribunt, Foſſas Vallem, Gemblacum, Bronium, Calvimontem, Cubinium ſeu Cuvinium atque Covinium, & haud modicam hodierni Comitatus Namucenſis partem complectebatur. Appendix Gerardi vitæ hic adjecta docet, Gerardum vitæ comites ex monaſterio ſancti Dionyſii* accepiſſe ſecundi ordinis perſonas duodecim ad numerum apoſtolicum, ſcilicet bonos doctores, morum informatores, diſciplinæ regularis obſervatores. *Ex illorum numero fuiſſe videtur Lietaldus, primum quidem * Tinenſis, poſtea Moſomenſis Abbas, de quo num. 12.* LIETALDUM percontetur Abbatem, qui cum eo præſens ad clandeſtinam tot reliquiarum *ex monaſterio Dionyſiano* compoſitionem *ſeu comportationem* demirari ſolebat, *&c.*

*de Lomage * Staves * de Tin.

4. *Antequam Gerardus ad conditam ab ſe Bronii baſilicam ſe conferret*, pervenit ad municipium in pago Lomacenſi ſitum, quod appellatur Cuvinium. Hic autem degebant duo monachi ex monaſterio ſancti Germani, ad quem tunc pertinebat fundus ejuſdem municipii, unanimiter excubantes cura pervigili in excubiis ſancti Abbatis VENANTII. *Forſan hic eſt vicus ſancti Germani in Brabantia, haud procul a monaſterio Gemblacenſi. Cuvinium villam ſcriptor tranſlationis ſancti Germani ſæculo 8. commemorat. Eamdem Carolus Calvus monachorum uſibus deputat in partitionis charta, quam in Sæculi 3. parte 2. publicavimus. Hanc ſæculo decimo procurabant duo illi Germanenſes monachi, dum furentibus bellis a monaſterio avulſa eſt, quod tempore ſuo factum ſubindicat anonymus mox citatus. Nullus dubitem, quin recedentes inde monachi ſancti Venantii Abbatis corpus ſecum detulerint in noſtrum ſancti Germani Aſceterium; illud inquam ipſum, quod Venantii Turonenſis Abbatis nomine hic depoſitum colimus. Latebat hactenus, undenam, quave occaſione huc advectum eſſet ſancti Confeſſoris corpus: ſed e Lomacenſi pago delatum facile concedet quiſquis infelicem Belgii ac prope omnis Galliæ ſtatum tempore Normannicæ*

 per-

AN.CHR 959 3.Octob. pervaſionis attenderit, quo ſanctorum glebæ in varia, & quæ tutiora putabantur loca, deportabantur. An autem Venantius Abbas, cujus reliquiis gaudemus, ille ipſe ſit qui ſæculo 6. Turonenſe rexit monaſterium, aut qui in opido cognomine apud Atrebates colitur, alii judicent.

Monaſteria a Gerardo reformata. 5. Bronio ſuo redditus Gerardus, conſtitutos ab ſe clericos loco cedere perſuaſit. Monachis ipſe præfectus, incredibile eſt quam longe lateque virtutum odore fragraverit. Hinc multis in locis expetitus, ut collapſa monaſteria reſarciret, tantum non exſtinctam in Belgio regularem diſciplinam revocavit. Plerique omnes cum anonymo noſtro cœnobia numerant octodecim, quæ præter Bronienſe Gerardi cura complectebatur. In his Meyerus in Annalibus Flandriæ recenſet Blandinienſe ſancti Petri, Gandenſe ſancti Bavonis, Tornacenſe ſancti Martini, Marchianenſe, Haſnonienſe, Rotnacenſe (de quo videndus Baldricus in Chronici Cameracenſis lib. 2. cap. 44. & pag. 453.) Atrebatenſe ſancti Vedaſti, Turholtenſe, VVormholtenſe, S. Richarii, S. Bertini, S. Audomari, S. Silvini, S. VVlmari, S. Amandi, S. Bertæ, atque ſancti Amati Duacenſis, eo (ut credere par eſt) fundamento, quod ad Flandricum Arnulfi Comitatum hæc omnia cœnobia pertinerent. Sed ampliora Gerardi zelo debebantur: ut non immerito parens alter habeatur rediviva cum in Belgio, tum in toto Lotharii regno familiæ Benedictinæ, quæ ejus ſtudio ſacriſque adhortationibus refloruit. Cum enim Giſleberti Ducis ditioni omnes illæ circa Moſam, Scaldis partem, Sabin, Moſellam, & cis Rhenum provinciæ ſubjacerent; quotquot ejus ditioni parebant monaſteria cum pluribus aliis in Francia, ſecundum Chronicon Moſomenſe novam a Gerardo formam acceperunt: ex quibus quæ ad notitiam noſtram ab anonymo prætermiſſa, vel aliter quam ipſe narrat tradita, pervenere, paucis expendenda ſunt.

6. Acherius noſter in Spicilegii tomo 7. Chronicon Moſomenſe vulgavit, in quo hæc de Gerardo noſtro leguntur. Eſt in Portuenſis Comitivæ partibus octo monachorum cum Abbate ſibi ſuperpoſito parvus admodum & pauper loculus, (Tignus nomine) quem Freduidis matrona nobilis cum illuſtri viro ſuo Comite STEPHANO ædificavit. Hunc per conſilium domni GERARDI Abbatis, viri vitæ venerabilis, qui tunc temporis pro merito ſui nominis & religioſæ converſationis pluribus in Francia præerat monachorum cœnobiis, inter quæ & monaſterii ſancti Remigii curam agebat. Hunc eumdem, inquam, locum ſancto Remigio ut ſubjectum haberet, ac procurando ſervaret, fideli voto tradiderunt. Hic in honore ſancti Quintini conſecratus, & radicibus Aldiniaci montis adſitus, a rivulo fontis qui inibi exoriens præterfluit Tignus * cognominatur. Tignenſi monaſterio Gerardus Lieltaldum ſuperius memoratum præfecit Abbatem: qui priori converſatione clericus, poſteriori converſus & monachus, ex monaſterio ni fallor, S. Dionyſii eductus, poſtquam Bronii conſediſſet aliquamdiu, Gerardum ſecutus Remos, inde Tinum contendit, ubi ad annum 971. perſeveravit. Tunc Adalbero Remenſis Pontifex, pergit Chronicon, illum Tignenſis cœnobioli pauperculum Abbatem, Lietaldum nomine, quam celerrime advocat, & Moſomenſi familiæ præponit. Ut autem anonymus noſter jam citato num. 12. Lietaldum Gerardi in cœnobio Moſomenſi ſucceſſorem legitime vocare potuerit, dicendum eſt Gerardum, ab Heriveo Pontifice juſſum, reformationi parthenonis Moſomenſis incubuiſſe, aut ſubrogatis mox Canonicis aliquamdiu præfuiſſe. Lege quæ de tranſlatione ſancti Arnulfi in monaſterium Moſomenſe dicemus ad annum 971.

* Thin

7. Quo primum tempore Remigianum adierit cœnobium, haud liquet: neque certius quo anno a Giſleberto Duce evocatus ſit Urſidungum (quæ & ſancti Giſleni Cella) tunc a clericis occupatum. Ejus rei hiſtoriam fuſe deſcribit Anonymus noſter infra, num. 20. & ſequentibus: ſed annum haud deſignat, quem multi recentiores anno 930. Vinchantius ſequenti illigat. At ſerius id contigiſſe certum videtur, cum Gerardus nonniſi anno 928. monachos inſtituerit Bronii: ubi per aliquot annos conſedit cellula incluſus, antequam aliis monaſteriis reformandis navaret operam. Rainerus monachus in libello de miraculis S. Giſleni, qui libellus in Sæculo 2. a nobis editus eſt, cum hoc anonymo non conſentit in exponendis circumſtantiis, quæ in reſtitutione diſciplinæ regularis per Gerardum apud Giſlenianos facta contigerunt. Utrumque conferat ſtudioſus lector, videatque, num ſatius ſit Anonymo noſtro hac in re ſubſcribere, tametſi Raineri libellum legiſſe videatur ex num. 23. In hoc autem differunt, quod Rainerus prius Giſledianis reſtitutum dicat ſancti Giſleni corpus, quam Gerardus ad reſtituendam ibi monaſticam diſciplinam evocaretur; & quod Gerardum tunc multis cœnobiis præfectum aſſerat: cum ex adverſo Anonymus Gerardum uni Bronienſi monaſterio tunc præfectum fuiſſe affirmet, & ſancti Giſleni reliquias ab eodem poſtea recuperatas. Verum hæc tanti non ſunt, ut iis diſcutiendis amplius immoremur.

8. Præter ea quæ de reſtitutis a Gerardo monaſteriis nonnullis diximus, revocanda ſunt ea, quæ in tranſlatione ſanctorum VVandregiſili & aliorum leguntur ſuperius ad annum 944. de Blandinienſi monaſterio; nec prætermittendus locus de cœnobio ſancti Bavonis ex Chronic. mſ. ſancti Vincentii Laudunenſis in hæc verba. Anno Domini 895. Helias 19. Abbas ſancti Bavonis Gandenſis cœnobii obiit Lauduni, in cœnobio ſancti Vincentii nunc appellato, 4. Idus Decembris, & ibidem cum monachorum mærore ſepelitur. Monachi vero Paſtore deſtituti, & in miſeria magna, utpote in extraneis conſtituti, nullam celebraverunt electionem; ſed per diverſa loca vagantes, miſerabiliter fuerunt diſperſi per multa annorum curricula, uſque ad tempus GERARDI Abbatis, genere & ſanctitate venerabilis viri, qui præfato monaſterio ſancti Bavonis per Tranſmarum Noviomenſem vel Tornacenſem Epiſcopum, & Arnulfum Magnum Flandriæ Comitem anno 937. in Abbatem ordinatus eſt. Addit Sanderus in ſuo Gandavo lib. 4. pag. 356. ſancti

ſancti Bavonis aliorumque reliquias Landunò Gandavum relatas, in arce opidi ad annum 940. AN.CHR.
cum ſeptem monachis illarum cuſtodibus remanſiſſe, donec reparato cœnobio, ac baſilica decentius 959
ornata, in eadem magno populorum concurſu repoſitæ ſunt. His adde quæ de ſancti Landoaldi ſo- 3.Octob.
ciorumque corporibus in Gandenſe S. Bavonis monaſterium tranſlatis ſeu non ſemel relatis ſcribit Hen-ſchenius in tomo 3. *Bollandiano. Ad Gerardum revertor.*

9. *Sub extremum vitæ tempus Gerardus ad Bronienſes ſuos ſe recepit: quorum rebus ut proſpiceret, non ſolum imperiales litteras eſt conſecutus; ſed etiam Romam, quantumvis fatiſcente corpore, petivit, ut privilegium in Bronienſium gratiam a Romano Pontifice obtineret, ut inferius videbitur. Demum redux ad ſuos, cumulatus meritis, Bronii die* 3. *Octobris anni* 959. *deceſſit. Celebris eſt apud Bronienſes & in toto Namucenſi Epiſcopatu Gerardi memoria, cujus feſtum diem* 3. *Nonas Octobris quotannis celebrant, ut refert Molanus in additionibus ad martyrologium Uſuardi, & in ſuo Hagiologio, ubi notat corpus ejuſdem ſancti e terra anno* 1131. *levatum fuiſſe: quæ elevatio tunc temporis canonizationis loco habebatur. De eo etiam agunt Romanum & Benedictinum Martyrologium, Bucelinus in Menologio, aliique recentiores. Duplex Gerardi epitaphium habes apud Sanderum in ſuo Gandavo pag.*299. *quod utrumque dubito an Gerardi noſtri ſit, tametſi primum Abbatis Cellenſis titulum præferat. Nam hujus obitum omnes cum primario epitaphio, hic ad vitæ calcem edito, (quod marmoreo ſepulcro inciſum narrat Molanus) tertio Nonas Octobris ſtatuunt: illius autem Gerardi Abbatis Cellenſis primum epitaphium apud Sanderum notat ultimum ejus vitæ diem* octavo Septembris Idus; *alterum vero docet Gerardum Abbatem obiiſſe* Septembri quintas cum ſol declinat ad umbras. *Quæ omnia in alios cognomines conveniunt. Aliud Gerardi Bronienſis epitaphium in ejus tumulo ſeu mauſoleo, quod etiam nunc ſupereſt, legitur in hunc modum:*

Clarus ab Auſtraſia generoſa ſtirpe Gerardus
Sanctus in hoc humili condidit oſſa loco.
Gaudeat omnis plebs tali defenſa patrono,
Atque ſuo plaudat Bronia terra Duci.

Obiit anno 958. (*rectius anno ſequenti, ut in fine Vitæ*) ſublevatus in feretrum 1131. *Ex quibus inferas, hoc epitaphium tumulo appoſitum fuiſſe, cum Gerardi corpus in mauſoleum reconditum eſt anno* 1131. *præſente Godefrido Comite Namucenſi, qui Bronienſis fundi poſſeſſionem liberam pronunciavit. Ibidem ſancti Gerardi corpus hodie quoque religioſe aſſervatur.*

10. *Situm eſt Bronienſe monaſterium inter Moſam & Sabim, pari duarum horarum utrimque intervallo, tribus a Namuco, una amplius a Philippopoli diſtans, ſeſquiduabus a Dionanto. Situm eſt, inquam, in rupe non admodum edita, ad vicum, qui S. Gerardi vocatur, uti & monaſterium ab auctore ſuo, quod tamen priſcum etiam Bronii* nomen retinet. Ad pedem monaſterii in locum influit rivulus,* Bornom *appellatus in brevi charta ipſius Gerardi, quam ex Miræo* huc adducere juvat.*

(Margin: Gerardi obitus & memoria & elevatio. — Bronienſe monaſterium. — * Brogne — * Miræus Notit. p. 94.)

EGo in Dei nomine Gerardus, cogitans de æterna retributione, dono conſentiente patre meo STANTIONE, & fratre meo VVIDONE, aliquas res meas ad eccleſiam, ubi cupio conſtruere monaſterium, ac meipſum in ſervitio omnipotentis Dei militaturum, quæ eſt ſita in pago Lomacenſi, in loco nuncupato Bronium, ſuper fluvium* *Bornom*; dono jus quod habeo in Rometias. Actum in villa de Bronio, anno Domini 918. anno Karoli octavo Regis excellentiſſimi.

(Margin: * Burnom)

Hoc monaſterii condendi primum conſilium fuit, (quod nonniſi poſt decem annos exſecutioni mandatum eſt, ut diximus ſupra num. 3.) *paullo antequam Gerardus in ſancti Dionyſii monaſterium ſecederet. Annus Caroli Simplicis octavus numeratur a morte Ludovici Germaniæ Regis poſtremi ex Carlovingica ſtirpe, id eſt ab anno* 911. *quo Rege mortuo largiorem Carolus hæreditatem indeptus eſt. Variam fortunam expertus eſt locus, monaſticis tamen ſemper addictus inſtitutis, & Abbate regulari gaudens uſque ad Philippi II. Hiſpaniarum Regis tempora, qui occaſione motuum Belgicorum, Namuci Epiſcopatum a Paulo IV. erectum, confirmatumque a Pio IV. ejus ſucceſſore, primo quidem proventu Abbatiæ Floreffienſis, aliiſque dotavit: deinde vero pro Floreffienſi menſam (ut vocant) abbatialem Bronienſis monaſterii, quod extra Epiſcopi limites erat, eidem Epiſcopo attribui curavit. Unde graviſſimam in egeſtatem & cetera quæ ipſi ſunt obnoxia prolapſum cœnobium Bronienſe, vix duos aut tres monachos ferebat, ægre tenui in victu monaſticum penſum perſolventes. Sic omnia emungebantur in dies, ut locus excidio proximus eſſet, niſi Chriſtianiſſimi Regis Ludovici M. nutu ac felicibus auſpiciis, ſacer hic locus, qui a primo conditu Francico ſceptro (quamquam Lotharii regni finibus continebatur) erat ſubjectus, ut mox dicturi ſumus, reſpirare cœpit, erectis denuo regularibus officinis, cooperante regiis miniſtris R. P. Paulo Hennione Priore, qui ſacrorum ibi cultum fovere invicto animo perſeveravit. Ab eodem S. Gerardi vitam accepimus, ſuppetias etiam ad hæc illuſtranda non paucas a noſtro Michaele Gurdino.*

11. *Bronium, etſi intra fines Lothariani regni ſitum, tamen Francorum Regum ditioni tum, cum Gerardus monaſterium condidit, ſubjectum fuiſſe patet ex hujus Vitæ num.* 29. *ubi Gerardus locum a monachis ſancti Dionyſii (quibus ab eodem fuerat ex Vitæ num.* 9.) *Bronienſem redemiſſe memoratur.* Verebatur ſiquidem non mediocri ſollicitudine, quin exterminio ſuccumberet ſub tot malorum, *ſcilicet bellorum*, turbine: præſertim cum remota a finibus Merovingiæ, ad quam pertinebat illo in tempore, in medio ſita ſit Lotharingiæ. *Subdit auctor, eumdem fundum ita redemptum, Epiſcopi Leodicenſis, utpote* Leodicenſi parochiæ interjacentem, *tutelæ a Gerardo fuiſſe commendatum. Et quidem in charta mox relata pro Bronio.*

(Margin: Francorum Regi ſubjectum.)

Prin-

AN.CHR. 959 3.Octob.

Principis ſui annos memorans, non alterius meminit quam Caroli Simplicis, cui proinde Bronium tunc parebat. Ejuſdem loci libertatem diplomatibus ſuis aſſeruere Francorum Rex, tum Henricus Auceps, Otto M. & ante eum Stephanus Papa. Duplex reſcriptum Miræus refert; unum brevius in Notitia eccleſiarum Belgii pag. 94. alterum prolixius in Diplomatibus pag. 274. ſed ſine chronicis præter diem notis. Et brevius quidem anno 929. conſignat, tribuitque Stephano VII. prolixius ſub anno 942. Stephano VIII. aſſignat. Verum non duo, ſed unicum a Stephano Papa privilegium Gerardus obtinuiſſe mihi videtur. Nam utrobique eadem verba, idemque dati diplomatis dies 5. Kal. Maji. *Deinde Benedictus ſeu Benno Mettenſis Epiſcopus, qui prolixiori ſubſcripſit, anno 929. in ordinem redactus, anno 940. extinctus eſt, ut in ejus Elogio diximus: & Stephanus Cameracenſis, unus item ex ſubſcribentibus, anno 935. vivere deſiit. Itaque Stephanus ſeptimus privilegium Gerardo conceſſit, non octavus: nec Gerardus tam grandioris ævi erat, ut putat Anonymus noſter, cum Romam poſtulandi privilegii cauſa profectus eſt. Quidquid ſit, Comites etiam Namucenſes Bronienſis fundi libertatem agnoverunt, in his Godefridus anno* 1131. *qui ſe loci, non Advocatum, ſed Defenſorem dicit, profiteturque* liberam & abſolutam fundi poſſeſſionem. *Nunc tandem Anonymus exhibendus, reſecto ſecundo ejus prologo, qui plane inutilis eſt.*

INCIPIT PRÆFATIO IN VITAM SANCTI
Patris noſtri Gerardi, fundatoris & Abbatis monaſterii Bronienſis.

1. DOmino Patri amantiſſimo & Paſtori vigilantiſſimo domno GONTERO, Abbatiæ Bronienſi prælato, quidam profeſſionis manaſticæ, nullus autem religione, una ſibi cum commiſſo grege perennis paſcua vitæ. Jubet paternitas veſtra, mi Pater dilectiſſime, immo filiorum veſtrorum melliflua compellimur petitione, ut de domni Abbatis vita & virtutibus ſeu converſatione quemdam quaſi nucleum ſatagamus quomodolibet enucleare: quatenus hac ſpiritali refectione interiorem hominem vulneratum ipſius Patris amore, eſtis quippe charitate vulnerati, valeatis communiter refocillare. Verum quæ vel qualia nos abſterreant ab hujuſmodi cœptis, pandendum videtur: advertite paucis. Extollenda quippe tanti viri præcellentia, calami noſtri balbutiens imperitia, æmulorum nihilominus obtrectans ſocordia, prioris etiam ſcriptoris oratio grammatice quidem compoſita; non tamen idiotis minuſque capacibus ſatis perſpicua. Hæc autem omnia poſthabemus juſſioni veſtræ; & licet tantæ impares ſimus ſarcinæ, decrevimus tamen cum detrimento quoque noſtri pudoris obtemperare. Noſtram etenim puſillanimitatem ille confortat, cujus veridicentia ſalubriter clamat: „Vires, inquiens, „quas imperitia denegat, charitas fraterna miniſtrat Hoc in ſermone confidens præſumo inchoare, certus certiſſime quod auctoritas juſſionis veſtræ excuſabit culpas imperitiæ noſtræ. Pro veſtra ergo benivolentia in me ſupervacua quæſo reſecate, hiantia ſupplete, commode dicta alacriter ſuſcipite, noſtrumque munuſculum paterna gratia provehite: ita enim & vobis conſtabit ratio noſtri operis, ſi quæ elicimus ex viri Dei geſtis, comprobentur ſubtili judicio ſapientis. Vale vir Dei, & memento mei: valeant benivoli, reſipiſcant æmuli.

VITA INCIPIT.

S. Gerardi patria & parentes.

2. VIR itaque Domini domnus Abbas GERARDUS, gerendis Domini mandatis mirabiliter aptus, immo ſacri principatus hierarchia cæleſti per omnia dignus, ſicuti veridicorum relatione comperimus, ingenuis atque orthodoxis parentibus apud *a* Stablecellas Lomacenſis territorii vicum exſtitit oriundus. Claris quidem natalibus enituit, ſplendidior vero morum probitate refulſit. Pater ejus *b* STANTIUS, ex proſapia HAGANONIS

a Au-

a Stablecellæ vicus eſt liberrimus ac nobilis inter Moſam & Sabim, vulgo *Staves*, duabus a Bronio leucis.

b Stantius ſeu Stantio, Gerardi pater, adhuc in vivis erat anno 918., in Obſervationibus præviis num. 19.

Digitized by Google

a Auſtraſiorum Ducis proſatus; mater autem PLICTRUDIS nuncupata, domni *b* STEPHANI Tungrorum Epiſcopi ſoror traditur exſtitiſſe germana. Huic ab ineunte pueritia divinitatis conceſſit clementia ætate videlicet ſenſuque proficere, & tam Deo quam hominibus complacere. Qui quoniam juvenculus eſſet corpore, juvenum tamen obſcœnas confabulationes dedignabatur attendere: quin potius bonorum aſſueſcens intereſſe conventibus, iniquorum evitabat ſummopere cœtus; & quem in corpore juventus exornabat, ſplendida mentis canities condecoraverat ſancta. Domus Dei ardentius frequentabat limina, eccleſiaſtici dogmatis ſitiens epotare flumina: cujus ſalutaria ibidem percipiens pro captu monita, licet laicali eſſet circumdatus toga, tenaciori ruminabat memoria. Præmeditabatur adhuc teneriori pectore quæ meruit poſtea devotus implere. AN.CHR 959 3. Octob.

Horrens amplecti luxus & ludicra ſæcli,
Emeruit templum fieri ſpiraminis almi.

3. Ea tempeſtate Comes *c* BERENGARIUS Namucenſi caſtro præſidebat, cujus ſtirpis poſteritas ibidem hactenus perſtat. Cui hic Atlheta Dei officio militari commiſſus adhærebat, primumque gradum amicitiæ ejus quam familiariter obtinebat. Is ejus ad arbitrium Comitatus negotia diſponebat, ſibique præ ceteris difficiliora & ſecretiora committebat: quia (quod perrarum eſt) & militia valebat, & conſulto prudentiori pollebat. Erat namque perſpicax in conſilio, fidelis in commiſſo, verax in ſermone, facundiſſimus ore, lætiſſimus facie, ſereniſſimus mente, dulciſſimus collocutione, manſuetiſſimus converſatione, juſtus in judicio, ſtrenuus in auxilio: invictiſſima quoque muniebatur armatura, fidei ſcilicet galea, juſtitiæ lorica, verbi Domini framea, æquitatis impenetrabili parma. His vallatus inexpugnabiliter, ſpirituales nequitias debellabat infatigabiliter: hunc occultabat paludamentum cum Sebaſtiano, ſed monachum demonſtrabat frugalitas cum militante Martino. Multa illi circa commilitones benignitas, mira charitas, multa patientia atque humilitas. Proinde eum acſi patrem reverendo venerabantur, acſi dominum venerando reverebantur. Theſaurizabat igitur in cælo, ubi nec tinea demolitur, nec ærugo. Nudos tegebat, egentes alebat, laborantibus aſſiſtebat, puſillanimes refovebat, pupillos tuebatur, viduis adminiculabatur, oppreſſis patrocinabatur, miſeris opitulabatur. *militat apud Comitem Berengarium.*

Pacis amator erat, litem rixaſque fugabat,
Ceu vir apoſtolicus eſt omnibus omnia factus.

Enimvero ex tanti viri contubernio Comes non modico tripudiabat gaudio, multoties expertus evidenti indicio Domini Jeſu manum eſſe cum illo: quippe cui, opitulante Deo, procedebant cuncta pro voto. Unde vix valens ejus abſentiam ferre, a ſui præſentia rarius ſuſtinebat abeſſe. Qui cum una dierum (ut eſt conſuetudinis nobilium) cum ſuis procederet venatum, hunc etiam de quo agimus ſanctum utile duxit educere ſecum. Poſt gratum ergo venationis laborem, & ſol jam in centro poli poſcebat prandii panem; Comes & ſui quærentes refectionem, regredi maturant ſuam ad manſionem. Ipſe vero Dei amicus præponens ſpiritualia corporalibus, contiguam petiit eccleſiam Bronii ſitam impranſus, quæ cum quibuſdam prædiis adjacentibus ditioni ſuæ obvenerat a progenitoribus. Amplitudine ſiquidem prædiorum clarebat, utpote qui ſuorum virtute majorum non degenerabat. Hoc autem oratoriolum juſſu PIPPINI Principis accepimus fundatum, & a domno LAMBERTO Tungrenſi præſule dedicatum, ut quoniam in vicinia ſaltus *d* Marlignæ erat poſi- *cui eſt acceptiſſimus* *Bronii eccleſiam inſtaurat.*

---

a Is eſt Hagano Comes, qui pacto inter Carolum *potentem fecerat*, ut ait Frodoardus in Chronico ad annum 920.
Simplicem & Henricum Germaniæ Regem inito ſubſcripſit anno 924. neſcio an idem cum Haganone Caroli jam dicti Conſiliario, *quem de mediocribus*.

b De Stephano Tungrenſi ſeu Leodicenſi Epiſcopo, qui anno 920. vivere deſiit, ſæpius agetur infra.

c Is Symphorianam duxerat, filiam Raineri cognomento Longi-colli, Hainoenſium Comitis, de quo hic mentio non ſemel. Porro Berengarius etiam Lomenſis ſeu Lomacenſis Comes erat anno 908., ut patet ex litteris Ludovici Regis Arnulfi filii, hoc anno datis Aquiſgrani.

d Marligna ſeu Marligua ſilva Bronio contigua perſtat etiam nunc, vulgo *Marlaigne*, non longe a Namuco, Sabim inter ac Moſam poſita.

Digitized by Google

AN.CHR. 959 3. Octobr. poſitum, ubi Princeps ipſe ſolebat ſæpenumero habere venationis exercitium, audire commodius poſſet divinum ibidem officium. In quo etiam jucundum perhibetur accidiſſe aliquando miraculum, ex uno videlicet quod ſacer Antiſtes inunxerat ſaxum per aliquantulum temporis affluenter emanaſſe oleum. Igitur vir Domini ſacerdotem mandans accerſiri, ad tractanda ſcilicet myſteria Chriſti; interim, ceu decebat ſervum Domini, orando incumbit divinæ contemplationi: & dum diutius præſtolatur ſacerdotis adventum, ſopor divinitus irruit ſuper eum, ut quod materiali ædificio conſtruxit poſtmodum, divinitas ſibi oſtenderet in ſpiritu oratorii locum & modum.

Cæleſti viſo recreatus, 4. Vidit igitur in oromate columnas Eccleſiæ, Petrum ſcilicet & Paulum, ſibi adſiſtere, quorum alter primus in apoſtolico agmine manum manui ejus viſus eſt innectere, eumque per eccleſiam & atrium familiarius circumducere. Viro Dei requirente quid ſibi vellet in hujuſmodi deambulatione, cœpit eum commonere de oratorii conſtructione, eumque edocens locum ſibi delegiſſe, filiolumque ſuum martyrem Eugenium cooperatorem ſecum conſtituiſſe: Loci, inquit, hujus decrevi fore patronus, poſtque Deum cuſtos procuratorque benignus. At ille exhilaratus tanta promiſſione, qualiter res effectum poſſet habere, ardebat prænoſcere. Quonam modo, inquiens, paſtor egregie, ſancti Martyris ſperem potiri corpore? Sub hæc jucundiori facie refert Apoſtolus: Numquid Deo quidquam impoſſibile? Deo mihique committe. Hanc ergo baſilicam a fundamento dirue, ampliorem atque elegantiorem ne pigriteris reddere, & juxta quod nunc oſtenditur tibi, inſtantius ſingula comple. Præmonſtrabat quippe illi & quantitatem Oratorii, & quomodo quæque ibi oporteret aptificari. Jamque ſacerdos accerſitus advenerat, & ex more compoſitus Miſſam celebrare volebat, nec tamen ſonitu ſeu tactu excitare eum audebat, ſed potius ut ultroneus expergiſceretur ſilens ſuſtinebat. Expleta tandem viſione apoſtolica, beatus vir a dilecta ſolvitur ſomnolentia, & ſubmurmurante presbytero ſuper diutina exſpectatione, ita compeſcuit eum amicabili voce.

Obſecro, ſerve Dei, ſuper hoc abſiſte moveri,
Proficuum valde mihi ſomnum ſic ſubiiſſe:
Condignas nequeo grates perſolvere Chriſto,
Cujus mira brevi pauſans miracula vidi.

Ceterum ſi quis obloquentium hoc autumat phantaſticum, proculdubio condemnat eum in vita domni Benedicti huic ſimile geſtum, qui diſcipulis dormientibus cunctas ædificandi cujuſdam cœnobii officinas deſignavit: quibus etiam ſuper eodem vigilando hæſitantibus, ut ex revelatione didicerant, complere mandavit. Sic quoque beatus Ambroſius, Mediolanenſis Epiſcopus, ſacris aſſiſtens altaribus, apud Turonos magni Martini exſequiis legitur interfuiſſe ſollemnibus. Vir vero Domini Gerardus juſſionis apoſtolicæ exſecutor promptiſſime, poſtquam fine tenus injunctum peregerat opus, ad eamdem baſilicam devotiſſimum contulit munus ex copioſis prædiorum ſuorum redditibus, quod interim ſufficeret ibidem Deo ſervientibus. Adhibuit quoque illic pro tempore clericorum religionem, per datam ſibi ſapientiam inſtituens eos vivere ſecundum canonicum morem. *eum ſa cultatibus ditat.*

Talis relligio præceſſit tempore primo,
Donec dante Deo monachorum inducitur ordo,
Rebus & officio longe præclarior illo.

Miſſus in Galliam ad Robertum Comitem, 5. Conſtructo igitur vir ſanctus Oratorio, atque ibidem, ut dictum eſt, conſtituto clericorum officio, de divinitus ſibi promiſſo cœpit plurimum cogitare theſauro, qualiter videlicet potiri poſſet beati Eugenii Martyris & Epiſcopi corpore ſacroſancto. Circa quod dum crebro ejus verſatur intentio, ſuperius memorato Comiti Berengario quibuſdam ex cauſis incidit occaſio (ſic nimirum divina diſponebat promiſſio) ut in Franciam dirige-

Digitized by Google

dirigeret legationem inclyto cuidam Comiti, nomine ROBERTO [a], quem poſtea Francorum nobilitas ſceptrifero ſublimavit ſolio. Ad ſe autem adſcito Dei athleta, ſolus ſoli revelat conſilii ſui ſecreta; & ut illuc uſque ſua proferat miſſatica, collocutione commendat amica. Nec mora, vir Domini cum ſuis tramitem init, pauculiſque diebus evolutis Pariſius venit; & jam inclinata die, cum tardior hora longius prohiberet procedere, nonnullis ſuorum indicit congrua ſibi ad hoſpitandum diverticula perquirere. Ipſe vero cum paucis veneranda Chriſti martyrum Dionyſii ſociorumque ejus adiens limina, Deo devota orationum offert libamina, ſibique ſanctorum exoptanda implorat affore patrocinia. Contigit autem, ſuperna ſic providente clementia, ut ipſa eadem hora veſpertinam ſynaxim monachorum decantaret caterva: quorum dulciſonis modulationibus dum vir eccleſiaſticus auſcultaret attentius, ventum eſt ad eum ſupplicationis locum, ubi conſuevit chorus fratrum ſpeciatim interpellere ſuffragia ſanctorum. Aliquantis ergo nominatim recitatis, ſubjuncta eſt etiam commemoratio Eugenii deſideratiſſimi martyris. Quæ vox ut pervenit ad aures Chriſti Athletæ, non mediocriter cœpit animo vacillare, utrumnam arbitraretur eum forſitan eſſe, cujus nomen ante didicerat in oromate.

AN. CHR. 959 3. Octob.

divertit ad S. Dionyſium.

Et cœpit ſecum tacitus depoſcere Chriſtum,
Ut ſe ſuſpenſum celeraret reddere certum.

6. Interea loci completis veſpertinalibus hymnis, ſemotim abductos quoſdam fratrum de primis ſecretim alloquitur iſtiuſmodi verbis: Obſecro, inquit, domini & patres dilectiſſimi, ut meæ puſillitati intimare dignemini, quiſnam fuerit hic martyr, cujus nomen Eugenii modo audivi inter ceteras recitari? At illi intuentes ſimplicitatem & innocentiam viri, reſponſum hujuſmodi unanimiter referunt illi: Nonne, inquiunt, noſtis, pater venerande, hunc Epiſcopum fuiſſe urbis Toletanæ? Nonne & iſte fuit patroni noſtri, domni videlicet Dionyſii, auditor & collega ad erogandum gentibus verbi Dei ſemina, qui etiam diris tormentorum ſuppliciis ſpiritum reddidit ſui ſanguinis imbre perfuſus? Quibus auditis, vir venerandus mentis ſuæ gaudia diſſimulare nequit ulterius, illiſque ſuum adaperiens deſiderium, propenſius rogat ne cui pandant mortalium. O, inquit, patres amantiſſimi Deoque devotiſſimi, ſi veſtræ complaceret dulciſſimæ dilectioni, ut reliquias hujus ſancti conferretis meæ tantillitati, condignum talione, credite mihi, ſine dilatione rependerem charitati. Qui ſuper hoc ſtupore perculſi: Quo pacto, inquiunt, vir Dei, quod poſtulas poteſt impleri? Vix enim omnia quis referat miracula, quæ multis in hac gallica præſtiterit provincia, unde omnes ut Angelum ſic diligunt Eugenium. Crede noſtræ fraternitati, rem difficillimam poſtulaſti. Quibus vir Dei: Nolite, inquit, patres, nolite quæſo ſic loqui, & fidentiam hujus rei tam cito tollere mihi? numquid invalida manus Domini? numquid eſt quidquam difficile ſibi? ubi divina eſt voluntas, ibi nulla profecto difficultas: ubi nulla difficultas, neceſſario conſequitur poſſibilitas. Videntes ergo tantam in reſponſis ejus prudentiam, hujuſcemodi verbis illi ſuam prorſus aperiunt benevolentiam. Eja vir Domini perpaucis, ſi placet, audi, accipe conſilium, ſi vis attingere votum. Si enim cor tuum compungeret amor divinus ut hoc in loco fieri peroptares monachus; forſitan tuo ſatisfaceret deſiderio Deus, ut quod tantopere poſcis, conſequi poſſes beati Martyris corpus: hæc noſtri conſilii ſumma; tu vero quid te oporteat facere penſa.

S. Eugenii reliquias rogat.

nihil certe promittentibus monachis,

Poſt hos ſermones abſcedunt ad ſua fratres,
Sanctus ad hoſpitium deducitur ante paratum.

7. Igitur conſolatoria quæ ſibi fratres ſuggeſſerunt verba meditatione creberrima revolvens nocte ſub ipſa ſecum, flebilia ſecum protrahendo ſuſpiria, tandem adverſus ſe prorupit in hujus quærimoniæ lamenta. Quid, inquit, agi-

de ſeceſſu cogitat.

[a] Alterius Roberti, cognomento Fortis, filius erat hic] Robertus, ac Odonis quidem Regis frater, *Remis apud S. Remigium ob Epiſcopis & Abbatibus* contra Carolum *Rex conſtitutus*, inquit Frodoardus in Chronico ad annum 722. ſequenti poſt anno in pugna Sueſſionica lanceis perfoſſus.

Digitized by Google

AN.CHR. 959 3. Octobr. agimus anima? cur adeo diligimus inania? quid mundana juvat gloria? quid humana proderit pompa? nonne frivola hæc & tranſitoria? nonne recedunt ceu fumus & umbra? Quid ſub ambiguo teneris ſuſpenſa? mundus tranſit ejuſque concupiſcentia. Quæramus quæſo permanentia, ſpernamus tranſitoria: numquidnum pertonat ſermo evangelicus, Niſi quis renuntiet iis quæ poſſidet, non poteſt Chriſti eſſe diſcipulus? Renuntiemus ergo, renuntiemus omnibus, ut Chriſto valeamus inhærere liberius. Hæc & his ſimilia dum deflendo conqueritur Dei athleta, diem repræſentans polum purpurat aurora, quæ compellit eum repetere cœpti itineris interſtitia. Rebus autem ex ſententia ſuccedentibus, non multo poſt ad eum, cujus miſſum obierat, Comitem eſt regreſſus: qui cum commiſſa ſeriatim retuliſſet internuntia, jamjamque contemplas mente cæleſtia, ſic deſiderii ſui interſerit affamina.

Comitis expetit conſenſum. Oro, inquit, virorum illuſtriſſime, quem Dominus Jeſus principali ſublimavit honore, ut benignam petitioni meæ aurem digneris accommodare. Diutius ſub te ſæcularem ſuſtinui militiam: jam nunc exigit tempus ut aliter vivere incipiam. Inſignitus ergo habitu monachali deinceps habitare elegi in domo Dei mei, ut expeditus ab omni cura forenſi militare valeam Domino ſoli. Noli quæſo meo refragari propoſito, quatenus ſi quid boni cœnobialiter egero, particeps fieri merearis auſpice Chriſto. Inde Comes lacrymis ſingultim fatur obortis. Numquid, ait, amicorum amiciſſime, unanimem amicum vis deſerere? Quid dilectioni tuæ diſplicuit in me? eheu incumbebam ſuper te, quieſcebam in tuæ unanimitatis tranquillitate: ſed ut conjicio, & evangelica eruditur auctoritate, gladius Domini quærit nos ab invicem ſeparare. Quæ niſi a Deo crederem eſſe, quiſnam te vel centimanus gigas a complexu meo poſſet divellere? Nunc vero, quandoquidem hæc tibi divinitus inſpirata, ne temere videar aſpernari precamina, voluntas Domini tua & tua petitio fiat.

Dulcia fraternis tunc imprimit oſcula labris,
Edidit & talem mæſto de corpore vocem:
Noſtræ pars animæ noſtri memor eſto valeque,
Atque gemens valde regementem ſolvit abire.

8. Vir vero Domini inde movens greſſum proſpero tramite tendit ad Tungrenſem *a* Epiſcopum, nomine STEPHANUM; ut quia paſtor ſuus erat poſt Paſtorem ſummum, ab eo acciperet de hac re licentiam & conſilium. Plurimum quippe credebat profore ſibi, ſi cum benedictione epiſcopali hoſtia viva Deo mereretur offerri: a quo ſuſceptus cum debita ſibi reverentia, ſeu pro mutuæ cognationis convenientia, ſeu pro ſua, quam optime noverat, ſanctimonia, inter cetera quæ mutuo habuerunt ædificationis colloquia, humiliter inſinuat ei cujus rei adveniſſet gratia. At Præſul venerandus ut erat in ſcripturis erudititiſſimus & verbis eloquentiſſimus, præmonere eum cœpit compluribus exhortationum diſputationibus. Fili, inquit, dilectiſſime, quem diligo præcordiali amore, non deero devotioni tuæ: ſed eſt

Conſulto Tungrenſi Epiſcopo. tibi cavendum ſummopere, ne præſumas humero tuo onus imponere, quod deponas poſtmodum, velis, nolis, cum dedecore. Propoſitum ſane quod habes in mente, vehementer laudabile: verum perfectioribus etiam viris eſt formidabile. Numquid clam te ſunt verſutiæ milleformis ſatanæ? Quod vix prævalet clericus divinæ ſcripturæ clypeo munitus, qualiter implebit laicus tali munimine nudus? Ad hæc Chriſti tirunculus paucis refert ſermonibus: Idipſum, ait, mi pater, mecum reputavi frequentius, neque meis viribus confido ullatenus: ſed Domino potius committens animam & corpus, gloriolam mundi ſperno cum ſuis oblectationibus. Domnus denuo Epiſcopus: Quoniam quidem, inquit, fili chariſſime, in hac intentione video te fixum & immobilem eſſe, ne videar diſſuadere quod oporteret me magis perſuadere, ſi quid voviſti Domino redde. Melius enim non vovere, quam votum non

a Ante erectum a Pio IV. Namuci epiſcopatum Broniénſis eccleſia Tungrenſi ſeu Leodicenſi Epiſcopo parebat, ex dictis in Obſervationibus prævììs n. 10.

Digitized by Google

non reddere. Et abſolvens eum criminibus cunctis, ſignaculo conſignat ſummæ Trinitatis, datoque oſculo pacis, effundit etiam ſuper eum hanc imprecationem benedictionis. AN.CHR. 959 3. Octob.

Jeſu ſumma ſalus hominum qui reſpicis actus,
Cui nihil occulitur, cui pectora noſtra loquuntur,
Ad bona, poſco, tuum benedicens dirige ſervum:
Ut tua juſſa colat, & te ſuper omnia quærat,
Quatinus æternæ comprendat præmia palmæ.

9. Tanto igitur vir Dei ditatus viatico a domno Pontifice, dilabitur cum ſpirituali gaudio, & Pariſius rediens cum feſtinantia, atque beati Dionyſii beata reviſens limina, probatus in omni patientia, humilitate & pœnitentia, ſicut edocet ſalutifera patris Benedicti Regula, barbæ ſeu capitis cæſarie depoſita, monachicum tandem obtinuit ſchema, traditis videlicet ad eumdem locum quæ ſui juris erant in Lotharienſi provincia. Nolens ergo torpeſcere (otioſitas nempe inimica eſt animæ) ſuppliciter cœpit expoſcere, ut ſibi liceret litteras addiſcere. Super quo fratribus admodum admirantibus, quod vir jamdudum barbatus applicari vellet ulterius ſtudiis litterarum puerilibus; dum id diatim expeteret importunius, uni eorum traditur erudiendus. Ut vero plus mireris humilitatem & ſollertiam ejus, litteratim percurrit prima elementa ceu quinquennis puerulus; ſicque ſuum minime relaxans propoſitum, in paucitate dierum memoriæ totum commendat pſalterium. Nec mirum, nulla namque ad diſcendum mora, ubi Spiritus-ſancti doctrix eſt gratia. Subinde ſacri codices ſibi apponuntur, divino dogmate ubertim debriatur, ut quemadmodum apes florilega pratorum pervolat ampla, ut ſibi dulcifluo componat nectare mella: ſic & iſte ſedulus Dei aſſecla doctorum recitans ſcripta, divini favos eloquii ab eorum melliflua excipiebat doctrina, atque ſagaciter ſacra pectori condebat mandata. Nec interim ad obediendum Regulæ aliquo marcebat tepore, ſed in cunctis quæ videbatur agere, eamdem magiſtram gaudebat habere. Quod Prior *a* & fratres ſub ſilentio contemplantes, & qualis, quantuſve foret intelligentes, ne lucerna lateret ſub modii umbra, quærentes idoneum cenſent promoveri ad ſacros ordines. Per quos paullatim permotus, ut in præſentiarum noſtræ narrationis explicat textus; attingere etiam meruit honorem presbyteratus, utpote quem totius probitatis adornaverat decus. Qui licet reclamans maluerit obſiſtere, indignum ſe vociferans multimoda excuſatione: convictus tamen a fratribus, vel Priore, juſſis eorum compulſus eſt acquieſcere, ne videretur obedientiam deſerere, quæ ceterarum comes virtutum aſſolet eſſe. Anno igitur converſionis ejus ſecundo Pariſius ordinatur Acolythus ab Epiſcopo ejuſdem urbis *b* Theodulfo; a quo etiam Hypodiaconus conſecratur ſubſequente tertio: ſub ejus vero ſucceſſore Fulrado aſcendit gradum diaconii quarto. Anno autem nono ſublimatus virtutum faſtigio, ſublimatur & ſacerdotio ab ipſius Fulradi ſucceſſore Adelhelmo.

redit ad S. Dionyſium

monachus initiatur,

virtutes ejus,

ad ſacros ordines provehitur.

Tale chariſma tuis bone Chriſte fidelibus addis,
Qui mentem ſtolidi prudentem reddere noſti.
Ecce rudis laicus divino dogmate doctus,
Sacris ordinibus reperitur magnificatus.

10. Florebat tum temporis eodem in cœnobio religioſa monachorum congregatio, quorum vitam ſuſpirare cæleſtia virtutum plurima prodebant teſtimonia. Inter quos ordine noviſſimus advenerat, ſed fieri primus omni bonitate ſtudebat: ſeniores honore præveniebat, juniores amore fovebat, corpus inedia macerabat, crebrior in oratione pernoctabat, cunctis ſe inferiorem credebat, in omnibus ſe ſicut Dei miniſtrum exhibebat, religionis normam tenebat, a rectitudine regulari exorbitare pavebat; quod habitu Probatus ab omnibus.

 præ-

a Decanus appellari ſolebat, qui ſub Abbatibus ſæcularibus, qualis fuit Rotbertus, ſpiritualium curam gerebat: Præpoſitus rebus temporalibus providebat.
b Theodulfus Pariſienſem cathedram iniit ſub annum 911 ad annos decem, ſucceſſorem ſortitus Fulradum.

AN.CHR. 959 3. Octobr.

prætendebat, moribus & vita ſervabat. In veſtibus vilitas, in victu erat parcitas. Promptus ad obedientiam, patiens ad injuriam, corpus curabat humiliare in terris, quatenus anima exaltari mereretur in cælis. Quantam humilitatem erga prælatos exhibuit, quantam benignitatem apud omnes tenuit, quis verbo depromere, quis calamo poteſt comprehendere? His & ejuſmodi floribus virtutum adornatus, tam puſillis quam majoribus habebatur ex animo charus. Unum exiit inter fratres commune decretum, ut nihil præcipuum abſque ejus conſilio fieret intra clauſtrum.

Eugenii martyris reliquias denuo petit,

11. Perpendens itaque petitionis ſuæ opportunum tempus adeſſe, quo videlicet præfati martyris venerabilem glebam ſperaret impetrare; congregata cœnobitarum congregatione cœpit eos ſibi conciliare hac dulciſſima locutione. O, inquit, patres & domini, divinæ religionis cultores eximii, qui quaſi ſenatores cæli commanetis infra curiam terreſtris paradiſi, quaſnam gratiarum actiones rependere poſſim veſtræ in Chriſto unanimitati, quæ me peccatorem & naufragum ſub procelloſi fluctibus mundi dignanter excepiſtis veſtri tranquillo portu cœnobii? Nulla mihi profecto ad hæc poſſibilitas, nulla prorſus ſuppetit facultas. Verumtamen quod minus poteſt humana fragilitas, ſupplere affatim valet largiflua divinitas. Quorſum autem noſtræ orationis tendat prælocutio, paucis advertat peto veſtræ unanimitatis dulciſſima dilectio. Mihi adhuc in ſæculari habitu conſtituto, curiſque forenſibus plurimum occupato, divina in ſomnis (vivit Dominus) apparuit viſio, quæ ſub principis Apoſtolorum honore, filiolique ſui martyris Eugenii nomine in meæ poſſeſſionis paupertate oratorium me monuit accelerare. Quod auxiliante Deo conſummans tempore parvo, clericorum illic deſervientium delegavi officio, prout valui uſibus eorum procurato victus veſtituſque ſtipendio. Et quoniam ſuper hoc martyre talia mihi innotuerunt oracula, annuat eum * filietati meæ ſuppliciter precor veſtræ paternitatis munificentia, præſertim cum veſtra ſingularis eccleſia tot ſanctorum contineat luminaria, unde ſufficienter tota illuminetur Francia: quatenus locelli illius paupercula tanto theſauro locupletetur baſilica, & vobis ob hoc repenſetur ſupernæ benedictionis gratia & beatæ perennitatis gloria. His contra unanimes exponunt talia fratres. Divino namque afflamine tacti, quod petebat vir Dei nequibant inficiari. O Eugeni clariſſima martyrum gemma, quiſnam digne tua valeat attollere præconia?

* al. filialitati.

Gallia nonne tuis virtutibus enitet omnis?
Nemo tuum petit auxilium, quin impetret ipſum:
Nam cunctis noſti languoribus ipſe mederi.

12. Deinde ad virum Dei: Magna quidem, inquiunt, efflagitas pater dilectiſſime, & quæ cuivis præter te abnegari poſſent juſtiſſime. Sed quia, veluti refers, voluntatis eſt dominicæ, & optime meruit tuæ inter nos imitabilis converſatio vitæ; cum omni benevolentia & alacritate aſſentimur devotiſſimæ ſupplicationi tuæ. Noſtra etenim cuncta ſunt & oportet eſſe cunctis communia, magis autem cum fraternitate tua, cujus cunctas facultates noſtra poſſidet eccleſia. Quocirca & hunc *a* quem expoſcis voluntarii damus, & de reliquis ſanctorum reliquias non negamus. Quo audito vir Dei cujus fuerit mentis ſeu animi, quiſque noſtrum affectione ſimili poteſt ſecum reputando metiri. Sed quid verborum prolixiorem agimus curſum? Tandem ſalutiflua deſideratiſsimi martyris exponitur urna, obrizo pretioſiora illius continens membra, quæ honorifice, ut par eſt, aurificio fabrefacta viro Dei contra-

a Ægidius a Leodio in lib. 1. de Geſtis pontificum cap. 40. translatis a Gerardo S. Eugenii reliquiis addit & S. Leodegarii Auguſtodunenſis Epiſcopi reliquias, una cum lapide ſuper quem S. Dionyſius ſacrum in carcere celebravit, ab eodem e Dionyſiana baſilica deportatas. Lapidem iſtum appendix inferius adducenda *altare itinerarium* vocat, nulla facta mentione translatarum S. Leodegarii reliquiarum. Cave ne integrum S. Eugenii corpus Gerardo datum exiſtimes: nam illud maxima ſaltem ex parte ſervabant Dionyſiani, regnante Ludovico VII. quo rogante alterum S. Eugenii brachium Alfonſo Caſtellæ Regi conceſſum eſt. Anno vero 1565. Philippus II. Hiſpaniarum Rex catholicus, reliquam corporis partem, excepto brachio altero quod Dionyſiani ſervarunt, permittente Carolo IX. Francorum Rege, conſecutus eſt, quam Toleti ſumma cum reverentia depoſuit.

Digitized by Google

traditur ad ſua, ut diutius deſideraverat, aſportanda. Ceterum numquid a nobis veritati adſtipulantia monachorum tunc ibi officialium expoſtulatis nomina, dum ipſius martyris veridica viritim eos deſignet translationis pagina? Non ſolum autem hujus ſancti corpus abinde, ſed & multorum pignora ſanctorum dignoſcitur advexiſſe, quæ fideli repoſitione ſibi collegerat undecumque. Quid quoque (quod vix videtur incredulis credibile) de uno refeœretur Innocente cum coætaneis ſucciſo, quaſi tenerrimo flore, ſub Herode crudeliſſimo Rege, quem certiſſime illuc advectum hoc eodem procuratore continet certiſſime ſanctuarium Bronienſis baſilicæ? Si cui autem ingerit ambiguitatem, LIETALDUM *a* percontetur Abbatem, hujus viri Dei in cœnobio Moſomenſi ſucceſſorem, qui cum eo præſens ad clandeſtinam tot reliquiarum compoſitionem *, demirari ſolebat Bronienſis locelli anguſtiis tam mirabilem contineri ſanctitatem. Fratres ergo facientes vale, cum ſuis dimittunt in pace: unde profectus clanculum, ob metum ſcilicet indigenarum, ne forte præciperent ſibi tantum ſubripi theſaurum, proſpero curſu pervenit ad municipium in pago Lomacenſi ſitum, quod appellatur Cuvinium. Hic autem degebant duo monachi ex monaſterio ſancti Germani, ad quem tunc pertinebat fundus ejuſdem municipii, unanimiter excubantes cura pervigili in excubiis ſancti Abbatis VENANTII. Quorum expertæ fidei commendans pignora ſancti, utpote qui jam dudum ſibi fuerant familiaritate conjuncti, non incongruum duxit adire præſentiam domni STEPHANI antiſtitis prælibati, ut quoniam tantum advehebat margaritum ſuæ diœceſi, probabilem audiret ſententiam ſuper hujuſcemodi.

AN.CHR. 959 3. Octob.

* ſ. comportationem

obtentas Cuvinium defert.

Sic decorare ſuos conſuevit Chriſtus alumnos.
Hic ſpretis opibus ejus mandata ſecutus,
Unde nitet patria, cum merce repatriat iſta.

13. Viro Dei indidem digreſſo, beati Martyris corpuſculo ibidem relicto, quid ad laudem nominis ſui dignatus ſit Dominus per eum operari, incongruum videtur ſilentio tegi. Unus ſiquidem ex præſcriptis fratribus plus ſolito in potandum quadam nocte dimiſſus, nocturnas ad laudes redditur tardiuſculus, potu utique evictus, nimioque ſopore gravatus. Cui ſanctus aſſiſtens Venantius, vultu ſeveriore corripuit eum & verbis, & verbere: Quid, inquiens, nunc ſtertis impudens monache? Cur debitos Deo hymnos tricaris perſolvere? Quid tu ſopore deprimeris Weremberte? hoc quippe vocabatur nomine. Ecce frater tuus de ſomnolentia tua conqueritur Ermarus, ad vigiliarum excubias jam dudum expergefactus. Et ſi te non noſtra adeo ſollicitat reverentia; cur ſaltem tibi commiſſa almi martyris Eugenii non permovet præſentia? num ignoras ejus merita? numquid non fulgent inter * lucida ſanctorum agmina, ſicut ſol inter minora ſiderum aſtra? Surge inquam, ſurge quantocius, & quod debueras maturius, matura ſupplere vel tardius. Quæ correptio eo tenus eum correxit, ut ne ad modicum quidem poſt hæc ab obſequela martyris, niſi humanitatis gratia, uſpiam ſeceſſerit, quoad uſque ejus fidelis creditor depoſitum fidele repoſcit. Ne quis autem incredulorum hoc æſtimet forſitan fictum, hoc illius qui pertulit conſtat relatu relatum. Dum autem vir Domini domino retuliſſet Antiſtiti de adventu & nomine Martyris egregii, continuo ille, ut erat jucundioris animi ſubtilioriſque ingenii, alludens ſacro ejus nomini, verba deprompſit hujuſmodi.

Weremb. bertus monachus ſomno excutitur.

* al. fulgida.

Impetret Eugenius nobis precor euge beatus,
Quod Dominus digno dignatur dicere ſervo,
Quando reddit ei cæleſtis gaudia regni.

Poſt hæc pias manus attollens & oculos ad cælum dirigens, benedixit Deum in hæc verba gratias agens.

Laus & honor decus atque decor tibi Chriſte redemptor,
Qui famulis bonus immeritis bona multa rependis.

a De Lietaldo Abbate ſuperius in obſervationibus præviis actum eſt, uti & de villa Cuvinio, ac de ſancti Venantii reliquiis.

Digitized by Google

AN CHR 959 3. Octob.

Quaſnam multiplices tibi poſſim reddere grates,
Qui partes noſtras hoc tanto munere dotas?
Martyr hic eximius noſtra ad confinia miſſus,
Credo equidem cunctis apportat dona ſalutis.

Et converſus ad virum Dei. Quid inquis recraſtinas dilectiſſime fili?

Rumpe moras omnes & nequaquam obſecro ceſſes,
Donec perficias quod toto corde peroptas.

Ecce a nobis exit edictum per omnem viciniam finium veſtrorum, ut utriuſque ſexus agmen conglobatum certatim properent ejus in occurſum, quatenus magnum Eugenium cum magno euge introducant in tabernaculum a Deo ſibi præparatum per tuæ devotionis obſequium. Cujus benigna reſponſione vir Dei vehementer confortatus; & epiſcopali auctoritate admodum corroboratus, citatim Cuvinium eſt regreſſus, repetitum deſideratiſſimi martyris pignus quod inde exportans, iter invadit, ac Bronium verſus directo tramite tendit.

Eugenii reliquiæ Bronium deferuntur.

14. Quiſnam rogo referat de multitudine plebeja, quos ad ſe pertrahebat jam nota Martyris fama huc illucque volitans, ſtare loco neſcia.

Multos urgebat, multos properare monebat:
Procurvus foſſor venit, & defeſſus arator,
Cernere bubulcus deſiderat, atque ſubulcus,
Servus & ingenuus permixtim convolat illuc.

Quis enim tranſeuntis opinionem Martyris audivit, & domi indevotus deſeſque reſedit?

Vix capiunt patuli populorum gaudia campi,
Munera comportant, devota voce ſalutant,
Oſcula perſpicuo figunt impreſſa metallo,
Dulciter hymnidicas plebs omnis concinit odas.

Tollunt voces ad ſidera, laudant Dei magnalia. Videres iter iſtud confici ſine labore, cum magna animorum alacritate, cum jucunda lætantium jubilatione; putares cælum arridere ſuaviſſima aeris ſerenitate. Quo comperto ADELHELMUS tunc temporis Archidiaconus, vir morum nobilitate prudentiſſimus (hæc ſiquidem agebantur ſub archidiaconio ejus) ſecum ſumptis Clericorum ordinibus, crucis vexilla, ſanctorumque patrocinia competenter præferentibus, non modico etiam agmine collecto promiſcui ſexus, ex cœnobio ſancti Foillani *a* raptim procedit obvius. Ut autem contigua beati Martyris emicuit libitina, ter ad terram cum ſuis proſternitur humillimus Archilevita. Proſtrati tundunt ſua quiſque pectora, tundentes commiſſa fatentur peccamina, fatentes lacrymoſa fundunt ſuſpiria, fundentes congrua poſcunt remedia, poſcentes pœnitentialia Deo vovent libamina; & compunctus ſpirituali gaudio, Omnes, inquit Archidiaconus, omnimodas agamus gratias Deo: viſitavit enim nos oriens ex alto; & qui tenebroſo ſordebamus vitiorum nubilo, illuſtravit nos gratuito tanti patroni lumine claro. Quanta vero efferbuerit exſultatio conveniente in unum utroque populo, quiſnam ſcriptorum valeat concludere ſcripto? Præ nimia nempe lætitia multorum oculi madebant dulci lacryma. Quis namque tam ferinæ mentis, quis tam petrini pectoris, qui ſub hoc ſpectaculo foret expers devotæ compunctionis? Salubri ſarcinæ gaudent ſuccedere, gaudent contingere, gaudent convehere, gaudent munerari, gaudent venerari; pſallebant alacres, reſonabant undique voces, omnes excelſa voce *Kyrie eleiſon* conclamant: *Gloria in excelſis Deo* decantabant, *Te Deum laudamus* perſonabant. Nil inibi niſi laus Domini poterat reperiri, ætheris arx reboat concentu, terra reſultat, juga montium, concava vallium, denſitas nemorum reddunt per echo canticum. Illuxitne putas unquam lux lætior uſquam? Tali igitur cum jubilo tantoque cum tripudio Archilevitæ humero advehitur tum Bronio: quem decenter inthronizantes in oratorium Principis Apoſtolorum, a Deo

Occurrentibus populis & clero circumpoſito,

Adelhelmo archidiacono ſuccollante,

a De S. Foillani Foſſenſi cœnobio lege Sæculum 2. Bened. pag. 308.

Digitized by Google

a Deo deſtinatum videlicet locum, denuo donariis oblationum honeſtant in præſentiarum, ſeſe pollicentes in poſterum libentiſſime frequentaturos ejus patrocinium. Fit autem tam jucunda translatio ſub beati maryris Agapiti feſto, quod eſt die menſis Auguſti octavo-decimo. Et ut omni anno recolatur cultu celeberrimo; conclamatum eſt totius cleri populique decreto. His ita completis, cum jucunditate ad ſua quiſque regrediuntur cum pacis tranquillitate. Quiſquis ergo fide non ficta hujus ſancti expetit ſuffragia, abſque dilationis mora experitur promptiſſima, præſertim cum ab ejus devectionis die lætiſſima certiſſime tota profiteatur vicinia, multa ſibi inſolita proveniſſe ſubſidia. Et quemadmodum quondam in Francia beneficus extitit per plurima ſignorum prodigia, uti refert miraculoſa geſtorum ejus pagina *a*; ita etiam nunc munificus in Lotharingia præſtat crebriora virtutum beneficia.

AN. CHR. 959

3. Octob.

deſtinatum in locum transferuntur.

15. Igitur longe lateque fama Martyris percrebreſcente, & virtutum ejus inſignia notificante, cœpit ad ejus memoriam unde unde quaſi apes ad alvearia plebs plurima confluere, deferentes quiſque pro poſſe munera oblationum cum magna devotione. Fit occurſus & concurſus e longinquo & proximo, ubertim votiva congeruntur dona piiſſimo martyri Eugenio tribulatis ſemper invocando, ſemper ſuccurrere prompto.

Adveniunt multi admiſſa ob crimina mæſti;
Sed precibus ſancti redeunt ad propria læti.

Quod impatienter intuens humani generis inimicus, qui paradiſicolam ab æternis extruſit ſedibus, per quorumdam circummanentium corda (ſi fas eſt dici) Clericorum diffundit invidentiæ virus, adeo ut obfuſcare pertentarent modis omnibus tam honorificos beati Martyris cultus. Proh nefas! Præfatum ergo adeunt Pontificem Foſſis tunc forte morantem, queruliſque ſermonibus apud eum evomunt conceptum malivolentiæ putorem. Numquid, inquiunt, Paſtor vigilantiſſime, auctoritatis & voluntatis eſt veſtræ, ut adventitius quiſpiam ſanctus ſub epiſcopatus veſtri ditione venerationis cultum accipiat incerta rei veritate? Ecce nuper advectus e Francorum finibus, Bronii colitur neſcio qui martyr Eugenius, cui in cereis aliiſque oblationibus tanta veneratio exhibetur ab omnibus, ac ſi credatur ex Apoſtolis unus. Ubinam textus martyrii ejus? ubinam ſcriptura continens ejus geſta? Veſtram profecto prudentiam oportet ſummopere perſcrutari & inveſtigare ſi ſit a Deo, an non, Eugenius iſte. Hæc & his ſimilia pellaciter ſuggerentes Epiſcopo, adverſus martyrem concitare conantur omnimodo: nunc a nobis dominus Epiſcopus quantiſper conveniendus. Audi, inquam, Epiſcope, ego auctor hujus pagellæ tibi tacita loquor in aure. Oportet te ſollertius præcavere & diligentius obſervare, ne quis invidorum maleſuado ſermone animum tuum valeat ineſcare. Cur invidiam placare putas virtute relicta? putredo os ſuum invidia, ceu Salomonis indicant verba. Ethnicus quoque in proverbiis:

Invidentes Clerici

Stephanum Epiſcopum interpellant.

Invidus alterius macreſcit rebus opimis.

Vapulabis, crede mihi, vapulabis duriſſime ſi credideris æmulorum fallaciæ. Noli, quæſo, noli acquieſcere, ne poſterius te pœniteat ſera pœnitudine. Quid plura? ſicut apoſtolicæ vocis clamitat tuba, *Corrumpunt bonos mores colloquia mala;* dum plus juſto auſcultat Pontifex malivolorum mendacia, penitus excidit a memoria quæ ſibi fuerat antea de adventu martyris lætitia. Hujus ergo veneni attaminatus paſtula, Leodium verſus arripit itinera, adnullare deſiderans magnifici martyris obſequia. Quem in villa, quam dicunt Mallonia *b*; ibi quippe erat manſio ſibi parata, pede non claudo digna conſequitur pœna. Ut enim eo loci perventum, nec quidquam ſuſpicatur ſiniſtrum, repente pervaſit eum tantus dolor ilium, ut formidaret ſe

Credulus ille obtrectatorum calumniis,

a Hæc Eugenii martyris geſta, antiqua manu exarata Dionyſiani Raimundo Toletano antiſtiti exhibuere, cum is a Remenſi Concilio, ſub Eugenio 3. celebrato, rediens Pariſios, ad baſilicam Dionyſianam venerationis ergo ſe contulit.

b Mallonia villa nunc Abbatiæ titulo donata, vulgo *Maloigne*, Sabi adjacet duabus ſupra Namucum leucis.

Digitized by Google

AN.CHR 959 3. Octob. Ilium dolore torquetur; protinus exhalare ſpiritum. Torquebatur itaque graviſſimo cruciamine, & ne ad momentum quidem poterat quieſcere; unde quaſi menceps dentibus ſtridere, manus contorquere, crura brachiaque huc illuc disjectare. Ab ejus vero facie, quam modo rubeſcere, modo palleſcere, modo videres nigreſcere, quanta laboraret ægritudine poſſes agnoſcere, & tandem ad cor reverſus commiſſum agnoſcit reatum, hiſque querimoniis cœpit objurgare ſeipſum.

Ah Stephane infelix quæ te ſententia vertit!
Ah minimæ fidei de martyre cur dubitaſti!

Merito nunc cæderis, merito hæc pateris, merito jam moreris. Cur invidorum acquieviſti mordacibus verbis? cur oblitus es magnum euge Eugenii martyris? Sic ſe incuſabat, ſic ſe gemebundus agebat. Circumſtantes vero capellani lacrymarum imbre perfuſi, cupientes eum conſolari, ſingultim ajunt illi: Deſine noſque tuis incendere teque querelis, Pater amantiſſime, quin potius ſuper hac incommoditate aliquod remedium præmeditando perquire. At ipſe: Obſecro te, inquit ad quemdam ſibi fidelem, Frater amantiſſime, ſi ſalus mea tibi eſt curæ, & me ſoſpitem ulterius vis invenire, juxta longitudinem corporis mei, latitudinemque binas accelerans candelas compone, & pro meæ ſanitatis recuperatione beato martyri Eugenio depropera pervehere, cui præcordialiter me profiteor in ea culpa peccaſſe. Quod ſi meritis ejus diſcrimen mortis evaſero, veraciter ſpondeo, polliceor & voveo, beneficii accepti non immemor ero. Qui jubentis ſatagens parere præceptis, prout poſcebat vehementis cauſa doloris, Bronium, ut ita dicatur, pervolat aſcenſo alipede pernix; ingredienſque oratorium ſancti candelas gerit, gerens præſentare martyri geſtit, preſentatas accendere quærit, accenſas ante mauſoleum ejus in modum crucis ſingultando componit. Res equidem mira viſu dictuque notanda.

petita a ſancto venia,

16. Denique finem lucendi prendente lucerna, ægrotantem Epiſcopum e veſtigio reviſit ſoſpitas exp.ctata. Qui priſtinæ incolumitatis ſtatu revigoratus, & beneficentiæ ſalutiflui martyris neutiquam ingratus, gratum ille decrevit rependere munus, quod quidem memoriale ſuum cunctis repræſentaret diebus. Evocans etenim æditὑum Bronienſis eccleſiæ, ſi bene recolimus, Anſelmum nomine, cum Martyris paſſione Leodii coram ſe commendat adeſſe, ut in generali Synodo quæ futura erat proxima ſeſſione, corroboraretur epiſcopali auctoritate. Quod cum ille gratanti animo compleſſet, & in plenaria Synodo paſſionis ſeries recitata fuiſſet, cunctiſque qui aderant complacuiſſet; communi conſilio totius cleri decernitur, ut & martyr digna cum veneratione colatur, & ejus paſſio rata acceptabiliſque in eccleſia deinceps recitetur. Et proloquens Epiſcopus tamquam teſtis idoneus quæ ſibi obtigerant, immo quæ fuerat paſſus propalare non erubuit omnibus. Subjungens quoque, Ecce, inquit, fratres chariſſimi, audivit dilectio fraternitatis veſtræ, quanti qualiſve ſit meriti ſanctus iſte, & quam ſit terribile iram ejus incurrere, quamque ſaluberrimum & optabile gratiam ejus acquirere: & quoniam prono verbere caſtigans caſtigavit me, morti tamen gratia ſua non tradidit me; condecens certe videtur & honorabile, ut cum aſſenſu veſtro & ſtipulatione honoremus eum aliquanto munere; quatenus apud clementiam pietatis divinæ pro noſtris exceſſibus dignetur intercedere. Cujus ſententiam omnibus unanimiter approbantibus, hæc conſequenter dominus proſequitur Epiſcopus. Decreto, inquiens, pontificali confirmatur, & hæc ſancta ſynodus adjudicans fieri adſtipulatur, ut per totam in qua quieſcit decaniam ſollemnitas ejus, acſi Dominica, obſervetur, & eccleſia Bronienſis ab omni obſonio Epiſcopis Leodienſibus debito ulterius immunis habeatur: & ut omni tempore ratum inconvulſumque permaneat, ſucceſſorumque meorum nullus infringere vel infirmare audeat, quid acciderit mihi contra eum ignoranter calcitranti requirens audiat, audiens pertimeſcat, pertimeſcens præcaveat, præcavens hoc illibatum cuſtodiat.

ſanitatem recuperat; cultum ejus promovet; Bronienſem eccleſiam libertate donat.

Talis

Talis ergo decreti prima procuratio conſervandi jure perpetuo commiſſa perhibetur fratri FLODINO *, tunc temporis inde decano. AN.CRH. 959

17. Vir vero Domini Gerardus de bonis ad meliora contendens, & Bronienſe ſanctuarium in cunctis provehere volens, Clericorum, quam ibi prius locaverat, eliminavit converſationem, monaſtici Ordinis ſubſtituens religionem. Quibus cum aliquamdiu ſtrenuiſſimi paſtoris prioratu præfuiſſet, & confluentis illuc populi inquietudinem ferre non poſſet, neque ab Epiſcopo, ad cujus diœceſim pertinebat miſſionem impetrare ſperaret; prioribus electis, cum quibus onera ſua partiret, ſecundum quod Domini BENEDICTI diſcretionis Regula jubet, remotiori cellulæ juxta eccleſiam ſe ſingulariter confert, quatenus ibidem divinæ contemplationi peculiarius vacare valeret.

3. Octob. * mſ. Ghiſl. Elodino. Gerardus Clericos Bronio ejicit, monachis inductis, cellæ recluditur.

Qualiter hic vixit quiſnam depromere poſſit?
Hoſtia fit moriens, necnon & victima vivens,
Victima viva Deo, revera mortua mundo.

18. Hoc in tempore Dux GISLEBERTUS *a* tenebat ducamen Lotharingiæ, vir quidem magni honoris & potentiæ, ſi tamen illud vaticinium Pſalmiſtæ, *Homo cum in bonore eſſet, non intellexit*, ſapuiſſet intelligere. Erat nempe gener HENRICI opinatiſſimi Regis, in matrimonium habens ſororem Ottonis famoſiſſimi Imperatoris. Et quoniam obtulit ſe tantorum mentio virorum, patris ſcilicet ac filii, noſtræ narrationis ſchedulæ (licet ab incœpto videamur digreſſionem facere) operæ pretium eſt ſummatim de eis paucula perſtringere, quatinus qui vel quales fuere, quia quoſdam novimus eodem nuncupatos nomine, abſque ambiguitatis ſcrupulo ſapere volentes valeant agnoſcere. Iſte, inquam, Henricus non minus prudentia quam fortitudine redimitus, quemadmodum in Chronico *b* legimus, cujuſdam Ottonis potentiſſimi Saxonum Ducis exſtitit filius, qui regale ſceptrum ſortitus, utpote omni exercitio militari inſtructiſſimus, complures quas edicere novimus, ſtrenuiſſime imperavit nationibus. Verum ut de multis quæ prudenter fortiterque geſſit ſileamus, magnum quiddam ac præclarum, unde beavit totam quam regebat Auſtriæ monarchiam, ad medium proferamus, quale profecto prædeceſſorum ſuorum feciſſe deſcribitur nullus, nec ipſe quidem, qui totum pæne ſubegerat orbem, Carolus Magnus. Obtinuit namque lanceam magni Conſtantini, Helenæ Reginæ procul dubio filii, inventricis, ut legitur & creditur, ſalutiferi ligni, inſtar crucis inſignitam clavis, mirabile dictu, affixis dominico corpori. Quam prudentiſſime vero meruerit eam indipiſci, & quanto obſervationis cultu ſategerit venerari, luculenta oratio omnino cujuſdam indicat chronographi, quam ædificationis gratia curavimus interſerere huic noſtræ deſcriptioni. „Henricus Rex, ut erat Deum timens „& amator religionis eccleſiaſticæ, audito Rodulfum *c* Regem Burgundio„num tam inæſtimabile donum habere cæleſte, quod & Rodulfus ipſe ſum„mo amicitiarum dono acceperat a Samſone quodam Comite, nuntiis di„rectis, tentavit ſi præmiis aliquibus id poſſet acquirere, ſibique adver„ſus viſibiles & inviſibiles hoſtes arma invictiſſima triumphumque perpe„tuum præparare. Quod cum Rex Rodulfus ſe numquam hoc acturum „ediceret, modis omnibus Rex Henricus, quia mollire eum non potuit „muneribus, magnopere curavit eum pulſare minarum terroribus. Omne „quippe ejus regnum cæde atque incendiis promiſit ſe depopulaturum. „Quia vero quod petebatur erat munus, quo terrena cæleſtibus, utra„que pacificans, conjunxerat; Deus Rodulfi Regis cor tandem emollivit, „juſtoque Regi juſta juſte petenti (tantum) munus attribuit. Quanto

Gislebertus Dux Lotharingiæ,

Henricus Rex.

Conſtantini lanceam petit,

ægre obtinet.

a Varia fuit Giſleberti Ducis fortuna, qui modo Carolo Simplici, ac Ludovico ejus filio favens, *trans Rhenum tandem profectus prædatum*, inquit Frodoardus, *Saxonibus ſe, dum revertitur inſequentibus, in Rhenum lapſus* miſere periit anno 939. Is Gerbergam Ottonis ſororem duxerat, quam poſtea Ludovicus Tranſmarinus ſibi copulavit.

b Chronicon iſtud, cujus verba refert anonymus vitæ Gerardi ſcriptor, ante ſæculi decimi finem ſcripſit auctor ignotus, nec uſpiam inter ſcriptores Germanicos apparet. Hunc tamen legerat auctor Chronici Saxonici ſeu Magdeburgenſis mſ. nam plurima ipſius verba ſibi ſumpſit.

c Rodulfus eo nomine ſecundus Burgundionibus præfuit ad annum 937.

Digitized by Google

AN. CHR. 959. 3. Octob.

„ autem amore Henricus Rex hoc inæſtimabile donum dilexerit, in hoc evidentiſſime patefecit, quod non ſolum auri argentique muneribus Rodulfum „ honoravit, verum etiam Suevorum provinciæ non minimam partem do„ navit. Deus autem inſpector cordis ac retributor bonæ voluntatis, quanta „ mercede ob hanc rem æterno in ſæculo pium Regem Henricum donaverit, „ quibuſdam indiciis hoc etiam in tempore manifeſtavit, dum contra ſe in„ ſurgentes hoc victorioſo præſente ſigno ſemper hoſtes terruit atque fuga„ vit. Tali igitur occaſione, immo favente Dei voluntate, ſanctam Rex Henricus romphæam meruit obtinere, quam filio, unde in præſentiarum nobis eſt ſermo, decedens dereliquit cum hereditario regno, non minori veneratione obſervandam ab eo, ſicuti multæ pandunt victoriæ, quas per eam perpetravit orando.

Ottonis Magni præclare geſta.

19. Qualis vero quantuſve fuerit hic inſigniſſimus OTTO, *a* idem Chronographus intimat nobis hic maximo in laudem ejus præconio. Iſte, inquit, „ *iſte eſt* Otto principium excellentiſſimus, cujus potentia mundi partes aqui„ lonaris & occidua reguntur, ſapientia pacificantur, religione lætantur, ju„ ſtique judicii ſeveritate terrentur. Quid hac laude excellentius? quid hoc teſtimonio evidentius? Fuit & huic frater HENRICUS, patri quidem æquivocus, ſed longe diſtans moribus. Inſtinctu enim reproborum fratri rebellavit infidus: Et ut mentio fiat quantulacumque de altero fratre ejus Duce atque Archiepiſcopo BRUNONE, cujus nimirum memoria eſt in benedictione, quiſnam queat condigna relatione virtutes ejus æquiparare? Sub cujus procuratione ſagaciſſima radicitus amputante improborum ſpurca vitulamina, tamquam arbor fructifera refloruit Lotharingia pacis & juſtitiæ abundantia, aſſeverans ejus tutamine revexiſſe aurea quondam tempuſcula. Cujus rei indicio eſt RAGINERUS Comes Hainoenſium haud ignotus, cognomento Longicollis, qui quia tyrannice ſuis importunabatur comprovincialibus, & noluit reſipiſcere, ſemel & ſecundo commonitus, nunc uſque exſulat in ignotis regionibus, procurante induſtria ambidextra Archipræſulis hujus. Verum ne prolixior oratio lectori pariat faſtidium, deinceps redeundum ad narrandi propoſitum. Sufficienter enim videtur noſtratibus notum, qualiter is Otto conſtantiſſimus virorum, ante victoriferum proſtratus labarum orando, trans Rheni alveum fratris Henrici & præſcripti Ducis Gisleberti ac potentiſſimi Comitis EVERARDI *b* copioſum parva manu effugaverit equitatum, nondum ſuis militibus tranſvectis cis Rhenum. Nihilo minus etiam illud notiſſimum, qualiter idem Gislebertus & ipſe Francigena Everardus reparatis multorum copiis militum, & vaſtata circumquaque provincia Saxonum, multis cum manubiis repatriare cupientes pervenerunt flumen ad ipſum; ibique cum ſuis interierint per pauciſſimum Ottonis exercitum, ipſo in Alſatiæ partibus præſtolante rei exitum, immo divinum implorante „ ſubſidium: & ut Chronographi verba ponantur, Everadus gladiis occiditur, „ Gislebertus Rheni undis ſubmergitur: quas quoniam exſorbere præ multitudine non potuit, anima recedente defecit. Sicque completur vaticinium Pſalmographi qui dicit: *Homo cum in honore eſſet, non intellexit.* Ob ambitionem quippe regni circa eos iſtud obvenit. Hæc ergo ſuccinctim interſita, nemini videantur ſuperflua; magis autem non incogruenter addita, non enim cunctis exſtant cognita. Jam nunc accingamur differere cœpta.

Henricus Dux, & Bruno Archiepiſcopus Ottonis fratres,

al. Ebrardi

Gislebertus & Everardus pereunt.

S. Gislenus Gisleberto apparet.

20. Eidem igitur Duci Gisleberto, dum adhuc conſiſteret in honore ſuo, Chriſti confeſſor GISLENUS, qui requieſcit in Hainoenſi territorio, per viſum apparuit intempeſtæ noctis conticinio; eum querimoniis precamina interm iſcendo adorſus eſt hujuſcemodi ſermocinio.

Dor-

a Plura de Ottone M. & fratribus ejus Henrico Bajoariorum Duce, atque Brunone Archiepiſcopo dicemus in Elogio Mathildis Reginæ. Porro Bruno Colonienſi ſedi ab anno 953. in annos duodecim præfectus eſt, de quo in translatione ſancti Maurini Abbatis inferius.

b Hæc anno 939. contigiſſe docet præter alios Frodoardus in Chronico.

Digitized by Google

3. Octob.

Dormis an vigilas? nimium mundalia curas,
Gisleberte, meam complens attende loquelam.
Da mihi, Dux, unum ſupplex efflagito ſcutum,
Quo præmunitus expugnem fortiter ictus,
Quos inferre mihi non deſiſtunt inimici.

Qui heros Gislebertus ita reſpondit joculabundus : Ad quid tibi bellicus, ſancte Dei, clypeus? ſacro divinæ protectionis ſemper & ubique muniris, ideoque noſtris non indiges armis. Sanctus ad hæc infit, dubioque obſcura reſolvit. Ne forte ambiguus tenearis ambigui perplexis ambagibus verbi, contumelias nequeo diutius perpeti quibus me in dies afficiunt Urſidongicellenſes *a* Clerici. In meo ſiquidem cœnobio, quod Chriſtus contulit mihi Argolico, nulla omnino exercetur religio. Omnes quæ ſunt quærunt, quæ autem ad Deum pertinent nihili pendunt. Corporis mei glebam vehunt & revehunt per patriam, ut per fidelium munificentiam mendicitatis ſuæ expleant inediam. Non deſinunt laceſſere, non me ſinunt quieſcere. Summam dico tibi: nuſquam reverentia noſtri. Et quoniam penes te verſatur procuratio Lotharingiæ, obſecro, poſco, precor pro Chriſti nomine, ne procraſtines idoneum paſtorem mihi perquirere, ſub cujus tuto moderamine pauxillum pauſæ poſſim percipere. Quod quo pacto queas percipere, mentem noſtram nunc accipe. Eſt vicus in pago Lomacenſi, cujus vocabulum eſt Bronii, in quo quidam Gerardus degit vere famulus Domini, theoreticam ducens vitam in anguſto conclavi juxta veſtibulum monaſterii. Hunc igitur mihi aſſume, cœnobiique mei curam ſibi committe, quia nemo mihi videtur ad negotium tale oportunior in hac regione. His ita finitis evanuit ejus ocellis. Ut autem ejus querimoniæ cauſas explicemus, oratorium habebat & hodie habet beatus Gislenus in manſionili, qui a quibuſdam Cella, a quibuſdam vero dicitur Urſidungus: quo in loco in famulitium ejusdem ſancti aliquot deputati manſitabant clericuli, regularis diſciplinæ prorſus ignari: & non ut hodie ſunt Canonici, ſed erant ſicut matricularii, qui partim rei familiaris coacti neceſſitate, partim morbo laborantes philargyriæ, ſacroſancta almi Confeſſoris membra ſcapulari ſuperpoſita libitinæ, conſueverant per plateas vicoſque cantitando, quin potius mendicando circumferre. Quibus ab hac præſumptione non reſipiſcentibus, ſed magis perperam agentibus, juſtiſſima indignatione commotus inultum manere non pertulit iſte beatus: ſe quidem paſſus eſt ſubripi a furibus ut ita dicatur fidelibus, qui quodammodo ægri pendebant tam grande ſancti dedecus, & ut fateamur verius, qui plus ſuis aggaudebant quam commodis alterius. Quo comperto Urſidongi-Cellenſes paramonarii *b* ſero recognoſcentes offenſam reatus proprii, quanto mærore confecti ſint, importunum videtur enarrare, & ſupervacaneum percontari.

Eo monente Dux Gerardum Bronio Urſidungum evocat

21. Gislebertus itaque non immemor viſionis oſtenſæ, accerſitis ad ſe Cameracenſi Epiſcopo Tiedone *c* atque atque Raginero Hainoenſi Comite, quidquid acceperat in eadem viſione, ex amuſſim ſtuduit ambobus notificare, eoque eos conſulente quid fieri oporteret ſuper hac re; Nihil aliud, inquiunt, audemus decernere, quam quod aſſeris te cælitus accepiſſe, præſertim cum vir iſte venerabilis vitæ toti innotuerit provinciæ probitatis opinione. Aſt ille: Abeuntes, inquit, ad virum Dei celerrime cum virga paſtoralis curæ, invitum aut ſponte regimen eccleſiæ compelletis eum ſuſcipere. Qui quam mox iter indictum arripiunt, ad locum præſcriptum deveniunt: ubi Dei famulum requirentes, in præſignato ſecretiori tuguriolo latitantem reperiunt, reperientes congruæ ſalutationis verba præmittunt, præmiſſis mu-

a Clericorum Cellæ ſancti Gisleni incubantium, qui per bellorum tempeſtates pulſis inde monachis ſucceſſerant, pravos mores deſcribit Rainerus in libro de miraculis Gisleni edito in Sæculo 2 pag 796.

b Nomen græcis etiam gentilibus uſitatum pro *manſionario* ſeu cuſtode eccleſiæ.

c Legendum vel Stephano qui ad annum 934. Cameracenſibus præfuit, vel certe Fulberto proximo ejus ſucceſſori. Nam Thieddo non ante annum 964. Cameracenſem cathedram obtinuit. Stephanum vocat jam memoratus Rainerus in libro de miraculis S. Gisleni.

AN.CHR 959 3.Octob.

tua dilectionis oſcula figunt. Cui cum expoſuiſſent cauſas itineris, & quoniam a Deo fieret legatio talis; ille, ut erat columbinæ ſimplicitatis, iſtiuſmodi reſponſum reddidit illis. Quomodo, inquiens, facere poſſum, Patres dilectiſſimi, quod ſuggeritis meæ modicitati? numquid ego qui abdicavi frivola mundi, cuncta Dei amore ſæcularia contempſi, iterato repetam quod omiſi? Vos ipſi, quæſo, diſcernentes diligentius intuemini, utrumnam tale quid expediat mihi. Quidnam admonet de talibus Doctor gentium Paulus? *Nemo*, ait, *militans Deo*, *implicat ſe negotiis ſæcularibus*. Recedite, quæſo, recedite, ſinite me peccata mea plangere, indignum fore me pronuntio ſuſcipere quod quæritis. Non ſum idoneus quibuſpiam præeſſe, qui nec mihi, nec cuipiam queo prodeſſe. Vires mihi non ſuppetunt, ſanctitatis opera deſunt: regulam innocentis vitæ nequaquam me tenere cognoſco, ideo eccleſiaſticæ rectitudinis gubernaculum accipere diffido. Adverſus apologiam hujuſmodi ſubjunxere viri dicentes hæc: Obſecramus te, Pater benigniſſime, per dilectionem Dei, ut nobiſcum digneris venire, & te ſuſtinentis eccleſiæ regimen ſuſcipere. Num memoriæ excidit quod idem Doctor gentium dicit; *Omnis anima ſublimioribus ſubdita ſit?* Nonne recolis & illud Janitoris cæli, *Sive Regi quaſi præcellenti*, *ſive etiam Duci?* Non ut religionis cultum omittas quærimus, neque ut lenocinantis mundi repetas luxus, dummodo hanc egrediaris cavernam, qua teneris circumſæptus, quatenus ſpeculum fias fratribus opis tuæ perquam indigentibus. Fortis enim præliator Dei non debet occultari ſpelio clauſtrali, ſed potius ingredi campum certaminis & congredi. Non tua tantum ſufficiat tibi, ſed & proſpicias fratrum ſaluti, cum prodeſſe poſſis compluribus tam gratia exhortationis, quam exemplo religioſitatis. Nonne mandat & Dominus; *Luceat lux veſtra coram hominibus?* &, *Nemo lucernam accendit & in abſcondito ponit*. Sed quid multis opus eſt verbis? certiſſime pro hac inobedientia rationem te redditurum noveris in die tremendi examinis, niſi noſtræ petitioni acquieveris, maxime cum ſit divinæ voluntatis, & perurgeat juſſio Cunctipotentis. Tunc ſenior lacrymis evictus fatur obortis. Decreveram quidem ſingularis degere, meaque commiſſa lugendo diluere: ſed, ut video, nolens volenſque propoſiti rigorem compellor abrumpere. Divinis refragari mandatis non audeo, Ducis edictum, veſtramque precem aſpernari non debeo, prout novi & valeo fratrum neceſſitati ſubvenire delibero. Vobiſcum ergo ire non differam, quod jubetis incipiam. *a* Potens eſt Deus perficere quod mihi minus poſſibile. Quo audito venerabiles legatarii congratulamine magno gaviſi, baculum paſtoralem impingunt protinus illi, animi ejus ægrimoniam delinientes affamine tali. Eja, inquiunt, paſtor ſtrenuiſſime, agalma *b* commiſſum matura inviſere, ſummique Paſtoris fiſus juvamine, lupinos rictus ſatage ſagaciter abigere, ne forte (quod abſit) erroneæ diſpereant oviculæ. Secumque iſtinc abducentes debito cum honore, non tamen ſine irremediabili luctu Bronienſis eccleſiæ, feſtina cum celeritate Urſidungum contendunt remanere, & facta ſibi eccleſiaſtica donatione, totius ſcilicet ſupellectilis Abbatiæ, ſecundum ſcita auctoritatis canonicæ, Abbatem eum illic gaudent conſtituere. Qui clericorum ibi degentium converſatione non bona diligentius inveſtigata, commodum duxit ab ea exturbare baſilica, libertatem habentes ſua quiſque exercere negotia, ſubinde Deo digna ſubrogans cœnobitarum examina.

Fruſtra reniſus ille,

S. Gisleni cellæ præficitur.

22. Modica vero temporis tranſcurſa intercapedine, per ſe perſcrutatus almi Confeſſoris, pro dolor! glebam abeſſe (ſublata quippe fuerat, ceu liquet ſuperiori relatione) procelloſa animi tempeſtate cœpit nimis conſternari

a Hæc tota narrationis ſeries conferenda cum Raineri libro de miraculis S. Gisleni, qui Gerardum jam multorum cœnobiorum Patrem a Gisleberto Duce in publicis provinciæ comitiis Dionanti habitis evocatum dicit. Vide Obſervationes prævias.

b Agalma hic ovile ſeu caulam ſignificat. Alia ejus nominis ſignificata vide in Gloſſario Cangiano, & in libro Raineri de ſancto Gisleno.

Digitized by Google

nari & fluctuare, omnino ignorans quid actitaret ſuper diſpendio tam inæſti- AN.CHR.
mabilis margaritæ. Proinde ſuorum quoſdam fidelium ad ſe evocans, & cu- 959
jus infortunii angore angeretur indicans, quaquaverſum exploratores eos di- 3.Octob.
rigit, & ut id fideliter explorando inveſtigent, & inveſtigando explorent e- Sublatas inde Gesli-
dicens indicit. Quibus incaſſum circumcirca diſcurſantibus, nihilque ſerium ni reliquias
exinde renuntiantibus, tandem divinitus, utpote profuturus incidit cogitatus, quatenus hac cauſa tenderet Melbodium *a* verſus: quo dum properaſſet Melbodii
proficiſci, jamque ingrederetur fores oratorii, ab introeuntibus cœpit ſub- reperit,
audiri crebrior tinnitus cujuſdam tintinnabuli, ignorantibus cunctis quid protenderet rei, ipſo etiam (ni fallimur) Dei famulo. Devotiſſime vero præmiſſa oratione, Dominique, ut ſanctum ſuum dignaretur manifeſtare, flebiliter interpellata benignitate, converſus ad indigenas loci illius vel eccleſiæ, percontando ſciſcitabatur ab eis cum omni manſuetudine, an aliquantulum hac de re; quamvis parum, conſcirent ſignificare. Quibus dejerantibus perſancte ſeſe penitus ignorare, magis autem vehementer ſtomamachantibus ob crimen ſuſpicionis injectæ, vir Dei cum magna animi tranquillitate, Nolite, inquit, filioli, nolite iſtud moleſtius ferre: potens eſt nempe nobis dignatio Chriſti hoc revelare. Enimvero neceſſe eſt adeſſe divinum, ubi humanum ceſſat auxilium. Nocte igitur inſecuta viro Dei in oratorio pernoctanti, ſummamque deitatem ſuper hujuſmodi obnixius inquietanti, repente ſibi ipſius ſtolati candida effigies enituit ſancti, ſatisfacientis importunæ ejus ſupplicationi, demulcentiſque eum ſermone hoc dulci. Cur, inquit, dulcis amice Dei tantum ſumis fatigium ob gratiam mei? Accipe nunc certiſſimum de hoc quod quæritas indicium. Ecce ſuper lacunaris tabulatum quod imminet ſuper caput tuum, ubi ſcilicet heri advenientes demirati ſunt tinnire tintinnabulum, indecenter repoſitum meum latet corpuſculum. Volo autem te tuoſque poſteros noſſe, abſque Dei voluntate haud quaquam hoc accidiſſe. Hæc ubi deprompſit, cæli faſtigia ſcandit. Qua viſione vir Dei oppido exhilaratus, competentes reddit Deo grates ne videretur ingratus. Ut vero prima poli ſtellas aurora fugavit, ægriſque mortalibus curas operoſa revexit, idem ipſe cum ſuis laquear templi extemplo conſcendit, conſcendens quærit, quærens invenit, inveniens præ gaudio mæret, mærens ſuos in lacrymis ciet; ſicque ſacros artus inde deponit, depoſitos in ſindone munda componit, compoſitis Deo laudes hymnidicas pangit, pangendo lætus iter invadit *b*. Talia cernenti quis ſenſus Melbodienſi? Clerus cum popello confuſus conticeſcit, & viri Dei vultum non ferens præ rubore latibula quærit. Quiſnam fuit ex omnibus qui linguam moveret, buccam aperiret, mutire auderet? O quam congruit hic illud Davidicum: *Omnis iniquitas opilabit os ſuum.* Jam hujus rei fama velox apud multos percrebuerat, finitimumque vulgus unde unde conglomerabat. Qui certatim illo confluentes clamitabant pariter omnes: Salve ſancte Dei, cineres ſalvete recepti. Omnimodas individuæ Trinitati gratiaſque referimus tuæ almitati, corporis tui invaſores prodidiſti, verſipelles & ſubdolos confudiſti, tuarum merita virtutum amplificaſti. Quod genus eſt monſtri ſanctos hoc tempore tolli? Ubine illi qui tantum commiſere flagitii: ubinam gentium ſumus? cum ſcorpionibus revera habitamus. Hæc & nonnulla his ſimilia proloquentes & ad invicem colludentes, ob inventionem ſancti gaudentes & alacres venerabili ſarcinæ applaudebant euntes.

23. Procedebat ergo canora clericorum cum monachis caterva, haben- inde priſti-
tium in manibus crucem & vexilla: ſubſequebantur vero non parva utri- nam refert
uſque ſexus agmina, nihilominus jubilantium Domino in lætitia. Itaque in ſedem.
cum maximo cleri plebiſque tripudio per perſpicaciſſimam viri induſtriam, de quo nobis ſermo, almus Confeſſor in ſuo decenter relocatur oratorio: ubi

a Melbodium, vulgo *Maubeuge*, ſæculo 7. ab Aldegunde conditum, de qua in Sæculo 2.

b Et tamen Rainerus in prædicto libro de miraculis S. Gisleni, ejus corporis recuperationem non Gerardo, ſed Adchelmo cuidam atque Stephano Cameracenſi Epiſcopo, priuſquam Gerardus Urſidungum accederet, attribuit factam Idibus Decembris. Sed id parum veri ſimile.

Digitized by Google

AN.CHR. 959 3. Octobr.

ubi deputatis cœnobitarum excubiis, tempore continuo perſolvitur Jeſu Domino (qui laus eſt Angelorum) laus & jubilatio, ejuſque Confeſſori emerito venerabilis laudatio & laudabilis veneratio. Qualiter autem ſacrilegos examinando diſcuſſerit antiſtes Cameracenſis, quibuſve (ut par erat) lege Synodali convictos excruciaverit modis, non eſt noſtræ narrationis, ut remur, exponere vobis, præſertim dum id dilucident ipſius geſta, ſi ſerio ſapere vultis. Ceterum ne Dux Giſlebertus, cujus mentionem prætitulavimus, a nobis abſcedat illaudatus & inglorius, circa ejuſdem ſancti locum exſtitit ſatis humanus & valde munificus, quædam ſcilicet prædia ſubtrahens ſibi militantibus, quæ non pauca expenderat beneficii gratia militibus, inibique contradens jure perpetuo cum militaturis Chriſto militantibus. Qua de re unum eſt quod moneo repetens, tibi dico Urſidungi-Cellenſis monache, qui Ducis Giſleberti largiſſima victitas ſtipe, conſiderans diligenter attende, ne quando ejus animæ inveniaris immemor eſſe, ſed potius incogitabilem benigniſſimi Jeſu pietatem pulſes importuniſſima prece, quatenus aurea perpetuæ contingat præmia vitæ. Et ne forte deſperando muſſites rebellaſſe eum adverſus dominum ſuum Principem Romanum; mortis diriſſimum, proh dolor! recepit commercium, & Dominus Jeſus non bis vindicat in idipſum. Nunc redeamus ad propoſitum.

Giſleberti Ducis pietas.

S. Giſleni monachos Gerardus ad pietatem accendit.

24. Venerabilis igitur Abbas Gerardus, paſtoralem (ut dictum eſt) curam indeptus, qualem ſe exhibuerit in omnibus, nullo modo noſter obtuſus prævalet deſcribere ſtilus. Ne tamen inceptæ ſuccumbamus materiæ, peritioribus quibuſque videamur ludibrio eſſe, atque juxta illud lectionis evangelicæ incipiant nobis illudere, *Hic homo*, dicentes, *cœpit ædificare*, *& non potuit conſummare;* iſtius de quo agimus ſancti ſuffragium inſigne imploramus inſtanti prece, ut ſancti Spiritus gratiæ, cui ſpiritus dedicavit cælibatum mentis ſuæ, quem & nos totiens offendimus peccaminum ſpurcamine, efficaciſſima interceſſione utinam ſatagat nos reconciliare: quatenus hebetudini noſtræ quid debeat elicere, gratuita pietate dignetur ſuppeditare. Vir ergo Domini apprime eruditus regulari norma, commiſſis ſibi fratribus duplici præerat doctrina. Secundum namque ſaluberrima domni BENEDICTI hortamina, capacioribus diſcipulis dominica verbis proponebat mandata; ſimplicioribus vero divina factis ſuis demonſtrabat præcepta: omnia tamen quæ ſubjectis docebat eſſe contraria, in ſuis actibus Prælatus indicabat non agenda, de theſauri ſui arca proferens nova & vetera, quemadmodum doctiſſimus ſcriba, qui qualem habebat doctrinam, talem habebat & vitam. Et quia regendas ſe ſuſcepiſſe animas ſciebat, ad rationem reddendam ſe ſollicitus præparabat, auream mediocritatem in omnibus tenebat: amore potius quam timore commiſſos regebat. Sciens ergo ſe vices Chriſti agere, ſummique Abbatis vocari prænomine, ita ſe omnibus ſtudebat conformando aptare & aptando conformare, ut cerneres eum mira charitate omnium moribus deſervire. Ut vero compendioſius innoteſcat probitas ejus, excellentioribus pollebat virtutibus, quibus in vita hominis nil cenſetur utilius, prudentia videlicet inſignitus, temperantia redimitus, fortitudine roboratus, juſtitia locupletatus. Proinde illud Anicii „ * congruentiſſime ſibi poſſumus aſſignare: Viri ſacri corpus virtutes ædificavere. Ad cumulum autem tantæ perfectionis ardentius Miſſarum inſiſtebat ſollemniis, celebrans quotidie memoriam paſſionis ſalutiferæ: ut qui mortuus erat terrenis voluptatibus, vivebat vero divitiis ſpiritualibus, ſemper dominico corpori concorporatus, antiqui hoſtis cunctos & debellaret incurſus.

Regula S. Bened. c. 2.

* Boetii

mulierem cæcam luci reſtituit,

25. Dum ergo una dierum ex conſuetudine ſacrum celebraret myſterium, & Dominus Jeſus jam jamque vellet ſupponere candelabro candentis lychni cereum, ut omnibus luceret baſilicam ingredientibus domum, quædam interfuit mulierum de vico Cellæ contiguo, quem dicunt Buxutum *, quæ jam dudum exſtinctis orbibus oculorum deplangebat privatum lu-

* Boſſut

Digitized by Google

lumine vultum: quam cum aſſiſtentes interrogarent quid iſtic ſuſtineret, cujuſve rei cauſa adveniſſet: Divinam, inquit, præſtolor clementiam, & hujus viri Dei Abbatis munificentiam, & ut fiat in te fons aquæ ſalientis in vitam æternam, quatenus mihi miſellæ digneris illam concedere aquam, qua manus diluet ſervus Chriſti Gerardus poſt perceptam Euchariſtiam. Quam cum fideliter ut petierat impetraſſet; & omnipotentiam Dei fidemque ſancti viri flebiliter imploraſſet, maxima cum devotione pitiſſando ſorbillavit, atque faciem exinde abluens exſtinctas etiam ocellorum pupillas liniendo humectavit, & humectando linivit. Quid multa? eadem nimirum hora, o mira res & jucunda! ab ejus facieсula nox exulat atra, & emicat lux peregrina, & clariſſime intuetur intuentes ſe, viri Dei veſtigiis provolvitur cum gratiarvm actione: quam ille, ut erat clementioris animi, clementer excipiens erexit, atque hujuſcemodi blanda voce corripiens infit. Deſiſte, quæſo filia, deſiſte cultum tantæ venerationis mihi impendere, & ne velis exiguitati meæ donum Dei imprudenter adſcribere. Per fidei enim tuæ meritum & devotæ ſpei additamentum virtus ſacramentorum reparavit tuorum lumen oculorum: vade filia, vade in pace, Dominoque ſoli grates repende. Sic mulier expulſa cæcitatis incommoditate, quæ prius ſe indoluerat adveniſſe altero manipulante, nunc beati viri meritis & interceſſione abſque alterius adminiculo tripudiat repedare. Cujus famoſa jucunditas miraculi longe lateque percrebuit, ad laudem Dei, venerationemque ſervi ejus multorum corda excitavit: & ne cui incredulorum videatur incredibile, quomodo inquam poterat non poſſe, qui ſemper erat unitus omnipotentis corpore? AN.CHR. 959 3. Octob.

O Lux vera Deus cunctorum conditor unus,
Sæcula per cuncta tua ſit * promiſſio vera.
Vos, inquit, ſancti, vos eſtis lumina mundi,
Nec valet in tenebris abſcondi lux probitatis.

Ecce nunc Siloicum renovaſti collyrium, quo quondam oculaſti native oculis captum, quem ſacro prius ſputo linitum dignatus es dirigere ad natatorium Siloe lacum: unde & nos cum ipſo ante tuum procidentes conſpectum, tibi debita referentes præconia laudum, ex intimo fidelique affectu cordium confitemur te Deum verum Dei veri filium.

26. Hac igitur tempeſtate Arnulfus *a* marchio dominabatur Flandrenſi provinciæ, vir valde opulentus qualibet rerum poſſeſſione, ſicuti claret hodieque in poſterorum ejus ditiori progenie: qui tametſi nummatus erat & uberioris ſubſtantiæ, nullo tamen adhibito ſibi medicamine, remedium aliquatenus valebat attingere ſuper graviſſima, qua detinebatur, ægritudine: cui utique congruum aptamus verſiculum: Arnulfus Flanceriæ Comes calculo laborans,

Æger dives habet nummos, ſe non habet ipſum.

Continuis namque cruciatibus macerabat eum calculus, intolerabilis videlicet morbus, qui urinam inhibens nuncupatur vulgo lapillus. Ad quem multi chirurgorum medendi gratia certabant convolare, qui ſe numquam Pæonio ceſſiſſe magiſtro jactitabant in medicinali arte, ſperantes ſe ab eo quem noverant divitiis ſuperabundantem emolumentum accepturos cum magna dapſilitate. Quibus unanimiter volentibus Hypocratico eum ſcapello incidere, ita ut demum valerent quo laborabat lapillum elicere; quippe quem ajebant haud aliter poſſe ſoſpitatem integram recipere: nullatenus audebat ille ſuper hujuſcemodi acquieſcere, ne forte, dicens, dum quæro indulgentius vivere, incipiam moriendo inclementius deficere. Porro chirurgi peritiam artis ſuæ quærentes oſtentando extollere, & extollendo oſtentare, atque Marchionis animum ob metum mortis pavidum ad id ſuſtinendum confortando animare & animando confortare, ſub ejus conſpectu eodem morbo confectos bis novem inciderunt, quos quidem omnes, præter unum qui defun- incidi recuſat.

a Arnulfus ſenior ſeu Magnus Flandriæ Comes anno 945. vivere deſiit. De eo ſæpius in his actis, maxime in translationis hiſtoria ſancti Wandregiſili, ſupra ad annum 944.

AN.CHR. 959 3.Octob. functus eſt, in brevi curaverunt. Et quoniam is ſibi medelam incidendi evitandam monſtravit, tale quid ulterius auſcultare noluit. Tandem divina miſeratione reverſus ad ſe, ſpem quam inconſulte poſuerat in homine, cœpit ad Deum competenter reflectere, qui, ſicut expertum legimus virginal beatæ martyris Agathæ, univerſa curans reſtaurat ſolo ſermone: ut viri Dei bonum olfaciens odorem fama diffundente maxime de cæca muliere, quæ tenebris caruerat ejus interceſſione, non diſtulit humillima petitione per volipedem legatum efflagitare, quatenus ad ſui præſentiam uſque dignaretur defatigare. Cui cum advenienti honorifice occurriſſet, & ut congruebat, cum omni officioſitate excepiſſet; cujus morbi infortunio excruciaretur, lugubriter intimavit, & ut pro ſui recuperatione apud omnipotentis clementiam intercederet, ſuppliciter imploravit. Ad quod vir Domini reſpondens intulit illi: Crede mihi fortiter, non novi me tantæ virtutis eſſe vel meriti, ut fiduciam tantæ rei valeas committere mihi. Iſtud ſane perfectorum eſt virorum, magis autem carne ſolutorum, Dominoque ſemper aſſiſtentium. Ego vero quiſnam ſum, viliſſimum Dei mancipiolum, a quo expetas tam difficillimum humanitati ſubſidium? Si vis perfectam, Domino committe medelam. At Comes Arnulfus hæc ingeminat gemebundus, ut perpendo, pater mi dulcis, occaſionem quæris ne debeas præſtare quod peteris. Præſume quæſo, præſume de Domini bonitate, nec differas mihi opem accommodare quam ut ſpero certiſſima ſpe dignabitur Deus per interventionem tuam mihi conferre in tanta ægritudinis anxietate. Ne quæſo claudas viſcera compaſſionis a me, ſed ut divinitus tibi propitietur mihi moribundo propitiare. Vir vero Domini ſic obviat illacrymanti. Ne videaris dilectiſſime incaſſum a parvitate mea requiſiſſe ſolatium, jacta ſemper jacta in Domino cogitatum, tibique noſtrum placeat conſilium. Eſt tibi multarum non infima copia rerum. Cujus aliquantulum expendendo neceſſitatibus pauperum, abolere poteris tuorum enormitatem ſcelerum. Ob peccata enim accidit interdum hujuſmodi incommodum: ut dum taliter benignum placaveris Chriſtum, incolumitatis exoptatum valeas recuperare remedium. Debet quippe dives & opulentus miniſtrare egenis & pauperibus: tu vero Dei gratia dives es & opulentus. Debes igitur miniſtrare egenis & pauperibus: qui enim minimis adminiſtrat fratribus, adminiſter Dei invenitur gratiſſimus. Marchio cuncta probat quem marcor dirus obuncat. Gratiſſimum, inquit, eſt mihi quod ſuades famule Dei, dum pietas Domini dignetur me miſerari. Et quemadmodum ille evangelicus quondam Zacchæus, dimidium bonorum meorum do pauperibus, dummodo ſæviſſimus ſopiri valeat morbus, qui pertinaciter meos depaſcitur artus. Cum ergo obtemperanter viri Dei ſententiam amplectens probaſſet, domeſticoſque ſuos id exſequi fideliter imperitaſſet: ab ipſo viro Dei coabſtinente triduani abſtinentia jejunii conſequenter indicitur illi, quatenus uterque tali parſimonia purificati, animo ſpirituali refectione refocillati, invenirentur condigni accedere myſteriis Chriſti. Quod ut devotiſſime, prout res exigebat, expleverunt, ſanctorumque ſuffragia lacrymabiliter interpellaverunt; athleta Dei divinis accingitur armis, celebrans ſollemnia Miſſæ cum conſuetis fletuum ſuſpiriis. Cumque myſteriis participaſſet ſacramentorum, & Marchioni inhianter expectanti reperti ſunt ex eiſdem participum, pande, pande o pagina mirum, repente micturiendi appetitus Marchionem impetiit ipſum, moxque congruum petens ſeceſſum, ſine difficultate urentem emunxit lapillum. Quo priſtinæ ſanitati mirabiliter reſtituto, quanti in ejus pectuſculo exuberaverit gaudii exſultatio, quanta cunctos ſibi fideles obtinuerit Domini collaudatio, quantave circa virum Dei excreverit condecens veneratio, an a nobis exigit veſtræ unanimitatis dilectio, dum noſtra exilis deſcriptio, nequeat comprehendere ſtilo? Hæc tantum ſufficiant compendioſius dicta, quoniam tota quæ ſibi ancillabatur Flandrenſis provincia, & ſuper ejus infortunio antea emarcuerat mæſta, ob ejus incolumitatem quodammodo reviruit læta. Abbas

ad meliora converſus ſanatur.

Digitized by Google

baſ vero reverendiſſimus in humilitatis arce fundatus, nullo modo ſuis arrogavit viribus hujus beneficii mirabile munus, ſed Euchariſtiæ potius omnipotentiſſimis effectibus. O omnigenis hominum linguis prædicanda Domini Jeſu cunctipotentis munificentia. Iſtiuſmodi medicinale malagma quondam adhibuit ſalutigera veſtimenti ejus fimbria, mulieri fluxu ſanguinis laboranti per duodena annorum curricula, quæ in medicos ſua profuſus expenderat patrimonia, nec ab ullo eorum competentia conſequi poterat curationis remedia. AN.CHR. 959 3.Octob.

27. Comes igitur Arnulfus, beneficentiæ ſibi collatæ remunerator, liberaliſſime virum Dei compluribus peroptans honorare muneribus, non pauca auri vel argenti pondo ejus præſentavit obtutibus, ut quondam Elizeo Eliæ domeſtico Naaman Syrus, quatenus hoc ſuis ſuorumque fratrum aſportari juberet uſibus. Quod ille omnifariam excuſando repudiavit, dignumque memoria verbum indignatus Marchioni objecit. Si noſtra, inquiens dereliquimus, quomodo aliena accipiemus? Monachus quærens in terra proprietatem, nullam dignoſcitur habere religionem: monachus pecunioſus convincitur eſſe leproſus. Quid enim aggeſtus pecuniæ, apud monachos maxime, niſi lepra animæ? Certe frater Gerardus non vult fore pecunioſus. Non igitur fiet Domino miſerante leproſus. Sic quippe vir totus Domini ſervitio deditus metuebat paupertatis ſuæ ſecuritatem perdere, ſicut avari divites perituras ſolent divitias cuſtodire. Hoc exemplo commoniti caveamus nos monachi philargyriam, immo lepram Giezi, qui poſtponens præſagia vaticinantis fiedici *, leproſus poſſeſſor extitit pecuniæ Naaman Syri. Sacramentis tamen terribilibus obſtrictum Comes vix tandem perurget, ut ſuarum decimas ſaltem facultatum acceptaret, eaſque ut prudens œconomus conſideranter diſpenſaret, prout Spiritus-ſanctus ſibi dignanter inſpiraret. Et hoc quoque prius humiliter declinavit, ac paullo poſt non ambitioſe ſuſcepit, quas prudentiſſima conſideratione tripertivit, & fideliſſima diſpenſatione diſpertivit. Et biſſem quidem Deo ſervientibus cœnobitis pauperibuſque erogavit, trientem vero Bronienſis eccleſiæ neceſſario reſervavit. Tunc etenim temporis erat Bronienſis eccleſia velut arbuſcula noviter plantata, necdum ad plene radicata, quæ irrigationis poſtulans adjumenta, ſi forte ceſſet cultoris induſtria, inutilis redditur & infœcunda. Sic igitur Marchio ſpectata viri Dei virtutifera probitate, magiſque monaſtica quæ circumquaque divulgabatur religioſitate, Abbatiarum, quotquot habebat ſua ſub poteſtate, commodum duxit procurationem ſibi commendare.

Gerardus ejus munera reſpuit,

* f. Fatidici

Quo rurſus baculo paſtor venerandus adepto,
Mox ſibi commiſſas diſponit viſere caulas,
Ne lupus incautos vexaret mordicus agnos.

28. In primis autem adiens Blandinienſe *a* monaſterium, ab Amando præſule beato Gandavi fundatum, non ſolum repperit omni religioſitate nudatum, utpote occupatum ſæculariſſimis clericorum; verum etiam infeſtatione perverſorum ad nihilum pæne redactum; inſuper, & quod erat lacrymarum fonte gemendum, excubiis trium qui ibidem quieverant ſanctorum multo jam tempore exſpoliatum. Porro athleta fortiſſimus divinitatis ope præditus, nullo modo ceſſit laborum ſudoribus: ſed cum beato Joſeph tunicam talarem indutus, ſemper ſine bono ſuos proſperavit inceptus: & eliminata abinde clericorum irreligioſitate, licet jactitarent ſeſe ventoſa nobilitate, melioratis quibuſque cœnobitarum religionem non diſtulit ſubrogare, quemadmodum duobus in locis paullo ante meminiſtis eum jam actitaſſe. Quod illi ægerrime ferentes, ſeſeque ulſciſci deliberantes, hoſtis antiqui malitia perculſi, ſtudiis viri cœperunt æmulari, ejus quoque converſationi derogare, quoſque etiam poſſent ab illius viſitatione compeſcere. Cumque jam ſe conſpicerent non poſſe ejus profectibus obviare, ſed magis magiſque illius opinionem creſcere; ad hoc uſque perducti ſunt ſuccenſi facibus invidiæ,

Blandinienſe monaſterium reformat,

Vitæ ipſius Clerici ſtruunt inſidias,

a De Blandinienſi aliiſque a S. Amando conſtructis monaſteriis egimus ad ejus vitam Sæculo 2. & hic in Obſervationibus præviis.

AN.CHR. 959 3. Octobr.

diæ, ut comminiſci præſumurent de ſibi inferenda, proh nefas! nece. Sed Domino protegente dum eorum caſſarentur inſidiæ, & nequirent intercipere animal Dei occulatum undique; quadam die junctis complicibus factionis ſacrilegæ valvas irrumpunt eccleſiæ, quærentes eum, quod & dictu nefas eſt, ante altare unanimiter diſcerpere ſacerdotali etiam infulatum prodere. Quibus miram prætendens conſtantiam, imperterritus procedit in obviam, Deo immolandam ſeſe alacriter opponens hoſtiam. Sic ſic ſermo completur veridicus. Permanet intrepidus confidens ut leo juſtus. Quos arguens, O inquit, cives, quæ tanta exagitat veſtras inſania mentes, ut adverſum me imbellem corripiatis arma rebelles? Inermis quidem terreſtribus, armatus ſum vero armis cæleſtibus: proinde non me veſtra terrent ſpicula, neque hæc præſumptio tam flagitioſa. Non equidem recuſo bibere pro Domino Jeſu calicem mortis, qui pro me dignatus eſt ferre ſuo in corpore ſtigmata paſſionis. At illi in faciem ejus contemplantes divinum & mirabile quiddam, ingenti pavore concuſſi, ante ejus præſentiam corruerunt proni in terram. Sicque animo conſternati, & ultra modum exanimati, vix valebant verba precantia fari, veſtigiis ejus pariter provoluti. Ignoſce nobis, inquiunt, pater venerabilis, ignoſce erratis noſtris, & ne reputes ſuppliciter petimus quod contra te ſic inſipienter egimus: miſerere lugentibus, indulge pœnitentibus. Quibus clementer elevatis & vehementer anxiatis, ad ignoſcendum perfacilis pater ait amabilis: Quoniam quidem, inquit, reatus veſtri offenſam agnoſcitis, pœnitudinemque compuncti oſtenditis, benignitas Salvatoris peccata remittentis dignetur ignoſcere vobis: ego quoque ita dumtaxat ignoſcens acquieſco ſupplicationi veſtræ, ut quomodo nunc uſque fuiſtis impedimento huic eccleſiæ, ſic deinceps ſine ſimulatione ſatagatis ſubſidio eſſe; nunc nunc recedatis cum pace. Quemnam quæſo imitatus eſt in hoc geſto, niſi eum qui paſſurus abiit Hieroſolymam vultu obfirmato, & ſub ipſo paſſionis articulo perſecutores ſuos proſtravit ſolius ſermonis jaculo? Cum quanta vero lætitiæ & exultationis gratia ſanctorum ſuperius memoratorum Wandregeſili, Anſberti atque Wlframni *a* corpora tranſtulerit, ab urbe Bononia revehens ad propria, anguſtare refugit noſtræ narrationis anguſtia, præſertim cum hactenus tota idipſum proteſtetur Flandrenſis provincia. Sed nec ab hiſce reliquiis eccleſia Bronienſis expers habetur & immunis: nam præter cetera a Gandavo iſtuc delatum ejuſdem beati Abbatis Wandregeſili brachium, necnon & quod eſt precipuum, inæſtimabilia pignora primatis Apoſtolorum. Ut autem brevitati ſerviamus, & plura omittentes pauca recolamus: quam ſtrenue etiam beati Bertini cœnobio *b* aliquamdiu præfuerit reticemus, quamque ſaporoſos diſciplinæ regularis inibi protulerit fructus. Sed ne penitus taciturni ſilentio ſupprimamus relata nobis a majoribus; decem & octo cœnobiorum *c* traditur exſtitiſſe procurator vigilantiſſimus, Domino complente quæ ſuis promiſerat fidelibus hoc & hoc relinquentibus centiens tantum in tempore hoc cum perſecutionibus. Tantus autem fervor ad colligendas Deo animas accenderat illum, ut ſic ſollicitudinem gereret monaſteriorum, quatenus per habitacula diſcurſando ſingulorum, ad amorem patriæ cæleſtis excitaret corda audientium. In qua deſudans felici exercitatione, multorum benevolentiam alliciebat familiaritati ſuæ. E diverſis quippe locorum partibus confluebat ad eum ædificationis gratia ordo monachicus, tanti viri pudicos & imitabiles actus ſitientes imitari totis virium conatibus. Videres quaſi ex diverſis alveariibus apes ad hanc florigeram arborem convolare, ut inde favis arentibus nectar melliflui roris poſſent inſtillare. Quos ille benigno gratantique animo ſuſcipiens, & monaſticæ edulio normæ affluenter reficiens, de diſcipulis idoneos præceptores, de perfectioribus perfectiſſimos reddebat doctores. Diſcedebant alii moribus & religione inſtructi, accedebant alii nihi-

Margin notes, in page order: malevolis ignoſcit. — corpora ſanctorum Gandavum reducit. — Decem & octo cœnobia inſtaurat.

a Hanc ſanctarum reliquiarum translationem anno 945. 3. Septembris factam ſuperius exhibuimus.
b De Sithienſis monaſterii conditione egimus Sæculi 3. parte prima pag. 116. ad vitam S. Bertini.
c Monaſteria a S. Gerardo meliorem in ſtatum reſtituta in obſervationibus præviis recenſuimus.

Digitized by Google

hilominus inſtruendi. Indeſinenter enim quaſi nardus miro odore virtutum fragrabat, & ſcripturarum fontem aperiens arentia mentium prata rigabat. Sic divini pigmentum verbi, cujus vitali redolebat ſuavitate, fratrum intrinſecus languentium indigentiæ curabat communicare, quod trajiciendo maſticantes ſaporifera ruminatione ab omni vitiorum convaleſcerent infirmitate, atque guſtando mererentur conſiderare quam ſuavis eſt Dominus ſperantibus in ſe. Ne cui autem legentium videatur incongruum verbis ſcripturarum aptari tale vocabulum; noverit utique ſermonem divinum aptiſſime appellari pigmentum, qui quo magis ruminando teritur ore ſermocinantium, eo magis reddit ſaporis odoriſve oblectamentum, ab animæ languentis ſtomacho pellens mortale faſtidium, qui licet ob ſui puritatem mordax ſentiatur in ore, ſuæ tamen virtutis dulcorem ſalubriter diffundit in corde. AN. CHR. 959 3. Octob.

29. Hoc eodem tempore orta eſt non parvæ perturbatio guerræ inter ſummates Auſtriæ ac Neuſtriæ, quæ peccatis exigentibus adeo excanduit uſquequaque, ut non modo periclitarentur negotia reipublicæ, ſed & minimum reverentiæ præſtabatur ſanctæ Dei Eccleſiæ. Unde vero ſit ortum ejuſmodi diſſidium ſi vis ſcire ad liquidum, chronographia pandat priorum. Fiebant ergo ſtrages virorum, viduitates mulierum, orbitates parentum, incendia urbium, captivitates plebium, infractiones atriorum, deſolationes eccleſiarum. Sævientibus bellis.

Villarum prædas quis compareт atque rapinas?
Quis creberrimas hinc inde caballicatas?
Quiſve cruorivomas poſſit perſtringere pugnas?

Tali ac tanta inquietudinis procella tunc temporis agitabatur reſpublica, quam poſt puſillum pietate inſita divini reſpectus conſolidavit anchora. Hac igitur neceſſitate coactus divæ memoriæ dominus Abbas Gerardus, Catulliacam *a* beati Dionyſii adivit percitus Abbatiam, Bronienſem redimens ab ibidem Deo famulantibus ex ea quam ſibi rogam * erogaverat Comes Arnulfus. Verebatur ſiquidem non mediocri ſollicitudine, quin exterminio ſuccumberet ſub tot malorum turbine, præſertim cum remota a finibus Merovingiæ, ad quam pertinebat illo in tempore, in meditullio ſita eſt Lotharingiæ, quam abſque dilatione beati Lantberti contradens majori eccleſiæ, utpote interjacentem Leodicenſi parochiæ, domini FARABERTI *b* commendavit tutelæ tunc pontificis ex Prumienſi Abbate. Hanc licet parvam quantum magnipendens dilexerit, ipſe evidentiſſima declaravit liberalitate, mutua videlicet viciſſitudine recompenſans eidem Abbatiæ viginti manſos telluris inſtauratæ, quos ipſa poſſidet eccleſia uſque hodie in gyro ſibi poſitos ſolida cum quiete. Amicus vero Domini in omnibus & ſuper omnia Bronienſis cœnobii proſpiciens utilitati, Bronienſis monache audi; audiens vero cave oblivīſci: tametſi afforet ævo provectiori, non tamen duxit oneri Romam uſque fatigari, quatenus cujus erat fundator oratorii, devotus imploraret patrocinium ſummi apoſtolorum principis Petri, atque ab ejus Vicario ſatageret adiſpici de rebus & libertate ejuſdem monaſterii authenticos apices confirmantis decreti. Quod cum mira alacritate animi dominus STEPHANUS *c* ſanctæ Romanæ ſedis tunc Apoſtolicus juſſiſſet fieri, (ipſo conſiſtente viro Dei, immo dictante debentia ſcribi) plumbeo bullatum ſigillo privilegium, quod & *pertongar d* appellant, contulit illi, conceſſa etiam licentia ſibi, ut gratia id confirmandi ex præcepto ipſius domini Apoſtolici omnes ſubſcriberent Epiſcopi, per quos repatriando ſperaret ipſe reverti. Et quoniam in promptu habentur hujuſce ſcripti monumenta, quippe quæ cum omni diligentia hactenus conſervat Bronienſis baſilica, ne cui lecto-

Bronienſi cœnobio proſpicit. al. rediens. * erogationem. Romam petit privilegium accepturus, a multis Epiſcopis ſubſcriptum.

a Ideſt Pariſienſis agri regale monaſterium, quod in Catolaco villa ſeu vico Dagobertus ſenior ædificavit in honorem S. Dionyſii.

b Præfuit Leodicenſi eccleſiæ Farabertus ſex annis, nempe ab anno 947. ad 953. teſte Ægidio in additionibus ſuis ad Anſelmum Leodicenſem Canonicum. De eo inferius.

c De hoc privilegio egimus in Obſervationibus præviis. Notandus hic locus de ſubſcriptione Epiſcoporum abſentium, quæ in lib. 2. de re Diplomatica aſſerta eſt pag. 154.

d Aliis *prongar*. Pancharta ſeu pantocharta haud dubie intelligenda eſt quo nomine quævis charta ſeu quodvis diploma ſignificatur.

AN.CHR. 959 3 Octob.

lectorum diſpliceret prolixius Syrma, ſuperſedimus ſingula ipſius hic apponere verba.

30. Ceterum prudens lector perſpicaciſſimam hujus viri Dei demiretur prudentiam, quanta videlicet ingenuitate in ejuſmodi ſcripto libertaverit hanc Abbatiam, & qualem vel quantam ſubeat æterni anathematis pœnam, ſi quis temerario auſu, quod abſit, infringere præſumat eam. Ut autem ad rem redeamus, & quid relatu dignum divina virtus in eodem itinere fideli ſuo præſtiterit recolamus; ab urbe Roma proſperrime progreſſus, ad montem qui dicitur Jovis devenerat ipſe beatus. Cumque cum ſuis anguſta carperet declivia montis; incaute gradiens unus e ſagmariis ſarcinatus lapidibus porphyreticis, quos ad ſua vir Dei tranſvehebat cauſa neceſſariæ venuſtatis, deorſum cecidit rotatus ad concava vallis. Quod moleſtiſſime ferentibus qui conveniebant comitibus,

Miraculum in Alpibus patratum.

Nil adeo motus, ſic infit vir venerandus:
Quare puſillanimes vos reddunt talia fratres?
Laus Domino cunctis reddatur pro benefactis.

Et accito quodam ex illis quos dicunt Marones *a*, ſalva mercede juſſit ut ſaltem ſagmarii ſarcinam perquireret continentem lapides. Ad hos ſiquidem magis deflectebat animum ob illud fortaſſe prolatum:

Omne quod eſt rarum dignoſcitur & pretioſum:

Nam quis non exſtinctum indubitanter crederet illum? Quis vel corpus ad terram integrum perveniſſe autumaret, dum interpoſitis ubique ſcopulis diſcerpi in partibus potuiſſet? Requiſitus autem, non ſolum vivus, verum etiam incolumis & illæſus repertus eſt cum lapidibus. Tunc patenter cunctis innotuit, quod ideo lædi non potuit, quia hunc in caſu ſuo oratio Dei viri portavit. Ex hoc autem lapide, ut in præſentiarum eſt cernere; inſignitur hodieque majus altare Bronienſis baſilicæ.

Sic redit ad propria ſacer & venerabilis Abba,
Magnificans Dominum qui dirigit acta ſuorum.

Ingraveſcente ætate.

31. Sacro itaque doctus ſpiramine prænoſcens imminere diem vocationis ſuæ, quo videlicet & rationem redderet villicationis commiſſæ; neceſſarium duxit & utile cœnobia fratrum reviſere degentium ſuo ſub regimine, ſeſeque deinceps exuere tot curarum oneroſa gravedine, atque idoneum procuratorem ſui vice unicuique cœnobiorum ſubſtituere. Cum autem arrepto itinere appropiaſſet villæ quæ appellatur Marcianæ, quam & alluit fluvium Sambræ *, uno ex latere pueri ejus horam veſcendi cernentes jam affore, congruum ſibi caballiſque petunt diverticulum ab itinere, amœnumque ac herbidum diſcedentes in locum protinus diſcumbunt ad conveſcendum. Vir autem Domini ſub quadam accumbens arbore, amicus amicæ inſerviebat parſimoniæ. Qui licet a ſuis rogaretur importuniſſime, non tamen acquieſcebat epulo indulgere. Vos, ajebat, filii cum Dei benedictione diarium nunc nunc percipite, meum non eſt hac diei hora comedere, cum ſiquidem deſit piſcis unde poſſim reficere. Ad hoc autem tali utebatur excuſationis molimine, ut impranſus valeret quomodolibet evadere. Illis vero ſermocinantibus pieque alternatim contendentibus, ecce ales, agnomine Aſperellus, eadem in arbore ſuos confovens fœtus, piſcem non modicum projecit ad pedes ejus. Quo viſo viri Dei clientes ſic affantur eum reverenter conjoculantes. Eja, inquiunt, pater reverendiſſime; excuſationem paulo ante prætendebas pro non habito piſce; nunc ſaltem pulmentarium *b* cælitus miſſum noli reſpuere; nimirum nulla tibi nunc occaſio juſta. Quid plura? Tandem convictus convictor fit philochriſtus. Pullis tamen Aſperelli de reliquiis mandans ſuperferri; non patiamur eos fame cruciari, ne forte piſcis

* la Sambre.

Marcianas & cetera poſtremo luſtrat.

Avis miniſterio paſcitur in via.

a Marrones etiam memorantur in vita S. Odonis ſuperius edita, a Mauromonte, qui in Galliæ & Italiæ finibus poſitus eſt, ſic nominati. Eum quippe montem Saracenicæ gentis reliquiæ quædam incolentes, inquit doctiſſimus Cangius in Gloſſario, omnia latrociniis & excurſionibus vicina loca infeſtarunt, donec ab Italiæ Principibus tempore Berengarii Italiæ Regis penitus exſtincti aut fugati ſunt.

b Pulmentum ſeu pulmentarium pro ferculo etiam ex piſcibus facto ſumi alias notavimus.

Digitized by Google

cis iſte deciderit patri gnatis perferre volenti. Tanta fuit taliſque viri compaſſio juſti. Hic illud egregii verificatoris libet inſerere. AN.CHR. 959 3. Octob.

Nunc bonus Elia, qui perfidus antea Noe.

Nam etſi juſta nomen ſuum aſper & indomitus conſuevit accipere, modo præter ſolitum proſper & domeſticus didicit tribuere. Expleta refectione cum competenti gratiarum actione, vir Dei proſperiori progrediens calle, ſingula filiorum cœnobia perluſtrabat paterna ſollicitudine: quos & ſuper monaſtica commonefaciens religione, ubertimque imbuens divina eruditione, multifaria exhortabatur eos diſputatione, ut adverſus jacula tergiverſantis ſatanæ ſervantes unitatem pacis & concordiæ, quaſi armati agoniſtæ ſemper ſtarent in acie. Cujus ſalutaria ſitienter verba potantes, ejuſque præſentiam corporalem inexplebiliter amplectentes, pectoris ex imo ſuſpiria longa trahentes, ne diſcederet ab eis ſupplicabant flebiliter omnes. Quos ille, ut erat melliflui oris, blandiori conveniens affamine, reſponſum tale perhibetur eis dediſſe. Non ſic, inquit, fratres amantiſſimi atque deſideratiſſimi, non ſic oportet fieri. Hereditas enim mea præclara eſt mihi, ibi requies mea in ſæculum ſæculi, ibi habitabo, quoniam præ cunctis eam elegi. Omnibus igitur rite compoſitis, cumque paſtoribus Paſtori ſummo ovibus commendatis, beatus pauper-ſpiritu, cunctis quæ rexerat ditioribus poſtpoſitis, ad dilectam paupertatem gaudenter remeat monaſterii Bronienſis. Et hæc quoque Bronienſis monache commenda memoriæ. Qui cum & ibidem cuncta diſpoſuiſſet mira perſpicacitate, fratrumque pectora affluenter irrigaſſet geminæ charitatis limpidiſſimo fonte, vehementer defatigatus provectiori ætate, in dies cœpit fatiſcere corporis graviori imbecillitate: & perpendens adeſſe ſibi jam terminum vitæ, cupienſque diſſolvi & cum Chriſto eſſe, data cœnobitis circumſtantibus pace, ſuum muniret exitum dominici corporis & ſanguinis perceptione. Tum imperans campanam pulſari, quam juſſu ſuo fuſam obtinuerat epiſcopali benedictione ſacrari, o vere pulchri geſtum memorabile ſigni? eadem reboante ſonitu dulciori, vale dicto fratribus, Broniam ſe recipit.

Concentu cæli meruit ſine fine beari
Miles, & emeritus meritorum lumine clarus,
Ad fontem vivum ſitiens, plenuſque dierum
Depoſito fragilis tandem velamine carnis
Chriſti luciſluam Jeſu tranſmigrat in aulam,
Prænitet Octobris quando lux tertia menſis:

anno ab Incarnatione Domini 959. Indictione 2. concurrente 5. epacta 20. feria 2. ibique moritur.

APPENDIX

De Altario itinerario.

32. Inter cetera divinæ largitatis beneficia, quæ per beatum Gerardum eccleſiæ Broni collata ſunt, hoc unum e multis non tacebo, quia non eſt tacendum. Cum licentiam & libertatem repatriandi a monaſterio Pariſienſi ſancti Dionyſii, ubi ſæculum mutaverat ſanctus Gerardus, obtineret ut in terra ſua majorem utilitatem inferret, gratiam ei contulit Deus. Quicquid ergo poſtulavit accepit. Accepit ſecundi ordinis perſonas duodecim ad numerum apoſtolicum, ſcilicet bonos doctores, morum informatores, diſciplinæ regularis obſervatores. Accepit libros illius temporis, quorum aliquem ego vidi, quem ſancta ſcripſit & dicavit antiquitas. Accepit corpus beatiſſimi martyris Eugenii Toletanorum Archiepiſcopi, quem Petrus Apoſtolus baptizavit & docuit, quem beatus Clemens ad prædicandum Hiſpanis una cum beato Dionyſio qui prædicaret Gallis delegavit. Accepit etiam inter cetera donaria itinerarium *a* altare, quo ſanctus Dionyſius dum viveret utebatur, in quo celebranti Miſſam dum eſſet in carcere Chriſtus ei apparens, ſeipſum ſibi dedit dicens: Accipe hoc chare meus, quod mox com- Delata ab ipſo Bronium e Dionyſiano monaſterio cimelia, Eugenii corpus,

a Iſtiuſmodi altaria *portatilia* vocant, inter quæ inſigne illud, quod in theſauro Monaſterii S. Emmerammi ab Arnulfo Rege acceptum vidimus aliquando.

AN.CHR. 959 3. Octob. plebo tibi una cum patre meo. Erat hoc altarium circumductum argento, quod opere ductili Apoſtolorum capita repræſentabat. Probabile ſatis eſt, quod cum Dominus omnium & ſummus ſacerdos Chriſtus ſeipſum, ſicut erat & eſt, beato Dionyſio triumphaturo ſuper hoc altare miniſtraverit, virtus in eo non modica remanſit. Nec enim potuit ſine virtute remanſiſſe, ubi ſumma virtus inſedit. Si ſepulchrum Domini, quia corpus Domini incluſum eſt in eo, digna veneratione colitur; hoc altare Domini ſimiliter colendum eſt, in quo Dominus ſeipſum poſuit. Item ſi Patriarcharum altaria tantis virtutibus donata ſunt, ut quandoque miniſtraverit Deus victimas illis & ignem & oleum & gratiam & reſponſum & angelos, ſicut Abrahæ contigit & Jacob & Zachariæ; hoc altare credendum eſt non inferiori virtutum privilegio inſignitum eſſe, in quo Chriſtus athletæ ſuo ſeipſum contulit victimam & ſacerdotem. Ergo fides exigit ut communicantes ex eo quod beatus Dionyſius accepit, accipiant ut numquam ex hac luce finiant, donec viaticum accipiant, & completum eis fuerit a Chriſto & a Patre, qui vivit & regnat unitate Spiritus-ſancti Deus. Amen.

altare portatile, Vera Chriſti caro in altari.

AN.CHR. 960 15. Aug.

DE VENERABILI BALTRAMNO

ABBATE LUTRENSI APUD SEQUANOS.

1. *ETSI in actis ſancti Deicoli, cœnobii Lutrenſis* * *in diœceſi Veſontionenſi primi Abbatis & inſtitutoris, relata ſunt Baltramni Abbatis facta præcipua; quædam tamen hoc loco ad majorem ſæculi decimi notitiam retractare juvat, repetendo verba ex anonymo ſancti Deicoli encomiaſte, cujus lucubratio a nobis edita eſt in Sæculo* 2. *Sic autem loquitur iſte a pag.* 109. *ubi Hungrorum irruptione & cladem monaſterio illatam (quam anno* 937. *accidiſſe exiſtimo, quo anno Alſatia & regnum Lotharii, teſte in primi Hermanno, ab Hungris vaſtata ſunt) pathetice deſcribit, proſequens alia in hunc modum.*

* Lure

2. Cumque & locus beati Deicoli tanti perſenſiſſet infortunium diſpendii, ut jam nec monachus ibi, nec clericus haberetur; Comes quidam bellipotens de Alſatiæ partibus, nomine HEBERARDUS, qui regnum Burgundionum frequentare erat ſolitus locum illum invaſit, & in hereditatem ſibi nefarie vindicavit. Eodem vero decedente, filius ejus HUGO, qui & ipſe jam Comes effectus fuit, *eumdem locum retinuit. Ob id tres ejus filii*, HEBERARDUS, HUGO, & GUNTRAMNUS *cælitus puniti, & facti* membrorum impotes. *Reatu agnito, ad ſancti Deicoli ſepulcrum deportati, profeſſionis monaſticæ voto cum patre facto*, priſtinæ integritati redditi ſunt.

Lutra diripitur ab Hugone Comite. Hugonis filii puniti, tum ſanati.

3. *Poſt hæc* Hugo Comes & filii ejus, *curioſe* quærere cœperunt per multas eremi cellulas, ſi uſquam invenire poſſet amicum Chriſti aliquem & veræ converſationis inſtitutorem, qui & locum paterno more & monaſtico ordine fulciret, & ipſi ſub ejus imperio vexillum ſacræ ferrent obedientiæ. Exſtitit autem tunc temporis quidam omnipotentis Dei amicus familiaris, nomine BALTRANNUS, vitæ per omnia laudabilis, qui jam tunc per decem quinquennia vitam eremiticam duxiſſe ferebatur: tantaſque jam virtutes per illum Dominus operatus eſt, ut nec Adriaticus ſinus nomen ejus recludere poſſet, ſed etiam apud Danaos præconium ejus celebre haberetur, nempe pro cælibatus ejus magnitudine. Taceo de Regibus & terræ Optimatibus, ipſe famoſiſſimus Princeps OTTO, qui tunc agebat in ſceptro, frequentare illum ſolitus erat, & maximis donariis locum ejus abundanter extulit. Adeo ut ipſe venerabilis Pater, ob frequentiam hoſpitum, ſecretum ſibi tuguriolum, in quo ſecum verſari poſſet, conſtrueret: locum autem quem primitus probavit, monaſticæ diſciplinæ, collecta non minima Monacho-

Monachi fiunt. Baltrannus eremita eximius.

Digitized by Google

nachorum caterva, devote aptaret. *Interim* duo Epiſcopi eumdem locum AN.CHR.
cœperunt invadere: quorum alter Mettenſis erat eccleſiæ proviſor, alter 960
vero Argentinenſis exſtitit œconomus ovilis. Cumque tales eccleſiarum arietes propter res cælitus coacervatas diu altercarentur (nam unus illorum parrochiæ occaſione, alter vero loci ſubjectione ſuo juri cedere contendit) vice quadam omnipotentis Dei famulus maxima invalitudine captus, *morti proximus eſſe videbatur. Ambo Epiſcopi* viri Dei cellam invadunt, ejuſque felicem tranſitum præſtolantur ſuſpecti. *Verum Baltramnus ſoſpes eos ad ſua vacuos remiſit, atque ne id in poſterum ipſi aliive tentarent*, larga manu cœpit omnia, quæ habuit, pauperibus & clericis expendere, volens peregrinationem pro Chriſto ſuſcipere, & dies ſibi conceſſos apud beatiſſimum Apoſtolorum Principem privatus *exigere*.

15. Auguſt. Epiſcopos duos patitur infeſtos.

4. *At cum id in Hugonis Comitis filiorumque ejus notitiam veniſſet, virum pium adeunt, rogantque obnixe, ut ſe Lutram recipiat. Induciis acceptis, Baltramnus nepotem ſuum* Werdolfum *qui locum exploraret, mittit. Cumque ex ejus relatu commodum eſſe duxiſſet, eum ab Ottone obtinet. Votis annuit pius Princeps, locumque Baltramno* poteſtative contradidit, *ipſumque* Rodulfo Duci atque præfatis Comitibus ad cuſtodiendum commiſit.

Lutram ab Ottone accipit.

5. Tali igitur tenore vir Domini in locum deſtructum inthronizatus eſt cum Monachis ſuis. Tunc monaſterium * ſanctiſſimæ Dei genitricis Virginis Mariæ, quod ante permodicum fuit, honorifice ampliavit, exaltavit, & ad perfectum uſque perduxit. Officinas pro poſſe in brevi conſtruxit, ut monaſtica diſciplina, quæ ſemper apud illum viguit, Monachis cuſtodiri inviolate poſſet. Intravit autem Pater venerandus locum eumdem in vigiliis Apoſtolorum Simonis & Judæ, atque eodem anno in Aſſumptionis die perpetuæ Virginis Mariæ, ſicut illi ante plures annos divinitus præſignatum fuit, plenus Spiritu-ſancto obiit, ac ſepultus eſt in dextris altaris monaſterii, quod ipſe in melius renovavit. Ibi quippe frequentius, cum fides Pie obit.
credentium exigit, miraculis coruſcat. Ipſo vero regna cæleſtia petente, in Werdolfus
regimine monaſterii nepos ejus Werdolfus illi ſucceſſit, qui adhuc ſupereſt, ſucceſſor.
& cælibem vitam ipſe ducit, & omnibus recte converſari volentibus ut lampas emicat.

Locum reſtituit. * id eſt eccleſiam.

6. *Quæ hactenus retulimus, ex Anonymo ſancti Deicoli vitæ ſcriptore Baltramni æquali deſumpta paucis illuſtrare juvat. Et primo quidem inquirendum, quo in loco Baltramnus ſolitariam duxerit vitam: deinde quo anno inde Lutram ſeceſſerit. Locum in diœceſi Mettenſi exſtitiſſe, ſed Argentinenſi Epiſcopo ſubjectum, docet Anonymus: at loci vocabulum non prodit. Verum ex ſequenti Ottonis diplomate* Analesberg *fuiſſe intelligimus, quo ex diplomate etiam tempus Baltramni ſeceſſus Lutram, nempe annum* 949. *atque adeo tempus mortis ejus, quæ anno ſequenti accidit, colligimus. Ottonis M. diploma ex chartario Lutrenſi erutum ſic habet.*

Baltramni prima ſedes.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Otto divina favente clementia Rex. Notum ſit omnibus fidelibus ſanctæ Dei eccleſiæ noſtriſque, tam præſentibus, quam & futuris, qualiter legati Abbatis Baltranni ejuſque congregationis, qui manebant *Alanesberg*, locum Monachorum utilitati valde incommodum, noſtram adierunt clementiam proclamationis cauſa & conſilii: ut pro Dei amore animæque noſtræ remedio, qualiter ipſum locum alias mutare poſſent, & conſilium eis & locum Monachis convenientem concederemus. Nos vero legatione de tali congaudentes, pro ſtatu ſanctæ Dei Eccleſiæ, & memores retributionis æternæ, accepto conſilio ab Epiſcopis & Abbatibus, & omnibus noſtris fidelibus, qui in Paſcha Domini noſtri nobiſcum *Quintilingaburg* manebant, locum quem accepimus a filiis Hugonis, Heberhardo & Hugone, Luterhaa vocatum, Monachis aptiſſimum, eis conceſſimus, Baltranno videlicet & ejus ſubditis, modo ſub regimine & Regula beati Benedicti degentibus, & omnibus per

 ſæcula

Digitized by Google

AN.CHR. 960 15. Aug. ſæcula, qui pro Dei amore proſpera hujus mundi cum mundo abrenuntiant, & inibi regulæ ſequentes præcepta, Deo juncti, ſæculo incogniti, ſub Abbatis eligunt habitare militia. Aliud quoque donum regalitatis noſtræ eidem loco contulimus, prædium ſcilicet, quod a BOSONE in loco qui dicitur *Walvesheim* & *Nirodesheim*, concambiavimus, cum omnibus appendiciis ſuis. Volumus etiam, ſicuti & per plurima loca auctoritas firmat, ut omnia ex priori loco, ubi habitaverunt, tam in prædiis, quam in aliis rebus, Luthra tranſlato, in honore beati Petri Apoſtolorum principis & eccleſia fiat conſtructa, & maneat congregatio eo modo, ut ſub mundiburdio deinceps maneat Regum Francorum, & jus proprietatis permaneat Romæ beato Petro principi Apoſtolorum. Inſuper annuatim ex ipſo jam dicto loco Luterha Romæ cenſualiter perſolvantur 10. ſicli argenti... Ad Abbatem inter ſe eligendum ſine ullius contradictione liberam obtineant poteſtatem. Et nullus Archiepiſcopus vel Epiſcopus eorum dominetur, præter Romanum Apoſtolicum, & mundiburdio Regum Francorum. Ut hæc tamen verius credantur, hoc præſens præceptum manus noſtræ ſigno & anuli noſtri impreſſione roborari juſſimus. Signum Domni OTTONIS invictiſſimi Regis. LIUTULFUS Cancellarius ad vicem BRUNONIS Archicapellani recognovit. Data 8. Id. Aprilis anno dominicæ incarnationis 959. Indict. 2. anno vero regni Ottonis ſereniſſimi Regis 24. Actum Quintilingaburg in Dei nomine feliciter, amen.

7. *Ex hac temporum ratione inferre licet, duos illos Epiſcopos, qui Baltramno infeſti fuerunt, Mettenſem eſſe Adalberonem, Ruthardum Argentinenſem, aut ejus ſucceſſorem Uthonem. Adalbero quippe ab anno 929. ad 964. Mettenſi eccleſiæ præfuit: Ruthardus Argentinenſi ab anno 928. ad 950. quo anno Utho ipſi ſuffectus eſt.*

Lutrenſes quidam Abbates. 8. *In eodem chartario Lutrenſi Henricus Imperator, Chunigundæ conjugis ſuæ hortatu,* MILONI *Abbati bona monaſterii confirmat 11. Kal. Julii anno Chriſti 916. regni 15. imperii 3. Item Leo Papa 9.* GERARDO *Luthrenſi Abbati privilegia confirmat 4. Id. Februarii, pontificatus anno ſecundo. Ad hæc Fridericus Imperator, rogatu Beatricis Auguſtæ,* UDALRICO *Abbati privilegia denuo aſſerit, 8. Kal. Decemb. anno 1157. Indict. 5. Sub hæc Alexander Papa 3. idem præſtat in gratiam* GUIDONIS *Abbatis anno Chriſti 1178. Præter ea Fridericus 2. Imperator* THEONEM *Abbatem, Principem, & Capellanum ſuum, & res monaſterii ſuſcipit in tutelam ſuam menſe Auguſto anni 1232. Eodem ſæculo Rudolfus Imperator* PETRO *Abbati dat inveſtituram feodorum regalium, & plenariam juriſdictionem Principatus Abbatiæ Lutrenſis prid. Id. Martii anno 1290. Poſtea Leopoldus Dux Auſtriæ* HENRICO *Abbati concedit jus patronatus in eccleſiam ſancti Deſiderii diœceſis Biſontinenſis de conſenſu Principis Alberti fratris ſui, die 7. Maji anno 1374. Denique Sigiſmundus Romanorum Rex* JOANNI *Abbati privilegia confirmat die 20. Februarii anno 1417. Hæc fragmenta referre viſum eſt in hunc locum, ne forte pereant.*

CIRCA AN. 960 17. Aug.

DE VENERABILI ALVEO

ABBATE CARNOTENSI.

ubi de WLFALDO ejuſdem urbis Epiſcopo.

Monaſterium S. Petri apud Carnutas. * S. Pierre en Vallée

1 MONASTERIUM *ſancti Petri * in valle, olim extra muros urbis Carnotenæ ſitum, incertæ eſt originis. Exſtabat ante ſæculum 9. quo tempore Elias Epiſcopus locum armata manu invaſit,* in ipſius eccleſiæ liminibus multo cruore effuſo, dum Monachi priorem ſtatum colerent, atque Epiſcopum abhorrerent. Unde factum eſt, ut Monachorum plurimi locum,

cui ſe devoverant, deſererent, & in Burgundiæ partibus apud beatum Germanum Autiſſiodorenſem commorantes, præſentis vitæ curſum finierunt... Imbecillis autem turba Monachorum quæ ibi remanſit, neſcia quo pergeret, a Præſule parce ac inclementer alebatur. *Idem ab eodem Epiſcopo patratum in* alterum Sanctimonialium cœnobium, *quod* in Monte-leugarum non longe ab urbe Carnotum elegantiſſimum ſitu ſolo tenus deſtruxit. *Hæc contigere Ludovico Pio imperante, prout fuſius deſcribuntur in chartaceo codice monaſterii ſancti Petri, dicto Aganonis, ab Aganone Epiſcopo loci inſtauratore. Eliæ ſucceſſit Burchardus, Burchardo Frotbaldus, quo Pontifice a Nortmannis ingens facta eſt cædes Carnotis, in qua interempti ſunt cum Clericis Monachi non pauci, qui cum eis in eccleſiam confugerant: quos inter* Titulfus Presbyter & monachus *necatus eſt prid. Idus Junii anno* 858. *ut legitur in Necrologio eccleſiæ Cathedralis: tametſi annum præcedentem ſignant Annales Bertiniani. Paulo poſt* Giſlebertus Præſul munificus, cernens in ſancti Petri cœnobio modicum numerum Monachorum, quæ ex rebus anguſtis ab Elia relicta fuerant, & a paganorum frequenti infeſtatione depopulata, bono uſus conſilio depellere ſtuduit illorum paupertatem, ut libentius Domino famularentur. *Sub ejus ſucceſſore poſt Gerardum Aimerico legitur* Canonicus ſancti Petri Winnemarus. *Aſt Agano Aimerici proximus ſucceſſor, monaſterium iſtud* a paganis, *id eſt Nortmannis, pæne in ſolitudinem redactum*, a fundamento reædificavit, & canonica inſtitutione clericorum *inſtruxit: quod tandem Ragenfredus Epiſcopus Monachis reſtituit. Haganonis obitus in Necrologio Carnotenſi notatur* 9. *Kal. Januarii anno* 941. *Indict.* 14. *ubi vocatur* Epiſcopus & Comes, Leobino beatiſſimo conſimilis. CIRCA AN. 960 17. Aug.

2. *Haganone ſeu Agano* ad conſortia ſanctorum translato, in Epiſcopatu ei venerabilis RAGENFREDUS ſucceſſit, qui quanto amore locum dilexerit, facile poteſt agnoſci. Nam ejus ſagaci ingenio atque ſuggeſtione clarus genere & opere ALVEUS, ejuſdem loci Abbas, cum Canonicis arctam viam cupiens, in Floriacenſi cœnobio Cleri, *id eſt Canonicorum ſuorum*, nomine, ſerie * religionis habitu exornans, per triennium normam beati Benedicti ſedula intentione didicit: indeque revocante Epiſcopo Ragenfredo cum ſuis inſtructus regularibus diſciplinis, ad locum proprium rediit Carnotis, ſecum ſumens alios duodecim Monachos, quos ex congregatione memorati cœnobii maluit eligere. Alveus Abbas ex ſeculari monachus. * f. ſe rite

3. Tempore ergo quo ipſe totius triennii ſe informaverat in ſancta religione, eccleſiam ad manendum, clauſtrumque monachis congruum inſtanti conſtruxit ope, *ſcilicet Ragenfredus*. Quibus cum gaudio refectis, & annitente totius populi conſenſu Alveo Abbate ſacrato, victum & omnia neceſſaria largiente eis accommodavit. Eccleſias vero atque villas, quas anteceſſores ſui uſurpaverant, ſubtrahens ſibi, ſtipendiariis uſibus alacriter reddidit. Viridarium quoque quod ſitum erat juxta cœnobium, terramque contiguam, priſcis temporibus ab Epiſcopis male retentam, per ingens quoddam thuribulum argenteum libens contradidit. Quia vero tam ab Elia, quam aliis poſt eum epiſcopantibus ſubreptas reddere terras nequivit, ſine quolibet recuperationis reſpectu Militibus in caſamento datas, duodecim Præbendas in majori eccleſia Monachis attribuit jure perpetuo poſſidendas. Itaque Monachos in ſumma pace degentes agitando, quamdiu vixit, fovere non deſtitit admonitione paterna, exhortans firmo greſſu in ſancta religione perſiſtere. *Legitur in prædicto Aganonis libro hac de re charta Ragenfredi, quæ ſub annum* 950. *condita eſt in hunc modum.* Monaſterio præficitur. Ragenfredi beneficia.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis RAGENFREDUS nullis exſtantibus meritis ſanctæ ſedi Carnotinæ ſublimatus Antiſtes. Quotieſcumque præcedentium Patrum ad medium deducuntur exempla, ſanis mentibus incitamenta ſunt virtutum, informatio melioris vitæ, inoffenſa progreſſio viæ mandatorum Domini. Divina autem quia ſunt pleraque rationis incapabilia, admiratio-

Digitized by Google

CIRCA AN. 960 17. Aug. rationis nonnumquam ſubeunt contemplativa. Unde ego Ragenfredus vocatus Epiſcopus, cum a ſæcularium negotiorum tumultibus, quibus plus neceſſitate quam voto implicitus teneor, paullulum animum expediiſſem; totum me intra me colligens, cœpi in admirationem habere beneficia miſerationis divinæ erga ſalutem ſtirpis humanæ, quemadmodum quos diligit, vulnerando medicabili dextra medetur, & paterno percutiendo affectu ſalutis ac ſanitatis proſpera ſubminiſtrat. Cujus clementiæ magnitudo licet ubique terrarum ſe dignanter impendat, ut mihi tamen videtur, præ reliquis noſtræ ſedis diœceſim ſuæ dilectionis amore dignam duxit; dum exigente filiorum ſuorum peccaminum mole, ita eam verbere diſciplinabilis correctionis ſubmiſit, ut efferam gentem Paganorum quaquaverſum cædibus, incendiis, depopulationibus debacchari ſine aliqua retractatione permiſerit. Nullus honor impendebatur locis, voraci eos indifferenter flamma lambente: nulli dignitati, ætati vel ſexui accedebant remedia parcendi, gladio impiiſſimæ crudelitatis univerſa metente. Tunc omnia hujus Epiſcopii deſtructa ſunt, igne monaſteria conſumpta, eccleſiæ pæne omnes fundo tenus dirutæ. Si qua vero eorum evaſere manus, domeſticæ oppreſſionis, tam privatorum, quam potentum ſenſerunt detrimenta. Tandem proſpiciens de excelſo propitiatio ſuperna indoluit afflictorum lacrymis, & gemebundis miſerorum querelis: ſicque cælis miſericordiæ rorem ſtillantibus, obſidioni pæne protritæ urbis divina ſe ſubveniendo indulſit, dum poſt illorum bellorum validiſſimam oppreſſionem, diu optatæ pacis gaudia arridere conceſſit. Interea non multo poſt Agano vir illuſtris hujus eccleſiæ ſublimitatis indeptus Pontificatum, totam animi intentionem in reædificandis monaſteriis reſtruendiſque eccleſiis dirigere ſategit. Erat in ſuburbio jam dictæ urbis Carnotis celebre a priſcis temporibus monaſterium, in honore principis Apoſtolorum directum, regularibus diſciplinis aſſuetum, ſed præmiſſa vaſtatione neglectum, vix dum in parva eccleſia in canonica inſtitutione tranſductum, cui noſtris temporibus præerat venerabilis vir Alveus, quamvis ſub ſchemate Canonici amator & cultor religionis: qui perſæpe cum præfato Pontifice tractare cœpit, qualiter, quod animo deliberabat, opere ad effectum perduceret: quod ſupernæ annuente gratia, & Antiſtitis accedente in hoc ſuadela, ſui compos effectus eſt voti. Præparatis ſiquidem impenſis, non parvæ jecit fundamenta fabricæ, & procedente temporis ſpatio ſuperpoſuit baſilicam quantitatis amplæ, pulcritudinis operoſæ, ſicut in Præſenti facile eſt cernere: illicoque auctoritate pontificali Canonicorum ſervitia inibi delegavit. His ita ſe habentibus ultimam vocationis ſuæ diem Præſule ſortito, ego Ragenfredus, quamvis nullius meriti prærogativo in hujus cathedræ faſtigiatus ſum ſolio: quo inthronizatus vigili meditatione cœpi animo conferre, ſi quid acceptum oculis divinæ majeſtatis valerem offerre, & quod proficuum foret remedio animæ meæ. Ad quod reor non ſe difficulter obtulit materiei præbitio. Nam pervidens præmiſſi ſancti Petri eccleſiæ Clericos proclive ſe agentes, & relictæ ſpiritalis militiæ exercitia mente & actu ſectari terrea & caduca, etiamque dictu committere nefaria; cum conſultu bonæ memoriæ prænominati Alvei, abbatem cœnobii ſancti Benedicti Vulfaldum accerſivi, in quo ſalvo diſcretionis bono arctius & perfectius religionis cenſura valere prædicabatur ab omnibus: quo adventante cum quibuſdam ejuſdem ordinis comitibus, una cum eo in antiquitatis monaſticæ obſervantiam ſæpedictum reformavimus locum. Quibus Monachis ne incuſandæ egeſtatis penuria ſubiret occaſio vagandi foras, quæcumque eidem loco a prædeceſſorum noſtrorum aliorumque invaſionibus injuſte videbantur ſubtracta, tam ex beneficiis militaribus, quam ex noſtro indominicato, ut ſe temporis obtulit ratio, reddere ſtuduimus. Quamquam vita comite, ſi facultas ſuppeditaverit, pluriora reddere mihi animus ſuggerit, quorum quædam huic pontificali privilegio, quædam aliis inſerere ratum duximus. Reddimus itaque eis terram quamdam a ſuis anteceſſoribus priſcis temporibus poſſeſſam, poſtea malo ordine

dine ſubtractam: quatenus illam pleniter poſſideant, velut illorum prædeceſſores eam tenuiſſe, multorum teſtimonio comprobatur. Ipſa vero terra conjacet infra & extra muros Carnotis civitatis, juxta portam Cineroſam*. Terminatur vero ipſa terra uno latere, via quæ eſt exitus civitatis, altero vero latere terminatur terra ſancti Petri Pictavienſis & ſancti Aniani. Sed terra ſancti Petri Pictavienſis terminatur infra muros civitatis, terra vero ſancti Aniani infra & extra, una fronte terminatur terra ſancti Petri Carnotenſis, via quæ ducit per medium civitatis uſque ad murum, altera fronte via foris portam quæ vadit ad ipſum Monaſterium. Commutavimus etiam pro terra quam habebant in loco Belmontus, alodum Oidolonis juxta ſupra terminatam terram in ipſa civitate, ante portam clauſtri ſancti Petri, in via quæ vulgo dicitur Merdoſa, tantum eis reſtituimus de terra, unde exeunt ſolidi decem & octo; non longe a foſſa Algiſi, vinearum aripennos octo; terram vero ad plantandum juxta æſtimationem bonuaria octo. In ipſo ſitu cœnobii dedimus eis hortum cum quindecim aripennis vinearum, & non longe a Lucejaco campum vacuum ad plantandum triginta aripennos. Facta eſt autem commutatio inter Canonicos ſanctæ Mariæ & Monachos ſancti Petri ex eccleſiis ipſorum. Dederunt nempe Canonici ſanctæ Mariæ eccleſiam Urſivillaris cum uno aripenno de terra ad ipſam eccleſiam pertinente: & acceperunt in Centriaco eccleſiam econtra cum dote. Dedimus etiam ex poteſtate ſanctæ Mariæ in prædicta parrochia Urſivillaris Germinionis-villam in pago Dunenſi, cum triginta manſis cultis & incultis. In pago quoque Carnotenſi dedimus eccleſiam, quæ dicitur Immonis-villa, cum novem manſis & dimidio. Eccleſiam quoque de Alona dedimus cum tribus manſis & dimidio ad eam pertinentes: item capellam ſancti Victoris in villa quæ dicitur Vernus, cum molendino uno, & poſt obitum Odulfi totam villam: item capellam in Mitani-villari. Has omnes eccleſias reddimus eis, concedentes decimas, & remittentes ſynodum, & circadas: ſimul etiam & de eccleſia in Bodaſi-villa, quam ipſi omni tempore tenuerunt, ita ut neque a nobis, neque a ſucceſſoribus noſtris, eis umquam ullomodo requiratur. Reddimus etiam eis in pago Carnotino, in villa quæ dicitur Britiniacus, manſos de terra octo cum manſuris, terris quoque cultis & incultis; in Camphiaco manſum unum, cum manſuris, terris quoque cultis & incultis; in Coſentiaco manſum unum, in Emprani-villa & Concretiis, quicquid ex ipſa poteſtate haberi dignoſcitur: in ſancta Maria ſuper ſtratam manſum unum, in Spotineri-villa manſum unum, in Magnerias manſos tres & dimidium, in Gundrevilla manſos octo cum Brogilo & pratis, in Cepido manſum unum, in Fontinido manſum unum cum duobus aripennis de prato in Villeta conjacentibus, in Leviſi-villa manſum unum, in Vvadrejo quartarium unum, in Tenuaſio manſum unum, in Vallis manſum unum cum pratis, aripennis ſcilicet novem, in Monte-Olrico molendinum unum cum aripennis de prato decem, in Mandri-villa manſum unum, in Lochirio manſum unum cum molendino uno, in Bertoni-villare quartarium unum, in Saxnavilla in eodem pago manſos de terra duos; in pago Stampenſi, in villa quæ dicitur Malaredus, manſum unum; in Dunenſi pago, in villa quæ dicitur Alpedagnus, eccleſiam unam cum omni terra quæ conjacet ibi ex ipſa poteſtate. De cetero ſub pontificali excommunicatione auctorabili & anathematis condemnatione inevitabili interminamus, tam præſentibus, quam futuris cunctis inſuper venturis ſæculis, ut nemo Antiſtitum, clericorum ſeu laicorum, nullus eos in omni moleſtetur negotio, non in exigendo decimas & circadas, quas alii paratas nominant, non in terrarum invaſione ulla ſæcularis dignitatis ambitio ejus poteſtatis homines diſtringere præſumat; non telonea, non freda extorquere, non quaslibet vel minimas ſibi ſuorumque ſervientium inrogare injurias: quin potius remota inquietudine ſollicitudinis tranquillam in Domini ſervitio & in monachico propoſito ducant vitam, memores omni tempore noſtri nobiſque commiſſæ ec-

CIRCA AN. 960 17. Aug.

* La porte Cendreuſe.

CIRCA AN. 960 17. Aug.

eccleſiæ inter ſuarum tam privatarum, quam & communium vota orationum. Quod ſi quis his epiſcopalibus decretis obviare præſumpſerit aut irrita facere, æternæ maledictionis confodiatur jaculis, & cum Juda proditore, Anna & Caipha atque Pilato & capite eorum diabolo perſolvat pœnas perpetuæ damnationis, gehennalibus deputandus flammis, niſi reſipuerit & ab hac intentione animum revocaverit. Ut autem hujus privilegii auctoritas inconvulſam perpetualiter obtineat firmitatem, tam noſtra quam Coepiſcoporum manibus ſubter roborandam decrevimus. Actum Carnotis civitate publice. Ragenfredus Carnotis civitatis præſul hujus auctoritatis paginam firmavit, ac roboravit, Hildemannus Archiepiſcopus Senonenſis, Graulfus Abbas ſancti Carauni, Arduinus archiclavus, Theodericus presbyter, Aucarius presbyter, Adelandus presbyter, Gonzzo diaconus, Ardradus ſubdecanus, Radulfus presbyter, Bernardus presbyter, Gerardus diaconus, Lambertus Canonicus; Aymo, Vvallerannus, Burchardus Milites ſubſcripti in antea. Poſtea firmaverunt Joſeph Archiepiſcopus Turonum, Conſtantius Pariſiorum Epiſcopus, Guichardus Ebroicæ Epiſcopus, Mainardus Cinomanicæ Epiſcopus, Mabbo Pauliani Britanniæ Epiſcopus, Nordoardus Redonenſium Epiſcopus, Thedbaldus Comes, Hugo Archiepiſcopus filius Thedbaldi Comitis, Odo Comes. Hugo Dux Franciæ, Hugo filius ejus, Ledgardis Comitiſſa: ſequenti tempore, Odo Epiſcopus Carnotenſis, Otho Comes Burgundiæ, Suggerius Decanus.

Ragenfredi donatio Prebendarum.

4. *Hactenus inſtrumentum Ragenfredi Epiſcopi, qui duodecim Præbendas ſuperius memoratas anno* 950. *conceſſit aliis litteris, quarum hic tenor.*

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, ego Ragenfredus nullis exſiſtentibus meritis, ſed ſola Domini gratuita pietate Carnotenſis eccleſiæ Epiſcopus, cœnobium in honore Apoſtolorum Petri & Pauli dicatum, auguſtorum donariorum titulis longe lateque reſplenduit, ac in multiplici Monachorum numero divina largiente gratia floruit: ſed infeſtationibus Paganorum ingruentibus, ceteriſque ſupervenientibus præſſuris pæne ad nihilum rediit; nunc vero adjuvante gratia Chriſti pro modulo noſtro renovavimus priſtinos religionis uſus: ut ibi perenniter laus Dei celebretur in pſalmis, hymnis & canticis ſpiritualibus ritu obſervandum perpetuo. Ego itaque Ragenfredus Carnotum conſtitutus Antiſtes, cui divinitus ſtatera judicii & æquitatis eſt commiſſa, una cum conſenſu & obſecratione noſtrorum fidelium, ſicut ipſius cœnobii continetur in archivis, dantes juſte reddimus in propriis fratrum uſibus ſtipendiariis, quæ eorum alimoniæ ſubtracta a noſtrorum quodam, nomine ELYA, dominioque epiſcopali inepta cupiditate ſunt detenta, atque in caſamen militum cæca mente tradita. Verum quia minus ut animus ſuggerit peragere valemus, ipſis Fratribus cum conſenſu Monachorum * in noſtra eccleſia duodecim præbendas abſque ulla repetitionis calumnia dedimus, interminantes pontificali auctoritate & anathematis condemnatione tam præſentibus quam futuris, ut nemo Antiſtitum, Clericorum ſeu Laicorum, ſicut in illorum continetur privilegiis, eos in ullo moleſtent negotio; non eorum terras invadat, non ejuſdem poteſtatis homines diſtringere præſumat: & quod in alio prætermiſimus, omnibus, præter Monachos ipſius loci, in eligendo Abbatem denegamus facultatem. Eligant autem monachi ſibi bonorum operum exemplis eum commonentem, Antiſtiti offerentes dono benedictioneque donandum. Itaque omni ſollicitudinis inquietudine remota, tranquillam in Dei ſervitio ducant vitam, noſtri memores inter communium vota orationum. Si quis autem his pontificalibus decretis obviare, aut irrita facere præſumpſerit, jacnlo damnationis confodiatur æternæ, & cum Dathan & Abiron, quos terra vivos abſorbuit, atque cum Juda proditore, niſi ab hac intentione reſipuerit, damnandus gehennalibus flammis cum diabolo pereat. Ut autem hujus privilegii auctoritas inconvulſa permaneat, tam noſtra

* l. Clericorum.

cum, ſtra quam Coepiſcoporum manibus Ducíſq; ſubterroborandum decrevimus. Actum Carnotis civitate publice. S. RAGANFREDI Epiſcopi Carnotenſis. NORDOARDI Epiſcopi Rhedonenſis. HUGONIS Archiepiſcopi. THEOBALDI Comitis. JOSEPH Archiepiſcopi Turonum. GUNHARDI Epiſcopi Ebroicæ. SUGERII Decani. RADULFI Abbatis. CIRCA AN. 960 17. Aug.

5. *Quamdiu poſt has litteras ſupervixerit Ragenfredus, incertum: at eum ante annum* 960. *obiiſſe certum eſt. Obiit* 14. Kal. Auguſti, *atque* eccleſiam ſanctæ Mariæ mirifice ornaſſe, & clericis multa bona feciſſe *memoratur. Et in Necrologio ſancti Petri*, 15. Kal. Aug. obiit venerabilis Ragenfredus, Carnotenſium Epiſcopus, ſtructor atque reparator hujus monaſterii. Ejus gleba corporis in cœnobio ſupra memorato ante altare beati Petri Apoſtoli cum choris pſallentium ſimul & flentium honore debito ſepulta eſt, *teſte libro Haganonis*. Ragenfredi obitus.

6. Poſt obitum denique clariſſimi viri Ragenfredi Præſulis, qui hunc locum pio affectu in antiquo gradu deſudavit ponere, atque in ſancta religione ſtuduit innormare, frater ejus ARDUINUS in epiſcopatu ſucceſſit: ſed, ſicut prædiximus, neque locum coluit, neque locupletare voluit, ſed quædam quæ a fratre ſuo largita fuerant, ſubtrahere non timuit. Unde de eo quod paginis inſeram, nihil aliud habens præter quod inſerui, niſi ſolum opus lamentabile quod priſcorum relatione didici, obſtruſum videlicet ſibi Epiſcopatus aditum, quem ut faceret pervium, Abbatiam ſancti Martini *in ſuburbio Carnotenſi* de poteſtate Epiſcoporum ejecit, Comitumque habendam in perpetuo tradidit poteſtati. Itaque eo relicto cum AREMBERTO, quem poſt beati Alvei exceſſum Patrum congregationi præfecit, ad venerabilem WIDBERTUM tranſeundum eſt, quem WLFALDUS Præſul Abbatem ſacravit. *In his verbis plura ſunt obſervanda: ſed prius notandum, ipſum Arduinum*, monachos exoſos *habentem*, ex duodecim Præbendis, quas frater ejus dederat, medietatem extorquendo ſurripuiſſe. Arduinus ſucceſſor.

7. *Ad Alveum Abbatem quod attinet, eodem quo Ragenfredus tempore e vivis exceſſit. Siquidem Arduinus Ragenfredi nepos ac ſucceſſor, qui brevi tempore ſedem tenuit, Arembertum Abbatem Alveo ſuffecit. In ſuperioris Haganonis teſtimonio* beatus *Alveus appellatur. In Necrologio ſancti Petri*, 15. Kal. Septemb. obiit domnus Alveus Abbas ſtructor hujus monaſterii. *Et in alio Necrologio*, 16. Kal. Septemb. obiit domnus Alveus Abbas hujus monaſterii, qui jacet ante altare beatæ Mariæ: ad cujus anniverſarium Præpoſitus de Boyvilla debet nobis 20. ſolidos. *In ſuperiori Necrologio* GEROARDUS laicus pater Alvei Abbatis 6. *Id. Junii laudatur*. Alvei obitus.

8. *Arduinum excepit* WLFALDUS *ſeu* WLFOLDUS *ex Abbate Floriacenſi, ſub quo Alveus canonicali habitu depoſito in palæſtra monaſtica meruit. Idem Wlfaldus duodecim monachos Alveo Carnutas redeunti comites dedit. Epiſcopus electus anno* 962. *teſte Frodoardo, paullo poſt Widbertum Abbatem poſt Arembertum (cujus obitus in Necrologio ponitur* 8. Kal. *Maji) benedixit. Necrologium eccleſiæ cathedralis Wlfaldi perhonorifice meminit his verbis*. 6. Nonis Octobris obiit Deo acceptiſſimus, omniumque laudabilium virtutum claritate decoratus, Abbas primum, poſtque Pontifex ſedis iſtius Wlfaldus. *Et tamen in Necrologio ſancti Petri ponitur* prid. Kal. Octob. *Ejus meminit Aimoinus in lib.* 1. *de miraculis ſancti Patris Benedicti*. Wlfaldus Epiſcopus.

9. *Venio ad Widbertum Abbatem, Aremberti in regimine cœnobii ſancti Petri ſucceſſorem*, qui quantæ doctrinalis ſcientiæ vir fuerit, Beati Emani paſſio, quam decenti ſtilo compoſuit, declarat: quantæque religionis exſtiterit, plurimorum fidelium donaria, quæ chartis inferius ſcriptis (*ſic liber Haganonis*) adnotata, demonſtrant. Multi enim ejus ſanctitatem agnoſcentes, ejuſque ſapientiæ ſale, verborum copia conditi, terrenas divitias vilipendentes, pro regni cæleſtis aditu commutabant. *In his prima eſt charta Walteri Comitis Dorcaſſini de eccleſia ſancti Georgii, quam donationem tam ſua, quam Richardi Ducis*, in cujus Comitatu ſita erat *eccleſia, roborari curavit*, anno ab Incarnatione Widbertus Abbas.

tione

CIRCA AN. 960 17. Aug.

tione 965. Indict. 8. regnante Lothario Rege anno 11. *In tertia charta nominatur* Eirveus, *forte* Eriveus, qui Abbatiam ſancti Carauni per largitionem Odonis Epiſcopi tenebat, *ſucceſſor videlicet Graulfi Abbatis, cujus ſuperius mentio facta eſt. Octavo loco refertur charta* Ledgardis *Comitiſſæ* de Geſeico regali ſede, *ubi poſtea Prioratus ſancti Petri de Geſiaco, cujus loci eccleſiam cum aliquot prædiis concedit Wiberto Abbati & monachis pro indulgentia tam ſui quam* pro nobiliſſimi ſenioris *ſui* atque glorioſi Comitis Tedbaldi, & pro anima patris *ſui* Heirberti Trecaſſini Comitis, conſentientibus Hugone Archipræſule, *nempe Bituricenſi*, & excellentiſſimo Comite Odone filiis ſuis, *qui litteris ſubſcribunt, ſimulque* Odo Carnotenſium Præſul, & Emma Comitiſſa Pictaviæ *cum aliis*. Data nona Februarii die, regnante Hlothario Rege anno 24. *In capite* 18. *legitur inſtrumentum Rodberti Militis, qui cum locum* Avrion, *vulgo* Evron, *tradidiſſet Widberto Abbati, & monaſterio ſancti Petri ſubjeciſſet, cum conſenſu Odonis Comitis, ſimulque ejus matris Ledgardæ & uxoris Bertæ, poſtea Widberto mortuo*, ipſius ſucceſſorem Domnum Gisbertum ſupplex ac devotus expetiit, ut unum ex ſuis monachorum benedicendo, in prædicto Oratoriolo Abbatem ſubſtitueret, *pacto ut* Avrion locus pro tradendis benedictionibus, vel ſubſtituendis Abbatibus in poteſtate *monaſterii ſancti Petri* perpetualiter permaneret: quippe a quo ſuæ inſtaurationis ſummam haberet & principium. *Exſtat hoc inſtrumentum in Galliæ Chriſtianæ tomo* 4. *pag.* 346. *ubi de Ebronio monaſterio, quod ſæculo* 7. *ab Hadoindo Cenomannenſium Epiſcopo primitus conditum, ut in tomo* 3. *Analectorum legitur, modo noſtræ ſancti Mauri Congregationi unitum eſt. Mortuus eſt ſub annum* 980. *Widbertus Abbas, cujus libellum de paſſione Emanii ſociorumque ejus martyrum in codice Colbertino legimus, abſque nomine auctoris. Sæculo inſequenti floruerunt in cœnobio ſancti Petri* Arnulfus *Abbas &* Areſaſtus *monachus, quos ſuo loco, Deo dante, illuſtrabimus.*

AN. CHR. 960 7. Septemb.

DE VENERABILI ANSTEO

ABBATE SANCTI ARNULFI,

ubi de Adalberone I. Epiſcopo Mettenſi.

I. *ET ſi in Actis ſancti Joannis Abbatis Gorzienſis inferius adducendis honorifica mentio fiat* ANSTEI *Abbatis, hic tamen in anteceſſum de eo agere viſum eſt, ne tam præclari viri memoria cum aliis confuſa minus eluceat. Fuit is percelebris ſancti Arnulfi monaſterii apud Mettas civitatem Abbas a reſtitutione ſecundus, de quo ita Joannes ejuſdem loci Abbas in vita ſancti Joannis Gorzienſis num.* 66. Hic in ſæculari habitu Domno EINOLDO *ſeu Agenoldo Abbati Gorzienſi* ſocius, cui & ſanguine jungebatur, poſt aliquot annos relictis omnibus facultatibus ex Archidiacono in pauperem Chriſti vere mutatus eſt, & in eamdem ſocietatem commigravit, vita non inferior ceteris claruit. Fuit autem lingua, quantum ad exteriorem ſermonem, facundiſſimus, ſed & in ſcripturis ſacris ſtudioſiſſimus, quamquam & artium nonnulla ei notitia fuerit.... Aliquamdiu ergo in eodem Monaſterio Decanus, & Abbatis in omnibus onera ſtrenue ſuſtentans, vita & verbo omnique ſanctæ converſationis exemplo forma gregi dominico factus, ut pæne per ipſum poſt Abbatem omnia diſponi viderentur: tandem viro egregio Heriberto apud ſanctum Arnulfum, qui primus eidem loco a Domno Adalberone Pontifice, Clericis inde ſubmotis, regulari Monachorum ordine præfectus eſt, vita decedente, Paſtor in Domino profuturus ſtatuitur.

Anſteus ex Archidiacono Gorziæ Monachus, tum decanus. Dein Abbas ad S. Arnulfum.

2. Nec

Digitized by Google

2. *Nec leviter hoc loco prætereundum eſt, quid* Adalbero *ſeu* Adelbero *in ſancti Arnulfi monaſterium præſtiterit. Antiqua eſt ejus loci eccleſia, extra muros civitatis Mettenſis, ſanctorum Apoſtolorum & ſancti Joannis olim dicta, ante tranſlationem corporis ſancti Arnulfi per Goericum Epiſcopum iſtuc factam ſub annum* 640. *Monachis ibi ſucceſſiſſe tradunt Canonicos, quibus Drogo Epiſcopus Monachos ſufficere cogitaverat: ſed morte præventus, id Adalberoni ejus nominis primo exſequendum reliquit, qui Gorzienſe* cœnobium pæne collapſum fundis & ædificiis reſtruxit ac muro circumdedit, *ut in Actis Joannis Gorzienſis fuſius exponendum eſt. Illius rei gratia Ottonem M. adiit, a quo & privilegium impetravit, id eſt facultatem ſubſtituendi Monachos in eccleſia ſancti Arnulfi loco Canonicorum*, qui poſthabita canonicæ Regulæ converſatione laico more vivebant, & poſt creberrimas admonitiones incorrigibiles *eſſe pergebant. Reclamantibus nequicquam Canonicis, ſanxit Otto regia poteſtate*, ut congregata inibi Domino famulantium honeſta congregatione, *deinceps* monachica ibi perpetualiter vita ducatur. *Datum Franconofurti* anno Inc. 941. Indict. 14. *Anno ſequenti Adalbero ipſe litteras hac de re edidit, in quibus hæc leguntur.* Ego indignus Adelbero, ſanctæ ſedis Mettenſium Epiſcopus, operæ pretium duxi, ut qui diu mihi commiſſa in torporis negligentia cuncta duxeram, ſaltem aliqua quæ corrigere valerem, ſagaci providerem induſtria. Itaque monaſterium cunctis notum, ſcilicet beati Arnulfi, in quo videbatur coadunatio clericorum, utque veridice dicam, & ſub teſtimonio totius Eccleſiæ, acephalorum ſub ſpecie Canonicorum Regulæ exſiſtere; ſuccrevit ardor ſummi deſiderii, ut qui illorum mores & vitam incorrigibilem noveram, (namque & hoc experientia diverſarum ammonitionum antea cum noſtris experieram Suffraganeis) quo potioribus & vitæ præſtantiſſimis ipſius loci præbendam converterem diſciplinis. Hujus ſiquidem deliberationis ſumma fuit, ut eos inde expellerem, & Deo auctore vitam inſtituerem monaſticam, niſi ſeipſos ſanctæ illi ſubderent vitæ. Sed hoc quaſi deſpectui habentes, ut erant uniti cœtu, maluerunt eſſe pares in imperfectionum conſenſu. Denique conſultu noſtrorum clericorum, ſcilicet Abbatum utriuſque ordinis, atque fidelium laicorum, præfecimus ibi Abbatem Arbertum nomine, cujus inſtitutionibus in reliquum adventates, inibi eodem quo definivimus Ordine, ſcilicet monaſtico, erudirentur. Quapropter furoris ſtimulo, veluti de paternis redditibus, accenſi, quidam eorum adierunt Regem ſeniorem noſtrum, ſcilicet Ottonem, vanum ſuper hoc garrientes *&c.* Actum Metis publice ſub die Idus Martii. Indict. 15. concurrente 5. anno 13. adeptionis Epiſcopatus domni & venerabilis Epiſcopi Adalberonis, *id eſt anno* 942. *qui Adalberonis anno* 929. *Epiſcopi creati tertius-decimus erat. Confer ea quæ ſuperius de Bennone ejus præceſſore diximus. Exſtant apud Meuriſſium in gallica hiſtoria Mettenſium Epiſcoporum hæc inſtrumenta cum aliis ad eum locum ſpectantibus.*

AN.CHR. 960 7 Septemb. Monaſterium S. Arnulfi.

Chron. Epiſc. Metenſ. tom. 6. Spicil. p. 657.

Meuriſſe pag. 304. & ſeqq.

3. *Itaque primus a reſtitutione apud ſanctum Arnulfum Abbas inſtitutus eſt* Arbertus *ſeu* Heribertus: *cui Anſteus ſecundo loco ſubrogatus anno* 945. *Poſt annos quatuor diploma obtinuit ab Ottone Rege, qui monaſterio bona omnia confirmavit.* Ibi, *uti in geſtis Joannis Gorzienſis legitur*, brevi ejus induſtria claruit. Habitacula enim monaſtico Ordini pulcherrimo ſchemate conſtruens, locum quem omnino incultum, & nullis ad religionem inſtitutionibus, ſuſcepit, ad omnes uſus Domino ſerviendi aptiſſimum reddidit... Juris quidquid monaſteria ſubjacebat, ita in vineis, pratis, agris, ſilviſque excoluit, ut cum rem omnino pauperrimam, & vix pauciſſimo numero parcam nimis ſtipem promittentem invenerit, poſt annum exactum (nam is gravis, & quaſi peſtilentia attactus fuit) in omnem copiam rerum neceſſariarum Domino benedicente ſupereffluxerit... Omnibus Dominicis & feſtivitatibus Sanctorum celebrioribus Miſſas publice dixit: ad hoc unaquaque quarta feria privatim. In omnibus miſericordiæ actibus non alter eo fuit præſtantior. In his quindecim annorum exactis laboribus, in ſanctæ per-

Abbati Arberto ſuccedit Anſteus

Digitized by Google

AN. CHR. 960 7. Septem. perſeverantiæ fine curſum conſummans, pridie Nativitatis beatæ Dei genitricis decedens, in monumento a ſe jam olim longe retro a primis annis ſui regiminis præparato, plurima devotorum virorum frequentia, Domno & venerabili Antiſtite Adelberone munus exſequiarum explente, depoſitus eſt ex parte baſilicæ aquilonari, *anno Domini* 960.

Adalberonis alia facta & obitus. * Vide Sæcul. 2 p. 63.

4. *Anſteo non diu ſupervixit Adalbero, quem anno* 964. *Diedericus excepit. Abbas fuit monaſterii ſancti Trudonis, cujus baſilicam dedicavit. Laboravit etiam ad reſtituendam in parthenone ſancti Petri * apud Mettas regularem diſciplinam.* Majus-monaſterium ab antiquis *dicebatur ex Ottonis M. diplomate, quod Meuriſſius refert pag.* 313. *Iſtud Adalbero*, *cooperante germano ſuo Friderico Duce, in gratiam iſtius loci Sanctimonialium impetravit*, ut ſecundum ſancti Patris BENEDICTI inſtituta ſub Regula vel Abbatiſſa liceret eis militare. *Rex annuit eo pacto, ut* dicti loci Abbatiſſa, Domna videlicet HAVVIDIS, cum omnibus ſibi in præſenti adhærentibus, & in futuro ſuccedentibus, tam prælatis, quam ſubjectis, in Monacharum ordine cogantur permanere. Datum 3. Non. Junii, anno Dominicæ Incarnat. 960. Indict. 3. Actum Coloniæ. *Mortuus eſt Adalbero 7. Kal. Martii, anno Domini* 964. *& quidem in cœnobio ſancti Trudonis, unde ejus corpus primo Gorziam revectum, ibique ſepultum, poſtmodo translatum ad ſanctum Arnulfum, ubi Ludovicus Pius aliique ejuſdem ſtirpis Principes ſepultura donati ſunt. De Theoderico ſeu Diederico ejus ſucceſſore agemus infra, ubi de translatione ſanctæ Luciæ, & de Adelberone ſecundo, qui Theoderico ſucceſſit, in Elogio Fingenii Abbatis ad annum* 1004.

AN. CHR. 961 4. Julii.

VITA SANCTI ODONIS

ARCHIEPISCOPI CANTUARIENSIS.

Auctore (ut videtur) OSBERNO Monacho Cantuarienſi.

Ex manu-ſcripto codice Thuano-Colbertino.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Vitæ ſcriptor. 1. *Etſi hujus vitæ ſcriptor antiquitatem vel ex manuſcripto codice ſapiat, non tamen ejus nomen ætatemve ſignat codex Thuano-Colbertinus, ex quo hanc vitam deſcripſimus. Is auctor mihi videtur eſſe* OSBERNUS *Cantuarienſis Monachus ſub Lanfranco Archiepiſcopo, qui Oſbernus de vita Odonis Cantuarienſis Archiepiſcopi librum unum ſcripſiſſe apud Pitſeum memoratur: Incertum eſt an VVillelmus Malmesburienſis hunc libellum præ oculis habuerit in concinnando Odonis elogio, quod libro* 1. *de geſtis Pontificum Anglorum inſeruit. Dubitandi ratio inde petitur, quod VVillelmus in nonnullis rebus, levioris tamen momenti, cum Osberno (ſic eum vocare interim liceat) non convenit.* A Vvillelmo differt. *Osbernus quippe ait, Odonem ſuæ electioni in ſedem Cantuarienſem repugnantem non prius conſenſiſſe, quam miſſis Floriacum legatis Abbatem arceſſierit, qui eum ad monachatum indita cuculla initiatus fuiſſet: Vvillelmus habet Odonem, ipſum* tranſito mari apud Floriacum monachilia accepiſſe, *Osberno Gervaſius Dorobernenſis monachus, VVillelmo Bromtonus ſuffragatur. Osbernus addit, Odonem mortuum eccleſiæ cuſtodi apparuiſſe, ut Elſſinum, in Cantuariæ Cathedram ſimoniace intruſum, verbis ſuis compeſceret: VVillelmus Elſſino ipſi factum oſtentum tradit. Ad hæc quædam VVillelmus commemorat, ut de ſancti VVilfridi facta per Odonem translatione, aliaque nonnulla, de quibus Osbernus ſilet. De Osberno plura inferius ad vitam ſancti Dunſtani.*

Odonis monachatus. 2. *Ambo in id conveniunt, defuncto VVlſhelmo Cantuariorum Antiſtite, cum Regis ac populi vota in Odonem concurriſſent, hanc conſtantius,* ut qui nondum amiciſſet Monachum, *reniſum fuiſſe,* ne morem majorum ambitione ſua turbare videretur. Nullum enim ad id tempus, niſi Monachili ſchemate indutum, Archiepiſcopum fuiſſe, *inquit VVillelmus: quod aliis verbis tradit Osbernus. Godvvinus ſectarius* errorem *vocat, aitque certum eſſe, Nothelmum alioſque nonnullos ſæculares (ut vocant) Presbyteros Cantuarienſi eccleſiæ ante Odonem præfuiſſe. Verum nullo argumento id certius reſcire poteſt Godvvinus, quam Odo ipſe, aut VVillelmus primorum temporum

AN.CHR. 961 4. Julii.

porum viciniores: nec conſtat Nothelmum monachatus expertem fuiſſe. Beda quidem in præfatione ad hiſtoriam Anglorum Nothelmum dumtaxat religioſum Londinenſis Eccleſiæ Presbyterum *vocat: at hoc nomine donare ſolebant monachi ſacerdotes; & Beda ipſe in epiſtola a nobis edita in tomo 1. Analectorum,* venerabilem fratrem noſtrum Nothelmum Presbyterum *appellat, quæ verba monachum deſignant potius, quam Presbyterum ſæcularem. Monachum induit Odo, ſimulque ipſa monaſticarum veſtium ſuſceptione profeſſus eſt ſub annum 938. quo tempore Floriacenſe monaſterium ad ſtrictiorem Regulæ cultum revocatum fuit opera Odonis Abbatis Cluniacenſis, ut ſuperius diximus. Ab eo itaque Odo monaſticum habitum ſuſceperat, prætermiſſis Cantuaritis aliiſque Anglicanis Monachis, quorum obſervantia in tanta opinione tunc non erat. Eadem cauſa Oſvvaldum alioſque Anglos illexit ad cœnobium Floriacenſe, ex quo Abbo in Angliam miſſus eſt non minus cauſa pietatis quam eruditionis.*

3. Inter alia Odonis facta, quorum in ſequenti libello nulla mentio eſt, præcipuum videtur illud, quod de corporis ſancti VVilfridi Epiſcopi Eboracenſis translatione ab eo Cantuariam procurata legitur tum apud VVillelmum, ubi de noſtro Odone, tum apud Eadmerum in libro de vita S. VVilfridi, edita in parte prima Sæculi 3. Benedictini, pag. 226. & 227. Addit VVillelmus curaſſe Odonem, ut heroico metro VVilfridi vita texeretur; idque exſecutum fuiſſe Fridegodum quemdam, cujus poema magna ex parte retulimus in prædicta parte Sæculi 3. Subdit VVillelmus Synodalem Odonis epiſtolam ad Suffraganeos ſuos tempore Edmundi Regis *directam, qua eos hortatur,* ut ne tepide & negligenter in regimine animarum converſentur: *qua in epiſtola Odo* non mediocre (*ut VVillelmo viſum eſt*) litterarum dedit indicium, *ſed majus pietatis ac ſollicitudinis paſtoralis. Hæc epiſtola ab eo ſcripta eſt, ut puto, poſt conſtitutiones ab ipſo latas ſub eodem Rege, apud Spelmannum editas, in quibus cavetur de officio Regis, Cleri & magiſtratuum. In capite 6. Monachos hortatur,* ut in omni humilitate & obedientia die noctuque *vota ſua* adimplere ſtudeant, permanentes in timore Dei in eccleſiis, ubi ſe voto conſtrinxerunt. Non ſint vagabundi, neque gyrovagi, qui nomen monachi deſiderant, officium autem ejus contemnunt: ſed ſecundum exempla Apoſtolorum, per habitum humilitatis, laboribus manuum, & lectione ſacra, & continuis orationibus ſe exercentes. *Ad hæc Eadmerus in prologo ad vitam ſancti VVilfridi memorat Odonis noſtri libellum de vita & converſatione ipſius VVilfridi. Sed libellus iſte ſine dubio non alius eſt quam Fridegodi carmen, cui in codicibus nonnullis præmiſſa eſt Odonis epiſtola, in qua hæc verba.* Igitur venerabiliſſimas beati Confeſſoris Chriſti Vvilfridi reliquias indecenti ſentinoſæ voraginis ſitu marcidas, immo (quod dictu quoque meticuloſum eſt) Prælatorum horripilatione neglectas, cum inde favente Deo, ſcilicet a loco ſepulchri ejus, quidam tranſtuliſſent, reverenter excepi, atque intra ambitum metropolitanæ, cui gratia Dei præſideo, collocavi. Itaque tantæ tamque Deo dignæ affinitatis delectatus vicinitate, & editiore eas entheca decuſare, & excerptis de libro vitæ ejus floſculis novo opere pretium duxi carmine venuſtare, *id eſt per Fridegodum: quod tamen Eadmerus, & forſan alii nonnulli, Odoni tribuerunt. Neſcio an certiora ſint, quæ de aliis Odonis ſcriptis habet Pitſeus, qui ei inſuper tribuit librum unum ad Floriacenſes pro nepote ſuo Oſvvaldo: alium item de reali præſentia corporis Chriſti in Euchariſtia, itemque librum unum epiſtolarum, & alium diverſorum poematum.*

Facta quædam ejus & ſcripta.

4. Quod ſupereſt, Eadmerus, VVillelmus Malmesburienſis, Matthæus VVeſtmonaſterienſis, aliique Odonem ſanctum *vocant, & poſt eos Cardinalis Baronius in tomo 10. Annalium, tametſi in Martyrologio Romano locum non habet Odo. Eum die quarta Julii ad Dominum migraſſe ex Capgravio aliiſque ſcriptoribus Anglicis Maiheuvius docet, non ſeptima Februarii, qua die de ſancto Odone agit Molanus in Additionibus ad Uſuardum. Laudatur maxime in ſequente vita S. Dunſtani per Oſbernum.*

Sanctitas.

1. VEnerabilis Chriſti Confeſſor Odo nobilibus, ſed paganis [a] parentibus oriundus, ſicut roſa e ſpinis floruit, vel quaſi pretioſum de vilibus vaſculis aroma proceſſit. Nam ex impia illa Senatorum multitudine fertur genus habuiſſe, quæ olim ſceleratiſſimum prædonem Inguarem comitata, navali manu in regnum Anglorum eſt advecta. Hos ille nativitatis principes ſortitus, & eorum accuratiſſima educatione pueriles annos translatus, feſtinabat Chriſtianorum conventicula indeſinenter adire, divinos qui ab illis dicebantur ſermones magna animi oblectatione audire; domumque revertens quæ audierat parentum auribus ſedulo infundere. Super quibus bonorum ſtudiorum primordiis pater impius impie irritatus, prohibebat omnino ne Chriſtum nominaret, neve paternas inſtitutiones Chriſtianæ religionis veneratione immutaret. Verum ille prohibentis imperium penitus deſpiciens, magis ac magis eccleſiæ limina terere, & divini verbi intento animo ſemi-

Odo paganis parentibus relictis.

[a] Nempe ex *Danica feritate*, ut ſcribit Willelmus, Bromtono *natione Danus Severo* cognomen tribuunt nonnulli *fide digni*, teſte Maiheuvio, ſed recentiores, quos inter Pitſeus.

Digitized by Google

AN.CHR. 961 4. Julii. ſemina percipere, & quæ ceperat abſque pavore domi nuntiare. Hinc iterum pater ſupra humanum modum exaſperatus, graviſſima illum correptione affligit, juſque hereditatis, quod ad illum lege primogenitorum venire debebat, ſubtrahit. Tum puer exſultans in Domino, quod talem pro ejus nomine proſcriptionem ſubiret in terra, propter quam aſcribendum ſe eſſe confideret in cælo; dimiſſis parentibus, parentum divitiis, nudus & omni mundano decore privatus aufugit.

Athelmum adit. 2. Adito itaque Duce quodam, nomine Athelmo, qui tempore Regis Eluvredi & Chriſtianiſſimus, & inter ceteros Optimates regni Anglorum unus de ſublimioribus erat, poſtulabat ſe illius potentia & auctoritate a parentum ſuorum furore defendi: qui bona adoloſcentis indole gaudens, nec dignum aliquatenus eſſe judicans, ut tale decus paganis ritibus ſub patris imperio deſerviret; paterno affectu illum ſuſcepit, defenſione munivit, auxiliis neceſſariis ſimul & non neceſſariis fovit, deinde Græca ac Latina lingua magiſtris edocendum tradidit, quarum linguarum pleriſque tunc temporis in gente Anglorum uſus erat, a diſcipulis beatæ memoriæ Theodori Archiepiſcopi profectus; factuſque eſt in utraque lingua valde gnarus, ita ut poſſet poemata fingere, proſam continuare, & omnino quidquid ei animo ſederet, luculentiſſimo ſermone proferre.

litteris ſtudet.

Ordinibus initiatur. 3. Poſt hac Sacramento baptiſmatis renatus, clericali tonſura decoratus, uſque ad ſubdiaconatus miniſterium Domini ſui admonitione perductus eſt; in quo gradu per aliquot annos ita ſanctitate vitæ & prædicationis ſinceritate pollebat, ut quicumque illum agnoſceret, Spiritus-ſancti Templum eſſe non dubitaret; omniumque teſtimonio dignus eſſet qui ad altiora Eccleſiæ miniſteria, licet ætas ejus (quantum ad inſtituta Canonum ſpectat) hoc prohiberet, provehi deberet. Unde ſuaſus a domino ſuo ut ad ſacerdotium ſe ſineret transferri, quatinus ab illo divinum quotidie officium audiret, cujus vitam caſtiſſimam, manus vero munditiæ plenas agnoviſſet; ille objecta immatura ætate, quantum potuit obſtitit. Poſtmodum vero ratione ſimul & antiquorum exemplorum auctoritate victus, religioſo deſiderio ceſſit; leviticam ſtolam humero circumdedit, parvoque tempore elapſo ſummorum quoque myſteriorum ſacrator acceſſit. Ex quo tempore tam ipſe Dux, quam ceteri pene omnes regalis palatii Principes in ſumma eum veneratione habere: ſecreta male actæ vitæ ei aperire, & de his emendandis ejus conſilio libenter credere.

Romam adit cum Athelmo, 4. Interea Dux Regi ſuggeſſit habere ſe deſiderium proficiſcendi Romam, & ſanctis Apoſtolis ibidem ſupplicandi: moxque regia licentia ſimul ac munificentia donatus, adjuncto ſibi venerabili presbytero Odone, cum magno comitatu profectus eſt. Sed cum itineris aliquantulum peregiſſent, acerba tactus infirmitate acriter cæpit ægrotare, adeo ut vix reciproci flatus poſſet aera ſpirare. Cumque per ſex continuos dies & languor augmentum, & commeatus acciperet detrimentum; ſeptimo jubet omnem turbam cœpta via progredi, ſolo Odone ſecum retento, cujus ope in præſenti periculo maxime indigebat. Quem ad ſe poſt relictos illos flebili voce clamatum, orat ut pro ſui liberatione Domino preces effundat, referens ſe indubitanter credere, quod nihil ei divina pietas denegaret, quem a puero magna gratia acceptum haberet. Tum venerabilis Odo animo ad Deum erecto toto corpore terra procumbit, magnoſque divinæ clementiæ ſingultuum imbres effundit; ſurgenſque de ſolo poſtulat ſibi repletam vino phialam deferri: ſuper quam invictæ crucis ſignaculum edens, humiliter vinum viro porrexit, atque ut in Domino per omnia confideret fideliter admonuit. Bibit itaque homo quod erat in calice, & eodem momento cum redderet phialam, redditam ſibi omnimodam ſentiebat medelam. Proinde curvatus ad genua Presbyteri, gratias refert, aſcenſoque equo præmiſſos comites volucer inſequitur, quos celeri curſu viam terentes ſequenti die impigro & ipſe volatu attingit. Viſo autem illo omnes præ gaudio lacrymas fundunt;

eumque ſanat.

Digitized by Google

dunt : ſed præſtitæ ſalutis auctorem cognoſcentes amplius mirantur. Romuleam igitur ad Urbem uſque progreſſi, & inde ad patrios lares feliciter reverſi, immenſam tum Regi, tum ceteris in palatio degentibus in adventu ſuo lætitiam præſtant. AN.CHR. 961 4. Julii. in Angliam reverſus,

5. Poſt dies Duce ipſo, ac poſt Ducem præfato Rege de præſenti vita ſublato, Eduardus filius ejuſdem Regis in regnum ſucceſſit, & illud pluribus annis prudentiſſime rexit : in cujus diebus venerabilis Odo Presbyterii gradum officio ſimul ac vitæ ſanctitate inſignis adminiſtrabat, Regi notus, & acceptus ei, & omnibus admirandus ad omnes benignitate ac manſuetudine diffuſus, omnium moribus juxta Apoſtolum ſe contemperans, ut omnes Chriſto lucrifaceret. Ubi autem Rex Eduardus huic vitæ modum poſuit, Ethelſtanus filius ejus regni habenas ſortitus eſt. Vir vero admirabilis Odo vitam (ut diximus) virtutum per omnia agens, magnus ab omni populo habebatur. Nec enim civitas ſuper montem poſita, vel lucerna in candelabro lucens poterat abſcondi. Hinc proceſſit ut ſanctitatis ejus fama quotidie augmentando magnificata, ad aures quoque eximii Regis Ethelſtani mira cum laudis exaltatione perlata ſit : qui hominem ad ſe evocatum, & vere Dei famulum eſſe certiſſime agnitum, ſuis eum amicitiis jungit, ac ſecretorum ſuorum præ ceteris conſcium facit. Regibus duobus mortuis. Ethelſtano fit charus,

6. Inter hæc ſedes epiſcopalis, quæ tunc temporis *Scireburne*, nunc autem *Seribcric* eſt, Paſtore viduata eſt. Sciens itaque Rex Odonis vitam Pontificatu omnino digniſſimam, eum de ſuſcipiendo Epiſcopatu interpellare, ac ut ovium Dei Paſtor Apoſtolicus loco defuncti fieri acquieſceret, magno cœpit ſtudio renitentem obſecrare. Quid moror? tandem Eccleſiæ ac regiis precibus victus, quod ſibi nimium grave teſtabatur, pontificale officium in præfata Sciréburnenſi eccleſia Pontifex factus adminiſtrare conſenſit. Præſidebat his diebus loco, dignitate, auctoritate, & officio Eccleſiæ Cantuarienſi vir bonus & ſtrenuus, Wlfelmus [a] nomine, qui huic Regis, Cleri ac plebis electioni animo libenti conſenſum attribuens, eum pro ſuo jure in illam, ad quam electus erat, pontificii dignitatem debito cum honore ſacravit. Sacratus autem & inſignibus ſacerdotalibus ſacerdotaliter infulatus, quam glorioſum Deo habitaculum ſe præbuerit, quam erga animarum ſibi commiſſarum lucra ſollicitus fuerit, neſcio utrum aliquis digne valeat eloqui, quantacumque ſagacitate præditus ingenii. Unde quid de illis ſimplicitas puræ mentis advertere poſſit, ſcribere nolo : tantum opera miſerentis Dei quæ in ſervis ſuis placita ſibi ſimplicitate inhærentibus operari in beneplàcito ſuo dignatur, eis conſideranda propono. tum Epiſcopus Schireburnenſis.

7. Anno inter hæc Dominicæ Incarnationis nongenteſimo triceſimo [b] octavo, regni autem Ethelſtani victorioſiſſimi Regis quarto-decimo, congregatus eſt adverſus regnum Anglorum immenſus paganorum exercitus profanis legibus ſuis ſubjugando enervare, & enervando volens annihilare ſacratiſſimas quas Angli ſervabant leges Chriſtianorum : quibus nominatus Princeps valida armatorum manu ſtipatus occurrens, pugnæ ſe dedit, & diutiſſime ac atrociſſime pugnatum utrimque eſt. Duxerat autem ſecum in aciem Rex ſanctum Odonem, ejus meritis ſe multo maxime quam militum copiis confidens hoſtem victurum. Dum igitur hinc inde ſtrages graviſſima fureret, & ærumnoſa res luctuoſa contigit. Quo etenim Rex ipſe pugnabat, juxta capulum gladius confractus eſt, & Regem quaſi inermem hoſtibus expoſuit. Inter hæc Odo a pugna remotus longiuſcule ſtabat, ore & corde pro ſalute Chriſtiani exercitus Chriſto ſupplicans, & vultum manus ac lumina cæleſtibus pro hoc ipſo indefeſſus extendens. Quid itaque Rex in tali eventu facere poſſet fluctuabat : ut ſe armaret, ſuorum quemquam exarmare nefas judicabat. Pars igitur adverſariorum ubi Regem fracto enſe ſtare advertit inermem ; fugam quam inire cœperat, verſis vultibus in pugnam acriori cæde Anno 938. paganis ſuperiorem præſtat Ethelſtanum.

[a] De Wlfemo egimus ſupra in Elogio Plegmundi Archiepiſcopi Cantuarienſis.
[b] Eodem anno Chronologia Saxonica Bedæ ſubjuncta reponit hanc pugnam.

Digitized by Google

AN. CHR. 961 4. Julii

cæde vindicare aggreditur. Tum ſubito intonat æther a clamore multitudinis, ut Deus ſuccurreret, & celeri greſſu Odo venerandus accurreret vociferantis. Advolat, & quidnam ſibi velit Rex a ſe fieri laſſabundus interrogat. Audit, & ſtatim Regi taliter inquit: Quid eſt hoc? quo intendis? Enſis tuus in latere tuo integer pendet, & tu eum fractum eſſe conquereris? Redi ad te, ad vaginam manum extende, exſere illum; & ecce dextera Domini erit tecum. Nec formides, quia non prius continget ſolis occubitus, quam adverſarios Domini tui, qui contra te inſurrexerunt, fuga involvat aut interitus. Ad hæc quippe audientium grandi ſtupore attoniti deflexis luminibus viderunt, quem prius non viderant, enſem in latere Regis pendentem: quem Rex in Deo confortatus arripiens, dextera lævaque cunctos occurſantes, aut debilitavit, aut fugavit, aut morti funditus tradidit. Itaque juxta verbum famuli Dei factum eſt, ut ſimul & ſol occumberet, & Regi de hoſtibus victoria proveniret. Quid hinc gratiarum, quid laudum, quid votorum Deo per fidelem ſervum ſuum Odonem, per Regem, per victorem exercitum, per totum regnum quo magnitudo iſtius victoriæ perlata eſt, ſit perſolutum quis enarret? Magnificentia facti docebit audientes, quia non facile quiſquam. Glorioſus autem Odo magnæ dehinc admirationis apud omnes habitus eſt, & vere præclarus Iſraelita comprobatus.

Eadmundo cogente ad Cantuariæ pontificatum,

8. Poſt paucos hujus inſignis victoriæ annos Ethelſtanus bono fine *a* præſentem vitam finivit, & frater ejus EADMUNDUS locum decedentis Rex factus obtinuit. Hinc germani ſui veſtigia in bono æmulans, bonos quoſque ſummo ſtudio diligebat, & eos ſibi familiares effectos, in his quæ Chriſtianum Regem decebant, ſincero ac libenti animo audiebat. Præclare igitur inter alios beatus Odo ejus familiaritate potitus eſt, & ab eo pura mente dilectus. His diebus VULFELMUS Pontifex Cantuariorum cunctis mortalibus debitum vitæ finem ſortitus eſt. Ne itaque tanta ſedes plus æquo paſtore careret, reverendum Odonem Rex convenit, ſuadens quatinus deſolatæ eccleſiæ per ſuſceptionem ſuper illam curæ paſtoralis ſubveniret. Obſtat ille, nec ullum ſuadenti præbet aſſenſum. Dicit enim & indignum ſe tanta re;

non acquieſcit tranſlationi,

& ſi dignitas aliquatenus adſpiraret, tamen ne Pontifex eccleſia ſua relicta ad aliam migret, Canonum auctoritate fatetur prohiberi. Contra quæ & notam omnibus probitatem illius Rex ediſſerit, & quod beatus Apoſtolorum princeps Petrus de Antiochia Romam translatus fuerit, multique alii juxta veterum monumenta librorum ſedes ſuas ratione cogente mutaverint, luculento ſermone proponit, & adjecit: Hujus quoque rei exemplum penes nos ſatis idoneum & clarum habemus, viros videlicet ſanctos, Mellitum dico Antiſtitem Lundonienſem, & JUSTUM Roſenſem Cantuariam ſimili ratione, qua te ſedem mutare ſuademus, fuiſſe translatos. Victus in his Pontifex ſanctus, aliud ſuæ contradictionis argumentum opponit. Cum primi, inquit, patres ipſius Eccleſiæ, qui & Chriſtianitatem regno Anglorum attulerunt, & omnes qui eis ſucceſſerunt uſque in præſens Monachi, ut omnibus conſtat, extiterint; ego tam antiquam, tam ſanctam, tam Deo acceptam, & tantorum Patrum auctoritate roboratam conſuetudinem mutarem, infringerem, annihilarem? Abſit, immo noverit tota Britannia, & quæ adjacent inſulæ omnes, me nullo umquam pacto conſenſurum, ut ipſe in clericali habitu conſtitutus per pontificatum eccleſiæ Cantuarienſi præſideam, cui nullus antehac qui Monachus non fuerit, ſcitur præſediſſe. Attamen quia me (ut intelligi datur) non tu ſolus, ſed multi vocant, ut ibi Pontifex fiam, nec meum eſt illis reluctando penitus contradicere, ne eum qui in ipſis habitat Deum offendam; commendans conſcientiam meam ab omni iſtius honoris ambitione vacuam Deo, ſanctum propoſitum monachicæ religionis, quod ab ineunte ætate deſideravi, nec adipiſci variis cauſis impedientibus me-

a Nempe anno 941. & quidem 4. Kal. Novembris, ex Chronologia Saxonica. Non ergo ante annum ſequentem contigit Odonis promotio in ſedem Cantuarienſem, ut ſuperius in Elogio Plegmundi probatum eſt.

Digitized by Google

merui, hac ſaltem, ut interim ita putetur, occaſione aſſumam. Poſtmodum vero de Pontificatu, quo de agitis, ipſe cui cuncta cordium ſecreta pateſcunt, agat, & hunc in eo conſtituat, quem idoneum ad hoc ſua ſapientia probat. AN.CHR. 961 4. Julii. niſi p[illegible] Mon

9. Hac viri ſententia Rex non modice exhilaratus, laudat ſanctum propoſitum ejus, laudat admirandum & imitandum exemplum magnæ humilitatis ejus, laudat conſtantem virtutem animi ejus. Deſtinantur igitur poſt hæc ſub celeritate nuncii ad Abbatem cœnobii ſancti Benedicti Floriacenſis, ſanctæ religionis habitum ad opus Epiſcopi juxta præſcriptum negotium exquiſituri. Fama ſiquidem religioſiſſimæ converſationis, quæ apud Floriacum ipſis diebus, quaque terrarum ferebatur omnimodo fervere; & econtra ſtudium ejuſdem religionis, quod ob multiplices diverſorum eventuum caſus in Anglia uſquequaque cœperat defervere, illuc mitti & inde cupitæ religionis effectum perſuaſit expleri: quod & factum eſt. Abbas quippe loci ipſius audito nuncio lætiſſimus efficitur, aſſumptiſque ſecum nonnullis e fratribus ſuis proſpero curſu mare tranſvectus, Angliam ingreditur: Antiſtitem Odonem Deo in cunctis placere ſtudentem alacer adit, & ei quam deſiderabat ſancti propoſiti veſtem devotiſſime tradit. Spectabilis igitur Pontifex Odo Monachus habitu factus, qui jam olim monachicæ vitæ ſacris fuerat actibus decoratus, quin jugum Domini ſuper totam Angliam a Rege & regno invitatus, immo compulſus ſuſciperet, factus Antiſtes Cantuarienſis recuſare ultra non potuit. Qualiter ergo ſuſcepti regiminis officio uſus ſit, qui noſſe deſiderant, ex vita ejus quæ & qualis ante ſacerdotium & in ſacerdotio fuerit paucis ſupra digeſſimus, ſicut æſtimo, poſſunt advertere. Exſtitit enim & ſanctitate laudabilis, & ſapientia admirabilis, & conſtantia ſingularis.

Monachi veſtem a Floriacenſibus accipit.

Dein Archiepiſcopus,

10. Rege autem Eadmundo in domo ſua malitioſe interfecto, frater ejus Edredus imperii dignitate functus, a glorioſo Odone Cantuariorum ſummo Pontifice in Regem ſacra eſt unctione perfuſus. His diebus vir præcipuæ probitatis Dunſtanus, Glaſtonienſis cœnobii digniſſimus Abbas, magnus apud Regem, & honorabilis omni populo habebatur. Beatus autem Odo moribus & ætate grandævus, religione & induſtria pollens, auctoritate & modeſtia præſtans, Chriſtianis legibus totum Regnum prudentiſſime nobilitabat. Rex ipſe Deum timens, bonos quoſque ſpeciali amoris dulcedine fovens, malos vero ne ſua tyrannide bene agentes conturbarent fortiter premens, boni Principis mores & actus exſequebatur. Hoc ferme tempore quidam clerici, maligno errore *a* ſeducti, aſſeverare conabantur, panem & vinum quæ in altari ponuntur, poſt conſecrationem in priori ſubſtantia permanere, & figuram tantummodo eſſe corporis & ſanguinis Chriſti, non verum Chriſti Corpus & Sanguinem. Quorum enormem perfidiam beatus Odo deſtruere cupiens, dum quadam die in conſpectu totius populi ſacroſanctis Miſſarum ſollemniis devotus intenderet, expreſſis lacrymis Dei omnipotentis clementiam in ſuo miniſterio affore poſtulavit, quæ ad depellendos hominum errores ſubſtantiva divinorum Myſteriorum declararet proprietatem. Cumque ad confractionem vivifici panis ventum fuiſſet, o ineffabilem Dei miſerationem, o præſentem æternæ majeſtatis oſtenſionem! confeſtim namque inter manus Pontificis, fragmenta corporis Chriſti tenentis, ſanguis guttatim defluere cœpit. Stans itaque Pontifex, & præ gaudio uberes lacrymas fundens, innuit adſtantibus miniſtris, ut illi potiſſimum propius accedant qui nuper in fide titubaverant. Vocati igitur celeriter adſunt, atque in tantarum rerum conſideratione perterrefacti pavitanti voce exclamant: O te inter homines feliciſſimum hodie, cui filius Dei ſemetipſum in carne dignatus eſt revelare! Et rurſum, Exora, inquiunt, paullulum, Pater, exora Domini majeſtatem, ut in priſtinam formam præſens ſanguis commutetur, ne nos propter infidelitatis errorem divina ultio ſequatur. Oravit ergo ſacerdos; poſt orationem ad aram reſpexit; & ubi dimiſerat ſangui-

Edredum ungit.

Euchariſtiæ adverſarios miraculo convertit.

a Hæc totidem verbis Maiheuvius refert ex Capgravio, qui proinde hunc libellum jam edidit: ſed Capgravium hactenus nobis recuperare non licuit.

AN. CHR. 961 4. Julii nem, conſuetam vini reperit ſpeciem. Sumptis autem cæleſtibus ſacramentis, lætantibus cunctis qui tantis interfuere ſpectaculis, præcepit Pontifex pro teſtimonio tantæ virtutis omnes undecumque pauperes aggregari, & ſollemne convivium eiſdem præparari. Ipſe autem cum ſuis in magna gratiarum actione lætitiam agebat, propterea quod omnis error de Dominico corpore in pectore ſuorum abolitus fuiſſet, nec ultra panem in altari poſitum verum Chriſti corpus eſſe diffiderent, qui verum ſanguinem inde manare conſpexiſſent.

Mirum in reſtauratione eccleſiæ. 11. Aliud quoque divinum re vera miraculum in Eccleſia cui præerat fecit, immo ipſe non fecit, ſed qui ſolus habet divinitatem in illo fecit. Nam tectum ejuſdem eccleſiæ, nimia veſtutate corruptum, ſemiruptis per totum partibus pendebat, quod ille renovare cupiens, murumque in porrectiorem celſitudinem exatare deſiderans, congregatis artificibus præcepit, & quod diſſolutum deſuper eminebat penitus tolli, & quod minus in altitudine murus habebat juſſit extolli. Sed quia clerus ac populus abſque ſervitio divino eſſe non valebat, & tantæ magnitudinem templum non reperiebatur quæ ad capiendam numeroſæ plebis multitudinem ſufficere videretur; deprecatus eſt Pontifex Dominum, ut quouſque opus incœptum conſummatum fuiſſet, nulla aut infuſio imbrium, aut vis ventorum infra parietes eccleſiæ deſcenderet, quæ eos a divino opere prohibere valeret. Factumque eſt, ut in tribus annis quibus eccleſiæ muri in altum porrigebantur, tota fabrica deſuper pateret, nec tamen, non dico infra ambitum ſolius eccleſiæ, ſed nec intra muros totius civitatis imber aliquando deſcenderet, qui vel clerum in eccleſia conſiſtentem ab officio præpediret, vel populum ad eccleſiam concurrentem aliquatenus poſſet ab incœpto cohibere. Eratque res digna ſpectaculo, cum videres omnia civitatis pomeria aquis infundi, & ejus mœnia nulla pluviarum inundatione madefieri.

Edvvium Regem libidinoſum, 12. Cum autem Rex Edredus tranſitoriam vitam vita perenni permutaſſet, EDWIS filius ſupra memorati Regis Eadmundi in Regem *electus* eſt: qui moribus & ætate juvenculus, juvenum quos ſibi comites atque ſatellites aſſociaverat, mox cœpit conſiliis uti, ſpretis ſenibus, quos vita, moribus & ætate magna præditos induſtria & auctoritate conſtabat. Unde correptus a fortiſſimo milite Chriſti Odone, aliquantiſque ſe temperabat, verens ne ſi illum omnimodis non audiret, regiæ dignitatis benedictionem ultra votum ſuum ſibi dare differret. At ubi eadem benedictione potitus eſt, illico quaſi effrœnis effectus, omnes cordis ſui ſequebatur affectus. Factus eſt igitur voluptatum magis quam Dei, luxuriæ quam ſobrietatis, libidinum quam caſtitatis amator. Ibat itaque juxta deſideria cordis ſui, & iniqua gerens a ſuis benedicebatur. Super hæc ea die qua regni coronam in conſpectu totius eccleſiæ in capite geſſit, gravis infamiæ notam tantæ gloriæ & ſibi ingeſſit. Cum enim poſt officium eccleſiaſticum una cum Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, ceteriſque Principibus regni jam pranſus ſederet, ſubito exſilivit, & relicto conſortio omnium in ſecretiorem ſeſe cameram contulit, duarum feminarum illic eum operientium ſtupri ardore ſuccenſus infandum conſortium expetens: quæ res confidentium mentes magni pudoris mærore dejecit. Habito autem conſilio inter eos quid facto opus eſſet, miſſus eſt ab Archiepiſcopo & primoribus is, cujus ſuperius mentio facta eſt, venerabilis

per Dunſtanum, Abbas Dunſtanus, Regem ab illicitis amplexibus abſtrahere, & ad regiam ſedem inter Principes revocare: quod & factum eſt. Quapropter Rex vehementi furore turbatus, Dunſtanum ſuis omnibus ſpoliatum exſilio damnavit, & extra Angliam trans mare fugavit. Fecit & alia innumera mala, quæ quoniam alias latius, licet non omnia, digeſta ſunt, hic tantummodo paucis ea tetigiſſe ſufficere ratus ſum.

tum per ſe emendare conatur. 13. Quæ miles Dei omnipotentis Odo æquanimiter ferre non vales, iniquitatum illius publicus hoſtis effectus eſt. Siquidem ubi eum nec admonitionibus ſuis, nec obſecrationibus ſuis, nec increpationibus ſuis adquieſcere vel-

Digitized by Google

velle ut ſe corrigeret vidit; pontificali auctoritate uſus, unam de præſcriptis mulieribus, quam & amplior potentia, & obſcenior impudentia dehoneſtabat, & notiorem hominibus fecerat, quaque nimium contumelioſis amplexibus Rex frequentius abutebatur, miſſis militibus a curia Regis, in qua manſitabat, violenter abduxit, & eam in facie deturpatam, ac candenti ferro denotatam, perpetua in Hiberniam exſilii relegatione detruſit: quæ tamen poſt nonnullum temporis intervallum, jam obducta in cicatricem corporis forma, ſed adhuc hiante impudicæ mentis deformitate, relicta Hibernia Angliam rediit, & Gloceſtram cæcati cordis obſcuritate imbuta pervenit: ubi ab hominibus ſervi Dei comprehenſa, & ne meretricio more ulterius vaga diſcurreret ſubenervata, poſt dies aliquot mala morte præſenti vitæ ſublata eſt. Erat quippe ſummus Pontifex Odo vir virtutum robore & grandævitatis maturitate ac conſtantia fultus, & omnium iniquitatum inflexibilis adverſarius. Non hunc alicujus gaudii ſæcularis illecebræ, non hominum minæ, non cujuſvis damni perpeſſio poterat a rectitudine deterrere. Quapropter quia nec ſperabat aliquid, nec expaveſcebat, omnium impotentium iram exarmabat.

AN. CHR. 961 4. Julii.

14. Eadvvio autem Rege (ſi Rex nominandus eſt, qui nec ſe nec alios regere novit) Eadvvio inquam Rege regno pro ſuis criminibus eliminato *a*, & miſera morte damnato, Eadgaro fratri ejus thronus regius ſuper totam Angliam confirmatus eſt. Hic omnes pæne anteceſſores ſuos morum probitate præcedens, cunctas iniquitates quæ diebus fratris ſui emerſerant compreſſit, evertit, & pro poſſe in nihilum egit. Præterea mox ubi regnum obtinuit, reverendum Abbatem Dunſtanum ab exſilio revocavit, & eum in Epiſcopatum Wigornenſem promovit: qui electus Pontifex in gradum ſuſcepti honoris conſecrandus Cantuariam pro more advenit, ſeque ab ipſius ſedis Antiſtite, beato videlicet Odone, ſacrari expetiit. Annuit ipſe libens. Verum ut ſanctum Epiſcopum Spiritu prophetiæ pollere in dubium nulli veniret, hominem qui ad Wiciorum Pontificatum promovendus advenerat, in Pontificem Cantuariorum ſancti Spiritus operatione promovit. Super quo a circumſtantibus cur ſic ageret inquiſitus, Scio, inquit, filii, ſcio quid operetur in me Deus. Et hunc quidem Wigornenſis provincia me vivente Paſtorem habebit, ſed tota Britannia eodem, me defuncto, rectore, gaudebit: nec enim lege ſtringitur ſancti Spiritus donum. Quæ prophetia quam vera exſtiterit, Eccleſia Dei quæ ejus regimine, ſicut prædixit Epiſcopus ſanctus, diu poſtmodum gloriata eſt, & uſque hodie ſacratiſſima illius interceſſione munitur, optime novit.

Eadgaro Rege Dunſtanum ſacrat.

15. Talibus igitur bonorum gratiis ſpectabilis vir Odo a Domino ſublimatus, nequaquam ſe propter merita operum ſuorum extulit, ſed ſemper ad meliora proficere ſtuduit: quæ retro ſunt oblitus, & in ea quæ ante ſunt extenſus, ſequebatur ad palmam ſupernæ vocationis Dei, populumque ſibi commiſſum more ſegetum feracium cæleſti doctrina, quaſi pluviali gratia, quotidie irrigavit, quouſque animam illius Rex in cubiculum ſuum introduceret, & torrente voluptatis ſuæ inebriaret. Raptum igitur ex hoc ſæculo luculentiſſimum ſidus urbis Cantuariæ Odo, gaudentibus Angelis ſedem petiit *b* ſupernæ ac glorioſiſſimæ civitatis, ubi ſempiterna exſultatione lætatur, & Chriſti faciem ineffabilis ſuavitatis dulcedine contemplatur, ſecurus jam de præmio ſui, atque de filiorum ſuorum ſalute ſollicitus. Obiit autem præſentibus univerſis Eccleſiæ Chriſti filiis, quibus etiam flentibus promittebat quod bonum illis paſtorem poſt obitum ſuum Dominus eſſet proviſurus.

Moritur.

16. Poſt cujus tranſitum obtinuit locum ſummi ſacerdotii Elffinus Wentanus Epiſcopus, cognomento Lippe, data pecunia principibus qui primi erant in palatio Regis Eadgari. Nam & ante Odonem magna ad rapiendum

Elffinus ſimoniacus ei ſuccedit.

a Hanc excommunicationem Spelmannus refert ad annum 958.

b Odonis mortem anno 958. conſignant Florentius Wigornienſis, Rogerius Hovedenus, & Matthæus Weſtmonaſterienſis. At præferenda Chronologia Saxonica, in qua *Odo Archiepiſcopus obiiſſe* dicitur anno 961. Confer Notas ad vitam S Dunſtani infra ad annum 988. Odoni Willelmus annos 20. regiminis, rectius quam Bromtonus, qui 24. tribuit.

AN.CHR. 961 6. Julii. ſacerdotium cupidine agebatur, ſed bonorum conſtantia Epiſcoporum impediebatur. Unde cum die adventus ſui Cantuariam ſollemni proceſſione ſuſceptus fuiſſet, acceſſit ad ſepulcrum viri Dei, ſtanſque ſuper illud ita furialibus verbis defuncto exprobravit, dicens: Inepte, ecce tu mortuus es, & ſub tellure putridus jaces, & ego cum voluero de te potenter triumphabo. Te vivente ſummus Anglorum Pontifex eſſe nequivi, te obeunte factus idipſum ſum juxta quod olim eſſe concupivi. Et inde, male ac decrepite ſenex, nullas gratias habeas, quia ſi ultra vivere potuiſſes, nec mihi, nec ulli vel participium habiti honoris tui concedere voluiſſes. Ita ille palam in præſentia eorum qui aderant dixit, & baculo tumbam ſancti percutiens, triſulco furore quo tenebatur accenſus inde receſſit. Sed eadem nocte dum mortalibus conceſſa requies eſſet, apparuit beatus Odo eccleſiæ Salvatoris digno cuſtodi, vultum lacteum habens, veſtimentum vero roſei coloris, ita virum alloquens: Dormis an vigilas? Dormivi, inquit ille, ſenior venerande, ſed ecce vigilo te loquente. At ille, Vade, inquit, ad electum ſed non a Deo Epiſcopum Elfſinum, & hanc illi legationem ex meo nomine defer. Hæc mandat tibi ſervus Chriſti Odo. Non ſum mortuus, ſed vivo Regi meo omnipotenti Deo. Atque ut hoc certiſſime experiaris, noveris quia ſicut tu cauſa mei adhuc in carne viventis non evaluiſti ad Archiepiſcopatum Cantuarienſem pervenire, ita per me cæleſti Regno nunc viventem invaſum honorem in proximo perdes. Audi ergo quæ dico, quoniam heſterno die verbis mihi deriſoriis exprobraſti, baculo tuo ſepulcrum meum percuſſiſti: prædico tibi quia mare transfretabis, Alpes aſcendes, ſed nequaquam pallium Patriarchatus ſanctæ Dorobernenſis eccleſiæ obtinebis, nec umquam in apoſtolica ejus ſede ſedebis. Ille autem qui hæc viderat, timens Epiſcopi ſævitiam diſſimulabat iſta nuntiare. Sequenti nocte apparuit ei iterum ſanctus Dei quæ ante dixerat dicens: ſed nec tunc quæ audierat homo nuntiare audebat. Item tertia nocte adveniens vir Dei pontificali dignitate redimitus, increpavit præfati hominis ſocordiam, dicens: Si vitæ tuæ proſperitatem gnarus retinere deſideras, moneo ne quod a me ſecundo audiſti, Epiſcopo tuo revelare diſſimules. Nam ſi feceris, in pœna tua te bene feciſſe probabis. Tum ille experrectus, & admodum perterritus, mane facto perrexit ad Epiſcopum, incurvatuſque toto corpore ante illum ait. Venit ad me, Pater honorande, ſpecioſus ut Angelus Dei glorioſus Odo prædeceſſor tuus, qui hæc tibi præcepit denuntiari. Quoniam, inquit, mihi die nudiuſtertiano verbis illuſoriis exprobraſti, baculo tuo ſepulcrum meum percuſſiſti, prædico tibi quia mare transfretabis, Alpes aſcendes, ſed nequaquam pallium Patriarchatus ſanctæ Dorobernenſis eccleſiæ obtinebis, nec umquam in apoſtolica ejus ſede ſedebis. Quibus dictis dimiſit a ſe Epiſcopus relatorem viſionis, parvipendens ea quæ audierat verba ineptæ (ut dicebat) comminationis. Sed evolutis aliquantis diebus omnia evenerunt quæ a ſancto Dei prædicta fuerunt. Mari namque propter pallium deferendum tranſito, itinere aliquamdiu proſpere decurſo, mox ut montana conſcendit, nimio frigore reſolutus, equos qui in ejus comitatu erant necari præcepit, pedeſque ſuos eorum ventribus immiſit, exiſtimans nimietatem frigoris tali poſſe remedio propelli. Sed non ceſſante qui illum cruciabat divino furore, Domini majeſtatem impius blaſphemavit, & ſic pollutum ſuum ſpiritum in mediis ignibus exhalavit. Ita ſe demonſtravit felix Odo Chriſto vivere, quem penitus mortuum infelix Elfſinus auſus eſt credere.

qui mortuo inſultat.

S. Odo cuſtodi eccleſiæ dat mandata in Elfſinum.

qui miſere interit.

Birthelmo remoto. 17. Hoc ita mortuo Birhtelmus, Dorſetenſis provinciæ Præſul, homo nimiæ pietatis ac ſimplicitatis, in Pontificatum Cantuariorum ſubſtituitur. Verum ubi comprobatus eſt in exercendis eccleſiaſticis diſciplinis omnino quam oportebat minus vigere, juſſus quod ſuſceperat onus deſeruit, & ad ſuum ovile quieturus humilis rediit. Igitur ut ſententia Domini & Prophetia beati Odonis ſervi ſui veritas eſſe probaretur, Dunſtanus, jam tunc Lundonienſis eccleſiæ Pontifex, a Rege & regno eligitur, ac in Patriarchatum totius Britanniæ glorioſo Odoni digniſſimus ſucceſſor ſubrogatur. Cujus Dun-

ſuccedit Dunſtanus.

Digitized by Google

Dunſtani, & hujus de quo agimus Patris Odonis illud inter alia non parvo cognoſcendæ ſanctitatis & beatitudinis illorum indicio eſt, quod Dunſtano in die ſancto Pentecoſtes Miſſam ad altare Domini Salvatoris Cantuariæ celebrante, Spiritus-ſanctus qui ſuper ipſum in ſpecie columbæ apparuit, conſumpto ſacrificio in auſtralem altaris partem, ubi venerabilis Odo tumulatus jacebat, divertit, & ſuper tumbam ejus multis intuentibus requievit: quæ res in tanta reverentia ab ipſo Dunſtano habita eſt, ut numquam poſt hoc ante ſepulcrum illius tranſiret, niſi genua flecteret. Cognomine quoque boni in materna lingua illum deinceps vocare ſolebat, videlicet Odo Segode *, quod interpretatur Odo bonus. Quo cognomine etiam uſque hodie ab Anglis, ſed maxime a Cantuaritis appellatur. His ita deſcriptis geſtæ rei ſeries narrandi finem expoſtulat, quem hic quidem ponimus, & in eo Deum qui eſt finis & complementum omnium bonorum, conſona voce laudamus, qui nomen ſuum in omni gente ita glorificat, ut quicumque illum timet & operatur juſtitiam, acceptus ſit illi. Illi ergo ſit laus & gratiarum actio per infinita ſæcula ſæculorum, amen.

AN.CHR. 961 4. Julii. Columba ſuper ſepulcrum S. Odo qui Segode dictus. * al Thegood.

Ut roſa de ſpinis, ſic prodiit Odo paganis,
  Stigmata perfidiæ nulla parente trahens.
Contra vota patrum fidei complexus aratrum,
  Ut bonus agricola cordis arabat humum.
Sanguine ſublimis, ſublimior ordine morum,
  Clarus progenie, clarior ore fuit.
Vir ſceleris purus occurſabat ſceleratis,
  Summi regna Patris amplificare ſtudens.
Virtutumque phalanx illi præcordia tutans,
  Non in eo vitium paſſa tenere locum.
Hic precibus fuſis hoſtilia tela fugavit,
  Qui nos dente petit, hic prece cædet aprum.
Qui ſuper aſtra cluis, pro nobis Odo preceris,
  Multimodæ cladis in regione ſitis.

DE VENERABILI SALVO

AN.CHR. 962 10. Febr.

ABBATE ALVELDENSI IN HISPANIA,

ubi de DULQUITO ejus deceſſore.

1. *Lluſtre fuit quondam apud Hiſpanos monaſterium Alveldenſe ſeu Albeldenſe, de quo agit Yepezius noſter ad annum* 950. *& ſequentem. Ejus ſitum recte deſcribit Garſias Loaiſa in Prolegomenis ad Concilia Hiſpanica, ubi de codice Alveldenſi agit.* Alvelda *, *inquit*, eſt hodie parvum municipium in tractu Locronienſi, duabus ab urbe Locronio leucis diſtans. Olim habuit inſigne cœnobium ſancti Martini ex inſtituto D. BENEDICTI, a Sanctio Rege & Toba Regina æra 962. *id eſt anno Chriſti Domini* 924. fundatum, poſtea collapſum, & translatum in eccleſiam ſanctæ Mariæ Rotundæ apud Locronium. *Locronium vero ſeu Lucronium, vulgo* Logronno, *ſitum eſt in finibus Navarræ & Caſtellæ veteris, Obienarto in Beronum & Vaſconum confiniis, ad Iberum, vulgo Ebron fluvium. Chartam erectionis ac dotationis monaſterii Alveldenſis, a Rege Sanctio factam, in archivo Simancæ ſibi viſam Loaiſa teſtatur.*

Alveldenſe monaſterium. * Albelada

2. *Eo in loco magna religione floruit ſæculo decimo* DULQUITUS *Abbas, qui plura monaſteria ſub ſuo regimine, quaſi generalis Præfectus, habens, ducentis monachis præfuit. Id diſcimus teſtimonio Gomeſani Presbyteri & Abbatis Hilden-*

Dulquitus Abbas.

Digitized by Google

AN.CHR. 962 10. Feb. *denſis, qui a Goteſcalco Anicienſi Epiſcopo ad exſcribendum Hildefonſi Toletani Epiſcopi opuſculum de laude Virginitatis*, compulſus, *id exſecutus eſt, ſcripto codice membraneo, in cujus fine hanc clauſulam appoſuit*. Ego quidem Gomeſanus, licet indignus, Presbyterii tamen ordine functus, in finibus Pampeloniæ Abba Hildenſe in archiſterio, infra atria ſacra ferens reliquias ſancti ac beatiſſimi Martini Epiſcopi, regulariter degens ſub regimine videlicet Dulquiti * Abbatis inter agmina Chriſti ſervorum ducentorum fere monachorum, compulſus a Gotiſcalco Epiſcopo, qui gratia orandi egreſsus Aquitaniæ a partibus &c. *Hæc clauſula edita eſt tum a Baronio, tum a nobis ad annum 728. ubi de Theofredo Abbate Calmeliacenſi: ex qua diſcimus*, ducentos monachos *ſub regimine Dulquiti Abbatis vixiſſe, ſive in uno Alveldenſi, ſive in aliis monaſteriis ipſi ſubjectis. Quippe non ſolum Hildenſe Gomeſani monaſterium, ſed etiam alia Dulquito parebant, uti nos docet charta 10. ab Yepezio in Appendice Centuriæ quintæ relata: ubi Adica Abbas ſanctorum Vincentii & Prudentii cœnobii*, cum Fratribus ſuis *numero ſex*, prompta mente, toto corde, tibi, *ait*, patri ſpirituali Dulquito Abbati & Fratribus tecum in amore Chriſti Albeldæ in cænobio ſancti Martini deliteſcentibus, contradimus animas noſtras ſimulque corpora, ut veſtris orationibus adjuti, adipiſcamur vobiſcum præmia poli. *Deinde hæc ſubdit Adica, quæ monaſterii ſui ſitum oſtendunt*. Non enim ſupra nominati eccleſiam ſancti Vincentii & domni Prudentii baſilicam, ubi quieſcit corpus ejus venerabile, quæ ſita eſt ad radicem montis Laturci, nutu Dei omnipotentis collatam habuimus, & ſancitam cum ſuis adjacentibus terris ... cum hereditate Petri Presbyteri, qui fuit collega noſter vivens, demumque obiit in opido Leca, & ſcripſimus nomen ejus in albala, inter nomina offerentium. *Tum infra*. Et quia hoc regni cælorum cauſa, & pro ſalute animarum, & pro ipſius ſancti loci illuminatione, jugique dominici corporis & ſanguinis ſacrificio in ara Dei offerendo, nos memorati puro corde puraque mente domno Martino in honore nominis Chriſti locum ſupra taxatum, & cum eo noſmetipſos cognoſcimus obtuliſſe. *Actum æra 998. id eſt anno Chriſti 950. Subſcribunt inter alios* Tudemirus Nagelenſis Epiſcopus, Dulquintus Albaldenſis Abbas, Didacus Silienſis Abbas, Munio de ſancta Columba Abbas, Stephanus Dercenſis Abbas de ſancto Emiliano, Belaſco Gironenſis monaſterii Abbas. *Hoc ſancti Prudentii cœnobium poſtmodum ab Alveldenſi ſejunctum, atque Ciſtercienſibus conceſſum eſt*. Abbas Domno Salute ſancti Prudentii *ſubſcribit diplomati Garſiæ Regis filii Enneconis, æra 918.*

* al. Dulquintus

Salvius Abbas. 3. *Dulquiti Abbatis ſucceſſor fuiſſe videtur* Salvus *ſeu* Salvius *Abbas, cujus elogium refertur apud Miræum in libro de ſcriptoribus eccleſiaſticis poſt appendicem Felicis Toletani pag. 102. ſub hoc titulo*. Vita Salvi Abbatis Alveldenſis al. Abaildenſis, incerto auctore. *Deinde ſequitur Vita in hunc modum*.

SAlvus Abba Albaildenſis monaſterii, vir lingua nitidus, & ſcientia eruditus, elegans ſententiis, ornatus verbis, ſcripſit ſacris Virginibus regularem libellum, & eloquio nitidum, & rei veritate perſpicuum: cujus oratio nempe in hymnis, orationibus, verſibus, ac Miſſis, quas illuſtri ipſe ſermone compoſuit, plurimam cordis compunctionem & magnam ſuaviloquentiam legentibus audientibuſque tribuit. Fuit namque corpore tenuis, parvus robore, ſed valide ferveſcens ſpiritus virtute. O quanta illius ex ore dulciora ſuper melle manabant verba, cor hominis quaſi vina lætificantia! Obiit temporibus Garſeani Chriſtianiſſimi Regis, & Theudemiri pontificis, 4. Idus Februarii, æra milleſima; ſana doctrina præſtantior cunctis, & copioſior operibus charitatis. Ac ſic in prædicto cœnobio juxta baſilicam ſancti Martini Epiſcopi & Confeſſoris Chriſti eſt tumulatus ſorte ſepulcrali. Ad cujus pedes diſcipulus Velaſco Epiſcopus quieſcit in pace.

4. *Ex hoc elogio, quod illorum temporum venam & genium ſapit, magnum virum*

Digitized by Google

virum fuiſſe Salvum intelligimus, ut qui non tantum diverſis, uti ejus præ-ceſſor, monaſteriis præfuerit; ſed qui etiam Virginibus ſacris Regulam a ſe conſcriptam tradiderit. Utinam ampliora de eo reſcire liceret! utinam libellum ejus de miſſis & hymnis ſacris recuperaremus. Garſeanus Rex in fine elogii laudatus, ipſe eſt Garſias I. *Aragonum Rex ſecundus, cognomento Abarca, de quo Hieronymus Blanca pag.* 618. *Theodemirus Epiſcopus fuit Najarenſis, de quo ſupra num.* 2. AN.CHR. 962 10. Febr.

5. *De Velaſcone Epiſcopo Salvi diſcipulo major eſt difficultas. Is videtur eſſe Belaſco ſeu Velaſcus illius temporis ſcriptor, cujus mentio ſæpe fit apud Hiſpanicos ſcriptores. Joannes Piſtorius ejus fragmentum refert initio tomi* 2. *Hiſpaniæ illuſtratæ, pag.* 12. *ubi de anno mortis & loco ſepulcri Sanctii Regis, quem æra* 1028. *fato perfunctum, atque ſepultum quidam dicunt in Pinnatenſi ſancti Joannis cœnobio.* Contra vero Belaſco, ejus temporis ſcriptor, magnopere diſſentit, cujus verba in re tam dubia & controverſa operæ pretium erit, ni fallor referre *&c. Blanca eadem verba commemorat. Surita Blaſcum Epiſcopum Pampilonenſem laudat ad annum* 971. *Reclamat Sandovallius. Et tamen diploma Sanctii* II. *Aragonum Regis æra* 1009. *datum legitur*, Blaſco Epiſcopo in Pampilona. *Eodem fere tempore invenio Valaſcum Legionenſem Epiſcopum apud Sampirum in Sancio Craſſo. Nec omittendus* Belaſcus, *qui codicem monaſterii* Sancti Æmiliani cucullati, *nunc in ſancti Laurentii Bibliotheca Eſcuriali aſſervatum, ſcripſiſſe traditur apud Suritam ad annnm* 905. & 966. *Quis ex iſtis ſit Velaſco ille Epiſcopus Salvi diſcipulus*, an potius *Bolaſco Girondenſis Abbas*, de quo ſupra, *aliis divinandum permitto*. Velaſco Episcopus.

6. *Salvi diſcipulis etiam ad numerandus eſt Vigila monachus, qui cum in Alveldenſi monaſterio vitam ageret, codicem Alveldenſem, quo uſus eſt Loaiſa*, ſingulari diligentia ſcripſit æra 1014. anno Chriſti 976. *Hic codex* habet Concilia 61. & epiſtolas decretales 101. a Damaſo uſque ad Gregorium I. & opuſcula alia, *teſte Loaiſa. Ex quibus intelligitur, Alveldenſes monachos, uti alios Ordinis noſtri, deſcribendis antiquis libris egregiam, & reipublicæ Chriſtianæ maxime neceſſariam operam navaſſe.* Vigila monachus.

VITA SANCTI GUIBERTI

AN.CHR. 962 23. Maji.

MONACHI GORZIENSIS,

Cœnobii Gemblacenſis conditoris.

Auctore SIGEBERTO Monacho Gemblacenſi.

Ex Suriana editione a Lambecio emendata.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. *Guiberti ſeu VViberti acta ſcripſit* SIGEBERTUS, *non ignobilis auctor, anno* 1112. *mortuus, idemque monachus cœnobii Gemblacenſis, quod Guiberto debet originem ſuam. Chronicon iſtius monaſterii vulgatum eſt ab Acherio noſtro in Spicilegii tomo* 6. *ubi etiam VViberti honorifica (ut par eſt) fit mentio. Nullus res ab eo geſtas videtur ſcripſiſſe ante hos duos auctores, id eſt anonymum illum Gemblacenſem Chronographum ac Sigebertum, qui ejus corporis elevandi auctor fuit, idque ab Epiſcopis obtinuit, porrecto indubie hoc vitæ libello, qua quaſi canonizationis diſpoſitio cenſeri poteſt. Sigeberti libellum edidit Surius, Lambecius ad exemplar Vindobonenſis Cæſarea Bibliothecæ aliquot in locis emendavit, duoſque alios addidit, unum de elevatione ſancti Guiberti auctore anonymo, alterum de incendio Gemblacenſi, quod* GUIBERTUS *Abbas, alio nomine Martinus dictus, litteris mandavit, de quo in tomo* 2. *Analectorum multa notavimus. Libros de ejuſdem ſancti miraculis duos Gemblaci aſſervari ſcribit Molanus: ſed cum eos mihi in itinere Belgico reperire non licuerit, præmiſſis contentos nos eſſe neceſſe eſt.* Vitæ Scriptores. Lambec. to. 2. Biblioth. Cæſar. pag. 898. & ſeq.

AN CHR. 962 23. Maji. Memoria & cultus.

2. *Ab hac elevatione per Sigebertum procurata cœpit Guiberti cultus. Hæc contigit anno* 1110. *& quidem die* 23. *Septembris, qui apud Gemblacenſes ſacer eſt, uti & dies* 23. *Maji obitu ejus inſignis. Ante hanc ſollemnem elevationem alia facta fuerat anno* 1025. *Olberto Abbate, qui, teſte Chronographo,* eccleſiam novam ædificavit, juxta quam antiqua relicta, quia parvula erat & cito lapſura, clauſtrum & omnia tranſmutare curavit... Poſtea etiam conſtructo duplici oratorio, inferius ſcilicet in honore ſancti Joannis Baptiſtæ & Joannis Evangeliſtæ, ſuperius in honore ſancti Michaelis Archangeli & Stephani protomartyris, a REGINARDO *Leodicenſi Epiſcopo* dedicari fecit prid. Idus Auguſti. Corpora etiam venerabilis & Deo digni fundatoris noſtri Vviberti, & trium prædeceſſorum ſuorum Erluini, Herivvardi, & ſecundi Erluini, in hanc cryptam reverenter fecit tranſportari. *Hæc Chronographus: ex cujus verbis intelligi poteſt, hanc translationem factam fuiſſe potius ob fatiſcentem ſancti Petri, in qua primum VVibertus ſepultus fuerat, eccleſiam, quam ob publicam ejus ſanctitatis declarationem. Itaque ſecunda canonizationis loco cenſenda eſt, etſi non acceſſerit Romani tunc Pontificis auctoritas, ut in Præfatione hujuſce tomi expoſuimus. Sancti Guiberti mentionem faciunt recentiora Martyrologia duobus prædictis diebus. Petrus Equilinus ſub* Giliberti *nomine reponit eum die* 4. *Februarii, fortaſſe quod ipſum confuderit cum ſancto Gilberto fundatore Ordinis Sempringhamenſis, qui iſta die colitur. In eumdem errorem impegit Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum, Galeſinius, & alii nonnulli. Aliud peccatum peccat Petrus Equilinus, ubi non tantum* Gilibertum *pro Guiberto menſe Februario notat, ſed etiam ubi addit, corpus ejus ad* Gorziam urbem *relatum fuiſſe: cum e contrario ex Gorzienſi monaſterio in Gemblacenſe revectum fuerit. Ego aliquando ſacrum feci ad ejus aram, quæ in inferiore navis parte erecta eſt.*

Petrus de Natalib. lib. 3. c. 84.

Gemblacenſis monaſterii initia & tituli.

3. *Gemblacenſe ſeu Gemmelacenſe monaſterium ad amnem* Ornoy, *diœceſis olim Leodicenſis nunc Namucenſis,* Gemblou *ſeu* Giblou *vulgo appellatum, in Brabantia ſitum, ſex horarum intervallo a Lovanio, tribus a Namuco. Eo loci ortum exiſtimo Guibertum noſtrum, quem in* pago, *id eſt tractu,* Darnuenſi *natum ait Sigebertus, ubi Surius mendoſe ediderat* Germienſi: *quod mendum Lambecius correxit. Gemblacum* in Comitatu Lomacenſi atque Darnuenſi *ſtatuit Ottonis M. diploma, quaſi unus idemque eſſet Comitatus. Ibidem villa* Curtily *ponitur in* Comitatu Darnuenſi. *Lomenſis * ſeu Lomacenſis Comitatus complectebatur etiam partem hodierni Comitatus Namucenſis, adeoque Bronium, in quo ſanctus Gerardus Abbas, de quo ſuperius, monaſterium conſtruxit. Diſtinctus erat hic Comitatus a Loſenſi, cujus mentio etiam in prædicto Ottonis M. diplomate, ubi fluvius* Fontlain in Comitatu Loſenſi * *memoratur. Darnuenſis pagus minor fuiſſe videtur. Gemblacenſis monaſterii natales Miræus in ſua Notitia Belgica, & in Originibus Benedictinis revocat ad annum* 922. *atque in ejus rei teſtimonium adducit quoddam diſtichon recens. Et recte quidem, ſiquidem Guibertus anno* 962. *mortuus traditur converſionis ſuæ anno fere* 40. *uti Anonymus initio libelli de elevatione ſcribit. Locum muris cinxit Arnulfus Abbas* 9. *ad eamque pervenit bonorum amplitudinem cœnobium iſtud, ut Abbas Comitis titulo gaudeat, ac primum inter Proceres ſæculares in comitiis Brabantiæ Ordinum obtineat. Viros illuſtres habuit non paucos, quos inter memorandi veniunt* ERLUINUS, *Olbertus, & Guibertus, cognomento Martinus Abbates, atque Sigebertus libris editis clarus: quos pleroſque omnes cum aliis multis vidimus in Bibliotheca Gemblacenſi, quam audio miſerabili ac litteris exitiali incendio periiſſe ante duos annos.*

* de Lomage

* de Los

Privilegia.

4. *Varia etiam cum Regum & Imperatorum, tum ſummorum Pontificum privilegia eidem monaſterio conceſſa ſunt. Ottonis M. diplomata duo exſtant apud Chronographum & Miræum. In primo ſe Otto Regem* Lotharienſium & Francigenum *dicit, &* Germanienſium, *atque* quod quidem Vvibertus nomine, a ſæcularibus hujus vitæ tumultibus recedens, contemnens tranſitoria ut commutaret æterna, vertit ſe ad monaſticæ vitæ regulam ſincero mentis affectu, & conſtruere cœpit baſilicam in loco *Gemblaus* dicto in honore ſancti Salvatoris Domini noſtri Jeſu-Chriſti. Talis ergo deſiderii cariſſimum nepotem ſuum, Vvibertum præfatum, calore ſuccendi conſpiciens avia ſua GISLA nominata, præſidio conſtructionis ejuſdem Gemblacenſis cœnobii, res eidem nepoti ſuo legali traditione contulit hæreditarias, quas ſibi vir ſuus, nomine Rothingus, impendit dotis gratia, in Comitatu ſcilicet Lomacenſi atque Darnuenſi, villam ſcilicet *Gemblaus* cum omnibus ad eam pertinentibus. *Non ergo integram poſſeſſionem ex propriis habebat Guibertus. In conſequentibus Otto hæc ſubdit.* Domnus interea præfatus Vvibertus de paternis vel maternis rebus ſuæ hæreditatis legales faciens traditiones, dedit quicquid jurium viſus eſt habere Fratribus in eodem loco *Gemblaus* ſub regulari viventibus diſciplina, quos ibidem Dei coadunaverat miſeratione, in Comitatu ſcilicet *Breibant*, in loco *Malin* eccleſiam ac decem manſos de Lietzinis, quos filio ſuo Vviberto mater ſolummodo cum fratre ſuo OILBOLDO legaliter tradidit. *Quædam ſubduntur de Erluino Abbate primo, quæ poſtea referemus. Notæ ejus chronicæ deſunt in editis, quas ſupplet in ſequenti vita Sigebertus cap.* 2. *dicens id factum Leodii* 12. Kal. Octob. anno dominicæ Inc. 946. Indict. 4. regni Ottonis anno 11. *Alio diplomate idem Otto Lambertum Comitem Lovanienſem monaſterii Advocatum conſtituit anno* 948. *Sigebertus etiam laudat Benedicti Papæ privilegium, cujus exordium dumtaxat refertur in Chronico vulgato; ſed integrum adducit Lambecius in tomo* 2. *Bibliothecæ Cæſareæ, eo modo quo ſequitur.*

Bene-

Digitized by Google

BEnedictus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei religioſo Abbati venerabilis monaſterii ſancti Salvatoris Domini noſtri Jeſu-Chriſti ac ſancti Petri noviter ibi conſtituti, ſuiſque ſucceſſoribus in perpetuum. Cum magna nobis ſollicitudine inſiſtit cura pro univerſis Dei eccleſiis ac piis locis invigilandi, ne aliqua neceſſitate jacturam ſuſtineant, ſed magis propriæ utilitatis ſtipendia conſequantur. Ideo convenit nos tota paſtoralis mentis integritate eorumdem venerabilium locorum maxime integritatem & ſtabilitatem procurare, & ſedulo eorum utilitatibus ſubſidia illic conferre, ut Deo noſtro omnipotenti id, quod pro ejus ſancti nominis honore, etiam ad laudem atque gloriam ejus divinæ majeſtatis, venerabilibus nos certum eſt contuliſſe locis, ſit acceptabile, nobiſque ab ejus locupletiſſima miſericordia digna hujuſmodi pii operis in ſidereis conferatur arcibus remuneratio. Igitur quia poſtulaſtis a nobis, quatinus pro Dei omnipotentis amore ac domini Ottonis præcellentiſſimi Imperatoris, noſtrique dilecti filii, concederemus atque confirmaremus vobis prædictum monaſterium in honore ſancti Salvatoris ac ſancti Petri conſtructum, cum omnibus rebus mobilibus atque immobilibus, quæ ſub eodem monaſterio adjacere ac pertinere videntur, tam manſis quam etiam caſtris, villis atque caſalibus, tam quæ præſentes ſunt, quam quæ etiam uſque in finem eſſe debebunt, poſitæ in loco, qui vocatur *Gimblaus*, concedimus atque confirmamus Apoſtolica auctoritate, ut de alio monaſterio Abbas ibi non conſtituatur, ſed ipſi ſervi Dei ſecundum Regulam ſancti Benedicti viventes, ex ſua propria congregatione poteſtatem eligendi Abbatis habeant, Abbaſque privilegiis ſedis Apoſtolicæ infulis decoretur, ut ſub juriſdictione ſanctæ noſtræ, cui Deo auctore deſervimus, eccleſiæ conſtitutus nullius alterius Eccleſiæ juriſdictionibus ſubmittatur. Et ideo cujuslibet eccleſiæ Epiſcopum in præfato Monaſterio ditionis quamlibet habere auctoritatem prohibemus, niſi tamen benedicendi habeat licentiam: ſtatuentes apoſtolica cenſura atque auctoritate beati Petri Apoſtolorum principis ſub divini judicii obteſtatione, ac validis atque atrocibus anathematis interdictionibus, ut nullus umquam noſtrorum ſucceſſorum Pontificum, vel alia parva magnaque perſona, aliquid de rebus vel poſſeſſionibus, ad idem pertinentibus monaſterium, auferre vel alienare præſumat. Siquis autem (quod non credimus) nefario auſu parva magnaque perſona, contra hoc noſtrum apoſtolicum privilegium agere temtaverit, ſciat ſe anathematis vinculo eſſe innodatum, ac a regno Dei alienum, ac cum omnibus impiis æterno incendii ſupplicio condemnatum: at vero qui obſervator exſtiterit præcepti, gratiam ac miſericordiam vitamque æternam a miſericordiſſimo Deo multipliciter conſequatur. Scriptum per manum Bonifacii Notarii regionarii ac ſcriniarii ſanctæ Romanæ eccleſiæ in menſe Martio, indictione 11. Bene valete. Datum 8. Kal. Aprilis per manus Stephani Epiſcopi ac Bibliothecarii ſanctæ ſedis apoſtolicæ, anno Pontificatus domini noſtri Benedicti ſanctiſſimi ſeptimi Papæ IX. imperante domino noſtro Ottone a Deo coronato, magno ac pacifico Imperatore, anno 16. in menſe ac Indictione quibus ſupra. *Hoc privilegium eſſe Benedicti 7. conſtabit ex iis, quæ dicturi ſumus in Notis ad vitæ ſequentis caput 2.*

AN.CHR. 962
23. Maji
Benedicti 7. bulla.

5. *Primus loci Abbas* Erluinus *laudatur in diplomate priori Ottonis M. & in Chronico Gemblacenſi, ubi ſtatim ab initio vita ejus præſtringitur. Eam Richarius monachus ibidem ſcripſiſſe dicitur. Erluini excæcationem, ejuſque cauſam deſcribunt Folcuinus Abbas Laubienſis in cap. 26. & Chronographus Gemblacenſis. Cauſa hæc fuit ſive occaſio, quod Præpoſituram Laubienſem a Raginero Longi-colli Haginoenſi Comite, & Abbate loci ſæculari, obtinuiſſet invitis Fratribus. Folcuinus in eum iniquior eſt, ut recte notavit Chronographus Gemblacenſis: idemque cenſendum de eo quod ſcribit in Ratherium Epiſcopum Veronenſem, de quo inferius. Erluinus anno 958. excæcatus, paullo poſt in regimine Gemlbacenſi ſucceſſorem habuit* Herivvardum, *qui ejus frater erat,* & monachus fuit cœnobii ſancti Michaelis de periculo maris, *ſed fratri diu convixerat Gemblaci* pro deſiderio ferventis ibi ſanctæ Religionis. *Erluinus*

Erluinus Abbas 1.

AN.CHR. 962 23 Maji Guibertus an Gemblaci monachus. *nus vero ſupervixit ad annum 987. teſtante Sigeberti Chronico. Id unum hoc loco addidiſſe juverit, Guibertum ab eo ad vitam religioſam converſum, eidemque poſtmodum Abbati ſubjectum fuiſſe, quod ſequenti vitæ repugnare videtur cap. 8. ubi Guibertus Gorziæ monachum induiſſe, ibidemque ad finem vitæ perſeveraſſe perhibetur. Ottonis diploma ſic habet.* Siquidem & in hoc habuit doctorem venerabilem Erluinum, qui & ipſe canonicam qua vivebat regulam mutavit in monaſticam vitam. Ipſum præfatus Wibertus, poſt ædificatam eccleſiam & officinas clauſtri, quas ſimul conſtruxerant, ſibi elegit Abbatem, & ſe cum omnibus quos accerſierat monachis commiſit regendum. *Conſentit Chronographus his verbis.* Unde ſalubri directus conſilio, totum ſe ejus ſubmiſit magiſterio, eumque Abbatem delegit, & præfecit ſibi Fratrumque ſuorum collegio. *Idem legitur apud Folcuinum in Chronici Laubienſis cap. 26. Verum id cum Sigberto ita conciliari forſan poſſit, ut Guibertus, jam converſus a ſæculo, ſed nondum tamen Monachus, Erluino ſe ſubjecerit, poſtea vero Gorziam humilitatis gratia ſecedens, monaſticum habitum ſuſceperit. Tertius Gemblacenſis Abbas dictus eſt item* Erluinus *ex monacho Gorzienſi quartus* Olbertus, *vir doctus, Burchardi Wormatienſis Epiſcopi præceptor. Sed hæc alias. Nunc exhibenda eſt Guiberti vita, quæ in mſ. codice Cæſareo in 18. capita diviſa eſt, Suriano capite 16. in tria diviſo.*

CAPUT I. Guiberti patria & parentes. *al. Rodingum. INſignis Pater Guibertus pago Darnuenſi feliciter natus, hominibus illius temporis ad exemplum creditur eſſe datus: cujus avum Redingum * & aviam Giſlam, patrem quoque Lietoldum & matrem Osburgam omnes, qui hujus antiquitatis retinent notitiam, fatentur longam antiquæ nobilitatis traxiſſe lineam. Porro mater ejus Osburga abutens apoſtolica indulgentia qua dicitur, *Melius eſt nubere, quam uri:* poſt mortis prioris mariti Lietoldi, de quo ſuſceperat dominum Guibertum & Remundem ejus germanam, dum gaudens polygamia, ſecundi, tertii, & etiam quarti mariti non refutat copulam, ex multis maritis prolem genuit numeroſam: Helluinum ſcilicet, Oilbaldum, Raginardum, Dodam, præter eos, quorum nomina obliteravit oblivio. Quorum longe lateque pullulante proſapia, ſe pæne tota repleri & nobilitari gaudet Lotharingia. Siquidem ex proſapiæ numeroſitate accreſcebat poteſtatis eminentia; ex poſſeſſionum multiplicitate rerum affluebat opulentia, per quas cumulari & provehi ſolet mundanæ nobilitatis potentia. Hoc tamen in ſervo Dei nullus ducat ſatis prædicabile, cum ſecundum dominicam vocem, non in abundantia cujuſquam vita ejus eſt ex his quæ poſſidet, & ſecundum Apoſtolum, non eſt perſonarum acceptio apud Deum: ſed hoc in eo nimis debet eſſet commendabile, quia cum Veritas dicat, *Facilius eſt camelum per foramen acus tranſire, quam divitem in regnum cælorum intrare:* hic tamquam gibbi ſarcina ſuperexcreſcente terrenæ nobilitatis & facultatis depoſito tumore, hoc hominum impoſſibile, per pronam animi voluntatem redegit ad poſſibile.

II. Guibertus proficit in virtutibus. Hic ergo juſtus plantatus, & fidei firmitate radicatus in domo Domini, jam inde a teneris anni flores virtutum emittere cœpit, in atriis domus Dei noſtri eminens ut palma altitudine nobilitatis, utque cedrus Libani multiplicandus ſuaveolenti ubertate ſanctitatis. At poſtquam de floribus bonæ ejus indolis pulcritudo & ſuavis odor pietatis ſe longe lateque effudit, & tempore primi Henrici, glorioſi & victorioſi Regis, in fructuum gemmas erupit, tandem circa tempus Ottonis primi, quaſi oliva fructifera in domo Domini ubertim matureſcere cœpit. Qualis autem per prima ætatis incrementa ejus vita fuerit, non eſt diſcutiendum nobis. Nam ſuperflue quæritur de arbore, qualis ſit radix ejus, quæ latet humo obruta, cum ex ſolo ſapore fructus cognoſcatur arboris natura. Veritatis etiam voce dicitur, unaquæque arbor ex fructu ſuo cognoſcitur. Non enim de ſpinis colligunt ficus; neque de rubo vindemiant uvam. Hæc ergo arbor in agro Domini plantata, nec ſpina, nec rubus fuit: de qua nulla punctionis aſperitas,

tas, nūlla amaritudinis acerbitas proceſſit: ſed tanta dulcedo fructus efflu- AN.CHR.
xit, ut proventus ejus etiam nunc in Eccleſia Dei fructificet. Siquidem fra- 962
tribus ejus de carnali poſteritatis proventu cogitantibus, ſolus ſanctæ me- 23. Maij
moriæ Guibertus ſpiritualis generationis heredes ſuſpirabat, bene monitus ab Apoſtolo: *Qui ſine uxore eſt cogitat quæ Domini ſunt, quomodo placeat Deo.* Ideo de patrimonio ſuo non quæſivit carnalis copulæ ſponſam dotare, ſed matrem ſuam eccleſiam unico affectu ditare, quæ ſibi non fratres brevi victuros aleret, immo cæleſtis filiationis prolem numquam morituram augeret, quam nec cum dolore pareret, nec cum dolore amitteret, ſed quæ eum æternali gaudio filio Dei coheredítaret. Militabat interim mundo ſpecie tenus, ſed quantum patiebatur hujus negotii vias, a militiæ vitiis erat extraneus: & ne curram per ſingula vitiorum genera, a quibus Deo auxiliante deſtitit; aut per ſingula virtutum officia, quibus diligenter inſtitit: hoc in eo egregie præter cetera laudabile fuit, quod cum hujus generis hominibus familiare ſit res alienas, & maxime pauperum & eccleſiarum Dei, inſolenter rapere, hic profecto neſcivit aliena diripere violenter, qui ſua tam hilariter pauperibus & eccleſiis Chriſti novit diſtribuere. Juſtus.

Poſtquam ergo diu ſub chlamyde militaris habitus latuit, quia lucerna ſub modio poſita diutius latere non debuit, nondum & impedimentum divini ſervitii a ſe quantocius diſſolvit, & militiæ ſæcularis cingulum *a* depoſuit. Ita mundi veteranus, terrenæ militiæ rude donatus, cœpit eſſe novus Chriſti tirunculus, & longævus mundi ſervus per vindictam divinæ libertatis factus ſuus effectus eſt Dei libertus. Igitur poſt multiformes ſpatioſæ viæ anfractus ad anguſtam vitæ portam directus, ut cantaret nudus viator coram hujus mundi latronibus, deliberavit etiam a cunctis nocivæ poſſeſſionis ſe expedire oneribus. Ne enim poſt plenam legalium præceptorum obſervantiam cumulo ſuæ perfectionis deeſſet illud unum Dominicæ ſententiæ, *Vade & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & veni, ſequere me, & habebis theſaurum in cælo*: hic omnia ſua non quidem vendere, ſed fideli debitori Chriſto commendare ad uſuram ſtuduit, gaudens quod ejus fœnerator exſiſteret, de quo non dubitaret, quin ſibi fideliter menſuram ſolveret. Ut enim unus eſſet illorum, de quibus Apoſtolus dicit, *Tamquam nihil habentes, & omnia poſſidentes*; volebat ſua habere, & non habere: habere, bene diſpenſando; non habere, avare conſervando. Fidelis namque & prudens ſervus, conſtitutus a Domino ſuper familiam ſuam, tam provide & lucroſe ſategit locare peculii ſui ſummam, ut cum nihil ſibi de ſumma decreſceret, de mercede tamen fœnoris ſumptum eximeret, unde conſervis ſuis in tempore tritici menſuram erogaret. Quid enim lucroſius fideli œconomo, quam ſua in ſervos domini Dei profundere, quæ ipſe Dominus gratanter dignatur refundere? Præterea & alio dominicæ vocis hortatu incitabatur; ut & alios exemplo & auxilio ad bene agendum illiceret, dum non negligenter dictum a Domino recoleret: *Qui recipit Prophetam vel juſtum in nomine prophetæ vel juſti, mercedem Prophetæ vel juſti accipiet*. Et illud Danielis: *Qui ad juſtitiam erudiunt multos, fulgebunt quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates*. Unde ut mercedem juſtitiæ multorum acciperet non ſatis eſſe viſum eſt ſibi, ſi ipſe ſolus ad juſtitiam tenderet, niſi & alios ſecum currere ſuo exemplo & hortatu moneret, & ipſe cauſa ſalutis multorum fieret, & duplicem coronam remunerationis acciperet.

III. De abdicando ſæculo cogitat.

Hic fratrum amator, qui ex alto cordis ſuſpirio ad Deum clamare poterat cum Eſaia, *A facie tua Domine concepimus & quaſi parturivimus, & peperimus ſpiritum ſalutis tuæ, quem fecimus in terra*: quod cogitando conceperat, & quaſi longo deliberationis æſtu parturiverat, piam animi peperit bene-

IV. Gemblacenſe monaſterium ex rebus ſuis conſtruit.

a Non ut mox fieret monachus, nam id poſtea Gorziæ exſecutus eſt, ut cenſet, Sigebertus. Obſcure hac de re locutos alios auctores ſuperius vidimus. Apud Folcuinum in Chronici Laubienſis cap. 26. Wibertus *mundana nobilitatis titulis inſignitus in* Gemblacenſi monaſterio *vere converſus ex mundiali militia* dicitur, Erluino Abbate inſtituto, *cui ipſe pauper Chriſti regulariter obediret*.

UNIVERSIDAD CENTRAL BIBLIOTECA DERECHO

Digitized by Google

AN.CHR. 962 23. Maji benevolentiam, per quam Deo filios ſalutis faceret ſuper terram. De proprietate ſiquidem hereditatis ſuæ fundum *Gemmelaus* * dictum delegit, & Deo, & Apoſtolorum principi Petro, ſanctoque EXSUPERIO martyri glorioſo, ad conſtruendum in eorum honorem Monaſterium devotiſſime delegavit. Hic tabernacula dilecta Deo, & delectabilia hominibus conſtruens Domino virtutum, ut paſſer humilitatis volatu directus, invenit ſibi domum, & turtur zelo caſtitatis & gemitu compunctionis animatus, poſuit ſibi nidum, ubi reponeret pullos ſuos, ſub alis matris Eccleſiæ confovendo. Ibi monachorum collecta caterva, per eorum obſequium diſponebat immolare Deo laudum ſacrificia, & reddere altiſſimo vota ſua: qui ſeminantes ei ſpiritualia, ſua meterent carnalia. Hos ad rectam morum volens informari regulam, ad apoſtolicæ vitæ dirigi fecit lineam, per quam in initio fidei fundatam primitivam compererat Eccleſiam. In quibus illud præcipuum erat, ut nulla eis propria, ſed omnia eſſent communia: ut quorum converſatio jam erat in cælis, angelicam quodammodo vitam degerent in terris. Porro ipſe ad eorum, tamquam ad Apoſtolorum pedes, ponens omnia quæ habebat, ut uſibus eorum ad omnem ſufficientiam neceſſaria ſuppeterent, ſollicita paternitate diſponebat. Unde regali traditione tradidit eis villam ſuperius nominatam Gemmelaus; & omnia ad eandem appendentia; & alia multa, undecumque in parte vel ſorte ſua jure hereditatis cedentia.

*Gemblou

V. adjuvante Gisla avia ſua. Ad hoc opus felici auſpicio inceptum animabatur non ſolum divinitatis gratia, ſed etiam nobiliſſimæ & Chriſtianiſſimæ aviæ ſuæ GISLÆ pia conniventia, quæ dulciſſimum nepotem ſuum videns viam veritatis inſiſtere, collaborabat magnopere, ut amoto ei impedimento a cœpto pietatis itinere, viam mandatorum Dei dilatato corde poſſet currere. Quia enim non, ut Eſau piloſus, venationum vanis aut nocivis exercitiis inſerviebat, ſed, ut lenis Jacob, domi habitans, ſimplicitati & innocentiæ ſtudebat, totam ſe in ejus dilectione transfuderat, quippe quem exemplo fidelis Abrahæ de terra & de cognatione ſua jamdudum animo exiſſe cognoverat, ei terram repromiſſionis competere credebat: nec tamen volebat ſuo deſtituere ſubſidio, quem perpendebat per omnia dirigi divino auxilio. Ideo ſalubri reperto conſilio, omnes res hereditatis ſuæ, quas ſibi vir ſuus Redingus dotis gratia impenderat, vel quas ipſi pari æquitatis induſtria addiderant patrimonio ſuo, ad præſidium Deo placitæ conſtructionis contulit *a* legaliter clariſſimo nepoti ſuo.

VI. Erluino etiam adjutore. Adhæc omnia non parum ſolatii divinitas fideli ſuo Guiberto contulerat, quod in his omnibus doctorem & patronum quemdam venerabilem virum, Erluinum nomine, providerat; qui & ipſe canonicam, quam vivebat, regulam ad monaſticam vitam converterat. Is pio patrono noſtro in omnibus utilium rerum conſiliis exſequendis, in eccleſia ædificanda, & officinis clauſtri conſtruendis, in fratribus ad ovile Dei convocandis & regendis aderat adjutor opportunus & unanimis.

VII. Vanam gloriam fugiens, Alii ad perfectionis culmen tendenti ſufficere videtur, a malo declinaſſe, mundi pompis abrenuntiaſſe, ſua omnia pauperibus erogaſſe. At Domnus Guibertus quæ retro ſunt oblitus, in anteriora ſe extendere nitebatur, ſemetipſum arguens imperfectionis, niſi argumento dominicæ manus ad unguem expoliretur. Audiens nempe Dominum dicentem, *Si quis vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me*; totum hoc imperium traxit ad ſe, abnegans ſemetipſum tulit crucem mortificationis Jeſu in corpore ſuo, caſtigans corpus ſuum, & in ſervitutem redigens, ne forte aliis prædicans, ipſe reprobus inveniretur. Tulit crucem etiam fraternæ compaſſionis, quando exutus de cribro diabolicæ tentationis, ipſe aliquando converſus confirmabat fratres ſuos, pro quibus Chriſtus ipſe biberat calicem paſſionis. Igitur accepto rationis clavo, poſt rerum ſuarum jacturam nudus enatavit de mundi hujus naufragio, & tandem potitus monaſticæ quietis

a De hac donatione mentio facta eſt ſupra in obſervationibus præviis num. 4.

Digitized by Google

AN.CHR. 962 23 Maji.

tis portu, anchoram ſtabilitatis de alto pectoris ſui jecit in clauſtralis vitæ profundo. Videbat enim, quod nuſquam alibi tutius perfugium eſſet fugienti a mundi periculo, cum in clauſtris monaſterii, eremi non deſit ſolitudo, & ſi quem aliquo modo diabolicæ incurſionis titillet inquietudo, præſto adſit prompta fraternæ conſolationis fortitudo. Videbat etiam, quod non altius poſſet aſcendere, ſi poſſet illum religionis gradum attingere, ad quem omni quidem ordini eccleſiaſtico, omnique terrenæ poteſtati liceat accedere, a quo nulli omnino, nulla omnino occaſione liceat impune recedere. Præterea vir prudens, ante & retro oculatus, nihil temere & improvide ſibi agendum eſſe attendebat diligentius. Ut enim athleta ſtadium ingreſſus, ſollicite qualitatem loci circumſpicit, ne quod offendiculum ſibi pugnanti vel currenti obſit: ita & hic noſter athleta opportunitatem & qualitatem loci, ubi propoſitum ſuum ſecure exſequeretur, caute deſpexit, ſcilicet ubi nec indulgeret ſibi diſciplina remiſſior, nec pro intuitu notæ nobilitatis male blandiretur ſibi honorificentia impenſior. Timebat enim ne ſibi diceretur a Domino: *Utinam calidus eſſes, aut frigidus! ſed quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo.* Timebat enim, ne ſicut ille, qui contra flantem ventum flores portat, etiam ipſe, inanitate elationis inflatus, collectos virtutum flores perderet, & quaſi pulveris ſqualore fœditate apoſtaſiæ ſorderet & cæcutiret.

VIII.

Denique columba Christi, nolens diutius involvi mundanis fluctuationibus, dum non inveniret ubi requieſceret pes ejus, audiit arcam paratam a Deo multorum ſaluti, clauſtrum ſcilicet Gorzienſis [a] cœnobii. Id cœnobium olim vir magni nominis, Pipini Regis ex ſorore nepos, CHRODEGANDUS Mettenſis epiſcopus conſtruxit, & ad æternum ſanctitatis ſuæ monumentum opibus ditavit, & (quod majus eſt) religionis gratia decoravit. Sed proceſſu temporibus crebreſcente bellorum malitia, & per hæc crudeſcente malorum miſeria, & quia leges ſilent inter arma; ideo invaleſcente quaqua terrarum injuſtitia, etiam ibi per notam temporis & prælatorum incuriam, diſciplinæ regularis cœpit molliri cenſura: & hæc cæleſtis iræ permiſſio tamdiu permanſit, donec tandem divinæ miſerationis oculus ſuper inhabitantes terram proſpexit, qui & infidelitatis tenebras amovit, & lumen veritatis revocavit. Ad hæc inter primos a Deo miſſus eſt ADELBERO, primus hujus nominis Mettenſis Epiſcopus, qui nobilium chriſtianiſſimus, & Chriſtianorum nobiliſſimus, (erat quippe frater Friderici Ducis) in hoc primum regiminis ſui dedit exercitium, ut & ſæculari potentia & epiſcopali cenſura exturbaret a ſua diœceſi irreligioſitatis vitium. Hujus bonæ intentionis oculum intendens primum ſuper monaſticam diſciplinam, elaborat eam ad apoſtolicæ vitæ redigere normam. Et incipiens a Gorzia, quæ ceteris monaſteriis erat præſtantior in ſua parochia, ubi inſtitutæ religionis vix ipſa apparebant veſtigia, non prius deſtitit, quam monaſticæ vitæ profeſſores, a ſæculi vanitate retractos, rectæ viæ reddidit, & ante omnia radicem malorum & malum monachorum novercam, ſcilicet proprietatum concupiſcentiam, mucrone paſtorali exſtinxit, & qui in ſæculi compitis patebant luporum morſibus, dominico ovili incluſit. Collaborabat ſibi ad hoc pius Gorzienſis Abbas Agenoldus, reſtauranda ſanctæ religionis adjutor opportunus. Itaque exſtirpatis nocivis radicibus de dominici horti areola, Adelberone Epiſcopo plantante, Agenoldo rigante, Deo autem incrementum dante, creſcebant ſolito uberius virtutum plantaria. Quicumque ergo abrenuntiantes ſæculo ſuave jugum Chriſto tollere volebant, quam mites & humiles corde exemplo Chriſti eſſe deberent hic ediſcebant. Quicumque ex militari habitu in timore Domini fortitudinem ſuam mutabant, hic quaſi in campo divini tirocinii experimentum ſui capiebant. Quicumque ex clericali ſorte ad altiorem humilitatis gradum optabant aſcendere, hic cum Jacob non in ſomnis

Gorziam ſe recipit.

Gorziæ inſtauratio & felix ſtatus.

ubi diſciplina monaſtica vigebat.

[a] De Gorzienſi monaſterio vide quæ inferius dicentur ad Vitam Joannis Gorzienſis Abbatis ad annum Chriſti 973. ubi de Adalberone ejus cœnobii inſtauratore, & aliis rebus hic obiter memoratis.

Digitized by Google

AN.CHR. 962 23. Maji.

ſomnis, ſed re vera ſcalam cœlos attingentem merebantur videre, per quam Angelos aſcendentes & deſcendentes poſſunt videre. Cum ergo hic tantus ſanctæ religionis fervor tam longe & tam late caloris ſui diffunderet flammas; huc ad diſciplinam Domini omnis confluebat nobilitas, omnis dignitas, omnis ſine perſonarum diſcretione profeſſio concurrebat & ætas: nec quiſquam vel initium converſionis ſe credebat arripuiſſe, cui non contigerat Gorzienſi regula initiatum eſſe. Hic inveniebatur lac, quod parvulus ſugeret; hic ſolidus panis, quem perfectus manderet, & aliquando quaſi nutrix in corpus ſuum trajiceret, ut & alios rudes vel infirmos inde paſceret.

Guibertus ut illic ſe geſſit.

Inter eos hic noſter patronus Guibertus non ultimæ nobilitatis, immo non ultimæ humilitatis & ſanctitatis, ſpiritu Dei agente eſt adductus: ut qui jamdudum renuntiaverat ſuis omnibus, hic etiam ſibimetipſi *a* renuntiaret, ut Chriſto perfectius adhæreret. Seipſum ergo & omnes, quos Chriſto lucrifecerat, venerandi patris Agenoldi committens manibus, adhærebat ei ſtudioſius, & ab ore ejus pendebat intentius: utpote qui ex doctrina ejus non ſolum paſci habebat, ſed & de micis ex ea collectis per ſe Chriſti pauperibus ferre ſatagebat. Et ut id ad quod venerat, diligentius exſequeretur, ſingulorum gratias ſollerter contemplabatur, & aliquid inde ad ſeipſum trajicere nitebatur. Erudiebatur illius patientia, accendebatur iſtius orandi inſtantia, alterius delectabatur obedientia: iſtius humilitatem, illius imitabatur ſobrietatem: in hoc activæ vitæ laborem, in illo contemplationis mirabatur ardorem. Fiebat proinde miro modo, ut dum ipſe de ſingulorum virtutibus aliquid decerpit quod ſibi ſit pro exemplo, ipſe ſolus omnibus eſſet exemplo. Ut enim, ſecundum Salomonis proverbium, ferrum ferro acuitur: ita alter ab altero ad bene agendum exacuebatur; & ut homo confundit faciem amici ſui, ita & eos pia fraternæ æmulationis movebat confuſio, niſi alter alterum quiret imitari.

Ipſe ergo qui mundi renuntiaverat vanitatibus, timens ne iterum illiceretur voluptatibus, dum ſub obtentu diſponendarum eccleſiaſticarum rerum adhuc ei deſervitur ſpecie tenus: ad hoc etiam timens illud apoſtolicum, doctorem non debere eſſe neophytum, ne elatus incidat in judicium diaboli: induxit in animum, venienti morbo quantocius occurendum. Venerabilem, cujus ſupra meminimus, Erluinum, virum Deo *b* placitum, hominibus acceptum, in gymnaſio ſanctæ religionis laudabiliter exercitatum, lucrandis Deo animabus intentiſſimum, amicitiis Principum terræ & majorum eccleſiæ glorioſum, exſequendis rebus eccleſiaſticis per omnia idoneum; hunc talem virum, utpote patrem & intimum ſuum, convenit amicabiliter, in eum ſe rejecit quam familiariter, in eo quaſi in reclinatorio animæ ſuæ tantum incumbit fiducialiter, ei ex ordine velle ſuum aperiens, ei ſeipſum magis quam ſibi credens; communicato cum fratribus conſilio, eum Abbatem ſibi deligit, & fidelibus Chriſti adnitentibus, dominico ovili præfici facit. Ille, tamquam bonus paterfamilias, doctus de theſauro ſuo proferre nova & vetera, ſciens ſe adimplere legem Chriſti, ſi alter alterius portet onera; ſuppoſuit humiliter humerum ad ſuſcipiendum onus, ſatis quidem grave, ſed Deo ſibi coöperante portabile; animatus illo proverbio, quod per Sapientem dicitur: *Frater qui a fratre adjuvatur, quaſi civitas quæ non expugnatur*. Ita vir ſanctus Guibertus, ſtrenuo cooperatori ſuo Erluino Marthæ miniſterio delegato, ipſe cum Maria ſedens ad pedes Domini pro audiendo ipſius verbo, elegit optimam partem, quæ non auferetur ab eo. Nam

Erluinum Gemblicenſi cœnobio præfici curat.

---

a Quam optime quadrat huic loco, quod legitur in Actis ſancti Platonis Hegumeni cap. 2 ubi exemplo ſuo Plato arguit nonnullos, *qui ſibi ipſius templa & monaſteria erigunt: deinde monaſticam amplexi profeſſionem dominantur in propriis, ſervos atque ſubſtantiam variam poſt ſe trahentes; heri novitii, & hodie Abbates: qui cum multis annis debuiſſent diſcere, quo modo ſit imperanti parendum, atque ita ad regimen aliorum aſcendere; antequam prius iſtud didicerint, ſeſe periculo ingerunt poſteriori, & quales ſunt tales etiam efficiunt ſibi ſubjectos*, apud Bollandianos ad 4. Aprilis

b De eo ita Sigebertus ipſe in Chronico ad annum 948. *Erluinus primus ejus loci Abbas a ſancto patre noſtro Guicberto electus, in ſanctitate & religionis fervore clares.*

Digitized by Google

Nam ad alvearium monachorum, ſcilicet Gorziam, regreſſus, jejuniis, vigiliis & orationibus intentus, contemplationis virtuti vacabat liberius. ANCHR. 962

Jam in laude Deo novella plantatio fructificaverat, jam agricola pretioſum fructum terræ exſpectans, patienter ferebat, quia temporaneum & ſerotinum ſe accepturum non diffidebat. Jam creſcebat Chriſti gloria, jam illorum, per quos benedicebatur nomen Domini, multiplicabatur gratia; quando de Gemmelaus, novellæ ſcilicet conſtructionis cœnobio, boni odoris longe lateque exibat fragrantia, quod ibi ſanctæ religionis fervente flamma, & juſti de virtute in virtutem in dies proficiebant, & injuſti ab erroris tortitudine converſi, jam in directum ibant. Ex hac boni odoris ſuavitate repleta erat tota domus Eccleſiæ, & attigerat jam ipſa culmina imperialis aulæ: ubi cunctis palatinis in ore erat pia nobiliſſimi viri Guiberti ad Deum converſio, & de ejus converſione non minima in tota Dei Eccleſia ædificatio, quod ejus exemplo multi renuntiantes ſæculo ſanctæ religionis ſe ſubjiciebant propoſito.

23. Maji. X. Gembla-cenſium bonus odor.

Sed invidia ubi deſit, quæ nec in paradiſo deliciarum, nec in ipſo quoque cælo defuit? Quidam, qui bona fidelis Chriſti Guiberti obliquo oculo limabant, aures Cæſaris [a] adverſus eum appellant, & invidioſe ei derogantes, contra rempublicam eum egiſſe accuſant, qui Gemmelaus regalem fiſcum, majoribus ipſius munificentia imperiali loco beneficii attributum, in partem proprietatis ſuæ uſurpaverit, & injuſſu Regis, fundato ibi cœnobio, in ſortem eccleſiaſtici juris injuſte transfuderit. Quod fieri nullo modo lex publica ſinit. Pius conſtructor & ſanctus proviſor loci noſtri ad cauſam dicendam eſt edicto Regis invitatus. Cauſa proponitur, de injuſtitia expoſtulatur; in deliberanda ſententia alius alii varie aſſentitur. Diſcipuli Evangelii a Domino docti, *Cum ſtabitis ante reges & præſides, nolite cogitare qualiter aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini;* non ſophiſticam quærunt argumentationem, ſed ſimplicitatis Chriſtianæ prætendunt humilitatem. Scientes enim quia periculoſum eſt contra torrentem brachia tendere; nec ignorantes ſententiam Apoſtoli, *Qui poteſtati reſiſtit, reſiſtit Dei ordinationi;* pedibus Imperatoris ſe humiliter provolvunt; & ne in ſe & in pauperes Chriſti terrena ſua potentia abutatur ſuppliciter expoſcunt, „ dicentes, gaudendum eſſe majeſtati Imperatoris, quod temporibus imperii „ ſui divina miſeratio oſtium miſericordiæ ſuæ voluerit patefacere, dum tales aliquot viros dignatur mundo tranſmittere, qui digni ſint exaudiri orantes „ pro ſtatu reipublicæ: poſſe Imperatorem de alieno fundamento laudem mereri, ſi ab aliis in honore Dei conſtructa loca, ſua regali potentia velit „ tueri: alieno labori eum poſſe participare, ſi res ab aliis Deo jure hereditario legatas, dignetur auctoritate imperialis manus corroborare; dignum „ eſſe, ut apud imperatoriam cenſuram plus valeat Deo placita veritatis „ æquitas, quam ſuſurronum & bilinguium calliditas, vel adulantium doloſitas, de quibus Sapientia dicit: *Suſurro & bilinguis maledictus; multos turbavit pacem habentes; & lingua tertia* (hæc lingua adulantium intelligitur) *multos commovit.* Hæc & alia in hunc modum locuti, a bona ſpe, quam in Deum habebant, non ſunt fruſtrati, illud Sapientis dictum eſſe verum experti, Beatus, qui loquitur in auribus Sapientis. Pius enim Rex Otto, vere ad reſtaurandam rempublicam & reparandam Dei Eccleſiam directus a Deo, his ſalutis monitis aurem advertit gratanter, & petitionem fidelium Chriſti accepit dignanter. Annuit enim communi Palatinorum conſilio, & regali cenſuit [b] edicto, ut rata & inconvulſa permaneret novella Gemmelacenſis cœnobii conſtructio: & quicquid illi eccleſiæ ab ipſo domino Guiberto, vel etiam aliorum venerabilium virorum largitione fuerat conceſſum, ut nullus infidelium vel aliquis heredum ejus infringere audeat, omnino eſt interdictum. Inſuper permiſſa eſt eis poteſtas Advocatum & regularem Abba-

Otttoni M. accuſatus ſiſtitur Guibertus.

Cauſam perorat cum ſuis.

ab Ottone confirmationem obtinet.

[a] Ottonis ſcilicet Magni, qui ſuo diplomate conſtructum cœnobium approbaſſe infra memoratur.

[b] Hujus rei diploma integrum exſtat in Chronico Gemblacenſi & alibi, cujus fragmentum habes in Obſervationibus præviis, ubi privilegium Benedicti Papæ 7.

Digitized by Google

AN.CHR. 962. 23. Maii. batem, cum imperio Regis, eligendi, caſtellum conſtruendi, mercatum, percuſſuram monetæ, materiam faciendi. Ipſe locus ab omni omnium ſervitio immunis eſt redditus in civitate, in caſtello, in villa, ſuper aquas, in pontibus, in omnibus imperii ſui locis, ab omni telonio & tributo eſt abſolutus, ſub ſolo regiæ defenſionis munimine ſubjectus.

XI. item a Benedicto papa VII. Omnis res jam compoſita videbatur, omnia jam in tuto eſſe credebantur, nihil ex aliqua parte metuebatur. De rebus Eccleſiæ traditis, & de libertate ipſius loci charta conſcripta, imperiali erat dicto confirmata, & anuli impreſſione imperialis auctorizata, quæ auctorizatio facta eſt ſollemniter Leodii 12. Kalend. Octob. anno dominicæ Incarnationis nongenteſimo quadrageſimo ſexto, indictione 4. regni domini Ottonis primi anno undecimo, cathedram Trajectenſis eccleſiæ regente [a] Uhogone. Ad hanc confirmationem imperialis poteſtatis, acceſſit etiam apoſtolicæ Sedis auctoritas, dum a Benedicto VII. hujus nominis Papa decretum eſt, ut rata eſſet in perpetuum Gemmelacenſis cœnobii prærogata immunitas. Decretum eſt etiam, ut de alio monaſterio ibi Abbas non conſtituatur: ſed ipſi ſervi Dei, ſecundum S. Benedicti Regulam viventes, ex ſua propria congregatione Abbatem eligendi poteſtatem habeant, & ut Abbas ipſe, privilegiis Sedis apoſtolicæ, infulis decoretur, & ut ipſum monaſterium, ſub juriſdictione ſanctæ Romanæ apoſtolicæ Sedis conſtitutum, nullius alterius eccleſiæ juriſdictionibus ſubmittatur, interminando ex auctoritate beati Petri Apoſtolorum principis ſub divini obteſtatione judicii ac validis anathematis interdictionibus, ut nulla aliquando vel parva, vel magna perſona aliquid de rebus vel poſſeſſionibus ad idem monaſterium pertinentibus auferre, vel alienare præſumat. Hoc ſcriptum per manum Bonifacii notarii regionarii atque ſcriniarii ſanctæ Romanæ eccleſiæ datum eſt 8. Kalend. Aprilis, per manus Stephani Epiſcopi ac Bibliothecari ſanctæ Sedis apoſtolicæ, anno pontificatus domini Benedicti VII. Papæ nono, imperante Ottone a Deo coronato, magno ac pacifico imperatore, anno 16. qui eſt annus Domini 983. [b]

XII. Heribrando Gemblacenſe monaſterium ſe opponit. Ita aliquamdiu arridente ſereno cælo proſperitatis, derepente inhorruit maxima immiſsio diabolicæ tempeſtatis. Siquidem Heribrandus de vico *Mavivvolt*, qui inter nobiles Bratuſpantium [c] genere & divitiis eminebat, cujus nobilitatem alia nobilitas augebat, ei quippe Rembidis, germana nobiliſsimi ſenioris noſtri Guiberti, nupſerat. Hic injuſtitiæ gladio accinctus, cupiditatis armis confiſus, clamat Gemmelacenſem fiſcum hereditaria lege ex matrimonio uxoris ſuæ Rembidis ſibi competere: affinem ſuum Guibertum non legaliter egiſſe, qui ſub obtentu religionis uxorem ſuam, germanam ſcilicet illius voluerit injuſte exheredare. Contempta ergo imperialis curiæ auctoritate, contempto apoſtolicæ cenſuræ anathemate, vinctis ſibi complicibus ſuæ injuſtitiæ, non timet Abbatiam inſolenter invadere, & ſubſtantiam fratrum violenter diripere. In officinis clauſtri equi ſtabulantur, per loca monaſticæ ſolitudini competentia, ſæculares perſonæ militiæ vagantur, fratres per latibula ſanctuarii quomodocumque ſeſe tutantur, & in tantæ tribulationis articulo ſubſidium divinæ pietatis præſtolantur. Videbatur nempe malevolis implendæ injuſtitiæ opportunum eſſe tempus, quia ipſe ſanctus vir Guibertus, mundo jam mortuus, & ab eis longe remotus, excuſſerat ſe a cunctis ratiociniis mundani tumultus. Porro Abbas Erluinus recens

a Cum recte omnino conveniant hæ omnes notæ chronologicæ, corrigendus eſt Aubertus Miræus, qui in ſuo diplomatum Belgicorum ſyntagmate aſſerit diploma illud Ottonis promulgatum eſſe anno 948. Sigebertus in Chronico confirmationem immunitatis eccleſiæ Gemblacenſis eidem anno conſignat, forte memoria lapſus. Niſi ſi de altera privilegiorum Gemblacenſium confirmatione eſt intelligendus.

b De hoc Ogone ſeu Hugone Trajectenſi ſeu Leodicenſi Epiſcopo, qui prius Abbas Treviris ad S. Maximinum fuerat, mentio fit inferius in Actis Joannis Gorzienſis, & alibi non ſemel.

c Locum hunc ita reſtituit Lambecius, cum apud Surium legatur, 953. Et neceſſaria quidem emendatio, ſed haud ſcio an ſit ad mentem Sigeberti, qui in Chronico hunc Benedicti Papæ immunitatem revocat ad annum 954. *Immunitas noſtra, Gemmelacenſis ſcilicet eccleſia, etiam apoſtolica auctoritate a Benedicto Papa corroboratur anno ſeptimo pontificii ejus*. Verum eo anno non Benedictus, ſed Agapitus Pontifex erat, qui anno 956. Joannem XII. habuit ſucceſſorem. Omnes notæ chronicæ optime anno 983 conveniunt.

d Hic Bratuſpantes Bellovacis a Julio Cæſare attributos confundit auctor cum Brabantinis.

Digitized by Google

recens oculis [a] privatus, reſtaurandis rebus perditis putabatur eſſe minus idoneus. Hic ſiniſter rumor ut perculit aures ſancti viri, cujus converſatio jam erat in cælis, quid ei tunc fuerit animi, non opus eſt exprimere verbis, cui quamvis indignum videretur de ſtiva dominici aratri oculos retro convertere, & grave eſſet, ſe emeritum militia, bello mundanæ ſollicitudinis iterum involvere; non diſtulit tamen pro conſolandis fratribus iter accelerare, qui pro illis paratus erat etiam animam ponere. Veniens ergo deſideratus ad deſideratum locum, qui teſtimonium erat ſuæ devotionis, triſtes & deſolatos fratres confirmat verbis conſolatoriis, & quibus potuit armis humilitatis & modeſtiæ occurrit adverſariis, & feritatem, & cupiditatem eorum mitigare laborabat monitis ſuaſoriis. Illi præſentiam ſanctitatis ejus aliquantulum reveriti, & aliud clauſum in pectore, aliud in lingua promptum habentes, ceſſerunt ad tempus ejus voluntati, ſe intuitu affinitatis ejus ab injuſtitia iſta ceſſaturos polliciti. AN.CHR. 962 23. Maji.

Sæpe nominatus, & ſæpe nominandus nobis dominus Guibertus, tam gratus fuit Deo, ut dignus fuerit etiam apoſtolicæ prædicationis miniſterio. Gens ſiquidem Hungarorum, quæ quibuſdam munitiſſimis cluſis remota, nec ad meridianam, nec ad occidentalem plagam exeundi habuerat facultatem per ARNULFUM Imperatorem, ruptis cluſis emiſſa; mortuo Arnulfo Imperatore, totam Italiam, totam Germaniam, ut fera tempeſtas, vario vaſtationis genere depopulata eſt per annos circiter quinquaginta. Hæc gens etiam tempore primi Ottonis [b] aggreſſa Lotharingiam, deducta eſt a Duce CONRADO uſque ad ſilvam [c] Carbonariam, & virtute Dei apud Laubienſe cœnobium oſtenſa, prohibita ultra prodire, rediit impune. Hungaris ergo & eundo, & redeundo per vicum Gemmelacenſem tranſeuntibus occurrit vir Dei Guibertus, non clypeo aut galea materiali protectus, ſed tantum gladio verbi Dei accinctus, paratus bibere calicem paſſionis, & ponere animam ſuam propter ſalvandas fratrum animas: qua (ut dicit Veritas) non eſt major charitas. Et primo miles Chriſti ſecundum præceptum Evangelii offerens illis verbum pacis, ingreſſus eſt viam prædicationis, & paulatim mitigata eorum rabie, cœpit jam agere de eorum ſalute. Nec deſtitit illis idololatriæ ſpurcitia ſordentibus pandere fidei dogmata & Regis æterni myſteria, donec aliquos eorum a regno diaboli abſtraxit, eoſque abjurantes ſacramenta diabolicæ militiæ, tranſcripſit in novum nomen Chriſtianæ militiæ. Benedictus Deus per omnia, qui Guiberto ſub ſignis ſuis militanti adfuit, eique civicam coronam tribuit. XIII. Hungaros quoſdam ad fidem conv[...].

Prævidens vir Deo plenus, non eſſe paratum ſibi a Deo Patre, ut biberet primum calicem paſſionis, animum appulit, ut mereretur bibere ſaltem ſecundum calicem confeſſionis; & ideo tentus in hoc, ut conſulendo ſibi, conſuleret etiam aliis, excogitavit opus, quod non ſibi ſolum, ſed etiam aliis prodeſſet. Nam amplectens ſuper omnia charitatem, quæ eſt vinculum perfectionis & plenitudo legis, & ob hoc maxime, quod hoc ſpeciale mandatum eſt Domini dicentis; *Mandatum novum do vobis, ut vos invicem diligatis*; cœpit agere cum pluribus devotis & Dei fidelibus, ut per unum mutuæ charitatis conglutinati amorem, fraternalem inter ſe ſtatuerent ſocietatem: ut cum omnes unum in Chriſto eſſent, unum ſaperent, unum diligerent, unum in Chriſto vellent, unum nollent, nihil diabolica æmulatione contractum, odio condignum, vel contrarietate inveniretur diverſum, ut vere pacifici mererentur beatitudinem filiorum Dei. Ad hæc etiam, ut ſecundum Jacobi præceptum peccata XIV. Quædam pro concordia ſtatuit.

[a] Excæcatio hæc contigit anno 958. ac proinde recentius hoc factum. Quamquam Sigebertus exactam temporis ſeriem hic non ſervat, ut de ſequenti irruptione conſtat.

[b] Hungarorum irruptionem in regnum Lotharienſe & Galliam Belgicam Frodoardus revocat ad annum 954. quam irruptionem huic loco convenire conſtat. Laubienſem enim cladem, hic memoratam, eodem anno contigiſſe colligimus ex Folcuino Chronographo Laubienſi, qui in cap. 25. ubi de hac agit, ſcribit Octavam Paſchæ ipſo anno incidiſſe 4. Kal. Aprilis, ac proinde Paſcha 6. Kal. ejuſdem menſis quod anno 954. accidit. Corrigendum ergo Sigeberti Chronicon, in quo id anno ſequenti refertur.

[c] Carbonaria ſilva, vulgo *la foreſt Charbonniere*, Arduennæ ſilvæ pars, inter Moſam & Scaldim in Nerviis & finitimis pagis, ut recte monet eruditiſſimus Valeſius in Notitia Galliarum.

AN.CHR. 962 23. Maji. ſua alterutrum confiterentur, & orando pro invicem ſalvarentur, &, ſicut Veritas ait, *Qui lotus eſt, non indiget niſi ut pedes lavet, ſed eſt mundus totus*; ita loti baptiſmo alterutræ confeſſionis, lotis pedibus, quibus non poteſt ſine labe terra calcari, id eſt expiatis actibus humanæ vitæ, quæ vix aut nullatenus ſine nævo peccati poteſt tranſigi, per fraternæ orationis auxilium redderentur toti mundi, eleemoſynis, jejuniis, pſalmis, hymnis, canticis ſpiri-
„ tualibus, ad hoc conſtitutis, ab invicem expiati. Delectabat enim eos il-
„ lud beati Auguſtini, qui in laudem charitatis prorumpens, ait: Dulcis ſo-
„ nus charitas eſt, dulcis res & delectabilis charitas eſt, quæ præſentes & ab-
„ ſentes in unum colligit fratres.

XV. Gorziam reverſus. Sic vir Dei tactus quodam præſagio futurorum, quod propediem tendendum ſibi eſſet ad ſupernæ vocationis bravium; prævidit ſibi in futurum, ut quando depoſito carnis onere ingrederetur viam univerſæ carnis, aciem hujus fraternæ ſocietatis hinc inde localiter in ſubſidiis, quæ tartarearum catervarum incurſus perturbaret orationum telis. Hujus negotii perficiendi ſecundas partes relinquens fideli vicario ſuo Abbati Erluino, cavens ſibi per omnia, ne ſub obtentu alicujus rei exſequendæ, quantulumcumque iterum implicaretur ſæculo, ultimum vale dicens fratribus & amicis, & optabilem pacis & dilectionis memoriam relinquens eis, maturavit viam ad amicam ſibi quietem Gorzienſis ſolitudinis. Sicut enim piſcis extractus ab aqua non poteſt vivere, ita ipſe timebat de vita animæ ſuæ, quoties a contemplationis extrahebatur requie. Poſt tot & tantos labores, dum jamjamque exſpectaret ſibi a Deo deſideratam miſſionem militiæ ſuæ, tandem Rex regum lætatus, militem ſuum diu pro caſtris ſuorum viriliter ſtetiſſe, tempus eſſe duxit ei præmia laboris reddere, & capiti ejus coronam laudis imponere.

XVI. Et jam inſtante tempore reſolutionis ſuæ, cœpit langueſcere. Summus enim artifex, qui ſemper invenit in opere ſuo, quod adhuc tundat & poliat, electum ſuum tamquam aurum in fornace probabat, ut excoqueret ad purum ſcoriam peccatorum ejus. Gemmelacenſes ut audierunt dominum & patrem ſuum ad mortem infirmari, non potuerunt ſuo temperare dolori. Hunc eorum dolorem nimis exaggerabat, ſi eum in terra peregrinationis ſuæ, ipſis abſentibus, contingeret obire. Unde qui ex his majuſculi eſſe videbantur, ſine mora Gorziam tendunt, & dominum ſuum viventem inveniunt; & aliquantulum diſſimulato dolore, agunt cum eo de reportando ejus corpore. Ille accerſito ad ſe Abbate ſuo, cui nomen erat [a] Oilbaldus, aperit ei ſuum ſuorumque deſiderium, & hoc ab eo ultimum expetit beneficium, ut liceat ſuis defuncti corporis ſui glebam referre ad Gemmela-
„ cenſe cœnobium. Abbas ex conſilio reſpondit, ut pater filio: Mi fili
„ dulciſſime, anguſtiæ mihi ſunt undique. Sanctitatem revereor, animam
„ tuam ad Deum euntem ſcandalizare vereor: ſed timeo ne illi ſuper hoc
„ ſcandalizentur, qui te ut patrem venerantur, & amorem quem exhi-
„ buerunt tibi viventi, vellent exhibere præſentialiter etiam morienti. Ec-
„ ce voluntatem meam poſtpono tuæ voluntati, ſi adſpiraverit tibi & tuis
„ voluntas Dei. Si ſuppetit tuis facultas implendi deſiderium ſuum, non ne-
„ go meum aſſenſum.

XVII. Moritur. Tandem vir Dei conſummatus in virtutum gratia, quod majus eſt, quam ſi claruiſſet miraculorum gloria: miraculis quippe nonnumquam virtutes offuſcantur, miracula vero ſolis virtutibus commendantur; 10. Kal. Junii reddidit ſpiritum fatigatum, nec victum fructuoſis laboribus, ad patres ſuos appoſitus: qui ſeminaverat in benedictionibus, meſſuit etiam in bene-

---

[a] Apud Bollandum ad vitam S. Joannis Abbatis Gorzienſis tomo 3 Februarii p. 688. hoc ordine recenſentur Gorzienſes Abbates a reſtitutione loci per Adalberonem. *Eginoldus anno* 940. *S. Ioannes, anno* 960. *Giboldus anno* 962. *Odolbertus anno* 970. Qui vero hic *Oilbaldus* Sigeberto dicitur, hunc Bollandus eſſe ait *Giboldum*, quæ quidem facilis eſt litterarum permutatio. Hoc fundamento Joannis obitum ponit ante annum 962. ut locum faciat Oilbaldo, qui Wiberto ad ipſum annum morienti adſtiterit. Verum Joannem uſque annum 973. vitam produxiſſe conſtat ex ipſius actis, uti ſuo loco probabimus. Itaque corrigendus hoc loco Sigebertus, & pro Oilboldo reſtituendus, vel Eginoldus, vel, ſi is jam mortuus erat, (quod nondum mihi compertum) Joannes.

Digitized by Google

AN.CHR. 962

nedictionibus centuplum, & vitam æternam, ſecundum Domini promiſſionem, eſt adeptus.

23. Maji.

XVIII. Gemblacum corpus ejus refertur.

Gemmelacenſes læti ab invitis Domini ſui corpus ſuſcipiunt, & ſe votivo operi accingunt. Qui præcaventes, ne æſtivi caloris nimietas faceret injurias ſancto corpori, interiora corporis ejiciunt, ibique terræ infodiunt; cadaver vero ſale & variis pigmentorum odoribus conſpergunt, que putredini corporeæ corruptionis repugnare poſſunt. Unus autem eorum, nomine Adecho, qui ſemper familiarius fuerat obſecutus ſancto viro, ac per hoc etiam ſancto corpori adhuc obſequabatur inſtantius; hic comparato carro cum *a* bobus, ſuperponit ſanctum corpus, non quo honore dominum decuit, ſed quo amore ipſe debuit. Jam proceſſerant longiuſcule, & ecce omnis Gorzienſium populus exarſit in ira & furore, ægre ferentes corpus illius aſportari, cujus meritis ſe credebant a Deo adjuvari. Ergo facto grege, perſtrepunt populari more, & paucos multi inſequentes conclamant. Ad clamorem concurrentium Gemmelacenſes obſtupeſcunt, & tacito cordis clamore auxilium Dei quærunt. Sed qui pro filiis Iſrael pugnavit contra inſequentes Ægyptios, pugnavit etiam pro iſtis. Subito enim orta tempeſtate, aer inhorruit, & clara die nox aliena incubuit. Concrepant tonitrua, micant fulgura, cadunt fulmina. Illos tenebræ palpabiles ab itinere revocant; iſti uno itinere gradientes, nec ad dexteram, nec ad ſiniſtram declinabant. Ita illi divinitus exterriti retrocedunt, iſti adjuti divinitus libero incendunt. Tam prædicabili miraculo ſanctus Dei Guibertus, illuſtratus, cum multa omnium veneratione ad Gemmelacenſe cœnobium eſt relatus, cum honore debito in eccleſia ſancti Salvatoris, ſanctique Petri Apoſtoli ſepultus, ſe cum Deo vivere oſtendit invocantibus. Credunt enim ſe ejus tuitione protegendos perpetualiter omnes, qui invocant eum præſentialiter. Obiit autem hic ſanctus Dei anno Dominicæ Incarnationis nongenteſimo ſexageſimo ſecundo, decimo Kalendas Junii.

COMPENDIOSA RELATIO ELEVATIONIS

Corporis S. GUIBERTI Confeſſoris.

Ex Bibliotheca Cæſarea tomo 2. Lambeciano.

S. Guibertus miraculis clarus.

1. IGitur ſanctus Guibertus quadraginta fere annorum ſpatio in bonorum operum conſummatus exercitio, apud Gorziam ſuæ converſionis cœnobium vita defunctus, in *Gemmelaus* ſuæ primæ converſionis loco ſepultura eſt affectus: ubi ab anno dominicæ Incarnationis 962. (eo quippe hominem exuit) per annos 130. tacito nomine jacuit, vix paucis fidelibus per chartas veteres recordantibus umbram ejus ſanctitatis. Anno autem dominicæ Incarnationis 1099. refulſit nominis ejus memoria, nova ſignorum gratia illum magnificante Dei munificentia, quæ ita mirabilis in eo fuit per 12. annos *b* ante ſancti corporis elevationem, ut longe lateque maximum ei ab omnibus comparaverit amorem & honorem. Unde multis noſtrorum, multis etiam extraneorum, videri cœpit indignum, quod vir tantæ, apud homines æſtimationis, tantæ apud Deum ſanctitatis, nullo

a Boum frequens apud veteres Francos uſus erat in vehendis etiam nobilium carpentis, uti alias oſtendemus.

b Concordat Leodienſe Chronicon tomo 1. Bibliothecæ Labbeanæ, ubi hæc verba. *Anno* 1090. *Guibertus fundator cœnobii Gemmelacenſis elevatur*. Sigebertus in Chronico ad eumdem annum. *Sanctus Vuicbertus, fundator Gemmelacenſis cœnobii, ubi & ſepultus requieſcit, quem Deus multis & magnis miraculorum ſignis per annos 12. longe lateque clarificaverat, auctoritate venerabilis Frederici Colonienſium Archiepiſcopi, & aſſenſu generalis Synodi, a Domno Otberto Legienſi Epiſcopo elevatur, quæ elevatio innumerabili concurſu & mirabili gaudio populorum celebrata eſt 9. Kal. Octob.*

AN.CHR. 962 23. Maji.

Sigebertus de eo elevando cogitat.

nullo cultu venerationis honoraretur a nobis. Horum maxima pars erat Sigebertus, antiquæ ſcientiæ & reverentiæ monachus, hujus noſtræ eccleſiæ Gemmelacenſis oculus, cui pie invigilabat vita & converſatione & religionis fervore. Tanto namque certior erat de ſanctitatis ejus gratia, quanto vitam ejus virtutibus plenam multa ſtili perſecutus eſt elegantia. Qui ex evidenti miraculorum oſtenſione, accepta explendi deſiderii ſui occaſione, de elevatione ſancti ejus corporis cœpit agere apud eos, quorum hæc erat auctoritas.

2. Denique Domni Liethardi Abbatis voluntate conſulta & benedictione percepta, ad impetrandam ſuper hoc Epiſcopi Leodicenſis auctoritatem, ipſe ab eo ſuſcepit legationem. Currum Dei tum Leodii aurigabat dominus Otbertus, eccleſiæ ſuæ inter prædeceſſores ſuos ſatis commodus, qui ubi bonam bene deſiderantium voluntatem audivit, diſcuſſa & comperta rerum veritate, juſta petentibus aſſenſum dedit, gaudens tempore ſuo per Dei miſericordiam revelatum, unde omnis mundus a neceſſitatum pondere ſe ſentiret relevatum. Ab domino Henrico [a] loci noſtri Archidiacono cauſa defertur Frederico Colonienſium Archiepiſcopo: confert ille in ſynodo generali, quid eſſet agendum ſuper negotio nobis ſpeciali: & ex conſilio libenter annuit, quod fidelis noſtræ partis fautor innuit. Poſtquam autem per crebra noſtræ legationis internuntia diverſa de hac re data ſunt & accepta reſponſa; dominus Abbas Liethardus jam per ſe ſtatuit curare, quod aliis totum curandum videbatur commiſiſſe. Ergo licet fractus ætate ſenili, ſe ipſum impendens grandioris viæ labori, Leodium properat, quodam (ut ita dicam) alleviatus vehiculo boni deſiderii: ubi tam Epiſcopum quam Archidiaconos, tam Abbates, quam univerſos eccleſiaſticæ reipublicæ conveniens præpoſitos, petiit ut ab eis unanimiter diffiniretur, quando conceptum fidelibus animis votum compleretur quod & factum eſt.

Rex ad Synodum defertur.

Elevatio ſolemniter celebratur.

3. Sane quoniam ad tanta novæ ſalutis gaudia non facile poſſet evocari ſemota fidelium populorum frequentia, placuit ut 9. Kal. Octobrium die elevatio ſancti corporis fieret, eo quod pridie in martyrio ſanctorum Thebæorum, ſpecialiter nobis ſollemni, ſatis ingens populus & indicti commercii & votivæ orationis cauſa in hunc locum conveniret. Domnus Abbas Liethardus, in his quæ ſibi bene vel dicta vel facta ſunt, lætatus, hujus lætitiæ participationem ad noſtram detulit exſpectationem: monuit deinde, ut deſiderata boni patroni ſollemnia debita noſtræ devotionis prævenirent munia. Namque ad proſperandos a Deo hujus rei ſucceſſus ex Epiſcopi mandato jejunium indixit, quod ipſe una nobiſcum eo devotior, quo ſollicitior perfecit. Jamque effulſerat dies illa, cælo terræque feſtiva; cælo pro compare deſignato, terræ pro Patrono ſibi aſſignato. Aderat utriuſque ſexus plebs innumerabilis, quos undecumque advocaverat amor & honor ſancti Confeſſoris. Convenerant etiam plures Abbates & Archidiaconi, & alii eccleſiaſticæ religionis tam auctores, quam diſcipuli, quos ad cæleſtis theſauri compoſitionem incitaverat auctoritas domini Epiſcopi, & religioſitas tractandæ rei. Quorum devotis obſequiis ſancti corporis margaritum elevatum de loco ſepulturæ in proximam agri planitiem eſt deportatum, expectantibus populis demonſtrandum. Interea pro re & tempore habito ad populum ſermone, cum omnibus ſatisfactum eſſet pro ſua exſpectatione ſuper ſancti corporis viſione, ſanctus Confeſſor Guibertus ab omnibus veneratus, a pluribus votiva vel ſpontanea oblatione muneratur. Inde ad loci noſtri tutelam & ſalvationem cum feretro ad hoc fabrefacto in placitam ſibi eccleſiæ noſtræ Gemmelacenſis repoſitus eſt manſionem.

De-

[a] Henricum hunc Gemblacenſis tractus Archidiaconum appellat hic auctor, quem Chronographus Gemblacenſis eodem ſenſu, licet aliis verbis, eccleſiæ ſancti Lamberti, hoc eſt Leodicenſis, Archidiaconum ac Decanum fuiſſe dicit. Et illa quidem cauſa fuit ut in concilio Colonienſi Guiberti Elevationem Epiſcopi ſui nomine procuraverit.

Digitized by Google

AN.CHR. 962 23. Maji.

Deſtructio vel potius Combuſtio monaſterii Gemblacenſis, quæ facta eſt anno 1137. a prima ſui combuſtione anno 30. Scriptore GUIBERTO tunc Abbate Gemblacenſi.

Ex ejuſdem Bibliothecæ Cæſareæ tomo 2.

1. EXPEDIAM paucis, ſi tamen præ dolore ſufficiam, lachrymabilem cauſam gemitus & triſtitiæ circumvallantis me, hoc eſt miſerabilem ruinam & deſtructionem eccleſiæ noſtræ, in qua fere uſque ad mortem periclitatus ſum. Oppidum noſtrum in confinio Lovanienſis Ducatus & Namucenſis Comitatus ſitum eſſe dinoſcitur, quod ei ſæpius factum eſt in laqueum, & everſionem, & ſcandalum; & ad inſidias ſantificationi, & in diabolum malum. Orta itaque nuper ſimultate inter Ducem & Comitem, Comes idem improviſe illud cum exercitu ſuo circumdedit, & immiſſo igne in munita, idem, quæ foris vallum & murum offendit, penitus depopulatus eſt. Cum vero nihil tale timeretur, flabris ventorum, qui vehementiſſimi inſurgebant, ſubvehentibus, favillæ flammantes per cuncta oppidi interiora diſperſæ ſunt, & ita totum ſimul & oppidum & monaſterium ferventiſſimo incendio conſumptum eſt, ut in oppido nulla domus præter duas humillimas, recenti humo obductas, & in clauſtro ne una quidem officina inuſta remaneret. In qua exuſtione cum Miſſa matutinalem ad altare minus cantarem, nolens aliquid imperfectum relinquere, tardius pæne quam debui, ad tutelam me contuli. Nam ſacris exuſtis veſtibus, cum præ ignibus, late jam omnia vaſtantibus, foras erumpere non poſſem, in vicinius quod patebat, ſacrarium ingreſſus, quatuor ibidem e Fratribus meis mærentes & anxios inveni. Quo in loco præter ſpem undique vallantibus nos flammis, fumo & calore ita exæſtuavimus, & ſuffocati ſumus, ut duo ex his graviter læderentur: ſed evaderent; ego & alii duo anguſtiati, terræ ſine ſpiritu inſtar mortuorum uſque ad veſperum decubaremus: ſed me per auxilium Dei & ſancti patroni noſtri Guiberti ſuperſtite, iidem duo ſocii martyrii mei, poſt paucos dies rebus humanis exceſſerunt. Incendium.

2. Sed ſicut ſcriptum eſt in Prophetis, *Auditus auditui, contritio contritioni & terror terrori ſuperveniet, & reſiduum locuſtæ comedet brucus*, nono combuſtionis die prædictus Comes Namucenſis, adſcito ſibi Comite Hannonienſi, nepote ſuo ex ſorore, denuo multitudine gravi oppidum circumdedit, & quibuſdam in locis dirutis muris intravit utriuſque exercitus, & ubique liberrime diſcurrens (omnes quippe imparatos, & nihil horum aliquatenus metuentes invenerat) univerſa quæcumque ſuperfuerant diripuit. In qua direptione nihil nobis, nihil burgenſibus vel populo terræ, qui inibi ſua convexerat, relictum eſt. Animalia quæque, & altilia domeſtica, aut cremata, aut ab hoſtibus abducta. Nullus ſacris vel altaribus honor impenſus eſt, adeo ut in medio presbyterio coram principali altari, & per tota utriuſque eccleſiæ ſpatia, & pedeſtri, & equeſtri certamine congredientibus hinc noſtris, hinc adverſariis, multi interficerentur; monachi ipſi & ſacerdotes diſcuterentur, & ſpoliarentur. Nullus fratrum prorſus indemnis evaſit. Horreo referens; unus letali telo per latera adacto continuo oppetiit: alius ita nudus ab eis relictus eſt ſicut eum natura ab utero matris in lucem produxit. Sed quid queror de ceteris? Ipſi Abbati cum reliqua veſte & caligas detraxiſſent, niſi a quodam ſibi noto vix excuſſus, per horrentis noctis tenebras nudus & ſolivagus diffugiſſet. Et ut cœpta proſequar, nulla in direptione prædicta vel femineo ſexui penitus reverentia, quin & ipſæ mulieres nudæ dimitterentur; nulla omnino lactentibus miſericordia exhibita eſt: ſed & matres veſtibus exutæ, & filii ab uberibus matrum diſtracti, contra naturæ jura cum maxima parte burgenſium in captivitatem traducti ſunt.

Digitized by Google

AN.CHR. 962 23 Maji. 3. Itaque hoſtes ſpoliis noſtris ditati, & ad propria cum triumpho & tripudio reverſi, læti pro victoria, ſuper miſeriis noſtris plaudunt hodie, dicentes, quod vix in qualibet ampla civitate tantas ſe ſperarent inventuros divitias, quantæ apud nos inventæ ſunt. In hac quoque deſtructione pejus mihi aliquid contigit, quam in conflagratione: quoniam & capella, id eſt apparatus Miſſæ, quem honeſtiſſimum habebam; & reliquiæ, quas ſuper aurum & topazion diligebam, ſed & deſiderabile oculorum meorum, id eſt beati Martini vita, in cujus rythmica deſcriptione aliquantulum deſudaveram, & quidquid librorum ab ineunte ætate confeceram, veſtes quoque meæ omnes præter eas, quibus indutus eram; & ut brevi multa colligam, cum propter infirmitatem alias quietis gratia evectus eſſem, omnia mea ab hoſtibus ſublata ſunt. Nunc cum ceteris tantæ miſeriæ ſociis ſub dio in parietinis inſtar nycticoracis ſine tecto gemens ſedeo & fleo, quoniam verſus eſt in luctum chorus noſter. In majori eccleſia, ut pote homicidiis profanata, nec legitur, nec cantatur, ſed in crypta quadam utcumque divinum explemus officium.

4. Gravabat me quoque vehementius, quia & plurimos mecum inclementiæ cæli & inæqualitas aeris, nunc æſtu, nunc frigore, nunc imbribus ſævis & crebris, tam die quam nocte, diverſis modis nos affligebant, cum nulla domorum, quibus ab his protegeremur, igne cremata tecta ſupereſſent. Angeb r nihilominus maxime, quod majus altare Apoſtolorum Petri & Pauli ſollemnitate Miſſarum carebat a die incenſionis templi uſque ad introitum meum in Abbatiam, nemine ſuper illud audente divina celebrare, eo quod camera teſtudinis ſupervolutæ, ligatura cæmenti propter imbrium infuſionem penitus deſtituta, ruinam ſuam & mortem ſubtus incedentium minari videretur. Hinc etiam non minimum affligor, quod deambulatoria totius clauſtri pæne omnia, nullum niſi ſolius cæli tectum habentia, toto brumali tempore limo & cœno plena, poſſeſſoribus ſuis intrandi, ſedendi, vel quieſcendi oportunitatem nullam præbent. Denique ſæculares quidam filii *Belial*, armis injuſtitiæ utentes, & nos perſequentes, noſtra quoque invadentes, & ſibi uſurpare conantes, eccleſiam impugnabant. Pro cujus bonis tuendis, ut nobis ſemper moris eſt, ſupremo fulti præſidio, non viribus, ſed precibus; non jurgiis, ſed ſanis nos armantes conſiliis, æque illis reſiſtimus.

Auctoris ætas & dignitas.

5. Sed quid de externorum vel inferiorum perſecutorum inquietatione conqueror? cum nos ſummæ poteſtates & Principes noſtri, hi ſcilicet, qui nos ab illorum infeſtatione ubique & indeſinenter tueri ex debito tenebantur [a], ALBERTUM de *Aicb* dico Epiſcopum noſtrum, & MATHILDEM Duciſſam Lovanienſem, dum viro ſuo Jeroſolymis peregrinante, ſola dominaretur in terra. Epiſcopus terram qnamdam diu ab eccleſia poſſeſſam, uterque autem duarum perſonatus eccleſiarum, quæ noſtræ ſunt, ab alio ALBERTO fratre Ducis, ad reſtructionem clauſtri noſtri, pro guerra patris ejus combuſti, nobis dudum collatos, auferre ſumma vi tentantes, tantis nos damnis & cladibus affecerunt, ut cum ipſi magnis æque cladibus ante mortem confecti, jam exſpiraverint, damna ipſa, quæ nobis intulerunt longo nos fatigantes incommodo, per ſingulos annos adhuc reſpirent.

Ex continuatore Sigeberti.

6. Diſcordiæ malum quam pernicioſum ſit, plus jam noſtris tribulationibus diſcimus, quam codicibus legimus. Cum enim monachi cum oppidanis, oppidani cum monachis non concordarent in ſubſtituendi Abbatis electione, ad hoc uſque proceſſit malum diſcordiæ, ut Godefridus Dux Lovanienſis & Comes Namucenſis rupto pacis fœdere, hoſtiliter inter ſe concerta

[a] Ad Gemblacenſis cœnobii defenſionem tenebantur Epiſcopus quidem Leodicenſis, propterea quod ad ejus diœceſim locus ille pertineret; Dux vero Lovanienſis ob Advocati dignitatem, quæ ab Ottone Magno ipſi conceſſa eſt, ut ſuperius notavimus.

Digitized by Google

certarent multo tempore. Erat autem cernere miſeriam & omnium rerum deprædationem violentiſſimam: homicidia ſæpiſſime fieri, villas cum habitatoribus concremari, in tantum ut Gemblacenſi oppido cum parochiana eccleſia combuſto, cum maximo habitantium periculo Dei clementia majus monaſterium, quod eſt contiguum, indigne graſſante incendio jam ſuccenſum, miro reſtinxerit modo. Vicini enim fluminis in ſtagnum collectus alveus, rivo ſuo omni ex parte ſubito eſt evacuatus, ita ut arenæ ejus cernerentur a circumcurſantibus, & his qui reſiſtebant hoſtibus, ejuſque aqua ſuperfuſa monaſterio, in modum pluviæ incendium omne reſtinxit Dei virtute. Ne cui autem videatur hoc incredibile, multæ hoc hodieque atteſtantur non ſolum laicales, ſed & eccleſiaſticæ perſonæ. AN.CHR. 962 23 Maji.

DE VENERABILI REGINBERTO

MONACHO ET FUNDATORE COENOBII

S. Blaſii in Hercinia Silva.

AN.CHR. 962 29. Dec.

1. *Monaſterium ſancti Blaſii in Hercinia Silva, diœceſis Baſileenſis, horrido loco ſitum ad amnem Albam, unde* Cellæ-albæ *nomen habuit aliquando; locuples, & novis poſt incendium ædificiis recens inſtauratum, auctorem agnoſcit* Reginbertum: *ſed quis ſit iſte Reginbertus, necdum ſatis compertum habemus. De eo hæc tantum occurrunt in Chronico Magdeburgenſi mſ. ad annum* 962. Reginbertus Dei ſervus obiit. Iſte conſtruxit Abbatiam ſancti Blaſii in Suevia. *Prima hæc verba leguntur apud continuatorem Reginonis, quibus adduntur nonnulla, quaſi ad Reginbertum referenda, quæ de Adalberto Rugorum apoſtolo intelligenda ſunt. In Baſilea ſacra ſeu Baſileenſium Epiſcoporum ſerie, alia de Reginberto memorantur, quæ vellem certis monumentis approbata. Qualiacumque ſunt, bona fide huc adduco.* Reginbertus non ſatis notus.

„ 2. *Ut his tenebris ſua non deeſſent ſidera, felicius auſpicium cœpit monaſterium ſancti Blaſii per eremitas nonnullos, qui communicato inter ſe auſterioris vitæ propoſito, ab hominum conſortio ſemoti, procul in unam ædiculam concederent: ubi animus curis liber, præter Deum cælumque, nihil ſpiraret aliud, labore manuum vitæ mortali frugalem victum per intervalla ſuppetente. Animadverterunt deinde, tutiori via incedere illos qui tritiori. Quare ſancti* BENEDICTI *florens inſtitutum amplectuntur. In horum ſocietatem ſe jungere placuit Reginberto Baroni a* Seldenburen *anno* 969. (*legendum* 59.) *Erat ille Ottoni Imperatori ab arcanis conſiliis, & inter belli pericula fortis. Argumento ſit, quod dum manus ſtrenue cum hoſte confereret, in ardore pugnæ gregariis ipſe permiſtus, manuum altera truncatus ſit. Unde ſanctius brevi conſilium arripuit, quo, repudiata militari & aulica vita, immortalem obtineret facilius, ſe ſuaſque facultates cœnobio penitus addicens. Quare ſancti Blaſii fundator nominatur in litteris ab Ottone Imperatore Veronæ datis anno* 963. *Verba Imperatoris ſic habent.* Notum eſſe volumus, qualiter nos Cellam in ſilva Schvvartzenvvald a B. Reginberto noviter exſtructam Deo & ſancto Blaſio *&c. Extremum oppetiit diem Reginbertus* 29. *Decembris anno* 964. *& ab ipſo ſeriem Abbatum ſancti Blaſii recenſet* Urſtitius *lib.* 1. *cap.* 21. *Hæc ex Baſilea ſacra: at certiorem puto calculum Chronici Magdeburgenſis, in quo Reginberti obitus anno* 962. *collocatur. Si tamen certa eſſet nota chronica diplomatis Ottonis mox laudati, in annum* 964. *eſſet differendus.* Eremitis ſe adjungit. Ottonis familiaris, mancus. S. Blaſii fundator.

3. *Reginberti genus idem adſtruit Henricus Murerus apud Bollandi continuatores in tomo* 1. *Maji pag.* 309. *Ante centenos aliquot annos inquit, in agri* Genus ejus.

AN.CHR. 962 29. Dec. „ *Turicini diſtrictu, vetus ac nobilis familia habitavit, ex Albro monte deducta,* „ *non procul a Birmenſtorfio oppido & fluvio Repſca, in quodam caſtro* Sellenburen „ *aut* Seldenburen *nuncupato, unde & titulum ferebant ejus familiæ Principes.* „ *Horum unus, nomine Reginbertus, anno* 945. *fundavit monaſterium ſan-* „ *cti Blaſii in Silva nigra, obiitque anno* 964. *Alius Henricus Murenſis cœnobii* „ *in Argovia fundationem juvit anno* 1030. *Ita ille.*

4. *Vehemens mihi ſuſpicio injicitur, Reginbertum hunc non alium eſſe a Ramberto monacho, cujus memoriam lego in vetuſtis Einſidlenſis cœnobii monumentis. In brevibus enim Annalibus ad cyclos paſchales ita ſcriptum invenimus ad annum* 959. Rambertus monachus efficitur. *Et in pervetuſto Kalendario,* 3. Kal. April. Rambertus Presbyter effectus eſt. *Certe loci & temporis accidentia optime conveniunt. De alio Reginberto Priore Celſinianenſi inferius agetur in Elogio Aymardi Abbatis.*

5. *Sæculo undecimo*, Fratres de Cella ſancti Blaſii, quæ antea vocabatur Alba, de fluvio qui præterfuit, mutarunt ſuam priorem conſuetudinem, *ut legitur in Actis Murenſis monaſterii, ideſt ſeveriorem diſciplinam amplexi ſunt.* pag. 14. *Audiens hæc Vvernharius Comes, qui Murenſis cœnobii providentiam babebat*, pergens ad ſupra dictam Cellam-albam, obtinuit ab Abbate illo, qui vocabatur Giſelbertus, ut mitteret huc Fratres ſuos, quorum iſta ſunt nomina, Ruprecht, qui poſtea factus eſt hic Abbas, Oprecht, Heinrad, Rifrid. Tamen antequam huc venirent ipſi fratres, rogatu prædicti Comitis venerunt huc duo Abbates, id eſt Willeberd Hirſaugiæ Abbas, & Sigfridus de Schafhuſen, & inſpexerunt locum, placuitque eis ſatis bene locus iſte. *Cum tandem Muram acceſſiſſet nova colonia in vigilia ſancti Martini, Comes loci libertatem aſſeruit, juſſit* libros & omnem ſupellectilem monaſterii ſuper tapete ponere ante altare: interrogavitque fratres, qui ſub anteriori conſuetudine hic fuerant, ſi vellent obedire fratribus, quos ipſe huc adduxit. Quorum cum quidam reſiſterent & contradicerent, dixit eis, ut aut obedirent eis, aut hinc diſcederent, & ſinerent iſtos quiete vivere. Et ſic commendatis omnibus rebus monaſterii infra & extra fratribus, qui huc de Cella alba venerant, ab altari diſceſſum eſt. Hæc autem omnia facta ſunt anno 1082. dominicæ Incarnationis, Indict. 5. *Poſtea quibuſdam fratribus inde egreſſis, electus eſt Rupertus Prior, qui* cum voluiſſet benedici ad Abbatem, reſtitit ei Abbas Giſelbertus, dicens, quod ſub ſua (poteſtate) cum voluit eſſe locum, fecit hic quidquid voluit, aut huc mittendo fratres ſuos, aut hinc alios tollendo. Eo etiam tempore miſit huc ſuos exteriores fratres cum ſororibus: de qua conſuetudine etiam adhuc adſunt. (Fratres & ſorores exteriores.) Rupertus vero monachus cum triennium hic feciſſet in Prioris nomine, juſſu ejuſdem ſui Abbatis Giſelberti diſceſſit hinc, & rediit ſuum clauſtrum. *Demum Comitis obtentu datus eſt Murenſibus Abbas* Liutfridus e Cella ſancti Blaſii, *qui* fuit Abbas ſecundus iſtius loci, vir valde religioſus, ac monaſticæ vitæ inſtitutor probatiſſimus. (Origo eorum. pag. 37.) *Memoratu dignum eſt id, quod in conſequentibus legitur de fratribus exterioribus, quos modo Converſos appellamus, nimirum* talem vitam laicorum primum in Cella ſancti Blaſii oriri cœpiſſe. Quæ conſuetudo, *inquit ſæculi duodecimi auctor*, quia jam ubique ad regularia clauſtra eſt, ideo oportet & hic eam eſſe, ita tamen, ut ipſi ſub conſtitutione & obedientia Patris ſpiritualis ſint, ac ſine invidia, ſine dolo, & ſine aliqua controverſia vivant in Cella cum monachis.

BEA-

Digitized by Google

BEATI AYMARDI ABBATIS
CLUNIACENSIS TERTII
ELOGIUM HISTORICUM.

CIRCA AN. 965 5. Octob.

1. A*ymardi res geſtas nullus veterum in commentarios retulit, ſed pauca dumtaxat aliud agendo nobis reliquerunt Odilo in actis S. Majoli, & Petrus Damiani in Opuſculo* 33. *quibus accedunt nonnulli auctores, qui paucis verbis Aymardum laudarunt. Tria vero de illo prædicat Odilo, nempe eum fuiſſe* beatæ ſimplicitatis & innocentiæ filium; *tum* in augmentatione prædiorum & adquiſitione temporalis commodi ſtudioſum, & in obſervatione ſatis devotum: *ad hæc patientiſſimum* in amiſſione temporalis luminis, *ut ob meritum ejus patientiæ Deus beatum Majolum ad monaſticum ordinem adduxerit, quod quartum eſt ejus elogii caput. Hæc paucis explicanda, quando plura nos deficiunt.* Quatuor de Aymardo notanda.

2. *Quo genere, quove ex loco ortus ſit* Aymardus, Eymardus, *ſeu* Heymardus, *aut quando Cluniacum acceſſerit, plane incompertum.* Engoliſmenſis Comitis filium *fuiſſe ex Richardi Chronico tradit Petrus de Rivo. Sed uterque deceptus eſt nominis ſimilitudine, Ademarum, Emmenonis Ecoliſmenſis Comitis filium, cum Aymardo noſtro perperam confundens: quem Ademarum Comitem Pictavenſem fuiſſe, numquam Monachum fuiſſe conſtat. Aymardus vero noſter* humilis quidem genere, ſed celſus humilitatis culmine *dicitur in Chronologia Abbatum Cluniacenſium, quæ tempore Odilonis Abbatis ſcripta eſt, & primorum Abbatum Chartario inſerta. Vana eſt cenſura hujus loci ad marginem in Bibliotheca Cluniacenſi, ubi* ex Comitum Engoliſmenſium proſapia *dicitur. Genus ejus nequaquam indicant alii auctores. Hugo Abbas Flaviniacenſis:* Succeſſit ei Heimardus vir venerandus. *Chronographus Malleacenſis*: Succedit Aimarus humilis Abbas: *& Glaber Rodulfus*: Poſt Odonis obitum ſucceſſit Heymardus, vir ſimplex, in ipſius locum, qui licet non adeo famoſiſſimus, regularis tamen obſervantiæ non impar cuſtos. *Paullo honorificentius Odilo in ſancti Majoli vita.* Huic *Odoni* ſucceſſit felicis memoriæ Heymardus, beatæ ſimplicitatis & innocentiæ filius. *Hi omnes, aliique ex eis ſubſequentes auctores, Aymardum nonniſi mortuo Odoni ſuffectum fuiſſe innuunt. Verum ante poſtremam Odonis Romanam peregrinationem Abbatem fuiſſe renuntiatum non unæ litteræ probant, conditæ ab anno quinto Ludovici Tranſmarini, qui anno Chriſti* 941. *reſpondet. Nam ipſo anno data eſt charta de villa Noglis pagi Matiſconenſis in gratiam Aymardi Abbatis: eodemque anno Ingelbertus, frater Sobbonis Archiepiſcopi Viennenſis,* Hemardo Abbati *res multas tradit,* pro anima genitorum ſuorum Berlionis & Ermengardis, & filii ſui Tetbaldi, Emmelt, & Novianæ: *quæ res ſitæ erant in pago Viennenſi, in villis Flaviaco,* Crapon, *Monte-martio, Monte communiaco, Taderniaco, Morcio, & Nicavariaco. Hæc donatio facta eſt* anno 4. Conradi Burgundiæ Regis, *id eſt anno Chriſti* 941. *Eodem anno Conradus ipſe confirmavit donationem eccleſiæ ſancti Martini in villa Landadis ejuſdem pagi,* Eymardo Abbati *factam per Ratburnum Vicecomitem & Vvaldam ejus uxorem.* Aymardus Abbas. f Biblioth. Clun. col. 1618.

3. *Anno ſequente, menſe Septembri, quatuor manſi in villa Roliaco, in Comitatu Matiſconenſi, dantur eccleſiæ ſancti Petri & ſancti Pauli, & ceterorum Sanctorum, quorum corpora* & reliquias Cluniacenſis continet locus, ubi Eymardus Abbas eſt, temporibus Ludovici Franciam & Aquitaniam regentis, annô regni ejus ſexto, menſe Septembri. *Eodem anno* prid. Id. Octob. *conceditur eidem Abbati curtillus & vinea in villa Segia. Ex quibus aliiſque inſtru-*

AN.CHR. 965 5. Octob.

ſtrumentis intelligitur, Aymardum ante obitum Odonis Cluniaco prælatum fuiſſe, ut Odo ipſe vivente Bernone præpoſitus fuerat, & Majolus poſtea ſuperſtite Aymardo, itidemque Odilo ſuperſtite Majolo Abbates facti ſunt. Immo vero jam inde ab anno 936. abſente ob Romanum iter Odone, ejus vices egit Aymardus, ut colligo ex charta 21. Heymardo Abbati data anno primo Ludovici Regis, die Dominico 3. Idus Martii, *qua charta eccleſia ſancti Andreæ, ſancti Joannis, & ſancti Marcelli* in villa Acquiranda *Comitatus Matiſconenſis donatur. Item anno tertio Ludovici Regis, quo tempore Odo Romæ occupatus erat, Aymardo Abbati & monachis Cluniacenſibus dantur quædam res ſitæ* apud Exartum in plano Boranti, & apud Alivertum a Beraldo Abbate. *Itaque per illa temporis intervalla, quibus Odo Cluniaco aberat, Aymardus Abbatis nomine Cluniacenſem familiam regebat.*

quo modo electus.

4. *Quo ritu facta ſit ejus electio, ſive ante, ſive poſt Odonis obitum, tradit Chronologia vetus Abbatum Cluniacenſium, totidemque verbis Petrus de Rivo in Chronico.* Fratribus ſuper electione Abbatis agentibus concilium, idem ſanctiſſimus Eymardus a Caviniis * ſua obedientia rediens, equum, ſuper quem ſedere conſueverat, ante ſe ipſe pedes piſcibus onuſtum ducens, concilio eorum admiſcetur, omnibus humilitatem ejus admirantibus. Itaque ejus humilitate obnitente *, Abbas eligitur, & ab Æduenſi Epiſcopo, nomine Rotmundo, regnante Ludovico conſecratur. *Caviniæ Decanatus eſt etiam nunc Cluniaco ſubjectus, unius leucæ intervallo a Matiſcone, tribus a Cluniaco diſtans: quo in loco ante duos annos hoſpitati ſumus Cluniaco digreſſi. Extat in archivo Cluniacenſi Rodulfi Regis diploma autographum de* villa Cabinienſi, actum Anſa-villa 11. Kal. Julii, Indict. 3. anno 9. regnante Rodulfo Rege glorioſiſſimo: *quod* Rotmundus ad vicem Anſuſi Epiſcopi recognovit. *Integrum eſt Rodulfi ſigillum, Regis faciem exhibens converſam ad ſiniſtram intuentis; item monogramma Regis, in cujus medio Υ græcum appoſitum eſt.*

* Chevine

* al. obtinente.

Facultates auget.

5. *Sub Aymardo rem familiarem admodum creviſſe demonſtrant varia traditionum monumenta, quæ in ejus gratiam facta leguntur in archivo Cluniacenſi, numero 278. Ex his nonnulla delibare juverit, ut ejus regiminis annos certius inveſtigemus. Hugo Comes Eymardo Abbati tradit eccleſiam ſancti Martini in villa Romanis pagi Lugdudenſis*, aſſentiente Rege Conrado, anno regni ejus ſexto, 4. Kal. Decemb. *qui annus in Chriſti annum 943. incidit. Subſcribit cum Hugone Comite Lotaldus Comes. Is eſt Hugo Baugiaci & Sebuſianorum Regulus, cujus hortatu idem Conradus Burgundiæ Rex eodem anno Cluniacenſibus diploma concedit de villa Boliniaco, vulgo*, Bouligneux, *apud Sebuſianos, quo in diplomate Conradus Hugonem Comitem & conſanguineum vocat. Editum eſt diploma in Bibliotheca Sebuſiana pag. 269. ſub his chronicis notis.* Data 9. Kal. Maji anno ab Inc. Domini noſtri Jeſu-Chriſti 943 anno 6. regnante domino Chrunrado Rege filio Rodulfi. *Idem Conradus in alia charta teſtatur, quod item Hugo Comes conſanguineus ſuus rogaverit magnitudinem ſuam, ut* pro remedio animæ ſenioris (*inquit*) noſtri Rodulfi Regis bonæ memoriæ *villam Tuſciacum in pago Lugdunenſi Cluniacenſibus largiretur. Subſcribit* Einricus ad vicem Aymonis Epiſcopi. Datum 9. Kal. Maji, anno Inc. 943. anno ſexto regni Conradi. *Ipſomet Conradi anno, 5. Kal. Julii editum eſt Placitum ab eodem Rege pro Cluniacenſibus contra Carolum conſanguineum ejus, cognomento Conſtantinum, Ludovici Orbi filium, de quibuſdam rebus, quas Ingelbertus jam laudatus conceſſerat. Placito ſubſcribunt apud Guichenonem in Bibliotheca Sebuſiana pag.* 240. Aymo Epiſcopus *Valentinus*, Wido Archiepiſcopus *Lugdunenſis*, Sobo Archiepiſcopus *Viennenſis*, Bero Epiſcopus, Hugo Comes, Odolricus Comes palatii, *aliique. Iidem fere, eodem anno ſubſcribunt litteris Lamberti Comitis, qui una cum Falectrude uxore ſua, ex rebus proprietatis ſuæ, in loco de Ferlinis pagi Valentinenſis*, ut eccleſia S. Marcelli ibi reædificaretur, *donat Oddoni & Duranno Monachis, aliiſque*, qui ad illum locum venerint, *pro filiis ſuis Ademaro & Lamberto. Subſcribunt* Vvido, Sobbo,

Digitized by Google

bo, & Odolbertus *Epiſcopi*, Hugo Comes & Marchio, Odolricus Comes palatii, Eynricus filius Ludovici, Anſelmus Comes, Odolricus, Anſelmi frater, Oddo Comes, Leutholdus Comes, anno 6. Conradi Regis: *qui & ipſe rem Præcepto firmavit Aquis* anno 46. *regni ſui. Item anno 7. Ludovici Regis, Aymardus in mallo publico*, ubi reſidebat Maimbodus Epiſcopus *Matiſconenſis*, & Majolus Vicecomes *cum aliis, interpellavit Rainaldum de quibuſdam rebus in villa Suntiaco*. CIRCA AN. 965 5. Octob.

6. *Anno* 8. *Ludovici ejuſdem has ferme donationes lego. Maimbodus Epiſcopus cauſa permutationis Aymardo Abbati tradit* duos curtillos in villa Rofiaco *prope Cluniacum*, ubi Otardus pater & Maimbodus *avus ipſius pridem habitaverant*. Actum anno 8. Ludovici Regis. *Eodem anno apud Veſontionem* coram reliquiis ſancti Joannis Baptiſtæ, *quidam laici Cluniaco largiuntur eccleſiam S. Martini in villa Flagiaco Comitatus Cabilonenſis*. Anno 8. regni Conradi *Sicherus quidam ob interfectum Monaſterii ſervum, ſe ipſe in ſervum tradit ſub hac formula.* Ego Sicherus memetipſum & caput meum trado eccleſiæ Cluniacenſi, cujus ſervum unum interfeci: ut dehinc quæcumque conquiſiero, ad ipſam caſam permaneant, & ſine licentia Abbatis non habeam poteſtatem faciendi, neque eundi abſque illius vel Monachorum conſilio; & ipſi dehinc habeant de me poteſtatem in omnibus facere quæcumque voluerint: *quæ ſervi facti formula obſervatione digna eſt.*

7. *Anno* 11. *regni ſui Ludovicus Rex tria Præcepta in gratiam Cluniacenſium dedit, edita in Bibliotheca Cluniacenſi: unum de eccleſia ſancti Joannis in ſuburbio Matiſconenſi: alterum de Tuſiaco villa pagi Lugdunenſis ſuper Ararim: tertium de Caroliloco monaſterio, cella Regniaco, & eccleſia S. Martini, ſitis in pago Matiſconenſi. Hæc anno* 946. *contigere. Paullo poſt Sobo quidam, qui Carolilocenſem Abbatiam invaſerat, facti pænitens eam Aymardo Abbati reſtituit, præfatus, iſtum locum fuiſſe* ex hereditate Rodberti quondam Valentiæ Epiſcopi, qui conſtruxerat inibi Monaſterium, idque in honore beatorum Martyrum Stephani, Felicis, Fortunati, & Achillei ſollemniter dedicare curaverat, *atque* Romanæ eccleſiæ tradiderat: *quod poſtmodum* Domnus Oddo, cujus memoria cum laudibus agitur, Hugone Rege ordinante, *a Leone Papa* 7. *obtinuerat, Ludovico Rege confirmante, cujus tempore Sobo hanc Abbatiam Aymardo reſtituit*.

8. *Anno* 948. *Manaſſes Arelatenſis Archiepiſcopus Juliacum cum appendiciis*, quæ adjacent Comitatui Cabilonenſi, *& nonnullas eccleſias, quæ omnia* Vvarnerius pater *ſuus* jure dominationis poſſederat, *tradit pro animabus patris ſui &* Teutbergæ matris *ſuæ, & pro animabus fratrum ſuorum* Hugonis, Richardi & Boſonis, anno 13. Ludovici Regis. *Subſcribunt inter alios* Ayrardus Vendaſcenſis * Epiſcopus, & Berta Comitiſſa. *Eodem anno Hildegardis nobilis femina monaſterium Celſinianenſe *, quod Acfridus Comes conſtruxerat, cum conſenſu Domni Stephani Claromontenſis Epiſcopi, dotat ex rebus ſuis propriis, quæ* ex parte ſenioris ſui Domni Rotberti *ipſi provenerant. Ea vero tradit ei loco, ubi* Domnus Heymardus humillimus Abba præeſſe videtur, anno 13. regnante Ludovico Rege Francorum & Aquitanorum. *Tunc Leotaldus Comes dedit eccleſiam S. Sulpicii in villa Laſiaco pagi Matiſconenſis; facitque nonnullas cum Aymardo permutationes, conſentiente Richilde uxore & Alberico filio ipſius*.

*de Vence. *de Soucillanges.

9. *Anno ſequente Brocardum Lugdunenſem Archiepiſcopum* adierunt duo Fratres Clunienſes, *ſcilicet* Nonnus Froterius & frater Jacob, *miſſi ab Aymardo Abbate, poſtulantes* remitti ſervitium de duabus eccleſiis, *quas in Rodanenſi * pago habebant, nempe de eccleſia S. Martini & de eccleſia S. Abundii in villa Amberta. Idque conceſſum* menſe Februario, *regnante Conrado Rege Jurenſe. Ad hæc per Iſnardum quemdam confirmatur donatio cujuſdem alodi, facta per Ingelbertum in villa Colonia (Colongias alii vocant) Comitatus Auguſtodunenſis*. Actum Cabiloni in conſpectu Ugoni Marchionis, Gisleberti Comitis, Rotberti Vicecomitis, anno 947. (*legendum* 49.) Indict. 7. die Martis 15. Kal. Maji, litigante Rege

*de Roanne

Digitized by Google

CIRCA AN. 965 5. Octob. Rege Hludovico cum Ugone nobiliſſimo Marchione. *Eadem epocha* Ludovici litigantis cum Hugone Marchione (*de qua conſulendum Frodoardi Chronicon*) *legitur in charta Leotardi Levitæ*, anno 949. Indict. 7. die Dominica 3. Id. Martii.

10. *Anno* 950. *Ludovicus Rex Aymardo Abbati confirmat donationes, ab Acfredo Comite factas in pago Arvernenſi*, anno 15. regni *ſui*, 3. Non. Feb. Indic. 6. (*lege* 8.) *Eodem etiam anno Mainbodus Matiſconenſis Epiſcopus, rogante Heymardo Abbate, eccleſiam in honore S. Taurini, in villa Cavannis conſtructam, quam Cluniacenſes tempore Rodulfi Regis obtinuerunt, dedicat*, eo quod non eſt congruum, *inquit*, ut tam glorioſus Confeſſor; & ſyncellitæ inibi commorantes, diu ſine benedictione epiſcopali perſiſterent. *Heymardus Abbas & quidam ex Monachis ſuis terras in dotem eccleſiæ conferunt. Non multo poſt, id eſt* 3. Id. Octob. *ejuſdem anni*, ante præſentiam Leo aldi Comitis, Maimboldi Epiſcopi & fidelium ſuorum, venerunt actores S. Petri Clunienſis, Hildebrandus, Leutbaldus, *& alii, & proclamaverunt adverſus Hugonem quemdam pro rebus ſuis in villis Iggiaci & Domanici, quas res Willelmus Comes & Ava Comitiſſa ejus ſoror eis tradiderant.*

11. *Anno* 16. *Ludovici Regis Licerius Sacerdos Aymardo Abbati ejuſque Monachis concedit villam Albernam in pago Uzetico* *, pro anima Domni Amalrici Comitis & Domnæ Ermengardæ Comitiſſæ, & ſenioris *ſui* Bermundi Comitis. *Subſcribit cum aliis* Truct aldus Vicecomes. *Anno* 17. *ejuſdem Ludovici Stephanus Arvernorum Epiſcopus dedit* ſacro cœnobio Celſinanicas, quod Domnus Eymardus Abbas regebat, eccleſiam de Bulnaco & de Furnols, menſe Decembri.

* d'Yzes

12. *Anno* 952. *Stephanus prænobilis & uxor ejus Ermengardis Cellam Oydellis, in Auguſtodunenſi pago ſitam, Cluniaco aſſignarunt, confectis hac de re litteris, quæ ſic habent.*

DUM in hujus ſæculi laborioſa peregrinatione (vivimus), interim dum licet, dumque tempus acceptabile atque dies ſalutis inſtare videntur, ſummopere providendum eſt, ut ſi qua agere bona valemus, omni dilatione poſtpoſita operari non pigritemus... Igitur ego Stephanns indignus peccator, & uxor mea nomine Ermengardis, peccatorum noſtrorum enormitatem conſiderantes ... donamus aliquid ex rebus proprietatis noſtræ Deo, & ſanctis Apoſtolis ejus Petro & Paulo ad locum Cluniacum, quo domnus Eymardus humilis abbas præeſſe videtur. Eſt etenim ipſe locus in pago Matiſcenſi ſitus, & in veneratione beatæ Dei genitricis Mariæ ſemper Virginis, & eorumdem apoſtolorum conſecratus. Sunt autem ipſæ res ſitæ in Comitatu Arvernico, in epiſcopatu Auguſtidunenſe, hoc eſt curtis indominicata, quæ vocatur Oydellis, cum capella quæ eſt conſtructa in honore beatæ Dei genitricis Mariæ, ubi beatus Leotadus in corpore quieſcit. Donationem vero iſtam in eo tenore facimus, dummodo vivimus, ego Stephanus & uxor mea Ermengarda teneamus & poſſideamus, & Rectores loci ſupranominati teneant ipſam capellam in veſtitura, cum omnibus quæ ad ipſam capellam pertinere videntur. Poſt noſtrum quoque utrorumque diſceſſum, quantum ad ipſam curtem vel ad ipſam capellam, quæ inibi eſt ædificata, aſpicit vel aſpicere videtur, totum ad integrum Domino Deo, ut ſæpe jam diximus, donamus, donatumque in perpetuum eſſe volumus pro remedio animarum noſtrarum, necnon & pro remedio animarum parentum noſtrorum, inſuper & pro ſalute vivorum, & requie defunctorum, cum ſervis & franchiſiis, campis, pratis, vineis, ſilvis, aquis, aquarumque decurſibus, molendinis, domibus, ædificiis, cum omni ſuprapoſito mobili, & immobili, exitibus & regreſſibus, cultis & incultis, quæſita etiam & inquirenda ad ipſam hereditatem aſpicientia vel pertinentia, ſicut a nobis præſenti tempore regitur & poſſidetur: quatenus ſemper Rectores jamdicti Monaſterii & inibi Deo famulantes abſque alicujus interpellatioue in perpetuum firmiter

miter

Digitized by Google

miter ſolideque teneant & poſſideant. Si quis vero (quod futurum eſſe non credimus) ſi nos ipſi (quod abſit) aut aliquis qualibet conſanguinitate nobis conjunctus, filius vel filia, nepos, ſeu etiam ulla intromiſſa perſona, iſtius donationis ſpontanee a nobis factæ contra jus divinum invaſor aut contradictor exſtiterit, & res Deo dicatas, ſanctiſque delegatas in ſuos uſus transferre conatus fuerit; primitus iram Dei omnipotentis incurrat, cujus res temerario præſumpſerit auſu; vinculo etiam terribilis anathematis innodetur, & niſi reſipuerit, omni maledictioni ſubjaceat, donatio vero firma permaneat. S. Stephani & uxoris ejus Ermengardæ, Heldini, Rainaldi, Roberti, Caronni, Varmeri. Actum apud Oydellis publice. Boſo ſcripſit & datavit menſe Junio, anno Incarnationis dominicæ 952. Indictione 3. regni autem Hlotharii Regis anno 1. qui de eadem donatione præceptum juſſit fieri, & ſigillo ſuo inſigniri. Hæc charta jubente domno Stephano lecta eſt in curte Eniziaco ante Domnum VVillemum Comitem, in præſentia domni Stephani Arvernorum Epiſcopi, die illo quando ſeniores Arvernici cum Comite ſupra nominato convenerunt, eique ſe commendaverunt; & ſervos & ancillas qui denominati non erant, nominatim ſcribere fecit. Hæc ſunt nomina eorum Bladaldus, qui eſt Vicarius de ipſa poteſtate, cum uxore ſua nomine Ermentrude, & filiis & filiabus eorum, & alium nomine Godinum, cum uxore ſua & filiis & filiabus eorum, necnon & alios omnes ſervos, qui ad eamdem poteſtatem pertinere videntur. Charta autem iſta in eodem placito firmata & corroborata eſt precante ipſo domno Stephano, qui fieri rogavit. Signum domni Stephani Arvernorum Epiſcopi. VVillelmi Comitis, Rotberti Vicecomitis, Rotberti Abbatis, Girberni, Teutardi, Stephani, Dalmacii Vicecomitis, Heldini, VVillelmi, Deodati.

CIRCA AN. 965. 5. Octob.

NOTA.

13. *Anno proximo 953. Aymo Borbonenſis dominus, iiſdem, quæ ſupra, verbis præfatus, conſentiente uxore ſua Aldeſinde, Cluniaco multa reſtituit in pago Arvernico, in Vicaria Domobrenſe in villa Salviniaco, & in aliis villis, nempe Monte-parlo, Bainaco, Moncello, Villena, veteri Salviniaco, Fontanella, Genevrariis: quæ quidem* pater *ejus* Aymardus *Cluniaco dederat, ipſe vero* malo ordine retinuerat. Datum anno 18. regnante Ludovico Rege. *Litteras firmant cum Aymone & ejus uxore* Geraldus & Archembaldus filii *eorum, præter alios. Omnes chartæ ſub Aymardo, numero 278. exſtant in Chartario Cluniacenſi.*

14. *In has minutias non deſcenderem, ſi adeſſet aliarum rerum copia, quibus Aymardi elogium texeremus. Sed ne longius abeamus, paucis rem expedire juvat ab anno primo Lotharii Regis, qui anno 954. regnare cœpit, ad annum regni ejus ſextum, ultra quem nulla de Aymardo acta invenimus. Ex variis chartis, quæ in gratiam Cluniacenſium tunc datæ ſunt, una ſcripta eſt* feria 5. hebdomadæ tertiæ Aprilis, anno ſecundo incipiente, ex quo regnare cœpit Lotharius. *Unde intelligitur, Lotharium regnum iniiſſe a Martio exeunte, aut incipiente Aprile, nempe cum vivente patre renuntiatus eſt Rex: quandoquidem ei mortuo ſucceſſit menſe Septembri anni 954. ut in lib. 3. de re Diplomatica cap. 26. oſtendimus. Niſi dixeris, vocem* incipiente *largiori modo hic ſumptam eſſe: quod aliis æſtimandum permitto. Sub hæc initia Leotaldus Matiſconenſis Comes pro ſalute animæ ſuæ & filii ſui Alberici, necnon Etolanæ matris ſuæ, tradit Cluniacenſi cœnobio, cui Aymardus tum præerat,* manſum in agro Fuſciacenſi juxta fluvium Sagonnæ, regnante Lothario Francorum Rege*: quæ charta in Bibliotheca Sebuſiana edita eſt. Anno ſecundo Lotharii Regis* Eldebrandus & Majolus Clunienſes monachi *mittuntur ab Heymardo Abbate ad Maimbodum Epiſcopum Matiſconenſem in Synodo, petituri ab ipſo decimas eccleſiarum ſancti Andreæ in Evranda, & S. Boniti: eodemque anno* Leotaldus Princeps & Comes *Matiſconenſis*, & filius *ejus* Albericus, *ac* Valterius Vicecomes, *& alii, in Placito quædam Cluniaco reſtitui decernunt. Anno tertio Aymardo Abbati & monachis Gerberga dat eccleſiam S. Mauricii in Comitatu Cabilonenſi in villa Brengis & villa Canna*, ſicut Ardradus

Digitized by Google

CIRCA AN 965 5. Octob. dus Epiſcopus tenuerat. *Item Leotaldus Comes per juſſionem Humberti nepotis ſui donat de rebus ejus manſum in villa Salliaco. At ſingulares ſunt notæ chronicæ in charta de manſo in Villa-clericorum Comitatus Auguſtodunenſis*. Actum Cluniaco menſe Aprili, anno Inc. 956. Indict. 13. & anno ſecundo imperii Lotharii Regis filii Ludovici, & ab origine mundi 4909. *ubi legendum*, anno 955. *cui indictio* 13. *conveniebat*. *Anno quarto Lotharii Regis* eccleſia ſancti Jengulfi *cum decimis conceditur*, *Aymardo etiam tum Abbate*. *Denique Hunaldus Presbyter dedit* ad locum, qui Celſinianas dicitur, qui erat ſub ordinatione Domni Heymardi Abbatis, *quaſdam res in villa Higniaco*, Gignac, *in Comitatu Talemdenſe*, *& in vicaria Antoinenſe*, menſe Julio, anno Dominicæ Inc. 958. Indict 2 (*lege* 1.) anno Lotharii Regis Francigenæ 4. *Hactenus de chartis donationum ſcriptis ſub Aymardo Abbate*.

Monachi ſub eo. 15. *Ceterum quantum eo Abbate crevit res familiaris*, *tantum etiam auctus eſt monachorum numerus cum diſciplina regulari: adeo ut etiam Epiſcopi (quod de Odone ſuperius diximus) depoſita dignitate ejus ſeſe magiſterio ſubiicerent*. *Inter alios Geraldus Archiepiſcopus ſe ipſe obtulit ſub hac verborum formula*. Ego Geraldus Archiepiſcopus meipſum offero Deo per ſæculi abrenuntiationem & habitus commutationem, & omnes res meas in cœnobio Cluniacenſi, ubi nunc Domnus Eymardus Abbas præeſt, in quo (ſi Deus annuerit) meipſum ſub ordine regulari mancipare cupio. Res vero meæ ſunt in Comitatu Uzetico, in vicaria Caxionenſe, id eſt eccleſia S. Saturnini cum appendiciis, Leiracum, Meſenias, *&c.* Geraldus Epiſcopus ſubſcripſit. Roſtagnus Epiſcopus firmavit, *&c.* Actum apud S. Saturninum publice menſe Auguſto, anno Inc. 945. Indict. 3 *Item anno* 948. *Eldegardis Rotberti Vicecomitis relicta quaſdam res ſuas tradit Cellæ Celſinianenſi*, *ubi* Aymardus humillimus Abbas rector præeſſe videtur, cuſtodemque loci illius & proviſorem ſubtus ſe fratrem Raginbertum conſtituere voluit. Actum anno 13. regnante Ludovico Rege Francorum ſeu Aquitanorum. *Eodem anno Aquinus nobilis vir & uxor ſua Doda de conſenſu filiorum ſuorum* per renuntiationem ſeculi & habitus commutationem *tradunt ſe Deo in monaſterio Cluniacenſi ſub Aymardo Abbate*, *reſque ſuas in villis Maceriis & Neronda ſuper fluvium Graona*, *conſentiente Giſleberto Comite ſeniore ſuo*. *His litteris ſubſcribunt* Letbaldus Comes, Rotbertus Vicecomes, Gildebodus Epiſcopus, Rodulfus Comes, *cum multis Canonicis*. *Anno* 949. Indict. 7. die Dominico, anno 14. Regis Ludovici litigantis cum Hugone Marchione, 3. Id. Maii, *Leotardus Levita factus Monachus dat vineam in villa Baſcerincis*, *Comitatu Cavillonenſi*. *Ipſomet anno*, *id eſt anno* 15. *Ludovici Regis*, *Leotbaldus* cingulum militiæ ſolvens, & comam capitis barbamque detondens, *monaſticum habitum Cluniaci ſuſcepit*, *deditque manſum in Fraxnedo villa*, *& mater ejus alia quædam in Villa-nova*. *Sed præ ceteris cenſendus venit Majolus*, *qui ſub Aymardi diſciplinam ſe tradidit*. *Annumerandus etiam* Eilbadus Epiſcopus & Monachus, *qui ſubiectis de Majoli electione litteris ſubſcripſit*.

16. *Aymardus tertio loco ab Odilone laudatur*, *quod* amiſſionem temporalis luminis, & quidquid ſibi adverſitatis accidere potuit, abſque omni murmuratione & indignatione patientiſſime tulit. *In cæcitatem redactus*, *de ſubſtituendo ſucceſſore cogitavit*, *& Majolum diſcipulum ſuum conſentientibus Fratribus in ſui locum Abbatem inſtitui curavit*. *Iſtius electionis modum & formam diſcimus ex Archivo Cluniacenſi*, *in qua Aymardi litteræ hac de re ſcriptæ leguntur ſub hac forma*, *editæ in Spicilegii tomo* 6.

Aymardus in cæcitate patiens, Majolum ſibi ſufficit.

ORdine divinæ diſpenſationis cum primum ſacris legibus a Patriarchis & Prophetis, tum etiam humanis conſulibus & legibus motus populorum comprimeretur; poſt tempore incarnati Verbi ignea romphæa in oſtio paradiſi fonte lateris Chriſti exſtincta, ut regnum Dei violentius raperetur;

retur, cœpit ſtatus Eccleſiarum ab apoſtolicis viris piis moribus informari, & demum a ſacris viris & Abbatibus in ſubditorum mentibus regularis ordo diſponi, ut per eam currentibus facilis cæleſtis patriæ videretur aſcenſus. Sicque fit, ut quanto quis per exempla pietatis paterno cultu ſe ad excelſa erigens proceſſerit, & ſubditis ad cæleſtia ſequenti ducatum præbuerit, tanto a remuneratore Domino multiplex mercedis & filiationis fenus percipiet. Et quoniam ad Prælatos reſpicit quidquid a ſubditis delinquitur, exemplum pravæ vitæ, & negligentiam ſubditorum, ſententia divini examinis ignis gehennæ inexhauſtus vindicat. Quapropter ego Haymardus, ſancti Petri Cluniacenſis Abba indignus, præſentibus atque futuris omnibus generatim notum eſſe volo, quia hæc & hujuſmodi mente pertractans, ætate defatigatus, officiis quoque corporis imminutus, dum minus me paſtorali curæ idoneum perſentiſco, beati Benedicti capitulatim de conſtituendo Abbate ſollicitudine præmonitus, cum omnibus fratribus meis, filiis & conſervis, beati quidem Petri pridem clericum, fratrem ac filium monachis Majolum religioſum eligimus, & Abbatem eſſe decernimus, ne inſolentia noſtræ infirmitatis Ordo detereſcat, & repulſam in aliquo patiatur Domino propitio ſemper ad meliora provehendus. Et ne technam alicujus excuſationis prætendat, (nam ſicut quis indigne ad regimen incautus adſpirat, ita ſi quis dignus refugit, merito conſtringendus habetur) conſilium Epiſcoporum & Abbatum adhibuimus. Et ſicut Cluniacenſe monaſterium Domino auctore a Guillelmo Duce fundatum, nomine Principis Apoſtolorum ſacratum, privilegiis Romanæ ſedis inſignitum, regalibus præceptis confirmatum, a reverendis quoque Abbatibus domno Bernone & Odone ordinatum conſtat: cum omnibus Abbatiis, locis & Cellis, ubiubi eorum vel noſtro tempore acquiſitis, prædicto Fratri ordinandum tradimus, atque tam ad Ordinem ſervandum ſecundum beatum Benedictum & inſtituta Patrum noſtrorum, quam ad res diſponendas, ſub omni integritate propitia divinitate vinculis obedientiæ adſtringimus, & Abbatem omnes unanimiter proclamamus. Hujus vero electionis & ordinationis ejus ſeriem per conſultum (ut diximus) primatum, Comitis, & etiam noſtri Advocati Leotoldi, litteris ſanciri præcipimus, atque regulariter celebratam ordinationem in Chriſti nomine confirmavimus, a Patribus & Fratribus noſtris ſcriptis confirmari precati ſumus. Acta Cluniacenſi cœnobio feliciter. Amen. Ego Haymardus Abba huic electioni aſſenſum præbui. Mainboldus ſanctæ Matiſcenſis eccleſiæ Epiſcopus ſubſ. CHILDEBOLDUS peccator ipſo jubente ſubſ. EILBADUS Epiſcopus & monachus ipſo jubente ſubſ. RODULFUS humilis Abba S. Petri Cavillonnenſis ſubſ. RICHARDUS humilis Abba ſubſ. &c. CIRCA AN. 965 5. Octob.

Centum ac triginta monachi huic electioni ſubſcripti reperiuntur, qui numerus non ex ſolo Cluniacenſis cœnobii collegio, ſed etiam ex aliis monaſteriis ad ejus normam compoſitis conſtitiſſe videtur. Sicut enim Abbates extranei iſti electioni interfuerunt, eamque ſigno ſuo confirmarunt: ſic etiam monachos aliunde adſcitos eidem ſubſcripſiſſe veri ſimile eſt: cum alias paſſim inſtrumentis in gratiam Cluniacenſis monaſterii factis quinque admodum ſupra viginti, etiam ſub Majolo Abbate, ſubſcripſiſſe inveniuntur: tametſi forſan ſoli ſeniores id præſtiterint.

17. *Quo anno hæc electio facta ſit, in ſuperiori inſtrumento non exprimitur: ſed ex variis chartis, in quibus Majolus Abbas nominatur, prima omnium data eſt* anno 13. Ludovici Regis, *id eſt anno* 948. *quo anno Leotaldus Matiſconenſis Comes & Richildis ejus uxor perdonant* Majolo Abbati *& monachis ejus ſervitium, quod homines de Caviniis debebant. Anno primo Lotharii Regis eidem Majolo Abbati datur vinea quædam, in pago Matiſconenſi. Anno ſeptimo ejuſdem Regis Bego, idem (ut puto) qui poſtea Epiſcopus Arvernenſis, largitus eſt* ſacro cœnobio Celſinianas, quod Domnus Majolus Clunienſis, tam per ſe, quam per ſibi ſubditos regebat, eccleſiam ſancti Illidii in Comitatu Tolornenſi, in vicaria Cunliacenſi. *Et tamen pleræque donationes, per id tem-* Majoli electio quo anno.

Digitized by Google

CIRCA AN. 965 5 Octob.

pus facta, *Aymardum Abbatem habent*. *Ex quo intelligitur*, *Aymardum non ita regimen in Majolum rejeciſſe*, *ut ipſe penitus ab eo receſſerit*: *ſed eum adſciviſſe in Coadjutorem*, *atque Abbatis nomen retinuiſſe tametſi præcipua rerum cura penes Majolum erat*. *Certe* anno 11. Lotharii Regis *Domnus Majolus cum conſenſu Fratrum duobus* Levitis *præſtariam facit de quadam vinea*, *ſita in pago Cabilonenſi*, *ſubtus caſtrum Brancudunum*: *cui præſtariæ Majolus & Eymardus Abbates ſubſcribunt hoc modo*. Sig. Majolus humilis Abbas. Sig. Heymardus Abbas.

Aymardi zelus in Cellerar.

18. *Verum*, *ut mox dicebam*, *præcipua regiminis cura penes Majolum reſidebat*, *idque patet ex Petro Damiani in Opuſculo* 33. *cap*. 7. *ubi hæc de Aymardo commemorat*. A venerabilis plane Cluniacenſis cœnobii fratribus didiciſſe me contigit inſignia duo ſanctæ humilitatis exempla, quorum unum non mediocriter quoſque Prælatos, alterum valet ædificare ſubjectos. Aymardus certe, ejuſdem Rector eccleſiæ, Majolum ſibimet ſubſtituit, & grandævæ jam ſenectuti ſuæ quietis otium procuravit. Hic itaque dum privatus in infirmorum maneret ædicula, quadam adveſperaſcente die caſeum petiit: quem Cellerarius pluribus (ut fieri ſolet) intentus, non modo non dedit, ſed & duris inſuper miniſtrum ejus reponſionibus fregit. Conqueſtus eſt Abbatum turbam, nec poſſe ſe tot dominorum perferre moleſtiam. Quo ſenex audito, non mediocre ſcandalum pertulit: & quia lumen oculorum prorſus amiſerat, dolor in ejus corde tenacius hæſit. Nam quo cæcus a viſibus vacat, eo quidquid audierit, in corde ſubtilius verſat: & quia per exteriora quæque non ſpargitur, interiori zeli ſtimulo truculentius inflammatur. Mane vero facto, miniſtro ſuo, ut ſeſe ad manum in Capitulo duceret, juſſit. Adductus autem talibus Abbatem aggreſſus eſt verbis: Frater, inquit, Majole, non ego te ſuper me ut me perſequereris impoſui; nec ut tamquam emptor mancipio dominareris, ſed ut re vera patri filius compatereris elegi. *Et poſt* hujuſmodi multa, propemodum commotus adjecit: Eſne quæſo meus Monachus? Quo reſpondente, Sum, tuumque me non magis fuiſſe, quam & nunc eſſe profiteor; & ille: Si meus, inquit, es Monachus, protinus cede ſedi, & locum quem ante noveras repete. Quo Majolus audito, repente ſurrexit, humilem locum, prout juſſus fuerat, expetivit. Aymardus itaque quaſi poſtliminio reverſus, vacantem occupat ſedem, Cellerarium cui fuerat infenſus, accuſat: quem mox terræ proſtratum durius corripit; tandemque modum pænitentiæ, qui ſibi videbatur, injungit. Perfunctus itaque tam longi tribunatus officio, præſto dethronizatus aſſiſtit: Majolo ut ad ſuam ſedem redeat, præcipit: ille confeſtim nil cunctatus obedit. *Hoc exemplo apparet*, *Aymardum*, *qui* ſimplex *fuiſſe dicitur*, *non ea fuiſſe ſimplicitate præditum quæ ruſtica eſt*, *ſed quæ Chriſtiana*: *nec ſcio an magis ejus vigorem eo in facto mirari debeamus*, *an Majoli modeſtiam*.

Aymardi obitus.

19. *Quanto tempore Aymardus poſt annum* 964. *quo cuidam chartæ eum ſubſcripſiſſe diximus*, *ſuperſtes fuerit*, *nobis incompertum*. *Vix annum ſequentem exceſſiſſe crediderim*. *Annos regiminis tantum ſex ei tribuit Chronicon Lemovicenſe*, *quibus exactis Majolum ſibi ſubſtituerit*. *Et hic quidem calculus ſatis convenit cum iis*, *quæ ſuperius de ſuffecto Majolo diximus*: *at quamdiu vitam ulterius protraxerit Aymardus*, *nulla nos docent monumenta*. *Joannes Trithemius poſtquam ſolito ſuo more ejus elogium contexuit*, *ſcribens*, virum *fuiſſe* in ſcripturis ſacris eruditum, morum converſatione ſanctiſſimum, & lumine oculorum orbatum, velut alterum Job, in medio fratrum ſuorum exemplar patientiæ & humilitatis enituiſſe, *ſubdit eum* claruiſſe anno 932. (*rectius* 952.) cujus feſtum, *inquit*, agitur apud Cluniacenſes Idibus Septembris. *Neſcio id unde acceperit Trithemius*: *nam nulla de Aymardo mentio eſt in vetuſtis Cluniaci Breviariis*, *nulla mentio in divinis officiis*. *Immo in Martyrologio Benedictino memoria ejus habetur*, *non* Idibus Septemb. *ſed* tertio Nonas Octobris, *ubi* ſanctus Aymardus, & ſanctitate, & miraculorum gloria celebris *prædicatur*. *Sanctitatem non inſitior*, *tametſi eum Sanctum pronuntiare non auſim*: *miracula non invenio*. *In pervetuſto Necrologio ſancti Benigni apud Divionem*

3. Non.

Digitized by Google

3. Non. Octob. Heimardus Abbas *ponitur. Eumdem diem ſignat Petrus de Rivo in Chronico, additque eum jacere in veteri eccleſia, retro altare beatæ Mariæ. In veteri Necrologio Silviniacenſi*, 3. Non. Octobris depoſitio Domni Eymardi Abbatis, *& in libro anniverſariorum ejuſdem loci*, prid. Nonas Octob. fiat plenum pro domino Haimardo Abbate Cluniacenſi. Refectionem faciat Camerarius, ac duodecim pauperes reficiantur. AN.CHR. 966 28. Martii.

DE VENERABILI FRODOARDO

PRESBYTERO REMENSI.

Ubi de HEIRICO, REMIGIO, & HUCBALDO magiſtris, ac de HUCBALDO Monacho Orbacenſi.

1. F*Rodoardum Presbyterum Remenſem, præcipuum ſæculi decimi ornamentum, monachis accenſent viri docti non pauci poſt Sigebertum: quos inter Guillelmus Marlotus in Metropoli Remenſi, & Natalis Alexander in hiſtoria ſæculi* 10. *Iſtius ſententiæ fundamenta explicabimus infra, poſtquam de ſcholis Remenſibus, deque Heirico, Remigio, atque Hucbaldo magiſtris aliqua neceſſaria præmiſerimus.*

2. *In eccleſia Remenſi ſubinde viros doctos, ac proinde ſcholas exſtitiſſe teſtantur Frodoardi & Marloti hiſtoriæ. Sed quoniam litteris litterarumque ſtudiis fatales ſunt bellorum tempeſtates, identidem has ſcholas bellicorum motuum injuriis violatas aut remiſſas, denuo erigere atque excitare neceſſum fuit. Id vero Nortmannorum tempore curavit Fulco Remorum Antiſtes, de quo hæc Frodoardus in lib.* 4. *hiſtoriæ cap.* 9. Præfatus denique Præſul honorabilis Fulco, ſollicitus circa Dei cultum & ordinem eccleſiaſticum, amore quoque ſapientiæ fervens, duas ſcholas Remis, Canonicorum ſcilicet loci, atque ruralium clericorum, jam pene delapſas reſtituit: & evocato Remigio Autiſiodorenſi magiſtro, liberalium artium ſtudiis adoleſcentes clericos exerceri fecit, ipſeque cum eis lectioni ac meditationi ſapientiæ operam dedit. Sed & Hucbaldum ſancti Amandi monachum, virum quoque diſciplinis ſophicis nobiliter eruditum, accerſivit, & eccleſiam Remenſem præclaris illuſtravit doctrinis. Scholæ Remenſes. Preceptores.

3. *Remigius, Autiſiodori apud ſanctum Germanum monachus, Heirici auditor fuit cum Hucboldo, contra quam aliquando ſcripſi in Præfatione prima Sæculi* 4. *num.* 80. *Id diſerte tradit præter alios Ademarus monachus in Chronico, in quo* Heiricus Remigium & Ucbaldum Calvum monachos heredes Philoſophiæ reliquiſſe *traditur. Errandi occaſionem mihi præbuit Remigius ille, quem Lupus* cariſſimum propinquum *ſuum* Remigium *appellat in epiſtola* 116. Fratribus in monaſterio beati Germani excellenter militantibus *directa. Sed antequam hæc examinemus, ſtudiorum ac litterarum in Gallia per id tempus ſucceſſio hic exhibenda eſt.* Remigius Heirici diſcipulus.

4. *Alcuino in aliis erudiendis ſucceſſit diſcipulus ejus Rabanus Fuldenſis monachus, ad quem Galli noſtrates paſſim doctrinæ gratia ſe conferebant. Ex eorum numero fuit* Lupus *monachus Ferrarienſis, qui Rabanum* præceptorem *ſuum vocat in epiſtola* 1. *atque ab eo* divinarum ſcripturarum ingreſſum ſe cepiſſe *dicit. Reverſus in Galliam anno* 830. *in aulam Ludovici Auguſti admiſſus eſt, atque poſt annos duodecim factus Abbas monaſterii ſui, quod ſitum eſt in pago Senocenſi. Adalgum* germanum *ſuum vocat in epiſtola* 6. *Guagonem* nepotem *in epiſtola* 91. *ubi Marcvvardum Prumienſem Abbatem* propinquum *ſuum dicit, & in* 86. conſanguineum *Odacrum Abbatem Cormaricenſem. Neptem ejus uxorem duxerat Hildegarius Æneæ Pariſienſis Epiſcopi familiaris.* Lupus.

[AN.CHR. 966 28.Mart.] ris. Hos itaque omnes genere contingebat Remigius ille, cujus mentio in præmiſſa epiſtola 116. Hæc epiſtola ſcripta eſt ſub annum 858. ex Notatione eruditi Baluzii, qua in epiſtola Lupus monachis cœnobii ſancti Germani Autiſſiodorenſis, ob ſibi impenſum hoſpitii liberale officium, per Fridelonem auditorem ſuum, & per chariſſimum propinquum Remigium ſatisfeciſſe ſcribit. [Remigius Lupi propinquus.] An Remigius ille monachus fuerit, non ſatis inde liquet: ſed quo minus idem cum Remigio magiſtro cenſendus ſit, temporis ratio vix ſinit. Quippe eo anno 858. adultæ ætatis jam erat Remigius ille Lupi propinquus. Atqui Remigius magiſter annum nongenteſimum exceſſit. Non enim ante hunc annum Pariſios reverſus eſt, nempe mortuo Fulcone Archiepiſcopo, qui eum Remis detinebat: neque citius Pariſios ad Remigii diſciplinam ſe conferre potuit Odo Turonenſis tunc Canonicus, quem anno 879. natum fuiſſe ſuperius * oſtendimus. Deinde Blidulfus Tullenſis eccleſiæ Archidiaconus, qui medio ſæculo decimo vivebat, ex ſcholis adhuc ſupererat Remigii, ut legitur infra in actis ſancti Joannis Abbatis Gorzienſis. Ipſe vero Joannes in monaſterio ſancti Michaelis ſuper Moſam ad ſtudia moratus fuerat, ubi tunc temporis Hildeboldus quidam grammaticam profeſſus, ex diſcipulis domni Remigii, doctiſſimi ea ætate magiſtri, ſcholas habebat ſub annum 930. Ex quibus intelligitur, Remigium ad ſæculum decimum perveniſſe, & aliquantum temporis in eo vixiſſe.

[* pag. 126.]

[Heirici ætas & ſcripta.] 5. Heiricus porro ſeu Ericus ad id tempus non pervenit, ut qui collectanea ſua Heribaldo Autiſſiodorenſi Epiſcopo nuncupavit ante annum 856. qui Heribaldi ſupremus fuit. Paullo ante annum 865. vitam ſancti Germani patroni ſui verſibus cecinit hortatu Lotharii Abbatis ac diſcipuli ſui, Caroli Calvi filii, quem Lotharium ipſo anno exceſſiſſe conſtat. Denique acta Epiſcoporum Autiſſiodorenſium perſecutus eſt nonniſi uſque ad Chriſtianum, cujus mors accidit ſub annum 875. Non ergo Heiricus Remigii auditor eſſe potuit, immo e contrario, ſiquidem Remigius Heirico diu ſupervixit. Heiricus autem, ut id obiter obſervem, aut in ipſa urbe Autiſſiodoro, aut prope urbem natus eſt potius, quam in vico Airy, ut alias ex falſo relatu credideram. Hic enim vicus ab Eirico nomen haudquaquam accepit, qui Ariacus * dicitur in vetuſtis monumentis. Septennis traditus eſt cœnobio ſancti Germani, uti ipſe de ſe teſtatur ſub finem libri ſexti de vita metrica ſancti Germani.

[* De re diplomat. pag. 550.]

Septennem pæne puellum
Sancti ſervitiis me transſcripſere parentes.

Præceptores habuit in humanis Lupum Abbatem Ferrarienſem, in divinis Haimonem, poſtea Halberſtadenſem Epiſcopum. Id ipſe ait in carmine ad Hildeboldum præmiſſo collectaneis ſuis ex vetuſtis auctoribus, quod carmen vulgatum eſt in tomo 2. Analectorum. Ex ſcholis recens emerſerat, cum pangendam ſancti Germani vitam aggreſſus eſt, jubente Lothario Abbate, uti ipſe in epiſtola ad Carolum diſerte habet. Ætatem ſuam ſignantius exprimit ſub finem libri ſexti his verſibus.

En vitam miſeram jam trina decennia verſant,
Additur his annus ævo gliſcente ſecundus.

Si triginta duo illi ætatis ejus anni ab eo tempore, quo carmen ſuum Carolo jam Cæſari nuncupavit, numerentur; dicendum eſt, eum ante provectam ætatem obiiſſe: ſiquidem Walæ Epiſcopo, qui vix annum 880. exceſſit, ſuperſtes fuiſſe non videtur, utpote cujus acta in ſuum de Epiſcopis Autiſſiodorenſibus librum non retulit. Ceterum quanta fuerit ejus pro tempore facundia, fidem facit ipſius præfatio in vitam ſancti Germani, Carolo Calvo tum Imperatori inſcripta, in qua eum mirifice laudat ob ſtudia reſtituta, & præceptores undiquaque accitos. Hoc ſpecimen ceterorum loco eſto. Quid Hiberniam memorem, contempto pelagi diſcrimine, pæne totam cum grege Philoſophorum ad littora noſtra migrantem? quorum quiſquis peritior eſt, ultro ſibi indicit exſilium, ut Salomoni ſapientiſſimo famuletur ad votum. Itaque, Cæſar invictiſſime, pæne eſt, ut univerſus orbis novas in te ſtruat controverſias, novis adverſum te declamationibus invehatur:

qui

Digitized by Google

qui dum te tuoſque ornamentis ſapientiæ illuſtrare contendis, cunctarum fere gentium ſcholas, & ſtudia ſuſtuliſti. Sublatis enim præceptoribus, confine & conſequens eſt, facile omnium ingenia otio congelaſſe. Ita namque ſpretis ceteris in eam mundi partem, quam tua poteſtas complectitur, univerſa optimarum artium ſtudia confluxerunt, ut veri ſimile habeam, jamdudum eas humanæ peroſas inertiæ terris penitus exceſſiſſe, niſi tuæ integritatis amplitudine tenerentur, in qua etiam unicum ſuæ profeſſionis culmen ac faſtigium, ut palam eminet, mirabiliter collocarunt. Hinc eſt, quod cum ſit perantiqua ſententia, Silent leges inter arma: hæ tamen tam belli, quam pacis tempore apud te plurimum ſemper obtinent dignitatis: ita ut merito vocitetur Schola Palatium, cujus apex non minus ſcholaribus, quam militaribus conſueſcit quotidie diſciplinis. Quicquid igitur litteræ poſſunt, quicquid aſſequuntur ingenia, tibi debent. *Heiricus præter hæc homilias ſcripſit, ex quibus nonnullæ habentur in Pauli Diaconi vulgato Homiliario.* AN. CHR. 966 28. Mart.

6. *Talem præceptorem habuit* Remigius, *cujus* virtus & doctrina, *teſte Platina*, id effecit, ut Formoſi Papæ tempora ne omnino infeliciſſima haberentur. *Remos vocatus eſt ſub annum* 890. *a Fulchone Archiepiſcopo; eoque mortuo Pariſios reverſus anno nongenteſimo, quo Fulco vivere deſiit, Odonem habuit auditorem. Docebat autem* Dialecticam, teſte Joanne monacho, *non quidem Ariſtotelis, ſed* ſancti Auguſtini, Deodato filio ſuo miſſam, & in liberalibus artibus Marcianum, *in quem commentarios edidit. Interim ſacras litteras non omittebat, uti ejus commentarii fidem faciunt. Alius fuit Remigius ſub finem decimi ſæculi monachus Trevirenſis, a Gerberto laudatus non ſemel. Tres itaque habemus Remigios, præter Remigium Lugdunenſem Antiſtitem, unum Lupi propinquum; alterum celebrem, quo de agimus, ſcriptorem, monachum Autiſiodorenſem; tertium Trevirenſem. In vetuſto Necrologio cathedralis eccleſiæ Autiſiodorenſis ſecundus hoc modo notatur*: 6. Non. Maii obiit Remigius monachus & egregius Doctor. *Heirici obitum Necrologium ſancti Germani ponit* 8. Kal. Julii. *Ericum Sigebertus in cap.* 104. *de ſcriptoribus eccleſiaſticis memorat ob vitam Germani Autiſiodorenſis Epiſcopi* metrico ſtilo deſcriptam ſex libellis: *at Remigium pluribus laudat hunc in modum in cap.* 123. Remigius monachus Autiſiodorenſis, nominatus in exponendis ſæcularibus ſcripturis, notificavit ſe utilius divinas etiam ſcripturas exponendo. Expoſuit enim canonem Miſſæ, quid a quibus in ea ſit poſitum, vel additum demonſtrans. Scripſit librum de divinis officiis: ſcripſit de ſingulis feſtivitatibus Sanctorum. Reſpondit Gualoni Æduorum Epiſcopo, interroganti de duabus quæſtionibus, una de altercatione Michaelis Archangeli cum diabolo de Moyſi corpore, quod legitur in epiſtola Judæ Apoſtoli: altera de eo quod reſpondens Dominus ad Job de turbine dixit: Ecce Behemoth quem feci tecum, fœnum quaſi bos comedet. Scripſit & alia. *In his cenſendi ſunt commentarii in Paulum, ſancto Remigio perperam adſcripti, & expoſitio in Matthæum.* Remigii breve elogium.

7. *Remigii in ſcholis Remenſibus ſocius fuit, qui in Autiſiodorenſibus ſub Heirico fuerat*, HUCBALDUS *ſeu* UCBALDUS *Elnonenſis ſancti Amandi monachus, de quo ita Sigebertus cap.* 107. Hucbaldus monachus ſancti Amandi, peritia liberalium artium ita inſignis, ut Philoſophis conferretur, vitas multorum Sanctornm ſcripſit. Et quia in arte muſica præpollebat, cantus multorum Sanctorum dulci & regulari melodia compoſuit. Scripſit etiam librum de arte muſica: & ad Imperatorem Carolum Calvum librum trecentorum verſuum in laudem calvorum, cujus omnia verba incipiunt ab una littera id eſt C. *Calvi cognomentum Hucbaldus inde tulit.* Hucbaldus monachus Elnonenſis.

8. *Remigii & Hucbaldi diſcipulos in ſcholis Remenſibus præceptores habuit* FRODOARDUS, *quem idem Sigebertus* Flavvaldum *vocat, numquam ſatis laudatus, nec ſcio an ulli temporum illorum ſcriptori ſecundus. Sparnaco oppido ad Matronam, vulgo* Eſpernay, *natus eſt anno* 894. *ſiquidem anno* 963. *ſeptuagenarius erat, ex ipſius Chronico. Archivium eccleſiæ Remenſis ejus curæ commiſſum erat cum crypta ſeu capella ſancti Petri ex hiſtoriæ ſuæ lib.* 2. *cap.* 19. Frodoardi vitæ compendium.

Digitized by Google

ANCHR. 973 27. Febr. 19. *ubi de Ebone agit, his verbis*. Archivum eccleſiæ tutiſſimis ædificiis, cum crypta in honore ſancti Petri, omniumque Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum ac Virginum dedicata, ubi Deo propitio deſervire videmur, opere decenti conſtruxit. *Ibidem* Gundacrum, *Canonicum (ut puto) Remenſem, nutritorem ſuum vocat. Matris ejus* avunculus *erat* Flavvardus nomine, *qui* duos filios *in ſancti Baſoli monaſterio habuit, unum Tetbertum*, qui Presbyter dudum, *inquit*, apud nos obiit. *Artaldo Archiepiſcopo Romam, neſcio cujus rei cauſa, profectus ſub annum* 936. *a Leone Papa VII. perhonorifice exceptus eſt, Ita enim ipſe canit in fine libri metrici de Romanis Pontificibus, ubi de Leone VII.*

Frodoard. lib. 2. hiſt. cap. 3.

Qui me viſentem ætherei pia limina Petri
Jocunde excipiens, animo quæſita benigno
Admiſit, ſavitque pie, ſtuduitque modeſte.
Famina grata ferens, epulis recreavit utriſque
Corporis atque animæ, benedixit, & oſcula libans,
Ac geminans dono cumulatum muneris almi.
Pergere lætantem amplexu dimiſit honoro.

Multa patitur ab Heriberto. 9. *Anno* 940. *Hugone Heriberti Vermandenſis Comitis filio, ad ſedem Remenſis Eccleſiæ in locum Artaldi ſuperordinato, Frodoardus factum improbans, peregrinationem ad limina ſancti Martini prætexuit, ſed ab Heriberto retentus eſt. Rem narrat iiſdem pene verbis Frodoardus ipſe tum in Chronico ad illum annum, tum in hiſtoria Remenſi. Verba ejus referenda ſunt, ut appareat, eumdem utriuſque operis eſſe auctorem. Sic itaque in Chronico habet.* Ego denique diſponens orationis gratia ſepulcrum ſancti Martini viſere, retentus ſum ab Heriberto Comite, clam me quibuſdam accuſantibus apud eum, quod ſui cauſa nocumenti vel filii ſui vellem proficiſci. Fecitque me ſub cuſtodia detineri, ablatis a me rebus, quas de Epiſcopatu tenebam, cum eccleſia quam regebam in Culmiſciaco *; ſicque plenis quinque menſibus ſum detentus. *Idem in hiſtoriæ lib.* 4. *cap.* 28. Mihi quoque eccleſiam Culmiſciaci vici abſtulit cum terra beneficii, quam tunc temporis tenebam. Ego denique diſponens orationis gratia ſepulcrum viſere ſancti Martini, retentus ſum ab ipſo, clam me quibuſdam perſonis inſimulantibus apud eum, quod ſui cauſa nocumenti vel filii ſui vellem proficiſci: & quia renutabam me huic electo noſtro committere, neſciens utrum Deo placeret Præſulem noſtrum fore. Sicque plenis quinque menſibus apud Fratres noſtros, *id eſt Canonicos Remenſes*, ipſo Comite jubente ſub cuſtodia partim libera ſum detentus. *Tum alia inde conſecuta ſubdit, nempe ſe abſolutum a cuſtodia* ipſa die conceptionis & paſſionis Domini noſtri Jeſu-Chriſti, ad urbem Sueſſonicam *cum ſuo electo perrexiſſe, ubi Hugonis ordinatio confirmata eſt in conventu Epiſcoporum*. Ibi ergo, *inquit*, Hugo Princeps tunc me per manum accipiens, huic Hugoni nepoti ſuo ad benefaciendum commiſit: quique mihi eccleſiam ſanctæ Mariæ dedit in Colrido * ſitam: terram quoque quam pater ſuus mihi abſtulerat reddidit, & aliam in prædicta villa ſuperadjecit. *Ex his conſtat, Frodoardo ante annum* 940. *commiſſam fuiſſe curam eccleſiæ Culmiſciacenſis: ac proinde ante Agapiti pontificatum, qui anno* 946. *ſedere cœpit, Presbyterum fuiſſe: quod quam ob cauſam hic notem, inferius videbitur. Anno* 941. *Frodoardus Hugonis* juſſu primum de exſilio evocatur.

* Cormicy

* Corroy

Synodo Virdunenſi intereſt. 10. *Idem Synodo Virdunenſi anno* 947. *interfuit, ut ex eo colligitur, quod poſt Synodum*, Manſimus, *ait*, cum Rotberto Trevirenſi, *nempe ipſe & Artoldus: quæ verba utrobique eadem leguntur tum in Chronico ad prædictum annum, tum in hiſtoria lib.* 4. *cap.* 35. *De eo nihil amplius legitur ad annum* 962. *quo anno Hugo Archiepiſcopus in ordinem redactus, atque Odalricus ejus loco ſuffectus eſt. Chronici hæc verba ſunt.* Elegimus ad Epiſcopum Remenſem Odalricum illuſtrem clericum, Hugonis cujuſdam Comitis filium &c. *Denique anno ſequenti* Odalricus Remenſis Archiepiſcopus proceres Fran-

Digitized by Google

Franciæ, qui poſſeſſiones quaſdam Remenſis occupaverant eccleſiæ, vocari fecit. Ego vero, *ſubdit Frodoardus*, fractus ætate, & attritus infirmitate, miniſterio me abdicavi Prælaturæ coram eodem Præſule: quique me hoc abſolvens jugo, impoſuit illud per electionem Fratrum meorum nepoti meo Frodoardo ſeptuageſimo ætatis meæ anno. *Hactenus Frodoardus de ſeipſo.* AN.CHR. 966 28.Martii.

11. *Quænam ſit illa* Prælatura, *quam abdicavit, valde obſcurum eſt. Hoc nomine ſine dubio intelligitur, non ſimplex Canonici titulus, ſed vel Præpoſitura eccleſiæ Remenſis, (nam & Præpoſitos, ſaltem monaſteriorum, aliquando* Prælatos *appellatos legere memini) vel dignitas abbatialis. Abbatem quippe, immo & monachum fuiſſe Frodoardum probant argumenta & indicia non pauca. Primo id præciſe tradit epiſtola Adelagi ſeu Adelgagi Bremenſis Archiepiſcopi & apoſtolicæ ſedis Legati ad Frodoardum, qua ipſum conſolatur, quod ad cathedram eccleſiæ Noviomenſis electus, Fulcherio cedere coactus ſit. Inſcriptio epiſtolæ ſic habet.* Frodoardo Patri Remenſi, verbum pacis. *Fortaſſe legendum,* Presbytero Remenſi. *In hac autem epiſtola quæ omnino ſincera & genuina videtur, Frodoardum* Beneficio depoſito, in ſolitudinem & monaſterii latebram *ſeceſſiſſe teſtatur Adelgagus, qui hanc epiſtolam ſcripſit* anno 951. prid Kalend. Octobris. *An tunc Paſtore deſtituta fuerit eccleſia Noviomenſis, non ſatis conſtat ex Frodoardi chronico, in quo Rodulfi Epiſcopi ordinatio ponitur anno* 950. *& deinde, nulla ejus obitus mentione facta,* Fulcarius decanus monaſterii ſancti Medardi Noviomenſium Epiſcopus Remis ordinatus *dicitur anno* 954. *Si mendo caret in prædicta epiſtola anni deſignatio, dicendum eſt, Rodulfum anno ab ejus ordinatione proximo* 951. *obiiſſe: deinde in eligendo ſucceſſore diviſa fuiſſe ſuffragia, aliis Frodoardo faventibus, aliis Fulcario ſeu Fulcherio, qui tandem ſuperior exſtiterit. Nec aliquis dicat, alium eſſe hunc, de quo agitur in epiſtola prædicta, Frodoardum: cum tempus, locus, ceteraque omnia conveniant. Certe apud Sigebertum, auctorem ejus ſupparem, in cap.* 131. *de ſcriptoribus eccleſiaſticis,* Flawaldus Remenſis, qui geſta Pontificum Remenſium ſcripſit, Monachus *appellatur. Et in vetuſto epitaphio gallicis rythmis ſcripto, quod a Bulæo relatum eſt, idem aſſeritur, uti & Frodoardi patria & dignitas abbatialis. En epitaphium.* an Abbas & monachus.

Si ti veu de Rein ſavoir li Eveque,
Lye le temporaire de Flodoon le ſaige.
Y les mor du tam d'Odalry Eveque,
Et fut d'Epernay nè par parentaige.
Vequit caſte Clerc, bon Moine, meilleu Abbè,
Et d'Agapit ly Romain fut aubè.
Par ſen hiſtoire maintes novelles ſauras,
Et en ille toutes antiquitè auras.

Quod ita reddidit Bulæus. Si vis noſſe Remenſes Archiepiſcopos, lege Chronicon Flodoardi docti. Is fato functus eſt tempore Odalrici Præſulis oriundus ex Sparnaco. Vixit caſtus clericus, bonus Monachus, melior Abbas. Ab Agapito Papa factus fuit Sacerdos. Ex ejus hiſtoria multa nova ſcies, & in illa totam antiquitatem hauries. *Belle omnino. Sed tamen verbum* aubè, *quod in ſexto verſu legitur, non id ſignificare puto, quod Frodoardus ſacerdos factus ſit ab Agapito, qui anno* 946. *ſedere cœpit. Nam ante annum* 940. *Frodoardus eccleſiæ Culmiſciacenſis rector erat, ex dictis n.* 9. *ac proinde Sacerdos.* Aubè *ſine dubio idem eſt ac latine* albatus. *Quid autem vocabulum iſtud hoc loco ſignificet non capio. Quidquid ſit, ex his verſibus, qui non longe ab illis temporibus ſcripti ſunt, elicitur, Frodoardum, hiſtoriæ Remenſis ſcriptorem, Monachum fuiſſe & Abbatem: id quod non ſolum Sigebertus, ſed etiam Adelgagi epiſtola conteſtatur, quæ mox integra referenda eſt.*

Digitized by Google

AN.CHR. 966 28. Martii. 12. *Unum contra hanc Epiſtolam opponi poteſt, nempe quod in ea legitur, Frodoardum jam ante annum* 951. depoſuiſſe Beneficium: *cum ex Chronici poſtremo loco ſuperius relato conſtet, eum non niſi anno* 964. Prælaturam *abdicaſſe. Sed reponi poteſt,* Beneficii *nomine ab Adelgago intelligi curam eccleſiæ Culmiſciacenſis, & titulum quem in eccleſia Remenſi poſſidebat: at* Prælaturæ *vocabulo ſignificari abbatialem dignitatem: quam Odalricus* per electionem Fratrum, *id eſt monachorum, Frodoardi nepoti cognomini impoſuerit.*

Cujus loci? 13. *Cujus ergo, inquis, monaſterii, ſi uſquam, monachus & Abbas fuit? Marlotus ex communi ſententia ſcribit, eum monaſticen induiſſe apud ſanctum Remigium, Colvenerius ibidem etiam Abbatem fuiſſe: quod utrumque vereor ut verum ſit. Nam in accurato quem habemus indice tum Abbatum illuſtris iſtius cœnobii, tum monachorum, qui ſub unoquoque Abbate devixerunt, nullus reperitur Frodoardus. Et quidem a reſtitutione diſciplinæ regularis ibidem facta, primus Abbas fuit Hincmarus ab anno* 945. *in annos* 22. *quo ex calculo excluditur Frodoardus. Alii ſeceſſum ei tribuunt in monaſterium ſancti Baſoli, ubi Abbas poſtea creatus ſit. Favet quod ibi duos habuerit conſanguineos, avunculi ſui filios, ut ipſe ait in lib.* 2. *cap.* 3. *Verum illud obſtat, quod anno* 952. *ex Chronico, Artoldus Archiepiſcopus* in monaſterio ſancti Baſoli monachos *reſtituit,* expulſis clericis qui ſerviebant ibi, committens illud Hincmaro & Rotmaro abbatibus. *Atqui ante annum* 951. *Frodoardus jam monachus erat, ex Adelgagi litteris, (ſi tamen vitium in numeros non irrepſit.) Non ergo apud S. Baſolum, ſed potius apud Altivillarenſes, ubi Rotmarus Abbas erat. Inter monachos ejus temporis Altivillarenſes unum invenio* Flodoldum: *an hic Frodoardus? Sane id unum nobis coniiciendum reſtat, quando quidem ſerius apud ſanctum Theodericum monachi reſtituti ſunt, ut inferius videbimus. Porro in Altivillarenſi monaſterio Abbatem fuiſſe Rotmarum, cui cum Hincmaro commiſſa eſt cura reſtituendæ apud ſanctum Baſolum diſciplinæ monaſticæ evincit prædictus index Altivillarenſium monachorum, quem habemus ex pervetuſto codice Remigiano, in quo* ROTMARUS *&* RODULFUS *Abbates recenſentur. Unde coniicere licet, Rotmarum cœnobii ſancti Baſoli curam, favente Hincmaro Abbate, impoſuiſſe Frodoardo monacho ſuo. Sed hæc* longius *nos ferunt.*

Frodoardi obitus. 14. *Frodoardi obitum anno* 966. *contigiſſe docet Appendix ad ejus Chronicon his verbis.* Ipſo anno videlicet 966. vir vitæ venerabilis & Remenſis eccleſiæ Presbyter, nomine Frodoardus, honore ſanctitatis venerandus, caſtitatis ſplendore angelicus, fulgore ſapientiæ cælicus, ceterarumque virtutum inſignibus abundanter oppletus, præcedentis libelli, aliorumque dictator egregius, quinta Kalendas Apriles terrenæ peregrinationis relinquens exſilia, civica (ut credimus) adeptus eſt jura. *Frodoardus ipſa die laudatur in Necrologio eccleſiæ Remenſis, teſte Sirmundo, ſed ſine tituli graduſve adjectione. Alius itaque cenſendus eſt* Frodoardus Presbyter & Canonicus, *qui in Necrologiis eccleſiæ Remenſis & Remigiano notatur* 16. Kal. Junii. *In mſ. codice PP. Carmelitarum Excalceatorum apud Pariſios hoc ejus epitaphium quatuordecim libris carminum ab eodem ſcriptis ſubjunctum eſt, ipſo Frodoardo (ut videtur) auctore.*

Hic jacet indignus FLODOARDUS honore Sacerdos,
Arbiter exſpectans cælicus ut redeat.
Hoc ſibi confiſus veniam miſerante ferendam,
Sit licet admiſſis obſitus innumeris.
Quiſque legis titulum, ſortis memor ipſe futuræ,
Expete ſic Dominum propter humi poſitum.
Chriſte tuo ſervo Flodoardo parce benigno,
Et pro judicio da veniam famulo.

Digitized by Google

15. *Ad ſcripta ejus quod attinet, non ſatis laudari poteſt Remenſis hiſtoria, quatuor libris ab ipſo eruta & contexta ex vetuſtis illius eccleſiæ archivis, Conciliorum actis, geſtis Martyrum, aliorumque Sanctorum, epiſtolis Pontificum, aliiſque monumentis: quam hiſtoriam* R. Præſuli, *id eſt (ut Sirmundus interpretatur)* Rodulfo Laudunenſi *nuncupavit. Ejuſdem eſt ſine dubio magni momenti Chronicon, ſub ejus nomine primo vulgatum a Pithæo, qui an idem eſſet auctor immerito dubitavit, ut ex mutua comparatione evidenter ſupra collegimus, de quo hæc leguntur in Chronico Andegavenſi, tomo* 1. *Bibliothecæ Labbeanæ pag.* 285. Anno 917. initium Chronicæ Flodoardi: &, anno 965. finis Chronicæ Flodoardi. *Duobus annis mutilum eſt Chronicon in editis. Henricus Bunderius Dominicanus Gandenſis, qui anno* 1555. *vixit, in ſuo indice librorum mſſ. Belgicorum alia enumerat Frodoardi opuſcula his verbis.* Flodoardus Presbyter ſcripſit de triumphis Italicis Martyrum & Confeſſorum metrice libros quindecim, manuſcriptos Treveris in ſummo templo; de triumphis Chriſti & ſanctorum Palæſtinæ metrice libros tres manuſcriptos ibidem: tertio de triumphis Chriſti & Antiochiæ geſtis metrice libros duos mſſ. ibidem. *Priores, non quindecim, ſed tantum quatuordecim libri exſtant in pervetuſto (ut jam dixi) codice, qui modo eſt PP. Carmelitarum Excalceatorum: quibus ex libris nonnulla de Pontificibus Romanis edidimus in Appendice Sæculi tertii. In his libris integra ſunt acta ſancti Patris noſtri Benedicti & ſancti Columbani, aliorumque Sanctorum, quorum Gregorius M. in Dialogis meminit. Columbani vitam hanc metricam dedimus in Sæculo* 2. *& in Appendice carmen de S. Benedicto. Brovverus in Annalibus Trevirenſibus fragmentum de Pontifice Leone* VII. *refert ex codice Trevirenſi, idem nimirum quod ſuperius exhibuimus. Denique Frodoardus verſibus etiam cecinit miracula quædam beatæ Mariæ, de quibus agit in hiſtoriæ ſuæ lib.* 3. *cap.* 6. *Ratherius Veronenſis Epiſcopus tanti eum fecit, ut opera ſua ipſi emendanda traderet, teſte Folcuino in Chronici Laubienſis cap.* 20. *ubi epiſtolam* Frodoardo Remenſi *a Ratherio ſcriptam in Laubienſis monaſterii ſcriniis ſuo tempore aſſervatam dicit.*

AN. CHR. 966 28. Martii. Scripta ejuſdem.

Annal. Trevir. to. 1. pag. 452.

16. *Supereſt ut Adelgagi epiſtolam eidem Frodoardo directam, quæ a Colvenerio primum, deinde ab aliis, etiam a Binio in Bibliotheca Patrum vulgata eſt, hic repræſentemus.*

ADelagus, miſeratione divina Bremenſis eccleſiæ ſervus, Frodoardo Patri Remenſi, verbum pacis. Qui dudum depoſuiſti Beneficium, ut tecum mundanæ gloriæ contemptorem animum in ſolitudinem & monaſterii latebram deferres, ex voto non ante finem diſceſſurus; quid jam doles tibi inde non licere egredi ad Epiſcopium aſcendendo, quod ſubripuit Fulcherius? ſtas & non ſtas? Deo promiſiſti de ſtabilitate, ut ſi alquando aliter feceris, ab eo te damnandum ſcires quem irriſeris, & jam tamen vacillas? Eſto firmus in via Dei, & a matutina uſque ad noctem quæ ſunt honoris & dignitatis obliviſcere. Oraſti: * Suſcipe me Domine ſecundum eloquium tuum & vivam. Eloquium Dei eſt: Omnis ex vobis qui non renunciat omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Salvabuntur qui fugerint ab eis, & erunt in montibus ſicut columbæ convallium. Vidit Deus boni operis in te affectum, exercendi præſtitit facultatem, exaudivit preces: ne dubita, conſummandi afferret auxilium. Sed dicis: Negotiari volenti commodat Deus talentum, lucrantes beat. An neſcis quanto quis altius evectus eſt, tanto propius eſſe ne cadat? Ignoras honoris gradum ſuperbiæ eſſe irritamentum, eſſe inanis gloriæ materiam? Cave ne tibi blandiaris, ne juſtitiam tuam facere deſideres coram hominibus, ut videaris ab eis. Fac te aptum regno Dei, negotiare, lucrare ſuper deſtinato bravio tuæ vocationis in Chriſto Jeſu. Qui te aptum dicunt dignitati majori, ipſi te frater decipiunt, & viam greſſuum tuorum conſultore diabolo conantur diſſipare. Fateor enim qui prodeſſe non præeſſe, qui contradictio-

* Benedictinæ profeſſionis formula.

Digitized by Google

AN.CHR. 966. 28 Mart. ctiones non honores, qui labores non delicias, qui opus non opes Epiſcopus deſiderat, bonum opus deſiderare: ſed in omnibus interiorem diſcute animum, & diſce Chriſtum non ſemetipſum clarificaſſe ut Pontifex fieret. Officium quidem epiſcopale ſuſcepimus; ſed opus officii non implemus. In affectata præeminentia latet periculum. Horreo notare quod dixit ſanctus, reſcripſit ſanctus: *Nunc eſſem de numero damnatorum, ſi fuiſſem de numero Epiſcoporum*. Hæc accipe ab eo qui tuus eſt, & jacta tuum in Domino cogitatum: patientia tua non peribit in finem. Fient in deſolationem, ſubito deficient, peribunt propter iniquitates ſuas qui te oderunt. Cognoſcetur Dominus judicia faciens: & in operibus manuum ſuarum comprehendetur peccator. Ora pro me. Scriptum pridie Kal. Octob. anno 951.

17. *Hactenus epiſtola, in qua Bulæus pro anno* 951. *annum* 955. *reponendum putat, nempe ut id quadret cum anno* 954. *quo Fulcarius apud Frodoardum ordinatus memoratur. Jacobus Vaſſor in hiſtoriam Noviomenſis eccleſiæ retinet annum priorem. Ceterum nemo (ut ſpero) moleſte feret, quod de Frodoardi monachatu fuſe diſſeruerim, non tam abſolute de eo pronuntians, quam alii auctores, quorum nihil intereſt. Equidem Natalis Alexander, vir doctus, relata Adelgagi epiſtola*, Ex hac Epiſtola, *inquit*, perſpicuum eſt Flodoardum monachum fuiſſe. *Itaque non immerito arguerer neglectæ Ordinis noſtri dignitatis, ſi ſaltem, quæ argumenta tantum virum nobis vindicare quoquo modo poſſunt, non afferrem in medium, relicto æquis lectoribus decretorio judicio.*

Alex. Natal. to 15. pag. 308.

Hucboldus monachus Orbacenſis.

18. *Frodoardum non dimiſero, quin prius ex ipſius Hiſtoria & Chronico memoriam fecerim* Hucboldi *monachi Orbacenſis, de quo id relatu accepit Frodoardus a quodam Presbytero, nempe ethnicos ſeu Hungaros*, frequenter eum trucidare voluiſſe, nec carnem ejus incidere potuiſſe. Deum ergo eum eſſe, *inquit*, dicere cœperunt. Quidam, ut hic Presbyter refert, nudum eum vidit in medio poſitum, & ſagittis undique appetitum, nec ſummo tenus, ſaltem cute præciſa vulneratum. Reſiliebant enim ab ejus corpore, ut ab adamante, reliſæ ſagittæ, nec ſignum intus ullum ejus apparebat in cute. Sed & gladio cum omni conatu eum nudum ſe vidiſſe percuti dicit: ac nihilo minus caro ipſius intemerata permanſit. *Idem iiſdem pæne verbis commemorat Frodoardus in hiſtoriæ lib.* 2. *cap.* 10. *ubi addit, Hungaros eum duxiſſe reveritos ſecum*, donec redemptus a quodam Epiſcopo, atque dimiſſus revertitur. *Id anno* 937. *contigiſſe Frodoardi Chronicon docet.*

SAN-

Digitized by Google

SANCTI MAURINI ABBATIS ET MARTYRIS CORPORIS INVENTIO

AN. CHR. 966 13. Oct.

& tranſlatio, facta in Colonienſi Monaſterio Sancti Pantaleonis.

Auctore STEPHANO ſæculi 10. ſcriptore.

Ex editione Suriana.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Coloniæ monaſteria tria.

1. *Tria exſtant apud Coloniam Agrippinam Ordinis noſtri virorum monaſteria, nempe ſancti Pantaleonis, ſancti Martini, & Tuitienſe. Primum ſancti Pantaleonis* ob vetuſtatem, *inquit Gelenius*, originis notitia caret. *Ejus primordia quidam referunt ad ſæculum Chriſti ſextum vel ſeptimum, quo tempore beatum* MAURINUM *Abbatem martyrio affectum ferunt: alii ad Brunonem Colonienſem Archiepiſcopum, quod mox expendemus. Sancti Martini Abbatia a ſitu* in Inſula, *quia Rheno circumluebatur, & a primis ejus incolis* Scottorum *dicta, ſi baſilicam ſpectes, æque obſcura habet initia: ſi monaſterium, Brunoni inſtaurationem, VVarino Archiepiſcopo Scottorum monachorum inſtitutionem refert Gelenius, apud quem VVarinus ibidem monaſticum habitum induiſſe dicitur. At Marianus Scotus ad annum 975. aliter ſentit, cum ait, Ebergerum Archiepiſcopum Colonienſem, qui VVarini ſucceſſor fuit,* immolaſſe Scotis in ſempiternum monaſterium ſancti Martini in Colonia: quibus primus Abbas præerat MINBORINUS Scotus annis 12. *Lege quæ Piligrinus ibidem fecit anno 1035. apud eumdem auctorem, ubi Helias utrique monaſterio, nempe ſancti Pantaleonis & ſancti Martini, præfuiſſe memoratur. Tuitienſis cœnobii ſuburbani certiores ſunt natales, quos Heriberto Archiepiſcopo ab ineunte ſæculo 11. deberi certum eſt cum ex aliis, tum ex Ruperto Abbate, qui locum maxime illuſtravit.*

S. Pantaleonis.

2. *Redeo ad ſancti Pantaleonis monaſterium, cujus antiquitatem bis fere argumentis probant. Nempe eo loco veterem ante Brunonis tempora exſtitiſſe ſancti Pantaleonis eccleſiam, quæ, ſicuti in diplomate Ludovici Pii & Lotharii Auguſtorum legitur, ad* theſaurum & luminaria matris eccleſiæ *Colonienſis pertinebat,* ſed & hoſpitale inibi ad pauperum receptionem conſtructum. *Et fortaſſe monachos illic fuiſſe, penes quos hoſpitalis cura erat. Deinde ſancti Maurini Abbatis oſſa ibidem reperta ſunt anno 966. cum hac inſcriptione:* Hic requieſcunt oſſa bonæ memoriæ Maurini Abbatis, qui in atrio baſilicæ martyrium pertulit ſub die quarto Idus Junii. *An non loci Abbas erat? Ejuſdem loci monachus exſtitiſſe fertur ſanctus Reynoldus martyr, de quo infra. Sed hæc omnia eccleſiam quidem ante Brunonem iſtic, non vero monaſterium fuiſſe probant. Nam & hoſpitalis mentio fit in ſuperiori diplomate, non monachorum: & Maurinus aliunde huc veniſſe potuit, ibique forte martyrium pertuliſſe: nec quidquam certi de Reynoldo ſtatui poteſt. Satius itaque eſt primam cœnobii originem referre ad Brunonem, de quo hæc leguntur in Chronico Magdeburgenſi mſ. ad annum 956.* BRUN Archiepiſcopus Colonienſis, frater Regis *Ottonis*, cœnobium ſancti Pantaleonis conſtruxit. *Primus loco præfectus eſt* CHRISTIANUS *Abbas, quem ex Trevirenſi ſancti Maximini monaſterio, ubi regularis diſciplina tunc vigebat, accitum fuiſſe conjicio. Ibidem ſepulta eſt Theophanu uxor Ottonis ſecundi Imperatoris anno 991.* Circa hæc tempora, *inquit Trithemius in Chronico Hirſaugienſi ad annum 972.* Hermannus Saxoniæ Dux conſtruxit monaſterium Lunæburgi in Saxonia in honorem ſancti Archangeli Michaelis, in quo monachos noſtri Ordinis poſuit: quibus præfecit Abbatem primum monachum de cœnobio ſancti Pantaleonis Colonienſis aſſumptum, nomine LUDERICUM, virum moribus & eruditione venerabilem. *Aliud ſancti Michaelis aſceterium condidit Bernvvardus Epiſcopus Hildenesheimenſis,* commiſſum ad regendum Abbatis officio GODERAMMO cœnobii ſancti Pantaleonis Præpoſito, *ut in Bernvvardi actis legitur, in Sæculo ſequenti.*

Brunonis Archiepiſcopi elogium.

3. *Antequam hinc pedem moveam, non ab re fuerit quædam præmittere de Brunone iſtius Abbatiæ conditore munifico, qui ſæculi decimi præcipuum fuit ornamentum. Ejus vitam eleganti ſtylo litteris mandavit* ROTGERUS, *qui ſcriptionem ſuam Folcmaro Archiepiſcopo, Brunonis ſucceſſori, nuncupavit hoc exordio.* Domino in Chriſti gratia beatiſſimo, atque in omni ſplendore ſapientiæ perfectiſſimo FOLCMARO Archiepiſcopo, ROTHGERUS ſervorum ſuorum ultimus, veræ claritatis gloriam ſempiternam. Impoſuit ſanctitatis veſtræ reverentia ſuper caput meum gravem quidem ſarcinam, ſed pro captu parvitatis meæ dulcem admodum & jucundam: videlicet ut vitam mirabilis & magnifici Archiepiſcopi Brunonis, qua potuerim ſermonis facultate

Digitized by Google

AN.CHR. 966 13 Oct. tate deſcriberem &c. *Hunc auctorem Surius* Benedictinum *vocat. Miræus addit* monachum ſancti Pantaleonis. *Trithemius ei ſuffragatur. Rotgerus ipſe id nobis divinandum reliquit, uti & Sigebertus, qui in lib. de ſcriptoribus eccleſiaſticis cap.* 130. Rogerus, *inquit*, ſcripſit vitam Brunonis Colonienſis Archiepiſcopi, qui fuit Dux & frater Othonis Imperatoris. *Nec plura Ægidius Auræ-vallis monachus, in cap.* 34. *de geſtis Leodienſium Epiſcoporum. Errant qui Rotgerum hunc confundunt cum Rotgerio monaſterii ſanctæ Crucis ſeu ſancti Leutfredi in Neuſtria monacho, Guitmundi diſcipulo, qui integro ſæculo poſt Brunonis encomiaſten vixit. Siquidem hic Folcmaro Brunonis ſucceſſori librum ſuum dicat, eumque ſcripſit, cum Baldricus Brunonis præceptor, Trajecti ad Rhenum Epiſcopus, adhuc in vivis ſupereſſet ex cap.* 4. *Ergo Baldricus Brunonis præceptor non fuit ille Trajecti ad Moſam Epiſcopus, uti Chapeavillus exiſtimavit. Siquidem anno* 958. *obiit, ſeptimo anno ante Brunonem. Quidquid ſit de Rotgero, Bruno litterarum ſtudiis optime excultus, alios etiam plures iiſdem informavit.* Annos circiter quatuor habens, liberalibus litterarum ſtudiis imbuendus, BALDRICO venerabili Epiſcopo, qui adhuc ſupereſt, *ait Rotgerus*, Trajectum * miſſus eſt. *Prudentium poetam legere amabat.* Nullum penitus erat ſtudiorum liberalium genus in omni græca vel latina eloquentia, quod ingenii ſui vivacitatem aufugeret. Libros, in quibus ſtuduit, aut quoſcumque præ oculis habuit, incaute refringi, aut corrugari, vel quomodolibet minus diligenter tractari omnino ægerrime tulit. *Heinrico patre mortuo, ab Ottone fratre jam Rege in palatium evocatus eſt.* ISRAEL Epiſcopus Scotigena, ſub cujus magiſterio illuſtriſſimus hic plurimum ſe profeciſſe teſtatus eſt, de moribus ejus requiſitus a quibuſdam, ſanctum eum apprime virum eſſe reſpondit. Latialem eloquentiam non in ſe ſolum, ubi excelluit, ſed & in multis aliis politam reddidit & illuſtrem . . . Scurrilia & mimica, quæ in comœdiis & tragœdiis a perſonis variis edita, quidam concrepantes, riſu ſe infinito concutiunt, ipſe ſemper ſerio lectitabat: materiam pro minimo, auctoritatem in verborum compoſitionibus pro maximo reputabat. Translatitiis uſus eſt ſcholis, non corpore quidem, ſed mente quietus. Quocumque enim circumagebantur tabernacula aut caſtra regalia, bibliothecam ſuam, ſicut Arcam Dominicam, circumduxit, ferens ſecum & cauſam ſtudii ſui, & inſtrumentum: cauſam in divinis, inſtrumentum in gentilibus libris.

(cap. 4. — * Utrech. — cap. 5. — cap. 6. — cap. 7.)

cap. 9. 4. Prima diſpenſatio credita eſt illi adhuc adoleſcenti in quibuſdam monaſteriis, in quibus degentes cum idoneo eccleſiæ teſtimonio, partim voluntate, partim vi ad regularem vitam conſtrinxit, ſciens quod & invitis bona præſtantur: ipſaque poſt paullulum Deo ſacrata loca, annuente regia liberalitate, privilegiis & immunitatibus priſtinis reformavit, nihil ſibi ſuiſve exinde beneficii jure reſervans, niſi quantum cœnobiorum patres ſponte cauſa charitatis obtulerant. In his exſtat *Loresham*, locus Regum munificentia nobilis, adhuc in memoriam tanti viri retinens & prærogativam libertatis, & monimenta religionis. cap. 11. Abbas *appellatur in Chronico Frodoardi, ubi de Synodo Virdunenſi, quæ anno* 947. *habita eſt*, præſente Brunone, fratre Regis Othonis. *VVicfrido Colonienſi Archiepiſcopo mortuo, eligentium vota in Brunonem conſpirarunt.* In ea electione præter ceteros GODEFRIDUS floruit Epiſcopus. cap. 19. Bruno anno 953. in ſede Colonienſi inſtitutus, de religione primo & cultu Dei ſecundum datam ſibi ſapientiam inſtituit, ut multitudinis quæ in diverſis congregationibus ad ejus honorabilem ſedem pertinentibus erat, unum cor eſſet & anima una: ut veſtium ſuperfluitas, morum inæqualitas, & quidquid hoc modo effœminatum & indecens in ejus eccleſia videretur, vera & ſpirituali circumciſione diligentiſſime abſcinderetur: ut divinis myſteriis omnes, quorum id intererat, intentiſſime ſecundum præfixam ſibi regulam viverent, nec aliam cap. 23. ſibi ſuæ ſalutis cauſam æſtimarent ... Synodicam ſuam epiſtolam per HADAMARUM venerabilem monaſterii Fuldenſis Abbatem Romam ad Agapetum miræ ſanctitatis Papam direxit, *Hadamarus ſeu Hadumarus pallium ipſi retulit*, ferens ſimul reliquias de proprio corpore ſancti Pantaleonis martyris . . . Properavit in occurſum ejus læta civitas, conveniens in ſuburbio prope antiquum locum, ubi eccleſia pretioſi Martyris erat inculta adhuc & ruinæ proxima. Ibi depoſita ſunt grata onera, deinde ſuo quæque loco repoſita.

cap. 24. S. Pantaleonis monaſterium condit. 5. Non multo poſt ibidem, utpute in loco ſecretiori, & ab urbanæ inquietudinis moleſtia remotiori, Fratres in laude divina pervigiles & ſollicitos ſub monaſticæ regula diſciplinæ Domino ſervire inſtituit: quibus Abbatem præpoſuit, nomine Chriſtianum, ſuæ videlicet profeſſionis phoronomum, & in lege Domini, ſicut hunc decuit ordinem, apprime eruditum. Cui ordinato hoc breve commonitorium, *ait Rotgerus*, de Occidentis partibus „ ſcripſit: Ut ſis quod vocaris, cura gentilitatine degeneres. Id ſerio triumpha, ut non ſicut „ prius antiquetur, ſed de virtute in virtutem ut eatur nava. *Erat ergo tunc in Francia Rotgerus, unde Chriſtianum Abbatem monet, ut de augendo rei Chriſtianæ & monaſticæ fervore ſerio cogitet. Hinc monachum fuiſſe Rotgerum colligere licet, & quidem antequam Chriſtianus regimini ſancti Pantaleonis admoveretur, id eſt ante annum* 960. *Faceſſant ergo qui hunc Rogerum eumdem eſſe volunt cum Rotgero Guitmundi diſcipulo, qui annum* 980. *exceſſit.*

cap. 32. Incluſos fovet. 6. *Bruno* interea certatim multis in locis per parochias Epiſcopii ſui eccleſias, monaſteria, & cetera ædificia *ſacra*, quædam a fundamentis erexit, quædam prius fundata nobiliter auxit, alia olim diruta reparavit ... Et ut nihil quod divini cultus uſui competeret, ſagax eorum quæ ſunt Jeſu-Chriſti ſcrutator intentatum relinqueret, ſi quos aut in ſuorum ovilium ſæptis, aut extra reperit, qui ſingulari acie contra diabolum dimicaturi ſolitariam vitam appe-

Digitized by Google

appeterent, hos cum omni veneratione ſuſceptos, ſuæ quoque exhortationis caritativa conſolatione munitos, per diverſas monaſteriorum & eccleſiarum cellulas, cum idoneo Eccleſiæ teſtimonio & religioſo (ut decebat) officio, alibi ſingulos, alibi binos incluſit: quibus tamen ad invicem, niſi ſermone tantum & adſpectu, nullus pateret acceſſus. His ſumptus, & quæcumque humanæ fragilitati neceſſaria videbantur, per fideliſſimos ſuæ adminiſtrationis vicarios ſollicite miniſtravit; & præcipue per Apoſtolorum feſta, quotquot in anno occurrerent, ſingulatim eos donis congruentibus viſitavit. *Hæc ex Brunonis actis per Rotgerum delibare viſum eſt, tum ad res noſtras, tum ad ſæculi decimi ſtatum illuſtrandum. De eo ſæpe agit Chronicon Magdeburgenſe, ut ad annum 953. quo VVicfrido Colonienſi Archiepiſcopo ſucceſſiſſe dicitur* Bruno frater Regis glorioſus, *qui* totius Lotharienſis regni Ducatum & regimen cum Epiſcopatu ſuſcepit. Ita cum magna religione uſus eſt officio Sacerdotis, & exigente neceſſitate functus eſt virtute magnanimi Ducis. Nemo autem ſuper hac re illum culpabilem dicat; cum Samuelem ſanctum, & alios plures, Sacerdotes pariter legamus & Judices. *Ceterum Remis obiit Bruno anno 945. in reditu e conventu Compendienſi, ubi* nepotes ſuos, *id eſt Lotharium Regem & Hugonis Magni filios,* ab invicem diffidentes ad concordiam *revocavit. Ejus corpus Coloniam relatum, teſtante Rotgero his verbis.* Secundum poſtulationem & deſiderium cordis ejus, quo flagrabat in extremis ſuis, *ſepultum eſt* in monaſterio monachorum, quod in honore ſanctorum Pantaleonis, Coſmæ & Damiani, atque Quirini extra urbis muros conſtruxit. *Perſtat etiam nunc iſtud monaſterium ſub Congregatione Burſfeldenſi, cum aliis duobus ſupra memoratis. Præter duo monaſteria, nempe ſancti Pantaleonis & ſancti Martini, Bruno tertium ſancti Andreæ in urbe condidiſſe memoratur in Chronico Laureshamenſi ad annum 921. Gelenius Canonicorum fuiſſe dicit, neſcio an ſatis certo fundamento. Mihi divinare religio eſt.* AN CHR. 966 13. Oct.

6. *Maurini vitæ ſcriptor, nomine* STEPHANUS, *non alio ſe quam* exigui *titulo deſignat. Opus ſuum nuncupat Chriſtiano ſancti Pantaleonis Abbati, qui reſtituto a Brunone Pontifice monaſterio præfuit ad annum Chriſti undemilleſimum. Id non niſi poſt Folcmari Archiepiſcopi, Brunoniſque ſucceſſoris, mortem ab ſe incohatum Stephanus innuit, ubi eum* ſanctæ memoriæ antiſtitem *vocat. Idem de Gerone, Folcmari ſucceſſore dicendum, quem eodem* ſanctæ memoriæ *titulo compellat. Sub VVarino ergo pontifice poſt annum 980. ſcribendæ inventionis hiſtoriæ manum admoverit. Cujus Ordinis aut profeſſionis fuerit Stephanus, nullibi traditum: Colonia tum cum ſcriberet abſfuiſſe, ſatis indicat in prologo, quem hic integrum recudimus. Cum vero nihil de Maurini vita certum reſciret hic auctor, elogium ejus phaleratis pro tempore verbis contexuit, in quibus id unum docemur, quod Maurinum patricii fuiſſe generis ſubindicat. At illud unde nam haurire potuit? An vero is alius a Marino Abbate & Martyre, de quo in Sæculi 3. parte 1. pag. 534. egimus?* Stephanus auctor vitæ S. Maurini.

7. *Chriſtianum Abbatem ſancti Pantaleonis Gelenius* beati *titulo coboneſtat: ſed præter ipſum alium auctorem non vidi, qui Chriſtiano hunc titulum tribuat. Virum pietate inſignem fuiſſe non dubitamus, de quo honorifica mentio facta eſt ſupra ex actis ſancti Brunonis. Non abſimili modo Tritbemius in Chronico Hirſaugienſi ad annum 964. Chriſtianum Abbatem laudat, ejuſque vitam* concordare vocabulo *teſtatur. Chriſtiani obitum Gelenius anno æræ communis 998. conſignat ad 12. Kal. Aprilis. Unde notat apud Miræum in fundatione Thorenſi anno 992. pro Joanne Abbate ſancti Pantaleonis legendum eſſe Chriſtianum. Nec plura de eo.* Chriſtianus Abbas.

8. *Præter Chriſtianum Abbatem, Pantaleonenſe cœnobium multos tulit Abbates atque monachos pietate inſignes, de quibus Lambertus Scafnaburgenſis ad annum 1071. ſcribit,* monachos ibi degentes, non homines, ſed Angelos terreſtres *ab æquis rerum æſtimatoribus* ferri. *Eorum elenchum Gelenius in Syntagmate 12. hiſtoriæ Colonienſis edidit: cui nonnulla attexere juvat. De Rodulfo ex Abbate ſancti Trudonis, ad ſancti Pantaleonis regimen evocato, notandum inprimis, hunc, antequam priori loco cederet, a Pantaleonenſibus monachis rogatum quid de exacta pro oblatis in Monaſterio pueris pecunia ſentiret, opuſculum edidiſſe, quod in Analectorum tomo 2. vulgatum eſt. Is perperam a nonnullis in S. Pantaleonis Abbatiam intruſus dicitur, cum ejus promotio libera fratrum electione celebrata ſit. Intruſus ille, cujus occaſione VVolbero tum eccleſiæ cuſtos, poſtmodum Abbas viſum habuit, quo Fredericus Archiepiſcopus ob violata monaſterii jura in piacularibus flammis gemebat, alius eſt a Rodulfo, forſan Gerardus, qui tamen rei bene ac temperanter geſtæ nomen ad poſteros tranſmiſit.* Monachi pii S. Pantaleonis.

9. *In Pantaleonenſi baſilica præter ſancti Maurini reliquias ſervari etiam perhibentur ſanctorum Albini ſeu Albani, Reynoldi, uti & Brunonis Archiepiſcopi & fundatoris, atque Theophaniæ Auguſtæ corpora: de quibus plura dicere ſuperſedemus. Fabuloſa ſunt quæ de Reynoldo martyre & quidem (ut putant) monacho referuntur tum apud Bollandum ad diem 7. Januarii, tum in membranis cœnobii Pantaleonis: ex quibus nihil fere ſani elici poteſt.*

PRO-

Digitized by Google

CIRCA AN. 965 13. Octob.

PROLOGUS AUCTORIS.

DOmino Chriſtiano Stephanus exiguus. Imponis, Pater, mihi, quod ferre non poſſunt humeri. Maurinum præcipis laudare, & ejus opera ſtylo dare; quorum unum officium eſt Angelorum, alterum hominum ſapientiſſimorum. Si Martyr invictus, in ore & mente bonorum omnium ſcriptus, litteras deſiderat; habet Colonia Agrippina, ſecunda (ſi dignatur dici) Roma, ſuos Gregorios, habet Hieronymos, quos ſupernæ civitatis decet ſcribere conſules. Sunt nihilominus ſub aliis tuis educati non pauci, qui indeficientem Nilum viderunt & biberunt, ſeque huic operi pares oſtentant. Quid ergo mihi in ſilvam ferre ligna? Bruno ille nobilis filius columbæ, ſacrarium ſapientiæ, te invenit, in quo complacuit animæ ſuæ. Compertum quantum præſtitiſtis ſæculo, chari invicem & noti, & in verbis prudentiæ ſæpe admirati. Tui ergo & prædictorum officii eſt cælitum merita tractare, quibus invidiam promereri eſt facile: niſi forte admirabili ſapientia animi tui hoc Maurini miraculum addere decreviſti, ut ei hominis organo jumentum Balaam deſerviat. Pareo hac conditione interpoſita, ut ſupremam manum imponas operi, & titulum tuo dedices nomini.

CAPUT I. Summa & vel unica ſalus eſt ægris mortalibus, quod electos ſuos ita Chriſtus cælis diviſit & terris, & ſpiritus cæleſti habitatione dignos ſuperis admitteret, & terræ terrena permitteret, &c.

II. Clarum eſt, ſi in eo patricii ſanguinis ſtemma recenſemus. Major ei nobilitas eſt, confratrem eſſe Martyrum, coheredem Apoſtolorum, & ſocium Angelorum, &c.

III. *Maurinus Martyr incognitus ad annum 966.* Peracto beato agonis ſui triumpho, egregius Dei athleta Maurinus, locus tumuli cælo tantum notus, & Angelici tantum obſequii reverentia veneratus, * habitavit uſque ad incarnati Verbi annum nongenteſimum ſexageſimum ſextum, agente tum in ſceptris divo OTTONE. Ceſſerat abhinc anno humanis officiis ejuſdem principis divus frater BRUNO archos-antiſtes; & mutata vita, Chriſtorum Domini ante Deum captabat præmia: qui corpore extra muros urbis ſecundum deſiderium cordis ſui reconditus in oratoriolo ſanctorum Pantaleonis Coſmæ ac Damiani medicorum Domini, locum quem vivens coluit, mortuus ornabat. * Erat autem oratoriolum pro tenera novellæ converſationis infantia anguſtum, & magnis meritis magni Præſulis impar. *S. Pantaleonis eccleſia ruente, *ab ordinabat.* Ruit ergo ſolo tenus piiſſimo divinæ potentiæ effectu ſine inhabitantium diſcrimine, ſine familiaris rei damno, & ſui ruina occaſionem editioris fabricæ præbuit. *Sepulcrum ejus reperitur.* Cæli quoque inopinatas dederunt copias proventuro operi theſaurum inexhauſtum, gemmam diadematis Domini, curam ſui & angelici populi. Nam quia non potuit latere ſub modio lucerna ardens coram Domino, dum ponendo fundamento terra effoditur, loculus, gloria tibi Chriſte, Maurini martyris invenitur, qui Brunoni manum conferret, & in altero latere Pantaleoni adſtaret. *Præſente Folcmaro Archiepiſcopo,* FOLCMARUS ergo dignus Deo, digni Brunonis in ſacerdotio ſucceſſor, vocatus adfuit cæleſtis doni arbiter, & cæleſtium exſequiarum miniſter. Ac primo pervidetur lapis loculum claudens, inſcriptus Martyris nomine & officio, & martyrii ejus die & loco: *Hic requieſcunt oſſa bonæ memoriæ Maurini Abbatis, qui in atrio eccleſiæ martyrium pertulit ſub die quarto Idus Junii.*

IV. Amoto lapide, lignea ferro evincta invenitur arcula, carie indicans priſcæ paſſionis tempora. Tota omnibus portis civitas ad ſpectaculum illud angelicum non poteſt dici quam pio ruit affectu: clerus, & ſanctimonialium ſe dedit chorus. Sanctæ autem memoriæ Antiſtes, cum reverentiæ obſequia & orationum prælibaſſet ſollemnia, & ſpe & ſancto plenus timore reliquias virtutum & medelæ ſcias detexit, & oſtenſo in terris Angelorum cive, populum *Detegitur.*

Dei

CIRCA AN. 965 13. Octob.

Dei gaudio & gaudii lacrymis ſatiavit. Renovantur antiqua miracula, hauritur odor, quo electos ſuos Dominus teſtatur. Putares balſamis veneranda oſſa fluere. Vincitur ſermo miraculo: minus eſt omne quod dico, ſed qui hodierna agitis gaudia, in æternum eadem vos ſatiari contingat fragrantia. Jam vero quis non dicam expediet, ſed digne miretur ipſorum pulchram gloriam oſſium? Pulchro namque corporis indumento, quanta ſit ſpiritus pulchritudo & munditia, compertum eſt. Videres brachia nota ferri inſcripta, videres oſſa paſſionis grandine quaſſa, & in toto corpore militaris animi cerneres ſigna; velut Ducum aut Regum cadavera byſſus liliis, aut purpura contendens violis, aut detorti pondera auri. Quid ſunt autem hæc ad Maurini collata gloriam? Byſſus & purpura, vermium eſt eſca: Maurini cicatrices & vulnera ſunt immortalitatis ſigna.

cum Martyrii inſignibus.

V. *Reginildis ſanctimonialis ægra:*

Hic quædam Reginildis nomine, ſanctimonialis femina, cum Maria Magdalena prima ad ſepulcrum reſpecta, viventem ſpiritum in mortuis oſſibus invenit & nutiavit. Hæc in monaſterio *a* ancillarum Chriſti extra urbis muros ſito, merito & officio nota, diutino capitis incommodo auditus munere caſſata eſt; ſimul & oculorum lumine pæne privata. Circa quam cum omnia medicorum defeciſſent adjutoria, ſe deſperatione recuperandi, ſociaſque mæroris habitu offudit. Jam ferme bimus ſitu invaluit dolor, &, ut dicitur, juxta ſtatum capitis, ſtatus totius erat corporis. Quamvis autem eſſet deſtituta viribus corporis, imbecillos ſuſtentata artus, mediam ſe populi, baculo ſancti deſiderii prævio, ad ſancti uſque buſtum injecit ſe humi, tacitas preces cælo fudit, & Martyri libam fecit lumine cerei, flagrans lumine fidei. Cumque quem mente videbat, carnis oculis, quos pæne amiſerat, intueri deſideraret, & caput in loculo Martyris reclinaret; utriuſque auris meatus ſanguine fluxit, & fidei pretio viſus & auditus munia redemit, incolumiſque officio quod agebatur jubilavit, & quotquot angelico iili ſpectaculo intererant, in fide ſubrexit.

auditum viſumque recipit.

VI. *Gero ob Martyri dentem evulſum torquetur.*

Sanctæ autem memoriæ Gero *b*, poſt datus Epiſcopus dignus Deo, ſecundo loco beati Martyris meritum agnovit & prædicavit. Cum enim adſtante Folcmaro præſule, delectæ ſecundi ordinis perſonæ pretioſas ſancti corporis margaritas, vino ex devotione baptizatas, novo ordinarent repoſitorio, officioſa ſe ſedulitate admiſit, & egregie audax, uno Martyrem dente mutilavit. Mira dicturus ſum. Mox in ipſa manu rapti teſte pœnas dedit, & inviſibili igne non ardens arſit. Agnovit eruditus animus cæleſtem animadverſionem, quam ſolus ſenſit, ſed videre ipſe non potuit. Quid ageret? Libenter pignus retineret: ſed pœnam ſuſtinens etiam animo majorem, exſpectatione fortius, niſi reddidiſſet, torquebatur. Deducuntur interim pignora Sancti, comitante populo arcam Domini, in voce exſultationis & confeſſionis epulante. Præerat tunc monaſterio ſanctæ Mariæ Dominæ noſtræ, quod dicitur Novum, venerabilis Wolvereda, Virginum Dei Mater & Abbatiſſa, quæ huic ſpectaculo intererat, & pſalmorum cantica in codice recitabat. Hanc Gero accivit, & cum reverentia in libro ſanctum dencem depoſuit, complacuitque Martyri quies in acerra thuris davidici: factumque eſt unum idemque momentum, dentem poſuiſſe & paſſionem: demonſtraſtique, Jeſu bone, quanta Martyrem tuum diligentia velis tractari, hujuſque rei pretium eſſe a gehenna liberari. Poſita ſunt autem debito fidelium honore oſſa beatiſſimi Maurini in oratorio ſancti Benedicti ſub die tertio Idus Octobris.

Wolvereda Abbatiſſa dentem recepit.

Sancti oſſa in oratorio S. Benedicti depoſita.

VII. *Thiedo cuſtos S. Severini, tum Epiſcopus, reliquiarum quoque partem ſubducit.*

Magnis majora,glorioſis ſuccedunt glorioſiora. Thiedo *c* poſt datus Epiſcopus, tunc in monaſterio ſancti Severini cuſtodis officium adminiſtrabat.

---

a Quodnam fuerit iſtud monaſterium, diſcere non potuimus. Videtur fuiſſe Monaſterium Novum beatæ Mariæ, de quo in capite ſequenti.

b Gero ex Ducibus Luſatiæ Saxo, inquit Gelenius, auctor Gladbacenſis cœnobii, ut inferius dicemus in Elogio Sandradi Abbatis.

c Thiedonis in Notitia Epiſcopatuum Germaniæ mentio nulla. Niſi ſi is pro Dodone Monaſterienſi Epiſcopo; qui & Oſnabrugenſem rexit eccleſiam, accipiendus eſt.

Digitized by Google

CIRCA AN. 965. 13. Octob.

bat. Is non diſſimili devotionis affectu de ſancti Martyris corpore quod occurrit, latenter tulit, ſibi ſuiſque domi profuturum. Cum jam nox eſſet, in familiariori loco poſuit. Ecce in diluculum cum locus ipſe, tum proxima quæque tantæ ſuavitatis completa ſunt fragrantia, ut evidens eſſet cælos eam diſtillaſſe gloriam. Res nova, miraculum illuſtre! ingredientes & egredientes cæleſti communicantur beneficio, ſed latet cauſa. Quod in Maurino Deus operatur, ſentitur, nil tamen ipſius ibi ſcitur. Libet hic paullulum immorari, & in miraculo aliud miraculum demirari. Uſum hic cum natura odor perdidit. Nam cum ſubito proceſſerit, poſt duas aut tres horas more ſolito non receſſit; nec cum integro die ætatem æquavit; ſed fere ſeptem ſolibus ſine exemplo ſenuit. De agris, de plateis curritur, irruit alter poſt alterum, facturi quique per ſeipſos inſolitæ novitatis fidem. Rumor & odor vero nituntur, cauſa neque etiam opinatur, datur tandem gloria Deo, gloria martyri; res namque nobilior de commiſſo redditur. Thiedo aperuit verbum emiſſum Patri monaſterii, in cujus tuitione * eſt Martyr; alter poſt alterum, quiſque notum quaſi novum nuntiat. Is ſicut eſt divini timoris & amoris apprime ſcientia eruditus, ſciens quia omnia quæcumque voluit Dominus fecit, animum fidei dedit, & totius animi organis alleluja ſonuit. Placuit tamen ei duos ſuæ congregationis fratres mittere, quatenus & eos in cultum ſancti excitaret, & filiorum relatione ſuum ſuorumque animos indulcaret. Profecti ergo, non ſolum ut dicta eis ſunt, invenerunt, ſed ſecum fratribus non modicas odoris detulere reliquias. Putares ipſos affectus, & ſecum quoquo ibant circumferre aromata. Venerabilis autem monaſterii rector magnitudine gaudii & dulcedine animi demum attractus deſcendit, divino animum nectare pavit, & grata viciſſitudine thura * laudis Deo litavit. Folcmarus quoque *reverendus* antiſtes & ipſe adveniens rumorem auxit, & honorem ampliavit. *Sanctus* namque cum ſuo odore reliquias in altario beati Severini locavit, & *junctos* in cælo, in terris ſociavit.

* al. Turnone

Is duos ad S. Severinum monachos præmittit,

Sequitur ipſe.

* al. jura

Folcmarus Antiſtes, reliquias in altari locat,

VIII

Æger ipſe ſanatur.

In ſemetipſo quoque idem Antiſtes expertus eſt, quanti ſit apud Deum meriti Maurinus emeritus miles. Superveniente namque ſacratiſſima paſchalis gaudii ſollemnitate, vehementi oculorum dolore cœpit fatigari. Vir autem venerandus flagello divinæ admonitionis æquo quidem animo membra ſubſtravit: ſed mærore amplius deficiebat, ne forte nobilis Colonia ſine epiſcopali officio ſanctum perageret Paſcha. Quinta autem feria, quam Indulgentiæ diem nominant, vix magno imbecilli hominis & devoti animi conflictu pontificalia adminiſtravit, & uſque ad lectum languor invaluit. Sed dum Maurinum animo reducit, conſilium Præſul invenit. Denique patrem monaſterii, in quo martyrium ſancti floret, ſecreto accivit, cui languoris „ ſui inclementiam paucis aperuit. Semper quidem, inquit, Chriſtiani animo „ divina deſideranda eſt correptio, quæ ſemper filiis fit in ſalutem. Caro enim „ attrita conſcientiam purgat, ſpiritum emaculat. Ecce devotus porto flagel- „ lum, quod miſit Dominus: ſed vides quantus populoſæ civitatis in eccleſia „ concurſus, vides quantus de remotiſſimis etiam regionibus feſtivitate invi- „ tante confluxerit populus: quos omnes in judicium mei ſine fructu laboris, „ ſine exhortatione ſermonis, ſine viatico benedictionis in ſua dimitto. Naſci- „ tur tamen mihi quædam ſecuritas, quod ſi quid de memoria ſancti Maurini „ ad me delatum fuerit, mihi quoque quam omnibus impendit, miſericordiam non denegabit. Tum diſceſſum eſt. Die autem facto, qui Dominica paſſione colebatur illuſtris, dentem beati Martyris ægrotanti præfatus Abbas ad lectum mittit Antiſtitis. Comitatur ſanctum pignus cæleſtis medelæ munus. Nuntiatis enim Monachis, aſſurgit ſacerdos venienti in ſuo pignore Martyri, quaſi audiens, Surge & ambula. Depreſſis alta reverentia luminibus dentem admovit, & quod mulier evangelica tactu fimbriarum Domini accepit, ſe accepiſſe exſultavit. Subito enim dolor omnis fugiebat, ante ſanctum ſtare non poterat. Sic, inclyte martyr, eccleſiæ Epiſcopum perdonaſti, & Regis tui Paſcha honoraſti. Die autem ſancti Paſchæ cum inter Miſ-

ſarum

Digitized by Google

ſarum ſollemnia pro jucunditate feſti Præſul verbum faceret, ſermonis ductu ad ſalutis ſuæ migravit auſpicem. Stupentibus cunctis, quibuſdam vero gaudentibus, Maurinum vere ſanctum, Deo charum, quæcumque voluerit impetrare a Deo compotem libera voce: pronuntiavit: morbi ſui inclementiam, ſed in adventu ſancti ſubitam edocet fugam. Pontificali deinde ſtatuit edicto, ut dies paſſionis ejus honorabilis celebriſque inter nobiles anni feſtivitates numeretur. Similitudo autem quædam dubii animi Thomæ ſanctiſſimi Meginhero cuidam, nomine & officio noto, oborta eſt, quod ſcilicet Martyr & nomine eſſet obſcurus, & excepto epitaphii verbo, ſcripturæ teſtimonio careret. Pontifex autem teſtis ſui ſententiam fixit, quique dentem ſanctum curatorem ſuum dum advixit ita coluit, ut in modico pignore totum ſe Martyrem habere confideret.

CIRCA AN. 965 13. Octob.

Feſtum Sancti ab eo indictum.

IX. Siccitas in aquas reſolvitur.

Interea ſiccitatis flagello univerſa laborabat regio. Ad nota ergo præſidia ſancta confugit Colonia, precibuſque & ſacrificiis inſtabat iniqui ſereni redimere malitiam. Procedebant litaniæ, exibat clerus, prodibat ſanctimonialium chorus, & longa populorum examina ſanctæ crucis vexilla & ſanctorum Martyrum deducebant ſuffragia. Sed divina ſententia, forte quia fidem & patientiam in populo ſuo quæſivit, ſpatio duorum fere menſium pulviam ſuſpendit. Erat autem videre mori pro ventura ſpe anni. Squalebant arva pulvere, & flavi ſulci ad aquas hiabant. Superveniente autem ſacratiſſima beati Maurini paſſionis die, eccleſiæ beatæ memoriæ Dei Genitricis & ſemper virginis, & ſanctiſſimi cælorum Clavigeri ſenatorius clerus, & diverſæ conditionis populus duce Meginhero (nam Epiſcopus aberat) ad memoriam Sancti cum litaniis deſcendit. Denique promptus jam dubium ponere animum, pro anguſtia temporis idem Meginherus ad martyrium populo Miſſas facit. Ventum eſt ad ſermonis ſui ordinem, convenientia pro tribulatione dicta ſunt: Cumque
„ ſermonis virtute cor populi erigeret, hæc ita ſubintulit. Ecce, inquit,
„ miſit Dominus verbum in terra, quod non viderunt patres noſtri. Ecce
„ enim populoſa civitas iterum atque iterum ad deprecandum faciem Domi-
„ ni mittit ſenes & juvenes, mittit pueros & virgines, cœtuſque infantium
„ & lactentium nitidos, omnem clerum & univerſum populum; & non eſt
„ qui exaudiatur. Et quæ eſt ſub noſtro ſole civitas hac noſtra locupletior
„ Sanctorum? ubi Apoſtolorum patrocinia ſic præſentia? ubi tot in unis *cu-
„ bilibus Martyrum millia, & tot aurea virginum agmina? ubi ſic præſentes
„ Confeſſores & Epiſcopi, qui genuerunt hunc populum Domini? apud quos
„ rugiebant dæmones, quorum præſentiam portare non poterant, nos pro
„ anima & patria ſupplicantes audire diſſimulant. Sitit dura tellus, languet
„ omnis regio, & juxta Jeremiam, *Non recordatur Dominus ſcabelli pedum ſuo-*
„ *rum in ira furoris ſui*. O inclyta Domini caſtra, armate animos perſeveran-
„ tia, & experimini vim facere clauſo cælo. Erigere in fide, miles Dei, &
„ nubem ne tranſeat oratio oppoſitam, vel Maurino ſcinde patrono. Si hunc
„ Dominus fatiſcenti revelavit ſubſidium ſæculo, donet hodie hanc nobis qui-
„ dem miſericordiam, martyri autem ſuo gloriam, ut ſicut hodie pro ſe hic
„ martyr ſanguinem ſuum fudit, ita pro eo terris benedictionem pluviæ Dominus fundat. Dixit, & ſalutarem hoſtiam immolatum aſcendit: & ecce in ſereniſſimo aere Elias noſter nubila contraxit, tonitru omne cælum mugiit. Sicque largiſſimam pluviam dedit, ut per aliquot horarum ſpatium, qui convenerant, extra locum exire non poſſent ſicque unius dubitatione ſalus facta eſt patriæ. Mira dicturus ſum: multis poſtea annis juſſi ſunt cæli legem pati, & annuum curſum obſervare hujus diei, ut annua pluvia hoc tanti beneficium ſigni ad memoriam revocarent: unde & Martyrem vulgus nominant Sanctum pluvialem; nos autem æterna miſericordia dicimus liberalem.

* al. imis

X. Varico morbo laborans puer ſanatur.

Quia cœpi, loquar opera Domini. Puero cuidam morbus, quem dicunt Varicum, denſa viſum caligine obnubit, & oculorum munus exſtinxit. Fluxerat decem annorum orbita, cum quadam die data manu puellæ, quæ ei dux erat & oculus, ad memoriam ſancti Maurini pervenit. Aliquamdiu ora-

Digitized by Google

CIRCA AN. 965 13. Octob. tum eſt: tum puella, quæ orbati, ut dictum eſt, greſſus regebat; humi fuſum tetigit, ſurgat & abeat præcipit. Tu, inquit ille, abeas, viam quam volueris carpas: mihi opitulatione hujus piiſſimi patris oculi familiariſſimi viæ collati ſunt duces. Surgens autem, ex ſciſſione caliginis genas gutta ſanguinis appa-paruit cruentatus, videntes videns, & viæ ducem ulterius non requirens. Coloniæ natus & educatus, facie ſed & genere notus, cognatos & affines gaudio, & totam civitatem miraculo, & martyris complevit præconio.

XI. Item inguinaria peſte percuſſus Preſbyter. Theusburg nomen eſt villæ. Hic ante aliquot annos inguinaria Dei permiſſu debacchata eſt peſtis, & non paucos inopina morte ſoporavit. Inter alios presbyterum eccleſiæ proviſorem morbus invadit, qui hoc conſilio mortem diſtulit. Qui ſe familiarius curabant, rogat ut amicorum & parentum ſubvectione Coloniam veniat, ad memoriam, inquit, Martyris, qui ibi recens revelatus, ſignorum virtute coruſcat. Viſa ſunt verba hæc amentis & deliri, quia toto fere homine mortuum attendebant. Cumque ante oculos & ejus vires, & viſitata ſubinde tum ſubtractorum ab hac luce ponerent exempla, quaſi in ſepulcro eum videbant. Is autem confortatus fide, de lecto ſe ſuper baculum dedit, & ſtupentibus cunctis pedem trahere poſt pedem tentabat. Evidenter hic enituit, quia ſicut Agnus ubique eſt, ita & qui Agnum quocumque ierit, ſequuntur, ubi fideliter invocati opitulatione præſentes ſunt. Nam qui de lecto fere mortuus deſcendit, mox ad quem tendit ſibi adeſſe martyrem ſentit: quoque ulterius proceſſit, eo amplius viribus valuit: Et ſicut ignis fervore amplius caleſcit, qui vicinus accedit: ita dum civitati appropiat, clementius ægrotat: ubi autem ad memoriam Sancti ventum & oratum eſt, & ſibi & omnibus in præfata villa eodem morbo laborantibus, integerrimam ſanitatem fidei auro obtinuit.

XII. Longum eſt ire per ſingula, quomodo virtutibus juſtus ut palma floreat. Sed ecce dum qui prope & qui longe ſunt, inter nos fontem *ſalutis hauriunt*, timeamus ne nobis ſit judicio, ſi medicum habentes *ægrotamus*. Loco patris & medici nobis Dominus Maurinum ſuum perdonavit filium, quem ſibi genuit ſponſa formoſa ſua, columba ſua, quam ſibi *vitæ pretio* redemit, & in ſanguine ſuo lavit. Si lepra conſcientiæ prurit animus, ſi cælum libero intuitu non reſpicit oculus, ſi in via juſtitiæ curſum ſtupens impedit nervus, ſi avaritia venarum fila contrahit in manibus; a patre medico filius medelam parvo mereberis: immo tum filius eris, ſi mederi quæſieris. Numquam duro uſus eſt cauterio: imperio morbos exturbat, vulnera oratione lavat, meritis fota ſanat. Cum Elia clauſum cælum in pluvias ſolvit, cum Eliſeo ignem cælo dimittit, ſed mitior exſtinguit. Sicut ipſe Prophetarum Dominus fimbriis, ſic iſte languores pellit reliquiis. Petrus in plateis ejectos umbra ſuſcitat: Maurinus longe poſitum tenuis famæ aura de lecto deſperatum in viam ſalutis excitat: cum Paulo cæcos lumine veſtit, cum Stephano ad tumulum ſurdorum aures aperit. Non longum eſt quod dico.

XIII. Gero ſacerdos morti proximus ſanatur. Geronem quemdam, ſacerdotio & officio clarum, ita graviſſimus languor perculit, ut vita in confinio mortis palpitaret, jam ei pollices, jam lingua ligabatur, cum puerum cum argento ad noſtrum medicum mittit; & ut pro ſe celeriter & fideliter faciat membris morientibus expoſcit. Ivit, rediit, & dominum, paullo ante cum morte agentem, in lecto reſidentem invenit & comedentem. Hic & item ei ſimiles medici præcantare animas noverunt, ne juxta Joannem divini pectoris potatorem, calicem iræ Dei bibant, ut crucientur igne & ſulphure in conſpectu Angelorum ſanctorum & in conſpectu Agni, & fumus tormentorum aſcendat in ſæcula ſæculorum. Hæc hodie Maurinus ſecurus evaſit, & in ſupernam civitatem laureatus intravit. In civitate autem patris debentur filiis jura hereditatis. Age ergo nunc Pater inclyte, pater pie, age cum judicibus ſæculi cauſas noſtras: ut & in terris digne te veneremur, & ibi quandoque deſideratam tuam faciem contemplemur, ubi epularis & cum Angelis delectaris gloria & aſpectu Agni, qui vivit & regnat in ſæcula ſæculorum, amen.

DE

Digitized by Google

DE VENERABILI WIGGERO

AN. CHR. 965

ABBATE COENOBII S. MAXIMINI APUD TREVIROS.

Ubi de reſtitutione monaſticæ diſciplinæ in Trevirenſibus monaſteriis.

1. *Nclytum ſancti Maximini apud Treviros monaſterium tot præclaros viros, ſanctos Epiſcopos, pios Abbates & monachos decimo ſæculo protulit, ut ſingularem his in Actis obſervationem mereatur. Antiquiſſima eſt ejus eccleſia, ſancto Joanni Evangeliſtæ primitus ſacra, ſed quæ a nomine & tumulo ſancti Maximini Trevirorum Epiſcopi poſtea vocabulum accepit. Hujus ſancti Pontificis vitam litteris mandavit anno* 739. *Lupus nondum Abbas Ferrarienſis, eamque* Waldoni amico *nuncupavit. Is eſt qui poſtea exſtitit* venerabilis Abbas Waldo, *cui Lotharius Rex diploma conceſſit anno* 868. *pro Abbatia ſancti Maximini, editum apud Zylleſium. In eo libello agitur de ſancti Maximini corporis translatione facta per Hildulfum, Clementem, atque Gosbertum. Hildulfus erat Trevirenſis Archiepiſcopus loco Milonis tyranni, ut poſt veteres Trevirorum Annales cenſet Brovverus: Clemens idem atque Willebrodus Trajecti ad Rhenum Antiſtes; Gosbertus forſan Chorepiſcopus. Brovverus addit, Hildulfum revocata veteri monachorum diſciplina,* centum *ibidem inſtituiſſe* cœnobitas. *Cum prædiis & latifundiis Abbatia multum creviſſet, ſæcularium cupiditatem labente ſæculo nono proritavit, qui Abbatis titulum & redditum maximam partem extorſerunt. Giſelbertus in primis Dux Lotharienſis monachos non parum infeſtavit: ſed tandem, precibus a monachis ad ſanctum Maximinum fuſis, ad ſaniora conſilia converſus, damna liberaliter rependit. Quin etiam cum eccleſia ſancti Maximini corruiſſet, apud Henricum Germaniæ Regem, cui Aucupi cognomen erat, ſatis egit, ut & ſumptus ad templum inſtaurandum conferret, & monachis liberam eligendi Abbatis facultatem reſtitueret.* S. Maximini monaſterii ſtatus. Brovveri Annal Trev. lib. 7. n. 16.

2. *Henricus pro ſua pietate locum antiqua religione venerabilem interire non paſſus, utrumque facile præſtitit, atque inſuper eccleſiam Theodonis-villæ cum Moſellæ portorio, ceteriſque vectigalibus largitus eſt Maximininis, qui concepto vitæ melioris deſiderio,* Ogonem *ſeu* Hugonem *Præpoſitum ſuum in Abbatem elegerunt. Hæc omnia paucis complexus eſt Chronographus Magdeburgenſis ad annum* 934. Eccleſia ſancti Maximini cecidit. Electione ibidem monachis clementia Regis conceſſa, Ougo, ante Præpoſitus, Abbas eligitur: monachi non regulariter viventes expelluntur. *Privilegium eligendi Abbatis monachis confirmavit anno* 940. *Otto M. dato diplomate, quod* Ogo venerabilis Abbas & reliqui Fratres ex cœnobio ſancti Maximini *ab ipſo impetrarunt. Exſtat apud Zylleſium, qui etiam in eam rem Joannis Papæ XV. litteras, Indictione* 15. *id eſt anno* 987. *datas poſtea refert,* Ogoni *Abbati inſcriptas. Fuit hic* Ogo *alter a ſuperiori, quem anno* 945. *creatum Leodicenſem Epiſcopum, poſt biennium deceſſiſſe conſtat. Anno* 942. *nempe* 3. *Idus Octob. ſollemni pompa dedicata eſt nova ſancti Maximini baſilica a Rotberto urbis Antiſtite & Adalberone Mettenſi: cui celebritati, præter Ogonem, interfuerunt Abbates* Agenoldus *Gorzienſis,* Erkenboldus *Tullenſis ſancti Apri,* Heribertus *Mettenſis ſancti Arnulfi,* Fridericus *ſancti Hucberti in Arduenna,* Salacho *ſancti Martini, ex Brovvero. Hanc baſilicam inſtauraverat* Ogo Abbas hujus loci poſtea Tungrenſis Epiſcopus, qui hoc monaſterium a fundamentis reparavit, & locum iſtum pæne peſſumdatum renovavit, & numerum fratrum ad 60. ampliavit, *ut in Necrologio legitur in menſe Januario. De eodem Ogone ita habet Frodoardi Chronicon anno* 945. Richario Tungrenſium Reformatur. Ogo Abbas. Zillef. parte 3 p. 15. ib. pag. 26.

 Epiſco-

Digitized by Google

AN.CHR. 666 Epiſcopo defuncto, idem epiſcopium Rex Otto Hugoni Abbati monaſterii ſancti Maximini, nolenti atque refugienti dedit, eumque ordinari fecit Epiſcopum. *Hugonis ſeu Ogonis elogium breviter complexus eſt Anſelmus Canonicus Leodienſis in cap. 33. ubi poſt Richarium:*

dein Epiſcopus.

Huic ſucceſſit amor plebis, tremor Hugo potentum,
Clarus avis, clarus ſtudiis, recreator egentum.

Præfuit Leodienſi eccleſiæ annis duobus & circa menſes ſex. Obiit tertio Idus Aprilis, anno dominicæ Incarnationis nongenteſimo quadrageſimo ſeptimo. *Laudatur inferius in actis Joannis Abbatis Gorzienſis num.* 70. *&* 97. *Bruſchius Ogonis, ejuſque ſucceſſoris epitaphia refert, ſed parvi momenti.*

Abbates ſequentes.

3. *Ogoni anno* 945. *ſuffectus eſt* Willerus *ab ipſo educatus, deſignatuſque ſucceſſor in regimine monaſterii: quod cum Rotbertus Archiepiſcopus ſibi vindicare moliretur, Præceptum anno* 953. *ab Ottone M. contra ipſum obtinuit Willerus, interdicto, ne quidquam moleſtiæ idem Archiepiſcopus, ejuſve ſucceſſores prædictis cœnobitis in poſterum ingererent. Eodem ſpectant litteræ Agapiti Papæ,* reverendiſſimo Abbati Willihario *inſcriptæ. De hac controverſia ita legitur in Chronico Magdeburgenſi ad annum* 950. Rodbertus Archiepiſcopus pro acquirenda Abbatia ſancti Maximini multum laboravit, ſed Deo auctore non prævaluit. *Willerum ita laudat liber faſtorum ad Octobrem.* Willerus Abbas poſt Ogonem Epiſcopum monaſterium & clauſtrum perfecit, & tabulam auream ante altare poſuit.

Wiggerus Abbas,

4. *Anno* 957. Willerus *Abbas obiit, Nonis Octobris: cui ſucceſſit* Wiggerus *ſeu* Wickerus. *Itaque Ottonis M. diploma anno* 963. *obtinuit, non* Williberus, *ut apud Zylleſium legitur, ſed* Wiggerus Abbas. *Is anno ſequenti alias ab Ottone juniori litteras obtinuit in teſtimonium miraculi a ſancto Maximino in puerum Adelmannum patrati, quod paucis accipe. Adelmanni parentes* Regino & Engila de Brambach, liberi ex liberis parentibus orti, ſe & unicum filium ſuum Adelmannum ſancto Maximino conſecrarunt, ea conditione, ut ipſe puer, quamdiu viveret, poſteri ejus qui maſculi eſſent, duos denarios, feminæ vero unum apud altare ſancti Maximini die ſancti Martini feſto perſolverent: poſt mortem vero illorum quod melius haberent in pecoribus ſive in veſtibus, eccleſiæ cederet. *Interim prædo quidam* puerum inſciis parentibus rapuit, & Trevirim per pontem tranſiens, abducere ſecum cogitabat. *Sed puer inter hæc, reflexis ad ſancti Maximini monaſterium oculis ſanctum elacta voce in auxilium vocat.* Unde iratus miles, cum puerum pulſaſſet, mox ultione divina, fracto equi collo, ipſe de ponte prolapſus in aquam cecidit, & puer ſuper pontem illæſus perſtitit. Sicque puer ad ſanctum Maximinum rediit, & Abbati Wickero rem totam expoſuit. Hoc celebre factum, *ait Otto,* cum mihi Treviris agenti Abbas ipſe narraſſet, & puerum me coram in conſpectum adduxiſſet, ut teſtimonio noſtro traditionem prædictam pueri confirmarem, & ab omnibus Advocatis eumdem puerum ejuſque poſteros abſolverem, utque nulli beneficiarentur exoravit. *Annuit Otto, chartamque hac de re fieri juſſit, eamque ſigilli ſui impreſſione ſignari,* anno dominicæ Inc. 963. Indict. 6. anno regni tertio, 12. Kal. Auguſti.

Litteras ab Ottone accipit.

„ *Atque tanti, ſubdit Brovverus, apud priſcos Germaniæ Reges tantillæ rei* „ *ſanctimonia fuit! Quod huc referre viſum eſt, ſimul ad probandum tempus Wig-* „ *geri prælaturæ.*

Ejus obitus & alia facta.

5. *Idem Abbas anno* 966. *teſte Chronographo Magdeburgenſi, ſupremum diem abſolvit,* haud mediocri, *addit Brovverus,* relicta pietatis & virtutis opi- „ nione. *Is ſancti Maximini ope ab acuta & inveterata febri, referente Si-* „ *gebardo mſ. liberatus eſt. Inter cetera, quæ in vita edidit, pietatis opera, ex* „ *poſſeſſionibus ſancti Maximini monaſterium apud Tavanam, haud procul a Sa-* „ *ræ fluminis ripa, undecim fere ſupra Treviros paſſuum millia, viginti eo cœ-* „ *nobitis deductis ſuſcitavit: quod verſo jam olim priſcæ diſciplinæ ſtatu, in Præ-* „ *poſituram, ut vocant, abiit. Hæc Brovverus in lib.* 10. *num.* 8.

Succeſſores & viri illuſtres.

6. *Wiggero ſucceſſit* Asolfus, *Aſolfo paullo poſt* Thietfridus, Ogo-

Digitized by Google

Ogonis *ſecundi præceſſor. Sub his & præmiſſis Abbatibus multi pietate & doctrina, nec minus rebus geſtis illuſtres viri ex ſancti Maximini cœnobio prodierunt. Hos inter primus honoris gratia nominandus venit* Adalbertus *Ruſſorum Apoſtolus, dein Magdeburgenſis Epiſcopus primus:* Anno, *&* Ottvvinus *Magdeburgenſes primum unus poſt alium Abbates, dein Epiſcopi alter Wormatienſis, alter Hildenesheimenſis: denique Abbates non pauci ad alia monaſteria vel inſtituenda, vel in melius reſtituenda vocati, ut* Sandradus *ad Gladbacenſe,* Hartvvicus *ad Tegernſenſe, &* Ramvoldus *ad Ratiſponenſe ſancti Emmerammi: de quibus omnibus inferius agemus. De ſancto Poppone ejuſdem loci Abbate in ſæculo ſequenti.* AN.CHR. 966.

„ 7. *Per idem tempus, ait Brovverus, Monaſteria ſancti Maximini, Prumienſe, & Mediolacenſe, reſtituto quaſi & cumulato litterarum honore, oculos ſuſtulere & ad religionis ac diſciplinæ normam pronuper, ita nunc ad inſignem eruditionis famam ſimul inclareſcere cœperunt. Accurabant ſcilicet Præfecti monaſteriorum liberalitate, fovendis honorandiſque litterarum divinarum juxta atque humanarum ſtudiis impartita, ut ne ſæculum hoc ſterile atque effœtum haberent. Profeſſores alebantur viri ex eadem ſancti Benedicti diſciplina: quorum auditoria lectiſſima ejuſdem Ordinis juventute ſtipata, & excellentiſſimis erant ingeniis referta: quæ ubi ad maturam virtutis doctrinæque frugem effloruiſſent, inde in alia monaſteria diffuſi, veluti in colonias quaſdam propagabantur, eximio pietatis ubique fructu, atque religionis incremento. Quæ utinam majorum tam præclara inſtituta, ſubdit Brovverus, retro luxu & deſidia non lapſa fuiſſent! numquam eas clades ac vulnera in publicam uſque perniciem monaſtice toleraſſet. Hæc ille in lib. 9. num. 113. quæ ex Hirſaugienſi Trithemii hiſtoria poſſunt illuſtrari.* Litterarum ſtudia.

7. *De Prumienſi non habeo quod memorem in præſens, niſi quod* Regino *Abbas, libris editis clarus, hunc locum non mediocriter exornavit: & quod Richarius &* Farabertus *Abbates hoc ſæculo ad Tungrenſem ſeu Leodicenſem eccleſiam regendam exinde aſſumpti ſunt. De Mediolacenſi * ad Saravum ſeu Saram monaſterio, quod Trevirenſium Archiepiſcoporum quoddam veluti ſeminarium fuit, illud commode hic memorandum occurit, quod Rotgerii Antiſtitis opera priſtinam vitæ formam recepit. Hic enim proclinatam cernens Mediolacenſium diſciplinam, miſit ad Indenſe ſancti Cornelii cœnobium, quod prope Aquiſgranum tum religione florebat, virum inde poſtulans, qui Mediolacenſibus præfici, & optima veteris diſciplinæ præcepta tradere valeret. Miſſus ad hoc* Rotvvicus, *loco & priſcum ſplendorem, & primam religionis famam reſtituit. Atque ut doctrinæ etiam fructus ibi non deeſſent, duos ex ſuis ad Gerbertum eruditionis gratia miſit, qui deinde reverſi litteras probe excoluerunt. Hæc ex Brovveri lib. 9. ad annum 941. Ex iſta ſchola prodiit* Remigius *ille Abba Mediolacenſis, a Gerberto laudatus non ſemel, de quo alias.* Monaſteria alia quo in ſtatu. Mediolacenſe. * Metloc.

8. *Eodem tempore in Epternacenſi monaſterio, ejectis Clericis, qui illud invaſerant, reſtituti ſunt monachi per* Ravangerum *Abbatem, qui, favente Ottone M. cum quadraginta probatæ vitæ religioſis eo ſe contulit, atque ſancti Benedicti inſtituta ſtrenue revexit. Videtur is fuiſſe Abbas Senonienſis, de quo infra poſt Vitam Joannis Gorzienſis Abbatis. Ejus epitaphium rem hoc modo exprimit.* Epternacenſe.

Hunc Otto primus tranſmiſit Cæſar opimus,
    Siſridi monitis egregii Comitis.
Miſit & hunc talem, qui vitam cœnobialem
    Hic reparare pio ſufficeret ſtudio.
Nam locus iſte bonis hoc tempore relligionis
    Factus erat vacuus, rebus & exiguus.

9. *Sed alia etiam monaſteria ad Treviros nos revocant, ubi ſancti Martini, itemque ſancti Eucharii Abbatiæ antiquos ſpiritus reſumpſerunt. S. Martini cœnobium, ad Moſellam amœno in loco ſitum, Canonici nuper occupaverant: quibus excluſis Theodericus Archiepiſcopus, videns omnia etiam temporalia in deterius labi, ſuffragante Imperatore, monachos iſtuc reduxit, eiſque* Engelbertum, *rebus monaſticis apprime imbutum, præpoſuit libertate electionis a Benedicto 7.* S.Martini.

AN.CHR. 966 *Pontiſice impetrata. Aliud fuit ſancti Martini in pago Maginenſi, Meinfeldenſe ob hoc appellatum, vulgo* Meinfeldt, *prope Confluentes opidum: quo ſancti Severi corpus a Rotberto Archiepiſcopo ſub initia ſæculi* 10. *ex Italia translatum eſt, ut legitur in Hiſtoria Trevirenſi tomo* 12. *Spicilegii pag.* 218. *& apud Bollandum tomo* 2. *Februarii pag.* 827. *& ſequenti. Nunc collegium Canonicorum.*

S. Eucharii ſeu S Matthiæ. 10. *Egbertus, Theoderici Pontificis ſucceſſor, non inferiora molitus in ſancti Eucharii monaſterio, priſcorum Antiſtitum ſepultura quondam venerando, baſilicam auguſtiori opere excitavit, & repertis ſancti Celſi reliquiis illuſtravit ſub annum* 979. *de qua inventione & conſecutis inde miraculis exſtant Theoderici ejuſdem loci monachi libri duo ad Richardum Abbatem, apud Surium & Bollandum Februarii die* 23. Goterius *Abbas loco præfectus eſt, accitus ex monaſterio Gandenſi ſancti Bavonis, a Theoderico laudatus in libro* 1. *num.* 8. *qui auctor* Gunderadum Abbatem *laudat initio libri ſecundi & num.* 2. *Perſtat etiam nunc, ſancti Eucharii monaſterium ſub titulo ſancti Matthiæ: at jamdudum ab Ordine receſſit ſancti Martini Abbatia, uti & ſancti Paulini, quæ modo Canonicorum eſt.*

Monaſteria virginum. 11. *Præter hæc virorum apud Treviros monaſteria, tres etiam fuerunt Virginum parthenones, S. Symphoriani ad urbem prope ſancti Martini cœnobium, teſte Trithemio, qui ejus excidium luget: Palatiolenſe, & Horreenſe, non longe ab urbe: quod poſtremum hactenus ſolum Benedictina inſtituta retinet, ſervatque cum multa religione. In libro de miraculis ſancti Celſi tres nobiles Horreenſes Sanctimoniales memorantur nempe* Henza, Geila, & Gliſmoda. *Vide quæ de his duobus poſtremis parthenonibus diximus in Sæculi* 3. *parte* 1. *ubi de Adela Abbatiſſa.*

AN.CHR. 967 5. Martii.

DE VENERABILI HINCMARO

ABBATE SANCTI REMIGII

apud Remos.

Cœnobii S. Remigii ſtatus & Abbates. I COEnobium *ſancti Remigii nomine ac tumulo apud Remos inſigne, quod* Archimonaſterium *ob excellentiam appellari ſolet, a medio ſæculo decimo religione maxime floruit, aliiſque ejuſdem provinciæ monaſteriis recte vivendi formam præbuit & exemplum, ſub Hincmaro Abbate primo regulari. Ante hoc tempus, id eſt ab inſtitutione ſeu reſtitutione monachorum iſtic per Tilpinum Archiepiſcopum facta regnante Carolo M. qui Archiepiſcopus Remenſis, idem erat Abbas Remigianus, habens ſub ſe Præpoſitum monachum, a quo res monaſticæ ordinabantur. Quippe* Erchanraus *ſub Tilpino & Wlfario,* Bertingarius *ſub Ebone,* Rotfridus *ſub Hincmaro,* Thetboldus *ſub Fulcone, aliique deinceps hoc officium adminiſtrarunt. Attamen Ebo junior, is qui poſtea Gratianopolitanæ eccleſiæ Epiſcopus creatus eſt, ſancti Remigii Abbas fuit ſub Ebone avunculo; & poſt eum Fulco Chorepiſcopus, pulſo Ebone Archiepiſcopo; ac deinde* Notho, *ambo per novem interpontificii annos. De* Frodoard. lib 3. cap. 15 *primo teſtis eſt Hincmari epiſtola apud Frodoardum, ubi Ebonem alterius nepotem laudat,* qui religioſus eſt, *inquit,* ut audivimus: quippe ſicut ab ipſis pæne cunabulis ſub religione & habitu regulari nutritus in Remenſis eccleſiæ monaſterio, ubi requieſcit ſanctus Remigius: in quo loco religioſo ſuam exegit ætatem, quouſque ab Ebone avunculo ſuo, tunc Remorum Archiepiſcopo, ibidem Diaconus conſecratus, & Abbas monachorum ibidem ad regularem ordinem tenendum & gubernandum conſtitutione epiſcopali eſt ordinatus. *Hæc* epiſcopalis conſtitutio, *non alia cenſenda eſt quam Ebonis Archiepiſcopi, cui congruum viſum eſt nepotem ſuum monachum Abbatis titulo decorare. Fulconem ſancti Remigii Abbatem dicit narratio Clericorum Remenſium apud Cheſnium *: Nothonem denique Concilium Sueſſionenſe anno* 866. *celebratum. Verum tres illi Abbates*

* Cheſnii tom. 2. pag 343.

Digitized by Google

bates extra ordinem fuerunt, utpote non ab ipſis electi monachis, nec communi lege inſtituti, ſed primus quidem avunculi ſui ſtudio, alii duo ob turbas de abdicatione Ebonis. Sub Fulcone inſtituta eſt Suffragiorum ac precum ſocietas inter ſancti Dionyſii ac ſancti Remigii monachos, cujus rei exſtant litteræ apud Acherium noſtrum in Spicilegii tomo 4. *datæ anno* 838. ſub ſanctiſſimo ac venerabili Patre Fulcone. *Conſimilis ſocietas facta eſt anno* 929. *inter Canonicos Laudunenſes & monachos Remigianos, litteris item mandata, quas penes nos habemus. Per illa tempora vigebant nihilo minus apud Remigianos ſtudia litterarum, ut conſtat ex præclaris codicibus mſſ. in eorum Bibliotheca hactenus aſſervatis, quorum multi, nempe antiquiores, Archiepiſcopi & Abbatis nomen, ſimulque Præpoſiti, quorum tempore ſcripti ſunt, ad calcem habent. Et ſane haud vulgaris fuit eruditio Ebonis monachi, poſtea Epiſcopi Gratianopolitani, a quo canones Synodi Valentinæ conditi ſunt.* AN.CHR. 967 5. Martii.

2. *Hic fere ſtatus Remigiani monaſterii erat ante tempus Hugonis in ſedem Remenſem intruſi factione patris ſui Heriberti Veromandorum Comitis: qui Hugo id unum in eccleſia Remenſi laude dignum geſſit, quod monachos ſancti Remigii ad ſeveriores leges revocavit. Hoc tentatum videtur primo tempore Seulſi aut Artaldi per ſanctum Gerardum Broniienſem; qui* monaſterii ſancti Remigii curam egiſſe *dicitur* * *in Chronico Moſomenſi, ſive quod Præpoſiti officium ſub Archiepiſcopo habuit, ſeu quod corrigendis ejus loci monachorum vitiis adhibitus eſt. Verum id tandem perfecit* Archembaldus *ſeu* Ercanboldus *Abbas Floriacenſis, de quo ita Frodoardus in lib.* 4. *cap.* 32. *ubi de Hugone.* Advocans denique hic Pontifex Ercanboldum monaſterii ſancti Benedicti Abbatem, regulam monaſticam in monaſterio ſancti Remigii reſtituere decertat, conſtituens ibi Abbatem Hincmarum ejuſdem loci monachum. *Archembaldum vocat Aimoinus in tomo ſuperiori* * *relatus. In codice mſ. Remigiano ab eo tempore Abbatum & monachorum ejus loci nomina recenſentur ſub hoc titulo:* Anno ab Incarnatione Domini 945. Regula ſancti Benedicti, quæ dudum defecerat, reſtituta eſt in monaſterio ſancti Remigii, jubente Hugone Heriberti filio, cum conſilio Erchamboldi Abbatis ſancti Benedicti, ordinato ibi Hincmaro ſancti Remigii monacho. *Marlotus* virum magni nominis *appellat,* & ad promovendam religionem, quæ novos ſpiritus ſuſceperat, per quam idoneum. *Quod quidem probatur ex variis monaſteriis, quæ ille ad meliorem frugem adduxit.*

Monaſticæ diſciplinæ reſtitutio.

* Supra pag. 250.

Hincmarus Abbas.

* pag. 360.

3. *Inter prima fuerunt Humolarienſe, & ſancti Baſoli monaſteria. De Humolarienſi teſtes ſunt Ludovici Tranſmarini litteræ, in Sæculo* 2. *editæ* * *ad vitam ſanctæ Hunegundis, datæ anno* 948. *quo anno,* favente Artaldo Archiepiſcopo, cum Epiſcopis Widone *Sueſſionenſi,* & Gibuino *Catalaunenſi, atque* clariſſimo Abbate Hincmaro *ejectis ob vitam ſolutiorem Sanctimonialibus, inducti ſunt Humolarias monachi ex cœnobio ſancti Remigii,* Bernero *ejuſdem loci monacho Abbate eis præpoſito. Paullo poſt, id eſt anno* 952. *teſtante Frodoardi Chronico,* in monaſterium ſancti Baſoli Artoldus Archiepiſcopus monachos mittit, *haud dubie ex eodem cœnobio Remigiano,* expulſis clericis qui ſerviebant ibi, commitens illud Hincmaro & Rotmaro Abbatibus: *qui Rotmarus Abbas erat Altivillarenſis. Procedente ſæculo nono, tempore ſcilicet Ebonis Archiepiſcopi, ejus ordinatione* quidam vir religioſus, Benedictus nomine, *eximius ille (ni fallor) Annianenſis,* Abbas conſtitutus *fuerat* hujus Abbatiæ *ſancti Baſoli. Sed ut ſunt proni ad lapſum mortalium mores, eodem ſæculo exeunte, monaſticam vitam ſæculari commutaverant iſtius loci alumni; quos tandem Artoldus, hoſpitii ibidem accepti memor, ad priſtina inſtituta poſtliminio revocavit per Hincmarum noſtrum & Rotmarum Abbates, qui Rotmarus Hincmari diſcipulus videtur fuiſſe, numeratus in indice Monachorum, qui Hincmaro Abbate mortui ſunt.*

Monaſteria quædam reformat.

* V. ſupra pag. 214.

4. *In eodem indice Hincmarus monaſterio ſancti Remigii* 22. annis *præfuiſſe perhibetur, mortuus proinde anno* 967. *& quidem* 3. Nonas Martii, *quo die ejus obitus in Necrologio notatur.* Hugo *ejus ſucceſſor* duobus annis, Rodulfus Abbas *tertius* annis 14. *hoc officium adminiſtrarunt. Sub hoc Abbate Rodulfo ponuntur obitus* BERNERI & AIRARDI *Abbatum. Bernerus* Hincmari ſucceſſores.

Digitized by Google

AN.CHR. 967. 5 Martii. *Abbas fuit primus Humolarienſis, ex cœtu Remigiano, ut mox dicebam; ſicuti & prima colonia Humolarienſis: Airardus ex eodem ſeminario Abbas eductus eſt ad reſtituendam apud ſanctum Theodericum monaſticam diſciplinam. Hæc mutatio accidit anno 972. quemadmodum ſuo loco * dicturi ſumus, ubi de ſancti Theoderici elevatione agendum.*

S. Theoderici Abbatia emendatur. * infra an. 976. Moſomenſis item. 5. *Anno præcedente, Adalbero idem in Moſomenſi beatæ Mariæ eccleſia præſtitit, atque Artaldus in Humolarienſi, ſufficiendo nimirum monachos in locum feminarum licentius viventium. Abbas primus Lietaldus ex Tignenſi monaſterio, quod tunc Remigianis parebat, eo translatus eſt volente Adalberone iſtius operis architecto, qui & Abbatiam ſancti Timothei apud Remos ſitam beato Remigio ad expenſas hoſpitalitatis conceſſit. Parva ſunt hæc pro tam celebri Archimonaſterio: ſed quæ tamen non parum conferunt ad ejus ſplendorem & ornamentum, & ad illuſtrandam ſæculi decimi hiſtoriam. De baſilicæ Remigianæ dedicatione in Sæculo ſequenti.*

DE SANCTA MATHILDE

REGINA, UXORE HENRICI AUCUPIS

Germanorum Regis.

Mathildis in monaſticum Ordinem munifica. 1 M*Athildem ſeu* Mathildam, & Mecthildem, *Henrici primi, cognomento Aucupis, uxorem, Ottonis Magni parentem, Benedictinis faſtis adſcribunt recentiores e noſtris plerique omnes: nec immerito. Et ſi enim piiſſima Regina regulis addicta monaſticis nuſquam fuit: quinque tamen propriis ſumptibus monaſteria condidit; reliquis fere per Germaniam ope & auctoritate profuit ſemper; & in erecto ab ſe Quidelingeburgenſi ſancti Servatii parthenone poſt viri obitum maximam vitæ partem divinis in laudibus rerumque cæleſtium jugi contemplatione tranſegit.*

Vitæ ejus ſcriptores. 2. *Mathildem debitis laudibus celebrarunt ſcriptores coætanei Witikindus, Liutprandus, Ditmarus, Reginonis continuator, Adam Bromenſis, & alii, quos Albertus, Trithemius & Henricus Bodo excepere. Sed omnium inſtar eſſe debent anonymus Chronici Saxonici vel Magdeburgenſis auctor; itemque alter Anonymus, qui jubente ſancto Henrico tum Rege, poſtea Imperatore. Mathildis ejus proaviæ vitam egregie deſcripſit. In hac Vita non pauca legas iiſdem omnino concepta verbis quæ apud Chronici ſcriptorem referuntur. Unde non levis oritur ſuſpicio, num illa Chronographus ab Encomiaſte mutuatus ſit. At cum eximia quædam Mathildis geſta complectatur hoc chronicon, quæ a vitæ ſcriptore, quantumvis diligenti, ſunt prætermiſſa; certior videtur chronograghi auctoritas, quem potius vitæ ſcriptor, aut credita ipſi monumenta conſuluiſſe videtur. Ut ut ſit, neutrum hic integrum dare conſtituimus; ſed præcipua duntaxat capita, quæ cum ad pietatem informandam, tum ad explicandum Mathildis in rem monaſticam ſtudium conferunt, ex chronographo collato cum præcitatis auctoribus, & maxime cum vita a Godefrido Henſchenio e Colonienſi mſ. codice ſancti Pantaleonis edita, præſtringemus.*

Parentes. 3. MATHILDIS, *inquit Chronographus* VVIDEKINS *egregii Ducis ſtirpe proceſſerat. Pater ejus nomine* THEODERICUS (Thiadericum *Witikindi Monachis codex unus*, Ditericum *ſeu* Thidericum *Ditmarus*, *vitæ ſcriptor* Thietricum, *hoc eſt* populi principem *appellant*) in occidentali regione Comes glorioſus, *nempe Weſtphalorum Saxonum. Mater ejus* REINILDIS, Danorum & Freſonum germine procreata erat: quorum filiam, mater Theoderici MATHILDIS, Herivordinenſis tunc Abbatiſſa, ſuſcepit nutriendam, ut doceret & ſacras lectiones, & manuum operationes. *Theoderici Comitis fratres Widikindus monachus nominat* VVIDIKIND, IMMED, & REGINBERD. *De illis Ditmarus ſilet.*

Educatio in monaſterio.

Tunc

Tunc ergo præcepto Ducis Ottonis Thietmarus Comes accelerans, adminiculo matronarum ejuſdem puellæ juſſu Abbatiſſæ ſervientium cubiculo clam ſe inferens, proſpexit formam virginis, *&c. Mox* Henricus *Ottonis filius, aliique*, quaſi cauſa orationis ingreſſi eccleſiam, viderunt virginem ſedentem, pſalterium manu tenentem, honeſtiſſimam habitu, reverendam vultu. *Ejus amore captus juvenis, hanc ab Abbatiſſa petiit in uxorem, quam poſtridie ductam, accepit. Hæc circiter annum 913. contigere.* AN. CHR. 968 14. Mart. Connubium.

4. Cooperante Mathilde Regina, *inquit Chronographus ad annum* 921. in omni opere bono, moribus quoque & vita; *Henricus* aſſiduis profectibus augebatur. *Illa vero*, in publico quidem procedebat ornata gemmis & ſerico, geſtans tamen interius pretioſius ornamentum, cor ſcilicet maternum in ſubditos; tamque humilis, & in fœdere conjugii tam pudica manebat, ut omnibus eſſet amori pariter & honori. Noctis tempore ſe a latere Regis ſubtrahens, derelicto thalamo orationi intendebat, quaſi Rege ignorante: ipſe autem intelligebat, ſed quaſi ſe neſcire ſimulabat... Sed quia hominum quilibet proclivior eſt ad labendum, quam ſua natura muniatur ad ſtandum, ut alibi ad terrorem de ipſo Heinrico ſcriptum eſt; in Cœna Domini quandoque inebriatus, nocte uxori multum repugnanti illicite conjunctus eſt: quod humanæ ſalutis irretitor ſatanas cuidam bonæ matronæ prodidit. *Inde natus Henricus, poſtea Bajoariæ Dux, quem præ Ottone primogenito* mater quaſi unicum ſpecialiter dilexit. *Atque hinc diſcidiorum fomes.* Mores ejus probatiſſimi.

5. Cum autem, *ſecundum Chronographum & vitæ ſcriptorem*, perſiſterent magna proſperitate pacis, omnipotentis Dei inſpiratione deſiderabant monaſteria conſtruere, & adminiculum præbere illic commorantibus de regiis facultatibus, quatenus ſui ſuorumque patrum vel nepotum memoria ibidem perpetim haberetur firmiſſima. Igitur tractantibus, tanti operis fundamentum quonam ponerent loco, Principibus populi in unum convocatis, poſtulabant ſibi conſilium dari, in qua parte regionis hæc decenter poſſent adimpleri. Ad hæc principes reſponderunt dicentes, intra Winethuſum eſſe Sanctimoniales, regulari diſciplina carentes, quæ diutius illic commorari non poſſent, niſi ſuſtentarentur adjuvamine regali: & conſilium dabant eas in Quintelingeburch transferri. Poſthac Rex abiit Batfelthun *(locus eſt inter Quindeliburgum & Mansfeldiam) filiumque Ottonem Regem conſtituit*. Venit & Demot Winethuſinenſis Abbatiſſa præcepto Regis evocata, & rogata ut ſuas Sanctimoniales in Quindelingeburch conſentiret tranſponi, Regis petitionem gratanter ſuſcepit. Conſilium de Monaſterio conſtruendo.

6. Inde perrexit Rex ad *Vnilebi (alias* Mimlebi) ſecum paucis comitantibus: ibi ejus eſt iterata infirmitas. Cum ſentiret ergo corporis diſſolutionem, Reginam vocans, multis ſecretis cum illa diſputatis, ad ultimum: O inquit, fidiſſima! nam nullus omnium umquam virorum fide firmiorem ſibi mulierem adjunxit. Deo gratias ago; quod te ſuperſtitem relinquo, gratias habeas. Iratum mitigaſti, in omni re utili conſilium mihi dediſti, revocaſti ab iniquitate ad juſtitiam; ſedulo monuiſti, ut vi oppreſſo facerem miſericordiam. Nunc te & filios noſtros omnipotenti Deo commendamus, & electis Dei ſimul cum anima jam receſſura. Cum haud minus illi Regina gratias egiſſet, mærore plena eccleſiam intravit. Interea Heinricus rebus humanis exceſſit. Adaldagus ſolus ex presbyteris caſu adhuc jejunans ad nutum anxiæ Reginæ dominici corporis hoſtiam pro anima ejus immolavit: cui & Regina duas armillas aureas brachiis ſuis avulſas dedit, exhibens ei gratiam quamdiu vixit: quin etiam in Bremis ei epiſcopalem cathedram apud Ottonem Regem impetravit. *Defuncti Regis corpus Quidelingeburgum delatum maximo bonore reconditum eſt in baſilica ſancti Petri anno 936.* Mors conjugis.

7. Tunc Regina, *pergit Chronographus*, Demot Abbatiſſam vocavit, & congregationem ejus illuc transferri admonuit. Illa primo renuit: poſtmodum imperante Ottone filio ejus conſenſit. Igitur Regina cœnobium in monte Quindeliburgenſis parthenonis conſtructio.

 Qui-

Digitized by Google

AN.CHR. 968 14. Martii.

Quidelingeburch ſancta devotione conſtruere cœpit; triceſima die congregationem ibi ſtatuit; non viles perſonas, ſed ſummæ ingenuitatis tirunculas canonicæ inſtitutioni deſervituras collegit. *Chronographo præivit Ditmarus his verbis*. Congregationem quoque ſanctimonialium in die triceſima in ſupra memorata urbe ſtatuit: & huic, quantum ad victus & ſui veſtitus neceſſaria ſuppetebat, ex ſua proprietate, laudantibus hoc ſuimet filiis, conceſſit, & ſcriptis confirmavit. *Hunc ſanctimonialium cœtum familiæ Benedictinæ Virginibus conſtitiſſe, nemo eſt qui inſitiari poſſit: ut* canonicæ inſtitutionis *nomine* regularem *intellexerit Chronographus, ex quo parthenonis ejus Regula ac inſtitutum ſequentibus annis intelligitur. Exſtat Henrici Aucupis diploma, quo Mathildæ conjugi ſuæ locum* Quintilingaburg *concedit anno* 928. *Aliud item Ottonis M.* congregationem Sanctimonialium *ibidem confirmantis cum libera eligendæ Abbatiſſæ facultate anno* 937. *Quanti autem apud Deum meriti fuerit ejus loci conſtructio, & Mathildæ ibi commorantis pietas, teſtatur Ditmarus in hunc modum*. Venerabilis autem Regina Mechtildis conſtructo, ut prædixi, in Quedlinburg monaſterio, congregationeque ſanctimonialium ibi collecta, fideli apud Dominum ſervitio promeruit, quod virtus filii in omnibus floruit. *Quippe, teſtante Chronographo, cui vita num.* 14. *ſuccinit*, flagrans Chriſti amore, memor cujuſvis diſciplinæ, ad miſericordiam facilis in omni actu & confabulatione admirandæ dignitatis, tamque honeſta perſeverabat in pudore; ut virginem crederet, qui fœcunditatem prolis ejus non vidiſſet. Noctis tempore lecto ſe collocans, & parumper dormiens; poſtquam perſenſit dormire omnes qui erant ſecum in cubiculo, ſpreto fulgenti ſtratu clam ſurrexit, cubicularem puellam tacita excitavit eccleſiam intrans ſuſpenſo gradu ſine turbarum obſequiis ſine humano favore, pernox in oratione manebat. Ad altare vacua numquam acceſſit, nec Rege vivente, nec in viduitate. *Hinc Liutprandus in hiſtoriæ lib.* 4. *cap.* 7. *ſic loquitur*. Mathildis ultra omnes quas viderim & audierim matronas, pro delictorum expiatione celebre exſequiarum officium, vivamque Deo hoſtiam offerre non deſinit. *Et vitæ ſcriptor num.* 23. Mos quippe fuerat ſanctæ dominæ ſacerdoti quotidie ad Miſſam præſentare oblationem panis & vini pro ſalute & utilitate totius ſanctæ Eccleſiæ. *Subdit Chronographus:* Ante galli cantum finierat pſalterium, niſi brevitate noctium impediretur. Circa horam matutinalem cum ſilentio, & neſciente aliquo, iterum ſe collocavit in lecto, quaſi totam noctem dormiendo egiſſet, ac pedem numquam inde moviſſet. Dato vero ſigno ſurgens, matutinarum laudibus intento corde aderat. Præterea omnibus egreſſis, ſola intus januis clauſis ſpiritum uſque ad lucis auroram non relaxabat. Poſtmodum ingreſſa cubiculum, paulliſper ad dormiendum laſſa membra reclinavit. *&c.*

Mathildis ibi vivit.

Calumniam a ſuis paſſa.

8. *His virtutum ſtudiis intenta Mathildis, ſuavem ubique ſpargebat odorem, dum circiter annum* 946. *referente Chronographo Magdeburgenſi & vitæ ſcriptore filiorum Ottonis atque Henrici calumnias tulit.* Nam ad aures eorum pervulgatum erat, quod innumerabiles pecunias regalium cenſuum conſumpſiſſet: repoſcebantur a Rege quæ pauperibus diſtribuerat: mittebantur exploratores ſpoliare & contumeliis afficere nuntios ejus, qui munera indigentibus portabant. Compellebant eam dotales regiones relinquere, & ſacro velamine ſe conſecrare. Ferret vero minus moleſte injurias, ſi Heinricus quem unice amaverat, fratri non concordaſſet. Videns autem moleſtias eorum non minui, ſed in dies plus augeri, relinquens quidquid Heinricus Rex in dotem ei dederat, in occidentali regione Angarinenſem (*Angria dicitur, vulgo* Engerhen *in Ravenſpergenſi Weſtphaliæ Comitatu, ubi conditum a Mathilde cœnobium ſuo loco referemus)* parcens filiis, & non minus quam conſueverat bona opera exercens. Regi vero ſupervenere Dei flagella, retroverſis victoriæ triumphis, aliiſque rebus ſecundis: Heinricum vero gravis morbus invaſit. *Tum Editha Regina Sacerdotum & Principium hortatu Regem ad pœnitentiam adduxit: qui revocata parente, delictorum ab ea veniam petiit, eique*

ablatos

ablatos honores reſtituit. Par quoque fuit Henrici Ducis pœnitudo, quem mater nihilo ſecius amantiſſime complexa eſt. AN.CHR 968

9. *Ubi priſtinum in gradum rediit Mathildis, majorem adhuc operibus piis atque eleemoſynis curam impendit. Hinc Ottone filio ſuppetias ferente*, eccleſias, *inquit vitæ ſcriptor num.* 17. & monaſteria conſtruxit. Tunc ædificavit monaſterium in Palidi, illic congregans tria milia Clericorum, quibus larga manu impendebat quæque neceſſaria. Sed interim contigit piam Edith reginam, perpetuo victricem, præſentem amittere vitam. *Hic* Clericorum *nomine monachos intelligi probat diploma Ottonis M. qui* in quodam loco Palithi nominato Abbatiam monachorum, in honore ſancti Joannis Baptiſtæ & ſancti Servatii conſtructam, conſenſu ac voluntate venerabilis Hattonis Maguntinenſis eccleſiæ Archiepiſcopi, fieri conceſſit; *ſimulque decimas* per parochiam Palidenſis eccleſiæ, & per quædam novalia ejuſdem eccleſiæ a Monachis novellata, a venerabili Hattone utili Maguntinenſis eccleſiæ recompenſatione eidem eccleſiæ conceſſa *ſancivit anno* 952. *Poſtea vero Otto ſecundus Eccleſiæ Magdeburgenſi anno* 981. *attribuit hoc monaſterium, quod in Ducatu Brunſvico ſitum erat. De aliis monaſteriis ab ea conſtructis inferius.* 14. Mart. Palidenſe monaſterium condit.

10. *Poſt exactum integro triennio cœlibatum Otto Rex Adelheidem, Lotharii relictam, ſibi copulavit, ex qua* procreavit puellam, inclitæ Reginæ Mathildis vocabulo dictam, quam conjunxit Quitilingeburc contubernio ſanctimonialium juxta matris votum. *Hanc Abbatiali munere poſtea donatam dicemus ex Chronographo: ſed prius aliqua Mathildis Reginæ geſta referenda ſunt.*

11. *Anno* 955. *Kalendis Novembris Henricus Dux Bajoariorum, Mathildi chariſſimus ceſſit e vita. Hæc dilectiſſimi filii mortem tulit acerbiſſime:* nam in hac die inquit vitæ ſcriptor herilia depoſuit veſtimenta, quæ in viduitate pro ornamento habuit. Poſt obitum enim memorandi Regis Henrici (*viri ſui pridem exſtincti*) aſſidue induit coxinum unius coloris, non in publico, ſed ſub lineo veſtimento, & pro decore ornamenti ante ſe geſſit parum auri. Hoc totum tunc depoſuit, & poſtmodum lugubri veſte induta proceſſit. Poſthac neminem voluit audire carmina ſæcularia cantantem, nec quemquam videre ludum exercentem: ſed tantum audivit ſancta carmina de Evangeliis... Rechburgam ſibi miniſtrantem ſanctimonialem præcepit diligenter obſervare, ut nullus præteriret pauperum inſalutatus, vel de ſuis largitionibus non recreatus. Si vero illa negligente aliquis pertranſiit egentium, non percipiens alimentum, ſtatim caput elevans de ſomno, quaſi ſpiritu prophetiæ plena, præcepit currum ſtare, & egenum qui tranſierat revocare, præbens illi victum ſeu aliud neceſſarium. Poſt hæc paulliſper commota, ſanctimonialem ſalutaribus verbis admonuit, ut deinceps diligentius obſervaret, quidquid ſuæ fidei commendaſſet. Mane balneum præparari juſſit, & pauperes peregrinoſque lavari fecit. Aliquando vero cum ſe a populi frequentia abripere potuit, ipſa occulte ingrediens, manibus propriis ſordes diluebat ſingulis: & quæ multis imperabat Regina, pauperibus ſerviebat quaſi ancilla. Singulari honore celebravit ſabbatum, primo quidem propter vigiliam Dominicæ reſurrectionis, quæ in hac die celebratur per circulum orbis: dehinc quia venerandi Regis Henrici anima in eadem die de corpore ſoluta eſt, & (ut ſperatur) paradiſi januam eſt ingreſſa. Quamdiu ergo Dei ſancta vixit, ſtudioſe obſervavit incliti Regis octavum, triceſimum, & diem anniverſarium. Henrico filio mortuo ut vitam inſtituit.

12. *Anno* 966. *teſtante Chronographo Magdeburgenſi, qui annum* 966. *ſaltem ineuntem ſcribere debuit*, antequam Rex iret in Italiam, Machtild unica filia ejus, decus ſanctimonialium, communi conſenſu cleri & populi religioſiſſimæ congregationis ſancti Servatii in Abbatiſſam electa eſt, ac præſentibus patre Ottone Imperatore, & matre Imperatrice Athelheida, aviaque ſua Machtilde Regina, necnon Ottone fratre ſuo, cunctiſque optimatibus regionis illius benedicta eſt. *Hanc Witikindus Monachus Corbejenſis in Annalium ſuorum præfationis titulo* Reginam *vocat, eamque* flore virginali, cum majeſtate Imperii

Digitized by Google

AN.CHR. 968 perii ac ſapientia ſingulari fulgentem *ſcribit. Ad annum* 1007. *Abbatiſſa vixit,* 8. *Idus Februarii, non ſine titulo ſanctitatis defuncta.*

14.Mart. Alia monaſteria ædificat. 13. *Palidenſe ſeu Poledenſe & Poldenſe monaſterium a Mathilde conſtructum ſuperius indicavimus. Aliud Fabricius indicat conditum Memmelebiæ ſeu Unilebi aut Mimlebi ad Unſtructum fluvium in Turingia, prope ditionem Manſfeldicam, qua de re mox dicemus. Tertium vitæ ſcriptor notat his verbis num.* 25. Tunc etiam conſtruxit monaſterium in civitate Northuſanenſi *(quæ imperialis eſt in aquilonari Turingia)* conſenſu ſui parvuli nepotis pro anima Regis Henrici, & ſui chariſſimi filii, cui patris nomen impoſuerat, & quem in præfata civitate procreaverat. Illic congregavit tria millia ſororum Deo & beatæ Mariæ Virgini famulantium. *Sub hæc Imperator Roma reverſus Coloniæ cum Mathilda matre, Brunone fratre & ceteris familiaribus colloquium iniit, quod ipſiuſmet Reginonis Continuatoris verbis (quem Baronius tum vixiſſe, & forſitan præſentem fuiſſe ſcribit) referre juvat. Otto* tota Quadrageſima in Francia commorans, in Ingelsheim Paſcha cum magno gaudio celebravit. Inde navigio Coloniam attingens, matrem ſuam dominam Mathildem, & ſororem ſuam Gerbergam Reginam, filiumque ejus Lotharium ſibi obvios condigno amore & honore tractavit, ſicque in Saxoniam iter ſuum direxit. *Sigebertus in Chronico ad hunc annum* 955. Hatuidem *Gerbergæ ſororem*, uxorem Hugonis Pariſiorum Regis, quorum filius fuit Hugo, qui poſt regnavit in Francia; *Et Vitæ Mathildis ſcriptor Henricum quoque juvenem Bajoariorum ducem ejus nepotem huic colloquio ſcribit interfuiſſe: tum ſcribit Anonymus Mathildem* diſſeruiſſe filiis & nepotibus ſuis de conſtructione monaſterii Northuſanenſis, *quod inquit*, noſtræ ædificationis extremum eſt opus. Inſuper ceteris diſtribuimus monaſteriis poſſeſſiones & rerum facultates, *quæ omnia firmari impetravit.* Poſtea pariter perrexerunt in civitatem Northuſanenſem, ad videndum ipſam congregationem. Tum Regina ſanctimoniales convocari præcepit, & omnes Imperatori commendavit. *Septem diebus ibidem exactis, Imperatori valedixit.* Cum autem peragraſſet civitatis Saxoniæ regionis, & quæque neceſſaria ſingulis impendiſſet monaſteriis, quamquam ægra iterum Northuſanenſem civitatem adiit, ut videret Richburgam, quam nuper conſtituerat Abbatiſſam. Statim autem ut venit, hanc ad ſe vocari præcepit, multa interrogans de congregatione ſibi commiſſa. Poſt hæc ipſa monaſterium ingreſſa, diligenter inveſtigavit, quali ſtudio diſciplinæ unaquæque fuiſſet exercitata. Nam ex quo primum monaſterium conſtruxit, hanc conſuetudinem ſemper habuit, ut ipſa ſcholam intraret, & ſingulorum ſtudia intente pernoſceret. *Nec plura tradit auctor vitæ de Monaſteriis a Matilde conſtructis: ſed eorum numerum Chronographus init in hunc modum.* Hæc piis intenta ſtudiis, ut pauca e plurimis referantur, cœnobium ſanctorum Dionyſii & Servatii in monte Quidelingeburch ſitum; alterumque in villa ſub honore ſanctorum Jacobi Apoſtoli & Vvigberti Confeſſoris in curte regia; tertium ſanctæ Mariæ Dei genetrici & ſanctæ Cruci in Northuſen; quartum in Aggeri *(quo injuriis affecta ſe receperat)* ſancto Dionyſio; quintum iterum ſancto Servatio in Palithi plena religione conſtruxit. Et licet omnium ſtatum eccleſiarum quas vel nuntiis inviſere, vel per ſemetipſam adire potuerat, opibus totiſque viribus ſuſtentare curaret, hæc tamen quæ prædiximus monaſteria, quaſi propiori affectu ſibi ſuoque nomini adſcripta, ſingulariter omnigenis commodorum uſibus fovere non deſtitit. *Hinc videas quam parum Fabricio fidendum ſit, Memmelenſis cœnobii originem Mathildi acceptam referenti. Cur enim illud præ ceteris Chronographus reticere voluiſſet? Henricus Bodo in mſ. Chronico Ganderſheimenſi Confugienſis ſeu Caſſellenſis in Haſſia Parthenonis conditricem dicit Mathildam. Fruſtra hunc enim excitavit Cunigundis, ſancti Henrici Imperatoris uxor, ut in ejus vita ad diem Martii tertium Henſchenius obſervavit. De ſancti Vviperti Canonicorum Abbatia, quæ Præmonſtratenſibus poſtea ceſſit, exſtat apud Joachinum Maderum in Antiquitatibus Brunſvicenſibus diploma Ottonis* II. *quo Mathildis Reginæ aviæ ſuæ rogatu* Canonicis

in

Digitized by Google

in ſuburbio caſtelli Quidelingeburg manentibus *privilegium concedit*, ut liberam inter ſe Abbatem ſeu Primicerium eligendi habeant poteſtatem, ſicut in ceteris Abbatiis regiæ dominationi ſubjectis: ſimulque prædia quæ prænominata venerabilis Regina Mathildis eidem loco conceſſit, *rata eſſe jubet anno* 964. *regni ſui anno* 4. AN. CHR. 968 14. Martii.

14. *Mathildis, ut in ejus vita legitur*, 11. Kal. Januarii *anni* 967. diſceſſit de civitate Northuſinenſe, & in Quitilingeburc properabat. Appropinquante autem diſſolutionis die, ad ſe vocari præcepit ſupra memoratam Abbatiſſam Richburgam, cui omnia ejus ſecreta fuerunt notiſſima, *ut omnia ejus bona pauperibus erogaret. Tum Willelmus Mathildis nepos, Moguntinus Archiepiſcopus, proxime* obiturus viſitavit obituram. *Cui illa*: Non dubitamus, inquit, vos nunc ad nos dirigi.... Nunc autem primum audite noſtram confeſſionem, & date nobis remiſſionem, per poteſtatem quæ vobis tradita eſt a Deo & ſancto Petro Principe Apoſtolorum, & nunc intrate eccleſiam, & cantate Miſſam pro peccatis & negligentiis noſtris; inſuper pro anima domini noſtri Regis Henrici, & pro omnibus fidelibus Chriſtianis, vivis & defunctis. Completa autem confeſſione, Epiſcopus intravit eccleſiam, omnia implens quæ Regina deſideraverat. Finita Miſſa rurſum intravit cubiculum, & iterando dedit illi remiſſionem peccatorum. Poſtmodum perunxit eam ſacrato oleo, & recreavit ſacroſancto corporis & ſanguinis Chriſti myſterio. *Deinde exacto quatriduo, abituro Pontifici pallium ſepulturæ deſtinatum tradi juſſit, quod ei ante aviam exſtincto adhibitum eſt. Nepotis mortem a ſe præviſam patientiſſime tulit Mathildis. Tunc ſabbato primo poſt dominicam primam Quadrageſimæ, cum poſtremum vitæ diem inſtantem agnoſceret*, ad ſe vocavit ſuam neptulam Abbatiſſam Mathildam, filiam Ottonis Imperatoris, ſalutaria illi dans monita, ut eſſet pia & humilis, prudens & cauta, ac ſibi commiſſum gregem cuſtodiret; & ut monaſterium raro egrederetur, ne ſæcularibus dedita, a Chriſti ſervitio impediretur. Dedit etiam ei manu Computorium *id eſt Kalendarium cum Necrologio communi ſolitum*, in quo nomina defunctorum procerum ſcripta erant &c. Pie obit.

15. *Mox quamquam a Pontifice (ut diximus) ſacro munita Viatico, extremæque unctionis præſidiis, conſolata eſt Richburgam Northuſanenſem Abbatiſſam, ac* præcepit Presbyteros & ſanctimoniales propius accedere, ut ejus confeſſionem audirent, & ſibi a Deo remiſſionem poſtularent. Quo facto juſſit Miſſam celebrari, & corpus Chriſti ſibi afferri, ut per ſacri myſterii communionem ſecurius evaderet callidi hoſtis læſionem. His omnibus recte peractis, ſibi adſtantes admonuit, ut pſalmos vigilanter decantarent, & Evangelium legerent, uſque dum anima juſſu Dei de corpore diſcederet. Poſt hæc nullum verbum protulit: ſed oculis elevatis, & manibus expanſis animo & ſpiritu in cælum intendit. Appropinquante autem hora nona juſſit cilicium humi poni, & corpus moribundum ſupra collocari, propriis manibus imponens cinerem capiti: Non decet, inquit, Chriſtianum niſi in cilicio & cinere mori. Dein ſanctæ crucis ſe muniens ſignaculo, cum pace & requie obdormivit in Domino pridie Idus Martii. Ut rectiſſime potuit inveſtigari, anima ſanctæ Dei egreſſa eſt de corpore in ipſa hora diei, qua ſemper conſuetudinem habuit pauperes recreare in nomine Domini diebus Quadrageſimæ. Cum autem corpus laviſſent, & ad eccleſiam detuliſſent, venerunt nuntii Reginæ Gerbergis, filiæ venerabilis dominæ Mathildis, afferentes pallium auro intertextum, aptum cooperturæ loculi. Igitur ſepelierunt corpus in baſilica ſancti Servatii juxta ſepulcrum Regis Henrici &c. Multorum feſtivitates ſanctorum in eccleſia celebrantur, quorum meritis non impar eſt, ut ſperamus, & a quorum ſocietate non ſeparabitur in æterna beatitudine. *Ita vitæ ſcriptor anonymus, cum quo in omnibus fere conſentit Chronographus Madeburgenſis, apud quem hæc leguntur. Ad annum* 968. *qui Mathildis ſupremus fuit*. Domeſticos omnes variis artibus, famulos & famulas litteris inſtituit. Nam & ipſa litteras novit, quas poſt mor-

Digitized by Google

AN CHR. 968 14. Martii. mortem mariti ſatis lucide didicit. *Egregium ſane pientiſſimæ feminæ exemplum ! Sed quid* litterarum *nomine hoc loco intelligit Chronographus ? an Latinam linguam ? an non potius legendi & ſcribendi artem ? nam famulos & famulas latinis elementis imbutos fuiſſe haud quaquam veriſimile eſt. Mathildis nomen cum ſanctæ titulo in variis catalogis notatur. In Kalendario Hemmæ Francorum Reginæ, quod Pſalterio præmiſſum eſt, aſſervatum in ſancti Remigii Bibliotheca inſigni apud Remos* : 2. Idus Martii obiit Mathildis Regina venerabilis. *Cum vero ad ejus elogium maxime conducant ſubſtructiones monaſteriorum, quædam diplomata iſtuc pertinentia, quorum ſuperius fragmenta retulimus, integra hic repræſentare juvat ex Antiquitatibus Brunſvicenſibus Joachimi Joannis Maderi, Helmeſtadii editis anno* 1661.

Diploma Ottonis M.

Quo parthenoni Quidlinburgenſi bona quam plurima donat & confirmat, Advocatum etiam eidem conſtituens.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Otto divina favente clementia Rex. Noverint omnes fideles noſtri, tam præſentes quam etiam futuri, qualiter nos ob amorem Dei, omniumque ſanctorum, & pro remedio animæ noſtræ, ac parentum ſucceſſorumque noſtrorum, congregationem ſanctimonialium in *Quidalingaburg* ſtatuere curavimus, quatenus ibidem laus omnipotentis Dei, ejuſque electorum ab eo in perpetuum colatur, & noſtri noſtrorumque memoria perpetuetur. Et ut idem conventus illic certum famulatum obtineat, urbem in Quidalingaburg ſupra montem conſtructam, cum curtilibus cunctis ædificiis inibi conſtructis, & quidquid clericis in eodem loco Domino ſervientibus prius conceſſum habuimus, & novam partem ex omni conlaboratu ejuſdem curtis : ſimiliter & in locis ſubnotatis, *Marſcleno*, *Hamickeroda*, *Wibuſen*, *Utiſlavo*, *Rudiburgi*, *Hadeburgi*, *Bucolſteti Hodohuſi*, *Mabuga*, *Waldeslevo*, *Briendorpe*, *Salberſe*, *Weſterhuſe* ; nec non & totum quidquid in locis ſic nuncupatis *Rederi*, *Hebentothe*, *Oerthun*, proprietatis huc uſque habere viſi ſumus, atque *Querebeci*, cum ſilva groſſiori & territorio de eadem villa exarato & inarato, familias Sclavanicas 15. & totidem in *Calvo* : ac decimam partem in Rodfelden & Sippenfelden, ex omni venatione in Lugelheim, videlicet de vineis ad carradas 10. ex melle vero ſitulos majores 40. noſtræ majeſtati ſingulis annis perſolvendos, ad ejus victum & veſtitum perpetuo jure poſſidendum donavimus. Monaſterium itaque *Winelhahuſum* nuncupatum, ſitum in pago *Harerhargo*, in Comitiva Dietmari, cum omnibus quæ ſanctimoniales antea in ſuum habuerunt ſervitium, prædictæ congregationi in Quidalingaburg in proprietatem condonamus : & curtem *Salta*, ſitam in pago *Lainga*, in comitato Liudgeri, cum univerſis ad eamdem curtem jure pertinentibus, hoc eſt familiis & mancipiis, curtibus & curtilibus, ædificiis, cultis & incultis agris, pratis, campis, paſcuis, ſilvis, aquis aquarumque decurſibus, molendinis, viis & inviis, exitibus & reditibus quæſitis & inquirendis, mobilibus & immobilibus; & quidquid Aredbardonis domino & genitori noſtro ſanctæ memoriæ Henrico sereniſſimo Regi, cum præfato loco Salta, in proprietatem condonavit, ex integro illi in totum conceſſimus. Et ſi aliquis generationis noſtræ in Francia & Saxonia regalem poteſtativa manu poſſideat ſedem, in illius poteſtate ſint prænuncupatum monaſterium, & ſanctimoniales inibi in Domini ſervitio congregatæ. Si autem alter e populo eligatur Rex, ipſe in eis ſuam regalem teneat poteſtatem ſicut in ceteris catervis, in obſequium ſanctæ Trinitatis ſimili modo congregatis. Noſtræ namque cognationis, qui potentiſſimus ſit, Advocatus habebatur & loci prædicti, & ejuſdem catervæ. His ita peractis, ut liberam inter ſe eligendi Abbatiſſam habeat poteſtatem conceſſimus, ea videlicet ratione, ut nulli hominum umquam, niſi tantum no-

Digitized by Google

nobis, noſtriſque ſucceſſoribus obtemperet, aut quilibet Regum aut Epiſcoporum perſonæ aliquot ſervitium ab ea impendatur. Juſſimus quoque hoc præceptum largitionis noſtræ inde conſcribi, firmiter præcipientes, quatenus eædem catervæ de prælibatis rebus ab hodierna die ac deinceps tali fruantur poteſtate, ſicut & ceteræ ſanctimoniales feminæ, quæ ſimili modo a Regibus, ſeu ceteris fidelibus ad Domini ſervitium conſtrictæ videntur. Et ut hæc noſtræ conceſſionis auctoritas a fidelibus noſtris verius credatur, ac per ſuccedentium temporum curricula diligentius obſervetur, manu propria noſtra ſubtus eam firmavimus, anulique impreſſione ſignari juſſimus. Signum domini Ottonis ſereniſſimi Regis. Adeleoldus Cancellarius ad vicem Hildeberti Archiepiſcopi Archicapellani. Data Idibus Septembris anno Dominicæ Incarnationis 937. Indict. 10. anno vero domini Ottonis invictiſſimi Regis I. Actum in *Quidalinzaburg* in nomine Domini feliciter, amen.

AN.CHR. 968 14. Martii.

Ejuſdem Ottonis Imperatoris diploma de Poledani monaſterii fundatione & dotatione.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis. Otto divina favente clementia Imperator Auguſtus. Omnium fidelium tam præſentium quam futurorum piæ devotioni pateat, quod nos ob amorem regni æterni, noſtrique imperii ſtabilitate, nec non & ſanitate noſtra, ac dilectæ conjugis noſtræ, & dilectiſſimæ ſobolis, atque pro remedio animarum parentum noſtrorum, in quodam loco noſtro *Palithi* nominato, Abbatiam monachorum in honorem ſancti Joannis Baptiſtæ ſanctique Confeſſoris Servatii conſtructam, conſenſu ac voluntate venerabilis Hattonis, Maguntinenſis eccleſiæ videlicet Archiepiſcopi, fieri conceſſimus, ac noſtra regia vel imperiali munificentia ſtabilire decrevimus. Ad hujus ergo Abbatiæ præfatæ augmentum & perpetuæ ſoliditatis firmitatem, tertiam partem curiæ noſtræ Palithi, cum omnibus ad hanc rite pertinentibus, eidem eccleſiæ in perpetuum perdurandum donamus; hoc eſt, areis, terris cultis & incultis, viis & inviis, exitibus & reditibus, quæſitis & inquirendis, agris, campis, pratis, paſcuis, ſilvis, piſcationibus, venationibus, molendinis, mobilibus & immobilibus, & in mancipiis utriuſque ſexus, cunctiſque aliis rebus, quæ ad hæc aliquatenus dici vel accommodari poſſunt; ad eamdem Abbatiam & ſuſtentationem monachorum in eadem Deo famulantium, noſtra regia vel imperiali majeſtate integre ac perpetualiter tradimus. Ad hæc vero ſupradicta eamdem ſupradictam eccleſiam per diverſa loca augmentare & honorifice ditare devotiſſime curavimus, atque ab omni vexatione ſeu oppreſſione liberam permanere decrevimus: unde etiam eccleſias & nova, ad eamdem prædictam curiam rite pertinentes, cum prædiis & novalibus eidem eccleſiæ aſſignavimus. Placuit vero nihilominus ſcripto noſtro confirmare prædia vel redditus prædictæ eccleſiæ, ſive per nos, ſeu per alios quoſque fideles collatos, in his ſcilicet locis: *Schartfelde*, *Atringenpuurod*, *Runigerod*, *Monickerod*, *Abbaterot*, *Rudeſrot*, *Tuſerot*, *Amekerod*, *Waterod*, *Evvingen*, cum omnibus ad hæc rite pertinentibus, ſilvis, paſcuis, agris, piſcationibus, ſive aliis quibuſque commoditatibus, tertiam partem villæ Palith, tertiam partem villæ Berkevelb, tertiam partem villæ Hattorf, tertiam partem Bilshuſen, in *Herſte* eccleſiam & ſeptem manſus, in Manſede ſex manſus, in Popſum ſex manſus, in Grone capellam regalem & quinque manſus, in Gottingen eccleſiam & telonium & unum manſum, in Seborch unum manſum, in Weſtpalia in *Brakele* & *Thunede* decem manſus, in *Druſmunde* duas acrias, in Culeſin unum manſum & quatuor vineas ad ſacrificium altaris, in Friſia in Wicfort, in Uncvverde, in Colmerhon, viginti quatuor talenta; in Frankenhuſen unum manſum & duas patellas. Hæc omnia vel per nos, vel per alios quoſque fideles Palidenſi eccleſiæ tradita ad ſtipendium fratrum, regia vel imperiali munificentia corroboramus.

Deci-

Digitized by Google

AN.CHR. 968 14. Mart. Decimas ſane per parochiam Palidenſis eccleſiæ, & per quædam nova alia ejuſdem eccleſiæ a monachis novellata, a venerabili Hattone Moguntinenſi Archiepiſcopo noſtra admonitione & utili Moguntinenſis eccleſiæ recompenſatione eidem prænominatæ eccleſiæ irretractabiliter conceſſa nihilominus ſancimus. Statuimus autem ut nullus Comes, nullus miles, nullus judex, nulla prorſus perſona, in præfata eccleſia, ſive in ejus bonis exinde habeat poteſtatem exercendi quid velit, vel ejus bona quoquo modo injuſte invadere, minuere vel alienare, ſed omnia integra conſiſtant, ut ad eorum uſus, quorum ſuſtentationi tradita ſunt, perpetualiter permaneant. Quod ſi quis arte aliqua ſive dolo, ſive violentia quæque bona prænominatæ eccleſiæ minuere præſumpſerit, anathema ſit, & a regno Dei & conſortio ſanctæ Eccleſiæ nunc & ſemper ſegregatus; & ſit portio ejus cum ſatana & angelis ejus uſque in æternum. Fiat, fiat. Ut autem hæc noſtræ auctoritatis traditio a cunctis fidelibus omni tempore ſtabilis, firma, & inconvulſa permaneat, hoc præceptum inde conſcriptum, ſigilli noſtri impreſſione ſignari juſſimus, manuque propria, ut infra videtur, corroboravimus.

Signum domini Ottonis invictiſſimi Imperatoris Auguſti. Dat. 16. Kal. Maij anno Dominicæ Incarnationis 955. anno regni Ottonis Magni 19. Actum Palithi feliciter, amen.

AN.CHR. 970

DE TRANSL. RELIQUIARUM

S. LUCIÆ VIRGINIS ET MARTYRIS

Syracuſanæ in Mettenſe ſancti Vincentii monaſterium.

S. Vincentii monaſterii origo.

1 *Deodericus ſeu Theodericus, eo nomine primus Mettenſium poſt Adalberonem Epiſcopus, Ottonis M.* conſobrinus, *ſedem iniit anno* 964. *Poſt annos quatuor, eccleſiæ & monaſterii ſancti Vincentii in inſula, olim extra, nunc intra urbis muros,* fundamenta *jecit. Id diſcimus ex brevi Chronico Mettenſi apud Labbeum, ubi hæc etiam ſequuntur:* Anno 970. translatio ſanctæ Luciæ & aliarum reliquiarum, quas domnus Deodericus ab Italia in hunc locum tranſtulit. *Occaſionem condendi monaſterii ex eo deducit Sigebertus, quod cum ipſe exordio epiſcopatus ſui animadvertiſſet, in catalogo Mettenſium Antiſtitum, primas quorumdam nominum litteras,* alias auro, alias argento, alias viliori metallo pro meritorum qualitate eſſe annotatas, *vidiſſetque* etiam litteram ſui nominis argento prænotatam; dixiſſe fertur, ſe in epiſcopatu tanta bona fore facturum, ut ipſa nominis ſui littera merito deberet auro annotari. Cujus bonæ intentionis, *ait Sigebertus,* initium oſtenditur in cœnobio ſancti Martyris & levitæ Vincentii, fundato in ipſius urbis inſula. *Et ſane magnifica fuit in hac conſtructione Deoderici pietas: eximia, quæ nunc cernitur, ſancti Vincentii baſilica, quæ nulli Mettenſium, præterquam cathedrali cedit, ſed poſt eum conſtructa.*

Reliquiarum translatio.

2. *Neque ſolum egregiis ædificiis, ſed etiam ſacris reliquiis hunc locum illuſtrare curavit, ex Italia acceptis. De hac translatione libellum ſcripſit Auctor anonymus, oculatus teſtis, editum in Spicilegii tomo* 5. *& poſt eum Sigebertus proſa & verſibus. Proſam orationem vulgavit Meuriſſius in hiſtoria Mettenſium Epiſcoporum. Ambo iſti auctores reliquiarum translationem anno* 970. *factam dicunt, cum Deodericus* in Italica expeditione *cum Ottone per triennium verſaretur. Inter cetera ſanctorum pignora, teſte Anonymo,* Romæ dono domni Papæ Joannis, qui tertius-decimus eo nomine erat, partem non modicam catenæ beati Petri promeruit. Cum ea quoque privilegium monaſterii ſancti Vincentii, cum dalmatica & ſandaliis Abbati ejuſdem loci apoſtoli-

Abbati uſus dalmaticæ & ſandaliorum conceſſus.

ſtoli-

Digitized by Google

ſtolica prærogativa conceſſis, idem domnus Papa direxit. Hæc omnia Adelbertus clericus cum Conone Comite tranſtulit. *Ex hoc loco intelligimus, jam inde ab ipſis primordiis Abbatem cœnobio ſancti Vincentii fuiſſe præpoſitum, tametſi nullus ante Popponem (de quo in Sæculo ſequenti) notatur in vulgatis indicibus.* AN.CHR. 970

3. *Præterea beati martyris Vincentii corpus, ex Hiſpania (uti aſſerebant) advectum, in civitate quadam antiquiſſima ſed diruta, nomine Corduno,* quæ ab Arretio 12. millibus diſtat, *ex monaſterio proximo ſuſtulit* Bertraus Diaconus *a Deoderico miſſus,* comitante ſecum quodam clerico Epiſcopi Arretini: *qui etiam non modicam portionem ſanguinis beati Stephani protomartyris dedit. S. Vincentii corpus* Ambroſius *Bergamenſis,* pro eo quod ſedes epiſcopatus ſui in honore ſancti Vincentii eſſet, *aſportare paullo ante, ſed fruſtra tentaverat.* Hoc clerici de Monte Romaric tulerunt. *Ad hæc, in Sabinis regione,* non procul ab urbe Roma milliario fere 40. *ſancti martyres Protus & Hiacynthus erant reconditi aliquanto negligentiori cuſtodia. Hos Abbas quidam de monaſterio* ſanctæ Mariæ, quod dicitur Farfara, *Deoderico, quem* cauſæ ſuæ apud Imperatorem ſibi fieri interceſſorem rogabat, adjecit. *Sed &* pignora ſanctarum Dignæ & Emeritæ *cum aliis,* munere domni Papæ Joannis *accepit, quæ* per Willardum monachum Mauri monaſterii miſſa ſunt. *Item Leontium & Carpopborum martyres ex urbe Vicentia, & quidem* ex celebri & nobili monaſterio ſancti Felicis, ab Ungris nuper exuſto.

4. *Verum* memorabilis virgo & martyr Lucia Syracuſana quo ordine, *inquit Anonymus,* ad religioſiſſimi Præſidis noſtri avidiſſimam devotionem pervenerit, Wigericus Presbyter noſter, tunc Cantoris, nunc Cuſtodis beati Stephani officium gerens, *qui ea ſacra oſſa manibus ab urna extulit, quem ſatis* tutæ fidei conſtat, quibit exponere. *Ea in Corfinio, quæ vetus olim civitas fuerat, nunc tota diruta, quieſcebat: ad quem locum de Sicilia eam fuiſſe translatam a* Faroaldo *quondam Duce Spoletino, vere nobis aſſertum eſt ... Cum jam* Roma, regiis nuptiis ibi ingenti gloria peracti, *nempe Ottonis junioris cum Theophanu,* reditum in patriam diſponeremus, venerabilem Præſulem domnus Papa de quatuor portionibus craticulæ ſancti Laurentii cumulavit. Eas Wigericus cum Joanne monacho ab ipſa ſacra crate excuderunt. Hæc vero fuerunt capita virgarum, quæ per tranſverſum jacuerant, coſtis exterioribus infixa: nam virgæ omnes, quæ ſex in ea fuerant, jam inde a diverſis Apoſtolicis, a vetuſto tempore quibuſque Regibus erant dono collatæ: e quibus una, quæ adhuc ante paucos annos ſupererat, magno Imperatori Ottoni ab Octaviano conceſſa eſt: *Hæc carptim ex Anonymo: quem Deoderici ſeu Diederici vitam, cujus hæc narratio pars ſit, ſcripſiſſe colligo ex Hugonis Flaviniacenſis parte 2. ubi Fingenti Abbatis priora facta* in vita Theoderici eximii Mettenſis Epiſcopi *contineri ait. Hinc forſan conjicit aliquis, Fingenium, qui ſancti Clementis cœnobii Mettenſis Abbas erat, atque ſancti Symphoriani, etiam Vincentino præfectum fuiſſe.* S. Luciæ translatio.

5. *Recepto in ſancti Vincentii baſilicam beatæ Luciæ corpore,* Deodericus Præſul, *teſtante Sigeberto,* in obſequium *ejus* ex toto pronus, præoccupavit ſtatim conſtruere Oratorium, in quo decenter reponeret datum ſibi divinitus theſaurum. Quo opere laudabiliter conſummato, dedicavit ſollemniter ipſam baſilicam, *id eſt Oratorium,* in honore glorioſæ virginis Luciæ 8. Idus Auguſti, anno 9. epiſcopatus ſui, anno vero dominicæ Inc. 972. præſentibus & cooperantibus ſibi ſuis conſuffraganeis Epiſcopis, Gerardo Tullenſi, & Wigefrido Virdunenſi, qui olim in aula Imperatoris familiari contubernio ſibi adhæſerant. Oratorium ejuſdem.

6. Anno poſthæc quinquageſimo ſecundo, *cum Conradus* II. cœnobium in honore ſanctæ Dei genitricis Mariæ, in parochia Spirenſis eccleſiæ, in loco qui dicitur Lindiburch conſtruxiſſet, Giſila conjuge ſua ſibi cooperante; *eo mortuo Henricus* III. brachium ſanctæ Luciæ *a Deoderico juniore obtinuit,* & ad cœnobium Lindiburgenſe detulit *anno* 1042. *ut fuſius narrat Sigebertus, qui in ſancti Vincentii monaſterio quondam litteras docuerat. Reli-*

Digitized by Google

AN.CHR. 979 *quæ reliqua ad Diodericum ſeniorem pertinentia, utpote qui monachus non fuit, tametſi in cœnobio ſancti Galli educatus teſte Ekkehardo. Mortuus eſt anno 984. poſt annos 20. pontificatus. De eodem iterum inferius, ubi de Forannano* Goldaſt. to. 1 pag. 88. 89. *Abbate. Perſtat etiam nunc ſancti Vincentii Abbatia illuſtris, quam modo illuſtriorem reddit Patrum Congregationis ſancti Vitoni religio, uti & tres alias noſtri Ordinis in eadem urbe ſitas, nempe ſancti Arnulfi, ſancti Clementis, & ſancti Symphoriani, de quibus infra. Quinta olim fuit ſancti Martini, ſuperiori ſæculo exciſa, de qua fuſius agemus in Sæculo noſtro ſequenti ad annum 1063. ubi de tranſlatione Sigeberti Regis ibidem primitus ſepulti.*

AN.CHR. 971 24. Julii.

DE SANCTI ARNULFI

MARTYRIS TRANSLATIONE MOSOMUM,

Ubi de Moſomenſis cœnobii inſtauratione.

Adalbero a Remenſis Archiepiſcopus in monachos beneficus. 1 I*Nter præcipuos Ordinis monaſtici benefactores merito cenſendus eſt Adalbero Archiepiſcopus remenſis, qui in monaſteria ſuæ diœceſis pleraque monachis deſtituta antiquam religionem poſtliminio revexit. Teſtis Abbatia ſancti Theoderici prope Remos, teſtis de qua nunc agimus beatæ Mariæ* * Mouzon. *eccleſia Moſomenſis in caſtro Moſomo * ad Moſam. Iſtic ab antiquo Sanctimoniales, quo tempore incertum, inſtitutæ, cum bellorum procellis defeciſſent,* Monachos Moſomi inſtituit. *in earum locum ſucceſſere Canonici: quorum vitæ licentiam Adalbero cum ferre non poſſet, eo monachos inducere conſtituit. Hujus inſtitutionis occaſio nata* * Warc. *eſt ex tranſlatione corporis ſancti Arnulfi ex caſtro Warco * (qui locus erat ex eo tempore munitus infra Macerias * oppidum ad Moſam) in caſtrum Moſomum in* * Maizieres. *finibus diœceſis Remenſis: de cujus loci poſſeſſione quondam inter ſanctum Remigium & Epiſcopum Tungrenſem lis orta eſt. Hæc tranſlatio facta eſt anno 972, pontificatus Adalberonis ſecundo, quo eodem anno monachi in cœnobium ſancti Theoderici per Adalberonem ipſum reſtituti ſunt. Iſtius tranſlationis hiſtoriam, ſimulque monachorum in eccleſia Moſomenſi inſtitutionem deſcripſit Auctor anonymus, qui ſub medium ſæculum 11. ibidem vivebat. Hiſtoria hæc typis vulgata eſt ab Acherio noſtro in Spicilegii tomo 7. ex qua quæ in rem noſtram modo faciunt, delibamus, initio petito ab Arnulfi vita, quæ omnino obſcura eſt.*

Arnulfus a latronibus cæſus. 2. *Dicitur vero* bonus adoleſcens peregrinatione ſuſcepta ad Ultramoſanos ac Moſellæ ſinus, Belgicam Celticamque Galliam petiiſſe orandi gratia, & ſanctorum qui in eis ſunt frequentandi ſuffragia..... Interim Porticenſem Comitivam ingreſſus, prope jam egrediens perlimitabat eam: (*hinc Porticenſis pagi terminos colligere licet*) *cum ecce a latronibus* improviſo exceptus, in ſilva, quæ cum toto circumpoſito ſibi montuoſo territorio *Frigemons* appellatur, uſque ad mortem verberibus & plagis diriſſimis toto corpore dilaniatus, vix tandem ad villam, quam Gruerias * appellabant, pervenit, & ducente * Gruyeres. ſe via, regio (ut dicunt) pervio ſubſiſtit. Quem cum inibi villæ populus diutiſſime reſidentem vidiſſet, ſageto & umbra ſilvæ æſtimantes obumbrari, ac deinde cum nullatenus moveretur, putantes ſpeculatorem, acceſſerunt, eumque fatiſcentem vivificis myſteriis refecerunt. Quo poſt beata vota in morte reſoluto, procuraverunt illi honeſtum ſepulturæ loculum, qui viæ regiæ contiguus in promtu eſt videri tranſeuntibus.

Eccleſia conſtructa. 3 Hoc loco poſitus, ignotum eſt quamdiu jacuerit: Nam ſublata omni generatione illa, nomen quoque ipſius oblivioni traditum erat, præterquam quia fidelis cujuſdam peregrini ſepultura nota erat, & tumulus deſuper aggeſtus ibi præminebat. *Qua vero ratione Arnulfi nomen poſteris innotuerit, mox ſubdit Anony-*

Digitized by Google

AN. CHR. 971 24 Julii.

Anonymus Quippe unus e vicinis gravi febrium languore vexatus, ex revelatione divina *ſancti nomen & martyrii titulum didicit, ad ejus tumulum acceſſit, & tandem* incolumis remeavit. Hinc infinita multitudine conveniente, & manifeſta ſentiente remedia, mox vicini conſilium habuerunt ut eccleſiolam facerent, in qua cum ſepulcro ſuo ſancti Arnulfi corpus transferentes ponerent. Quibus omnibus paratis eccleſiam ex communi faciunt, tecturam ſuperponunt, ad tumulum veniunt ea intentione, ut quia ibi, utpote in via regia, ſuper eum non quibat fieri eccleſia, ad præparatum loculum ferrent arcam ſepulcri lapideam cum corpore: ſed effoſſo circumquaque tumulo, & egeſto terræ aggere nulla vi hominum amoveri potuit inde.... Eccleſia tamen manſit multo tempore diſtans a ſepulcro Sancti, cujus adhuc manent veſtigia fruticibus & arbuſtulis circumſepta, vetuſtate & imbrium infuſione diruta omni macerie.

4. Erat adhuc eo tempore in eadem villa ex majorum ſucceſſione, quorum juris fuerat fundus ille, proſapia generoſi germinis: *ex qua orta contentione quidam Miles, nomine* Airannus, *paſſus injuriam* Fulcherum *confodit. Mox facti pœnitens, ac confugium quæritans*, ad virum bellicoſum, Comitis Goeranni *fratrem, qui in villa ſui juris* Avia *reſidebat, ſe recepit: deinde etiam Ottonem Comitem qui Warci * habitabat, adiens, eidem alodium ſuum* in villa Gruerias, quam cum ceſpite ſuo nobilitat beati Arnulfi in tumulo adhuc quieſcentis pretioſa confeſſio, vendidit. *Tum Comes repertum corpus* tranſtulit Guilledium, & in eccleſia ſancti Hilarii Pictavienſis Epiſcopi poſuit aliquamdiu cuſtodiendum, donec in caſtello facta capella, cum majori reverentia *ſervaret tantum theſaurum. Quo ad nutum ordinato, & capella conſtructa, transfert ibi pretioſa Sancti pignora cum multa populorum frequentia.*

Arnulfi corpus Warcum transfertur.

* Warc.

5. *Ortis inter Adalberonem Remenſem Archiepiſcopum & Ottonem Comitem diſſidiis, Adalbero* præfati Comitis caſtellum, *pergit auctor*, quod Warcum ſuperius diximus appellari, cum exercitu circumvallat, *juvante* Godefrido *Comite fratre ſuo. Situm ejus ſic deſcribit Anonymus.* Moſa fluvius profundiſſimis inibi gurgitibus, vel equo vel pede non transmeabilis, parte una caſtrum ipſum præterfluit, parte vero altera veniens Sulmona * flumen non modicum gratanter alluit. Hic loci ſitus tunc erat, modo turrium altitudine & fortiſſimo murorum ambitu, præter ipſa fluviorum fundamina, niſi ſors altera fiat, robur habet inexpugnabile. *Expugnato caſtro, flamma ædibus iniicitur, quæ eccleſiæ ligneæ, in qua Sancti Arnulfi quieſcebant pignora*, propinquabat foribus. *At* vetus tabulatum & arida lignorum materies illæſa inter flammas durat, *dum elato ſancti corpore*, ſicut ventus irruens, quidquid prius intactum reliquerat, abſorbuit. *Mox paratæ navi corpus impoſitum jubet Epiſcopus* perferri Bracas *, ubi Confeſſor egregius vita & meritis requieſcit Archiepiſcopus Viventius. Eſt enim, *inquit Adalbero*, ibi Canonia duodecim clericorum Remenſis parochiæ, quam, vita comite, auſpice Deo, in votis habeo regulari monachorum propoſito honeſtius ordinare. *Soluta navis adverſum flumen Aquilæ ducatu ſecabat, & Guilledio, tum ſancti Sulpicii villa, quæ appellatur Pirorum, prætergreſſis. Moſomum appulſa eſt.* Jam tunc Epiſcopus intendebat animum hunc locum decuſſare regulari inſtitutione monachorum, ſicut poſt fecit Remis ſancti Theoderici locum, quem de manibus Rotgeri Comitis, injuſte illum tenentis, vi & ſagacitate retraxit: & remotis duodecim præbendariis, non Deo & ſanctis ejus, ſed ſibi ipſis & Comiti ſervientibus, Abbate ex monaſterio ſancti Remigii accepto, Airardo nomine, cum monachis Deo fideliter militantibus religioſe reſtituens ordinavit. Ita etiam ad præſens Braguis optabat fieri propter amorem ſancti Viventii. *Ad Torciacum villam appellente navi, mulier luminibus orbata*, corrigiam ſibi in collo poſuit, ancillatui Sancti ſe ſubdidit, capitaticum * ſuum & ſe, & poſteritatem ſuam poſt ſe daturam, ſi ſalutem optatam mereretur, promiſit; camiſilem ſuper corpus Sancti poſuit, & mox dicto citius, *viſum recepit. Ejus rei nuncio Moſomum perducto, ſacrum corpus inſigni omnium lætitia excipitur, & in beatæ Virginis æde collocatur. Hæc* acta ſunt *Adalberonis Pontificis* ordinationis anno ſecundo,

Warci deſcriptio.

* Sormonne.

Adalbero caſtro incenſo corpus ſacrum transfert Moſomum.

* Braux.

* id eſt capitis cenſum.

AN.CHR. 971 nongenteſimo ſeptuageſimo primo dominicæ Incarnationis, indictione 14. menſe Julio, 9. Kal. Auguſti.

24. Julii anno 971. Moſomenſis eccleſiæ ſtatus. 6. *Dein Adalbero Moſomenſem baſilicam meliorem in ſtatum reſtituere aggreditur; initoque cum ſui conſilio, agendæ rei ſubſidia quærit opportuna.* Olim locus ille Moſomenſis, *inquit Pontifex apud Anonymum*, in honore Virginis matris Mariæ ſub ordine fuit prætitulatus ſanctimonialium; ſed turbine ſævientе malorum, cum nomine perdiderunt & eſſe. Nuper autem beatæ memoriæ domnus Heriveus hujus ſedis paſtor & rector fideliſſimus, magno religionis affectu hunc diligens locum, ſub titulo jam vice altera dilapſorum reſtituit & ordinavit Canonicorum. Inveniens namque omnibus rebus & ipſa etiam inhabitatione deſtitutam, ex fundamento reædificavit eccleſiam, quæ flammis eam exurentibus & impluvio, multaque longi temporis negligentia detritis parietibus, ſolitudinem tantum horrendam repræſentabat aſpicientibus. Quæ reformata, & in ſtatum priſtinum recollectis præbendariis exornata, ab initio ſui pro dignitate loci & generoſa populoſitate civium ſecunda ſedes hic agebatur Remenſium. Hujus tituli, ſcilicet canonicæ non dicam, ſed ſimulati Canonicorum nominis utcumque tenorem ſervabat antiquum: ſed eorum vita nihil a laicorum differebat cohabitatione. Nuptiis quippe fruebantur, *&c.*

Adalbero Tino monachos adſciſcit. *Locum emendare cupiens Pontifex, de monachis ſubſtituendis conſilium cepit, ſuos ita allocutus.* Eſt in hujus Porticenſis Comitivæ partibus octo monachorum cum Abbate ſibi ſuperpoſito parvus admodum & pauper loculus, quem Freduidis matrona nobilis, cum illuſtri viro ſuo Comite Stephano conſtruxit. Hunc ergo per conſilium domni Gerardi Abbatis, (*Bronienſis ſcilicet, cujus acta ſuperius*) viri vitæ venerabilis, qui tunc temporis pro merito ſui nominis & religioſæ converſationis, pluribus in Francia præerat monachorum cænobiis, inter quæ & monaſterii ſancti Remigii curam agebat. Hunc eumdem, inquam, locum ſancto Remigio ut ſubjectum haberet, ac procurando ſervaret, fideli voto tradiderunt. Hic in honore ſancti Quintini conſecratus, & radicibus Aldiniaci montis adſitus, a rivulo fontis, qui inibi exoriens præterfluit, Tignus * cognominatur. Sed commanentium inquietudo ſatellitum, ex caſtello proxime imminenti, quod ob paluſtre cœnum, in cujus medio reſidet, Cantarana * dicitur, frequentius urgeretur, moleſtiaſque crebras patiens, contemplationis ſuæ ſtudium ſæpe amittere cogitur. Hunc cum Abbate & fratribus loci ſancti Remigii per concambium ex rebus eccleſiæ noſtræ volo, ſi Deus annuat, commutare, mihique legaliter contraditum cum Moſomenſi loco unum efficere; ut cum monachis Abbate ibi tranſpoſito, ex duobus quamvis minoribus unum aliquid fiat majus & melius. *Annuunt illi, & Pontificem ut cœpta perſequatur, votis urgent. Mox ille ſancti Remigii Monaſterium expetit, Abbatem Rodulfum aggreditur: tandem eo connitente reluctantes primum fratres in ſuam ſententiam pertrahit: initur pactum. Denique* ubi omnia quæ præoptaverat Epiſcopus ex ſententia comparavit, iter cum ſuo comitatu Maceriàs * caſtellum, quod tunc frater ejus Godefridus Comes conſtabilitabat, arripuit, & illum Tignenſis cœnobioli pauperculum Abbatem, Lietaldum nomine, quam celerrime advocat, & ſub teſtibus, ſanctique Remigii Præpoſito, ſeu aliis bonæ fidei viris renarrat quod taxatum fuerat. Quid deinde ſe obedienter facere velit privatim mandat; & ut cum ſuis monachis navim conſcenderet, quam ipſe Præſul eis impoſito commeatu apparaverat, & curſum non deflecteret, donec prius Moſomum veniret, imperat. Quibus ita diſpoſitis, domnus Adalbero conſcenſis equis, negotium quod intenderat perfecturus, ad hanc ſuæ ſedis eccleſiam pervenit, & cum honore ſuſceptus eſt. Tunc priores eccleſiæ appellare cœpit. Craſtino autem mane facto, hora diei quaſi prima, jam Epiſcopus Monachos ſuos in proximo adeſſe ſciebat, in ſecretario clericos omnes coadunari facit, & præſente forti cuſtodia ſui, dedit optionem: eligat quiſque quod ſibi utilius videtur, aut fieri monachum, aut cedendo vacuare locum. Abbas namque cum ſuis fratribus egrediens a navi, nuntiabatur jam eſſe pro foribus. Hic turbatis omnibus (durus

* Thin le moutier.

* Chantetaine.

Tinum cum ſancti Remigii monachis commutat, & Moſomo unit.

* Maizieres.

rus

AN.CHR. 971 24. Julii.

rũs quippe ſermo viſus eſt eis de monacho) nulli fuit conſilium præter pau-
cos, quos rei familiaris angebat conſuetudo, ſequi bonum quod Præſul Deo
dignus ſuadebat agendum. Sic Epiſcopus intromiſſis cum honore congruo Ab-
„ bate & Monachis in ſanctuarium, inquit: Non fruſtra, neque ſine cauſa
„ ſit, quod hic vos admittimus, quod mutatione facta ordinem clericorum
„ vobis poſtponimus ſed penſate quod dicitur, Amice ad quid veniſti? Ve-
„ ſtrum ſit pro nobis orare; noſtrum erit, Deo donante, victualia vobis or-
„ dinare. Clauſtra monaſterii & officinales vobis domos metabimur, & pro-
„ cedente tempore oportuna quæque procurabimus: vos tantum cum Deo am-
„ buletis ſolliciti: ſit vobis bonæ imitationis forma & ſpeculum beati Bene-
„ dicti Regula. Ecce jam de mea menſula unam villam, Oduntem nomi-
ne, cum omni banno ſuo ſubtraho &c. *Breveliacum villam, quam* Richar-
dus *Comes Mettenſis beneficii jure poſſidebat, Moſomenſi cœnobio legaliter con-
ceſſit. Sic Epiſcopus* Abbatem & fratres allocutus, & ut ſui jugiter ſancte
& pie vivendo memores eſſent exorans, *in pace dimiſit*. Hæc 7. Idus No-
vembris anni 971. *geſta ſunt*.

Moſomum dotat.

7. *Poſtea natali Domini celebrato Pontifex Legatos Romam dirigit ad* Jo-
annem *Papam XIII.* cognomento Albam Gallinam: qui a juventutis ſuæ pri-
mis annis reverentiæ competentis & dignitatis angelicæ albebat canis. ***Nun-
tiat ſe proximo menſe Majo Synodum indixiſſe; ſedis apoſtolicæ legatum, huic
affuturum poſtulat, Moſomenſiſque cœnobii inſtaurationem apoſtolico roborari pri-
vilegio petit. Annuit Pontifex, &*** accito notario, & ſecundum Romanæ di-
gnitatis conſuetudinem paratis ſcriptiſque ex papyreo tomo chartis, fecit
privilegium, conſtituit decretum, quo Moſomenſem eccleſiam in monaſti-
co ordine tueretur in perpetuum; ac in ſuo Concilio coram Epiſcopis &
generali Synodo recitatum miſit. Itaque ad ſe cum ſanctæ Romanæ Ec-
cleſiæ aprocriſiariis regreſſis etiam reſponſalibus ſuis, Præſul Deo dignus
Adalbero, convocatum undique pro canonibus relegendis, & cauſis ſanctæ
Eccleſiæ in melius conciliandis, in pago Tardanenſi, apud Montem ſanctæ
Mariæ, collegit menſe Majo Concilium: ubi ordinatis juſteque diſpoſitis quæ-
cumque videbantur neceſſaria & ordinabilia, voti ſuo pro quo Romam mi-
ſerat, non immemor, coram venerandis Patribus & omni illa ſancta Sy-
nodo ſic exorſus dominus eſt Adalbero.

Privilegium a Papa obtinet.

Synodum indicit ad Montem ſanctæ Mariæ.

„ Domini patres ac dilectiſſimi fratres audite, quæſo, & intendite humi-
„ litatis meæ preces: quoniam ſicut hic nos congregavit Spiritus-ſanctus, ita
„ quidquid ex ejus inſpiratione ſentimus, per ipſius etiam infuſionem &
„ cooperationem adminiſtrari per adventum ejus ſuper nos exorantes præo-
„ ptavimus & conſecuti ſumus. Unum reſtat modicum, in quo auctore omni-
„ potente Deo, etiam veſtrum expoſtulo favorem, conſilium & benedictio-
„ nem. Moſomus locus quidam eſt diœceſis noſtræ, conſecratus titulo & no-
„ mine ſanctæ Dei genitricis Mariæ, olim ab exordio ſanctimonialium congre-
„ gatione famoſus, ſed mundi crebreſcentibus malis, in quo erat ſtatu dura-
„ re non potuit: poſtea a Fidelibus Clericorum vel Canonicorum jam bis re-
„ ſtitutus collectione, dum ſua quærunt omnes, non quæ Jeſu-Chriſti, dilapſis
„ rebus & partim ſubtractis, pæne ad nihilum redactus eſt. Unde, ut credo,
„ inſpiratione Dei viſum eſt mihi, Monachorum ordine & diſciplina ſecun-
„ dum ſancti Benedicti Regulam locum in melius reformare: quod & efficiens,
„ domini noſtri Romanæ ſedis Antiſtitis conſilium atque auctoritatem ſuper
„ hoc facto expetens requiſivi. Unde, ut in præſenti audituri eſtis, præeunte
„ Chriſti gratia & privilegium auctoritatis ſuæ nobis tranſmiſit, & decretum
„ conſtituens ſub pagina ſancti Petri corroboravit, & auſu temerario infrin-
„ gere tentantes anathematis jaculo impetivit, ſicut infra ſcriptum eſt.

Patribus exhibet privilegium confirmandum.

JOannes Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, chariſſimo in Domino fratri
Adalberoni, ſanctæ Remenſis eccleſiæ digniſſimo Archipræſuli, perpe-
tuam in Domino ſalutem. Si eccleſias longe lateque diffuſas divino nu-
tu in ſancta religione creſcere cognoſcimus, Deo omnipotenti laudibus exul-
tare,

Digitized by Google

AN.CHR. 971 14. Julii. tare, gratiaſque juges referre debemus. Quapropter cognovimus tua induſtria ſtabilitum in Moſomo caſtro, quod eſt ſuper fluvium Moſæ, in veneratione Dei genitricis Mariæ monaſterium monachorum religione decuſſatum, tuiſque proprietatibus eccleſiæque tuæ terris & eccleſiis dotatum, quod ſub pagina beati Petri Apoſtolorum principis, noſtrique decreti te orante benigne ſuſcepimus. Inſuper locellum, qui a Stephano viro illuſtri, atque ejus conjuge Freduide Thin nomine conſtitutus, ſanctoque Remigio ſuppoſitus fuit, quem eidem monaſterio Moſomo, quia per ſe ob exiguitatem rerum ſtare non poterat, contuliſti, collatis rebus in recompenſatione beato Remigio, conſentientibus fratribus. Ut autem cognoſcat univerſa Eccleſia nos unanimiter aſſentire, & a te collata vel conferenda, ſeu a quibuslibet in terris cultis & incultis, vineis, pratis, eccleſiis, mancipiis utriuſque ſexus, aquis, aquarumque decurſibus, in omnibus ad ſupradictum monaſterium pertinentibus, beati Petri Apoſtolorum principis & noſtri firmamus decreto, quatinus ſine livore oblatrantium locus quietus & inviolabilis jugiter permaneat. Si quis interea (quod non credimus) temerario auſu contra ea quæ ab hac noſtra auctoritate pie & firmiter per hoc noſtrum privilegium diſpoſita ſunt, ire tentaverit, vel hæc quæ a nobis ad laudem Dei pro ſtabilitate jam dicti monaſterii ſtatuta ſunt, frangere & in quoquam tranſgredi; ſciat ſe auctoritate beati Petri, cujus, quamquam immeriti, vices agimus, anathematis vinculo innodatum, & cum diabolo & Juda traditore Domini noſtri Jeſu-Chriſti æterno incendio concremandum. At vero qui pio intuitu obſervator in omnibus exſtiterit, cuſtodiens noſtri apoſtolici conſtituti, ad cultum Dei reſpicientis, præceptionem, benedictionis gratiam, & delictorum ſuorum indulgentiam conſequatur, & vitæ æternæ particeps efficiatur. Scriptum per manum Stephani Scriniarii ſanctæ Romanæ Eccleſiæ in menſe Aprili. Data per manus Andreæ 9. *Kal. Maji*, anno pontificatus domini noſtri Joannis ſanctiſſimi & tertii-*decimi Papæ VII.* imperii autem domni Ottonis majoris undecimo, Junioris *vero quinto*, in menſe Aprili, Indictione quinta decima.

„ Quia igitur domini Apoſtolici decretum & vidiſtis & audiſtis, ſi placet ut itidem hujus ſanctæ ſynodi unanimi teſtimonio, & noſtræ humilitatis ſcripto corroboretur, hoc factum decernite. Itaque omnibus ſub uno „ aſſenſum præbentibus, conſcriptione facta ſic recitatum eſt.

ADalbero divina propitiante clementia ſanctæ Remenſis eccleſiæ Archiepiſcopus. Notum fiat univerſis tam præſentibus quam etiam futuris fidelibus, quondam nobis epiſcopio gratia & benignitate regia contradito, ſanctorum quoque loca quædam in honore integro reperiſſe plurimum valentia, quædam vero priſtinæ dignitatis ſtatu deficiente prorſus neglecta. Inter quæ ille etiam Moſomi cœnobialis locus antiquitatis ſtudio certatim conſtructus, ab exordio ſcilicet Sanctimonialium vitæ aptatus, poſtmodum vero canonicali ordine ab Herveo prædeceſſore noſtro melius informatus, atque in honore ſanctæ Dei genitricis Mariæ digne conſecratus; ſed nefandis uſibus utrobique negligenter incultus, rebus quidem partim ſubtractis, partim vero currentibus malis, ſiniſtræ ceſſit fortunæ. Quo igitur comperto, mens noſtra, adhibito fidelium noſtrorum diligenti conſilio, liquido perpendens eumdem locum pro mundi infelicitate in canonicali ordine ſtare non poſſe; æternorum ſpe, prout oportunum exſtitit, ibidem monaſticæ religionis vitam, ordinato Abbate Leotaldo conſtituit, ut ejuſdem loci cultores religioſi tam rebus delegatis, quam etiam forte delegandis utentes, continua vota Deo ſolventes, ſint & pro nobis, & pro poſteris noſtris, ceteriſque ordinibus jugiter exorantes. Quocirca paternitatem loco noſtri & veſtri ſubrogandorum in illa charitate Dei enixius imploramus, quo ſub divini amoris reſpectu hujus rei geſtæ conducibili negotio conſentaneæ pietatis faveant zelo, idque liberalis auxilii indeficienti baſe dignentur temporum

Digitized by Google

porum curriculis conſolidare atque fulcire; ut ex eo gratiam Dei feliciter adipiſcentes, hujus præſtantioris emolumenti mereantur fore conſortes. Sed & hoc ex decretis ſanctorum Patrum ſub auctoritate paſtorali omnino interdicimus, ne umquam hujuſmodi ſtatutum qualibet temeritate ab ullo noſtri ordinis violetur: quin potius in reliquum ſtabile & inconcuſſum jure perpetuo idipſum venerabiliter conſervetur. Nam ſi per laicos in rem hanc injuria invehatur, in eos procul dubio excommunicationis jaculum cum anathemate intorqueatur. Anno igitur ab Incarnatione Domini noſtri Jeſu-Chriſti 973. provinciali Synodo menſe Majo conſtituta, generaliter congregata apud Montem ſanctæ Mariæ in pago Tardanenſi, hoc decretum ſollemniter recitatum eſt coram venerandis Epiſcopis, Abbatibus, ceteriſque fidelibus, huic noſtræ intentioni pio aſſenſu faventibus, immo etiam collaudantibus atque confirmantibus: quorum videlicet primus ego Adalbero jam prædictus Archipræſul eidem Concilio Deo auctore præſidens, manu noſtra ſubſcribens, idem roboravi: ſed & ceteri haud ſecus cenſuerunt manibus impoſitis ſolidari hoc ipſum pontificale ſtatutum, Apoſtolicæ auctoritatis privilegio petitionis noſtræ obtentu undecumque ſubnixum, ac per hoc ſummo honori omnibus reverenter habendum. Ego Adalbero ſanctæ Remenſis eccleſiæ Archipræſul ſubſcripſi & corroboravi. Ego Wido Sueſſionenſis eccleſiæ Epiſcopus. Ego Hildricus Belvacenſis eccleſiæ Epiſcopus. Ego Thebaldus Ambianenſis eccleſiæ Epiſcopus. Ego Haidulfus Noviomenſis Epiſcopus. Ego Theudo Cameracenſis Epiſcopus. Ego Adalbero Laudunenſis Epiſcopus. Ego Gipuinus Catalaunenſis Epiſcopus. Ego Conſtantius Silvanectenſis Epiſcopus. Ego Liudulfus Tarvanenſis Epiſcopus. Signum Alberti Remenſis Archidiaconi. Signum Leudonis Archidiaconi. Thebaldi Archidiaconi. Erluini Archidiaconi. Hugonis Archidiaconi. Geranni Archidiaconi. Rogeri Archidiaconi. Emmonis Archidiaconi. Signum Rodulfi Abbatis ſancti Remigii. Odelei Abbatis ſancti Medardi. Ratoldi Abbatis Corbejenſis. Berlandi Abbatis ſancti Vincentii. Adſonis Abbatis ſancti Baſoli.

AN.CHR. 971 24. Julii.

8. *De anno celebratæ ad Montem S. Mariæ Synodi, & Epiſcoporum Moſomenſi privilegio ſubſcribentium lis eſt inter eruditos: cui diſſolvendæ minus ſufficiunt mſſ. codices, ex quibus Igniacenſis annum 983. ſignat (cui vereor, ut in apographo Sirmundiano cifra una* x. *ex ſcriptoris oſcitantia ſit inſerta) alii annum* 976. *rectius in Spicilegii tom.* 7. *annum* 973. *Cum enim ex Joannis Papæ* XIII. *litteris ſuperius laudatis, quas Pontifex menſe Aprili, Indictione* 15. *ante Paſcha ſcripſit, conſtet miſſum ab apoſtolica Sede legatum, qui Concilio ad ſanctam Mariam indicto menſe Majo intereſſet; id certe ultra proxime ſequentem Majum anni* 973. *a Paſchate incipientis differre non licet. His vero non obſtat, quod in Epiſcoporum ſubſcriptionibus nonnulli ſunt, quos huic anno aptare non licet. Quemlibet enim ſubjeceris annum, idem recurret anachroniſmus: unde vel male compactas a quopiam ſequiori ejuſmodi ſubſcriptiones aliquot, vel certe poſtmodum inſertas a nonnullis Epiſcopis, ſynodi decreta confirmantibus (uti alias factum non ſemel) fatendum eſt: quod in aliis ad ſanctam Mariam conventibus contigiſſe alias diximus. Mons, porro ſanctæ Mariæ, ubi celebrata Synodus, locus eſt in diœceſi Sueſſionica infra fines Remorum, Abbatia Canonicorum regularium S. Auguſtini hactenus inſignis.*

9. *Finita ſynodo Adalbero* Moſomenſem matriculam ſæpe per ſe reviſens, ſæpe per internuntios commonefaciens, piis eleemoſynarum ſuarum largitionibus inſtanter educans, eccleſiolis, altariis, prout in manu ſua veniebant, victualia fratrum ordinabat; clauſtri officinas, ut ſpoponderat, quas & nos ex parte plurima vidimus, de ſuo ſumptu plene ac largiter ædificabat. In omnibus igitur, quæcumque hic locus poſſidebat, fidelis defenſor erat. *Advocatum inſtituit fratrem ſuum Godefridum Comitem, qui monaſterii jura ac prædia tueretur, nullum in eis jus ſibi vindicaret. Tan-*

 dem

AN.CHR. *dem rebus optime geſtis* 10. *Kal. Februarii anno* 989. *rebus humanis exceſſit*.

971 10. *Ei* Lietaldus priori converſatione clericus, poſteriori converſus &
14. Julii. monachus, *ex Præpoſito Tinenſi primus Abbas Moſomenſium*, ſupervixit octo
Abbates Moſomenſes. annis; *anno Incarnationis* 997. *mortuus*, 13. *Kal. Julii*: *cui mox ſuffectus* Boſo *Abbas*, *qui biennio poſt* eccleſiam ampliavit, altare de loco ubi erat removit, & in quo nunc eſt poſuit, & per manus Archiepiſcopi Arnulfi dedicari fecit. *Anno* 1025. *idem Boſo* fecit fabricari thecam argenteam, in quam translatum eſt corpus ſancti Victoris Martyris, præſente Ebalo Archiepiſcopo & plurimis Francorum nobilibus: & ſequenti *anno obiit ipſe Abbas Boſo* 10. *Kal. Julii*. *Ejus ſucceſſor exſtitit* Joannes Abbas tertius, qui & ipſe pro viribus & ante Abbatiam & poſt devota intentione fidelis fuit eccleſiæ. Obiit anno 1031. quo defuncto, & legatione pro inſtituendo Abbate ad Archiepiſcopum Ebalum delegata, ipſe Gandavo litteras miſit, & inde domnum Abbatem Rotulfum, Moſomenſis cœnobii monachum, ſed cum benedictione & licentia Abbatis ſui Joannis commorantem apud domnum Abbatem Ricardum, ſanctum omnino virum, religionis gratia Remis devenire fecit, & Abbatem ordinans Kalendis Octobris feſto S. Remigii ſpirituali ſanctificatione conſignavit anno 1031. Ebalus autem obiit anno 1033. Cui ſucceſſit Wido *Archiepiſcopus*. *Hic Chronographus Moſomenſis hactenus laudatus deſinit*: *ut ante medium ſæculum* 11. *exſtinctus videatur*. *Anonymo quædam in prædicto Spicilegii tomo* 7. *ex apographo Cheſniano ſubjunguntur, ab alio auctore anonymo*, *qui ad annum ſaltem* 1212. *pervenit*.

Abbatiæ varii eventus. 11. Anno *inquit ille*, Dominicæ Incarnationis 1065. Indict. 3. regnante Philippo Rege Francorum adoleſcente, anno regni ejus 6. Pontificante Gervaſio Remorum Archiepiſcopo, anno ſui archiepiſcopatus 10. domno Abbate Bernero, ceteriſque ſanctæ Moſomenſis eccleſiæ fratribus cum ſumma devotione facientibus, præſente domno HUGONE S. R. E. Cardinali, per manus ejus elevatum eſt corpus ſancti ARNULFI Martyris de theca priori, & cum devotis laudibus & hymnis repoſitum eſt in aliam ſub die 9. Kal. Auguſti, præſente ipſo repoſitionis die plurima utriuſque ſexus & ordinis multitudine.

12. Anno Domini 1120. Calixtus Papa cum Cardinalibus Romanis, & totius Galliæ, Angliæ, Hiſpaniæ, Scotiæque Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus & clericis, necnon & Principibus Franciæ, Moſomi venit habiturus colloquium cum Imperatore Henrico V. Ciſrhenenſi, qui & ipſe cum Magnatibus totius Imperii ad idem colloquium veniens, apud Berviliacum villam ſanctæ Mariæ Moſomenſis cum omni exercitu reſedit 9. Kal. Novembris.

13. Anno 1212. factum eſt incendium Abbatiæ Moſomenſis & cum eadem Abbatia incenſa eſt pars maxima caſtri Moſomenſis, videlicet a molendinis ejuſdem villæ uſque ad pontem. *Nec plura Cheſnianum apographum ſuppeditat*. *Perſtat etiam nunc Moſomenſe B. Mariæ cœnobium*, *quod Congregationis S. Vitoni Patres meliorem in ſtatum reſtituunt in dies*. *Baſilica nulli in illis partibus cedit*.

DE

Digitized by Google

DE VENERABILI ANNONE

AN CHR. 973 7. Januarii.

ABBATE MICIACENSI ET GEMETICENSI.

1. *De monaſterio Miciacenſi apud Aurelianos, ejuſque auctore ac primo Abbate ſancto Maximino egimus in Sæculo* 1. *Benedictino, ubi librum egregium de miraculis ſancti Maximini retulimus auctore Letaldo monacho, qui ſub finem hujus decimi ſæculi vixit. Per id tempus magnopere laxata eſt cum in aliis, tum in Miciacenſi cœnobio vita regularis: adeo ut Abbatia pecuniæ prætio quibuſvis ſæcularibus licitantibus cederet. Non defuere tamen eo in loco viri quidam religioſi, etſi pauci, avitæ religionis retinentes: quos inter* eo tempore florebat inibi vir venerabilis, Gaudebertus nomine, ſacerdotali quidem præfulgens ſchemate, clarus genere, ſed clarior ſpiritualibus rebus: habebatque fratrem junioris adhuc ætatis, Bernerium nomine, qui & ipſe poſtmodum vir egregius factus eſt, qui communi utilitati nihil præponendum aliquando putaviſſet. Porro ea tempeſtate quidam venerabilis Epiſcopus, nomine Benedictus, a Britanniis adveniens, locum hunc datis triginta denariorum libris ab Epiſcopo emit. *Huic erat* avunculus, *nomine* Gradilo, potentiſſimus Britonum, *qui* relictis ſæculi pompis ad monaſterium, cui Heri inſula nomen eſt, gratia converſationis venit. *Benedicto in patriam reverſo ſucceſſit* Jacob quidam Abbas tranſmaritanus, *qui cum in pago Biturico converſaretur*, facta cum Epiſcopo Ermenthæo ſexaginta librarum conventione, locum eumdem, parietes vacuos ſcilicet, ſortitus eſt, *factus poſtea Epiſcopus Leonenſis*.

Miciaci ſtatus ſæculo 10.

num. 24.

2. Poſt obitum Jacob Epiſcopi, oblatis denuo viginti libris, Albertus & Azenerius Annonem venerabilem Gemetici cœnobii Abbatem, ſuum videlicet fratrem, evocant, & jubente Epiſcopo Ermenthæo idem vir venerandus locum ſupra dictum ad regendum ſortitus eſt. *Albertus & Azenerius non videntur fuiſſe monachi Miciacenſes ſed ſeculares, Annonis fratres germani: quorum pactione, citra conſcientiam (ut puto) conſenſumque Annonis, qui procul aberat, Ermenthæus Epiſcopus viginti libras pro traditione Abbatiæ Miciacenſis accepit. Hujus vero Annonis* temporibus, *addit Letaldus*, quaſi quidam redivivus æger a longa ægritudine convaleſcens, idem locus a dejectionis ſuæ vilitate reſurgere aggreſſus eſt. Per hunc enim venerabilem Patrem regularis ordo noſtris diebus huic loco primo invectus, ſub eo ferventiſſime viguit: & ſi in rebus adeſſet paupertas, virtus tamen charitatis & hoſpitalitatis eam contegens celabat, & liberalis obumbrabat honeſtas. Toties enim vidimus hoſpitibus largiter vina propinari, nobis omnibus aqua contentis: & tamen ea fieri cautela, ut præſentes ipſi hoſpites hoc omnino neſcirent, ſed omnes, ut ſe, vino delibutos æſtimarent. Diverſis autem modis aderat Dei gratia, quæ neceſſitati occurreret, & inopiam tam verecundæ charitatis ſolamine ſui ſuffragii ſublevaret, ſed & per miraculorum frequentiſſimam copiam, reſpectus ſui demonſtraret præſentiam.

num. 28. Anno Abbas ſuccedit Jacobo.

Regularem diſciplinam reſtituit.

3. *Poſtea quibuſdam relatis miraculis Letaldus hæc ſubdit.* Venerabilis Anno Abbas, cui in memoriis piorum maxima portio eſt, ſignum uſibus eccleſiæ præparari juſſerat, quod ſecundum quorumdam morem baptizatum, & ſuper tectum eccleſiæ elevatum eſt. Cumque hi qui extulerant, per tectum eccleſiæ deambularent, quidam clericus incautius gradiens (cui nomen Flodonicius adhuc eſt) non attendit laquear clavis affixum, leviterque ſuſpenſum. *Lapſus ſuper pavimentum ſaucius ac ſemianimis*, per interventum Patris Maximini ſibi donatus, hodie, *inquit Lethaldus*, vivit, cum fere triginta & amplius anni ſunt, quo hoc peractum eſt. *Aliud ſubjungit miraculum, quod* ejuſdem pii Abbatis Annonis temporibus, cum adhuc infantulus *eſſet ipſe*

num. 23. Campanam fieri curat.

AN.CHR. 973. *Lethaldus, contigiſſe tradit de eo cujus manus ob violatum ſancti Maximini feſtum* hæſerunt foſſorio.

7.Januar. num. 38. Obit pie. 4. *Tandem* piæ recordationis Anno Abbas, cum fere triginta annos idem monaſterium pie gubernaviſſet, Epiphaniorum prima die cum dolore pæne intolerabili omnium ſuperſtitum carnis onere ſpoliatus eſt: qui nos ſua pia charitate deſtitutos, altero nihilo minus damno mæſtiſſimos dereliquit. Nam nono ante eum die Bernerius decaniæ adminiſtrans officium, vir inter præcipuos egregius, vitam laudabilem laudabili fine compleverat. His ergo velut duobus luminibus viduati, in magna cura & ſollicitudine reliqui Fratres ſunt derelicti. Porro Ermenthæus epiſcopus hoc comperto mæſtiſſimus redditur: aſſumptoque clero & quibuſcumque nobilibus, necnon reverendo Richardo ſancti Benedicti Abbate, ad monaſterium venit Fratres conſolaturus, & ſancti viri funeris officia curaturus. Sepelivimus ergo eum in atrio exteriori, quod reſpicit ad Aquilonem, juxta latus Suthardi viri clariſſimi, qui locum hunc pure dilexit, & habitatores ejus miro coluit affectu.

Corpus ejus incorruptum repertum. 5. Poſt annos vero duodecim depoſitionis venerandi Annonis, illud atrium, ubi conditus eſt, veteribus deturbatis fundamentis amplificari, & decentius efferri cœptum eſt. Cum autem pro jaciendis fundamentis tumulus beati Abbatis, qui ligneus eſt, a parte capitis egeſta humo nudatus apparuiſſet, acceſſimus, & aperientes contemplati ſumus illum reverendum, corpore & veſtibus ita integrum, ac ſi eo die poſitus fuiſſet.

Quæ poſt eum contigerint. 6. Sepulto venerabili Abbate, Iſaac Decanus eſt iterum inſtitutus. Per id tempus ERMENTHÆUS Epiſcopus, gravi arreptus incommodo deſperari cœpit. Cumque minime convaleſceret, prima jejuniorum hebdomada ad monaſterium deportatus, & monachico ſchemate veſtitus eſt: moxque convaleſcens in monaſterio degebat; eratque converſatio ejus omnino grata, nulli unquam oneroſa. Fratres vero dum eum habere paſtorem præoptarent, primo quidem annuit: ſed poſt voluntate mutata, quemdam Hermenaldum ſancti Benedicti monachum ut Fratribus præficeret, ſatagere cœpit. *Reclamantibus apud Ernulfum ejus nepotem ac ſucceſſorem monachis, creatus eſt demum Abbas Amalricus ſancti Benedicti Decanus, vir ſimplex & boni teſtimonii,* cum locus anno uno & diebus octo Paſtore vacaſſet.

Anno quo tempore Abbas. 7. *Hæc continue abſque ulla interpolatione ex Letaldo retulimus, dilato in hunc locum quorumdam capitum examine, quorum unum eſt de tempore, quo Anno Miciaci regimini admotus eſt, & de anno quo vitam abſolvit: alterum, an fuerit Abbas Gemeticenſis, quod Arturus in Neuſtria pia negat. Ad primum quod attinet, ex charta Arnulfi ſeu Ernulfi Epiſcopi, Amalrico ejus ſucceſſori conceſſa, intelligimus Annonis obitum anno 973. contigiſſe. Cum vero ex Letaldo triginta annos Abbatiam Miciacenſem rexerit, ejus regiminis annus primus anno Chriſti 943. conſignandus eſt. Arnulfi litteræ ſe habent in hunc modum ex noſtro Stephanotio.*

ANno incarnationis Dominicæ 974. Indict. I. anno ſedis noſtræ gratiſſima Dei miſericordia tertio, ego Arnulfus, nulla prærogativa meritorum ſuffultus, ſed gratiæ Dei clementia Aurelianenſis Epiſcopus, notificamus, quoniam adivit humilitatem noſtram Amalricus Abbas ſanctorum protomartyris Stephani & egregii Confeſſoris Chriſti Maximini Miciacenſis monaſterii, necnon Iſaac Decanus & Humbertus Præpoſitus, & omnis congregatio deprecantes nos, ut altaria de Cambiaco *, de Gaudiaco, de Bruerogilo, & de ſancto Hilario concederemus: quod & fecimus. Sanctus Arnulfus Epiſcopus. Sanctus Humbertus Abbas & Archidiaconus. Sanctus Archembaldus Archidiaconus, & alii. Datum menſe Majo anno 20. regni Lotharii Regis. Letaldus ſcripſit ad vicem Rotberti Capellani Epiſcopi.

* Chaingy.

Hæc charta aliquanti momenti eſt, tum ad ſtabiliendum tempus Arnulfi pontifi-

Digitized by Google

tiſicatur, quem iniit anno 972. ſiquidem annus ejus tertius ex ſuperiori charta incidit in annum 974. tum ob conceſſionem altarium eo tempore factam monaſteriis: tum (quod ad rem noſtram facit) ad annum obitus Annonis adſtruendum. Quippe eo anno, quo is e vivis exceſſit, Ermenthæus jam Epiſcopatu ceſſerat, quandoquidem Fratres ei Ermenthæum tum monachum ſufficere cupiebant. Arnulfi annus tertius incidit in annum Chriſti 974. Amalrico Abbate. Itaque Anno initio anni ſuperioris deceſſerat, ſcilicet prima die Epiphaniorum, hoc eſt die prima poſt Epiphaniam, quæ eſt Januarii ſeptima. Chartæ inter alios ſubſcribit Humbertus Abbas & Archidiaconus: qui Abbatis titulus in pleriſque cathedralibus eccleſiis obtinebat, ut Lugduni, & etiam nunc Auguſtoduni geminæ dignitates Abbatum nominibus gaudent. Sic litteris ſocietatis inter Canonicos Aurelianenſes & Cluniacenſes monachos initæ ſubſcribit ante omnes Canonicos Hugo Epiſcopus Nivernenſis & Canonicus Aurelianenſis hoc modo: Signum Hugonis Epiſcopi Nivernenſis & noſtræ eccleſiæ Abbatis & Canonici, in Spicilegi tomo 6. pag. 454. AN.CHR. 973. 7. Januar.

8. Hic mihi occurrit Arturus, qui in Neuſtria pia Annonem Abbatem Gemeticenſem fuiſſe conſtanter negat. Sed huic refellendo ſufficit teſtimonium Letaldi monachi, qui ſub Annonis regimine apud Miciacum converſatus eſt. Idem etiam refellunt, præter omnes Abbatum Gemeticenſium catalogos, libri quidam Gemeticenſes, qui Annonis Abbatis tempore & curis ſcripti ſunt. Abbas Gemeticenſis

VITA SANCTI JOANNIS ABBATIS GORZIENSIS,

AN.CHR. 973. 27. Febr.

Auctore JOANNE Abbate Mettenſi, ejus diſcipulo.

Ex ipſo autographo ad Labbeum & Bollandum collato.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. *Non levi rei monaſticæ detrimento contigit, ut clariſſimi viri* JOANNIS *Abbatis Gorzienſis eo nomine primi acta ad nos uſque integra non pervenerint, ſive injuria temporum, ſeu (quod quidem verius exiſtimo) defectu ipſius ſcriptionis. Certe in codice noſtro, qui auctoris ætate ſcriptus, & quidem unicus eſſe videtur, numquam abſoluta fuerunt acta iſta, habentque lacunas nonnullas ob folia quædam in extremis exeſa. Auctor Monachus fuit, ipſius Johannis diſcipulus, idque operis aggreſſus eſt, Johanne etiam tum vivente, ex mandato Deoderici ſeu Theoderici Epiſcopi, qui ab anno 964. ad 84. Mettenſi eccleſiæ præfuit. Idem auctor Johanni morienti inter alios adfuit, ut ipſe teſtatur in prologo num. 2. ubi ſe ex alio monaſterio Gorziam accitum dicit. Et quidem ſub Anſteo Abbate vixit in Mettenſi ſancti Arnulfi monaſterio ex num. 66. unde Gorziam tunc acceſſiſſe dicendus eſt, jam tum Abbas. Siquidem inter Abbates, quos Joannes morti proximus advocavit, unum ſe ipſe numerat. In elogio Abbatum ſancti Arnulfi apud Bollandum, qui hæc acta poſt Labbeum vulgavit, notiſque illuſtravit, Johannes* Abbas tertius, *Anſtei ſucceſſor, inter alias plures exercitationes dicitur compoſuiſſe* vitam ſanctæ Glodeſindis ac nocturnum de ea officium, & vitam inchoaſſe domni Joannis deceſſoris ſui, *quam* morte præventus imperfectam reliquerit. *In codice noſtro vita ſanctæ Glodeſindis actis noſtri Joannis præmittitur cum hoc titulo:* Prologus domni JOANNIS Abbatis in vitam ſanctæ Glodeſindis virginis a ſe editam. *Dein ſequitur hiſtoria translationis eodem auctore: ac demum Vita Joannis Abbatis Gorzienſis, quam ejuſdem eſſe auctoris non dubito. Hanc in tres partes tribuere ſtatuerat auctor: quarum in prima vitam ejus ſæcularem, in ſecunda monaſticam cum regimine abbatiali, in tertia felicem ejus exitum deſcribere animo deſtinaverat. Verum tertia parte omnino intacta, ſecundam imperfectam reliquit, nec abbatialem Joannis dignitatem attigit. Porro hæc Vita juſſu Deoderici eo nomine primi Epiſcopi Mettenſis ſcripta eſt, ac proinde ante annum 984., quo is deceſſit.* Vitæ ſcriptor.

2. *Gorzienſis monaſterii, cujus monachus & Abbas fuit Joannes, primordia retulimus in Sæculi 3. parte 2. ad annum 765. quo anno ſancti Gorgonii translationis eo factæ hiſtoriam retulimus, ubi quædam ejus loci decora videre licet. At numquam ita effloruit atque hoc ſæculo decimo, quo per Adalberonem Mettenſem Epiſcopum reſtitutus eſt: cum antea a Nortmannis everſus, a paucis ſpecie tenus Monachis occuparetur,* quibus diurnæ ſtipis vix modicum quid inferebatur, *ex ſubjecta Vita num. 35. Primus a loci reſtitutione præfectus eſt* EINOLDUS *ſeu* Eginoldus *Abbas, quem mirifice laudat non ſolum hujus Vitæ ſcriptor variis in locis, ſed etiam Sigebertus monachus in actis ſancti Guiberti Abbatis Gemblacenſis ſuperius adductis, in quibus hæc verba.* Collaborabat ſibi, *id eſt Adalberoni,* ad hoc prius Gorzienſis Abbas Agenoldus, reſtaurandæ ſanctæ reli- Gorzienſis monaſterii ſtatus.

AN. CHR. 973 27. Feb.

religionis adjutor opportunus ... Huc ad diſciplinam Domini tota diffluebat nobilitas, omnis dignitas, omnis ſine perſonarum diſcretione profeſſio concurrebat & ætas: nec quiſquam vel initium converſionis ſe credebat arripuiſſe, cui non contingeret Gorzienſi initiatum. *Tunc Gorzienſe cœnobium* a Fratribus Deum timentibus, quaſi quibuſdam floſculis amœniſſimis paradiſus ſuo deſiderio fulſiſſe *dicitur in Chronico Senonienſi, cujus fragmenta poſt hanc Vitam referemus. Unde Adalbero ſecundus, Mettenſis Epiſcopus, qui* Quadrageſimæ dies ſine monachis, ſi in patria demorari poterat, numquam celebrabat, *id* præcipue apud Gurgitenſes (*ſic Gorzienſes appellat ejus encomiaſtes*) facere conſueverat, quod locus idem ſacræ religionis diſtrictione inſignis... ad divinos uſus & ad divinum ſervitium perficiendum, placidum quietumque otium exhibebat. *Tot vero tantique primis illis renaſcentis diſciplinæ regu-*

Viri illuſtres.

laris initiis ibi floruerunt viri illuſtres, ut ſi quis *eorum* virtutes vellet depingere, utique de ſingulo quoque eorum proprium condi poſſet volumen, *infra num.* 71. *In his præcipue in hac Vita numerantur* ODILO vir natalibus clarus, *qui* poſt bene adultum ſanctæ converſationis robur, petitus reformationi monaſterii, quod dicitur Stabulacum, ibidemque promotus, etiam curſum naturæ perſolvit. *Sanctum appellat Fiſſenus in Floribus Leodienſibus, eumque dicit anno* 954. *obiiſſe*. ANGILRAMNUS primo Tullenſis, deinde ſanctæ quoque Mettenſis eccleſiæ Primicerius, *morte prædicta deceſſit*. ANDREAS *poſtquam in ſacra militia* plurimam ætatem confecerat, jam ſenex ad poſtulationem Papæ Agapiti Romam mittitur *ad reſtituendam apud S. Paulum monaſticam diſciplinam*. HUMBERTUS in Fratrum ſocietate pio admodum labore converſatus, donec cauſa religionis exinde monaſterio beati Apri * Tullo translatus eſt, ubi & in cura dominici gregis beato fine quievit. ANSTEUS, ex Archidiacono in pauperem Chriſti vere mutatus, *dein ad regimen Mettenſis ſancti Arnulfi cœnobii adſcitus*, 15. annorum exactis laboribus, in ſanctæ perſeverantiæ fine curſum conſummavit. *Lege quæ de Blidulfo ex Archidiacono Mettenſis eccleſiæ Monacho, de Frederico, Bernacro, Iſaaco, aliiſque in his actis memorantur. Iſtis adjungendi ſunt* GUIBERTUS *monaſterii Gemblacenſis fundator*, MALCALENUS *VValciodorenſis Abbas, quorum geſta ſuis locis hic eduntur. Hos omnes, aut fere omnes religione imbuit piiſſimus Gorziæ Abbas Einoldus ſeu Agenoldus, a quo etiam Senonienſe in Voſago monaſterium in melius reformatum, ut ex Chronico Senonienſi poſt hanc Vitam referemus. Ejus regimen ab* anno 933. *ad annum* 960. *producit Bollandus; cui ſufficit Joannem noſtrum in annos duos; eique Oilboldum, mendoſe Giboldum; & deinde Odolbertum, quo Abbate hæc Vita ſcribebatur, ex num.* 71. *Concilio Virdunenſi anni* 947. *interfuit cum Odilone ſuperius laudato Agenoldus ſeu Einoldus, teſte Frodoardo in Chronico, qui rurſus ad annum* 953. *ait, Conradum Ducem, expilata urbe Mettenſi, inde receſſiſſe* hortatu (ceu fertur) Agenaldi Abbatis. *Quod quidem ſummam viri auctoritatem probat. Idem etiam auctor fuit mittendi Joannis noſtri in Hiſpaniam ad Regem Saracenorum: quæ legatio ab Ottone primo procurata eſt anno* 956. *aut inſequente. In eodem etiam cœnobio floruit* HODIERNA *recluſa ſub VValone Abbate poſt medium ſæculum* 11., *teſte charta Herimanni Epiſcopi apud Meuriſſium pag.* 370.

* S. Evre.

Joannis memoria.

3. *Joannis memoria non exſtat in vetuſtis libris eccleſiaſticis, ſed in Martyrologiis* Gallicano & *Benedictino* beati *nomine donatur* III. *Kal. Martii.* Domnus *appellatur in titulo autographi, in quo ejus Vita habetur;* ſanctus & ſanctiſſimus *paſſim in contextu, ut num.* 1. & 2. *Sunt qui Joannem noſtrum, non Gorziæ, ſed ſancti Arnulfi Abbatem fuiſſe opinentur. Verum iis contradicit ipſius Joannis Vita, cujus titulus his verbis conceptus eſt:* Præfatio ſequentis hiſtoriæ de vita domni Joannis Gorziæ cœnobii Abbatis. *Idem legitur in prologo: immo etiam in actis ſancti Cadroæ Abbatis infra. Sed in re non dubia argumenta congerere ſuperflui fuerit laboris. Neque vero utrique ſimul cœnobio præfuiſſe dicendus eſt, ſed qui cœnobium S. Arnulfi rexit, alter fuit Joannes hujus Vitæ ſcriptor: quidquid in contrarium aſſerat vita noſtri Joannis gallice dudum ſcripta, quæ farrago hominis parum diligentis in Cancellaria Vicenſi reperitur.*

Abbatiale regimen Gorziæ.

quo anno initum.

4. *Quo anno Joannes Gorzienſis cœnobii regimen inierit, ex mutila ejus Vita diſcere non licet: ſed ejus rei teſtimonia aliunde quærenda ſunt. Is in Hiſpaniam legatus eſt ab Ottone Rege, permiſſu Einoldi Abbatis, non ante annum* 956. *Id colligitur ex Annalibus VVitichindi monachi Corbejenſis, qui Liudulfum Ottonis filium, eodem tempore, quo Otto* plurimos Legatos ſuſcepit, Romanorum ſcilicet, Græcorum, Saracenorumque, *patria ceſſiſſe, atque Italiam adiiſſe ſcribit:* quo agente annum fere totum, diem extremum obiit. *Atqui Liudulfus obiit anno* 956. *aut inſequente, ex Lamberto Scafnaburgenſi & Mariano; ac proinde legatio Saracenorum ad Ottonem accidit anno* 955. *Porro Joannes ſtatim poſt hanc legationem in Hiſpaniam miſſus eſt, ibi per tres annos detentus. Itaque vix ante annum* 960. *revertiſſe, nec ante hunc annum Abbas creari potuit. Et quidem anno* 960. *Einoldi mortem, atque Joannis ſucceſſionem conſignat Gorzienſium Abbatum catalogus, qui annos dumtaxat regiminis duos Joanni aſſignat, uti & Bollandus ejus fidem ſecutus: non alio fundamento, quam quod Sigebertus agens de obitu Guiberti fundatoris Gemblacenſis, quem anno* 962. *conſignat, Oilboldum tunc Gorziæ Abbatem fuiſſe tradit. Verum hac in re Sigebertum eſſe corrigendum diximus in Notis ad hanc Guiberti vitam, quæ relata eſt ſuperius anno* 962.

quamdiu

5. *Certe Joannem ad annum* 973. *vitam & regimen produxiſſe perſpicuum eſt ex ejus Vitæ num.* 3. *ubi mortuus dicitur, cum* quadrageſimus in ſancto propoſito ei annus erat, *id eſt in monaſtica vita. Jam vero hæc ab anno* 933. *conteſtante ipſo Bollando, ineunda eſt, quo anno Joannem Gorziam cum ſociis acceſſiſſe conſtat ex Vitæ num.* 43. *Ex quo conficitur, eum ad annum* 973. *perveniſſe, qui quadrageſimus vitæ ejus monaſticæ annus erat. Mortuus eſt porro die quinta*

ab

Digitized by Google

AN.CHR. 971. 24. Julii.

ab initio ſanctæ Quadrageſimæ, *infra num.* 1. *quod initium a Dominica ineundum videtur. Id ſi ita eſt, Joannis obitus contigit feria quinta poſt Dominicam primam Quadrageſimæ. Sed quo die menſis? tradunt recentiores* 27. *Februarii. At qua auctoritate? non liquet.*

6. *Eidem Joanni quidam tribuunt libellum de Vita ſanctæ Glodeſindis, eamque ſententiam ſub dubio propoſuimus in Sæculo* 2. *pag.* 1087. *& in Sæculi* 4. *parte* 1. *pag.* 435. *At re maturius expenſa, Joanni ſancti Arnulfi Abbati hoc opus potius adſcribendum videtur, uti & Vita ſequens: maxime cum Joannes noſter ita in ſcribendo novus eſſet, ut legatus in Hiſpaniam* animi æſtuaret, qualiter Regi reſcriberet, quia non ſatis litteris reſpondendi uſum habebat. *Sed ejus Vitam tandem reddimus cum numericis Bollandi ſectionibus: quæ Vita hunc titulum præfert in pervetuſto codice mſ. & quidem (ut puto) autographo.*

PRÆFATIO

SEQUENTIS HISTORIÆ

De vita Domni JOANNIS Gorziæ cœnobii Abbatis.

Joannis adhuc viventis vita ſcribi cœpta.

1. NOſtrum in omnibus, quæ piæ, probæ vel honeſtæ vitæ ſunt, rari noſtra ætate exempli Patrem Joannem, jam pridem, eo adhuc ſuperſtite, animus erat ad multorum profectum ſcriptis proponere: & ne tantus vir ex nimia deſidia (quod nefas utique, & non ſine reatu reputaretur) obſcuri nominis fama tectus lateret, litteris qualibuſcumque committere. Interea nobis diverſa curantibus, & pro otio impeditius forſitan negotium exſpectantibus, ſpes in longinqua male porrectas caſus rerum, ut adſolet, repente præcidit mortalium. Nam dum cunctamur, idem vir ſanctiſſimus initio ſanctæ Quadrageſimæ, prima ipſa die, poſt horam veſpertinæ refectionis, ſane (ut ſibi ſemper moris) parciſſime, id eſt panis tantum & aquæ, acutiſſima febre corripitur, quam poſt quintam exinde diem exitus eſt ſubſecutus. Tum vero acſi per ſera ſuſpiria, altius nobis tempora eatenus tam præſentia, ex manibus prærepta ingemuimus, qui utique, quæque dicenda eſſent de ipſo, ab ipſo melius, dum advixiſſet, ad quem ſcilicet, ſi quo opus fuiſſet, facilis eſſet recurſus, diſceremus; ſi tamen quiſquam ille intimus ei exſiſteret, qui aliqua ex eo extorquere ſe poſſe confideret: adeo humanæ ſemper fugitans gloriæ, quidquid egerat, Deo ſoli operum ac cordis ſui teſti committebat. Sed miro modo, ut gloriam quique appetentes, ab ea amplius deſeruntur; ita econtra, ſe fugientes ipſa magis inſequitur. Unde ſancti viri quanto latere deſiderant, tanto conſpectius, licet inviti, produntur. Hoc igitur caſu mente pæne conſopita, cum a tantæ rei, quam dudum conceperamus, exorſu, nos graviter dejeciſſet; quid rurſum jacentes & deſperatos paullatim in vires reduxerit, ac deinde jam volentes magis ac magis impulerit, ferme id fuit.

Parcitas ejus in Quadrageſima.

Joannes ægrotans Abbates vicinos ad ſe convocat,

2. Cum vir ſanctus ex tam valido (ut dictum eſt) morbo lecto ſtatim decubuiſſet, feſtino mox nuntio, qui circumquaque curam monaſteriorum habentes ſumus inventi, ad ſe in craſtinum omnes contraxit: e quibus nutu divino, neminem tunc contigit defuiſſe; additis ex primoribus domus ſanctæ ſedis beati Stephani *a* viris religioſis, ad hoc minorum quorumcumque turba non modica. Ille ſingulos accedentium ex lecto ipſo, in oſculo ſancto, vultu admodum gaudente exceptos, ac pro tempore & re cauſis aliquibus determinatis, tum præterea cunctis in commune ſolita ſibi ſemper exhortatione, quantum morbus patiebatur, de infelicitate hujus, de felicitate alterius vitæ pauca locutus, multitudine vale facto dimiſſa, Patres reverentiſſimi *b* Kadhroe, Berhardus, Hudo, Adelmodus, cumque his ego infimus cum nonnulla parte noſtrorum ſanctorum, exitu illius obſervando ſubſtitimus ibi per quatuor quibus ſuperfuit dies, admixtis pariter loci ejuſdem ſancti collegii fratribus, qui unico ei famulatu aſſidue inhærebant.

quibuſcum adeſt hujus vitæ ſcriptor,

3. Dum

a Mettenſis eccleſia cathedralis beato Stephano protomartyri ſacra eſt.

b Cadroe ſancti Clementis, Berhardus forſan ſancti Vicentii apud Mettas, Hudo ſeu Odo ſancti Michaelis ad Moſam, Adelmodus forſan idem atque Adelmarus Abbas S. Vitoni apud Virdunum Humberto ſuffectus anno 972. ex Hugonis Chronico.

Digitized by Google

AN.CHR. 973. 27. Febr.

3. Dum ei triſti admodum officio aſſidemus, atque ex ejus ſacro ore, quo & inter ipſa vitæ mortiſque certamina doctrinæ ſalutaris gratia profluebat, pendemus; varii inter nos edi ſermones cœperunt, quomodo ſummus ille opifex cunctorum diſpoſitor, & ordinatiſſimus moderator, hunc tanto tempore ſibi fideliter famulantem (quadrageſimus ſiquidem in ſancto propoſito *a* annus 'ei tunc erat) tam acerrime circa exitum ſineret fatigari; neque enim vehementiori cujuſquam alias diſcrimine intremuimus. Pia vero potius unicuique cogitatio æſtuabat, ſi forte pro atteſtanda vita ejus probatiſſima aliquo eum Dominus ad gloriam ſuam evidentiori declarare dignaretur indicio. Inter hos fluctus animorum, cum fere nulla ægris mentibus clarior aura rationis ſe aperiret, ſibi tantum quiſque diffiſus, ex dolore nimio reputabat, quid ſibi fieret; cum nec illi tantæ perfectionis viro ſupera parceret diſpenſatio.

anno Joannis quadrageſimo vitæ monaſticæ.

Miraculum nullum.

* l. ſignorum.

4. Sed hanc temerarariam mentis affectionem, ipſa citius ratio reverſa compeſcuit, qui certis utique ſcripturarum documentis revincebamus, & vitam hominum non in oſtentatione corporum *, ſed in virtute æſtimandam meritorum & morum: nec attendendum quo exitu quiſque hinc exeat, ſed qualis exeat. Quacumque enim occaſione, moriendum omnibus inevitabiliter eſt, & mors, undecumque, pio bonum eſt. Nec refert innocentem mori naufragio an febre, dummodo innocens ſit; & ſive hinc, ſive inde moriatur, quærendum qualis ſit qui moriatur, quo poſt mortem iturus eſt; non unde de vita exiturus eſt. His & hujuſcemodi firmamentis liquido ſatis collegimus, illam exanimationem viri juſti, quam quidem ipſe, *ut inter* cuncta ſemper inflexibilis, ſapienter & æquo animo tolerabat, non modo laudi illius nihil detrahere, ſed ad amplioris quoque meriti fructum accedere; (nam electis, qui ad perpetuam vitam tendunt, quid obeſt ſi aliquando dure moriuntur?) nec item ſignorum vel miraculorum novitatem plerumque differentiam facere ſanctitatis, vel inde patenter oſtenditur, quod per malos hæc aliquando fiunt; multoſque Eccleſia ſummo honore memoriis ſtudioſe exſtructis colit, de quibus an uno ſaltem ſigno claruerint, reticetur. Jamque ut ceteros taceamus, Joannes ipſe, quo nemo in natis mulierum major, teſte Evangelio, ſignum fecit nullum; & dum in carcere gladio feriretur, utrum vel extrema qualibet nota a quolibet homicidarum ſeu latronum deſtiterit, perpetuo omnium ſcripturarum ſilentio conſopitur. Proinde fruſtra aliquid ejuſmodi ſplendoris corporei in commendationem tanti viri deſiderari, de quo firma ſatis & abſque cunctatione fides conſtaret, ea quæ in operibus ſuis & ſancta converſatione atque indefeſſa uſque in finem in bonis perſeverantia viſa ſunt, ſignis omnibus mirabilibuſque præſtare, & ſaluti animarum non ſine plurimo fructu conducere.

Mortis genus piis nullum obeſt.

Vita miraculi loco.

5. Cum hæc, & multa his ſimilia in eodem ſancto conventu mutuis confabulationibus ſererentur, univerſis in eamdem ſententiam venientibus, utile nimis & perneceſſarium jactabatur, ut ejuſdem beati viri converſatio, in quantum vel videri potuerit, vel majorum relatio docuiſſet, ad multorum profectum, ſe digna memoria ſcriberetur. Ego jam inde ab initio tanti negotii avidus, hac conſultatione factus accenſior, etſi tenuitatis ingenii non immemor eram, ad hoc & mens laboris præſaga, ab aliis ad me revolvendum præſentiret; voce tamen ceteris addita, ut fieret, item itemque ingeminabam. Cum dubiæ cogitationi verus continuo ſucceſſiſſet, tumque meque *b* omnes ad hoc potiſſimum delegiſſent; inter ruborem, & aviditatem, temporis articulo deprehenſus, dum, quid deliberarem, non facile occurreret, tandem impatientia vicit, meque, ad quod ſolvendum non ſufficiebam, nimium præceps & impudens obligavi. Et plane fateor ut improbum ſcriptorem

Auctori vitæ ſcribendæ occaſio.

a Hoc eſt in monaſtica profeſſione, ut notatum in Obſervationibus prævìis ad hanc vitam: quo ſenſu hæc vox ſumitur etiam infra num. 6. & paſſim apud auctores.

b Hic locus ſatis intricatus, ita reſtituendus videtur: *Cum dubiæ cogitationi verus continuo metus ſucceſſiſſet, tumque me omnes ad hoc potiſſimum delegiſſent*, &c.

Digitized by Google

ptorem me ſumpſiſſe materiam non viribus æquam: ſed ſpes tandem ea ſolatur, quod miſeratione divina quidquid illud erit oneris, meritis ejuſdem viri, qui certa fide mea in præſentia claritati Chriſti aſſiſtit, levandum non dubito. Et qui licet immeritum, dum nobiſcum eſſet, ſancta familiaritate ſua non judicavit indignum; nunc pie operi ſui amoris inſtantem, ope amicæ olim pietatis, pro gratia ſua, ut libere præſumo, non deſeret. Præterea, cum plurimos ſanctorum virorum deinceps ceperim hortatores, accedente præcipue, tamquam pulcherrimo culmine, totam fabricam miro lumine venuſtante, domino & præcellentiſſimo Præſule, gloria tam divina quam humana clariſſimo, Deoderico *a* noſtro ſpeciali patrono, & non modo hortatu, verum (quod inevitabilius eſt) juſſu me impellente, tantorum mihi ſuffragia non defutura confido, ut quod ex me eſt impoſſibile, per eos, quorum voluntati parere deſidero, ea, de cujus plenitudine omnes quod habemus boni accepimus, gratia ſuperna ſupplere dignetur. AN. CHR. 973 27. Feb. — juſſu Deoderici Epiſcopi.

6. Quæ igitur a primis geſſerit annis, quorum raram admodum ad nos conſtat perveniſſe notitiam, in medium relinquentes, ea tantum, quibus in virum perfectum aſſurgens, plurimo videntibus & imitari volentibus emolumento fuit, ut miſericordia Chriſti ſtilum regere dignabitur, expedire tentabimus. Primo videlicet quanto, in ſæculari adhuc habitu degens, bonæ actionis germine viruerit; vel qualiter ipſa optima fruge in terra ſui cordis uberius fructificante, ad monaſterialem inde vitam tranſierit. Deinde quo ſtudio in eodem ſancto propoſito, quo labore, qua jugiter vigilantia in omni virtutum exercitio, & prius in contubernio ceterorum, ſub majoris imperio, & poſtmodum in regimine ſubſtitutus, *b* locum, quem ſemel in acie ſpirituali ceperat, tenuerit, nec quocumque hoſtis impulſu gradu exceſſerit, donec, Domino ſecum certante ſeque ſervante, victor evaſerit. Poſtremo quis ei finis feliciter conſummati certaminis fuerit, cui nos miſeridia divina etiam præſentes fuiſſe conceſſit. Pueritia omiſſa, — Vita in tres partes diviſa.

TEXTUS IPSIUS HISTORIÆ.

7. Præcepta ſæcularis doctrinæ, quæ rhetorica dicitur, in perſonis ſingulis demonſtrandis, inter cetera eſſe traduntur; ut majores illius, qui prædicandus eſt, altius repetantur, & ita per gradus, quaſi filo quodam, ad ipſum linea deducatur, tamquam ex illis, ex quibus originem ducit, illuſtrior eſſe poſſit & clarior, comparatione ducta ab arbore, quæ annoſa jam in ramis aruerit, ut ſterilitatem, inquiunt, ramorum radix fœcunda compenſet, & quod in fructu non teneas, mireris in trunco. Fuerit hoc inſtitutum illorum, qui tantum quæ carnis ſunt ſapiebant, & non tam de propriis unumquemque clare vel obſcure geſtis, quam de alienis, famoſos reddi vel infames putabant: cum ſtet contra ratio, pleroſque ex obſcuris ſæpiſſime claritatem, ex clariſſimis item alios probroſæ vitæ calamitatem mutaſſe. Longe autem diverſo itinere ab his noſtra incedit religio, in qua mentium ac morum potius ingenuitas, & vera ſpiritus dominio vitiorum exuta libertas, quam carnis vana ac tumens, & in morem fumi vaneſcens celebratur nobilitas. Apud hanc de pulvere ſuſcitatur egenus, & de ſtercore pauper erigitur, ut cum principibus cœleſtis populi ſedeat glorioſus. Nec deſunt probationi documenta, cum David ex paſcuis gregum in regnum; Petrus cum conſciis paupertatis ex retibus piſcium in orbis totius attollitur principatum: quæque abjecta ſunt mundi & ignobilia, eliguntur ut potentia & nobilia confundantur, dicente autem ipſo hujus Principe inſtituti, *Si vos manſeritis in ſermone meo, vere liberi eritis, & veritas liberabit vos*, quod non eſt aliud, niſi liberos vos faciet: itemque ipſius Principis præcone, *Ubi ſpiritus* PARS I. — Majorum tituli hic neglecti. — Jo. 8. 37. — 2. Cor. 3. 17.

a Metenſi nempe Epiſcopo, ab anno 964. in annos viginti, medius inter duos Adalberones. De eo plura ſuperius ad annum 971. ubi de tranſlatione ſanctæ Luciæ.

b Hanc partem morte præventus auctor abſolvere non potuit, ut diximus in Obſervationibus præviis, patetque ex autographo hujus vitæ, quæ deſinit in legatione Hiſpanica Joannis, necdum Abbatis.

Digitized by Google

AN.CHR. 973 27. Feb. *ritus Domini ibi libertas;* cuicumque de tanto munere libertatis gloriari licebit. Fruſtra ei illius antiquitatis enumeratio & nomina cinereſque majorum in laudis titulo conquiruntur; niſi forte ſpiritui carnem prætulerimus, cujus caduca nobilitas illi permanentis dedecus ignobilitatis ſuperducere conſuevit.

8. Sed quorſum hæc tam longis anfractibus circumducta? quoniam ſcriptoribus quibuſque, in quolibet, quem dicendum ſuſceperint, talia fere ex more ſumuntur initia, ut qua regione terrarum, ſub quo cæli climate, cujus linguæ vel gentis, qua conditione, cujuſve fortunæ parentibus prodierit, quaſi pro viribus futuræ rationis * primo ſtatim faciant fundamento. Quod ego in hoc noſtro quem tam copioſa ſpiritus generoſitas commendat, ſuperfluum judico laborari: cum eum tanta conſummatæ virtutis gloria, tot perfectorum retro virorum proſapiæ ſic aut æquet aut proximet, ut quidquid felicium operum dignis de illis laudibus celebratur, in iſto velut mundiſſimo ſpeculo totum reſplenduiſſe monſtratum ſit. Ne cui tamen curioſiori minus feciſſe, & tamquam ex inopia materiæ hanc dicendi partem ſermo ſubterfugiſſe culpetur; quam ſuccincte, ſi qua forte talium inſerere oportebit, comprehenſis melioribus & fructu ſalutari pleniſſimis tempora transferantur.

* ſ. narrationis.

Joannes ex territorio Mettenſi. — 9. Oriundus itaque hic Joannes ex territorio fuit partim Mettenſi, partim Tullenſi, villa olim regia, vocabulo Vinderia *, parentibus utique non nimium obſcuris, ſubſtantiæ ſane locupletioris. Pater provectæ omnino ætatis, ut fere nonagenarius crederetur, inter ſuos in facultate ſufficiens, omnibus æquus & bonus, ac ſine querela habitus, uſque ad infimum quemque cunctis ſe præbens accommodum: dumque ruri intentus, ac regendæ familiæ, quam ſecundum mediocritatem vitæ non minimam procurabat, plura ei ex juſto labore ſuccreſcerent, eſſetque poſſeſſionibus, ſumptibus, pecunia ex benedictionibus Domini admodum auctus; hoſpitalitati, eleemoſynis, eccleſiæ quoque, prout poterat, honorificentiæ, ceteriſque bonarum fructibus actionum ſtudioſius inſiſtebat. Conjuge denique liberioris generis in ipſo ævo ſenili junioris ætatis ſumpta, hunc Joannem duoſque poſt ipſum procreat.

*Vendiere.

10. Ipſe in domo paterna eo teneriori cura educatus, quo animus ſenis, ut ad id ætatis editum, omnem impatiens arcebat injuriam: litterarum tamen primis vix elementis traditus addiſcendis, aliquamdiu non longe a conſpectu patris poſtmodum, licet ægre, eodem patre ferente, Mettis, eis quæ tunc eſſe poterant ſcholis inſtituebatur. Nonnullo etiam tempore in monaſterio ſancti Michaelis *a* ſuper Moſam fluvium ad ſtudia moratus eſt, ubi tunc temporis Hildeboldus quidam grammaticam profeſſus ex diſcipulis domni Remigii *b* doctiſſimi ea ætate Magiſtri, ſcholas habebat; cujus doctrina, ut ipſe multoties poſtea fatebatur, incertum incuria an quodam (ut apparebat) ſupercilio, cum tamen a patre ſæpiſſime non mediocriter muneraretur, macram ſatis frugem ſcientiæ eum contigit retuliſſe.

Litteris vacat.

11. Patre jam inde brevi deficiente, cum ipſe adoleſcentiam jam videretur ingreſſus, poſt aliqua, matre, utpote juniore, thalamum innovante, ſolus fratrum totiuſque familiæ domeſticæ curator relinquitur. In ea parte actualis ſcientiæ vel rerum omnium domeſticarum adminiſtratione quam ſtrenuus, cautus & ingenio ceteris propemodum hominibus præſtantiori emicuerit, ut agro, pecore, familia & his inſtituendis atque alendis ſubſtantia non mediocri locupletatus; deinde in artium diverſarum, quæ ad variam ſuppellectilem uſui ſunt, exercitio & diſpoſitione quantum valuerit, ut fere in mundanis negotiis nihil eſſet quod eum præteriret; de his omnibus ſilere melius puto, quam parum digne conſcribere: præſertim cum multorum adhuc horum reminiſcentium teſtimonia ſufficien-

Patre mortuo familiam curat.

a Hujus monaſterii Chronicon editum eſt in tomo 2. Analectorum: cujus loci Abbas erat Hudo ſeu Odo, de quo in prologo iſtius Vitæ. Floret etiam nunc hæc Abbatia ſub Congregatione S. Vitoni.

b De Remigio actum eſt ſuperius ad annum 966. ubi de Flodoardo Presbytero Remenſi.

Digitized by Google

cienter ſuperſint, ex quibus, ſi quos hæc cura pulſat, facile poſſint doceri. AN.CHR. 973 27. Feb.

12. Uſque ad exactam itaque virilem ætatem in domo propria verſatus, diverſorum tam ſæcularium, quam & eccleſiaſticorum, honeſte dumtaxat vitæ, hominum familiaritati in variis officiis & negotiis per omne id tempus, prout opportunum fuit, adhæſit: ex quorum contubernio optimam ſibi formam vivendi, exemplumque conduxit. In domo Comitis Riquini *a*, præſtantiſſimi ea tempeſtate & in omni genere agendarum rerum prudentis & ſagaciſſimi, per annos aliquot obſervatus, plurimum exinde ſibi cepit profectum. Nam & eccleſiam villæ ipſius ex qua ortus eſt, dono ejuſdem Comitis poſſidebat. Dadonis etiam ſummi ingenii & famoſiſſimæ ſanctitatis, Epiſcopi Virdunenſis, non parvo tempore frequentia uſus eſt; qui ſibi quoque eum, ob bene meritam indolem, vivaxque in eo perſpectum ingenium, perpetuum facere cupiebat. Sed quas ob cauſas non obtinuerit parum comperimus. Riquini Comitis dono eccleſiam Vinderia poſſidet,

13. Cuidam deinde nobili viro Warnerio, in confinio Tullenſi, cauſa eccleſiæ ſancti Laurentii, in villa Fontaneto eidem civitati adjacentis, ſe nomine Domini ſocians, ejus officiis quam familiariter inſiſtebat. Ea occaſione Tullo ei tunc temporis frequens recurſus, quia cum hac ex proximo, altera quoque, quam ſimul genitalis ſoli retinebat, eccleſia ejuſdem erat diœceſis. Unde Bernerum Diaconum ipſius ſanctæ ſedis, in ſubjectione eccleſiaſtica ſortitus Magiſtrum, virum ſane & opinione ſanctitatis & litterarum ſcientia eo loci ſatis celebratum, ſtudio lectionis apud eum intentiori cura operam tunc cœpit impendere. Altius autem ſibi eatenus ſic tempora præteriiſſe dolebat, ut de integro rurſus ſcholas innovare cogeretur. Puerulus ſiquidem in diverſa (ut dictum eſt) præceptoribus ad ſtudia commiſſus, quamtulumcumque aurem inde vaporatam retuliſſe viſus erat, totum id conſequentium curarum mole pæne ſopitum amiſerat. Sed facilitatem ingenii, gratia juvante divina, ea citius damna lucri ſequentis felici reparavit ſucceſſu. Prima itaque elementa grammaticæ, primaſque tantum partes Donati, ex ipſo Bernero audivit, eaque introductoria adſperſione contentus, divinis ſe omnino tranſtulit ſcriptis; in quibus intra breve tempus tantum intelligentiæ prætulit lumen, ut omnium, novo miraculo, ad quaſcumque ſapientum non difficulter occurreret quæſtiones. & alteram S. Laurentii. Sub Bernero grammaticam diſcit, & ſacras litteras.

14. Eccleſiam porro ſancti Laurentii, quam diximus, unico amore excoluit; & in miniſterio eccleſiaſtico neceſſariis, quantum religioſius potuit, exornavit. Quotiens denique vacuum erat, ſtrato ibi locato, per plures dies inde non recedebat, noctesque creberrimas orationibus continuabat: & quamquam ſæculo adhuc voluptatem laxare videretur; ſecretius in oculis Domini pro locis & temporibus ſpiritualibus inhiabat. Ibi feminam quamdam ex gynæceo domini ſui, divinis officiis ſub velamine deputavit, quæ ut integra corpore loco ſancto eſt tradita, ita uſque ſub debito fine naturæ ſancta manens carne & ſpiritu, ſub ſtipe ipſius eccleſiæ, nulla umquam attacta infamia, felix conſenuit. Ibidem quoque peregrinum quemdam jam provectæ ætatis preſbyterum exceptum, dum beato fine excederet, aluit, & omni cura ſervavit de quo plura bonæ actionis nobis pater Joannes narrare conſueverat: quod ſcilicet operi divino nocte ac die intentus, nullo fere tempore, præter corporeæ neceſſitatis curam, limen eccleſiæ exceſſerat. Pſalmos verbis & ſenſu diſtincte, ut pæne ſyllabas eum recenſere putares, aſſidue ore volvebat. Oratione pura noctis plurimum occupabat, cum ipſis cogitationibus voce ipſa confligens, eaſque quaſi manu diverberans: Abite, inquit, vani & ignavi, non mihi pſalmiculum ore ſubtrahite. Ad Martyrem quoque plerumque querula voce clamitans: Laurenti quid hic agis, cur non me ab his veſanis defendis? Feminam piam eccleſiæ deputat Presbyterum æque pium ſibi ſociat,

 Dæmo-

a Monaſterium ſancti Petri hactenus incolunt Sanctimoniales Benedictinæ, de cujus origine dictum eſt in Sæculo 2. in Elogio ſanctæ Waldradæ primæ ejus loci Abbatiſſæ.

Digitized by Google

AN. CHR. 973 17. Feb. Dæmones variis præludiis ſibi obverſari corporeis oculis teſtabatur, ut ſæpe ſibi infeſtiſſimi uſque in quoſdam corporis cruciatus dejicerent, lectoque per aliquot dies non conſurgeret.

qui Presbyter ex Nortmannis exemtus. * la Beauſſe. 15. Hic idem de ſe referre ſolitus erat, tempore quo Nortmanni irruptionibus ſævis circa Sequanam & Ligerim populabundi excurrebant, ſe ab eis comprehenſum, & in puteo quodam nimiæ altitudinis, quales quæ in patria, quæ Belſa * dicitur, plurimi conſpiciuntur (nam inde oriundus erat) dejectum, in nulloque penitus læſum, inde item extractum in alio profundiori præcipitatum, cum nec ſic opprimi potuiſſet, eductumque gladio ferire decerneret; tandem uno ex ipſis dicente, necdum eum perveniſſe in genus terræ, quo mori deberet, divinitus, ut creditur, dimiſſum; cum poſt aliquot horarum ſpatia, Nortmannis prætergreſſis, puteo ſe reptando utcumque exemiſſet, & iter ingreſſus fame pæne deficeret (nam triduo jam fere ſine cibo manſerat) repente in media via tres jacentes reperit panes, ex quibus uſque ad prædictam eccleſiam ſancti Laurentii pervenit. Is ſine ulla cunctatione firmabat pſalmorum virtute, quos ſemper in ore verſabat, quos in ipſis etiam puteis conſiſtentem ſe aſſidue decantaſſe fatebatur, de tot periculis liberatum: ab eo idem Joannes ſe ex multis, quæ forte leviter geſſerat, crebro monitum, & aliquando acrius redargutum, multipliciter correctum ſæpius gratulari ſolebat.

Pſalmorum virtute,

Joannem de levioribus admonet.

16. Sed & aliis quampluribus, ſi quos probatæ vitæ ac doctrinæ comperera[illegible], ſolitario comitatu, quamquam ſecreto, interim adhærebat; paulatimque, & quaſi per partes, a quibuſcumque mundi oblectamentis ſubducens, caſtigatioribus ſe actibus applicare ſatagebat. Paulo ante dicto Bernero Diacono maxime delectabatur, eumque honore & officio ampliſſimo venerationi habebat, pro eo quod non modo doctrina & vita ejus, quæ item vicem gerebat doctrinæ, apud ipſum proficiebat; ſed & quod, ſi qua in ſe reprehendenda forte vidiſſet, nequaquam his vel ad momentum parcere [illegible]verat, quin ſtatim ſeverius, &, ſi ita res expoſceret, etiam publice objurgaret. Erat idem Bernerus, inter cetera quæ bono odore de eo fama reſperſerat, religionis, & præcipue vitæ pudiciſſimæ a puero inſignis, in vitia mordax, ut nec ſuperioribus aliquando cederet perſonis. Eloquii nihilominus multa ei venuſtas, & plurima in exhortando & perſuadendo facilitas. Cenſus ei non multum ſumtuoſus, ſed nec omnino abjectus. Simplici enim victu vel tegumento contentus, ſi quid tamen eorum fuerat lautioris cultus, &, ut pæne notaretur, erat ita vir puri animi, ſordium exteriorum attactum prorſus quadam ſibi inſita natura horruerat: tantumque pudicitiæ virtus mentem ejus totam pervaſerat, ut quo forte loco mulierem ſediſſe conſpexerat, nullo pacto, illa recedente, eodem ipſe vel fatigabundus ſuccederet.

Bernerus idem præſtat,

vir religioſus & caſtiſſimus.

Joannes Geiſæ ſanctimonialis exemplo commotus,

17. Interea Joannes & Mettis monaſterio ſancti Petri *a*, ubi & domum vicinam habebat, ſub occaſione eccleſiæ quam tenebat, quæ cum villa propria eidem monaſterio ſubjacet, hebdomadarius ſacri altaris adſcitus; poſt aliquod quam ibidem officium ceperat tempus, tali ordine ſalutis ei occaſio divinitus providetur. In collegio puellarum ejuſdem loci (quod nunc feliciter Domino miſerante procedit) erat quædam moribus & converſatione remotior a ceteris, annis admodum puellaribus, nomine Geiſa, quam amita eidem religioſa ſecretiori apud ſe cuſtodia educebat. Hæc Fredeburg dicebatur. Ea itaque Geiſa cum ad arctiora ſe cotidie ſanctæ converſationis extenderet, inter cetera ſancti propoſiti ornamenta, etiam ſub omni veſte, cilicii uſum addiderat. Joannes ejus inſtituti adhuc parum vix aut omnino ignarus, dum quadam die, quonam incertum loco, cum ea familiaribus, ut cum ceteris aſſolebat, ſermonibus quædam insereret; a pectore puellæ intra interulam, quæ fuerat ſubtilior, umbram cilicii ad carnem latentis, ſub dubio viſu proſpexit. Manu protinus ad explorandum quid eſſet injecta, ubi rem aſperior tactus edocuit, ſtupore vehementi, & toto corpore

a Monaſterium ſancti Petri hactenus incolunt Sanctimoniales Benedictinæ, de cujus origine dictum eſt in Sæculo 2. in Elogio ſanctæ Waldradæ primæ ejus loci Abbatiſſæ.

Digitized by Google

pore tremore exhorruit. Quid deinde hic habitus prætenderet, percunctatus, verecundior illa, & rubore vultu adſperſa, poſtquam aliquamdiu obticuerat: Neſcis, inquit, nos non iſti ſæculo vivere, aut deſervire debere. Hæc ad quæ pleroſque deditos video, vana prorſus & animarum perditionem eſſe perpendo. Longe alius mihi animus ab his proprii tantum periculi ſollicitam cogit exſiſtere. Plura in hunc modum ſancti deſiderii verba cum replicaſſet, Joannes ab imo pectoris in alta excitatus ſuſpiria: Væ, inquit, miſero mihi & ignaviſſimo, qui tamdiu moras non modo ſteriliter, ſed etiam perdite vivendo protraxi. Me virum, hunc fragiliorem ſexum virtute præire oportuit, nam ſummo probro & contumelia, non ſolum non conſequor jam ambulantem, ſed nec deſes & totus inhærens terræ, ullo motu progredior aut coimitor.

AN.CHR. 973 27. Febr.

18. His igitur acrius ſtimulatus, & ſupra quam alias antehac cujuſquam exemplo virtutis accenſus, de perfectioris vitæ inſtitutione fixa mente deliberat. Studium itaque lectionis divinæ cum eiſdem ancillis Dei ſumma vi ſtatim arripuit, & primum ſacræ Bibliothecæ *a* hiſtoriam veteris ac novi Teſtamenti percurrens ex integro; deinde quæcumque in divinis officiis certis temporibus in eccleſia frequentantur lectiones libri, qui Comitis *b* dicitur, orationes, & ſi qua ſunt Sacramentarii in uſus diverſos, regulas ſupputationum temporalium, quæ coram antedicto Bernero Diacono prius ex multa parte relegerat, memoriæ veraciter, ut nemo ſuperius, commendavit. Præcepta canonicæ inſtitutionis, hoc eſt decreta Conciliorum, judicia pænitentum, ordinem actionum eccleſiaſticarum: ad hoc & ſæcularium edicta legum, ad unum uſque (ut ita dicam) verbum corde recondita mire continuit. Homeliarum, ſermonum, ac diverſorum tractatuum, in lectionibus Epiſtolarum vel Evangeliorum; ſed & geſta ſanctorum, ſi qua ſunt, memorabilium, tantam concepit notitiam, ut quotiens poſtmodum ei opportunitas forte acceſſiſſet loquendi, ac ſi præ oculis liber adeſſet, a prima uſque in extremam ſententiam, ex ordine, tamquam viſa perſequens veſtigia, verbis communibus univerſa revolveret. Cantibus eccleſiaſticis ſub idem temporis inſudare nec erubuit, nec deſperavit: & licet nonnulli, ut alieni ori ætate, deludi tacite riderent ingenium; pertinacia boni deſiderii, quamvis duro eluctato labore, prorſus evicit:

de vita perfectiori cogitat.

Scripturæ ſacræ ſtudet.

Canones, jus civile, aliaque diſcit.

19. Hæc ei interim ſanctorum negotiorum otia cum prædictis ancillis Dei fuere: ex cujus etiam collegii multitudine, pleraſque ab infimis delectationibus ad cæleſtium deſideriorum flammas, igne divini eloquii permutavit; quæ nunc uſque teſtes ordinis vitæ virtutumque ejus exſiſtunt. Jam vero in ceteris exercitiis ſpiritualibus, continentia, jejunio, vigiliis, orationum frequentia, vel reliquo labore corporeo, carniſque caſtigatione, quanta ſe virtute accinxerit, & de die in diem melioribus ſe præparans, gratia Chriſti comitante in ulteriora ſemper tetenderit; ſequentium atteſtatione operum forſitan melius demonſtrabitur.

20. Ad mundi contemptum, & facultatum renuntiationem ex integro omni deſiderio æſtuabat: ſed quo locorum ſe conferret, non facile prævidebat: adeo exemplorum copia ſe ex tota hac regione ſubduxerat; nec ullum omnino Monaſterium in cunctis eis Ciſalpinis partibus, ſed & vix in ipſa Italia audiebatur, in quo regularis vitæ diligentia ſervaretur. Quia igitur, quo ſe verteret, ignorabat; quod ſolum poterat, virorum quorumdam, quos fama vulgatior a ſæcularium converſatione ſejungere videbatur, frequens limina obterebat, eorumque actionibus intentus, nec in collaborando inferior, menſem plerumque, aut eo amplius, nunc in iſtius, nunc in illius contubernio, & quoquo poterat obſequio exigebat. Mettis per id temporis duo continentis vitæ præconio ſatis celebres habebantur; alter ROTLANDUS

Piorum conſortium quærit.

a Bibliothecæ nomine hoc loco, ut alibi non raro, liber ſacra Biblia complectens ſignificatur.

b Hic Liber Hieronymo in vetuſtis codicibus tribuitur, exſtatque hac de re prævia ſancti Hieronymi præfatio ad Chromatium. Idem liber memoratur non ſemel in teſtamento & litteris Gennadii Epiſcopi Aſturicenſis ſupra.

Digitized by Google

AN CHR. 973 27. Febr.

ſcholæ Cantorum in domo ſancti Stephani præſidens, & in remotioribus Oratorii ſancti Michaelis, quod erat in ſuperiora ejuſdem baſilicæ ſancti Stephani, orationibus, pſalmis, Miſſarum celebrationibus, noctes dieſque continuans: alter Warimbertus apud baſilicam ſancti Salvatoris, non longe a clauſtris clericorum, pari nihilominus ſtudio in rebus divinis Chriſto deſerviens: quorum vitæ omnibus acceptiſſimæ teſtes adhuc multi ſuperſunt; ex quibus, ſi quis velit, plenius poteſt addiſcere.

Urbis recluſione relicta,

21. His itaque non parvo tempore cohærens, & multo divini operis labore ſeipſum exercens; etiam apud eamdem ſancti Salvatoris baſilicam, retruſionis cellulam, in qua perpetuo clauderetur, adorſus eſt. Sed credo loci incommoditate offenſus, utpote medio urbis, & potius ſecreta quælibet ſilvarum animo meditatus, interim ſtatuit differendum. Audita interea fama viri venerabilis Humberti, qui Virduni recluſus & ſcientia litterarum ſanctarum, & laudabilis vitæ teſtimonio clarus, & merito ſanctus ab omnibus eo loci habebatur, celeriter ad eum contendit, & brevi mutuis confabulationibus animo inter ſe coaleſcentes, aliquot dies cum eo exegit. Omnium *a* ibidem exceſſuum ſuorum puram confeſſionem deponens, ex eodem venerabili viro formam pœnitentiæ cœpit. Carnibus, ut putatur, ab ipſo tempore omnino abſtinuit, & jejunia ſibi ſemper amica infatigato rigore arripuit.

ad Humbertum ſe confert.

Confeſſionem facit.

22. Cum vero comperiſſet, & alterum quemdam ſolitarium in vicinia ejuſdem civitatis, intra remotiora ſaltus, qui Argonna *b* dicitur, commorari; etiam hunc eadem fervoris inſtantia adiit, ſi forte ibidem deſiderio diu concepto de eremi habitatione ſatisfacere poſſet. Hic autem ſolitarius, Lantbertus nomine, & moribus & ſcientia omnino ruſticanus erat, & niſi quod multus labor, quo ſatis ſuperque duriſſimo, & velut irrationabili ſeipſum atterebat, eum aliquatenus in rebus divinis commendabat; alias ſtolidus & agreſtis totus parebat, ut qui forte infirmorum eum conſpexerat, riſum tenere vix poſſet. Tegendi corporis, etiam & verecundiorum ei cura poſtrema. Similiterque cibi vel potus longe ceteris mortalibus uſus diſſimilis, modium integrum farinæ in unum plerumque panem redegerat, qui menſem aut certe duos ei ſufficeret, donec præ nimia duritia, niſi ſecuri non poſſet effringere: indeque ſibi particulam ad pondus cotidie præriperet. Item lebetem permaximum, olere ac legumine ſimul plenum, in unum excoxit, quod repoſitum cotidie, dum quid reſidui fuit, ad menſuram aqua cruda reſolutum percepit. Subito quolibet mentis impulſu ex eremo ſe proripiens; villas & civitates ſubintravit, itemque repente cellula condidit; noctis plerumque medio Miſſas exorſus, etiam ſi ſic animus tulit, veſperi, aut ante, aut ſub lucis crepuſculo, poſt bidui triduive jejunium: ut defectio corporis fuit: non diei, non noctis ullum tempus in reficiendo ſervatum eſt.

Lantbertum adit duræ & agreſtis vitæ eremitam.

23. De cujus converſationis vario proludio Joannes nihil motus, multotiens etiam tantas in imbecillo corpore vires cum quodam ſtupore ſecum compenſans, (erat enim macie & ſqualore nimio confectus) cum eo aliquamdiu eſt commoratus, cellulam quoque ſibi ad habitandum compegit. Plures tunc ex vicino civitatis illuc viſendi gratia venientes, & quæque neceſſariis uſibus conferentes, non minimum in ſancto deſiderio accendebantur: inter quos & præfatus Humbertus plerumque accedens, ſubindeque recedens; nonnumquam & aliquot dies ſubſiſtens: & quidam vir natione Brito *c*, Andreas nomine, liberalibus apprime ſtudiis eruditus, ſed & animi virtute præpollens, & (quod his majus eſt) in divina admodum ſtudioſus. Hic de

Cellula incluſus inviſitur.

---

a Hoc Confeſſionis generalis exemplum præceſſit confeſſio ſancti Eligii, qui, teſte Audoeno in lib. 1. de ipſius vita cap. 7: *metuens, ne aliquid ſuum delicto pectus fruſtraret, omnia ab adoleſcentia ſua coram Sacerdote confeſſus eſt acta*. Novitii initio probationis apud Cluniacenſes idem faciebant, ex Udalrico.

b Argonnæ ſaltus ac tractus a ſanctæ Minechildis oppido ad Moſam uſque porrigitur, vulgo *Argonne*.

c Arbitratur Bollandus, Andream, de quo hic agitur, ex Britannia Armorica oriundum fuiſſe. Verum cum inſulæ nomine indigitari non ſoleat hæc Galliæ provincia, ſatius videtur de Britannia majore exponere, maxime cum tunc temporis a Danis, quos ſcriptores Anglici Normannos vocant, infeſtaretur. Vide infra in vita ſancti Cadroæ num. 16.

Digitized by Google

de patria inſula, infeſtatione Nortmannorum, cunctis ejuſdem inſulæ incolis aut occiſis, aut fugatis, cum pluribus aliis doctis æque ac ſapientibus viris pulſus; a reverendæ ſanctitatis Epiſcopo Dadone, cujus ſupra mentio facta eſt, in Monte-falconis *a*, cum nonnullis qui cum eo advenerant Britonibus exceptus, & ſatis liberaliter eſt procuratus. AN.CHR. 973 27. Febr.

24. Cum his communicato conſilio, utrum loco eodem ſibi ſalubre ac frugiferum eſſet manere, illi ut cauti, & illius portentuoſæ ſtoliditatis eremitæ morum non ignari, ab ejus cohabitatione omnimodis animum deflexerunt, maxime eodem Humberto ſuadente, ut Romam, memoriam beatorum Apoſtolorum, ſupplicatum prius adire tentaret; quod iter ipſe jamdudum Deo propitio exegerat: & ſic demum, vita comite rediens, quod in commune ratio demonſtraret, pariter exſequerentur. Mox moras omnes animi fervore diſrumpens, ſumptu ſane non ignobili facto, iter magna ope maturat. Sociatus eſt ei Bernacer quidam clericus, multo ante tempore cum Warimberto illo, de quo ſupra dictum eſt, Mettis apud eccleſiam ſancti Salvatoris verſatus, manu libraria ceteris ejus temporis non inferior, canendi diſciplina admodum præſtans, ſed & artis calculatoriæ ſtudioſiſſimus, ceteroque ingenio in rebus non minimum pollens: tenui quidem re, ſed devotione in divina optime cumulata.

25. Poſtquam vero Romam veniens, vota ſancti deſiderii circa loca quæque ſancta explevit; cupido eum in ulteriora tendendi amplius cepit: ibique aliquibus ex comitatu relictis, ipſe cum prædicto Bernacro, pauciſque quibuſdam expeditior, uſque montem ſancti Angeli cognomine, qui Garganus dicitur, ocius percurrit. Ipſo tamen itinere Montem-Caſſinum beato Benedicto inſignem, & congregatione Monachorum frequentem conſcendit: cumque ipſis ſervis Dei aliquot dies remoratus, ſancti propoſiti veſtigia, quæ ibi nonnulla ſupererant, curioſius exploravit. Interiora etiam illa marini ſinus, quæ civitati Neapoli adjacent, ſervorum Dei habitacula ſub nomine ſancti Salvatoris, montem Bebium *b* haud procul perpetuo vapore fumantem miratus, penetravit; eorumque orationibus ſe commendans, nonnihil benedictionis *, ex his quæ ſecum tulit, eiſdem ſervis Dei largitus eſt. Garganum ac Caſinum. *id eſt muneris.

26. Tandem, Chriſto duce, felici curſu, & cunctis ſibi proſpere cedentibus domum regreſſus; nec mora, monitore ſuo Humberto convento, conſilio ipſius, quia locus deſideriis eorum aptus nuſquam occurrebat, ſecum interim domi ſubſiſtere, & ſi qua piæ actionis poterat, ibidem exercere, quamquam admodum ægre ſpatiis, * duxit. Eratque, utpote qui figuram hujus mundi præterire quantocius attendebat, habens tamquam non habens, emens tamquam non poſſidens, utens hoc mundo tamquam non utens, & jam totus cæleſtibus flagrans, ſpecie ſola res tranſitorias diſponere videbatur. Ceterum vita ejus in quo a Monachi inſtituto differret, haud facile quiſquam diſcerneret, ita pernox in vigiliis, orationibus, noctes dieſque conjungens, lectionibus ſacris, ſtudio vix aliquando interciſo, inhærens, omnique caſtigatione temporis ſeſe coercens, crucis auctorem ſatis in ſublime cruce levata, niſu indefeſſo cotidie ſequebatur. Inde redux monachi vitam in propriis ædibus ducit. * l. ſatius.

27. De tenore jejuniorum ipſius an quid ſermo digne valeat explicare, prorſus non ſentio: quæ tanta pertinacia ab ipſis initiis ſibi indixit, ut ſi qui forte erant ex ſibi adhærentibus, qui hæc cognoſcere poterant, miraculo ſtuperent ingenti, quomodo vel extremo ſpiritu reſpirare in tanta auſteritate ſufficeret: qui potius, in augmentum admirationis, poſtquam diem aut etiam biduum plerumque ſine ullo cibo ac potu, ut nec modicum quid guſtaret, tranſegerat; incredibilii virium integritate & facie lætiori, agilis & conſtans ad opus quodcumque incederet. Id vero ipſum ex ore ipſius nobiſcum con- Ejus jejunia,

a De Montis-Falconis monaſterio, *Montfaucon* quod a Monachis ad Canonicos ſæculares a pluribus jam ſæculis tranſiit, aliqua diximus in Sæculo 2 pag. 536 ac de eo videndus Frodoardus in lib. 4 hiſtoriæ Remenſis cap. 39. Dado Epiſcopus fuit Virdunenſis ab anno 880. ad 920.

b Veſuvium intelligit, qui ab Anaſtaſio quoque Bibliothecario in vita Benedicti II. *mons Bebius* appellatur, ut notat Bollandus ad hunc locum.

Digitized by Google

AN.CHR. 973 27. Feb. conſabulante ſæpe audivimus, quod in diem alterum frequenter omni cibo vel potu carens, jejunia extraxerit. Fatebatur enim dum quidam fratrum dura aliqua refugientium aquam in potu male ſibi conducere quererentur, nemini, æque ac ſibi, prius, præ continuo uſu vini, aquæ perceptionem exoſam fuiſſe: adeo inquiens, ut ſi qua dierum mihi vino fuerat abſtinendum, aquam ſtomacho nauſeante, panem etiam ipſum per totam diem, cum omni cibo funditus reſpuerim.

aliæque virtutes. 28. Præterea quam celer, & tamquam ne quis ſe prior irrueret, feſtinus armaturam cæleſtem induerit, quoque robore contra virtutes contrarias, bellum Chriſto fretus ſuſceperit, carneque ac ſpiritu reluctantibus, cum pars melior de palma ſemper contenderit; tamen ſemper periculi metuens redivivi brachia numquam remiſerit; utque inter hæc, vitiis hinc propulſis, virtutibus hinc intromiſſis, ædificium morum optime compoſitorum ſtructura perpulchra erexerit; magnorum ingeniorum vires vix poſſe expedire exiſtimo: cum certe hæc ad ea, quæ divino munere poſt in converſatione monaſteriali peregit, initia, quædam velut & abjecta valeant reputari. Hæc autem omnia intra abdita domus Deo ſolo teſte, vix aliquibus ex familia conſciis, operabatur, cavens omnino ſcire ſiniſtram quid faceret dextera: & ut teneræ plantationis virgultum, priuſquam ſufficienti irrigatione radicem defigeret, manus atque ventorum contactum non bene credulum devitabat. His ergo, quoniam ad dicta rebus exæquanda ariditas ingenii minime ſufficit, prætermiſſis, ordinem rerum potius exſequamur.

Einoldus Tullenſis Primicerius & Archidiaconus. 29. Sanctus pater, & unicum in his regionibus poſtmodum lumen Monachorum, Domnus Einoldus *a* ipſo tempore Tullo in ſummo omnium bonorum exemplo vitam ducebat. Is in ſcientia litterarum, tam ſæcularium quam divinarum, ea tempeſtate inter ſuos nulli ſecundus; cum eſſet ſedis ejuſdem primo quidem Primiſcrinius *b*, poſtea autem etiam primus Archidiaconus, cunctarumque opum affluentia dilatatus, amore cæleſtis deſiderii tactus, cunctis quæ habuerat uſque ad ſiliquam (ut dicitur) diſtributis, tantum ſimplici veſte retenta & libris ac veſte ſacerdotali, in cellula clauſtro clericorum adhærente ſeſe cohibuit: & triennium fere in ſumma & ardua continentia vitam agens, raro uſquam, præterquam ad eccleſiam Miſſas celebraturus, aut nocturno orationis obtentu proceſſit. Servulo tantum uno contentus fuit, qui ad quæque forinſecus neceſſaria mittebatur. Nam niſi quæ Epiſcopus loci vir venerabilis Gauzlinus, in miſericordiæ operibus ſane memorabilis, aut Religioſorum quicumque miſiſſent, nullis aliis ſuſtentabatur. Clientulus quoque ex clericis unus, qui Miſſas celebranti aſſiſteret, derelictus. De qualitate indumenti, cibi vel potus, qua cilicii aſſiduitate, jejuniorum frequentatione, pænitentiæ auſteritate, ſeſe damnavit, ſuperfluus eſſe vereor in dicendo: cum etiam copiam quamcumque verborum operationis ipſius ſuperet magnitudo.

Pauperibus ſua diſtribuit.

Cælitus animatus, 30. Hic dum die quadam ſolus reſideret in cellula, vocem de repente, unde aut a quo editam neſcius, claro omnimodis ſono hæc audivit dicentem: *Suſtollam te ſuper altitudines terræ, & cibabo te hereditate Jacob patris tui, os enim Domini locutum eſt hæc.* Paullulum inde attonitus, & ſecum, ut fit, multa animo reputans, poſtquam miſſo circumquaque miniſtro, ſi forte puerorum aliqui e ſcholis vicinis, dum recitant, hoc protuliſſent, ac neminem toto id temporis ſpatio in quolibet loco contiguo fuiſſe renuntiante; vir prudentis ingenii gratiæ divinæ ſibi oraculum, in ſpem fiducialius deinceps de donis Domini præſumendi, directum fideliter intellexit: quod apud ſe quidem ipſe forti cuſtodia animi ſervare ſtuduit reconditum; rebus autem poſtea in ipſo omnium eorum fides eſt ſubſecuta. Et hoc quidem de initiis tanti

a De Einoldo ſeu Eginoldo actum ſuperius in Obſervationibus præviis num. 2.

b *Primicerius* inter ſpatia verſuum propria manu appoſuit clariſſimus Jacobus Sirmundus in noſtro autographo: quæ Primicerii dignitas etiam nunc in eccleſia Mettenſi perſeverat. De alio Tullenſi Primicerio infra num. 57.

Digitized by Google

AN.CHR. 973 27. Febr.

tanti viri breviter pro loci negotio inſeruimus. Ceterum tanta felicium geſtorum ejus exſtat materies, ut & proprium opus, doctioribuſque merito arripiendum, deſiderent, & ampliſſimo audientibus & imitari volentibus fructu poſſint exſiſtere.

31. Cum itaque hic Joannes, & ipſe Domnus Eginoldus tam propinquis locorum intervallis abeſſent, alter alterum, niſi facie ſola & locutione communi non noverat, adeo uterque popularis fugitans gloriæ ſeſe tantum teſtibus fruebatur ac Deo. Cum interea, caſu quodam, ſupra memoratus Humbertus, e cellula, qua ſe jamdudum Virduni recluſerat, ea, quo neſcitur obtentu, effracta, eumdem venerabilem patrem Eginoldum ex improviſo Tullo convenit. Is enim inter raros alios vitæ ipſius jam pridem conſcius fuerat. Viro ſancto ad tam inſperatam ejus præſentiam ſtupefacto, præſertim quod fama ad ſe certo detulerat, lege *a* recluſionis eum intruſum fuiſſe; cauſiſque egreſſionis acceptis, inter quas præcipua erat, ob hoc ſe adveniſſe, ut eremum potius ſimul expeteret, ibique multo melius, quam in urbium frequentia, omni hominum moleſtia liberi domino deſervirent: conſilio clam inter ſe conflato, ipſi per ſe, cunctis arbitris procul, flumine Moſella oppidum ipſum præterfluente trajecto, & ſpecu quodam in ſaltu vicino reperto, ibidem ſe, tamquam perpetui eremitæ futuri recipiunt: mox quibuſdam religioſis ex oppido virum ſanctum requirentibus, & quamvis locum aditu difficilem amore ſuperantibus; ubi eos convenerunt, cœptum hujuſmodi (quod nulli utique bono umquam eſſet probabile) ſaniori conſilio diſſiparunt. Tanta ſiquidem loci iniquitas fuerat, ut nec ipſi cuiquam labori ibi inſiſtere, nec a quoquam facile eis quidquam neceſſariorum poſſet conferri. Sed & ipſe, ut erat vir conſilii, non difficulter meliori ſententia flexus, amicam continuo repetit cellulam, Gumberto Virdunum ad ſua ſe interim recipiente.

cum Humberto in eremum ſe recipit.

uterque ad priorem locum redit.

32. Qui dum rurſus eum crebrius reviſeret, quadam die inter cetera quæ familiaritas illa parere adſolet colloquia, dum ſi qui forte alicubi ad id temporis, qui ad ſancta deſideria adſpirarent, exſiſterent, vicaria interrogatione percontantur: hunc de quo agimus Joannem, ſibi (ut præmiſſum eſt) optime notum adduxit in medium, de cujus laudabili converſatione cum plurima replicaret: Hominem, inquit Einoldus, olim cognoſco, & ad me crebro venientem uſu communi expertus ſum: utrum autem harum rerum, quibus nunc prædicatur, ei mens ineſſet, aut ſtudium, necdum vel tenuiter advertere potui. At ille: Ita, inquit, homo eſt, non paſſim cuicumque ſe, niſi notiſſimo, aperit, & id non facile quidem: apud ſe enim omnimodis latens, vitam, qua in ſecretioribus ſub oculis ſuperni arbitri diſtricte admodum ſeſe coactat, oculis hominum, ubi in publicum exierit, offerre ſumma vi atque arte diſſimulat. Attamen a vobis evocatus citius aderit, & mutua veſtri collocutio, me nihil extra quam res eſt, de eo afferre facile comprobabit. Nuntio mox ſe eum velle videre, & alloqui inſinuans; ita conduxit, ut ipſius ſtaret arbitrio, utrum ipſe eum domi, an ille ſe Tullo conveniret; quidque horum mallet, reſignaret. Joannes ad totius probabilis officii ſemper exſecutionem non ſegnis: Diſcipulum, inquit, potius obviam ire decet magiſtro; ego, ut dignum eſt, Tullo eum convenio. Ut ergo advenit, Humberto adhuc ibidem eum operiente, quam familiariter ſibi alterutrum atque officioſiſſime adgaudentes, omnibus e conſpectu remotis, de cauſa propter quam illum accerſitum miſerant, conferre cœperunt: tandemque, ubi poſt non modicam rerum cæleſtium confabulationem, deſiderii ſui alter alteri jam fida ſecreta refuderat; conſilium exinde ſibi vitæ ducendæ, uti quibus ſæculo penitus erat animus renuntiandi, cura ſollicitiore diſquirunt.

Joannem ad ſe accerſit Einoldus.

de ſæculo relinquendo cogitant.

PARS II.

33. Sub hoc Joannes cauſam ſibi ratus opportunam accidiſſe, totius ſuæ conventionis cum viris religioſis ei ſeriem pandens, & maxime apud quos Mettis ſibi frequens tunc ſolum erat recurſus (nam a cæteris aliorum loco-

a Quippe non licebat iis qui ſemel in cellam ſolemni more recluſi erant, ex ea umquam egredi, ut alias notavimus ex Regula Solitariorum, auctore Grimlaico, in Actis ſanctæ Wiboradæ ſupra.

AN.CHR. 973. 27. Febr. rum jamdudum abſtinebat) quanta viri ipſi in eamdem ſententiam concordia conſpiraſſent, aperuit. Illo quam facile animis ad hoc inclinatis, ut ſecum ipſe eoſdem viros conveniret hortatus eſt. Ita, Humberto tunc propria repetente, ipſe poſt dies aliquot Mettis accedens, & ſuper ſancto virorum illorum inſtituto non modice delectatus, aliquamdiu etiam apud eos commoratus, interdum vero ad propria ſuo tempore recurrens, memoria ſemel acceptæ dulcedinis, quaſi moras diutinæ abſentiæ ægre ferens, ſuam eis præſentiam citius revocabat. Erant autem religioſæ illæ, de quibus ſupra dictum eſt, apud ſanctum Petrum feminæ, Geiſa, & amita ejus, aliæque nonnullæ, & Salecho clericus Sancti *a* Martini ultra fluvium Moſellæ, & Randincus *b* presbyter tituli ſancti Symphoriani extra portam urbis meridianam, apud quem & crebrius, pro loci ſecretioris uſu, conveniebant: & Bernacer Diaconus, comes Joannis jampridem Romani itineris: nam duo illi, de quibus memoravimus, vitæ præſtantioris, Rolandus & Warimbertus, jam vita deceſſerant. Cum his veluti in quibuſdam cæleſtium diſciplinarum ſcholis, ſanctorum ingeniorum viribus ſeipſos cotidie in ſtudiis omnium probatarum virtutum exercentes duo ipſi viri præcipui, aut lectionibus, aut orationibus, ſeu certe mutuis ad cæleſtia cohortationibus inſiſtebant; ipſoſque, cum quibus verſabantur, ad majora, ſui imitatione, amplius atque amplius provocabant.

34. Sed & idem venerabilis Einoldus jam & ipſa, ad quæ interdum recurrere videbatur, propria civitatis Tullenſis, funditus ſibi præcidens, dum cum ipſis tamquam manſionem perpetuam ſtatuit, eoſdem pariter omnes ad renuntiationem quoque rerum omnium impellebat. Unde cum de his inſtantius conſultarent, loca in quibus communem vitam profeſſi pariter habitare poſſent, ſollicite pertractant. Ad hoc, nullo eis, in his dumtaxat regionibus, qui ſibi ad ea quæ mente conceperant, opportunus videretur, occurrente, (adeo ſæculi macula quædam cuncta fere cœnobia offuſcaverat) longinqua quæque & peregrina deligere ſtatuerunt. Hoc cum omnibus uno animo, eademque ſententia placuiſſet; Joannes, ſuperiore profectione ſua Italica circa Beneventanas regiones loca ſe quædam in deſertis valde opportuna aſſerit conſpexiſſe, in quibus labore manuum, ad exemplar antiquorum ſanctorum, facili victu vitam ducere poſſent; quæ utique & vinetis, & ſitu, & vaſtitate obductis copioſa, & cetero uſu mortalibus per omnia eſſent accommoda: ad hoc & Montis-Caſſini, quem ſubjerat, & propriis viſibus exploraverat mentionem adducens, ſimul & illius abditi intra ſinus marinos Sancti Salvatoris cœnobii, quod monti-Bebio imminet. Poſtremo in id omnes aſſenſi ſunt, ut quantocius profectionem illuc maturare decernerent.

& de petenda Italia ſtatuit.

Adalbero id reſcit.

35. Cum ecce divinitus, ut certum eſt, hoc procurato, ad notitiam Epiſcopi, magni poſtmodum rerum divinarum recuperatoris, domni Adelberonis, hæc omnia perferuntur. Bernacer enim unus ex ipſis, dum eccleſiæ Sancti Salvatoris poſt domnum Warimbertum ſtipe domini ejuſdem eccleſiæ, magni & memorabilis viri Lantberti deſerviret, eodem domino ſuo ſecretius evocato, rem omnem ordine aperit: meritiſque ſanctita is domni Einoldi, atque hujus Joannis, ceterorumque, qui cum eis erant, t& fervore Sanctorum deſideriorum eidem plenius intimatis, & qualiter, quoniam in his regionibus non eis aptus occurreret locus, ad ſerviendum Domino exteras deſtinarent petere regiones; id ab eo interim accepit reſponſi, ut quoquo pacto eos retinere tentaret, dum ipſe opportunitate temporis capta, Epiſcopo ea inſinuaret. Quod, Domino faciente, citius ex voto cadente; quæque ſibi ſuper viris eiſdem erant comperta pleniter explicat, addens ad

a Monaſterium erat, forſan tunc ad ſæculares converſum, ſed paullo poſt monachis reſtitutum, de quo agendum in Sæculo ſequenti ad annum 1063. ubi de tranſlatione Sigeberti Regis, iſtius cœnobii conditoris. *Salecho Abbas* dedicationi eccleſiæ S. Maximini Trevirenſis anno 942. interfuiſſe dicitur apud Browerum, an Salecho iſte?

b Sic legitur in autographo noſtro, non *Randincus* ſeu *Raudingus*, quo nomine affectus eſt S. Rodingus, cujus acta dedimus in Appendice tomi ſuperioris,

Digitized by Google

ad hoc ſummo utique probro hanc maculam eis omnibus poſt ſæculis inurendam, ſi hi famuli Chriſti tanta ſpatia ejus Epiſcopii, Deo propitio ſic in immenſum dilatati, ita ſibi cauſarentur præcluſa, ut quia nuſquam exciperentur, in longinqua quædam ſub cœlo incognito properarent; fruſtraque tot ditionis ipſius eſſe monaſteria, ſi modo ab his tam brevis numeri homines pellerentur. AN.CHR. 973. 27. Feb.

36. Epiſcopus cum nihil ſibi umquam magis deſiderio fuiſſe reſpondiſſet, quam ut penes ſe retinerentur; ac viciſſim ab ipſo Lantberto de loco habitationis eorum exquireret: ille Gorziam monaſterium, non multum ab urbe longius, eis optime poſſe concedi reſpondit. Ibi repente viro prudentiſſimo, quid aliquando, antequam apicem pontificalis honoris attingeret, ſuper loco eodem ſibi in voto fuerit, ſecum animo reputante; nec humano conſilio, ſed divina cura rem agi conſiderans, nihil omnino cunctatus firmat ſententiam: interim rem taceri jubet, dum tempus eos detur acciri. Erat locus idem, ex qua olim fuerat ſpecie præſtantiſſima, jam longo ſitu pene præferens ſolitudinem, & præter paucos in veſte Monachi inibi habitante, quibus diurnæ ſtipis vix modicum quid inſerebatur, cetera, ornatu omni ſubmoto, fœda locum facies obſidebat. Poſſeſſionum quicquid exterius fuerat, Adelbertus Comes, vir genere quidem clarus, ingenio autem ferox ac violentus, nec bono cuiquam fere umquam morum probitate probabilis, ex beneficio Epiſcopi, cui militabat, gratia ſane ingrata tenebat, cognatus ipſe jam dicti Lantberti, (nam ejus ſororem habebat) iidemque inter ſe quibuſdam animoſitatibus diſſidebant. Ergo idem Lantbertus poſtquam animos Epiſcopi ad hoc inclinatos perſenſit, Bernacro celerius refert, ut viris, quantum poteſt, perſuadeat, quo mox coram venientes, quem ſibi locum deligere malint fuerint percunctati, omnibus prætermiſſis, Gorziam poſtulent.

Gorziæ monaſterium eis offert.

Gorziæ miſerabilis ſtatus.

37. Dum hæc clandeſtinis inter hos agitantur conſiliis, omnium horum adhuc illis ignaris & de peregrinatione maturanda tractantibus, alius item ipſorum, cui nomen Randinco, abſque licentia Epiſcopi, ſub quo ſtipe canonica alebatur, & titulo ſupra memorato deſerviebat, ſe, vel quibus deputatus eſſet, deſerere, vel quoquam perpetuo poſſe ſecedere, non ſatis integrum ſibi videri ſuggeſſit domno Einoldo: quo nullo modo improbante immo canonicam ſic ſe habere regulam aſſerente, ad hoc & ceteris, ut ocius fieret, in commune ferentibus; Bernacro mediante, per virum clariſſimum, omniumque apud Epiſcopum conſiliorum intimum Lantbertum, conſpectibus Epiſcopi præſentatur: ubi cum gratia habitus poſtulandi, quid reliquis quoque eſſet in voto ex ejus narratione palam perclaruiſſet; omnes qui forte conſtiterant, admiratione gaudio intermixto, ne tales ac tanti deſiderii uſquam dimitterentur, dignaque eis provideretur potius habitatio, vocibus orabant & precibus.

38. Mox omnibus coram accitis, ſeque digne ac reverenter exceptis, poſt audita ac reddita viciſſim colloquia, ubi Epiſcopus quam prompti in eos animi eſſet expoſuit, locum ſibi ad votum quocumque in ſuo Epiſcopio copiam eis dat eligendi. Illi ſpatio brevi inter ſe conferendi petito & accepto, Bernacer, ut clam doctus erat, Gorziam nominat, ceteris in incerto nutantibus, eo quod peregrinatio eis multo dulcius complaceret. Joannes quo majore nemo ardore exſilii æſtuabat, aſtu quodam, tamquam id omnino eſſet impoſſibile, optime, inquit, neque alter quiſquam melius poſtulabitur, æſtimans videlicet, eo ſibi denegato, pro eo quod Adelberto nullatenus terra videretur poſſe extorqueri, uti qui magnitudine, potentia ac ferocitate cum ſui, tum fratris Bernuini Virdunenſis Epiſcopi, acerrimæ pariter mentis viri, plurimum ac pene in immenſum niteretur, ſua nihilo deſideria remoranda: quod longe aliter, Domino diſponente, provenit a conſultatione. Namque mox introgreſſis cum quid conveniſſet retuliſſent, Epiſcopus nihil omnino differens, ſine ulla cunctatione, ut jam dudum animi fervore conceperat, locum protinus juri eorum contradidit. Nec multo poſt etiam ter-

Digitized by Google

AN.CHR. 973 27. Feb.

ram eidem Adelberto ſublatam querens *a*, utique ad vim non minimam ſpectare videbatur, licet ei præ magnitudine devotionis poſtrema haberetur, Monachis ex integro reddidit.

Adalbero ubi ſepulturam eligit.

39. Quanto autem ſtudio vel ipſos, vel locum unice præter cetera dilexerit atque coluerit, oculorum magis quam ſermonum fide petendum eſt. Ut brevi ex illo dudum ſqualore deterrimo, cuncta loci illius habitacula in novam quamdam lucem, & gratam aſpectibus reſplenduerint venuſtatem: ubi etiam, ut mox inde ab initio præoptaverat, ſepulcro ſibi quam longiſſime ante obitum collocato, Domino miſerante venerabiliter eſt tumulatus: præſtititque ei gratia Chriſti opere adimplere, quod quondam ante nonnulla ordinationis ſuæ tempora, tacito ſibi in mente voto, obvenerat. Nam tempore Wigirici *b* prædeceſſoris ſui, cum quadam dierum populo admixtus, qui ex urbe ad idem Monaſterium, anguſtia ſiccitatis compellente, pedibus nudis proceſſerat, ipſe quoque ad Martyris *c* ibi quieſcentis beati Gorgonii ſepulcrum uſque veniſſet, horrentemque loci ſitum vidiſſet, ita ut juxta altaria, ipſa veſtigia fœda animalium deprehenderet, ubi ſe ad orandum proſtravit; altius præ tanta Prælatorum incuria circa loca ſanctorum ingemiſcens, in hæc (ut ipſe poſtea referre conſueverat) verba inter orandum prorupit: Si indignum me, inquit, o pietas Chriſti immenſa, & tuum, qui hic ades teſtis Domini, pium auxilium, hujus ſanctæ ſedis tuæ miniſtrum umquam promovere dignaberis, hanc loci hujus miſerabilem, quam cerno oculis, faciem, in aliam ab hac habitudinem, te mihi adjutore facto propitio, commutabo.

Benno Epiſcopatu Mettenſi ſe abdicat.

40. Audivit Omnipotentens, & Wigirico non poſt multum tempus abſumpto, cum ei Benno *d* quidam, genere Suevus, in eremitica apud Turegum vaſtam ſolitudinem aliquando vita famoſus, zelo utique pio optimi tunc principis Heinrici, Ottonis Cæſaris poſtmodumININ glorioſiſſimi genitoris, ſucceſſiſſet, eoque, (quo profundo judiciorum Domini abyſſo incertum) a priſtinæ ſanctitatis, & eremo quæſitæ laudis dignitate deſervente, ad ultimum lacrymabili rerum ſerie, a nefandiſſimis ſervulis in abditis excæcato, dum ſe ſe poſtea in concilio Epiſcoporum idem publice officio abdicaſſet;

Adelbero ſuccedit.

ipſe Adelbero, præter ſpem omnium, cum eſſet regii quidem paterna ſimul ac materna ſtirpe longe retro uſque ab hominum memoria ſanguinis, ſed ob rei familiaris inopiam, qua ſecundis matris nuptiis laborabat, cenſu aliquanto tenuior, conſenſu omnium, publiciſque eccleſiæ legitimiſque ſuffragiis in ſacræ Mettenſis cathedræ pontificium, Domino promovente, ſuſtollitur.

41. Cujus deinceps actus de die in diem felicius procedentes, ut Chriſto duce ſuccreverint, & ut in Monaſteriorum præcipue reparatione ſtudium præ cunctis transfuderit, nequaquam brevi ſermone ſtringi quiſquam quæſierit; neque mihi id, ſi ſapiam, arrogare præſumſerim. Et certe res ipſa ita ſe cunctorum ingerit oculis, ut quidquid dictum fuerit, minus videatur, & multitudo factorum nequaquam exæquari valeat facultate verborum. Eccleſiam ſiquidem, quam ſuperiorum temporum perturbatione ab omni pæne ſtudiorum bonorum fervore, tam in divinis, quam & humanis detritam ſuſceperat; ita ſecum Domino operante, ex nullo, ut ita dixerim, in ſummum repente ſtatum provexit, ut quæcumque diœceſi ſuæ ſuberant

Clericis monachos ſubſtituit.

monaſteria, longo jam & veteri morbo ab opere rectitudinis languida & pæne deſperata, regularibus diſciplinis reddiderit, viros vita & doctrina probatos ſingulis quibuſque locis præficiens, qui mundo perfecte abdicato, ceteris documento & diſciplina proficerent. Clericorum ipſorum conciliabula, co

a Ita legendum ex autographo: male apud Bollandum, *quæ res utique ad... non minimam*.

b Widricus appellatur in hiſtoria translationis ſanctæ Glodeſindis, quæ relata eſt in Sæculi 4 parte 1. ubi Widricus decem annos eccleſiæ Mettenſi præfuiſſe dicitur.

c De translatione S. Gorgonii egimus in Sæculi 3. parte 2. Chrodegangus Epiſcopus Mettenſis ejus auctor anno 765.

d De Bennone ſuperius actum ad annum 940.

Digitized by Google

AN.CHR. 973 27. Feb.

Sanctimoniales emendat.

eo quod diviſam cum ſæculo converſationem non ſatis probabat, in monachorum inſtituta mutavit. Sanctimonialium habitacula, quod ea, etſi non re, fama tamen obſcurari quam ægre ferebat, omni ſiniſtræ ſuſpicionis morſu eripuit, & ad idem, quo Monachos, inſtitutum, & in nullo diſpares obſervationes, pro ſexus virtute coercuit. Nec jam antiquioribus & eminentioribus contentus locis, ipſas quoque cellulas longius ritu vago diſperſas, in quibus vix octo, aut certe minoris numeri clerici rurales, nuda verborum reddebant officia, Monachorum habitu & obſervationibus inſignivit; utque tempora reſque tulerunt, terras ſumptibus eorum neceſſarias, & quæ locorum erant, reſtituit, & propriis uſibus ſubtractas, egregia liberalitate additis teſtamentis contradidit.

Gorziam præ ceteris amat.

42. Sed quamquam omnium miro ſtudio eum cura tenuerit, Gorzia tamen, ut dixi, unico ſibi ſemper fuit amori, pro eo quod & principium operum ejus exſtiterat, & ſanctitas prædictorum virorum Einoldi atque Joannis eum præcipue oblectabat: quibus etiam, præ excellentia virtutis fidei & ſapientiæ, in omnibus fere deinceps divinis ſeu humanis eſt uſus conſiliis, nec ferme aliquando, quidquid eorum promulgavit ſententia, fruſtra tentatum eſt; ut contra, ſi quo extra egreſſum, ſero pænituit.

Joannes eo ſecedit cum ſociis anno 933.

43. Ingreſſi ſunt autem idem monaſterium anno Incarnationis dominicæ 933. obtinente partem Franciæ regni quondam Lotharii Henrico Germanorum Rege, quo glorioſiſſimus Otto Cæſar, omnium retro præconia ſuperans, & univerſo orbi non minus gloriæ, quam fructui natus, exortus eſt: Franciam autem occidentalium partium Ludovvico *a* filio Karoli, qui bello *b* apud Sueſſionum civitatem, nota fama, nec victus, nec victor, in cuſtodiam ad mortem uſque detruſus eſt. Ut autem eos pariter ſuperior deſcripſit conventus, ita omnes ſacræ militiæ ſucceſſerunt, id eſt ipſi primi & novi duces exercitus, præſtantiſſimaque ejus ſæculi lumina, Einoldus atque Joannes, deinde Salecho ex clericis ſancti Martini citra Moſellam, Randincus Presbyter tituli ſancti Symphoriani, Bernacer Diaconus, de quo ſupra memoratum eſt: cumque his adoleſcentuli duo, Teuthincus miniſter domni Einoldi, & Teutherus, qui adhuc bonæ converſationis, ſupereſt cum Randinco presbytero, cujus erat nepos, admiſſus. In veſtibus clericorum aliquamdiu inceſſerunt, donec Epiſcopo illuc veniente, & more monaſtico electione de ſibi præficiendo Patre petita & accepta, cum inſtitutione vitæ regularis, habitum quoque Monachi commutarunt.

Einoldo Abbate electo profeſſionem emittit.

fit Cellerarius.

44. Uno enim voto, & pari ſententia, domno Einoldo ab omnibus exclamato, ipſe primus omnium Epiſcopo regularem converſationem ex inſtituto beati BENEDICTI ſcripto profeſſus, & cruci dominicæ dedicandus, cucullo induitur: ſequentes Abbati ex ordine profitentes, in militiæ cæleſtis & obedientiæ ſacramenta, ſub ipſo omnes ſimiliter pari modo conjurant. Ad res extra curandas domnus Joannes doctus & gnarus earum eligitur: pauci, qui ex vetuſta converſatione ibi ſupererant Monachi, ad exemplum novorum coacti, in communionem vitæ etiam ipſi aſſenſu ſunt. Cenſus eis vel ſubſtantia primo admodum tenuis fuit, quam tamen interioris animi theſaurus facile tolerabilem faciebat, fideſque in Deo plena, quæ neſcit defectum: religioſos quoſque ex locis diverſis, in eam tamen primum naſcentis gratiæ venuſtatem excitos, quibuſcumque neceſſariis impendendis, ardore certatim altero alteri irruentibus impellebat.

45. Ad

a Ex hoc loco Bollandus arguit eos, qui Ludovici Tranſmarini regni initium ſtatuunt anno 936. At certa eſt conſtanſque hæc epocha in diplomatibus ipſius Ludovici, ut in Præfatione demonſtratum eſt, nimirum ex Cancellariæ regulis: tametſi quidam hiſtorici aliter eam ſtatuunt, ſumpto exordio a morte Caroli patris, quando in regnum ex jure ſuccedere debebat Ludovicus, qui tunc in Angliam profugit, nec niſi anno 936. inde reverſus eſt, mortuo ſcilicet Rodulfo regni invaſore.

b Accidit hæc pugna anno 933. teſte Frodoardo in Chronico, in qua Carolus occiſo Rotberto, qui ſe Regem ferebat, victor dici potuit: victus autem, quod nihilominus ab Hugone Albo, Rotberti filio, fugatus, atque ab Hereberto Viromanduorum Comite captus, truſuſque in carcerem eſt.

Digitized by Google

AN.CHR. 973 27 Feb. Monaſterio res tradit.

45. Ad hoc ipſe Joannes, quæcumque in facultatibus pridem ſupererant, tamquam fidele Chriſto mancipium, immo probans in modico, quam fidelis in majori eſſet futurus, illuc cuncta contraxit; ita ut ne propinquis aliquibus, vel ipſis etiam carne germanis, quidquam ex quibuſcumque poſſeſſionibus relinqueret: quin potius ad cumulum gloriarum cæleſtium ipſos, qui tantum duo fuerant ſibi germani, ad divinum, poſt modicum temporis, ſecum ſubegit ſervitium, reſque omnes tam in domibus, quam in agris, cum vinearum pulcherrima admodum copia, quæcumque partibus erant venturæ, in unum redactas, uſibus communibus monaſterii delegavit; conditione tamen ea propoſita, ut dum ipſe adviveret, in jus monaſterii retenta; eo decedente, non aliter ab heredibus, ſi qui forte proximiores tunc eſſent, repeterentur, niſi prius in libris argenti triginta monaſterio datis redimerent. Matrem quoque, ſecundo viro viduam, poſt nonnullum tempus, cum aliquibus ex familia ad ſe recurrentem, quod jam provectioris eſſet ætatis, in ſtipe monaſterii extra ſuſcepit: ubi etiam plures annos ipſa ſancta anus poſtea in bona converſatione, fratribus congregationis ipſius ſerviens deguit; & quæque in veſtibus erant neceſſaria, ipſa cum ſuis aliquibus quæ ſecum in eadem ſtipe Monaſterii manebant, ſtrenue ſatis ac fideliter exercebat, ibique in ipſo devotionis obſequio diem clauſit extremum.

Matrem ſuam in ſtipem monaſterii ſuſcipit cum aliis.

Auctor a Deoderico & Poppone ad opus proſequendum impellitur.

46. Cum ad hunc uſque locum niſu admodum debiliore evectus, in documentum prorſus hebetatioris ingenii, veluti viribus cunctis effuſis, a cœpto tandem ſegnis, & tamquam multo opere delaſſatus brachia penitus dejeciſſem; nec ulterius viam, qua procederem, aut nullam aut difficulter inveniendam mihi ſupereſſe ſperarem; inopinato ſtudiorum omnium Lux, hac noſtra nominandus ætate, & cum uſui, tum ornatui rerum omnium totus natus, maximus & inclitus præſul domnus ſupervenit Deodericus, quo videlicet hortatore, atque impulſore, ut in principiis reddidi, unice præter cetera uſus, ad hoc opus nimium audax prorupi. Is ubi me caſu domi convenit, ſi quid juſſi operis, ſeu quantum confecerim, requiſivit: cui cum verebundus, uti egeni conſcius ingenii, nec negare, nec libere quod quoquo modo ineptum & plenum nugarum edideram, offerre præſumerem, atque inter utrumlibet hæſitans trepidarem; ille ſchedulis ſibi deferri juſſis, ordine cuncta cucurrit. Tum vero velut eos qui ſub luce maligna, diverſum ab eo quod ſe habet, res intuentur, modo quam erant diſſimili, eum cuncta efferre, & quibuſque obviis palam jactare, ſatis quod mirarer noſſe non potui.

47. Forte ibi tunc Trajectenſis ſeu Dabentrenſis [a] eccleſiæ pontifex clariſſimus, atque in grege doctorum admodum celebratus, domnus Popo adfuerat, feſtis Natalis Dominici, in communicationem gaudiorum, ab eodem noſtro Antiſtite cum ſuo, id eſt ipſius Poponis, genitore, viro in rerum publicarum cura ſtrenuiſſimo atque Comite Palatino, cui nomen Berno, adſcitus. Ei cum eadem pariter, verbis non ſemel ſufficientibus; ingeminans extuliſſet; ad me cum ipſo ora converſus, ut cœpta nullo cunctabundus explerem, hortatu magis ac magis ampliore animos addere, & favore quam plurimo, mihi tamen erubeſcendo, non deſiſtebat accendere.

48. Quibus cum in aliquam forte facilitatem ſeſe animus attolleret, ut pæne jam ſibi poſſibile eſſe, ad quod tanto plauſu inſtigabatur, promitteret, in ſemet paullulum poſt tamen relapſus, & virium itidem (ut erant) conſiderationem remenſus, non minus quam a principio, propriæ inertiæ veternum ſolo hærere compulerat. Sed, ut cito moras cunctationis diſrumpam,

[a] Tabentria ſeu Daventria, tunc Trajecti ad Rhenum veluti altera ſedes, poſtea ſub Philippo ſecundo in Epiſcopatum erecta eſt, Trajectenſis in metropolitanam. Inter hujus Epiſcopos in vulgatis deſideratur iſte Poppo, locandus utique inter Baldricum & Folcmarum: ex quibus Baldricus pacto inter Carolum Simplicem & Ottonem Regem anno 921. inito ſubſcripſit, apud Cheſnium in tomo 2 pag. 587. Folcmarus non ante annum 976. in ſedem Trajectenſem promotus dicitur.

Digitized by Google

pam, cum hæ utcumque animationes excitaſſent, tum quia imminutionem amor viri, quem ſuſcepimus, neſcit admittere: præ omnibus, quidquid virium mihi poſſet ſupereſſe, ſuperque ipſas vires contendere, ſibi coegit expendere. Itaque reliqua ab ipſo religionis habitu accepto, quæ ei converſatio fuerit, quantum ſcilicet aut ex teſtibus, cunctis piis ejus actibus adhærentibus, viris utique religioſis, aut ex ipſo narrante, ut caſus tulit, quod tamen, dum gloriam reſpuit, rarum fuit, audivimus; vel quæ ipſi, quibus nulla potior fides, perſenſimus; hinc ut Domini erit miſericordiæ proſequemur.

AN CHR. 973 27. Febr.

49. Ceterum ne cui ſeu interrupta, aut extraordinaria ſeries videatur; ſi qua de perſonis quarum quidpiam eorum, quæ dicentur, intereſſe videbitur, inſerentur, quarum & nonnullas ſuperior propoſitio intulit, & decurrens alias, pro cauſarum opportunitate & temporum, ſermo plures inducet: de quibus utique prioribus conſequentia non reddere ratio ipſa, etiamſi conaremur, reſiſteret. Simul vir iſdem longe incomparabilis, cum ita vitam egerit, ut ſolitarius inter multitudines vixerit, (nam fruſtra niſus recederet, ſi quis ejus robore virtutum ſe poſſe adſpirare confideret) non ſibi tamen ſoli, quæ fecerat, arrogabat: verum ceteros ſecum operari, quidquid illud vel ſecreti ſolius eſſet, judicabat, nihilque præ ſe ſuperius, quam communis vitæ actionem umquam alicubi fecerat. Quocirca qui ei pariter verſabantur, eorum non immerito geſtis ipſius acta intererunt, qui non modo nullam, tamquam ſuperiores, ei invidiam faciant; ſed illis potius, e tanti viri contubernio, fulgor quodammodo amplior cumulabitur, & claritas creſcet & gloria.

Multa de aliis viris piis inſerit.

50. Antequam ergo ultra promoveam, primo quia non alias forſitan magis opportune ſe locus offerre videtur, de viris quoque illis venerabilibus, quos textus ſuperior * memoravit, Andrea atque Humberto,[1] dignum arbitror dicere: quorum uterque his item utriſque Einoldo atque Joanni non imparis ſanctitatis incitamenta, & quidam quaſi ſtimuli ad virtutes fuere. Hi enim, ut fama, vulgante loco prædicto ſe viros eoſdem recepiſſe, & plures undique ad eos divinæ ſervitutis amore compererant feſtinare; ipſi quoque nullo remorati, etſi non tempore, animo tamen atque intentione pari illuc convolarunt: & monaſticam inſtitutionem profeſſi, quibus fuerant prius prævii & magiſtri, eorum magiſterio & ducatui ſubiici nec abnuerunt, nec erubuerunt. Et cum Andrea quidem germanus ipſius Maginfridus, poſtea etiam alii quidam gentis ejuſdem ſunt ſubſecuti: cum Humberto autem puerulus quidam ei miniſtrans, Milo nomine, ſuſceptus eſt, bonæ ipſe indolis, & non minimo poſtmodum uſui profuturus.

* num. 23

Andreas monachus Einoldo, & Joanni non impar.

51. Præterea, quod de eodem viro venerabili Humberto, primo cum narrationi incideret, eſt prætermiſſum, hic breviter reddendum videtur, qualiter ipſe quoque divino impulſu in habitum religionis tranſierit. Ex parentibus hic etſi ruralibus, non adeo tamen re familiari ſubtritis, dum adoleſcens cum eiſdem verſaretur; quadam forte die, uti ſe vita illa invicem retinet privatorum, noti aliqui vel affines in domo eorum venerant convivare. Illis ut forte hora tulit, ibi nocte retentis, cubitumque petentibus, lanceolas, quas de more bajulantes attulerant, fœni acervo, quod propter fuerat, verſo ſurſum ferro apponunt. Caſu idem adoleſcens paulo ante acervo conſcenſo ibidem obdormierat, ad multam fere noctem ſomno excitus, cum extra, neſcio quo ante condixerat, egredi vellet, per acervum ſe ſenſim dimittens, inter erectos cuſpides vicine nimium eſt illiſus periculo, ita ut veſte corpori adhærente comprehenſa, ferroque terebrata per haſtile uſque ad terram decurreret. Haſtili ſubacto, & re palpatu ſollicitius explorata, ſtans, & tam præſentem circa ſe Dei cuſtodiam, etiam prava molientem, conſiderans, gradum ab incœpto, jam meliora deliberans, retinet, atque in reliquum Deo ſervire mente tota pertractat.

Humbertus monachus quis & qualis.

a præſenti periculo Dei ope liberatus,

52. Nec multo poſt, licet patre plurimum obſiſtente, rebus cunctis poſthabi-

AN. CHR. 973 27. Feb.

poſt Romanum iter cella ſe reclu.lit. Spiritu ſancto magiſtro ductus evadit.

habitis, Romam proficiſcitur : & in id perluſtrationis tempore non parvò exacto, reverſus cellulam recluſoriam Virduni ſibi conſtituit : ubi diuturna abſtinentia, ceteriſque bonorum operum ſtudiis, pluribus viſus eſt profuiſſe. Lectioni quoque aſſidue operam dans, brevi non modicum ſcientiæ theſaurum ſibi comparaverat. In quo illud miraculo fuerit, quod ante horum fere expers, Spiritu tantum magiſtro, ſapientibus repente non diſpar, certe ſuperior in multis apparuit. Ibi per idem tempus duæ oppidi ipſius religioſæ feminæ, cellula ſeorſum remotæ, ab eo inſtituebantur, & ex feneſtra tantum cellulæ Verbum doctrinæ ſeu ceteræ inſtitutionis ſumebant.

Recluſas informat.

Aliæ item duæ apud eamdem urbem, ejus ſunt exhortatione accenſæ: quarum altera mater plurimarum ancillarum Chriſti poſtea facta eſt in territorio Tullenſi, loco qui Buxerias dicitur, ubi Monaſterium ab Epiſcopo bonæ memoriæ Gozlino ex novo *a* conſtructum, poſtquam hæ duæ primum ſunt intromiſſæ, multiplex deinde ex diverſis mundi lateribus ſancti fervoris ſe ibidem examen infudit, ut uſque hodie nova quadam gratia inter cetera reſplendere videatur. In ea itaque cellula recluſoria multos agens annos, poſtquam ut ſupra memoravimus, gratia domnum Einoldum viſendi, Tullo veniens, domnum Joannem ei innotuit, indeque propria repetiit: mox certæ ut ſedis ipſorum famam percepit, cum eis & ipſe habitaturus accurrit. In qua ſocietate de reliquo, pio admodum labore eſt converſatus, donec cauſa religionis exinde Monaſterio beati Apri Tullo translatus eſt, ubi & in cura gregis dominici beato fine quievit.

moritur Abbas S. Apri.

Andreas petente Agapito Papa monaſterium S. Pauli emendat.

53. Andreas quoque & ipſe, poſtquam in eadem ſacra militia plurimam ætatem confecerat, jam ſenex, & mentem candore capitis referens, Romam ad poſtulationem Papæ Agapiti mittitur, qui litteris cum Nuntio quodam idoneo viro multum a domno Einoldo efflagitaverat, aliquos ſibi Religioſos, quos in monaſterio *b* beati Pauli, quod tunc ad monaſticum Ordinem tranſferre moliebatur, cum auxilio Regis Albrici *c* collocaret, tranſmitti : quo cum altero quodam fratre, qui ex monaſterio Luxovio Gorziam ante aliquot annos advenerat, perductus, regulari inſtitutione loco informato, non multo poſt receptus ad Dominum, ibidem eſt tumulatus.

54. Et quia mentione duorum, augmentum congregationis ejuſdem tangere cœpimus, de aliis quoque, quæ memoratu dignæ ſucceſſerunt perſonæ, quam ſuccincte res patientur, mox inferre non inconſequens arbitramur. Ita enim plano quodammodo ſpatio, de viro, quo propoſuimus, decurret narratio libera atque omnibus expedita, ſi his primum abſolutis, ſoli tantum propoſito continuus & nullo interciſus labor incumbat negotio: Ut ergo ſuave fragrans odor in qua Chriſtus recubuerat, domus, ibique juxta vel procul reſperſus eſt, fideles quique eo attracti mira celeritate undique cœpere concurrere: nec ſolum qui ſancto deſiderio jam dudum accenſi, vel ſpiritu occultius inſpirati, vel lectione divina excitati, quis eis viam rectæ converſationis oſtenderet, exſpectabant, mox tota aviditate quod oblatum cernebant, amplexi ſunt: verum alii quoque, qui eatenus frigidi torpuiſſe videbantur, horum exemplis concitati, tamquam carbonibus vivis ſibi admotis calefacti, ad eorum conſortium ardentiſſime feſtinabant.

Fridericus Gorziæ monachus.

55. Neque hi fere quicumque de trivio, ſed urbanarum deliciarum, gloriæque, & ſumptuum fuere non ignobilium, quorum etiam opibus non modica ſupellectile locus eſt auctus. In his patruus jam dicti venerabilis domni Adelberonis fuit Fridericus, qui infantulus cuidam monaſterio ſancti Humber-

a Nempe anno 962. ex Chronici Senonienſis lib. 2. cap. 12. ubi *Peſſeria* mendoſe locus appellatur. De Gozlino plura in fine hujus tomi, ubi de monaſterio S. Apri, S. *Evre*, ſuburbii Tullenſis.

b Et tamen S. Odo Abbas Cluniacenſis illud jam in meliorem ſtatum reſtituerat, uti expoſuimus in Elogio ipſius Odonis ſupra, pag. 137. Et Marinus Papa poſtea illud commiſerat Abbati Caſinenſi Balduino, teſte Leone Marſicano in lib. 1. Chronici Caſin. cap. 58. qui Balduinus ut monachus Cluniacenſis ſæpe laudatur in actis ſancti Odonis.

c De Albrico item qui Romanæ urbis monarchiam tenuiſſe memoratur a Luitprando in lib. 2. cap. 13 multa leguntur in actis ejuſdem Odonis, maxime pag. 168.

Digitized by Google

AN.CHR. 973 27. Feb.

berti *a* fuerat mancipatus; ſed ſimili ceteris loco eorum morbo pallente, ipſe, quemadmodum majorum ducebatur exemplis, indifferenter ſæculo convivebat, eratque ad id temporis, quia jam admodum ætate proceſſerat, & magnorum, quantum ad ſæcularia, ſenſuum, virque induſtrius videbatur; Epiſcopo adhuc tunc junioris ætatis adhærens, cujus & conſultu pleraque tunc in Epiſcopio agebantur. Animis præterea, ut vere patruus, ſeverioribus a pluribus quam ſæpe non neceſſariis juvenilia molimina revocabat. Hic tandem aliquando ſecum retractans, cum tantam eorumdem virorum Dei videret inſtantiam, corde compunctus, cunctis, quæ ſe male illexerant, poſthabitis commodis, ocius eis acceſſit. Nec multo poſt loci ipſi Præpoſitus poſt Abbatem ſtatuitur, ac domnus Joannes ei ſolatio ſupponitur. Poſtea autem rogatu Epiſcopi Leodicenſis Richarii *b*, monaſterio proprio ſancti Humberti reſtitutus, & regulari ordine Abbas præfectus, uſque in finem laudabili converſationis rigore rem divinam optime monaſtico tenore continuit. Situs eſt Treviris in monaſterio ſancti Maximini, quo dum ſollemnitas *c* dedicationis eum invitat, morbo repente pervaſus, diem extremum ingreſſus eſt, novaque novæ fabrica eccleſiæ, novo hoſpiti novum primo ſinum aperuit.

poſtea Abbas S. Hucberti.

apud S. Maximinum ſepultus.

56. Simili modo Virdunenſis eccleſiæ primus ab Epiſcopo curam gerens Odilo, vir natalibus clarus, facultate ſufficiens, in rebus agendis admodum ſtrenuus, &, ſi Clericum forte non impediret, nullo quæ mundi fert ambitus, loci ſui cuiquam impar, cunctis illis mordacibus curis rejectis, huic ſanctæ paupertati pauper ſpiritu factus ſe contulit, exiguumque ac vile ſtipendium cunctis ſæculi opibus glorioſius & ſufficientius æſtimavit. Is quoque poſt bene adultum ſanctæ converſationis robur, petitus, reformationi monaſterii, quod dicitur Stabulacum, ibidemque *d* promotus, ad rectitudinis lineas, quæ prava forte invenerat, Chriſto auxiliante, correxit, ubi etiam curſum naturæ perſolvit.

Odilo poſt Abbas Stabulenſis.

57. Ad idem ferme tempus ſpecimen (ut ita dicam) & flos ejus, quod tunc cæleſtis compingebatur ſerti, jucundiſſimus atque aſpectu digniſſimus Angilramnus, primo Tullenſis, deinde ſanctæ quoque, Mettenſis eccleſiæ Primicerius, nobilitate & opibus ea ætate (quodque conſequenter ſatis eſſet gloriæ) præſtans, moles ſecum auri atque argenti, ceteræque cumulos ſupellectilis trahens, inſtar primitivi illius apoſtolici populi, in uſus pauperum redigenda, ſanctam illam ſocietatem expetiit; prædii quoque non ignobilem quantitatem monaſterio ſub teſtamento perpetuo obtinendam contradidit: cujus quæ poſt modum fuerint converſationis inſignia, quantaque fortitudine robur ſtructuræ ejus in reliquum ſe tenuerit; gratius forſitan audietur, ſi prius quo paullulum initia ejus impulſa viſa ſunt vacillaſſe, breviter perſtringetur: cum præſertim concuſſus non ſtatione penitus ſit exturbatus, eoque firmius poſtea pedem fixerit, quo ad tempus ſeſe negligentius locum, quem cœperat, obſervaſſe doluerat.

Angilramnus Gorzienſibus accedens, multa largitur.

58. Is itaque, ubi cum eo quo diximus ſumptu ſuſceptus eſt, eo quod ampla erat perſona, & ex deliciis, cunctiſque ipſorum ante notiſſimus, mollius ceteris tractabatur, atque honorabatur: nam & ex ejus clientibus aliqui ad idem ſe propoſitum contulerant. Ipſe interea, uti qui necdum quam ſemel male

Indulgentius tractatur.

---

a Lege Hucberti, quod monaſterium olim *Andaginum* vocabatur, de quo egimus in Sæculi 4. parte 1. ubi translationem S. Hucberti retulimus ad annum 824. De Friderico item infra num. 74. & 98. ubi *S. Hucberti* in autographo legitur.

b Richarius ex Abbate Prumienſi aſsumptus, præfuit Leodicenſi eccleſiæ ab anno 922. ad 944.

c Hanc dedicationem ad annum 942. revocat Brovverus in Annalium Trevirenſium lib. 9. aitque ipſi interfuiſse ex Epiſcopis Adalberonem Mettenſem, ex Abbatibus, præter Fridericum S. Hucberti, Agenoldum Gorzienſem, Erkenboldum Tullenſem, Heribertum ſancti Arnulfi, & Salachonem ſancti Martini, eum ſcilicet, cujus ſuperius mentio facta eſt num. 43.

d Odilo Abbas, nempe hic Stabulacenſis, anno 949. Synodo Virdunenſi cum Agenoldo Abbate interfuiſse traditur in Chronico Frodoardi, laudatus in libro de miraculis ſancti Remacli, cujus acta relata ſunt in Sæculo 2. ubi de iſtius monaſterii origine diximus. Odilonem *ſanctum* vocat Fiſsenus in Floribus Leodienſibus, atque annum ejus mortis aſſignat 954. ſed non diem. Notcherum, qui poſtea Leodicenſis Epiſcopus factus eſt, ex monaſterio S. Galli ad ſuos erudiendos evocaſse dicitur.

Digitized by Google

AN.CHR. 973 27. Feb.

male admiſerat gloriam perfecte corde diſpulerat, nequaquam æqua aliis pati, & pro his quæ loco contulerat, paulo incontinentibus elevari. Jamque, quod conſequens, increpationibus obſtrepere, correptionibus non acquieſcere, & uti qui ſe minores cunctos attenderet, quaſi de ſuperiori loco ſententiam ferre: ſed & ſi qui forte infirmioris animi ſibi pro moribus acceſſiſſent, eos contra majorum prolata pro libitu contueri. Ad hæc pater Einoldus, ceterique jam perfectæ in Chriſto ætatis, multa pro rebus & temporibus reclamare, hortari, obſecrare, &, prout ætas pateretur, paulo ſeverius objurgare: quibus tamen nonnumquam fere acerbiora in facie referens, vix contumeliis temperabat.

aliquando correptus monaſterio vult abire.

59. Quid plura? cum tempore hæc tracta plus opere longiore ingrata nimium tædia peperiſſent, quadam forte dierum, dum pro ſimili, neſcio qua, inſolentia acrius argueretur, majorem in modum animo concitato e conſpectu Abbatis & ceterorum pariter aſſidentium ſeſe proripuit; & male jam ſæculo, niſi Chriſtus obvius repuliſſet, revolvendus clauſtrum egreſſus eſt. Fratres triſtes ac pavidi inſecuti, cum eum in porticu exteriori, in qua exiens reſederat, inveniſſent; ejus genibus advoluti, modis omnibus quibus poterant aggrediuntur: & nunc divini nominis obteſtatione, ne faceret obſecrare, ne quod bene cœperat bonum male amitteret; nunc perpetuam, quæ ſe apud ſæculum conſequeretur, ignominiam objectare: reminiſceretur magis ante exacti laboris, quem tam turpiter in medios conatus deſereret; reminiſceretur ad ultimum diſtricti examinis, cui forſitan ſenex jam jamque ſe cerneret propinquare. Aſtutias inſuper diaboli præcaveret, qui fructum totius laboris ei geſtiret præripere. Multa in hunc modum replicantes, cum ille adhuc inflexibilis, ſua tantum ſibi redderentur (ſe deinceps quid de ſe fieret ſatis curare) repoſceret: illi majoribus inſtare, & pro viribus, quæ menſuram neſciunt, charitatis, animos viri in diverſa verſare, ſermone ſermonibus, preces precibus inſtaurare.

Monachi inſtant ne id fiat.

pœnitens denuo recipitur.

60. Nec prorſus, Domino cooperante, loco diſceſſum eſt; donec oculus ille miſerationis antiquæ, ut tunc Petrum, ita & hunc modo reſpiceret, atque in quemdam alterum, ut ita dicam, hominem commutaret. Nam & iſte in amaras profluens lacrymas illico rediit, & corpore nudato, faſcibus virgarum manu prælatis, pœnam clamoribus poſtulans, pedibus Abbatis proſternitur, non modo gemitibus, verum totius geſtu corporis, doloris magnitudinem proteſtatus. Quis putas ibi lacrymas tenuit? quis eam caniciem ſe veſtigiis omnium intuens provolventem, non corde ſolutus eſt? Quis cum lacrymoſis ille vocibus inclamaret, *Cædite reum, cædite rebellem, ne parcite, quæſo, ſuperbo, & væcordi, & contemptori;* non gaudio mixto fletibus in ejus veniam proclamavit?

Ejus humilitas & abſtinentia.

61. Tandem Pater plenus pietatis aſſurgens, aliique cum eo, manibus charitatis ſuppoſitis ſolo erigunt, & cunctis clementer, ut tanta dejectio merebatur, indultis, in numerum tota alacritate recipiunt. Is vere dies in tantum ei exſtitit ſalutaris, ut quiſquis illum deinceps attenderet, vix aliquid in eo viri, qui prius fuerat, recognoſceret. Summa etenim vi, quantum in ſe fuit, abjectionem ſui, & quæque extrema ſemper appetiit, delicias & mollia omni genere reſpuens, difficilia & auſteriora magis amplexus eſt, honorem impenſum miro pudore non ferens, gravabatur potius quam oblectaretur. Parcitatem cibi vel potus ea arte quaſi callidus quidam obſervator aſſumpſit, ut de ſingulis quæ apponebantur, quotidianis momentis paulatim quiddam ſubtraheret, donec ad minimam quamdam quantitatem rediret. Interdum etiam, quibuſdam penitus, tamquam obeſſent, abſtinebat: nunc quidem piſcem omnem minoris generis, dum grandiores rarius poſſe conquiri æſtimat, reſpuens; nunc eos ipſos, quos magis appetere videbatur, dum undecumque quæſiti offerrentur; poſt non multum temporis quodammodo faſtidiebat: tantaque, ut ita dicam, obſtinatione victor ſui, quod ſemel animo ſtatuerat, cuſtodivit, ut pulticulis tandem fari-

Digitized by Google

farinæ contentus eſſet: quamquam inter hæc creberrima, quæ etiam dum in ſæculo viveret, diebus jejuniorum fortiter perferebat, panis tantum & aquæ jejunia exerceret. Ut enim multorum fide percepimus, adhuc in ſæculo ei biduum totum ſine ullo cibo & potu omnino tranſire quaſi nihil videbatur.

Sedulitas in omnibus.

62. Illud autem ſtupori videntibus erat, quod vigor corporis ei tam vividus perſeverabat, ut nihil de opere fratribus conſueto prætermitteret, coquinam, veſtium ablutionem, horti communem operam, calceamentorum lavationem: Miſſæ hebdomadam, Ordinem omnem clauſtri & Oratorii, vivido robore adimpleret; vultuſque ei hilaris & gaudens continue ſupereſſet: tantum poſt aliquod temporis intervallum a priſtina corpulentia venter ei ſubſederat. Orationum & vigiliarum ejus inſtantiæ teſte illud fuit tugurium, quod penes tumbam domni CHRODEGANGI *a*, tamquam cellam ſolitariam uſque vocationis ſuæ tempus incoluit: in quo, mox ſynaxi fratrum expleta, ſolus oſtio ſe occluſo recipiens, gemitibus & planctibus & infinitis genuum inflexionibus noctes dieſque continuabat; & cum plerumque fratrum vigilias præveniens plurimum noctis in precibus occuparet, finitis eiſdem vigiliis, quantumcumque noctis hieme vel æſtate ſupereſſet, ſomnum deinceps nullatenus noverat, niſi ob ſanguinis forte (quod vix tamen fiebat) minutionem; ſed toto deinceps uſque horam ſecundam & tertiam ſpatio, in ea ſancta contritione,* & celeſtis januæ pulſatione perſeverabat.

Orationes & vigiliæ.

Silentium.

63. De continuatione ſilentii quid prædicem, neſcio, cum ipſa quoque licita colloquendi invicem tempora fugiens, in pſalmorum potius melodiam commutaret, & ſi forte compellaretur, breve quiddam reddens, ad ſolita & amica ſilentia protinus recurrebat, curis quibuslibet corporeis, balneiſque & ceteris recreationibus communi uſu Regulæ indultis, cilicium, vilitatem veſtium, & ceterum cultum horridum præferebat. Extremum quidem fuerit quod dico, animi tamen ejus virtuti comprobandæ permaximum. Dum fratres ſabbato ante Mandatum, vel feria quarta, ex more antiquo quidem, ſed tunc noviter nobis tradito *b*, calceamenta ſibi abluerent; ille cuilibet ex improviſo poſt veniens, dum frater unum abluendum manu teneret, alterum quodammodo invito violenter ſubripiens abluebat. Item dum faciem mane, vel manus pranſuri lavarent: nunc quidem ad vas illud ex quo aqua quibuſdam forulis, fratribus miniſtrabatur, præcurrens, & obicem illum quo forulum illud obſtruitur, dum frater lavaret, tenens, nunc linteum quod ad tergendum dependet, offerens, voluntate cordis ardentis miniſtrabat.

Obſequium in Fratres.

64. Plura in hunc modum obſequiorum ejus ſtudia in omnes ſerviebant, & cum hæc & his ſimilia humilitati cordis ejus fuerint documento, ad hoc & locum ordinis ſui in choro, quem ſuperiorem tenebat, tamquam infirmitate impediretur, non ferens, in ultimum uſque commutavit. Revera enim poſt tantam auſteritatem viribus defatiſcens, non jam vel ad ſtandum in choro, vel ad ceterum laborem ſufficiebat. Quanta autem & vitæ puritas fuerit, ex fine perclaruit. Nam non longe ante obitum, nocte quadam neſcio quid divini audiens, nulli quicquam dicens, mane in feneſtra prædicti tugurii exaravit ſic, V. ID. SEPTEMBRIS SOMNIAVI ME MORITURUM, fides his citius facta eſt. Nam poſt paucos dies febre correptus, menſe plus lecto decubans, ad præfixum uſque diem languore valido perductus eſt, totumque id ſpatium abſque ullo omnino permanens cibo, ſola tantum aqua ſuſtentatus eſt: & ita uſque in Nativitatem ſanctæ Dei Genitricis perdurans, quam in craſtinum beati GORGONII *c* Martyris, cujus corpore idem mo-

mortem ſuam prædicit.

---

a Chrodegangus, teſte Paulo Warnefridi in lib. de geſtis Pontificum Mettenſium, *obiit pridie nonas Martias, in diebus Pippini regis, requieſcitque in Gorzia monaſterio a ſe conſtructo.*

b Ex hoc loco intelligitur, hunc auctorem aliquando Gorzienſem monachum fuiſſe, quippe qui morem calceamenta lavandi in Gorzia recens receptum, ſibi traditum, ac cum ceteris Gorziæ cœnobitis ſibi communem fuiſſe teſtatur, haud dubie ex Cluniacenſium imitatione. Confer vitam ſancti Odonis ſupra pag. 176.

c S. Gorgonius colitur die nona Septembris, poſtridie Nativitatis B. Mariæ.

AN.CHR. 973 27. Feb.

naſterium percelebre eſt, dies conſequitur, quo tunc maxima diverſis ex partibus religioſorum virorum turba confluxerat, pleriſque eorum eum inviſentibus, per totam fere diem, nunc hoc, nunc illo ad ſe introeunte, verbis ſalutaribus communicans, integra mente & ſermone ante mediam fere noctem deceſſit. Funus multitudo quæ convenerat, decenter digneque tanto viro curavit.

quæ monacho revelatur.

65. Eadem denique nocte, & (ut conjici potuit) ipſa hora qua obiit, cuidam congregationis ipſius, ADELGERO nomine, in monaſterio quod dicitur SENONIAS *a* in partibus Voſagi cum fratribus quieſcenti, quidam in ſomnis apparens, Surge, inquit, & quia domnus Angilramnus defunctus eſt, campanas pro eo facito concrepare. Experrectus ille, & quibuſdam excitatis, dum ſigno tantum innueret, nec certo intelligeretur quid vellet; luce data eadem referens, nec adhuc creditus, tertia die epiſtola ejus obitus allata, noctem & horam nullo diverſam fuiſſe compertum eſt.

Anſteus Gorziæ monachus eruditus,

66. His ſuper hæc, quæ omittenda non erant, commemoratis, quoniam de omnibus illius ſancti collegii, qui ſinguli fere digni memoratu pro merito egregiæ converſationis eſſent, longitudine obſtante non ſufficimus, Patrem nobis *b* in monaſterio ſancti Arnulfi poſtea datum domnum Anſteum *c* fas non eſt præterire. Hic item in ſæculari habitu domno Einoldo ſocius, cui & ſanguine jungebatur; poſt aliquot annos relictis omnibus facultatibus ex Archidiacono in pauperem Chriſti vere mutatus eſt, & in eamdem ſocietatem commigrans, vita non inferior ceteris claruit. Fuit autem lingua, quantum ad exteriorem ſermonem, facundiſſimus, ſed & in ſcripturis ſacris ſtudioſiſſimus, quamquam & artium nonnulla ei notitia fuerit, corporis quoque gratia quædam virtutem ejus animi inſignibat, vultu ac ſtatura decentiſſimus. Vox ipſa virium plena, grato, ut nihil ſupra, modulamine in ſacris concentibus aures implebat: quod tamen, quantum in ſe erat, cæleſtium deſiderio famulabatur, & ædificationi audientium ſerviebat. Verbo gratia multa redundans, exhortationi, & animis undecumque movendis, ad omnem facultatem, in quolibet dicendi genere, ut rhetorem

architecturæ non ignarus.

diceres, ſufficiebat. Ad hoc & architecturæ non ignobilis ei peritia ſuberat: ut quidquid ſemel diſpoſuiſſet, in omnibus locorum & ædificiorum ſymmetriis vel commenſurationibus non facile cujuſquam argui poſſet judicio.

67. Aliquamdiu ergo in eodem monaſterio Decanus, & Abbatis in omnibus onera ſtrenue ſuſtentans, vita, verbo, omnique ſanctæ converſationis exemplo forma gregi dominico factus, ut pæne per ipſum, poſt Abbatem,

mortuo Heriberto fit Abbas S. Arnulfi.

omnia diſponi viderentur. Tandem viro egregio Heriberto apud ſanctum Arnulfum, qui primus eidem loco a domno Adelberone pontifice, clericis inde ſubmotis *d*, regulari Monachorum ordine præfectus eſt, vita decedente *e*, paſtor in Domino profuturus ſtatuitur. Ibi brevi ejus induſtria claruit. Habitacula enim monaſtico ordini pulcherrimo ſchemate conſtruens, locum quem omnino incultum, & nullis ad religionem inſtitutionibus, ſuſcepit, ad omnes uſus Domino ſerviendi aptiſſimum reddidit: & cum interioribus ex-

Monaſterii ædificia reparat.

truendis ſine intermiſſione operam dederit, non minus exterioribus, quæ item miſere ubique locorum delapſa fuerant, reficiendis, ſtrenuus & prudens incubuit. Ruris quidquid monaſterio ſubjacebat, ita in vineis, pratis, a-

Rem familiarem auget.

gris, ſilviſque excoluit, ut cum rem omnino pauperrimam, & vix pauciſſimo numero parcam nimis ſtipem promittentem invenerit, poſt annum exa-

a De Senonienſi monaſterio, vulgo *Senones*, actum eſt in Sæculi 3. parte 2. pag. 469 De eo iterum poſt hanc Vitam.

b Hinc apparet, auctorem iſtum, qui ſe Gorziæ monachum fuiſſe innuit ſupra num 69. eo tempore quo hæc ſcriberet, vixiſse Mettis in monaſterio S. Arnulfi.

c Hunc mendoſe *Auſteum* recentiores ſcribunt. De eo ſupra in proprio Elogio.

d Accidit hæc Clericorum ex eccleſia S. Arnulfi expulſio anno 941. ut conſtat ex dictis, ubi de Anſteo Abbate.

e Et quidem ſub annum 945. poſt quatuor circiter regiminis annos, quod colligitur ex eo quod Anſteus ejus ſucceſsor anno 960. (ut infra dicitur) defunctus, per ſexdecim annos S. Arnulfi monaſterio præfuit.

Digitized by Google

AN.CHR. 973 27. Feb.

exactum (nam is gravis, & quaſi ſtipilentia * attactus fuit) in omnem copiam rerum neceſſariarum, Domino benedicente, ſupereffluxerit, cunctiſque intrinſecus fratrum habitationibus intra quadriennium expletis, muro in modum caſtri forinſecus cuncta circumdare animum intenditi: quod, opem undique præbente eodem venerabili Pontifice, quatuor menſibus laboratum, pæne ad ſummam eſſet perductum, niſi infauſta regni diſſenſio, quæ inter domnum & glorioſiſſimum tunc adhuc Regem, poſtmodum Cæſarem Ottonem, & filium ejus Liutulfum, & generum Cuonradum exorta, uſque ad gentis inimicæ Deo Ungrorum in nos eruptionem deſæviit, impediſſet; proxima tamen æſtate Domino cooperante ocius peractum.

* f. peſtilentia.

68. Cumque horum extra perpetua ſollicitaretur cura, nihil tamen de his, quæ vel ad vitæ, vel converſationis puritatem, vel ad paſtoralis ſollertiæ vigilantiam pertinebant, eſt aliquando prætermiſſum, quin quotidie ſolitum penſum orationum, pſalmorum, vel lectionum ſanctarum expleret. Omnibus Dominicis & feſtivitatibus ſanctorum celebrioribus Miſſas publice dixit. Ad hoc unaquaque quarta feria privatim *a*: in quibus quantis gemitibus & lacrymarum victimis ſeipſum conficeret, ne referri quidem poteſt. Et ut fiducialiter efferam, in viſceribus pietatis & ſimplicitate cordis, & manſuetudine animi, condeſcenſione infirmorum, recreatione miſerorum, & omnibus omnino miſericordiæ actibus, non alter eo fuit præſtantior. In his ſexdecim *b* annorum exactis laboribus, in ſanctæ perſeverantiæ fine curſum conſummans, pridie Nativitatis beatæ Dei Genitricis decedens, in monumento a ſe jam olim longe retro a primis annis ſui regiminis præparato, plurima devotorum virorum frequentia, domno & venerabili Antiſtite Adelberone munus exſequiarum explente, depoſitus eſt, ex parte baſilicæ aquilonari, anno Domini 960.

Exterioribus vacat ſine diſpendio ſpirituali.

Mitis & miſericors,

moritur an. 960.

69. Sanctæ Mettenſis eccleſiæ Archidiaconus Blidulfus *c* jam in proceſſu loci, eiſdem ſervis Dei non ſine magno multorum miraculo ſociatus eſt. Vir enim cum & nobilitate generis, & rerum copia non mediocri fultus, & multa in quamcumque partem arte animi callens, (prudentiane ea dicendi ſit, an aſtutia?) ad hoc & litterarum ceteros ejus loci præiret ſcientia, (quippe qui ex ſcholis adhuc ſupererat Remigii) tum ſæcularibus ita deditus videbatur, ut vix cujuſquam in eo religionis veſtigia viſerentur. Is ut dicitur, morbo repente præreptus, venerabilem Einoldum citius advocans, Monachum profitetur, ſtatimque habitum ſumens æger monaſterio devehitur; ac poſt paucos dies integer Deo propitio redditus, mentis meliore integritate felix, & multis deinceps exemplo futurus convaluit, atque in ſancta converſatione fere inferior nulli apparuit. Is poſt plures annos majori calore virtutis tactus, eremum altero quodam, cui Gundelach vocabulum fuit, ſibi ſociato, in remotioribus Voſagi expetiit, ibique in illa divinæ contemplationis ſuavitate acerba admodum corporis caſtigatione, & mundo vere, ut veracium qui eum noverunt fert ſententia, mortuus, decem aut eo amplius annos exigens, felix deceſſit, atque in ejuſdem cellulæ ſuæ Oratorio ab eodem ſocio ſuo viro æque ſanctiſſimo ſepultus, eumdem ibi reliquit vitæ vel rerum pauperculārum heredem.

Blidulfus vir nobilis & doctus,

in extremis habitum monaſticum ſumit.

eremum petit cum Gundelach.

in qua moritur.

70. Porro idem ſocius ejus ex monaſterio Fulda *d* olim retro ante complures annos flore juvenili conſpicuus, Treveris apud ſanctum Maximinum, ob inſignem religionis converſationem, commigraverat: deinde domni Eginoldi fama accenſus, Gorziam veniens, ei individuus fere comes per aliquod tempus adhæſit: donec eodem jubente cum prædicto venerabili Blidulfo in monaſterio ſancti viri Ogonis *e*, magni & præclari prius in ſan-

Ogo Abbas S. Maximini, & Epiſcopus Leodicenſis.

a Non ergo ſingulis diebus, quantumvis alias religioſus, ſacris operabatur, quamquam alii viri pii ante id tempus id fecerunt, ut alibi notavimus.

b Labbeus male 25. quod patet tum ex autographo hujus Vitæ, tum ex regimine Heriberti Anſtei deceſſoris, qui ibi Abbas anno 941. inſtitutus eſt, tum ex anno 960. quo Anſteus deceſſit.

c Blidulfus cujus hic mentio, alius videtur a Blidulfo Mettenſi Primicerio, de quo poſt hanc Vitam ex Chronico Senonienſi.

d De Fuldenſi Germaniæ illuſtri monaſterio actum eſt in Sæculi 3. parte 2. in Actis S. Bonifacii & S. Sturmii Abbatis, atque in Sæculi 4. parte 1. ubi de Eigile ejuſdem loci Abbate.

e Hugonem vocant acta Leodienſium Epiſcoporum & Frodoardus in Chronico, ut ſuperius vidimus pag. 342. De eo iterum infra num. 97.

AN.CHR. 973 27. Feb. ‑ cto Maximino Abbatis, & poſt Leodicenſis eccleſiæ egregii Pontificis delegatus; poſt obitum ipſius domni Ogonis, utrique inde in Gorziam regreſſi, mox brevi ad ea, quæ prædixi, eremi remotiora pari conſenſu ſecedunt, &, ut dictum eſt, ipſi domno Blidulfo ſuccedens, locellum ipſum uſque in finem vitæ incoluit, doctrinaque & vitæ puritate clarus, ibidem quievit.

Iſaac ex canonico monachus, cum Odolberto, poſtea Gorziæ Abbate.

71. Virdunenſis etiam eccleſiæ vir religioſus ISAAC, in vita canonica ſatis decenter converſatus, jam canicie ipſa reverendus, cum alio bonæ ſpei tunc juniore, nunc Domino auſpicabiliter provehente, ejuſdem ſancti collegii patre domno Odolberto, fere poſt duos, quam ſuperior Blidulfus venerat annos, ſuſceptus eſt: quique ut erat magnæ ſimplicitatis, & totus interioribus animæ bonis deditus, ſine querela, & innocentiſſima actione converſatus, etiam finem ſui divino meruit præſcire reſponſo. Quieſcentibus namque quadam nocte fratribus domnus Einoldus vigilans, repente vocem producto ſono ter inclamantem audivit ſic: Iſaac, Iſaac, Iſaac. Qui cum mane eodem accito, finis ſui eum commoneret, & quid audiſſet ediceret: Et ego, inquit ille, eaſdem voces audivi, & vocationem meam adeſſe cognoſco. Illico autem morbo tactus, brevi deceſſit. De his igitur qui quodammodo eminentiores in ea congregatione viguerunt, hæc commemoraſſe ſufficiat. Non quod omnia quæ digna memoratu eſſent, de eis dicta ſint, cum utique de ſingulo quoque eorum proprium condi poſſit volumen: ſed & plurimi [a] in eodem ſancto collegio magnarum virtutum viri exſtiterunt, qui merito in exemplum ſcriptis & laudibus efferendi eſſent.

ultimum ſuum diem revelatione cognoſcit.

72. Sed a propoſito, quo aliquamdiu divulſi ſumus, iam quodam clamore revocamur. Unde his quæ præteriri indignum cenſuimus expediti, ad viri venerabilis Joannis acta, cui hic proprie ſtilus ſudat, Domino miſericorditer præeunte, recedamus. Primum quæ ei inſtitutio converſationis & animi virtus fixa ab ipſis principiis in finem uſque ductu continuo fuit, ut in neutram partem mirabili vigore deflexerit, in quadam veluti brevi tabella deſcribere cupio: quod ſicut a me expleri poſſe, non mihi prorſus arrogaverim, ita vix unquam a quoquam, quamvis diſertiſſimo, æſtimem comprehendi. Nec vero penitus reticendum, ne ipſa parva, quæ dicentur; ſi pigro ſudario defodiantur, quos poſſent, lucris dominicis ſubtrahant. Subjectionem Patri & obedientiam tanta pertinacia tenuit, ut quicquid ſemel ore ille imperans emiſiſſet, hic tamquam famulus verberum metuens ſine dilatione arriperet. Et in ipſis ſtatim principiis, dum pater Einoldus credito ſibi regimine loci vehementer angeretur; ſi ſibi exteriora curanda eſſent, qui longe alia „ divinæ ſpeculationis meditabatur; idem domnus Joannes ei accedens, Non „ horum Domine, inquit, cura ſollicitemini, ego hoc vos faſce levabo. In„ terioribus tantum, ut cupitis, animum intendite: quicquid exteriorum eſt, „ ego Chriſti gratia & meritis veſtris adjutus mihi ſuſceperim. Cum itaque ita omnia ei commiſerit, & ipſe in ſolo Deo vacationem aſſumpſerit, nontamen quid unquam parvum vel majus idem domnus Joannes, niſi eo conſcio, aut conſilio ejus & voluntate egit: & horum ipſe domnus Einol„ dus, ſi quando ita intererat, teſtis erat. Numquam, inquiens, mihi ino„ bediens fuit, nec fuit aliquando qui me & illum in pacem reduceret.

B. Joannis virtutes.

Obedientia & ſubjectio.

In mutatione officiorum probata.

73. Nec deſtitit prudens & ſagax in utramvis partem domnus Einoldus eum diverſis exercere mutationibus. Nam plerumqne ab exterioribus de induſtria eum revocans ad interiora, etiam ad infimum quodque reduxit officium: in quo ne nutu quidem aliquando viſus eſt renuiſſe. Juſſus Præpoſitus paret continuo. Præpoſitura depoſita, eſto Decanus: jugum quietus admittit. Eo abiens, cellarium cura: manum illico profert: alio ibi ſuccedente, veſtes fratrum ſerva, nihilo plus reluctatur. Sic hoſpitibus, ſic (ſi ita contigit) infirmis, ſic quibuſque aliis imperatis ſumma cum alacritate moræ

[a] Ex eorum numero fuit Rambertus Abbas poſtea Senonienſis, de quo poſt hanc Vitam agemus ex Chronico Senonienſi.

Digitized by Google

AN.CHR. 973 27. Feb.

ræ neſcius miniſtravit. Quæcumque nummis, vel quibuslibet aliis rebus expendit, ſummam eorum in breve notatam Abbati poſt hebdomadam aut menſem reddidit: nec minus quæque extrinſecus de ratiociniis quibuſque illata recepiſſet. Cumque domnus Einoldus hæc audire faſtidiens, quia nihil ſuperfluo eum expendere ſatis ſciret, non ultra ſibi hæc referri interdiceret; nihilo minus tamen ipſe cuncta uſque ad ſiliquam, ut dicitur, annotata ſervabat.

in reddendis rationibus diligentia.

74. Patientiam, humilitatem, ſeu abjectionem, &, quæ omnia ſuperat, charitatis in Deum, & in omnes fervorem, incredibile dictu eſt quanta fortitudine ſervaverit. De quibus ſingulis quibus frequenter documento fuerit ſi recenſere velim, nimium ſcripta ferentur in longum. Unde ſaltem ſimplicia annotamus. Præpoſituram monaſterii vir venerabilis Fridericus, de quo ſupra * meminimus, & ſub eo hic domnus Joannes gerebat. Ille, ut ſuperior, hunc gravibus verborum contumeliis perſæpe, etiam publice, & præſentibus ſæcularibus, irritabat. Illo diutius perſtrepente, hic tantum item itemque ad ſatisfaciendum terræ ſe ſternens, perpetuum tenebat ſilentium: cum ille crebro eadem clamore ingeminans ira feſſus, jam & in verba deficeret, Joannes acſi ſimulacrum ſine voce diu immotus perſiſteret; ad ultimum columnam vel parietem tangens, & ut eis potius verba, quam ſibi faceret, dicens, e conſpectu ſe proripiebat. Ille eo, tamquam contemptus, incenſior, quolibet forte reſidebat. Inde poſt paululum motu ſubſidente, ubi placidior ad ſe mente redierat, ſecretius eodem Joanne abducto, pedibus ejus advolutus, Occidiſti me, ajebat: cui Joannes: Ego? in quo? Patientia tua me, dicebat, occidit. Non ita, inquit iſte, ſed animoſitas veſtra vos occidit. Nec pluribus, lites illico rumpebantur. Nam idem vir reverendus hoc uno licet eſſet notabilis, cetera egregius, & ut magno natu conſpicuus & inſignis omnibus habebatur, & hos ipſos motus animi, quos vetus adhuc converſatio integrabat, prudens citius compeſcebat, doloribuſque ac planctibus uberrimis poſtmodum ſeſe conficiens condemnabat.

Humilitas & charitas.

* num. 55.

Patientia in Fridericum.

75. Nec diſſimile huic eſt quod inferimus, Cellarium ipſe Joannes, Bernacer autem jam antedictus veſtiarium ſive cameram fratrum ſervabat. Is quadam die cellarium ingreſſus, vas quoddam, quod imapum *a* dicunt, guttulæ excipiendæ vaſi vinario ſuppoſitum invenit: eo arrepto, queſtibus Joannem aggreſſus, & vas quod ſui miniſterii eſſet cur ita perditum dediſſet, multa congeminans; illeque nihil læſum aſſereret, Pro carraria, inquit, vini non ſic attaminatum vellem. Cui Joannes: Decem, ait, vaſcula hujuſmodi carraria una vini poſſunt acquiri. Iis domnus Einoldus superveniens, & altero jam abeunte, dum extrema, quæ vixdum finiens Joannes illi loquebatur, audiiſſet, Quid hoc inquit eſt? an contenditis? Illo protinus terræ proſtrato: Non, inquit, præter panem, aquam & ſalem quicquam percipias, dum licentiam dedero. Juſſa ſuſcipiens, nec ipſi quid referens, nec cuiquam verbum inde ullo modo faciens, triduo continuo abſtinuit. Et forte tunc ferventiſſimi & ipſa æſtate dies fuerant longiſſimi: nec ob id ſoliti quicquam operis prætermiſit, quin alacrior & celer ad univerſa diſcurreret. Nam valetudo corporis ei juſta, & in neutram partem nimia, facili motu per gratiam cæleſtem ad quæque agenda ſufficiebat.

in pœnitentia item impoſita.

76. Ab infimis quoque probra multoties infinita ſuſtinuit. Alii eum hypocritam, alii avarum, alii tenacem, alii fraudatorem publice appellabant: nonnulli non eum ſæculum reliquiſſe calumniantes, in oculis familiam domus ſuæ, quæ cum matre monaſterio ſerviebat, ingerebant, dicentes: Tua huc ſubdolus contraxiſti, ut liberius ea hic poſſideres, & melius, quam domi ſufficeres, hic procurares. Ecce gynæceum clauſtrum Monachorum feciſti. Hæc & plura in faciem dum jacularentur, ipſe ut rupes immota manebat.

in maledictis etiam tolerandis.

a Hanc vocem ſibi non ſatis notam fatetur Bollandus ad hunc locum, ſubodoratus mendum aliquod in textum irrepſiſſe: tametſi ita in autographo legitur. Cangius in Gloſsario putat ſcribendum eſse *banapum*, quod verbum, ex Saxonico *bnap*, pateram ſeu calicem ſignificat. Sed vas majus dolio ſuppoſitum hic deſignatur.

Digitized by Google

AN.CHR. 973 27. Feb. Nec unquam fuit (quod quidem a quoquam reſcire ipſe potuerim) qui ex ore ejus contumelioſum verbum retulerit. Et hoc ſane ſilentium inter clamores tenebat. Irarum nihil ibi, præterquam terræ ſtratus veniam tacitus poſtulabat *a*: quod & ipſis, qui longe ultimi ordine erant, eum frequenter feciſſe percepimus: quippe qui ad hoc animum dederat, ut nihil tam eſſet abjectiſſimum, quo non ſe ultroneus inclinaret: unde & ipſas latrinas fratrum eum frequenter purgaſſe non dubiæ fidei virorum relatione cognovimus.

Coquinæ miniſtrat. 77. Si quando, ex more communi, hebdomadam vicis ſuæ ſuſceperat in coquinam, & ex conſequenti munditiarum faciendarum; non fere aliquando, niſi gravis eum occupaſſet utilitas, vicarium *b* requiſivit. Ipſe aquam a puteo hauſit, humero coquinæ illatam igni ſuſpendit: legumina vel olera lecta vel manibus propriis conciſa infudit, lavit, coxit & appoſuit: vaſa refectorum item ſolus elavit; nec in pedibus fratrum abluendis, quod erat finitimum, alteri mandavit officium. Et hoc quidem commune cum ceteris. Illud autem ex ore ejus ipſi percepimus, quod farinam, ad uſus totius congregationis, duorum vel trium modiorum ſolus ipſe, uno tantum puerulo aquam infundente, commiſcuit, fermentavit, in maſſam ſubegit, ſudore nimio in formulas panum expreſſit, dum piſtoribus opera reliqua ſuccederet; & hoc multi, quamvis in conclavi clam omnibus id egerit, nota quadam nimiæ parcitatis inurebant: cum ille fidele Chriſto mancipium, ne quid rerum monaſterii deperiret, pervigil obſervaret, & (quod majus ac verius eſt) cauſa ſudoris ſui præmiis cæleſtibus numerandi.

Severitas in ſe, benignitas in alios. 78 Sui ipſius curam quam minimi duxerit, ex his ſatis poteſt perpendi. Cibos lautiores, veſtes ſplendidiores, calceamentorum nitorem, ſtrati mollitiem, balnearum fomenta, medicamentorum in morbis quibuſque ingruentibus adhibitionem, & quicquid omnino ad corporis aliquam delectationem accedere præter inevitabilem neceſſitatem perpenderet, hæc velut crimini ducens penitus reſpuebat: cum tamen nulli alii uſu eorum, quibus forte opus fuerat, interdiceret. Et hæc magna in eo erat diſcretio, ut cum ipſe ſibi auſterus & pæne indiſcretus videretur, aliis nemo miſericordior eſſet. Ipſe jejunans alios ad cibum cohortabatur; ipſe vigilans aliis ſomnum indulgebat; ipſe laborans alios quiete remittebat: ipſe dum balneis penitus abſtinens, ab ipſo converſionis ſuæ tempore numquam eis uſus fuiſſe diceretur, niſi forte aliquando poſt gravem ægritudinem lecto reſurgens; ſi quibus tamen aliis competeret, numquam damnavit, vel interdixit; a perceptione cibi vel potus ante horam, vel poſtea, in perpetuum ſibi obſtruſa. Nullum, ſi cauſa infirmitatis expetiit, ſuſpendit, quin & ægrotantibus uſum carnium ultro ipſe obtulit, & non rogatus ingeſſit. Sic in veſtibus, calceamentis, ſtramento lectuli, cum ipſe ſibi viliora, abjectiora, parciora, & duriora ſemper elegerit, ceteris ad omnem copiam, & quantum profeſſioni non minus obſtaret, elegantiora & molliora exhibuit.

Zelus in arguendis omnium vitiis. 79. Fallaciam vitiorum in his vigilantiſſime obſervabat, in quibus non facile cuiquam, etiam ſi eſſet ſuperior, ceſſit: ſed mox vitio, aut fraude quemlibet aliquid petere ſenſit, omnimodis denegavit. Cum enim, ut dictum eſt, ſub motibus irarum ita mutus quodammodo exſiſteret; ubi corrigendi locus advenerat, ibi linguam excandeſcere, & in verba acriter pungentia vehementi quodam terrore videres effundi; nec omnino adulatio (quo
NOTA. communi, proh dolor! morbo plerique laboramus) in eo quod foveri poſſet, habebat: in quo ſimul & mendacii maculam, ut capitale quiddam horrebat, ut ſi in gratiam potentium aliqua eum aliquando dicere neceſſitas loci aut temporis compuliſſet, ita inter utramque viam cautus verbo incederet, ut & eos, quantum ſatis eſſet, attolleret, & veritatis limitem non excederet.

Præ-

a Ad mentem ſancti Patris Benedicti, qui in Regulæ ſuæ cap. 71. ſtatuit, ut *ſi quis a quocumque priore ſuo correptus fuerit quolibet modo, tamdiu proſtratus in terra jaceat, uſquedum benedictione ſanetur illa commotio*. Quamquam hæc S. Benedicti inſtitutio ad inferiores erga ſuperiores ſuos non vice verſa pertinet.

b S. Benedictus in Regulæ ſuæ cap. 35. providet, ut *habeant omnes ſolatia ſecundum modum congregationis, aut poſitionem loci*.

Præterque communem hodie hominum obſervantiam, illo apoſtolico eum inſignem, vel ſolum quantum humana paterentur eſſe perſenſimus: *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus eſt vir.* AN.CHR. 973 27 Febr. Jacob. 3. 2.

80. Vigilias ac jejunia in eo prædicare ſi cœpero, omnium, qui eum noverunt, ora me oppriment, cum vix quempiam hujus ætatis qui ei in his æquari potuerit exſtitiſſe, concordi omnes miraculo clament. Cumque perpetua pene lex ei eſſet, poſt vigilias quantacunque profunditate noctium actas, ſomnum in lucem uſque neſcire; audires illum in illo, quod mos habet monaſticus, inter nocturnum & matutinale officium *a* intervallo vario huc illucque perreptare, curriculo, & in morem apis pſalmos tacito murmure continue revolvendo, nunc circa altaria genua flectere *b* nunc paululum reſidendo mox exſurgere, & aliquamdiu ſtare; itemque egreſſus, cælo tempus noctis inſpicere, deinde lucernis aut emungendis, aut reficiendis aſſiſtere, tum etiam ſcholas canentium reviſere *c*; interdumque retibus texendis, quod noctis ſupereſſet, expendere, ſæpiſſime ipſas communes præveniens vigilias, & lucernas dormitorii, tamquam hæc ſibi ſpecialiter cura eſſet indicta, plerumque etiam, ut videbatur, ex ſuperfluo cum clare lumen effunderent, corrigens; mox Oratorium quam latenter poſſet ingreſſus, & coram altari proſtratus diutius planctibus & ſuſpiriis, ut cuſtodes audirent, cum multo lacrymarum flumine ſeſe conficiebat. Vigiliæ, ac jejunia.

81. Inde aliquando ipſe ſignum ad vigilias concrepans, nihilo ſegnius cum ceteris pſalmorum, orationum, vel lectionum communium opus exſequebautr. Quæ tunc temporis utique, ut ferventibus converſationis initiis; & numero, & longitudine, & mora dicendi multiplicius extendebantur; quæ poſtmodum puſillanimitas imbecillium in nonnullis compulit coarctari. Nam & orationes noctu ternæ, mox ſigno dato ad vigilias multo prolixiores fiebant: & poſt ipſas omnibus pariter in choro reſidentibus, triginta pſalmi a centeſimo decimo-nono uſque in finem pſalterii, in ternas orationes denis diſtributis pſalmis ſingillatim ſilentio dicebantur: erantque primi decem defunctorum, medii familiarium, extremi generalium. Brevioribus æſtivis noctibus, & feſtis diebus, quindecim tantum Cantica graduum, terna ſimiliter oratione diſtincta. Lectiones hiemalibus vigiliis ita producebantur, ut Prophetis, qui Kalendis Novembribus ponuntur, duabus fere hebdomadibus expenſis, aut denuo a quocumque eorum repeterentur, aut alia quædam adderentur, unde & eumdem virum ſub una quondam lectione Danielem totum, dum tertius lecturus *d* aſſurrexiſſet, expleviſſe percepimus. Item poſt dies natalitios Apoſtolus, & a Septuageſima Eptaticus uſque ad dies Paſſionum, & in ipſis Jeremias integre ad vigilias legebantur, quorum nunc plurimum ad menſas *e* ſuppletur. Officiorum divinorum modus Gorziæ qualis. Lectionum prolixitas.

82. Et ſuper hoc poſt reliquum curſus Nocturni, vel pſalmorum conſuetudinalium uſque ad ſignum crepuſculi, a pluribus plerumque pſalterium ſingillatim ex integro dicebatur. In quibus cum ceteri aliquando quid remiſſionis expeterent, hic ita infracto robore ſomno repugnans, ad nullam fere Joannis devotio in officiis divinis.

a Matutinale officium intelligit auctor cum S. Benedicto hanc officii partem, quam *Laudes* modo appellamus: quæ pars ex Regulæ præſcripto a Vigiliis ſeu Nocturnis etiam tunc ſeparata erat.

b Vigebat etiam hæc pia conſuetudo apud ſancti-Gallenſes, ut quod ſupererat temporis Vigilias inter & Laudes, illud frequentandis monaſterii oratoriis ſeu altaribus impenderent, ut conſtat ex Capitulis in eodem S. Galli monaſterio circa annum 817. editis, capitulo 31. Vide Sæculi 4. partem 1. pag. 742. Confer epitaphium Walæ, ibidem pag. 471

c Ita decernit S. Benedictus in Regulæ cap. 8. *Quod vero reſtat poſt vigilias, a fratribus qui pſalterii vel lectionum aliquid indigent, meditationi inſerviatur.* Porro locum huic meditationi ſeu ſtudio deſtinatum, canentium ſcholas hic auctor vocat.

d Hinc patet, (quod etiam ex aliis intelligitur) ſingulas lectiones a ſingulis fuiſſe lectas in vigiliis nocturnis. Unde ſingulæ benedictiones dautur, alias una fuiſſet dicenda, ſiquidem unus quatuor continuo recitaſſet

e Nempe ex Abbatis voluntate olim pendebat, lectiones breviare, quod S. Benedictus permittit in Regulæ ſuæ cap. 11. ut *ſi forte tardius fratres ſurgant, aliquid de lectionibus aut reſponſoriis brevietur.* Unde neminem movere debet, quod Gorzienſes diminutis aliqua ex parte vigiliis, quod ſacrarum ſcripturarum reliquum erat, ad menſæ lectionem reſervarent. Quanta eſſet lectionum prolixitas, vetera Lectionaria probant. Aurelianus in fine Regulæ ſuæ præſcribit, ut ad Nocturnos tres fiant lectiones: & pro ſingulis *ſi minute ſcriptus ſit* codex, *aut majori forma, ternas paginas; ſi minor, quatuor* legantur, interpoſita inter ſingulas lectiones oratione ſeu meditatione.

Digitized by Google

AN.CHR. 973 27. Feb.

fere cedebat laſſitudinem, ut & toto (quantum id protenderetur) previgil ſtaret intervallo; & matutino officio, vel primæ horæ, quæ continue ſubſequitur, cum pſalmis ſeptem pœnitentiæ & litania expleto, mox lectioni accederet: ubi cum ei aliquando, ipſa vincente natura, ſomnus obreperet, a codice ſe ſtatim excutiens, huc illucque, pſalmi quid ſemper demurmurans, ſpatiabantur: maximumque æſtivis matutinis hujuſmodi in eo cernere erat ſpectaculum, quibus aut raro illum, aut numquam lectulum repetiiſſe, niſi minutio ſanguinis intereſſet, cognovimus. Nam noctu vel intervallis, hieme vel æſtate, ſi ita forte intempeſtive vigiliæ longæ ante lucem explerentur, ut nimia fatigatio compelleret, paululum ſe lecto reclinans, tam feſtinus illico reſurgebat, ut nec obdormiſſe quidem crederetur. Illud autem ſæpe ex ore ejus ipſius audivimus, quod ab ipſis converſationis initiis, hoc adverſus ſomnum matutinis horis continuum traxerit bellum, quod numquam ſuperare valuerit, quin iiſdem horis ſemper ſibi rediret infeſtior. Ex veteri, inquiens, ſæculi conſuetudine hunc mihi blandum hoſtem nutrivi, quia noctibus vigilans, mane ſomno uſque in multam diem indulgebam: unde huc uſque, etſi non videam crepuſculum, tamen adeſſe ipſe quotidie ſomnus pronuntiat.

Somnus poſt vigilias.

83. Ad ſuperiorem ſcientiam, ante converſionem, uſum lectionis, in quibuſcumque divinarum litterarum libris tanto ſtudio adjecit, ut eminentiſſimorum Doctorum fere nullus eum præterierit; donec Spiritu-ſancto prævio, ad omnem quantum mortalibus fas eſt, notitiam ſcripturarum pervenerit. In his primum Moralia beati Gregorii ordine quam ſæpiſſime percurrens, pæne cunctas ex eo continentias ſententiarum ita memoriæ commendavit, ut in communibus exhortationum ſive locutionum confabulationibus omnis ejus oratio ex eiſdem libris decurrere videretur. Nec minor ei Auguſtini, Ambroſii, Hieronymi, & ſi quis antiquorum ad manus veniſſet, lectio erat. Et qui ad id temporis, utpote ſtudiis frigentibus, pæne nec ipſi codices inveniebantur; Auguſtini in Joannem & pſalmos, & de Civitate Dei integre perlegit. Poſtremum in libris de Trinitate multa intentione ſudavit: in quibus cum de dialecticis rationibus quædam offendiſſet, maxime ubi propter demonſtrandam relationem Patris ad Filium, Spiritus ad utrumque, eam quæ dicitur ad aliquid categoriam introducit, ejuſque occaſione de omnibus quoque decem prædicamentis ſtrictim quædam commemorat; Scholaſticam mox ſuper his ſibi aperiendis expetens ab ipſis introductionibus Iſagogarum laborem arripuit lectionis: in quo cum diu, ingenita ſibi vivacitate ingenii, &, ut in rebus ceteris quas unquam arripuerat, indefatigato robore luctaretur; repente domnus Pater Eiroldus medios præcidit conatus. Is enim rerum earumdem jam olim ſtudioſiſſimus, & quanto labore ea conſtarent expertus, tempora in his fruſtra eum nolens expendere, brevi prohibitione avertit, & ut animum potius ſacra lectione occuparet, ubi ſatis ſuperque & ſcientiæ, & (quod majus eſt) ædificationis ei doctrina ſuppeteret. Ille qui obedientiæ limitem non transgredi ſemel juraverat, mox incœpto renuntiat, & in divina, ut a principio, ſe totum tranſponit. Præterea Gregorii in Ezechielem multo uſu detrivit, ut pæne memoriæ commendaſſe videretur. Ad ſummam, ejuſdem quæcumque eſſent beati Gregorii, unice præter cetera amplexus eſt.

Sedulitas in lectione Patrum. Auguſtini de Trinitate libris inſudat. ad ſacram ſcripturam ab Abbate revocatur; Gregorio addictus.

84. Quamquam non inter hæc, vitæ converſationes, vel dicta quorumcumque ſanctorum peculiari ſtilo de eis conſcripta non eum præterierint: quippe qui ex ipſis in uſum propriæ converſationis normam ſibi aſſumpſerit Antonium, Paulum, Hilarionem, Macharium, Pachomium, & reliquos eremi ſectatores; tum Martinum maximum & ſanctiſſimum epiſcopum, Germanum ad hoc, & quoſcumque auſterioris vitæ perlegerat, ſi tempora paterentur, forſitan attentare moliretur: quod utique ex ea, quam arripuerat, caſtigatione dabatur conicere, quem tamen, etſi in laboribus corporeis diſparem, in virtutibus animæ non fere alium magis ipſorum æmulum, noſtram vi-

Sanctorum Vitas ſtudioſe legit.

Digitized by Google

vidiſſe ætatem certo proferre non trepidaverim. Joannis cujuſdam Alexandrini Patriarchæ, quem Eleymonem cognominant, actus pæne memoriæ retinens, in omnibus fere ſermonibus eum grata & amica dulcedine reducebat, audienteſque ex eo multa attentionis ſuavitate retinebat. AN.CHR. 973 27. Febr.

85. Et quia de ſingulis perſequi operoſum nimis videtur, quorum non minor eum ſcientia, vel imitatio aſſuefecerat; illud miraculo omnibus erat, quod cum in iis tantum exercitii haberet, nihilo tamen, quæcumque in rebus exterioribus agenda eſſent, remittebat: quin circa diverſa diſcurrens, & ſingulis ordinandis præcepta conſtituens, omnem totius Monaſterii in tam multiplicibus artibus vel officiis rem ſtrenue procuraret. Cumque poſſeſſionum monaſterii univerſa in eum cura recumberet, rarus tamen illi ad eas proceſſus: potiuſque de ipſo monaſterio quæque foris agenda eſſent, dictabat, brevique ſub tempore miniſtris evocatis, menſis aut amplius quod ipſi expletum referrent edicebat. Cum eminentior quælibet cauſa eum extraxiſſet, & ad cauſas agendas reſidere eum neceſſitas impuliſſet; id quanto citius negotia rerum patiebantur acceleratum, feſtinus, interdum quoque nec pranſus, monaſterium repetebat. Si quando foris manere res aut tempus exigeret, in quantum poterat cibi vel potus menſuram monaſterio ſolitam continebat. Nam ſtratus numquam regulam commutavit, ut plumam ſibi ullatenus, præter capiti tantum, ſubſterni permitteret: quod ex ipſo magiſtro ſuo domno EINOLDO, qui ex ipſis initiis hoc in finem uſque domi foriſque ſervavit, ut vere diſcipulus doctori regenerans, pedibus eſt ſubſecutus.

Nihil remittens ex rebus externis.

Cellerarius ut ſe gerit,

NOTA.

86. Sed & in ipſis prandiis ſæcularium cauſa plurimum gravabatur: non tamen ut quiſquam eorum hoc vel leviter perſentiret. Nam ad omnem copiam eis, quantum vellent, non deerat; & ipſe cum eis multa jucunditate & condeſcenſione ſeſe gaudentem & comem in omnibus exhibebat. Sed dum poſtmodum ſpiritualibus quibuſque colloqueretur, dolendo ingeminabat, ſe numquam ita ſæcularium converſationi, vel ad breve poſſe intereſſe, quin aliquid de conſueto ſibi modo converſationis deperderet; inſuper & rerum fratrum plura invitus expenderet. Nam ita familiariter dicebat, dum ſermocinatio aliquando incideret de fratribus res foris curantibus, quod non tam crebro eos per ſe ea agere expediret, & verbo potius miniſtris laicis mandarent, ipſique clauſtro ſe cohiberent. Nemo, inquiens, „ aliquando me magis caninus extitit, & qui plus tenaciæ argueretur; & „ revera qui parcior foris eſſet, dummodo Monaſterio totum, ut opus eſſe „ cernebam, conveheretur: ſed numquam, inquit, tantam adhibere potui di- „ ligentiam, ut quotiens cum eis comedi, non fere tanta expenderem, quan- „ ta fratribus diario conſueto ſufficerent. Cum enim quilibet, inquit, vian- „ tes, privatorum ſeu majorum, ſi qui in illa vel illa poſſeſſione quæ eſ- „ ſet monaſterii, ex Monachis adeſſet, perquirerent, & forte me ibi compe- „ rerant; ſpecie ſalutandi divertentes, non congrue inrogati menſa poterant „ ablegari: & ſic utique non poteram obſervare, ut quæque fratrum foris „ erant, vel quæque quoquo ingenio acquirebantur, integre, ut animus „ erat, monaſterio inferrentur.

in ſæcularium converſatione,

NOTA.

87 In ipſis judiciis, etſi ab aliquibus notaretur, rectitudinis vel juſtitiæ limitem nullatenus excedebat: ubi ſuperbia vel contumacia quoſdam ſupinos vel effrœnes reddiderat, dum æquata forte ceteris colla refringeret, etiamſi potentiorum patrocinia ſibi parare contenderent, nullo poterat inclinari. Ad id demum tota ſibi ſpectabat intentio, quidquid juſtitia acquireret, totum fideliter monaſterio inferre; & illud optime cavit, ne ſacculus monaſterii qualibet unquam doli vel miſerorum fraude vel calamitate contaminaretur. Æſtimaverit quiſque quod velit: hoc certa fide libere pronuntiaverim, illum & ſemper odiſſe iniquitatem, & caviſſe; & Domino greſſus ejus ſecundum eloquium dirigente, non eum illi, quantum humana patiebantur, dominatam fuiſſe: qui uſuris eum inſerviſſe, &, ſub ſpe-

Tenacitatis falſo culpatus.

Digitized by Google

AN.CHR. 973 27. Feb. cie monaſterii neceſſitatum, lucra undecumque æſtimat congeſſiſſe, ex ſuomet illum ingenio metiuntur; non quod in eo tale quid aut viderint, aut certo didicerint.

Sine fenore commodata repetit. 88. Commodabat equidem plurima, & recipiebat, cautus ne quo dolo debitorum falleretur, & ſecundum illud Perſii *,

*Immo Juvenalis Sat. 1. v. 57.

Doctus & ad calicem vigilanti ſtertere naſo.

Quod iſte meliori mutaverat arte, ut prudens diſpenſator dominicæ ſubſtantiæ, ſumma induſtria obſervabat, ne quid rerum monaſterii deperiret. Illud ſæpe de dictis beati Gregorii ad quemdam Diaconum res eccleſiaſticas curantem commemorans. Res, inquit, hæ nec meæ ſunt, nec tuæ: ita age, ut de his ei, cujus ſunt, rationem redditurus: ſi frumentum, vinum, ſal, vel quæcumque ad cibum pertinentia, ſimiliter ad veſtitum commodabantur; ejuſdem menſuræ vel quantitatis repoſcebantur, ut nihil ſupra exigeretur. Argentum pondere juſto vel commodabatur, vel commutabatur: nec ipſum, quod moneta jure extorquet, ullatenus petebatur; ſed quantum quis accipiebat aut dabat, æqua lance refundebatur.

Ægros &c. perite adminiſtrat. 89. Nam ex laboribus agrorum vel vinearum, in quibus ſumma arte præcellebat, ſummoque ſtudio erat aſſiduus, in tantam ſuppellex monaſterii copiam, ei divina cooperante gratia, exuberaverat, ut nulla eum inopiæ cauſa ad aliquid eorum impelleret, quin potius ex ipſis laboribus, cum fratribus abundanter ſupereſſent plurima venundata, quibuſcumque rebus vel in præſentibus, vel in futurum proventuris ſufficiebant. Inde & res omnis familiaris alebatur, & ornatui multa ſuppeditabant. Nec alia erant ei rerum temporalium lucra, quam opus ruris ſtrenue exercere, ſalinaſque, quæ una tantum parte regionis ipſius, quæ Vicus * dicitur, habentur, exſtruere: ut in loco eodem plures, quas dicunt, patellas, partim ex integro cum ipſis ſedibus emptas, partim quæ juris monaſterii erant, reparatas, multo uſui in poſterum profuturas paraverit, cum molendinis, fluminibus, cauſa piſcium occludendis, piſcinis privatis parandis, gregibus armentorum, pecudum, avium domeſticarum ſeu agreſtium, tum quoque ferarum alendis inſtare, ut quibuſcumque uſibus fratrum aut infirmorum, extrinſecus quoque vel præſentium, vel ſupervenientium, ad omnem ſemper copiam ſupereſſet.

* Vic

Clauſtrum ac ceteras officinas inſtaurat. 90. Magiſtris artium diverſarum undecumque conductis, primum clauſtrum muro, in modum caſtri, undique circumſepſit, quod hodieque non modo munitioni, ſed &, ſi opus ſit, oppugnationi adeſſe perſpicitur. Deinde officinis intrinſecus neceſſariis, quoniam antiquarum ruinæ patebant, dum ex novo reſurgerent, inſtitit indefeſſus. Tum demum decori domus Dei in diverſis Ornamentorum generibus ſtudium adjecit. Pallia diverſorum generum, velamina in uſus ſacros, varia indumenta, ut ſacerdotalibus miniſteriis nulla deeſſent, tum & vaſa uſibus ſacrorum, ex argento omnia opere ſolido atque eleganti paravit. Inde & tumbam Martyris * aggreſſus, tam ipſam, quam quæcumque in diverſis oratoriis erant altaria, laminis argenteis auro decenter inſignitis; ad hoc & ambonem Evangelio recitando operuit, & durabili robore compegit. Taceo coronas tam luminoſo fulgore a laquearibus dependentes, lampades locis & ordinibus tam diverſas, candelabra tantorum ponderum ac ſpecierum; ſimul cum his vaſa pæne ſine nomine, omnia argento ſolido perfecta; ad ultimum campanarum eam, quæ viſitur, & numeroſitatem & enormitatem, ceteraque operum ejus inſignia, quibus peritiſſimum ejus, ut erat in omnibus fere artibus, enituit ingenium.

Ornamenta ſacra auget.

* Gorgonii

91. Quæ utique & memoriam præterlabuntur, & ſi quæ ſuccedere poſſunt, perſequi tentavero, nec prorſus ad explendum ſufficiet pauperrimi ſermonis anguſtia, & in tantam ea exuberant copiam, ut etſi ab aliquo forſitan poſſent explicari, non ædificatoriam oblectationem, ſed, ut noſtræ mores ſcio ætatis, tædioſam omnino facerent lectionem: unde ad alia cenſeo tran-

Digitized by Google

tranſeundum. Sed ne forte quis ſupra quam res ſe habeant, in hujus viri favorem ferri nos tacite denotet, & hæc, quæ huic adſcribimus, magiſtri potius cuncta fuiſſe: id nequaquam abnuimus, immo ita eſſe plane aſſerimus. Ejuſdem enim patris & magiſtri domni Einoldi juſſionibus & ordinatione cuncta perficiebantur: nec aliquid hic aliquando temere arripiebat, niſi quod ore illius primo exiiſſet. Verum citius his occurritur, quoniam facta diſcipulorum in laudes redundant magiſtrorum. Et nec ipſe domnus Joannes ad ſe unquam quicquid egerat replicabat: ſed ſic ipſe, inquiens, juſſit, ita & exſequor: ſed non ob id iſte expers operum eorumdem merito dicetur, cui labor totus ſudavit, illo dictata tantummodo dante. Quid vero inter quoſquam hinc fruſtra cauſa contrahitur, cum inter ipſos neuter neutri quid aliquando diſconveniret invenerit? Pater ſuum eſſe quod filius; filius quicquid ipſe congrue egerat, patri reputabat: nec conjunctiora a ſæculis, Chriſto teſte, paria ſibi conveniſſe fatebor. Si creditur, fidei merces certa; ſin minus, nobis quod certo cognovimus, certo & proferre nemo obſtiterit: cum mens multa ſuggerat, & ad ſpecialia ac ſingularia quædam ipſius tangenda jam impatiens non retineat.

AN.CHR. 973

27. Febr.

Sine Abbatis juſſu nihil tentat.

92. De lege jejuniorum, quam ſibi indixerat, quia ſupra pæne prætericram, quam breviter potero prius perſtringere cupio. In ipſo mox converſionis initio totum deinceps tempus, exceptis feſtis diebus, vel occaſione alicujus inevitabilis curæ corporis, vel infirmitate, ſeu hoſpitum condeſcenſione, jejunio diſpoſuerat dedicare, quod & aliquamdiu & robore adhuc juventutis, & priſtinæ olim in ſæculo fiducia caſtigationis vivaciter tenuit, & tamquam nihil omnino gravaretur, ut leve quiddam nec fere ſentiens, agili corpore, corde, vultuque lætiore peregit. Hiſque diebus nihil præter panem ſumebat & aquam, & in ipſis quoque omni parcitate adhibita: ut non fere plus medietate panis, qui integer libra appenditur, caperet; aquæ quoque ſimiliter, ultra medium menſuræ quæ fratribus apponitur; vini vix quicquam adjiceret; ſalis, herbarum virentium, aut alicujus talium, quæ abſtinentibus non interdicuntur, quidquam penitus, nec attingebat. Hoc & ipſe domnus Einoldus, dum ipſe ſeipſum experiretur, interim permiſit: poſt aliquod deinde tempus cum eum valde perſpiceret defeciſſe, nec tam a cœpto ceſſare, ſed ultra vires contendere: moderate compeſcuit, & ut magis quod ferre poſſet, eligeret, monuit. In tantum namque jam ſeſe confecerat, ut die quadam cum fratribus ad hortum egreſſus, dum operi enixius incubuit, corde repente deficiens, citiuſque clauſtro ſe feſtinans recipere, in media via prolapſus ſit, atque inter manus deductus.

Jejunat pane & aqua contentus.

Abbatis permiſſu.

cujus juſſu poſtea modum imponit.

93. Itaque regulam tolerabiliorem aſſumpſit, ut duas tantum Quadrageſimas in anno perageret, unam ante Nativitatem dominicam, alteram ante Paſcha; priorem quidem ab Idibus Septembris, cum nona hora fratres prandium *a* repetunt, incipiens: ſequente mox ab octavis Epiphaniæ; Dominica, tertia, & quinta, communem ceteris tenens refectionem; reliquos quatuor abſtinebat dies, pane tantum & aqua, lege ipſa contentus quam diximus. Sin vero feſtus quilibet dies incidiſſet, aut hoſpites ſuperveniſſent, eoſdem quoque refectione mutabat. In ſanguinis quoque minutione, quam plus menſe differe vix poterat, curam corporis non reſpuebat. Ideo autem tanto prius tempora præveniebat, nec propinquiora ipſis ſollemnitatibus exſpectabat, ut ſi forte quemcumque dierum diſpoſitorum alicujus talium caſus præriperet, ſupereſſet ei in reliquum, quo eoſdem dies recompenſare ſufficeret. Unde multotiens cum ita contigiſſet, ut ex prædictis occaſionibus aut aliis quibuſque accidentibus, tota ſibi hebdomada, aut forte duæ, vel amplius voto explendo impedirentur; mox optata redditus libertate, numerum prætermiſſorum dierum continuata binis, aut amplioribus hebdomadibus continentia, Dominica dumtaxat vacante, cunctis qui videbant ſtupentibus vel dolentibus, inſtaurabat. Itaque ne ex votivis quadraginta diebus, illo vel illo

Duas Quadrageſimas retinens.

quas diligenter obſervat.

a Ergo antea tres obſervabat, quarum tertia erat ante Nativitatem ſancti Joannis Baptiſtæ.

AN.CHR. 973 27. Febr.

lo tempore quiſquam præteriret, callidus nimium obſervator invigilabat: Plerumque cernere erat, illum ipſa quoque preſcire futura, cum talem continuationem jejunii, tamquam ex improviſo, arripere videbatur. Nam ita ſæpenumero adverſum eſt, quod cum ſic omnis remiſſionis ignarus ferveret, ſubſequenter aut nuntio, aut aliqua inevitabili neceſſitate monaſterio progredi cogebatur. Nam quamdiu foris erat, humani diei *a* latrocinia ſollerter attendens, ſecreti ſui, cujus Deo tantum mercedem ſervabat, ſæculares arbitros eſſe cavebat. Quamquam igitur & aliorum temporum certa jejunia, aut quatuor anni temporum & ſollemnitatum ſparſim per annum .... occurrentia, ſtrenue, ſi tantum ſecum res ei eſſet, peregerit. Nam etſi gloriæ ſemper fugitans, itinere vel hoſpite ſæpe reſolvit; hæc tamen duarum in anno quadrageſimarum vota fere numquam præteriit.

(inſciis quibuſcum agebat ſæcularibus.)

(Singularitatem fugit.)

94. Reliquo anni tempore, quando ſcilicet fratrum bina refectio tenditur, communiter ſine aliqua adjectione vel diverſitate convixit, ciborum quicquid parabatur, nullam faciens differentiam, nec viliora ſibi affectans, nec lautiora detrectans. Qualitati coctionis, qua ceteris miniſtratum eſt, uſibus ſuis numquam aliquid adjici vel mutari permiſit. Panis æqualis & ſimilis, vinum ejuſdem menſuræ & ſaporis, nullo univerſalitati diverſum aliquando fuit. Feſtis diebus, quibus, quam lautius & exquiſitius fraterna jucunditas in honorem Domini vel ſanctorum poteſt, apparare conſuevit, quæcumque apponebantur, libere ſumebat. Hoc non utor, illud affer vel para, numquam ex eo auditum, ita in nullo aliquando cibo vel potu notabilis apparebat: quin & ipſe, ut talium apprime peritus, parari hæc quam lautiſſime his diebus faciebat, & nullo apparente typo ſumebat. Corpus ei pæne naturali ſemper inſolubilitate duruerat, ut difficile cibus in eo decoqueretur. Inde potiones herbarum, aut plerumque, quæ ad id facerent vel conducerent, pigmentorum libenter ſumebat. His tantum admiſſis, reliqua Medicorum tam diverſa arte confecta recuſabat. Illud certe ſummo niſu ſervatum eſt, ut vix aut numquam inebrietatem *b* aut crapulam ex quo libet præter ſolitum ſumpto cibo vel potu, deduceretur, vel unde quidquam conſueti operis rei divinæ noctu vel interdiu intermittere cogeretur. Ita & foris communiter ceteris convivari videbatur, & in ipſo convictu ſibi ſtatutam percipiendorum alimentorum menſuram non excedebat. In illud Apoſtoli, *Scio eſurire & ſatiari*, eum præ ceteris hujus temporis ſumma arte, & quadam veluti diſciplina inſtitutum & conſummatum palam enituit. Nec enim eſurie dimiſſior, nec refectione unquam apparuit elatior. Ad ſummam, pænitentiæ rigorem eumdem uſque ad finem vitæ mira perſeverantia tenuit, quodque tantum ſuperexcellit, ut a nobis quolibet ſermone expleri non poſſit. Unde his modo impoſito, ad ea quæ de exterioribus ejus geſtis ſcire potuimus, ſtilum vertamus: in quibus partim prudentia ſagacis ingenii, & robur animi virilis gratiæ ſupernæ adjuti, partim ſola divinæ virtutis operatio, ubi humana adeſſe non poterant auxilia, ſunt demonſtrata.

(Oblatis cibis utitur.) (Servata ſemper parcitate.) (Philip. 4. 12)

(Gorzienſes numero aucti penuriam patiuntur.)

95. Cum primo, ut ſuperior textus docuit, ibidem ſancti viri prompta domni Adelberonis Epiſcopi voluntate ad locum Gorziam jam dictum conveniſſent; aliquamdiu quidem ope ejus in primis ſuſtentati ſunt, quia necdum facultas ei fuerat, ut de poſſeſſionibus Monaſterii, quæ jam abhinc longe retro beneficio ſæcularium ceſſerant, eis aliquid reſtitueret. Inde cum aliqui divinitus inſpirati fama bonæ opinionis illuc confluere cœpiſſent, & ſanctæ congregationis augeſceret multitudo; res vixdum tenuis exiguum præ ea quæ tunc non tanta, nedum ad eam quæ poſt futura ſperabatur in dies magis magiſque augendam numeroſitatem pollicebatur ſtipendium. Ad hoc & idem vir ſanctus ADELBERO, regno tunc diverſis perturbationibus concitato, circa plurimas curas diſtentus, minus eis ſolito proſpicere poterat. Inde compulſi jam aliena ſolatia pæne quærere deſtinaverant: & quia ſub

a Id eſt vanæ gloriæ aut humanæ laudis, quæ dies hominis a Jeremia dicitur, & a Paulo dies humanus.

b Ebrietas nonnumquam pro ſatietate ſumitur, uti apud Joannem in Evangelio cap. 2. *& cum inebriati fuerint, tunc id quod deterius eſt*.

Digitized by Google

AN. CHR. 973

ſub idem ferme tempus OGO * præpoſitus tunc ſancti Maximini, felicis poſtmodum exempli, a ſæculari converſatione ſe reſtrinxerat, & ope Ducis GISLEBERTI *a* idem monaſterium ad regularem converſationem reduxerat; ejuſdem pio molimine Præpoſiti illo ſe tranſferre aliquantiſper aſſenſum (præbuerunt.

27 Febr. * v. num. 70.

& ad S. Maximini monaſterium migrare deliberant.

96. Verum) inter hæc domnus EINOLDUS rem fluctuantem ſaniori comprimens ratione, quadam die inter cetera exhortationis verba omnes ſic alloquitur. Scriptura, inquit, aſſerit, quia cum placuerint Domino viæ hominis, inimicos quoque ejus convertet ad pacem. Negligentiam ergo noſtram hinc advertere poſſumus, quia ſi eo, quo oportuerat, ſtudio mens nobis in divina intenderet, facile Domino fuerat virum hunc * flectere, & nobis comem & beneficum reddere, & cor ejus, ad quod nobis expediret, convertere. Pluribus deinde quæ ad ea conducerent eos exhortatus, & ut novitatis ſuæ converſionis memores qui eis tunc fervor fuerit retractarent; & ne quid nunc languidius, frigidius, ac negligentius apud ſe ageretur caute perſpicerent, ac ſi quid horum ſentirent, omni vigilantia inſtaurare contenderent; tantos repente eis animos reddidit: ut nunc ſinguli, nunc omnes in novam quamdam converſationis pugnam acriter conſpirarent. Ad conſueta quiſque & regularia, majora & productiora adjicere, ipſa licita ſponte ſibi ſubtrahere, cibo, potui, ſomno, linguæ, ſeu cuilibet corporis requiei minimum quiddam indulgere, ut tunc primum quaſi converſationis initia viderentur arripere.

Einoldi exhortatione ad novum fervorem excitantur

* Adalberonem.

97. Cum interim prædicti OGONIS Præpoſiti ſancti Maximini, Duciſque GISLEBERTI ſuaſio de migrando eos ſtimularet; & jam ferme triennio Epiſcopus loco abſtinuiſſet; forte pro viro quodam juris monaſterii, qui rebus quibuſdam epiſcopalibus præerat, Joannes Mettis advocatur: blande primum ab Epiſcopo convenitur, ne ſibi quod peteret, denegaret. Veſtra, inquit, petitio juſſio eſt. Virum illum, inquit, mihi cedas depoſco. Ille paulo commotior, ut cui mens longe alias intendebat; Exemplo, inquit, fabulæ David nunc utimini, ubi dives innumeris quas habebat ovibus parcens, hoſpiti ſupervenienti unicam pauperis ovem vi abſtractam juſſit apponi. Sic cum infinita reliquorum copia abundetis, unum hunc nobis pauperibus præripitis. Adducto ſupercilio, cum ſe ille vix aliqua animi commoti verbo ſignans indicia advertiſſet, Joannes ſe e conſpectu proripuit. Fridericus Monachus ſancti Huberti, cujus ſupra * mentio facta eſt, ſub ipſa ferme hora ingrediens, & ex vultu dejecto animum perpendens; Quid, inquit, ſupercilia vobis ſic video dependentia? (Nam hunc, ubi commotior eſſet, habitum velut naturalem ſibi induerat.) Ab hoc, inquit, inſano Joanne, ut numquam antehac a quoquam ita contemptus ſum, ut nec pro homine uno apud eum intercedere valuerim. Ille conſcius quæ extra conflabantur conſiliorum, Niſi, inquit, providebitur, proxime cunctis eis carebitis: nam cum Duce & Præpoſito, quia a vobis parum ſibi adeſt auxilii, eos jam dudum conſciviſſe cognovi, utque in ſancto Maximino traducantur ocius maturatur. Concite Joannes revocatus, & cur injuſſus abiiſſet rogatus, cum ſilentium tremebundus teneret; Non te, inquit Epiſcopus, tam animoſum credebam, nec in re tam fere nulla ita difficilem æſtimabam. Peto igitur hominem vel uſque ad aliquas inducias mihi cedas. Ille quid in cauſa eſſet intelligens (nam pactio pecuniæ intererat) Quantumcumque, inquit, jubetis? Ad quadraginta, inquit, dies: & ille: Etiam ad annum ſi placet.

Adalbero Epiſcopus Joanni iraſcitur.

* num. 55.

& placatur.

98. Non diu poſt hæc Epiſcopo quieſcenti, perſona quædam terribili ac minaci vultu apparens, hæc ſibi cum quadam auctoritate dicere videbatur: Bonum bene cœpiſti, ſed a cœptis nimis cito defeciſti. (Vide ne hæc) defectio majorum tibi cauſa ſit ruinarum: repara quæ cœpiſti, ne in deteriora pro-

Viſione territus Einoldum advocat.

a Hujus Lothatienſis Ducis crebra fit mentio apud Francicos ſcriptores, qui mortuus anno 939. perhibetur in Chronico Frodoardi. Vide infra num. 104.

AN.CHR. 973 27. Febr.

procumbas. Experrectus, & ſecum multa pertractans de opere a ſe cœpto Religionis, & tanto tempore neglecta, hanc eſſe commonitionem non ſine acri dolore perpendit. Cubiculario mox, cui Matzilino cognomen, accito, Summa, inquit, maturitate Gorziam proficiſcere, & Abbatem Einoldum huc continuo adeſſe jubeto. Ipſam forte noctem Abbas Mettim egerat, ac diluculo reditum parabat: moxque Matutinis dictis abſcedens, cum portæ civitatis acceſſiſſet, claveſque ibidem opperiretur; ecce nuntius ad ſe accerſiendum miſſus approperat, eoque viſo & ſalutato, Labore, inquit, me relevaſtis: nam ad vos huc evocandum mittebar, dominuſque vos continuo ſibi juſſit adeſſe.

99. Illo mox adveniente, reque tam repentina Epiſcopo ſtupefacto, ut ingrederetur jubetur. Salutatione invicem data & reddita, Diu, inquit, Epiſcopus, eſt quod rebus aliis obſtantibus Gorziam non veni: ſed Deo volente, animus mihi eſſet illuc veniendi. Cum maximo, inquit, vos videbimus gaudio. Præcedite, inquit, vos, & quo die ut eam videbitur reſignate. Erant nunc dies jejunii quatuor temporum menſis ſecundi *a* in craſtinum, & eis exactis ut fieret, dixit. Non opus eſt, inquit Abbas, ob hanc cauſam differri, ſed ipſe hodie præcedam, & cras vos, hora qua videbitis, exſpectabimus. Hora, inquit, tertia veniam. Craſtina profectus cum jam monaſterio propinquare cœpiſſet, loco qui dicebatur ad Crucem equo dejectus ac diſcalceatus, ſic uſque ad monaſterium pedes incedit. Exceptus, oratione facta, conventu advocato, veſtigiis eorum ſupplex proſternitur, neglectum ſui circa eos ad id uſque temporis accuſat; ſpe de ſe meliori eos deinceps recreans, veniam ſummiſſus exorat. Ea facile impetrata, villam quondam juris monaſterii, quam etiam tunc germanus ipſius Gozilinus *b* in beneficio retinebat, quæ Waringis-villa *c* dicitur, eis continuo contulit, dans mandata miniſtro, ut niſi omnes redditus integre Abbati aſſignaret, ſi quid fraudis ibi machinaretur vel doli, maledicto Dathan atque Abiron ſub Chriſti præſentia mulctaretur.

Gorziam venit.

Veniam petit, ac Waringis-villam reſtituit.

100. Poſt horam jejunii, refectione exhibita, omni cum alacritate Epiſcopo abſcedente, mox in craſtinum Abbas cum ſenioribus quibuſdam ad villam proficiſcitur poſſidendam. Cum obiter ad caſtrum, quod Scarponna * dicitur, perveniſſent hora fere tertia, equus Joannis claudicare cœpit. Quid, inquit Abbas, equus ille ſic claudicat? Ferro, ait, perdito dolet. Non ultra procedas, inquit, donec imponatur, nos his interim opperibimur. Cum ad forum concitus declinaſſet, quidam fortuito quo tenderet requiſivit. Ille paululum cunctabundus, Proderit, inquit, ſi me non celabitis. Unde ait, tu es? Ex villa Portus, inquit, erat autem hæc etiam *prædictæ* poſſeſſionis. Illuc, inquit, imus ex juſſu Epiſcopi eam poſſidere. Paucis me, ait, audite. Cenſus totus pecuniæ adhuc ibi retinetur. Nam cum proxime eum miniſtro Epiſcopi is qui collegerat attuliſſet, quia quinque forte ſolidi defuerant, niſi ſimul totum acciperet, recuſavit. Sed & annona anni præteriti adhuc recondita jacet, ipſeque miniſter partem non modicam ſuis uſibus ſequeſtravit.

cujus villæ fructus percipit Joannes,

* Charpeigne.

101. Joannes celeriter equo ferro impoſito rediens, & in aurem quæ dixerat Abbati locutus, miniſtrum Epiſcopi hora circiter quinta conveniunt, qui tunc forte apud prædium nomine Lajum cum Comitiſſa Eva *d* tunc vidua, cujus ipſe tunc Advocatus erat, morabatur, qui Albulfus vocabatur. Is mandato Epiſcopi accepto; Hodie, inquit, hic quæſo manete, cun-

a Id eſt menſis Maji, annum incipiendo ab Aprili.

b Plures fratres habuit Adalbero Epiſcopus, quos inter recenſetur apud Frodoardum in Chronico ad annum 951. Fredericus Dux Lotharingiæ: vide infra num 110.

c In epiſtola 10 Frotharii Epiſcopi Tullenſis ad Drogonem Mettenſem Epiſcopum fit mentio cellæ ſitæ in Waringiſi-villa, quam cellam a monachis Gorzienſibus, apud quos adoleverat Frotharius, jam tunc occupatam fuiſſe dicit, ut notavit Bollandus.

d Eva hæc relicta erat Hugonis Comitis, mater Odalrici poſtea Archiepiſcopi Remenſis, conſanguinea Adalberonis, ut legi in diplomate autographo ejuſdem Evæ & Odalrici filii ejus pro cœnobio S. Arnulfi de villa Lajo, *Loy*, ubi S. Arnulfus natus eſt.

Digitized by Google

cunctaque præbebo neceſſaria, donec præmittam, & condigno vos ibi honore excipiam. Quibuſdam aſſentientibus, Joannes profectionem ſine dilatione inſtimulat, ſenioribus quibuſdam dicentibus, puerilia hæc eſſe conſilia, & potius ea die ibi quieſcendum, fruſtraque eſſe abſque ullo opere laborare. Abbas, Satius, inquit, eſt properemus. Joannes celerius præcurrens, (nam non plus leugas tres aberant) refectioni habilem domum in villa ipſa præoccupat, ceteraque ad id diligentiſſime præparat: moxque horreum ingreſſus callidus omnium explorator, ut ſibi erant prædicta, ordine cuncta invenit. Cenſus collectorem continuo advocans, ne quid ex tota quam penes ſe adhuc retinebat ſumma prorſus ſit diminutum, uſque in præſentiam Abbatis & miniſtri Epiſcopi, vehementer ex auctoritate interminatur Epiſcopi. Interea Abbatem cum ſuis advenientem lautiſſime excipit. Miniſtro in craſtinum exſpectato, ab eo ſub noctem clam nuntius miſſus, cenſoremque conveniens, ut ſibi pecuniam quam pridem attulerat domino ſuo deferendam daret: ille interdictum ſibi ex verbo Epiſcopi dicens, vacuum remiſit. Condicto in craſtinum, miniſter cuncta, ut juſſa erant, exſequitur, & juri eorum integre poſſeſſionem, quæ tota centum manſuum quantitate protenditur, incolis ſacramento addictis aſſignat.

AN.CHR. 973 27. Febr.

non ſine jurgio.

102. Albulfus tacite nuntium Abbati dirigit, ut quædam quæ ex ſuo contractu ibi habuerat, ſibi reddi juberet. Cumque ſcitum eſſet nihil prorſus ejus ibi eſſe, ſed cuncta uſibus domini cedere; conſilium forte fuit, ut ſolidi decem aut quindecim pro bona ejus exſecutione darentur. Nuntius, niſi libras duas acciperet, recuſans, dominoque renuntians, Stulte, inquit, egiſti, quod offerebatur rejiciens: nam forte jam nec ad aſſem pervenit. Ipſe poſtmodum jam aperta fronte, ſua ... niſi reddantur, Epiſcopum ob injurias conventurum. Joannes, Et nos, inquit, non diffugimus, forſitan res ejus non damnis augebitur. Ille conſcius retro commiſſorum; Domini mei, inquit, eleemoſynæ in nullo obniti vel obſtare cupio. Tanta ego alias gratia ipſius mihi collata retineo, ut facile his, etiamſi plura eſſent, amoris ipſius gratia carere, quin & mei juris hereditarii, ſi quid competat, ultro velim adjicere. Ita re cuncta ſedata, partem aliquam fructuum ei ceſſerunt, & pro bona ejus poſtmodum in ſe pace ac gratia, & ut, ſicubi opus exſiſteret in ſui defenſione, eo deinceps uterentur: ex argento ſimiliter aliqua largiti ſunt.

Quædam cedit Epiſcopi advocato.

103. Simili modo non multo poſt dum fratres pro quadam proxima ſibi poſſeſſione frequentibus pulſarent precibus, difficiliſque omnino pateret effectus, remque jam deſperatam divino ſolo referrent auxilio; repente Epiſcopus Abbate accito, Quod tanta, inquit, importunitate eluctatum, tandem habere quod poſcitis, nec mihi gratiam ullam, ſed beato Petro, qui me nocte vehementer perterruit, & ut facerem coegit, rependite.

alia bona Gorziæ largitur juſſu S. Petri.

104. Tempora diſſenſionibus nimiis regnum hac illuc quoque ſibi trahente, fluctuabant. Otto, maximus poſt rerum Auguſtus, poſt genitorem ſtrenuum per omnia Regem Heinricum, prima regni tunc auſpicia ceperat: ſub quo Giſlebertus Ducatum regni Lotharii; Everardus *a* Franciæ, Auſtraſiæ, & quorumdam trans Rhenum tenebat Locorum. Tranſrhenana interim quieta manebant, noſtra varie infeſtabantur, nec jugum facile admittebant. Inde Boſo *b* quidam, filius dudum Principis Burgundionum Richardi, partem aliquam regni ſui evindicans, caſtriſque ſe continens munitiſſimis, dominatum cujuſquam prorſus reſpuerat, Victoriacum *c* Campaniæ caſtrum obtinens, inter reliqua circumpoſitorum poſſeſſiones quaſdam monaſterii Gorzienſis,

Regnorum perturbatio

a Arnulfi Bajoariæ Ducis filius, cujus interitum ad annum 943. Sigebertus revocat, at prœlium in quo caſus eſt, anno 939. commiſſum refert Frodoardus in Chronico.

b Fuit hic frater Rodulfi, qui Rodulfus capto Carolo Francorum Rex in ſancti Medardi Sueſſionenſi cœnobio coronatus ad annum 936. ſuperſtes fuit.

c Frodoardus ad annum 930. *Heribertus Victoriacum Boſoni reddit.* Locus eſt ad Icaunam in pago Pertenſi, vulgo *Vitry le Brule*. Plura de eo Frodoardus anno prædicto.

Digitized by Google

AN.CHR. 973 27 Febr.

ſis, ac ſi jure hereditario, uſurparat. Ad has repoſcendas, ſi forte apud talem virum, & pro divino timore locus precibus ullus eſſet, Joannes ab Abbate & fratribus eſt deſtinatus.

Joannes a Boſone bona monaſterii repetit.

105. Ille cui obedientia cuncta difficilia, vel impoſſibilia, facilia & poſſibilia reddiderat, per infeſta latrociniis loca, & quæ multitudini quoque eſſent formidanda, uno tantum comite ex familia ſibi aſſumpto, iter aggreſſus eſt. Dum ex improviſo adveniſſet, Comiti nuntiatus, & quidnam ferret incertum, coram intromiſſus, ubi legationem Abbatis & ſervorum Dei pro re qua mittebatur, abſolvit: illo in iram concitato, Quis te, inquit, maleficus huc adduxit? Ubi cuſtodiæ illæ meorum, ut eas ſic pertranſieris, adfuerunt? Quomodocumque, inquit, adductus ſim, huc perveni, & mandata & preces ſervorum Dei ad vos affero, ut quæ de rebus ipſorum invaſiſtis, propter amorem Dei & timorem, vel reverentiam ſanctorum ejus reſtituatis. Interrogat quæ eſſent, & audiens, omnimodis abnegat, & ut ſe cito ſummoveat imperat. At ille: Ego, inquit, ſummoveri poſſum: alii item multo noſtrorum ſunt plures & potentiores, qui ſuis vicibus ſuccedere non ceſſabunt, nec a latratibus eorum requiem, dum vivetis, habebitis. Quæ mihi, inquit, cura latratus eorum? Clamabunt, inquit, aſſidue. Ad quem rogo? num ad Regem neſcio quem tuum? num ad Ducem tuum illum Giſlebertum, quem ego, ac ſi ſervum meum, reputo noviſſimum? Pari modo & de Epiſcopo tuo eſt Adalberone, quem ipſum utique, quantum mihi virtus fuerat, juvare decreveram, qui de vitrico quoque ejus RICHIZONE, ejus *cauſa*, vindictam ſumpſi. Sed quia nunc contra me ad Giſlebertum defecit, viderit quid ei ex hoc commodi ceſſerit. Tunc Joannes, Clamabimus, inquit, ad Deum, qui æque perſonam noſtram accipiet ac veſtram.

Male habitus,

106. Ille commotior, Non hinc, ait, caballum referes vel jumentum. Poteſtati veſtræ, ait, hoc erit, & quando aliud non erit conſilii, pedes redibo: non ceteros tamen ob hoc deterrebitis. Ille jam magis accenſior; Membris jam ipſis quoque, inquit, mulctaberis. At ille, vobis, ait, id facile efficere; mihi autem non minus pœnæ.... utique non ſatis dolebo. Si oculis privabitis, magnis me curis & laboribus levabitis, quia *ſedens quietus pſal*mis & orationibus intentior eſſe valebo. Cum de virilibus ille minaretur, Maxima me, ait, ſollicitudine ſecurum reddetis. Jam fere arripi juſſerat, cum conjux, prudens ſane mulier, intervenit, & ne tali ſe infamia dehoneſtaret, ſupplex monet, ne jam nec monachis vel ſervis Dei parcere diceretur: & quia poſtulata negabat, ſaltem illæſum abire permitteret. Ita dimiſſus, & a Comitiſſa, quæ ſatis compte eum exceperat, quiddam viatici percipiens, dato ſibi ab eadem duce quodam, qui uſque ad loca a latronibus obſeſſa libere eum tuto perduceret, iter feſtinus arripuit.

accepto ab ejus uxore duce ac viatico,

107. Circa horam fere tertiam, villam quamdam ingrediuntur, ubi mercatum ea forte die habebatur: & ecce multitudo per totum forum diripientium, vendentibus atque ementibus æque ſpoliatis, mortem inſuper, ſi quid oblatrarent, minitantium. Joannes comitem quem ex monaſterio ſumpſerat, clypeum ferentem intuitus, Hic, inquit, clypeus damnoſe nobis advectus eſt, quia nec tu eo, ut expedibit, uteris, & ipſe in nos forſitan impetum concitabit. Quia tu ille, inquit, ſupra ceteros mortalium ſolus ita confidentiſſimus incedis, & merito dignaque morte peribimus: cum repente, dum hæſitant, quemdam ſibi notum dux, quem Comitiſſa dederat, conſpicatur: eo accito, cauſaque dicta, Maximo, inquit, huc periculo adveniſtis, & an vos hinc quoquo pacto expedire poſſim ignoro. Joannes ad hæc, vel trans ſilvam uſque, quæ proxima conſpicitur, nos perducere poſſis, cetera Dominus procurabit. Ita turbam prætergreſſi, gradu pacifico ac temperato ad ſilvam uſque procedunt. Freno captato, ſtimuli acrius ſubſequuntur, ac præpeti curſu ſaltu tranſmiſſo, libero jam gramine quodam cibum ſumpturi deſcendunt.

108. Joannes panis, caſei, ac piſcis quiddam ex ſubſellaria pelle producens

Digitized by Google

cens .... poſt tergo ſui ſoluto ducem ad ſumendum cibum hortatur. Inter edendum dux producto ſuſpirio, Tres aut certe quatuor, inquit, menſes ſunt, quibus nullo juſte acquiſito cibo vel potu uſus ſum, præter quo nunc utor; noſque omnes, væ nobis miſeri, nonniſi præda & calamitatibus veſcimur miſerorum. Ad hæc Joannes ſalutarem ingreſſus doctrinam, juvenem multis adverſus hæc hortabatur, multoque melius inopiam, famem, ſitimque ferendam, quæ Deus utique ut avibus vel vermibus ſublevaret, quam iis quibus Deus offenderetur inſiſtere. Tandem ad hoc ſermo proceſſit, ut ab ea die ſe ab his temperaturum promitteret. Refecti, juvene dimiſſo, Joannes dum veſpertinæ ſynaxi ſignum daretur, Gorziam pervenit. AN.CHR. 973 27. Feb.

109. Non multi interfuerant dies, ecce nuntius Comitis Bozonis Gorziam veniens, anxio dolore dominum gravi ægritudine lecto nuntiat decidiſſe, ac pæne deſperatum jacere, ſummaque prece Monachum, qui pridem a ſe receſſerat, ſibi mitti poſtularet. Protinus Joannes, Abbate jubente, celer progreditur, Comiti nuntiatur adeſſe. Dum coram veniſſet; Quando, inquit, proxime hinc digreſſus es, non tam prope mihi æſtimaveram finem vitæ poſſe ſubripere. Habeto ecce prædia quæ poſtulaveras, tantumque patronum me rerum earumdem efficite, & quicquid exinde vobis deperierit, ego auro probato repenſabo. His dictis vel actis, dum e conſpectu abiiſſet, & hoſpitio quo ſatis humane curari juſſi fuerant ſe recepiſſent; Comes ſomno quo jam per plures dies vel noctes penitus carens nimia tabe defecerat, ita repente opprimitur, ut ab hora nona uſque in ſubſequentis diei horam fere tertiam non evigilaverit. At tandem experrectus, conjugem nomine ſæpius iterato inclamitat, ſibi aliquid quod ſumat aſportet, cujus itidem jam pluribus actis diebus, nulla ei copia fuerat aſſumendi, quo ſatis delectabiliter ſumpto, iterum uſque horam fere nonam obdormiens, experrectus Joannem advocat, eumque ſalutis ſuæ recuperatorem teſtatus, honore multo deductum & pro quibuſcumque voluit præbe...... poſt paucos dies a Boſone ægrotante revocatur: qui reſtitutis prædiis ſanitatem recuperat.

110. Poſſeſſio erat Monaſterii longo jam retro tempore beneficii nomine ad Comitem quemdam palatii HAMEDEUM devoluta, qui ſimul bona monaſterii ſub precaria vel præſtaria (quam dicunt) obtinebat. Eodem obeunte in eadem poſſeſſione, quia proxima erat monaſterio, necdum funere elato, quod Mettis fuerat deferendum, ut in baſilica beatæ Virginis Mariæ, quæ dicitur ad Xenodochium, humaretur, Joanni Gorziæ eſt renuntiatum. Caſu tunc ibi Epiſcopus advenerat: Joannes cito Abbatem cauſam commonet, ordine edocens Epiſcopum interpellet. Abbas mox introgreſſus, & gravitate illa ſua paululum cunctabundus, poſt aliqua, An, inquit audieritis? Hamedeum veſtrum dicunt defunctum. Et ego, inquit, audieram. Abbas ſubjunxit: Is quiddam juris monaſterii ſub precaria detinebat, id nobis recipere liceat petimus. Omni, ait, illud libertate recipite. Abbas re Joanni relata, Quid, inquit, poſtulaſtis? Precariam, inquit. Ego, inquit, ex hoc nihil commonui: nam iſtud gratis nobis rediret; ſed beneficium ut repeteretis ſuaſi. Protinus Abbas Epiſcopum repetens; Dicit, inquit, frater Joannes, me nihil utile apud vos effeciſſe. Quid igitur? ad eum intendit; Res, ait, quaſdam menſæ fratrum proprias detinebat, quas ut repoſcerem ſtimulavit. Epiſcopus vultu toto demutatus; Vos, ait, numquam quicquam eorum tenuiſtis, & omni tempore beneficio ſunt deputata. Cauſa vero erat, quod in his difficilis videbatur, quod fratres ei plures ex matre erant, & eis, uſque ad id temporis, parum conſulere potuerat, pluribus res Epiſcopii retinentibus, quos privare nec jus, nec conſilium erat. Tanto robore ex ſuperioribus Epiſcoporum rebus fractis nitebantur! & ideo hac vel qualibet occaſione ipſis germanis quo quid largiretur exſpectabat. Per Abbatem aliqua repeti ab Epiſcopo curat. Adalberonis fratres plures quibus ea deſtinabat.

111. Huic tamen intentioni alias probati, & in rebus divinis ſpectati ſancti viri miro ordine divinitus eſt refragatum, nam Abbate reſponſo ejus pæne ab omni ulteriore .... conventu quo pridem valde oblecta .... & ſatis jucunde eis fuerat convivatus, ivit quidem, Ab hoc facto revocatur.

UNIVERSIDAD CENTRAL BIBLIOTECA DERECHO

Digitized by Google

AN.CHR. 973 27. Feb.

Reſtitutionem tandem promittit. *Gorgonii.

ſed parum ore libans protinus rediit: moxque dicto completorio, ſtratu ſe locat multa ſecum verſans, medium fere noctis inſomnio fatigatus: ubi nullo ſomnum datur adſciſcere pacto, ut moris ſibi erat, ſurgit, & orationi incumbere tentat: ſed ea adſolitis intentionis viribus ita ei reſolutior fuit, ut ſtratum accidioſus repeteret. Ibi diu ſomni cupidus diverſo lateris motu defatigatus, nec ullo effectu ejus potitus, ſurgit, arcam Martyris * petit, culpam coram ſtratus fatetur: voto res quibus de agebatur ſpondet reddendas, baculum inſuper altari ſuperponit, Hoc inquiens, Martyr ſancte, tuum tibi reſtituo. Genibus flexis orationem intentiorem numquam præterea ſe neque valentius fudiſſe profeſſus eſt. Oratione aſſurgens, ſtratum petiit, in ſomnum concite ſolvitur, & pervigilia prius inquieta, ordine poſt naturali compenſans, in nonnullam auroræ partem ſomnus protrahitur.

112. Jam ſole rubente experrectus, & hymnorum ſibi ſolito ſolvendorum memoria perturbatus, ſatiſque cauſam ſecum retractans, tandem laudes ſurgens explevit. Mox Joannem jubet acciri, quo præſente, Mala me, ait, nocte confeciſti. I, & baculum altari impoſitum cape, & poſſeſſiones quas poſtulaveras poſſide. Ille pedibus provolutus, Non, inquit, domine, ita convenit: vos paululum ut defatigatus requieſcite; & interim horæ primæ ſigno dato & celebrato, conventum fratrum adite, & non uni, ſed omnibus quod omnium eſt, dono gratuito reſtituite. Ita fiat, inquit.

113. Ecce ſolito maturius turba ſuorum diverſis ex locis convenit. Nam ipſe ibi, ut ſibi morem fecerat, duobus vel tribus clericis totidemque cubiculariis contentus, mox monaſterii januam penetraverat, cunctis ſe comitantibus ablegatis ſæcularium, extraneus morabatur. In his qui convenere, erat germanus .... Eccleſiæ cuſtode quodam incauto, ... recta cubiculum Epiſcopi quieſcentis petebant .... celerius comperit, feſtinus in occurſum venit, & quia infra .... religio fuerat, ſigno ut ſe ſequerentur dato, januam eos longe .... cuſtodi in aurem ſuſurrans ut ſtatim a tergo januam occludat. Ibi eos diverſis allocutionibus illis parum jucundis aliquantum detentos, & Epiſcopum, quia noctis incommodo dormire nequiverat, tunc tandem quieſcere dicens, ut quippiam cibi interim (nam æſtatis erat tempus) capiant monet. Illis recuſantibus, nec niſi colloquium Epiſcopi ſe quippiam velle dicentibus, Satius, inquit, id eſt, dum ipſe jam ſolitis ſibi rebus expletis copiam ſe conveniendi exhibeat. Ita eos demoratus, & concite parata guſtatione implicitos, ipſe intro regreſſus ſignum pulſat. Prima dicta pſalmiſque ſollemnibus, in Capitulum Epiſcopus invitatur. Nonnulla, pro tempore, fratribus exhortatione facta, fratres rem jam partim edocti, poſtulationem rerum faciunt prædictarum: quibus in nullo abnuens, baculumque prætendens; Habeat quod ſuum eſt Martyr beatus, voſque mei memores habetote.

114. His peractis, mox qui convenerant irrumpentibus, vehemens ſibi a germano fit ſuper rebus eiſdem vexatio. Jam monachis ea reddita reſponſo, multis ille inſuper inſtare, & Monachis omnia undique abunde ſufficere, ſuis magis eum debere conſulere. Ubi nihil proficit, & Epiſcopus cibo cum fratribus ſumpto progreditur; iterato ab ipſo limine monaſterii per totam viam uſque vadum fluminis ſuper his ſermo repetitur. Jamque vadum ingreſſurus, cum multo jam tædio afficeretur, Fruſtra, inquit, nitimini. Vere ſi mediam partem Epiſcopatus ipſis monachis conceſſiſſem, nec paſſum pedis eis propter quempiam veſtrum auferrem. Plura ſunt alia, quæ quoties opportunitas tulit, Joanne interveniente, monaſterio multis jam temporibus abalienata recepta ſunt .... endum accedamus.

Legatio Regis Maurorum ad Ottonem.

115. Legatio Regis *a* .... inſigniumque factorum in gentes diverſas, tunc jam magni .... domni OTTONIS perciti, forte cum muneribus pro regia munificentia .... Legati, quibus Epiſcopus quidam præerat, dignitate ſol-

a Is eſt Abderramen ſeu Abderrahmanus, qui apud Mauros in Hiſpania regnare cœpit anno Arabum trecenteſimo, id eſt æræ Chriſtianæ 912.

AN.CHR. 973 27. Feb.

ſollemni pro tanta Majeſtate excepti, diuque retenti. Inter moras Epiſcopus qui Legatis præerat, mortem obit. Dum a noſtris qui item eo remittantur diſquiritur; poſt nonnulla aliquamdiu tracta conſilia, id demum convenit, ut quia idem Rex ſacrilegus & profanus, utpote Sarracenus, & a vera Fide prorſus eſſet alienus; quique, quamvis amicitiam expeteret Principis Chriſtiani, in litteris tamen quas miſerat, blaſphema nonnulla in Chriſtum evomuerat, cum ſcriptis imperialibus quæ ferrent, vocem quoque ſuam ipſi aperire, & ſi quo pacto divinitus daretur, immutare poſſent perfidiam.

cum epiſtolis convicorum plenis.

116. Forte ſub ipſos dies, Adalbero noſter ſacræ memoriæ palatium adierat. Bruno *a* magno ac felici poſtmodum futurus uſui & decori, germanus Regis, ſapientia & prudentia cum rerum publicarum, tum omnium liberalium eruditione diſciplinarum ita apprime eruditus, ut ſui temporis omnes ſuperaret, & antiquos pæne æquipararet; cui inſuper & græcæ lectionis multa acceſſerat inſtructio; omnium tunc temporis publice ac privatim agendorum communicator, ac prudentiſſimus erat conſultor, eique imperialium data provincia litterarum. Is, varie ceteris conſultantibus, noſtrum Adalberonem ſacræ memoriæ nominat Epiſcopum, nullique aptius id negotii ſic addit poſſe injungi: quia ipſe plurimos perfectorum virorum haberet, quos humanis nequaquam ceſſuros terroribus ſatis conſtaret, utpote ſæculo jam defunctos, & libero pro Fide coram quibuslibet poteſtatibus ore locuturos. Convenitur continuo Epiſcopus, & ut duos ſuorum idoneos legationi Hiſpaniarum paret, imperatur. Mandatis acceptis, Abbatem Eginoldum advocat, regia mandata inſinuat, ſuorum duos diſquirat qui imperata perficiant. Lecti primum duo Angilramnus & Wido, regiæque .... ſumptus, & copiæ parantur itineris, ad hoc & quo ..... partium Hiſpanarum qui eos juſſus erat deducere mora ..... cum ecce præfatus Wido, alter delectorum, die quadam pro qua neſcio negligentia in conventu fratrum increpitus, in tantæ aſperitatem proterviæ tam in Abbatem, quam in univerſum erupit collegium, ut ad ultimum cum tumor nimiæ animoſitatis & inſaniæ in eo nequaquam reprimi valuerit, nec regularem pati diſciplinam aliquatenus acquieverit, demptus cucullo, monaſterio *b* pelleretur. Id Imperatori continuo nuntiatur: juſſum illum abradi, aliumque pro eo adſcribi.

Legati duo, ambo Gorzienſes monachi, eliguntur.

quorum uno extra monaſterium ejecto,

117. Cum diu is quæreretur, omneſque prorſus refugerent, nec in tanta congregatione quiſquam inveniri poſſet, qui ſe id aggredi ullo modo poſſe fateretur; Joannes repente nihil cunctabundus ſe ultroneus offert. Abbate aliquantulum ægre ferente, quod, in eum tota re Monaſterii incumbente, grata quiete ipſe potiebatur, eo numquam, ſi eſſet poſſibile, abſtinere pateretur: vicit tamen perfectio charitatis, quæ non quærit quæ ſua ſunt, ſed potius quæ aliorum; ſimul quia videbat virum cupidum eſſe martyrii, ſi fors ita tuliſſet, Chriſto potius tranſmittere, quam ſuis optavit neceſſitatibus retinere. Ita aſſenſus Imperatori, ex legatione Epiſcopi Joannes dirigitur. Imperator multo hoc amplius delectatus, quem ætate & prudentia ad id negotii omnimodis idoneum advertebat, mandata cum litteris ſeu muneribus Imperatoris ei committit, prædictumque Virdunenſem, cui nomen erat Ermenhardo, ſocium ob locorum regionumque notitiam facit, cui munera tradi Joannes expoſtulat: ipſe litterarum tantum bajulus fit. Rediens Gorziam iter ocius accelerat, poſthabitiſque ſocii procraſtinationibus, ipſe litteras ſecum habens, omnium ſanctorum precibus commendatus & votis, proficiſcitur. Sumptus omnis ex monaſterio ei factus: miniſtri

Joannes ſeſe offert ſpe martyrii.

a Bruno, Ottonis Imperatoris I. frater, primum Abbas, quo nomine ſubſcripſit Synodo Virdunenſi anno 947 apud Frodoardum in Chronico, dein Epiſcopus Colonienſis atque Dux, ex eodem, ad annos 954. & 957. De Brunone ſæpius ſupra, maxime pag. 333.

b Vigebat hæc apud veteres monachos conſuetudo, ut incorrigibiles, aut etiam contumaces e monaſteriis expellerentur. S. Benedictus in Regulæ ſuæ cap. 28. *de iis qui ſæpius correcti non emendantur*, ſtatuit, ut in eos *utatur Abbas ferro abſciſſionis, ne una ovis morbida omnem gregem contaminet*, & de Præpoſito cap. 65. *ſi quietus & obediens non fuerit, de monaſterio expellatur*. Quamquam Synodus Aquiſgranenſis eam legem ad carcerem redegit anno 817.

Digitized by Google

AN. CHR. 973 27. Feb. Monachus tantum unus Garamannus vocabulo, ordine Diaconus, bonæ per omnia indolis ad .... quinque ſunt delegati, ſocius .... vico quodam non multum a Tullo diſtante, qui inde.....

Acceptis epiſtolis proficiſcitur, arrepto per Gallias itinere,

118. Inſequitur hinc Lingonas, Belnam, Divionem, Lugdunum, (& Viennam) verſus intendunt, ubi ſarcinis navi impoſitis, Rhodanoque uſque ad certum locum vehendis, diſpendium perpeſſi non modicum (nam navibus invaſis plura ſuorum amiſerant) poſt quædam recepta, Hiſpaniam tendit. Barcinonam venientes, quindecim diebus morantur, donec nuntius Tortoſæ miſſus eſt. Ea prima Regis Sarracenorum erat. Dux continuo eos properare reſignat, exceptoſque menſe integro detinet, atque ad omnem copiam procurat, donec velocius Regi Cordubæ nuntiati de exceptione eorum per ſingulas civitates vel loca digne regia mandatum eſt honorificentia. Tandem Cordubam regiam urbem deducti, a palatio domus quædam duobus fere millibus diſtans eis eſt delegata: ubi regifico luxu, omnibus etiam præter uſum exhibitis, per nonnullos dies coacti ſunt remorari.

Cordubam venit.

Non ſtatim ad Regis colloquium admittitur.

119. Cum jam morarum tæderet, curque præſentia Regis tamdiu retinerentur, ab his qui ſe procurabant, diſquirerent; dictum eſt, quia nuntii prius miſſi a Rege noſtro, triennio erant detenti, ſe ter tantum, id eſt novem annos, condictum eſſe aſpectu regio abſtineri. Interea quidam ex palatio illuc viros viſum venientes, cauſamque adventus eorum percontantes, dum callide cuncta explorant, nihilque ab eis certi acciperent, qui ſibi niſi præſenti Regi mandata cuiquam edicere fas nullo modo eſſe dicebant. Illi jam cuncta ſe percepiſſe jactabant, & quia contra leges ipſorum litteras Regi afferrent, ultimumque eis ſine dubio inſtare periculum, quia & ipſæ jam litteræ in notitiam Principum deveniſſent, & revera, quamquam dolo contigerit, ita erat. Nam a civitate Tullo noſtræ provinciæ, comitem Epiſcopi legati defuncti, de quo dictum eſt, quemdam ſecum presbyterum aſſumpſerant, qui toto deinceps itinere eis in omnibus communicans, cum Tortoſam, quæ prima erat regni Sarracenornm, veniſſent, metuens vitæ, ſi eum comes legati defuncti ..... fido ſibi poſcens monſtrari citius excip........ Auguſtæ & reliquis civitatibus, ubi ter ...... remorantibus, ipſe Cordubam præcedit cum litteris .... notuerint parum cognitum fuit. Ceterum rumor optima .... lumque commovit.

120. Itaque primates inter ſe conſilio habito, & utrum in notitiam Regis ea jam venerint diſquirentes, ubi parum id compertum habent, per ſe Regem ſtatuunt ſuper hoc perquirendnm. Lex enim tam improvocabilis eos conſtringit, ut quod ſemel antiquitus omni ei genti præfixum eſt, nullo unquam liceat modo diſſolvi; parique modo Rex populuſque tenentur innexi, omniſque tranſgreſſio gladio feritur. Si quid ab inferioribus, Rex; ſi quid Rex ipſe commiſerit, cunctus in eum populus animadvertit. Eis in legibus primum dirumque eſt, ne quis in religionem eorum quid unquam audeat loqui: cujus, ſi ſit extraneus, nulla intercedente redemptione, capite plectitur. Si Rex ipſe audierit, & in caſtrinum gladium retinuerit; ipſe morti addicitur, nec ulla intervenire poteſt clementia. Primoribus ergo illis palatium petentibus, cum Regi ſuper hoc per nuntios ſuggeſſiſſent, (nam acceſſus ad eum ipſum rariſſimus, & niſi maximum quid ingruerit nullus: tantum litteris per Sclavos Cubicularios omnia perferuntur) ille nihil eorum ad ſe perlatum reſcribit: amici legatos ſibi miſſos, eoſque filium ſuum in domo propria percepiſſe, necdumque, ſi quid afferrent, reſciiſſe: ita tumultus illorum ſedatus eſt. Nam pro certo jam rumor ad eum venerat, & miſſis clam nuntiis vera eſſe compererat: ſed timore ſuorum taliter rem omnem ſuppreſſerat.

Saracenorum leges populos ſimul & Reges obligant.

Prima eſt de religione.

121. Rex undique meticuloſus ancepſque, periculum ſibi poſſe imminere conſiderans, artibus omnis generis quæ evadat pertentat, & primo quidem Judæum quemdam, cui nomen Haſdeu, quo .... ſe vidiſſe aut audiſſe noſtri teſta .... qui de omnibus ab eis ipſis penitus exploraret. Is...

Quæ apud Saracenos cavenda.

Digitized by Google

Is....... diſperſum fuerat, regii eum bajulum eſſe mandati..... rimo, quo ſollicitabantur metu eum erigit, nihilque mali quemquam eorum ibi paſſurum, ſed cum honore patriæ remittendos edicit. Multa de ritu gentis, & qualiter ſe coram eis obſervare deberent commonuit. Ipſi juniores a quibuſcumque vanis laſcivis motibus, locutionibuſve compeſcerent, nihil tam parvum fore, quod non mox regiæ notitiæ perferretur. Si copia ſibi egrediendi pateret, ne qua ſcurrilitate feminis, ſaltem nutu, ſe applicarent: nullam ſibi peſtem truculentiorem futuram: legem ſibi propoſitam nullatenus excederent, quo nullo obſervatius notarentur, deprehenſique nihili penderentur. Joanne ad ea, prout competebat, reſpondente, atque acceptiſſime monitorem ferente, ſuoſque ex contrariæ partis homine ſuffundente, poſt plura invicem conſerta, pedetentim Judæus cauſam ingreditur: quid miſſi ferant ſollicite diſquirit. Dum paululum cunctari videt Joannem, (nam tunc ſecreto inter eos agebatur) ſui dat fidem ſilentii, immo, ſi opus ſit, tuti opem conſilii. Joannes cuncta ordine digerit, dona Regi miſſa, epiſtolam præterea auribus Regis inferendam: abſque ea neque dona exhibenda, neque præſentiam ſibi Regis fas eſſe conveniendam; ſententiam ſimul epiſtolæ verbis aperit. Periculoſum, inquit Judæus, cum hac Regem videre: cauti certe ſitis, quid nuntiis vobis miſſis Regi reſpondeatis. Legis enim ſeveritatem jam vobis innotuiſſe non dubito, eique declinandæ prudenter oportet conſulere.

AN. CHR. 973. 27. Febr.

122. Illo tunc diſcedente, poſt aliquot menſes, Epiſcopus quidam JOANNES ad eos miſſus eſt, qui poſt multa mutuæ confabulationis rogata & reddita (ut fit inter Fideles) colloquia, mandatum Regis ſubinfert, ut cum muneribus ſolummodo in conſpectu Regis adveniant. Quid ergo, Joannes ait, de litteris Imperatoriis? Nonne earum maxime cauſa directus ſum? quia ipſe blaſphœmas præmiſit...... deſtruentibus confutetur. Ille ad hæc temp........ait, ſub qua conditione agamus, peccatis ad hæc devo......... ditioni. Reſiſtere poteſtati verbo prohibemur Apoſtoli tantum...... ſolatii quod in tantæ calamitatis malo, legibus nos propriis uti non prohibemur..... diligentes, Chriſtianitatis viderint obſervatores, colunt, & amplectuntur, ſimul ipſorum convictu delectantur, cum Judæos penitus exhorreant. Pro tempore igitur hoc videmur tenere conſilii, ut quia religionis nulla infertur jactura, cetera eis obſequamur, juſſiſque eorum, in quantum Fidem non impediunt, obtemperemus. Unde tibi multo ſatius nunc de his reticere, & epiſtolam illam omnino ſupprimere quam ſcandalum tibi tuiſque, nulla inſtante neceſſitate, pernicioſiſſimum concitare.

Epiſcopo ſuadenti ut Epiſtolas Ottonis ſupprimat, reſiſtit.

123. Joannes paululum commotior, Alium, inquit, quam te, qui videris Epiſcopus, hæc proferre decuerat. Cum ſis enim Fidei aſſertor, ejuſque te gradus celſior poſuerit etiam defenſorem; timore humano a veritate, prædicanda nedum alios compeſcere, ſed nec te ipſum oportebat ſubducere; & melius omnino fuerat hominem Chriſtianum famis grave ferre diſpendium, quam cibis ad deſtructionem aliorum conſociari gentilium. Ad hoc, & quod omni catholicæ Eccleſiæ deteſtabile eſt & nefarium, ad ritum eorum vos audio circumciſos, cum fortis ſententia Apoſtoli reclamet: *Si circumcidamini, Chriſtus vobis nihil proderit*: itemque de cibis, quos gratia communionis eorum abominamini: *Omnia munda mundis*, &, erunt doctores vaniloqui & ſeductores docentes illa & illa, & inter cetera *abſtinere a cibis, quos Deus creavit percipere cum gratiarum actione fidelibus*: &, *ſanctificatur enim per verbum Dei & orationem*. At ille: Neceſſitas, inquit, nos conſtringit, nam aliter eis cohabitandi nobis copia non eſſet: quin & a majoribus, longeque antiquis traditum obſervatumque ita tenemus. Numquam, Joannes inquit, id approbaverim, ut metu, amore vel favore mortali tranſgrediantur ſtatuta........ deflexos nobis nunc pio auctori........ vobres fuerit conſenſus cum dolore non neque am........... qua amorem facere videmini regni cælorum, quoniam

Objurgat quod Saracenorum ritus ſequatur.

Galat. 5. 2.

Tit. 2. 15.

1. Tim. 4. 3.

Digitized by Google

AN.CHR. 973 27. Feb. niam eis vos .... fatemini mihi procul his neceſſitatibus. Chriſti gratia libero ſi .... miſerante ſtat animus, quod nullo terrore, allectione vel gratia ab his quæ Imperatoriis ſuſcepi mandatis deflectar. Nam nec ſine epiſtola imperatoria, nullis inde demptis vel commutatis uſque ad unum apicem litteris, eum conveniam: & ſi quid contra ea quiſquam oblatraverit, quæ ſanæ & catholicæ Fidei ferimus, & diverſus ad hæc aſſerta obvenerit, palam reſiſtam; nec ipſius amore vitæ, ab atteſtatione veritatis diffugiam.

Rex eum variis modis tentat. 124. Hæc Regi clam nuntiantur. Nam necdum illa publice a Rege, quibus item publice reſponderet, mandata directa fuerant: ſed Epiſcopus ille diſquirendi tantum gratia advenerat. Rex callidis, quibus omnibus mortalibus præſtare dicebatur, conſultationibus, mentem hominis modo hac, modo illac attentare excogitat: & tamquam muro prævalido diverſa arte impulſis machinis, ita firmitatem pectoris ejus, ſi quo pacto daretur, certat concutere. Cumque poſt menſem aut ſex vel ſeptem hebdomadarum ſpatium, ei regii nuntii mitterentur, atque ex ipſo quid apud ſe præfinierit quærerent, nihilque immutatum a primis initiis renuntiarent: Rex miraculo tantæ conſtantiæ in diverſa agebatur; & primo quidem terrere eum plus metu Chriſtianorum, qui Hiſpaniæ Chriſtianis interitum minatur. regno ejus libere divinis ſuiſque rebus utebantur poſſe credens; die quadam, quæ Dominica erat, ei epiſtolam plenam minarum miſit. His enim tantum diebus Dominicis, aut ſi quæ feſta noſtræ Religionis erant, maxima Natalis Domini, Epiphaniorum, Paſchæ, Aſcenſionis, Pentecoſtes, ſancti Joannis, Apoſtolorum, aut nominatorum erant ſanctorum, ad eccleſiam proximam, quæ erat in honore ſancti Martini, permittebantur accedere: cuſtodibus hinc inde duodecim, quos ſagiones vocant, ſe deducentibus. Cum ergo ea Dominica ad eccleſiam proceſſiſſet, in ipſo itinere epiſtola ei porrecta eſt; & quia chartæ magnitudo, (nam quadra pellis vervecis erat) .... ne ſacrorum quo tendebat avocaretur, interim diſtulit .... ad diverſorium remearent. Ut revolvit, terrentia quædam .... poſſent invenit, nec unquam alias ita ſe ullis terroribus percitum.....

125. Poſt multa, quæ ei niſi juſſis Regis aſſentiretur, comminabantur, quibus tamen nullo modo ſe motum fuiſſe teſtatus eſt; ad hoc ultimum inſertum eſt, quod ſi ipſum interimeret, nullum in tota Hiſpania Chriſtianum vitæ relinqueret; ſed omnes gladio trucidaret. Addens, Hoc cogita, inquit, quot animarum propter te interfectarum apud Deum reus eris, qui niſi contentione tua, a quo pacem & ſalutem magis ſperare debuerant, nullo alio reatu peribunt, quique pro eis quæcumque velles obtinere a nobis poſſes, ſi non tanta obſtinatione nobis adverſus perſiſteres. His in ipſa, qua ab eccleſia hoſpitium repetebant, via tacite perlectis, dum magnis animi æſtibus aliquamdiu agitatur, ut vel quid contra ea conſilii caperet, vel qualiter ad hæc Regi reſcriberet, quia non ſatis litteris reſpondendi uſum habebat, repente ſententiæ illius cælitus, ut ſæpe nobis fatebatur, memoria menti terrorem Pſalm. 54. 23. omnem metumque protrivit: *Jacta*, inquit, *in Domino curam tuam*, & alterius: *Quis fecit os hominis? nonne ego?*

Sed irrito conatu. 126. Mox hoſpitium ingreſſus, frater Garamanne, inquit, ocius pellem, in qua quicquid eloquar adſcribas, para. Illo ſtatim exhibente, quadram exſectam ut ſumeret imperavit, calamoque parato ſedenti exorſus ſcriptoris velocitatem tanta verborum copia vicit, ut ſæpenumero ſcriptor, dum plurima jungerentur, ſe non poſſe excipere quereretur. Erat enim idem Garamannus ejus artis elegantiſſimus, atque aſſuetiſſimus. Primo ordine ad ſingula reſpondit: ſe legatum miſſum præceptis Imperatoriis fidem inviolatam ſarvare; non ſibi fas eſſe, ut cui tanta Majeſtas litteras ſuas, & eas non ſignatas crediderit, ſine his faciem ejus, cui directus ſit, videat, aut abſque ipſo in Regis, cui miſſæ ſunt, recitentur conſpectu; ſi ſic patiatur, ſe in nullo regio honori defuturum: quia .... aliter univerſa potius ſe.......quam extra ea quæ ſibi indicta eſſent, vel quantum ea .... exceſſurum. Et ſicut ſuperioribus

AN·CHR 973 27. Feb.

ribus jam ſe itidem terrentibus reſpond....... ſi etiam particulatim cuncta ſui corporis membra, a minimis articulis uſque ad ſumma vitalia, quotidianis reſectionibus decerperentur. Nam non majorem unquam cruciatum inferri poſſe, quam ſi hodie hoc articulo digiti, cras altero, inde per dies ſingulos ſingulis, inde brachio, armo, poſt femore, crure, pede præciſis, poſtremo truncus reliquus fodiatur: non eo tamen ſe territum aliqua ratione ceſſurum; ſe quoque ſatis compertum habere ex relatione anteriorum ſibi miſſorum, ipſum Regem jam advertiſſe, quod mori non nimis ipſe timeret, ideoque ſuperfluum eſſe eo ſe velle terrere, quod ipſe leviſſimum reputaret. Jam quod ſcripſerat, ipſo interfecto, nullum in tota Hiſpania reliquum facere Chriſtianum, ſibique reatum tantæ ſtragis a Deo imputari: id longe aliter ſe habere, nec ſe cauſam eſſe cædis ipſorum; ſed malitiam, crudelitatemque iræ ipſius, ipſoque pœnas interfectorum luente, ſibi cum ipſis interemptis, Chriſto propitio, vitam meliorem ſuccedere. Cum tamen id quoque Deo facile eſſet commutare: & ſicut Mardocheus quondam mandaverat Heſter, Si nolueris nunc intercedere, forſitan per aliquam occaſionem liberabuntur Judæi, & tu & domus tua peribitis: ita & nunc Deum facere nihilominus poſſe, ut poſtquam omnia ab ipſo Rege eſſent promulgata, jamque ipſis cervicibus gladiis, novo & inopinato ordine, ſuis Dominus ſubveniret. Quocirca hujuſmodi ſe minis vel terroribus noſſet nullatenus permoveri; quia qui Mardocheum a ſuperbia Aman conſtantiæ tenacem miro ordine eripuerit, ipſe ſibi, quia non proterviæ ſed obedientiæ cauſa intereſſet, quoquo pacto ſibi placitum videretur, non deeſſet. Hujuſmodi ſententia verbis plurimis aucta, atque teſtimoniorum competentium robore hinc inde præfulta, paginæ totius campum implevit, nec prius ori dicenda defecerunt, quam ſcriptor impleta membrana nihilípereſſe confeſſus eſt.

127. Hæc Regi perlata non in iram, ut prius mente .... Jam pridem enim a ſuis, quibus res noſtræ jam fuerant pervulgatæ, abſti....... Imperatori noſtro obluctari tentaret. Eum bellicoſiſſimum multarumque gentium victorem .... injurias omnes præcipue legatorum, quo numquam alias ſeveriore animo repetiturum, ac plurimorum copiis regnorum coactis, Hiſpaniam totam, poſtquam variis calamitatibus vaſtaviſſet, forte tandem jure victoris ſibi ſubjecturum. Pluribus ita jactatis, quidam forte ſuggeſſit, ut quia vix ille tantæ videbatur conſtantiæ, ac non minoris arbitrari poſſet prudentiæ, quem etiam tanti temporis mora in lege ſua tam fixum monſtraſſet, ac proinde nihil fidem mortalibus non denegaret: is ipſe ſuper hoc, quid facto ſibi opus eſſet, conſuleretur. Ita nuntiis ſe convenientibus, poſtquam ultima hæc mandata percepit, Tandem, inquit, ſapientiore conſilio rem tractaſtis, ſi mox initio id eſſet quæſitum, non tantas vobis & nobis tædii & anxietatis moleſtias tot ſpatia temporum protraxiſſent. Nunc citum id facile exſtat conſilium: mittatur domino noſtro Imperatori legatio a Rege veſtro, ut mihi quid de commiſſis agere debeam deſcribat: ejus litteris iterum viſis ad univerſa obediam.

conſulitur Joannes quid facto opus ſit.

Cenſet ad Ottonem legatum mittendum.

128. His Regi nuntiatis, acceptoque conſilio, ut a prudente ſuggeſto, quæri jubetur, quis iter tantum vellet aſſumere: cum rarus, aut fere nullus palam ſe proferret, propoſitumque eſſet, ut quiſquis illuc iret, honore quovis petito, & cujuſcumque generis muneribus, rediens potiretur. Tandem exſtitit inter palatina officia RECEMUNDUS [a] quidam adprime catholicus, & litteris optime tam noſtrorum, quam ipſius, inter quos verſabatur, linguæ arabicæ inſtructus: qui tantum in regia habebat officii, ut diverſorum pro neceſſitatibus, ad palatium concurrentium, cauſis extra auditis, (quia lit-

Recemundus Epiſcopus id muneris ſuſcipit.

[a] Recemundum hunc, Bollandus eſſe cenſet Raimundum ſive Ragemundum, Liberitanum ſeu Illiberitanum Epiſcopum, cui ſuam hiſtoriam rerum *ab Europæ Imperatoribus & Regibus* geſtarum dedicavit Liutprandus Ticinenſis eccleſiæ Diaconus, qui tunc in Germania apud Ottonem exſulabat, cum Recemundus eo a Mauro Legatus venit.

AN.CHR. 973 27. Feb.

litteris omnes ibi querimoniæ vel cauſæ ſignantur & reſignantur) hic notata inferret, itidemque reſponſa ſcripta referret; pluresque eidem alii erant officio delegati .. Is trepidationem ceterorum advertens, ſibique tempus forte oblatum nonnulla adipiſc.......... quæ erat merces viro qui vendi..... nam ita ſollemne eis verbum, ut quoties ſummo quo li....... quis deſtinatur, ita ei dicatur: Vende mihi animam tuam: ſi ſoſpes exierit, quam ampliſſime muneratur. Hoc Recemundo quærenti reſpondet, quicquid poſtulatum ab ejuſmodi eſſet conferendum. Ille tantum veniæ ſibi dari petens, ut cum nuntiis concluſis ſibi copia eſſet loquendi, poſt utrum tentare deberet, ediceret.

129. Hoc ei conceſſo Joannem conveniens, mores & inſtituta patriæ noſtræ follicite diſquirit; Imperator cujus eſſet clementiæ, quantæ moderationis in ſuis, utrumne præceps in iram, & an in ſemel prolatam irrevocabilis ſententiam; multaque ejus generis: tandem ſi ſibi eſſet fiducia regiam ei legationem proferre, ne forte vicem tanti temporis, quo ipſe Joannes ibi detentus fuerat, ipſe qui mittebatur exſolveret. Joannes omnia bene proceſſura cito reſpondens, omni liberum reddit trepidatione atque formidine, gaudiis & gratulationibus obviis magis ubique excipiendum confirmat: ſe epiſtolam Abbati ſuo miſſurum qui illum magnifice exciperet, & tempore quanto cuperet teneret, atque curaret, donec Epiſcopo exhibitum, aut cum ipſo, aut cum legatione ejus ipſe Abbas imperatoriis eum conſpectibus cum pace & gratia præſentaret. His ille allectus palatium repetens, ſe, ſi ſibi quæ poſtulet dentur, itineri devovet. Eccleſia forte aliqua vacua recens erat Epiſcopo: hanc munus ejus petit laboris. Facile obtentum: atque ex laico Epiſcopus repente proceſſit.

Ab Adalberone benigne excipitur.

130. Inde ſumptu regio ac litteris inſtructus, Gallias ocius petit, atque in decem ferme hebdomadibus Gorziam venit. Ibi gratulantibus cunctis exceptus, ac per multos dies in urbe a ſancto Pontifice Adelberone invitatus, & aliquot cum ipſo manens diebus, jucunde admodum habitus eſt. Inde loca quæque ſua cum eo inviſens, quia menſe Auguſto jam præcipiti venerat, autumnum & hiemem ſecum tranſegit, donec Dominici Natalis feſto tranſacto, qualiter Imperatori dirigeretur eſt ordinatum ....interim procuranda manſerunt. Inde circa feſtum ſanctæ (Epiphaniæ) ad eodem venerabili Pontifice comitante ſimul Domino...... honorifice in palatio Francone furdæ ſuſcipitur,.....fide Legati, atque conſtantia ſummo laudata præconio litteræ mitiores....... nantur: Joanni de prioribus ſupprimendis reſcribitur, tantum cum donis procedat, amicitiam, pacemque de infeſtatione latrunculorum Sarracenorum quoque pacto conficiat, reditumque maturet edicitur.

Joannes nova mandata accipit.

Novis denuo muneribus perferendis atque mandatis, Virdunenſis quidam, cui DUDO vocabulum, deſtinatur. Ita Hiſpanus Gorziam redit...... ibique ſacræ Quadrageſimæ majore parte exacta, circa Palmarum diem cum legato Imperatorio proficiſcens, Junii menſis principiis Cordubam venit. Cumque mox cum novo nuntio regiam vellent irrumpere, Rex, Nequaquam, inquit, ſed qui litem tanto tempore protraxerunt, cum prioribus primum procedant muneribus vel mandatis. Inde ſecundi ordine inferantur. Nec hi omnino faciem meam videbunt, niſi prius Monachum illum tanti temporis pertinacem adeant, & patriæ charorum, Regis ſui, mandatorumque ipſius oblectatione lætificent.

Regem convenit, ſolo Monachi habitu indutus.

131. Ita cunctis expletis, Joannes (trium) jam fere annorum clauſtris ſolutis, regis mandatur apparere conſpectibus. Cum a legatis ei diceretur, ut crine detonſo, corpore loto, veſte lautiore ſe appararet, uti regiis conſpectibus præſentandum; illeque renueret: rati illi non ei veſtium mutatoria ſubeſſe; Regi nuntiant. Ille mox decem libras ei mittit nummorum....... quibus decenter oculis Regis indueretur, conquireret. Non enim faseſſe gentis, ut vili habitu regiis aſpectibus præſentaretur. Joannes primo cunctatus utrum ſuſciperet, tandem cogitans uſui pauperum id melius eſſe expendi, gra-

Digitized by Google

gratias munificentiæ regiæ reddit, quod ſui tam ſollicitus eſſe dignatus ſit: deinde reſponſum Monachi dignum ſubjunxit: Regia, inquiens, dona non aſpernor, veſtes vero alias præter quam qu........ prorſus me...... coloris.... aliquatenus........ Hoc Regi relato.......... conſtantem animum cognoſco. Sacco quoque indutus ſi veniat,.............. videbo, & amplius mihi placebit. AN.CHR. 973 27. Febr.

132. Poſt hæc die præfixa, qua præſentandus erat, apparatus omni genere exquiſitus ad pompam regiam demonſtrandam exſeritur. Viam totam ab hoſpitio ipſorum uſque ad civitatem, & inde uſque ad palatium regium, varii hinc inde ordines conſtipabant. Hic pedites haſtis humo ſtantes defixis, longe inde haſtilia quædam & miſſilia vibrantes, manuque criſpantes, ictuſque mutuos ſimulantes. Præter hos mulis quidam cum levi quadam armatura inſidentes; deinde equites calcaribus equos in fremitu & ſubſultatione varia concitantes. Mauri præterea in forma inſolita noſtros exterrentes, ita variis proludiis, quæ noſtris miraculo arbitrabantur, itinere nimium pulverulento, quem per ſe ipſa quoque temporis ſicci (nam ſolſtitium erat æſtivum) ſola concitaret, ad palatium perducuntur. Obvii proceres quique procedunt: in ipſo limine exteriori, pavimentum omne tapetibus pretioſiſſimis aut palliis ſtratum erat. Honorifice ad Regem jacentem deductus.

133. Ubi ad cubiculum, quo Rex ſolitarius, quaſi Numen quoddam, nullis aut raris acceſſibus reſidebat, perventum eſt, undique inſolitis cuncta velaminibus obtecta, æqua parietibus pavimenta reddebant. Rex ipſe thoro, luxu quam poterat magnifico, accumbebat. Neque enim more gentium ceterarum ſoliis aut ſellis nituntur, ſed lectis ſive thoris colloquentes vel edentes, cruribus uno alteri impoſitis incumbunt. Ut igitur Joannes coram advenit, manum interne oſculandam protendit. Oſculo nulli vel ſuorum, vel extraneorum admiſſo, minoribus quibuſque ac mediocribus nun........ foris ſummis, & quos præſtantiori excipit pompa, palmam mediam aperit oſculandam. Oſculatus manum coram eo ſedet.

134. Inde ſella parata, manu ut ſedeat innuit. Longa deinde utrique ſilentia: tunc Rex prior, Tuum, inquit, cor mihi plurimum diu cognoſco fuiſſe inſenſum, quamdiu te demum aſpectu meo ſuſpendi. Sed tu ipſe penitus noſti, quod aliter fieri non potuit.......... tes ſapientia............ diſtulerunt, ſed quod nunc......... id faciunt, volo cognoſcas............. Verum de quibuſcumque poſtulaveris impetrabis. Joannes ad hæc, ſicut nobis referebat, aliquid fellis tam diutino angore contracti in Regem........ tam placidus repente effectus eſt, ut nihil animo ipſius unquam æquabilius eſſe potuiſſet. Inde ad ſingula reſpondit, ſe quidem negare non poſſe primo tot acerbitate nuntiorum fuiſſe permotum: inter ipſa tamen tacitum crebrius cogitaſſe, ſimulatis potius quam veris minarum intentionibus hæc erga ſe agitari. Poſtremo quoque cuncta dilationum obſtacula ex ſuperioribus totius triennii actis vel dictis reſciſſe: nec eſſe quicquam reliqui, quod merito odio ſui factum ſuſpicari deberet: unde ſi qua ea eſſent, ſe penitus animo depuliſſe: gratiæ tantum, quam tam clementi magnificentia obtuliſſet, gratulari, & quod regii pectoris in hoc & robur conſtantiæ & moderationis mediæ pervidiſſet temperamentum ſatis egregium. Rege his in multam gratiam delinito, pluribuſque eum compellandi parante, munera imperatoria primum excipi poſtulavit: quo facto, reditus indulgentiam e veſtigio obſecravit. Rex admirans, Quomodo, inquit, hæc tam repentina fieri poſſit divulſio, tanto temporis ſpatio alterutrum expectati? modo vix viſi, ita abrumpemur ignoti? Nunc interim mutuo ſemel conſpectu potiti, parum quoddam cognitio mentium ſe utrumque aperuit, iterum viſi jam amplius, tertio tota jam plenitudo notionis vel amicitiæ confirmabitur. Inde domino tuo remittendus, digno eo, teque deduceris honore. His Joanne aſſentiente, ſecundi legati jubentur intromitti, eoque præſente munera quæ deferebant oblata. Offert munera.

135. Tunc demum utriſque ad hoſpitia remiſſis, poſt aliquantum tem-

Digitized by Google

AN.CHR. 973 27. Febr. ac cum eo familiariter colloquitur.

pus Joannes a Rege revocatus, familiaria multa cum eo conſeruit de noſtri Imperatoris potentia atque prudentia, de robore & copia militum vel exercitus, de gloria & divitiis, de bellorum induſtria & ſucceſſibus, multaque id generis: ſua econtra jactare, quanto .... Reges excelleret .... poſſet civitates .... Illud vere fateor, regentem hoc..... noſſe qui noſtro Imperatori terra armis aut equis poſſit æquari.

Rex arguit Imperatorem de nimia procerum poteſtate.

136. Rex autem .... Merito, inquit, Regem tuum celebras, verane an falſa ſint. Ille inquit: Licet experiri. Rex autem, cetera utrumque approbaverim: unum eſt, in quo illum non ſatis providum eſſe conſtiterit. Quid, inquit, illud eſt? Quod poteſtatem virtutis ſuæ non ſibi ſoli retinet, ſed paſſ. ubere quemque ſuorum propria poteſtate, ita ut partes regni ſui inter eos dividat, quaſi eos ſibi inde fideliores habeat, & ſubjectiores, quod longe eſt. Exinde enim ſuperbia & rebellio contra eum nutritur atque paratur; ut nunc in genero *a* ipſius actum eſt, qui filio ei per perfidiam ſubducto, publicam tyrannidem contra eum exercuit, ad hoc ut gentem externam Ungrorum per media quæque regnorum ſuorum depopulandam tranſduxerit.....

AN.CHR. 973

DE BLIDULFO, WILLELMO,

ET ACHERICO MONACHIS PIISSIMIS,

& RAMBERTO Abbate Senonienſi.

1. G*Orzienſibus monachis piiſſimis adjungendi ſunt* Blidulfus, Willelmus, & Achericus, *qui eodem tempore, & forſan ex eadem palæſtra in Lotharienſi regno pietate floruerunt. Joannes Abbas Mettenſis in ſuperiori Joannis Gorzienſis vita num. 69. egit de Blidulfo Gorzienſi monacho ex Archidiacono Mettenſi, qui ſuſcepto in extremis monaſtico habitu, cum convaluiſſet, in eremum Voſagi ſe recepit, adjuncto ſibi ſocio æque ſanctiſſimo Gondelaco: ibidemque ſancto fine mortuus ſepultuſque eſt, uti & ejus ſocius, qui Fulda Gorziam acceſſerat. Dubium eſt, an Blidulfus iſte idem ſit cum Blidulfo Mettenſi Primicerio, qui relictis omnibus quæ habebat, ſeceſſit in ſolitudinem Lebracenſem, ut legitur in Chronici Senonienſis lib. 2. cap. 9. in hæc verba.*

Blidulfus.

2. Eodem vero tempore extitit quidam Mettenſis Primicerius, BLIDULFUS nomine, vir juſtus & prudens, qui relictis omnibus quæ poſſidebat, appetens locum ſuæ converſioni aptum, quærere decrevit: quem diu quæſitum, tandem in valle quæ *Lebrath* dicitur, intra montes incluſam adiit valliculam, in qua in clivo montis ad meridiem cellam erexit, & eam Bellum-montem appellavit. Qui ibidem eccleſiam ædificavit, & in ea novem altaria cum cancellis & cryptis inſtruxit. Officinas enim circa illam & clauſtrum pro poſitione loci ad uſum monachorum erexit. Aliquantos vero redditus ibidem acquiſivit: & adunatis fratribus Deo devotus cælibem duxit vitam. Audientes vero multi ſanctitatem viri Dei, ejus ſe converſationi ſociare ſtuduerunt. Inter quos extiterunt duo genere & fide nobiles, WILLELMUS & ACHERICUS, qui etiam ambo ipſius loci fundatori meritis coæquari potuiſſent. Unus nempe duorum tam evidentibus & in vita, & poſt vitam claruiſſe fertur miraculis, ut ejus ſacrum corpus de loco ſepulturæ in ſcrinio tranſ-

Willelmus & Achericus.

a Nempe Conrado Duce, de quo hæc Sigebertus ad annum 952 *Liedulfus filius Ottonis Imperatoris, inſtinctu Conradi Ducis, cum eo contra patrem ſuum rebellavit*, & ad annum 955. *Liedulfo ad gratiam patris reducto, Conradus Dux ad Ungaros ſe conferens, uſque ad Carbonariam ſilvam perduxit* &c. Adi Flodoardum. Alius fuit Conradus, Rodulfi Comitis filius, cujus rogatu Otto II. inſigne diploma Gorzienſibus anno 982. conceſſit, editum in lib. 6. de re Diplomatica.

Digitized by Google

transferretur : cujus reliquiæ poſtea in theca nova, argento & auro ornata, tempore cujuſdam Sacerdotis, Hesso nomine, repoſitæ adhuc in ipſa ecclesia reſervantur. Alter vero Achericus, ejuſdem Willelmi ſucceſſor, aliquamdiu ipſam rexit eccleſiam & locum: qui tanta exſtitit fama, ut ipſum, dimiſſo nomine Belli-montis, quo prius nominabatur, Achericum appellarent locum : quod adhuc eo nomine ipſa villa nuncupatur. In qua poſtea nobiles exſtiterunt viri, quorum diebus argentariæ foſſæ repertæ ſunt, in quibus multum argentum eſſe fertur effoſſum: de quorum nobilium progenie poſtea exierunt viri, qui temporibus noſtris in ipſa valle *Lebrath* caſtrum conſtruxerunt, quod nomine ſupradicto *Acherich* vocaverunt. Ille vero ſanctus Achericus plenus dierum migravit ad Dominum : cujus corpus in medio chori in iſta eccleſia ante altare beatæ Mariæ ſepultum videtur. Ipſa deinde cella *Acherich* Mediano-monaſterio olim per dictos viros fuit attributa. In qua Cella Monachi Medii-monaſterii fere uſque ad tempora noſtra feruntur habitaſſe : modo vero eccleſia parrochialis per negligentiam monachorum eſt effecta. In ipſa etiam valle, in inferiori loco, quia ſpatioſior erat, famoſiſſimus Imperator Carolus Magnus Cellam in honore beati Dionyſii ædificavit : in qua corpus ſanctiſſimi Papæ Alexandri & martyris a Roma delatum collocavit, & eam magnis redditibus ampliavit. Cujus etiam eccleſiæ pavimentum diverſo colore marmoreo artificioſe, ſicut hodie in aliqua parte ſui apparet, ſubſtravit : quæ adhuc Cella ad monaſterium beati Dionyſii Areopagitæ pertinere dignoſcitur. AN.CHR. 973.

3. *In hoc contextu magna apparet diſcrepantia inter Blidulfum, de quo in Vita Joannis Gorzienſis, & Blidulfum Chronici Senonienſis. Blidulfus quippe ille dicitur* Mettenſis eccleſiæ Archidiaconus, *hic Primicerius: ille ex Archidiacono factus primum Gorzienſis monachus, dein eremita; ille ex Primicerio mox eremita: hic denique ſocium habuiſſe unum Gondelachum, ille duos Willelmum & Achericum. Hæc quidem me movent, quo minus unum & eumdem eſſe exiſtimem, tametſi nihil obſtat, quin unus & idem dictus ſit Mettenſis eccleſiæ Primicerius ſimul & Archidiaconus, quod de aliis non ſemel legimus : & forſan Chronographus Senonienſis, qui longe ab ea ætate ſcribebat, (ſcribebat vero ſæculo 13.) in nonnullis verum non eſt aſſecutus. Sed interim duos eſſe Blidulfos concedamus, dum major nobis lux iſtuc affulgeat. De Cella Lebraha, quæ hic* Lebrath, *in Alſatia, dictum eſt in Elogio Fulradi Abbatis ad annum 784.*

4. *His adjungendus eſt* Rambertus *Abbas Senonienſis, qui ex monaſterio Gorzienſi, ubi ſub Agenaldo ſeu Einoldo Abbate, ſuperius tam ſæpe laudato, monaſticam hauſit diſciplinam, in Senonienſe reverſus, ibidem lapſam obſervationem regularem reſtituit, ut legitur in eodem Chronico, nempe in ejuſdem lib. 2. cap. 18.* Rambertus Abbas.

5. His ita ſe habentibus, cum eccleſiam iſtam Senonienſem alii poſt alios Abbates rexiſſent feliciter, contigit quemdam Adelhardum, qui quartus decimus a primo fundatore erat, hujus noſtri Monaſterii gubernacula ſuſcepiſſe: qui felicibus infelix ſuccedens, hujus loci bona, redditus, terras, proventus ſua negligentia diſſipavit : immo (quod deterius eſt) ſpiritalium, Ordinis ſcilicet & religionis, & Religioſorum exſtitit perverſor; ut in loco qui uſque ad tempora ejus, quaſi quidam hortus deliciarum tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus floruerat, minime Deus coleretur. Quicumque res eccleſiæ rapiebat, ſine repulſa detinebat. Monachi non Ordini, ſed perverſitati inſiſtebant: ad ludos citius, quam ad eccleſiam conveniebant; refectorium, dormitorium, clauſtrum, quaſi interficientium arma, devitantes, impudicis ſe actibus, comeſſationibus, ebrietatibus, ac ceteris mundi delectationibus implicabant; nec erat qui corrigeret. Quid ultra? Grex dum lupis exponitur, caulæ ovium Dei diſſipatæ non valent eas retinere. Ita Abbas Adhelardus eccleſiam ſibi commiſſam cum grege ſibi commiſſo gubernabat. Videntes monachi omnia ſibi licere, licet non omnia expedirent; ſtatuunt ſibi vivere, non Chriſto. Quæſivit quiſque ſibi domunculam, ubi non regulariter, ſed voluntate propria ſibi converſari quiret. Fit congregatio

Digitized by Google

AN.CHR. 973 tio taurorum in vaccis populorum, glorïantes in malitia ſua: & ideo tenuit eos ſuperbia, confuſi ſunt, nec compuncti, ſubſannaverunt multis ſubſannationibus. Et quia maledictus qui ponit carnem brachium ſuum, quia de carne tantum curabant, non ſperaverunt in Domino: ſed divina contemnentes officia, operti ſunt iniquitate & impietate ſua; & ita tranſientes in affectum cordis ſui, perierunt propter iniquitatem ſuam. Victu quippe deficiente & veſtitu, decreverunt more ruſticorum agricultores fieri, ut ita ſaltim poſſent inopem defendere vitam. Tali etenim congregatione, immo certe ſegregatione hæc noſtra Senonienſis eccleſia pluribus (proh dolor!) annis fuit frequentata. Quid plura? Abbates Abbatibus ſuccedentes, nec ſe ipſos, neque ſubditos ab hac miſera converſatione corrigere curarunt.

6. Hæc etenim Fratrum miſerrima converſatio temporibus ſex Abbatum incorrecta perduravit, uſquequo Deus omnipotens, quia tempus miſerandi venerat, miſereri voluit. Receperat enim duplicia pro peccatis ſuis. Deſtinavit enim ei quemdam juvenem, RAMBERTUM nomine, hujus tamen loci monachum, qui aliorum non conſentiens ludibrio, ſanctæ converſationis ſtudium quæſivit. Erat enim in Epiſcopatu Mettenſi quoddam monaſterium, Gorzias nomine, quod a Fratribus Deum timentibus, quaſi quibuſdam floſculis amœniſſimus paradiſus ſuo deſiderio fulgebat. Hanc Fratrum congregationem frater Rambertus hujus loci monachus, evadens naufragium, Deo donante melior futurus aggredi diſpoſuit: qui ab Abbate & Fratribus loci benigne eſt receptus, & tamdiu tamque religioſe ibidem eſt converſatus, ut omnibus charus haberetur, & præcipue ejuſdem monaſterii Priori, qui Agenaldus dicebatur, vir quippe vitæ laudabilis & honeſtæ converſationis. Rambertus enim, quem divina inſtruebat benignitas, conſideratis ordinis & religionis circumſtantiis, atque ipſorum fratrum Gorzienſium mores laudabiles & actus, conſuetudinem loci & modum tam ſagaciter retinuit, ut idem Prior & Fratres ipſum gratanter, ſi voluiſſet, pro ſuæ humilitatis & modeſtiæ ſtatu retinuiſſent. Sed ille quem Deus ſuæ eccleſiæ Rectorem prævideret, ad reviſendum locum iſtum & Fratres, quos in tam pravo ſtatu (ut ſuperius dictum eſt) reliquerat; accepta a Priore & Fratribus licentia, ad monaſterium Senonienſe repedavit. Quem dominus RANGERUS, qui tunc huic loco præerat, ſuſcepit, & eum, quia prudens erat & modeſtus, poſt pauca monaſterii Præpoſitum ordinavit, qui ſuæ obedientiæ agendas tam ſtrenue gubernavit, ut ab omnibus amaretur. Rangero itaque hujus loci Abbate ab hac vita non multo poſt decedente, eoque prout debuit condecenter ſepulto, totus Fratrum conventus Rambertum Præpoſitum ſibi elegit Abbatem. Qui ab Epiſcopo Mettenſi temporalia, ab Epiſcopo vero Tullenſi curam ſuſcepit animarum. Cum igitur Rambertus Abbas ad Monaſterium remeaſſet, Fratres alloquitur, eis verbis benigniſſimis quod Gorziæ didicerat indicavit, & ut more illorum Religioſorum viverent, admonuit. Qui, quia conſuetudo altera eſt natura, reſponderunt ſe non aliter velle vivere; ſed, ſicut conſueverant, orabant ut eos victitare permitteret. Videns vero Rambertus Abbas ſe nihil proficere, Epiſcopum Mettenſem cenſuit conſulendum. Epiſcopus vero videns eum zelo Dei duci, ad ejus bonam roborandum voluntatem, dictum Priorem Agenaldum Gorzienſem ſua fultum auctoritate eidem Abbati dedit adjutorem. Venientes igitur ad noſtrum hoc monaſterium prædicti Abbas & Prior, Fratres ſatis apte ſunt allocuti: nunc quidem blanditiis, nunc vero terroribus, ut a ſua diſſolutione recedendo, ſe diſciplinæ regulari ſubmittere maturarent, hortabantur: qui omnino nec prece, nec minis, vel demum nec diſtrictione Regulæ moti, irati ad contumelias devenerunt. Quod cum viderent Abbas & Prior, ſcilicet ipſorum pertinaciam & duritiam cordis, propoſuerunt eis unum e duobus eligendum: aut obediendo mandatis Regulæ, Deoque ſerviendo in monaſterio diſciplinate viverent: aut de monaſterio exeuntes, quamcumque vellent viam ſibi vivendi aſſumerent. Quod illi audientes, quidam ipſorum, qui ſimpliciores erant,

Digitized by Google

erant, ſe Abbatis directioni ſubdiderunt : quatuor vero qui aliquantulum ſcioli videbantur, alii in ſua ſcientia, alii in ſua ſtoliditate tumentes, alii in ſua juventute confidentes, totam viam quæ ducit ad mortem, relicto clauſtro, ſunt aggreſſi : reliqui vero Abbati ſuo & Ordini ſe committentes, Deo potius quam ſæculo ſervire decreverunt. Ordinatis denique fratribus, & ordini ac diſciplinæ regulari reſtitutis, ac rebus monaſterii ſagaciter ordinatis, dictus Prior Agenaldus valedicens Abbati ad propria eſt reverſus. Rambertus autem locum tam feliciter rexit, ut ſe amabilem cunctis exhiberet & honorabilem. AN.CHR. 973

7. *Hæc omnino cedunt in laudem Eginoldi, qui hic* Agenaldus, *ſeu Einoldi Abbatis Gorzienſis ; pro quo* Adalbero *legitur in editis primo loco, ſed mendoſe, ut ex ſubſequentibus patet, & ex ſuperiori Vita Joannis Abbatis. Rangerus Abbas Senonienſis, Ramberti deceſſor, neſcio an ſit Ravengerus ille, de quo ſupra pag.* 344. *qui Epternacenſe monaſterium ad meliorem ſtatum revocavit.*

VITA SANCTI UDALRICI

AN.CHR. 973

4. Julii.

EPISCOPI AUGUSTÆ VINDELICORUM *

* d'Ausbourg.

Auctore GERARDO Presbytero, ejus familiari.

Ex editione Velſeriana & codicibus mſſ.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. *Auctores antiqui (nam recentiores interim ſilemus) omnino tres, qui ſancti* UDALRICI * *Epiſcopi Auguſtenſis geſta poſteris tradiderunt, inveniuntur, omnes a Marco Velſero, reipublicæ Auguſtanæ Duumviro clariſſimo, typis vulgati. Primus ſub Anonymi titulo : ſecundus* GEBEHARDUS, *Udalrici in eadem ſede ſucceſſor quartus : tertius* BERNO *Augienſis Abbas, quos Ekkehardus junior ſuppreſſis nominibus laudat in lib. de caſibus monaſterii ſancti Galli cap.* 5. *ubi quædam ab eis prætermiſſa refert. Præter hos Ditmarus, Chronicon Auguſtanum, aliique rerum Germanicarum Alamannicarumve hiſtorici de Udalrico honorifice agunt; inter recentiores illuſtriſſimus Cardinalis Baronius. At de primis vitæ ſcriptoribus hic præcipue dicendum.* Vitæ ſcriptores tres. * S. Ulric.

2. *Qui primus Udalrici acta litteris conſignavit, Anonymus a Velſero ceteriſque dictus, pluribus in locis ſe Udalrici æqualem ac familiarem fuiſſe indicat, ut num.* 18. Ea quæ vidimus non decet totum omittere. *Et num.* 54. Hæc vero nemine dicente comperiebam, ſed propriis oculis in quam plurimis peracta conſpiciebam. *Udalſcalcum eſſe quidam opinati ſunt: ſed quis ſit Udalſcalcus ille non ſatis explicant. Unus fuit eo nomine monachus Auguſtanus ad ſanctam Afram, ſeu ad ſanctum Udalricum, is qui de diſcidio, inter Henricum Epiſcopum & Eginonem Abbatem exorto, librum inſignem ſcripſit, in tomo* 2. *Henrici Caniſii editum, ubi quædam ſancti Udalrici miracula commemorat. Idem poſtea ejuſdem loci Abbas fuit ab anno* 1126. *ad* 1148. *Udalſcalcus alter fuit Epiſcopus Auguſtenſis poſt medium ſæculum duodecimum : ſed uterque longe ab Anonymi noſtri ætate. Hunc eccleſiæ cathedralis Canonicum exſtitiſſe patet ex libro de miraculis (quem unius ejuſdemque auctoris eſſe exiſtimo) huic Vitæ ſubjecto. Nam cap.* 28. *relato quodam miraculo, ad ſancti Udalrici tumulum in eccleſia S. Afræ patrato, addit exinde concurſum populi factum in principem ſeu epiſcopalem eccleſiam ſanctæ Mariæ.* Inde in civitatem, *inquit*, ad eccleſiam ſanctæ Mariæ venientes, hæc nobis annuntiaverunt. *Primi iſtius auctoris nomen ignoraſſe videtur ſecundus vitæ ſcriptor Gebehardus, qui primam de ſancti Udalrici geſtis lucubrationem,* a quodam illuſtri viro compoſitam, *in prologo ſuo dicit. Sed tandem iſtius Anonymi nomen in itinere noſtro Germanico didicimus ex vetuſto codice Ratiſponenſis monaſterii ſancti Emmerammi, ante annos quingentos ſcripto : in quo prima hæc Vita reperitur ſub titulo poſt capitulationes ita expreſſo:* In nomine Domini incipit Vita ſancti Udalrici Epiſcopi & Confeſſoris Chriſti, edita a Gerhardo, qui ab eo fuit Presbyter ordinatus. *Gerardum itaque in poſterum licebit appellare Anonymum, qui neſcio an idem ſit cum Gerardo Udalrici Capellano, de quo in vita num.* 63. *ſeu præpoſito, de quo num.* 70. *atque Presbytero, num.* 83. Gerardus

3. *Binos Gerardi libros de vita & miraculis Udalrici cum ſimplici ſtylo ſcriptos legiſſet* GEBEHARDUS *Epiſcopus, eos novo orationis genere expolire aggreſſus eſt, uti ipſe in Prologo ſuo teſtatur; ſed morte præventus, opus perficere non potuit. Fuit is ab Udalrico Auguſtenſis Epiſcopus quartus; utpote qui poſt Henricum Udalrici ſucceſſorem, anno* 982. *poſtque Ethicum anno* 988. *exſtinctos, ſucceſſit Liutolfo poſt ſeptem regiminis annos, atque ipſe anno poſt milleſimum ſecundo e vivis exceſſit. Gebehardi lucubratio imperfecta deſinit in laude activæ & theoricæ Udalrici vitæ, ab initio ejus pontificatus.* Gebehardus.

4. *Paulo*

Digitized by Google

AN.CHR. 973 4 Julii. Berno.

4. *Paulo poſt ipſum* Berno *a Fridebaldo, monaſterii ſanctæ Afræ apud Auguſtam Vindelicorum Abbate quarto, rogatus, Anonymi ſcriptionem alia item forma exornandam ſuſcepit, idque re vera exſecutus eſt ante annum* 1030. *qui Fridebaldi Abbatis ſupremus fuit. De Bernone Hermannus ad annum* 1008. Ipſo anno, *inquit*, Heinricus rex, cognita tandem poſt duos annos Immonis crudelitate, remoto eo, Bern, virum doctum, & primo Prumienſem monachum, Augiæ conſtituit Abbatem; qui gratanter ſuſceptus, Fratres diſperſos recollegit, & a Lamberto Conſtantienſi Epiſcopo Abbas ejuſdem loci 29. conſecratus, magna inſignis ſcientia pietateque præfuit annis 40. *Obiit anno* 1048. *Ejus elogium alias Deo dante referemus. Ex his tribus auctoribus unum hic damus Gerardum, propterea quod ex aliis nihil fere ſcitu dignum, quod ab ipſo non acceperint, diſcere liceat. Prologos tamen Gebehardi & Bernonis poſt duos Gerardi libros repræſentare viſum eſt. Anonymi porro, id eſt Gerardi, commentatio primum typis excuſa eſt, ac Notis illuſtrata ab ornatiſſimo viro Marco Velſero Auguſtæ Vindelicorum anno* 1595. *ex quo ſequentem editionem adornavimus.*

Udalrici vita monaſtica.

5. *Sed antequam eam exhibeamus, quædam in anteceſſum ad ejus illuſtrationem præmittere juvat. Et primo quidem inquirendum, an monachus fuerit Udalricus, quem alii* Vodalricum *ſeu* Othalricum, *alii* Vvolricum *appellant. Monachum ante epiſcopatum fuiſſe negant auctores vitæ ſanctæ VViboradæ apud S. Gallum recluſæ, cui cum ſuum de ineunda monaſtica profeſſione conſilium aperuiſſet, aliud a Deo ſtatutum de ipſo fuiſſe ſignificavit, nempe futurum Epiſcopum eccleſiæ Auguſtenſis, ut in ejus Actis ſuperius ad annum* 925. *Sed antea ejuſdem eccleſiæ Canonicum fuiſſe teſtis eſt Ekkehardus junior in loco mox citato. Etſi vero Udalrico eſſe monacho non licuit, veſte tamen monaſtica Epiſcopus uſus eſt, addictus, quatenus epiſcopalis dignitas ferebat, ſancti Benedicti Regulæ, cujus elementa in ſancti Galli monaſterio educatus didicerat. Sic enim Gerardus loquitur num.* 17. Semper cuti ſuæ laneum apponens veſtimentum, & Regulam ſequens monachorum. *Berno addit eum a carnibus perinde abſtinuiſſe. Quia vero ſeverum ſuis ſilentium de nocte præſcribit ſanctus Benedictus, id maxime in Quadrageſima ſervandum ſibi propoſuit Udalricus : quo tempore* omne colloquium, niſi cum Deo & ſanctis, uſque ad alterius diei primam peractam, omnino devitavit. *Denique cum epiſcopalis oneris ſarcinam in Adalberonem nepotem ſuum ſub extremum vitæ ſuæ tempus rejicere animo deſtinaſſet,* Epiſcopus indumento more monachorum formato induebatur, quorum antea Regulam multimodis virtutibus ſequi conſueverat, *apud Gerardum num.* 62. *Et in Synodo Ingelheimenſi Gerardo capellano ſuo juſſit conſilium ſuum de relinquendo ſæculo exponere; quod ipſe Gerardus præſtitit his verbis* : Excellentiſſimi Imperatores & religioſiſſimi Antiſtites, deſiderium domini mei eſt relinquere ſæculum, & ſecundum Regulam ſancti Benedicti ſanctam inire vitam, & in contemplativa vita diem exſpectare obitus ſui. In indumento pro certo habitus exterioris poteſtis cognoſcere voluntatem animi interioris. *Ita Gerardus num.* 63. *Non viſum eſt Patribus Udalrico id licere, ſed tamen in habitu ſemel ſuſcepto ipſum deceſſiſſe jure affirmare poſſumus; atque adeo non immerito eum inter noſtros computamus. Trithemius in Hiſtoria Hirſaugienſi aſſerit, eum in cœnobio ſanctæ Afræ ab eodem conſtructo Monachum factum fuiſse ante obitum.*

Vitæ paralipomena ex Ekkehardo.

6. *Udalricus quædam ante pontificatum geſſit a tribus auctoribus omiſſa, quæ hic præmittenda ſunt ex Ekkehardi cap.* 5. De ſancto Vodalrico autem qualiter nobiſcum egerit, dicta patrum quædam audivimus, quæ quidem in vita ejus vel tertio jam ſcripta non invenimus. De nobilibus enim ille, ut & ab aliis jam dictum eſt, natus, apud noſtrates educatus eſt & doctus. Hic viam, qua in cælos volavit, ſubvolare didicit: hic virtutibus quas nunc operatur, præludium fecit. Sanctorum enim noſtrorum Galli & Otmari, quos puerulus patres elegit, ſe monachis jungens cum ſanctis ſanctiſſimus, & cum electis ingreditur electiſſimus. Hartmanni enim junioris diſcipulus divina præ omnibus Spiritu-ſancto prælibatus hauſit. In refectorio coram patribus, ubi vel in puncto peccare capitale erat, lector inoffenſus creber erat, quamvis Canonicus, quod tamen illi progenitorum ſuorum indultum eſt gratia. VVidoradam incluſam, coævulis ſe licentia data ad ludos parantibus, feriatis diebus furtim viſitare aſſolitus, divinis ab illa interdum verbis & exemplis inſtructus eſt paginis. Nam quadam die cum illum ante feneſtellam clauſulæ ſtantem leviſſimo videret cingulo præcinctum, de ſuo ei paratum offerens; Caſtitatis, inquit, fili mi, tibi cingulum hoc laneum meum a Deo accipe, continentiæque ſtropheo (id eſt cingulo virginali) ab hac deinceps die per VViboradam tuam te præcinctum memento. Cave autem, me tibi a Domino meo edictum ferente, ne ullis abhinc colloquiis vanis mulierculis miſcearis; & ſi, ut facillime fit, aliquo carnis igne incenſus fueris, loco in quo fueris mutato, *Deus in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me feſtina*, mox cantaveris. Sin autem ſic pacem aliquo alio lapſu tuo vetante non habueris, titionem ſeu candelam ardentem, quaſi aliud aliquid agas quærens, digitum vel leviter adure, eodemque verſu dicto ſecurus eris. Sic magiſtra prædurata diſcipulum ſanctiſſimum futurum, ut ipſe patribus narrabat, contra ignem igne præduraverat. Multa ſunt quæ de doctrina nutricis ſuæ (ſic enim etiam vetulus eam nominare ſolebat) patribus ille dixerat, quæ quia auſtera hujus temporis ſanctis videri poſſunt & impoſſibilia, ne quid eis ſuboleat, præterimus. De cilicio etiam, quo ipſa utebatur, cujus hodie aſperitatem pro reliquiis id habentes horreſcimus, pulvillulum filio ſuo, ut & ipſa eum nominabat, in abſtinentiæ diebus utendum conneverat : quod interdiu in ſinu geſtans, noctibus ille maxillis lapide ſuppoſito aptare ſolebat. Tali ille lectiſternio pro deliciis uſque coram januis eccleſiæ nocturnorum ſonitum aut in ſedili, aut nuda quidem exſpectare terra ſolebat.

Digitized by Google

bat. His & aliis ſimilibus eum a pueritia aſſueſcentem, cum & feminarum alloquia, & ſolita ſociorum fugitaſſet ludicra, ſanctulum illum deriſorie jam ab inde cœperunt vocitare....... Figuratis & interdum etiam riſum moventibus, non tamen falſis & inanibus, crebro uſus eſt verbis.....Idipſum etiam ſibi pro reverentia ſui, ut nobis Canonicus Evangelium legeret, conceſſum. Nam Frater conſcriptus tum vocis pulcherrimæ gratiam babebat. *Et quidem inter Fratres conſcriptos ſancti Galli apud Goldaſtum in tomi 2. pag. 185. legitur* OADALRICH Epiſcopus. *Addit Ekkehardus.* Diutius autem quam ceteri coævi ſui tum pro VViborada ſua ſcholis inhæſerat, quas tamen tandem relinquens, ſuique juris in poſſeſſionibus factus Auguſtæ, ubi Canonicus ab infantia erat, in virtutum exemplis clariſſimus, Gallum ſuum crebro viſitabat, Fratres ſuos conſcriptos ter in anno ipſe miniſter paverat. *Deinde miraculum refert de vaſe vinario, quod vehiculo e ponte lapſo integrum ſuperfuit.* Egerat quidem aliquando in loco ſancti Magni etiam diem ſibi ſemper amabilem, reliquiaſque ejus, ut mos nobis eſt, cappa illa aquilifera indutus, veſpere diei ſancti ipſe domum reportabat: & cum infirmus tunc eſſet, ut ſæpe quidem erat, paralyticus quidam adjutorio ſuorum in viam ſe, ut ipſe ſuper eum graderetur, proſtraverat. At ille homini appropians, quaſi de obſtaculo indignatus, Surge, ait, quia & ego pedibus infirmus ſuper te progredi nequeo. At ille tamquam ad increpantis verbum velociſſime ſurgens incolumis abiit, ſecutuſque Fratres ſine ullius adjutorio ſancti Magni eccleſiam cum ceteris ſanus introiit. Et Epiſcopus capitio cappæ impoſito cum anhelus ſtetiſſet, & de via laſſus, audiens ſanitatem hominis, acriter in dicentes invectus, ſuper cancellos tandem innititur; ſignumque tam manifeſtum ab ſe excutiens, ſancti Magni virtute quam manibus gerebat, hanc eſſe adſtantibus prædicans aſſeruit: neque tamen ſic eis, ut hominem ab ipſo ſanatum eſſe diſcrederent, perſuadere quidem ullo modo potuit. Hæc de pluribus, quæ apud ſanctum Gallum commanens geſſit, tribus vitæ ejus ſcriptoribus non præjudicantes ſcripſimus. Neque enim miramur eos cum quibus in ſæculo verſatus eſt, ea quæ cum ſpiritalibus geſſit, quia minus ſciverant, non ſcripſiſſe: ſed plura eos quæ de eo concinnantur vulgo & canuntur, tacuiſſe, cum infima quædam ejus magna fecerint, etiam miramur. *Et poſt nonnulla de facetis Udalrici dictis, & de obſidione Auguſtæ per Ungros, (quod poſtremum in Notulis referemus) Ekkebardus hæc ſubdit:* HUGO etiam quidam, regii generis homo primarius, propter ſororem viri Dei virginem ſacram, inceſtu agnitam ab ipſo, quia ſæpe inclinatus eſt, inſolenter ei inimicus quadam die carri vehiculo, ut erat infirmitatis ſuæ, occurrit invecto; quem cum milites Epiſcopi præceſſores, uti ei non occurreret, præmonerent; Carrucarium, inquit, illum ab itinere meo numquam declinabo. Quod ille a dicentibus poſt audiens; „ Carrucæ, inquit, vehiculo ſcitote, filii mei, ipſe plus, quam „ ego, indigus erit. Nec poſt multum nocte quadam ſopori ſe tradens, cum evigilaſſet, lumbos in quibus peccaverat, acerrime dolens, in inferioribus ab illa nocte ita decreverat, ut præter cutem & oſſa gracilia nihil haberet. Sicque longævitatis tempora, numquam cogi valens ut pacem a viro Dei peteret, perduxerat. Ipſa autem ſanctimonialis illa ſanctorum exemplorum poſtmodum viſa eſt femina: quippe quam frater novis ſententiis, dum vixit, annuatim puniverat. Ungris autem a ſe recedentibus, cum Buchovvam illos, ubi ſoror ipſa erat, parteſque noſtras, ubi VViboradam matrem ſciebat, invadere velle comperiſſet, oraſſe fertur: „Domine mi, feram * iſtam adhuc impunitam mihi dona, ut gladio non pereat; ſed & „ illam gladio ſemper paratam, ut palmam martyrii mereatur, confortans robora. Cellam quo- „ que Galli tui integram cum famulantibus pie & miſericors conſerva. Atque ita precibus ejus „ ſanctis effectum Deus undique dedit. *Hactenus ex Ekkehardo.*

AN.CHR. 973 4. Julii.

* f. Servam.

7. *Auguſtam Vindelicorum, ad Lycum * fluvium ſitam, complures rexerunt Epiſcopi ex noſtris, quos hic certo deſignare haud facile eſt, deficientibus nos idoneis argumentis. Simpertum jam laudavimus in ſuperiori tomo pag. 553. Hunc Carolus M. Rex* conſtituit Epiſcopum in ipſa civitate *Auguſta, teſte Ermenrico Elevvangenſi ſaculi 9. monacho*, reſtituitque omnia, quæ ab anteceſſore ſuo Pippino illuc tradita fuerant, inſuper & addidit plurima. Suſcepto Epiſcopatu Sintpertus profectus eſt ad Auguſtam Vindeliciam & per annos fere triginta rexit ipſa monaſteria, *nempe Campidonenſe, ſancti Galli, & cellam ſanctæ Afræ*, conſtruens baſilicam ſanctæ Afræ, & reſtaurans cœnobium ſancti Magni, *nempe Fauceſe *, de quo egimus in Sæculo ſecundo, ubi de ſancto Magno.* Defuncto autem Sintperto, HANTO, *(ſic legendum, non* Lanto, *ut poſtea patebit)* Epiſcopatum ſuſcepit, *ipſe* in Bajoaria *natus*. Tranſactis poſt acceptum Epiſcopatum ſeptem annis, ſucceſſores ejus, qui in ipſa eccleſia conſtituti ſunt, primus NITKARIUS cœpit a fundamentis eccleſiam ſancti Magni conſtruere: ceteri vero Præſules eum ſubſequentes, prout potuerunt, ſimiliter conſtruxerunt. Tamen non fuit aula baſilicæ ad perfectionem operis perducta, donec, Domino annuente, a glorioſiſſimo Rege Ludovvico, filio Ludovvici clariſſimi Imperatoris, LANTO ipſam ſanctam ſedem adeptus eſt. *Hinc corrigendus Bruſchii catalogus, qui Hantoni VValtherum primo, ſecundo Adelgerum, ac tertio tantum loco Neodegarium ſubſtituit: cum ex adverſo Ermenricus, auctor illius temporis, Hantoni proxime Nitkarium, qui cum Neodegario idem eſt, ſubjicit. Ermenrico ſuffragatur vetus index Auguſtenſium Epiſcoporum, in fine hujus vitæ editus, in quo Epiſcopi hoc ordine recenſentur.* SINTPERTUS, HANTO, NIDGER, ODALMAN, VVIGGER, LANTO, ADALPERO, HILTINE, OUDALRICUS. *Lanto baſilicam ſancti Magni* quinto anno epiſcopatus ſui perfecit, *ejuſdemque ſancti Magni corpus in decentiorem locum tranſtulit*, conſilio inito cum Archiepiſcopo Magontiacenſis eccleſiæ Otkario, & ceteris Epiſcopis ſuis ſuffraganeis. *Hæc fuſe deſcribit Ermenricus qui præſens aderat*, *apud*

Auguſtæ Epiſcopi monachi.
* le Lec.

* Fueſſen.
* V. p. 46. hujus Vitæ.

Digitized by Google

[AN.CHR. 973. 4 Julii.] apud Goldaſtum in tomo 1. rerum Alamannicarum pag. 315. ex quo potiora in Elogio ſancti Magni delibavimus. Lantonis obitum Bruſchius conſignat anno 877. quo anno Udelmannum ei ſubrogat. Udelmanno Vvidgarius ſeu Vvidogerus Abbas monaſterii Uttenburani *, eximie doctus & humaniſſimus, ſucceſſiſſe dicitur anno 888. Vidimus inſigne iſtud diœceſis Auguſtanæ monaſterium, in amœno loco ſitum ad Gunzium * amnem, elegantiſſimis ædificiis inſtructum: cujus loci baſilica ſanctis martyribus Alexandro & Theodoro, quorum reliquiæ iſtic habentur, dedicata eſt. Primus loci Abbas Totto, quem pro ſancto habent, tametſi anniverſario huic officio quotannis parentant. De eo in Kalendario Uttenburano: 13. Kal. Decemb. Totto noſter Abbas, qui corpus ſancti Alexandri huc attulit, & cujus parentes locum iſtum fundaverunt. Et in brevi Chronico ad cyclos paſchales: Anno 1163. Totto ſepelitur, id eſt transfertur, & principale altare dedicatur. Fundatum eſt monaſterium anno 764. Huic Udalricus libertatem reſtituit, ex ſequentis Vitæ cap. 25. Porro, ut ad propoſitum redeam, Vvidgarius anno 898. ut notat Bruſchius, Helvetiorum reliquiis, gentiliſmo etiam tunc infectis, Chriſtianam veritatem prædicaſſe memoratur, ob id Helvetiorum Apoſtolus appellatus. Vvidgarium anno 902. excepit ADALBERO, quem monachum Elevvangenſem, atque Abbatem ejuſdem loci ſimul & Epiſcopum fuiſſe Bruſchius teſtatur. Fuit vir, inquit idem auctor, eximie doctus, excellens muſicus, San-Gallenſis monaſterii liberaliſſimus benefactor, ſancti Ulrici ſeu Udalrici alumnus & informator. Adalberonem ſancti Galli fratrem conſcriptum beneficentiſſimum exſtitiſſe tradit Ekkehardus cap. 5. probatque libellus de Fratribus conſcriptis tomo 2. apud Goldaſtum pag. 181. ubi Adalbero anno 908. ad ſanctum Gallum in vigilia ipſius ſancti veniſſe dicitur, juncto ſibi mitiſſimo Sebonenſis eccleſiæ (Sabionenſem * alii appellant, nunc Brixienſem) antiſtite Meginberto; ac locum variis donis locupletaſse. Eo ſedente Udalricus anno 909. Romam profectus, ejus mortem didicit a Pontifice: a quo cum ad ſuſcipiendum Epiſcopatum induci non potuiſſet, HILTINUS interim ſubſtitutus eſt: qui anno 924. mortuus, tandem locum fecit Udalrico, quem præ manibus habemus. Is ſi quid humani in ſtudio erga nepotem ſuum Adalberonem, quem ſucceſſorem deſignavit, paſſus eſt, indubie ante mortem diluit, cum ipſius nepotis præmaturam mortem in pœnitentiæ remedium convertit.

[* Ottenbour.]
[* Gautz]
[* Seben v. Metrop. Saliſb. p. 439.]

[Udalrici cultus & canonizatio.] 8. Ceterum Udalricus ſtatim a ſuo ipſius merito ſanctus dictus, creditusque eſt. Nam præter ejus vitæ ſcriptores, Hartmannus in actis ſanctæ Vviboradæ ſuperius adductis, æqualis auctor, ſanctum Udalricum; Ditmarus, anno 1018. mortuus, ſanctum patrem Othalricum vocat in lib. 1. & in lib. 3. Othelricus gemma Sacerdotum ab eodem appellatur. Nec mirum ſane, cum anno 993. id eſt ab ipſius obitu vigeſimo, in ſanctorum album relatus ſit a Joanne Papa XV. cujus hac de re litteras poſt Vitam & miracula referemus: Liudolfus autem Epiſcopus, qui Pontificis juſſu corpus ſancti Udalrici tumulo extulit, oratorium in ejus honore conſtruxit, teſte Chronographo Magdeburgenſi. Et hic ſane honor eo majori conſideratione dignus eſt, quod ſolemnis iſte canonizandi (ut loquuntur) ritus a ſancto Udalrico initium cœpiſſe videatur, ut in hujuſce tomi Præfatione expoſuimus, præhabita inquiſitione de ejus vita & miraculis, quæ in duobus ſequentibus libris proferuntur. Illud etiam obſervatione non indignum, quod Gregorius Papa VII. Henrico Aquilejenſi Epiſcopo, qui antea Canonicus Auguſtanus fuerat, uſum pallii concedit, præter alias, in feſtivitatibus beati Udalrici Confeſſoris Chriſti atque Pontificis, & beatæ Afræ martyris, ut legitur in lib. 6. epiſtola 38. Ita vero Udalrici nomen celebre evaſit, ut vocabulum & titulum primum indiderit eccleſiæ ac monaſterio ſanctæ Afræ apud Auguſtam perinſigni, quod modo ſancti Udalrici * & ſanctæ Afræ nuncupatur ob ejus in eo loco ſepulturam ac venerationem. Hunc locum monachis Benedictinis anno 1012. conceſſit BRUNO Epiſcopus Auguſtanus, præpoſito Abbate primo REGINBALDO, quem Bernardus Hertfelderus monaſterii Prior ſanctum vocat in ſua Baſilica ſanctorum Udalrici & Afræ, & ex Kiburgenſibus Comitibus, id eſt Udalrici gente, oriundum. Reginbaldo Abbati ſucceſſit DEGO anno 1015. Degoni poſt triennium GODESGENUS, & poſt biennium Frideboldus anno 1030. mortuus: quo poſtulante Berno tertiam de ſancto Udalrico ſcriptionem aggreſſus eſt. In eadem baſilica aſſervantur ſancti Udalrici reliquiæ, magna ex parte ſub ejus ara, in qua ſacrum facere nobis datum eſt, reconditæ, præter caput, aliaque nonnulla peculiaribus ſcriniolis incluſa, quorum ectypum exhibet Hertfelderus, uti & calicis, caſulæ, ſtolæ & manipuli, atque Dalmaticæ, quibus vir ſanctus uſus eſt. In monaſterio Murenſi item ejus ſtola & quædam reliquiæ ſervantur. De ipſius inventione poſt librum miraculorum agendum. [Reliquiæ.]

[* S. Ulric.]

9. De quibuſdam ſcriptis, quæ Udalrico tribuuntur, dubiæ admodum & incertæ ſunt conjecturæ. In his eſt ſermo Synodalis parochianis presbyteris in Synodis enuntiandus; quem Marcus Velſerus Udalrici eſſe exiſtimavit, propterea quod pleræque interrogationes, quas Udalricus Presbyteris in ejuſmodi ſynodis facere ſolebat, teſte Gerardo in ſequentis libri cap. 6. prædicti ſermonis (qui in tomo 9. Conciliorum Labbeano editus eſt col. 803.) interrogationibus reſpondeant. Verum dici poteſt id genus interrogationum capitula ab Udalrico accepta fuiſſe ex vulgari formula ſermonis, qui in hujuſmodi ſynodis haberi ſolebat. Et certe idem ſermo, paucis immutatis, Leoni Papæ IV. adſcribitur in tomo 8. Conciliorum col. 35. Similis eſt item Ratherii ſermo ſynodicus in Spicilegii tomo 2. pag. 256. Alius Udalrici ſermo ad populum refertur in ſequentis Vitæ cap. 9. Ad hæc quædam ſuperiori ſæculo Udalrici nomine venditata eſt epiſtola ad Nicolaum Papam: cui auctoritatem conciliare conati ſunt Novatores ex Æneæ Silvii Apologia ad Mayerum, ubi Pontificem ab Udalrico de concubinis reprehenſum dicit. At purum commentum cenſet Velſerus: tum quia nullus toto Udalrici tempore Nicolaus Papa eccleſiæ Romanæ præfuit: tum quia hæc Æneæ verba in aliquibus codicibus non leguntur, abſuntque ab editione Romana anni 1584. Præter ea Gerardus nullam hujus reprehenſionis mentionem facit. Tametſi non injuria dici poteſt, id cadere poſſe in Joannem XII. quem flagitiis deditum Otto M. in frequenti Synodo exauctorari curavit, cum frequenter admonitus reſipiſcere noluiſſet. [Scripta.]

10. Sed

Digitized by Google

10. *Sed jam tandem referenda eſt Anonymi ſeu Gerardi lucubratio, quam Baronius ceteris merito prætulit ob ſimplicitatem, quæ veritati magis conſentanea eſt, laudatque Marcum Velſerum, apud Auguſtanos Duumvirum celeberrimum, qui hanc ſcriptionem* jam oblivione ſepultam typis cudendo & Notis illuſtrando, revocavit ad vitam. *Ita vir illuſtriſſimus ad annum* 924. AN.CHR 973 4. Julii.

PROLOGUS

In vitam Sancti Udalrici Epiſcopi.

1. AURES plurimorum cum fama miraculorum Chriſti, quæ per ſervum ſuum ſanctum UDALRICUM in honorem ſuæ ſanctiſſimæ genitricis MARIÆ fieri conceſſit, frequentiſſime pulſaret, & adhuc mentes eorum dubitatio occuparet; miſſis ad me legatis rerum veritates ex meis reſponſionibus cognoſcere cupiebant, rogantes me, ut ea quæ ego in veritate ſcire potuiſſem, lucida deſcriptione eis manifeſtarem. Cumque interrogantium tanta pluritas me undique interrogationibus cinxiſſet, ut omnibus ſingulariter reſponſa ſcriptis dare me non poſſe æſtimarem; cogitare tacitus cœpi intra memetipſum, ut cum tacita experientia experiri ſtuduiſſem originem ortus ejus, ut deſcripto ejus ortu, vitam ſubſequentem & obitum veraci relatu interrogantibus & legere volentibus omnibus in commune notum facere potuiſſem, non meis antecedentibus meritis confidens, nec ſagacitati mentis meæ, ſed in Dei miſericordiam omnipotentis ſperans qui dixit, *Aperi os tuum, & ego adimplebo illud:* ut per merita præfati Epiſcopi irrigatione Spiritus-ſancti & divini ignis fervore ſenſum meum dirigere dignetur, ut id quod ad excogitandum mihi inſpiravit, ad perficiendum vires non ſubtrahat, niſi prædeſtinata animo idonea taxatione edere concedat, ut diligentibus Deum exempla ædificationis anteponant, & Dei præcepta ſpernentibus converſionis emolumentum, vel damnationis interminationem adaugeant. Iſta pro certo in amore Chriſti legentibus auxilium Dei omnipotentis adeſſe confidimus, ut per ſervum ſuum ſint in iſto ſæculo freti, & eo juvante fiant ad æterna gaudia perducti.

2. Oportet in primis ne reticeamus tanti taliſque viri Spiritu-ſancto juvante nominis interpretationem. Teutica itaque lingua hereditas a proavis derelicta *Alt-vodal* dicitur, *Ric* divitias ſonat. Ideo non incongrue [a] Vodalricus a paterna hereditate dives interpretari poteſt: nam æterni Patris hereditate ditatus floret, de quo Patre quotidie in oratione noſtra dicimus, *Pater noſter qui es in cælis*, & reliqua. Ad cujus hereditatis ſanctus Paulus poſſeſſionem in Dei voluntate perſeverantes conſolatur dicens, *Heredes quidem Dei, coheredes autem Chriſti*: de qua etiam hereditate ſcriptum eſt, *quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis adſcendit, quæ præparavit Deus diligentibus ſe*; cujus compedio non ſolum ſibimet fruitur, verum etiam plurimos multimodis beneficiorum conſolationibus in hac peregrinatione vivens traxit, & nunc melius vivens, multimodis juvaminibus & continuis miraculis ad hanc introducet, ſicut in ſequentibus reperitur. Udalrici nominis interpretatio.

INCIPIUNT CAPITULA.

PRimum Capitulum, *de ortu S. Udalrici, & qualiter hebdomada 12. ablactatus eſt, & ubi ad ſcholam commendatus eſt, & quomodo Epiſcopatum accepit: & de viſione* RAMBERTI *Presbyteri.*

II. *De alia viſione ejuſdem Ramberti.*

III. *De viſione ipſius Epiſcopi, quam ei ſancta Afra manifeſtavit, & de obitu* HENRICI *Regis, & ſublimatione* OTTONIS *in regnum; & de* ADALBERONE *Epiſcopi nepote; & de conſuetudine quotidiana Epiſcopi.*

IV. *Qualiter Quadrageſimæ tempus celebraret, & tempus indulgentiæ, diemque Cœnæ Domini, & deinde uſque ad finem paſchalis hebdomadæ.*

V. *Qualiter inter loca ſua pergere, & quid ibi facere conſuetus eſſet.*

[a] Aliæ aliorum etymologiæ ſunt. Aventinus in Nomenclatore *Ulricus*, *Hildericus*, *Childericus* pro eodem nomine accipit, & amorem regni ſive divitem regni interpretatur. Ita Velſerus. Sed Aventini confuſio mihi ſuſpecta eſt.

AN CHR. 973 4. Julii.

VI. *Qualiter pergeret quando diœceſim ſuam viſitavit.*
VII. *Quanta commoditate eccleſias noviter ædificatas benediceret.*
VIII. *Quomodo pro eleemoſyna ſua in pago Albegaviæ quibuſdam paupertate afflictis hominibus eccleſiam longe in Silva ſitam conſecravit.*
IX. *De multiplici ejus admonitione, & de ratione octo vitiorum, & de timore in die judicii, & de conſolatione juſtorum.*
X. *Cum* LIUTOLFUS *& patruus ejus* HEINRICUS *inter ſe diſcordiam habere cœperunt, quam firma fide cum Imperatore permanſit, & quomodo in caſtello Mantachinga obſeſſus liberatus eſt.*
XI. *De vindicta quæ ſuper deprædatores Auguſtenſis civitatis venit.*
XII. *Qualiter ſanctus Udalricus &* HARDBERTUS OTTONEM *Regem, & filium ejus pacificati ſunt, & de occiſione Ungrorum.*
XIII. *De reverſione Imperatoris ad Saxoniam, & de commendatione propinquorum & admonitione ædificationis eccleſiæ ſanctæ Afræ.*
XIV. *De hortulano qui ſenſum prodidit, & ab Epiſcopo liberatus eſt; & de præparatione ſepulturæ ejus: & de itinere ejus ad Romam, & qualiter caput ſancti Abundii acquiſivit, & poſtea monaſterium ſancti Galli viſitavit,* EBERHARDUM *ſolitarium ultima vice vidit.*
XV. *De itinere quod ad Burgundiam pro reliquiis ſanctorum peregit.*
XVI. *De oleo ab eo in die Cœnæ Domini ſanctificato, & quam cito ipſe cum eodem unctus ſanatus eſt.*
XVII. *Qualiter ſuper fluvium Vindicenſem ab eluvione elevatum, comite ſuo humectato, ſiccis veſtimentis venit; & in Danubio de immerſione liberatus eſt.*
XVIII. *Quanta commoditate* Tar *fluvium tranſivit, cui valde periculoſo advenit.*
XIX. *Cum congregationem Sanctimonialium ad eccleſiam ſancti Stephani componere cœpiſſet, qualiter una earum infirmabatur & ſanabatur.*
XX. *De conſtructione eccleſiæ ſancti Joannis Baptiſtæ.*
XXI. *De itinere ejus ultimo ad Romam.*
XXII. *De reverſione Epiſcopi ad Auguſtam.*
XXIII. *Qualiter Epiſcopus ad Synodum* Ingilunheim *cum Adalberone vocatus eſt.*
XXIV. *De obitu Adalberonis.*
XXV. *De legatione ad Imperatorem pro Abbatia Uttenbura.*
XXVI. *Quam formoſe Epiſcopus obitum ſuum in Auguſta exſpectaret.*
XXVII. *Qualiter Epiſcopus die nativitatis ſancti Joannis Baptiſtæ ultimam Miſſam celebraret.*
XXVIII. *Qualiter* HEINRICUS *ſucceſſor ejus ad Epiſcopatum venit, & qualiter interiit.*

CAPUT I. *De ortu ſancti Udalrici, & qualiter hebdomada duodecima ablactatus eſt: & ubi ad ſcholam commendatus eſt; & quomodo Epiſcopatum accepit: & de viſione Ramberti Presbyteri.*

* al. Bonæ memoriæ.
* al. Dietpirch.

3. BEatæ * igitur memoriæ ſanctus Udalricus, excelſa proſapia Alamannorum ex religioſis & nobilibus parentibus ortus, patre ſcilicet HUCPALDO *a* & matre THETPIRGA * nuncupata: qui ſolito more lactatus & ſummo ſtudio nutritus, quamvis ſtatura corpuſculi elegans, tali tamen macilentia confectus erat, ut nutritoribus verecundia eſſet, ſi aliquis ignotorum faciem ejus inſpexiſſet. Mirantibus vero patre & matre, quare tanta tenuitate & informitate corporis occuparetur, & ſæpe inde cogitantibus, hebdomada interim duodecima ejus nativitatis, quidam ignotus clericus caſu adveniens ſupplicabat, ut ab eis aliquantos dies in hoſpitium reciperetur: qui benigne ſuſceptus, & cum eis in atrio domus ſuæ hora refectionis ſedens, audiebat in cubiculo infantulum vagientem; ſciſcitabatur quis aut cujus eſſet: præ pudore vero maciei illis nolentibus indicare, dixit: Si ſalvum illum eſſe cupiatis, celeriter ablactetur: qui parvipendentes ejus locutionem, eum lacti non ſubduxerunt. Altera vero die iterum audiens eum, dixit: Quare non feciſtis ſecundum conſilium meum? qui adhuc con-

a Udalricus *clariſſima Ducum & Comitum Alemanniæ proſapia* oriundus dicitur a Gebehardo in ſecunda vita. Patrem Comitem Kiburgenſem ferunt, matrem Burchardi Sueviæ Ducis filiam. An is Burchardus Alamanniæ Dux eo nomine primus, quem in conventu ſuo, orto tumultu, anno 911. occiſum tradit Hermannus apud Caniſium? Certe Udalricus noſter Burchardi ſecundi nepos dicitur infra num. 7. Theodpaldum Comitem fratrem habuit ex num. 38. & Manegoldum num. 66. Nepotes Adalberonem ex ſorore Liutgarda num. 13. & Reginbaldum num. 45. Hupaldum etiam Comitem filium fratris ſui Manegoldi num. 67. Fuit & alter Manegoldus frater jam dicti Adalberonis ex eodem num. 67. *Tiepirga mater ſancti Udalrici* 11. Kalendas Aprilis notatur in Necrologio monaſterii ejus. Udalrici nativitas incidit in annum 893. ſiquidem octogenarius obiit anno 973.

Digitized by Google

contemnentes ejus conſilium non crediderunt ei. Tertia autem die audiens vagitum ejus infirmiorem quam antea, dicebat ad eos: Pro incuria veſtra perditioni traditur infantulus iſte, pro certo ſciatis, quia ſi uberibus non ſubtrahitur, in iſta nocte morietur. Si autem ſubtractus, ſalvabitur; in poſterum a Domino aliquid magnum in eo manifeſtabitur. Tunc demum ei obtemperantes, aliis eum eſcis ſuſtentare cœperunt: qui ſtatim recreatus de die in diem proficiens, talem corpus formoſitatem accepit, ut ipſi ſui parentes gratantes eum intuerentur, & aliis oſtenderent. Qui laudantes Dominum die noctuque pro ſoſpitate pueri, & pro eo quod talem ad eos direxit hoſpitem, qui iſtius rei diſcretionem cognoſcebat, & illis innoteſcebat. AN.CHR. 973 4. Julii.

4. De præteritis ergo futura credentes, tractaverunt ubi vitam religioſiſſimam & docendi ſtudioſiſſimam invenire potuiſſent: acceptoque conſilio commendaverunt eum ad ſancti Galli Monaſterium, quia ibi nobilium Dei ſervorum multitudo, & religioſitas diſcendi docendique ſtudium tunc temporis habebatur. Commendatus vero cuidam religioſo viro grammaticæ artis edocto, WANING *a* nuncupato: a quo bene procuratus quotidianam religionis atque lectionis doctrinam accepit, & in intimis ſui cordis inſeruit, adeo ut paullatim Fratres in eo doctrinæ fructificationem nimis proficere ſentirent, & ob hoc eum in ſuæ fraternitatis conſortium flagitando aſſumere conarentur. Horum itaque petitionibus ſæpe commonitus, inducias reſpondendi poſtulavit. Tunc itaque ad quamdam ibi commorantem incluſam Wiberat *b* nominatam conſilium quærendo acceſſit: quæ reſpondens dixit: Poſt triduum ad me veniens, ſi Deo placet, meum poteris animadvertere conſilium. Inde illo recedente, ipſa devotæ orationis ſtudio Dominum flagitabat, ut ſtatuto die certi veraciſque conſilii indicium ſibi manifeſtare potuiſſet. Cumque ille reſponſum accepturus adveniſſet, dixit
„ illi: Ultra hæſitatio tuam non occupet mentem, quia iſtius cœnobii ſpi-
„ ritualis Pater a Deo decretus ad regendum nullo modo conſtitueris: ſed
„ in orientali parte, ubi quidam fluvius *c* duas dividit regiones, in futu-
„ rum epiſcopali miniſterio Deo militare debebis, & in eodem loco mul-
„ ta talia perpeſſurus es laborioſa, qualia numquam anteceſſores tui ſuſti-
„ nuerunt a paganis & malis Chriſtianis: quæ tamen omnia Deo juvante in
„ ultimis decentiſſime ſuperabis.

5. Hæc audita ſecretiſſimis Fratribus intimavit, & eorum ſuaſionem ſuavi colloquio mitigavit, totamque ſpem priſtinæ deſtinationis in ſua mente depoſuit: & ob hoc tamen diſcendi ſtudium non omiſit, ſed inibi cum omnibus charitative verſabatur; donec congruo tempore duplici ſagina ſcientiæ ac religionis repletus, communi omnium oratione conſolatus, & fraternitatis amore fretus, parentes ſuos amative dimiſſus reviſitavit. Qui tunc ſapienti capto conſilio, eum præſulis Auguſtenſis eccleſiæ ADALBERONIS *d* dominio ſubdiderunt, quem multa tunc temporis ſapientia repletum, muſicaque arte præ ceteris præditum, gubernaculaque regni pæne omnia cum Rege diſponentem agnoverunt. Ipſe vero propter nobilitatem parentum, & bonam ejus indolem, & formoſitatem, læto animo ſuſcipiens, miniſterium Camerarii *e* ſibi commendavit: quo ſuſcepto, & aliis ſecundum ſuam digni-

a Ekkehardus junior Hartmannum Udalrici præceptorem vocat, hic in Obſervatione 5. Fortaſſe alium habuit grammaticæ Waningum, alium aliarum diſciplinarum inſtitutorem Hartmannum. Waningum lego Cralonis Abbatis monachum & capellanum: ſed Udalrici præceptorem natu majorem fuiſſe oportet.

b S. Wiboradæ acta ſuperius exhibuimus ad annum 925. Vide Obſervationes huic Vitæ prævias num. 5.

c Lycus ſcilicet, qui Sueviam & Bajoariam diſcriminat, & præterfluit Auguſtam, cujus urbis Epiſcopus Udalricus.

d Adalbero ſedit ab anno 887. ad 909. regnante in Germania Ludovico quarto Arnulfi filio, munificus in S. Gallum, ut in Obſervatione 7. dictum eſt. Hepidannus tamen in Annalibus ejus obitum revocat ad annum 910. Hic cum Abbatiam Laureshamenſem teneret, eam in gratiam Abbatis regularis dimiſit, teſte Chronographo Laureshamenſi.

e Camerarii officium in eccleſiis cathedralibus eſt veſtes diſpenſare &c. infra num. 21. Confer num. 72.

AN.CHR. dignitatem beneficiis, ſicuti præcoquus erat, in omnibus proſpere agens, de
973 die in diem proficiebat.
4. Julii. 6. Interim vero libuit eum limina viſitare beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli. Cumque illuc perveniſſet, a venerando Papa MARINO *a* bene ſuſceptus eſt, & ab eo interrogatus, de qua provincia vel civitate eſſet nativus. Qui reſpondens dixit: De provincia Alamannia, & de civitate Auguſta oriundus ſum, verſorque in ſervitio Adalberonis ejuſdem civitatis Epiſcopi. Ne turberis, inquit, animo o frater: ille de quo mihi dixiſti ſenior tuus Adalbero migravit a ſæculo, & Deo jubente te ejuſdem matriculæ decet eſſe paſtorem. Eo quidem renuente, infit: Cur recuſas deſtinationem Dei? ſi nunc inconcuſſam & indeſolatam accipere & gubernare refragaris in traquillitate, inantea vero deſtructam & deprædatam in perturbatione accipies, & cum labore gubernabis & reædificabis. Altera vero die ſine licentia Papæ, propter triſtitiam defuncti domini ſui, & ne ab eo plus verbis conſtringeretur, exivit e Roma, Auguſtamque reviſitavit: & invenit ita ſicut præfatus Papa prædixit. Tunc Hiltine ſucceſſor Adalberonis effectus eſt: qui tamen tantæ non fuit celſitudinis, ut ſuo ſe vellet applicare ſervitio. Interim vero patre ejus defuncto, rediens ſuſcepit procurationem matris ſuæ, recordans præcepti Domini dicentis: *Honora patrem tuum & matrem &c.*

7. Tanta itaque eam diligentia & omnia ſua cuſtodivit ac diſpoſuit, prout ei vires a Domino conceſſæ ſuppetebant. Poſt quindecim *b* annos defuncto Hiltine Epiſcopo, machinatione nepotis ſui BURCHARDI Ducis & aliorum propinquorum ſuorum, HEINRICO Regi præſentatus, ejuſque ſublimitati nota facta eſt deceſſio Epiſcopi, ſupplicatumque eſt, ut præfato domino Udalrico epiſcopalis poteſtas ab eo concederetur. Rex vero intuens herilitatem ſtaturæ illius, & comperiens doctrinæ ſuæ ſcientiam petitioni eorum aſſenſum præbens, regio more in manus eum accepit, munereque Pontificatus honoravit. His vero ita peractis hilari animo de Rege revertentes, & ad Auguſtam pervenientes, ſecundum Regis edictum poteſtativa manu inveſtituram Epiſcopatus ſibi perfecerunt. Succedente vero tempore Nativitatis Domini, in die *c* ſollemnitatis Innocentum, conſuetudinario ritu ordinatio ejus peracta eſt.

8. Inde vero proſpero reditu domum veniens, conſpiciensque muros eccleſiæ undique depoſitos, omniaque ædificia nimis dilapſa, ſicut ſub priori antiſtite igne ſunt conſummata: nimia tunc mentis anxietate fluctuans, cogitabat, qualiter convenientiſſime tam penitus deſtructa reædificare potuiſſet, quia maxima pars familiæ a paganis fuerat occiſa, & opida exuſta & deprædata; pars autem familiæ quæ remanſerat, in magno egeſtatis labore erat afflicta. Acquiſitis tamen architectis, & multitudine congregata familiæ, cœpit ſagaciter diruta reſtaurare, ſatiſque ſenſibiliter ordinare, magnoque animi fervore ſtudens ut cœpta perficere non deſiſteret. Cum vero vir magnæ ſuavitatis inchoatum opus, quamvis preſſa ſuppellectile, divino tamen fretus adminiculo ardenter implevit; omniaque ipſius templi interiora omnigeno, quantum valuit, decoramine ornare contendit: necnon etiam frequenter ſagaci oculorum acie intus & forinſecus poſitiones eccleſiæ caute perluſtrans, parvitatem non lucidæ cryptæ vilitatemque ſibi nimis diſplicere conqueſtus, ſeque profeſſus eſt competentius decentiuſque, ſi Deus annuerit, poſiturum. Cumque opus cœptum ſatis creſcere videretur, Ramberto cuidam

a Non fuit Romæ Pontifex Marinus anno 909. quo hoc contigit, ſed Sergius tertius, cui in breve tempus ſucceſſerunt Anaſtaſius & Lando, ac poſtea Joannes X. in annos ſexdecim Marinus primus anno 884. ante Udalricum natum; ſecundus anno 946. ſedere cœpit. Et tamen charta quædam Azilæ nobilis matronæ pro Fauceníi Bajoariæ monaſterio data legitur *anno Domini* 919 *ſub Papa Marino, ſub Rege Heinrico &c.* An Marinus per ea tempora improborum Pontificum, quaſi Vicarius Papæ, res adminiſtrabat, atque ob id Papa appellatus?

b Mendoſe Bruſchius, *quindecim menſes*. Non tamen integri cenſendi ſunt anni 15.

c Anno ſcilicet 924. deſinente. Hertmannus ad hunc annum, ubi Udalricus *mira pietate & religione* præditus, annis 50. Auguſtæ Vindelicæ præſuiſſe dicitur. Qui in annum 925. ejus ordinationem differunt, ut Conradus Uſpergenſis, novum annum pro veteri more ineunt. Et tamen anno 924. Innocentum dies in feriam tertiam incidebat, non in Dominicam, quæ Epiſcopis ordinandis ex Canonum præſcripto aſſignata eſt.

Digitized by Google

dam fratri in ecſtaſi mentis videbatur, ſe ſicut ſolebat cum illo pſalmos decantare debuiſſe, & interim ADALBERONEM Epiſcopum in aquilonari parte cryptæ miſſatico apparatu veſtitum, ſibi apparentem, annuentemque, ut ad ſe veniret. Sed ille ancipiti timore ſæptus viventis atque defuncti domini, „ cœpit oculis pavens in eum conſpicari: interrogatuſque ab eo, Quare ſic o„ culis in me inflecteris? At ille reſpondens dixit: Ecce video ſeniorem meum Adalberonem epiſcopaliter paratum ad Miſſam, meque vocantem ad ſe. At ille, Feſtina, inquit, juſſionem ſuam implere. Cui venienti ad ſe dixit ad eum: Ramberte, dic domino tuo Epiſcopo, mercedem a Domino acceptu-rum pro orationibus & eleemoſynis, quas mihi fideliter tranſmiſit: & hoc ſignum dicito illi, quod FORTUNATUS *a* & ego in proxima Cœna Domini, Domino concedente, cum illo chriſma ſanctificabimus, & quod operatio hujus cryptæ eſt ruitura: ob hoc tamen non debet omittere, quin ſtudeat in poſterum ſtabiliter perpetrare. Fratres quoque recordari moneto, quod ſine vi & ſua ſponte, ſedula & aſſidua oratione pro me laborare ſpoponderunt, & quod ſic non fecerunt: & ſi hoc emendaturi non fuerint, ſciant ſe eſſe de hoc in conſpectu Domini rationem reddituros. Et tu quotidie unum pro me pſalmum cantabis, ſine cautela, & hoc te emendare monebo. Ipſe vero Epiſcopus interim regiis occupatus obſequiis, curſum direxit ad curtem *b*: ibique apud aulicos digno honore diu retentus, tandemque requiſita ſalubri licentia domum repedavit, opuſque cujus effectum ſeſe cernere ſperavit, totum penitus dilapſum reperit ac ſubverſum, ſecundum prædictam relationem præfati Ramberti. Tum vero cautioribus fundamentis poſitis, ſtabiliter perfecit.

AN.CHR. 973 4. Julii.

II. *Item de viſione ejuſdem Ramberti.*

9. Alia autem vice cum in opido, Waringa vocitato, primo mane conſuetudinario more pſalmodiam cum eodem Ramberto ſtuduiſſet explere, idem cœpit reflexis oculis timide moveri. Interrogatuſque ab eo reſpondebat dicens: Ecce video ſeniorem meum Adalberonem eodem modo, ſicut antea eum vidi, præcipientem mihi, ut illi miniſtrem ad Miſſam. Qui ſtatim ſurgens retractis foribus receſſit de eccleſia, donec hæc viſio finiretur. Aliam vero viſionem quam de multis Fratribus in veritate dicentibus accidiſſe didicimus, oblivioni nos tradere non oportet: quia cum religioſus vir die ſancto Paſchæ miniſterium Sacramentorum ſtudioſe perficere decertaret, multitudine clericorum adjuvante, & quodam Heilrico * Presbytero Cantore exſiſtente, apparuit dextera cum dextera Epiſcopi Sacramenta ſanctificans. Expleta vero Miſſa, ille præfatus Heilricus ſequens eum in cubiculum ſuum, cecidit ad pedes ejus, & incautius quam debuiſſet in præſentia laicorum hanc viſio„ nem explanavit. Cui ille reſpondens dixit: Utilius tibi fuiſſet iſta reticere „ quam loqui. De hac vero reſponſione ſtupefactus receſſit ab eo, & in ſcena *, quæ ante cubiculum ejus eſt ſita, conſedit, & ſtatim oculi ejus magna nimietate cœperunt lacrymas effundere, & in ea effuſione permanſerunt, uſque dum in totum præſenti lumine privati ſunt.

* al. Henrico.

* portica.

III. *De viſione ſancti Epiſcopi, & de obitu Regis & de Adalberone, & conſuetudine ſuæ ſervitutis.*

10. Alio tempore in nocte antecedente diem ſanctum Cœnæ Domini, quaſi in ſomnis audivit vocem ſibi loquentem: Udalrice Epiſcope, ſcias te

a Velſerus id refert ad Fortunatum Pictavorum Epiſcopum, quem Auguſtæ aliquando fuiſſe Paulus Warnefridi teſtatur in lib. 2. cap 9. aliis 13. improbatque editor nonnullos, qui Fortunatum quemdam Auguſtanum Epiſcopum produnt, quod ex catalogis Epiſcoporum probari non poſſe dicit. Verum omnibus catalogis prævalere debet hujus Vitæ auctoritas, quæ Fortunatum Udalrici *anteceſſorem* vocat infra num. 10. An tantum Chorepiſcopus? an vero Lanto, ſeu quivis alius, Adalberonis deceſſor, binominis erat?

b *Curtem Regis*, infra num. 13. Nos *curiam* vocamus.

AN. CHR. 973 4. Julii. hodie hoſpites eſſe ſuſcepturum. Et expergefactus a voce, qui eſſent illi hoſpites cœpit tractare. Cum autem dormiret, loquentis ſibi verba audivit: Orationes tuas & eleemoſynas tuas oculi Domini conſpexere, & ideo binis anteceſſoribus tuis, Fortunato & Adalberoni, es commendatus, ut tibi hodie & poſthinc in iſtis ſacris ſollemnitatibus ſacra myſteria celebranti adſiſtant & ea tecum benedicant.

11. Mane autem facto aliis (ſicut mos eſt) peractis miniſteriis, circumſtantibus miniſtrorum ordinibus, cum ſacramenta conſecraret, ipſe & quidam de circumſtantibus devotiores viderunt dextram Domini cum eo Sacramenta conſecrare, & ſignum crucis imponere, quibus quia per ſpiritum eos ſciebat, cum Viaticum ab eo accepturi accederent, digitum ori ſuperpoſuit, ut de viſione tacerent: quibus etiam poſtea ad ſe vocatis, quæ ei in nocte dicta ſunt ſecreto nuntiavit, & præcepit ut eo vivente neque viſa, neque ab eo ſecrete audita alicui manifeſtarent, ſi præſentem adhuc vitam habere voluiſſent.

12. Majoris etiam viſionis ſibimetipſi manifeſtata miracula ſub ſilentio recondendum bonum eſſe non æſtimo. Quia quadam nocte cum corpus lectulo ad dormiendum collocaſſet, vidit ſanctam Afram in magna formoſitate, pulchra tunica indutam atque ſuccinctam, ſtantem ante ipſum dicentemque ſibi: Surge & ſequere me. Et hæc dicens eduxit eum in campum, qui vulgo dicitur *a* *Leckfeld*. Ibi enim ſanctum Petrum principem Apoſtolorum invenit cum multitudine magna Epiſcoporum & aliorum Sanctorum, & eorum quos ille ante non videbat: & tum nutu Dei cognoſcebat bene, Synodale colloquium cum eis facientem, & magna & innumerabilia diſponentem, ARNOLFUMQUE *b* Ducem Bavarorum adhuc viventem, de deſtructione multorum monaſteriorum quæ in beneficia laicorum diviſit, de multis ſanctis accuſatum legaliter judicantem, & enſes duos valde heriles, unum cum capulo, & alterum ſine capulo ſibi oſtendentem, & ſic loquentem: Dic Regi Heinrico, ille enſis qui eſt ſine capulo, ſignificat Regem qui ſine *c* benedictione pontificali regnum tenebit; capulatus autem, qui benedictione divina regni tenebit gubernacula. Finita itaque Synodo præfata Dei martyr monſtravit illi loca caſtrorum, ubi poſtea OTTO Rex adhuc manens regalem locutionem cum populis diverſarum provinciarum habuit, ubi Rex PERENGARIUS *d* de Longobardia, & filius ejus ADALBERTUS, cum multis Epiſcopis ſe præſentaverunt, & ſuo dominio ſubdiderunt. Indicavitque ei venturam ſupergreſſionem Ungarorum, & loca belli, & quamvis laborioſe, tamen victoriam Chriſtianis conceſſam eſſe nuntiavit. Hac viſione peracta, reductum eum in lectulo collocatum dimiſit. Ipſe vero ad ſe reverſus cogitabat, reverenter in recordationem ſuam ducens illud illuſtris verbiſatoris rapti ad ſecreta tertii cæli dicentis, *ſive in corpore*, *ſive extra corpus*, & reliqua. Hæc vero viſio ab eo paucis prudentibus ac ſibi familiaribus manifeſtata eſt.

13. Poſtea autem curtem Regis adiens, ſolito more ſervitio ejus ſubdebatur, uſque dum Rex Heinricus præſentem vitam * finiret. OTTONI itaque filio ejus in regnum ſublimato, eamdem quam patri ſedulitatem ſervitii & fidei firmitatem in cunctis impertiri ſtudebat. Tunc vero temporis habebat Epiſcopus Udalricus filium ſororis ſuæ LIUTGARDÆ bonæ indolis, ADALBERONEM nomine, cuidam doctiſſimo magiſtro BENE-

*anno 936.

DICTO

a *Ex nomine decurrentis fluvii*, ait Berno, nempe Lyci: nam *feld* germanice ſignificat campum. Nomen retinet hactenus jucundiſſima planities, quæ ad ſeptem octove leucas ſupra Auguſtam late porrigitur. In ea ſacellum beatæ Mariæ, Fidelium concurſu celeberrimum, in quo nos aliquando ſacra fecimus.

b Hinc Otto Friſingenſis in lib. 6. cap. 18. „ Hic eſt Arnolfus, qui eccleſias & monaſteria Bajoariæ „ crudeliter deſtruxit, ac poſseſſiones eorum militibus diſtribuit „. Obiit anno 1136. ex Hepidanno.

c Gebhardus alter Vitæ ſcriptor, & cum eo Otto Friſingenſis, hic Arnolfum intelligunt. Ditmarus vero lib. 1. Henricum Aucupem, quod vero propius eſt. Is enim regia ſe corona ſollemniter inſigniri præ modeſtia non tulit.

d Id anno 951. contigiſse docet Hermannus „ Synodus 15. Epiſcoporum, magnuſque totius regni „ Principum conventus apud Auguſtam Vindelicam coadunatur; ibique Beringarius Ottoni Regi ad deditionem „ venit, eique ſubjectionem promittit. „ Conſentiunt Witichindus, Ditmarus, & alii.

Digitized by Google

DICTO *a* monacho ad erudiendum ſcientiam grammaticæ artis & aliorum librorum commendatum. Cumque ille ab eo in omnibus profectibus bonæ ſcientiæ & diſciplinæ doctus atque educatus in virile robur deveniſſet, ſtatim de ſchola exemptus, ab avunculo ſuo Epiſcopo Imperatori præſentatus, & in manus ejus miſericordiæ commendatus, regali ſervitio tam ſtudioſe atque decenter inſiſtebat, uſque dum Imperatori ejus miniſterium in eccleſiaſticis & ſæcularibus bene placuiſſet. De hac pro certo ſedulitate ejus ſervitii quotidiani conceſſum eſt ejus avunculo ſancto Udalrico Epiſcopo, ut præfatus Adalbero in ejus vice itinera hoſtilia cum militia epiſcopali in voluntatem Imperatoris perageret, & in curte Imperatoris ejus vice aſſiduitate ſervitii moraretur, ea videlicet cauſa, ut præfato Præſuli Dei ſervitio, & cuſtodiæ gregis commendati, & utilitatibus Eccleſiæ, & orationibus & eleemoſynis ſecundum ſuum deſiderium immorari licuiſſet *b*. AN.CHR. 973 4. Julii.

14. Ille vero quantum ſæcularibus curis ſe abſolutiorem eſſe perſenſit, tantum ſeipſum in Dei voluntate facere nitebatur obligatiorem. Curſus ſcilicet quotidianus cum matriculariis *c* in choro ejuſdem matriculæ ab eo caute obſervabatur, quandocumque ei domi manendum aliæ occupationes conſenſerunt. Inſuper autem unum curſum *d* in honore ſanctæ Mariæ genitricis Dei, & alterum de ſancta Cruce, tertium de omnibus Sanctis, & alios pſalmos plurimos, totumque pſalterium omni die explere ſolitus erat, niſi ſi eum impediret aliqua inevitabilis neceſſitas. Miſſas autem *e* tres vel duas aut unam, ſecundum ſpatium temporis, cantare quotidie non deſiit, ſi infirmitas corporis aut aliquod ſtudium bonum ei non ſubtraxit.

15. Multis temporibus carne abſtinuit, ſed tamen aliis cum eo manducantibus abundanter donavit. In quotidianis refectionibus, quando cum ſuis ad menſam ſedebat, prima appoſitio panum atque ciborum, ex maxima parte per aliquem clericorum, cui hæc commendata ſunt, pauperibus dividebatur: exceptis his mancis atque debilibus, qui in grabatulis & in lectulis & in ſcamellis ambulantes, & in ſphærulatis lectulis, quotidianum victum in ejus præſentia, acceperunt de optimis eſcis & potibus. Aliorum autem nemo qui in ſua præſentia, ſive notus fuiſſet, ſive ignotus, cibum ſumpſerunt, eſuriens aut ſitiens recedebat, niſi aliquando incuria aut tenacia miniſtrorum contigiſſet contra Epiſcopi voluntatem. Hoſpites autem cum ad eum deveniſſent, tripudio & tanta hilaritate vultus & animi ſuſcepti ſunt, & in omnibus procurati, veluti eis optime conveniebat, ſciens in eis Chriſtum ſe ſuſcepiſſe, illo dicente, *Hoſpes fui, & ſuſcepiſtis me*.

16. Vaſſalli * autem Imperatoris ab eo pergentes vel ad eum redeuntes, ſummo honore ſuſcepti, & in tantum ſunt opulentati, ut in nullo eos aut jumenta eorum ulla indigentia fatigaret, acceptiſque ſecum ſtipendiis itineris eorum neceſſariis, læti ab eo redirent. Monachos autem atque clericos & Sanctimoniales eum viſitantes more filiorum amavit, & ſpiritualibus eos atque corporalibus eſcis abundanter recreavit, & cum illo manere conceſſit, quamdiu eorum voluntati complacuit, & congruo tempore in omnibus hilaratos ire dimiſit. Clericos autem ſuos ex familia, vel liberos, mediocres, vel nobiliores, ſumma diligentia nutrire & docere præcepit, & quoſcumque inter eos honore dignos cognovit, miniſteriis & congruis beneficiis ditiores fecit. Laici autem ſuæ dominationi ſubjecti ſemper cum eo omni honore & lætitia commorabantur, nullam deceptionis fraudem ab illo fieri timentes, ſed firmiter cre-

* al. Vaſalli autem ejus in propria ab eo.

a Quis iſte Benedictus? nondum addiſcere potui. An Benedictus Abbas Weſſeprunenſis in Bajoaria ante medium ſæculum 10.

b De Adalberone plura inferius a num. 61. Obitus ejus num. 65.

c Matricularii ſunt clerici in eccleſiæ matricula ſeu in eccleſia matrice inſcripti, infra num. 19. *eccleſia matricula*.

d Hoc primum ſæculo officium parvum beatæ Mariæ frequentari cœpit, ut in Præfatione dictum eſt.

e Miſſas plures uni Sacerdoti quotidie celebrare olim licuit ex Walafrido Strabo cap. 2. Confer epiſtolam *Leonis* M. ad Dioſcorum cap. 2. Concilium Salegunſtadenſe anno 1022. vetuit cap. 5. ne quis trium numerum excederet. Alexander II. qui obiit anno 1073. ad unam id revocavit cap. *Sufficit* de conſecr. D. 1. Caſus quidam, quibus duas celebrare licet, excepti, præter Natale Domini, in quo tres; & Natale ſancti Joannis Baptiſtæ, in quo duæ olim celebrabantur ex num. 73.

Digitized by Google

AN.CHR. 973 4. Julii. credentes atque certe ſcientes, quidquid eis promiſerat, hoc Domino annuente compendioſe perfecerat. De familia autem ei commiſſa quicumque ante eum venerat, ſe exclamando injuſte eſſe oppreſſum vel exſpoliatum, aut aliquo modo injuriatum de domino proprio, cui in beneficium conceſſus erat, ſive de conſervo ejus, vel de alio aliquo, ad rationem ejus caute auſcultavit: & ubi cognovit injuſte contra eum factum fuiſſe, firmiter confeſtim præcepit, ut iniquitas ei facta cito emendaretur, & non omiſit donec perficeretur. Legitimum vero jus totius familiæ, quo pro anteceſſoribus ſuis utebatur, firmiter eam tenere conceſſit, & nullius poteſtatis hominem ſub ſuo regimine degentem hoc ei tollere permiſit: & non niſi rectum cenſum de omnibus locis aliquem ſuorum miniſtrorum ab ea exigere non conſenſit.

17. Otio inani nullo tempore animum ſuum ſubjacere patiebatur, niſi aliquid utilitatis excogitaret, aut perpetraret, ſive de eccleſia, quam undique dilapſam invenit, vel de paraturis altarium & clericorum & de diſciplina Canonicorum & de Schola, & de ſuſtentatione & ſalvatione familiæ, & qualiter civitatem, quam ineptis valliculis & lignis putridis circumdatam invenit, muris cingere valuiſſet: quia in his temporibus Ungarorum ſævitia in iſtis provinciis more dæmoniorum graſſabatur. Hæc vero omnia cum exterius ſuorum fidelium conſultu pertractaret, æſtu tamen interius divini amoris ſuccenſus, vigiliis & orationibus & jejuniis & eleemoſynis Deo ſe ſociare ſtudioſiſſime feſtinabat, ſemper cuti ſuæ laneum *a* apponens veſtimentum, & Regulam ſequens Monachorum. (NOTA.) Poſt Completorium numquam propter ullius hominis petitionem eſcam vel potum delectationi corporis ſuæ conſentiens ſumpſit. In mollitia plumatii non dormivit, ſed pſiathio *b* & ſago aut tapetiis ſuppoſitis requievit. In nocte primum ſonante ſigno ſurrexit, & prædictos curſus maxima cautela complevit *c*.

IV. *Qualiter Quadrageſimæ tempus celebraret, & tempus indulgentiæ, diemque Cœnæ Domini, & deinde uſque ad finem paſchalis hebdomadæ.*

18. Tempus vero Quadrageſimæ quanta devotione celebraret, ſermo mihi non ſufficit ad narrandum: ſed tamen ea quæ vidimus, non decet nobis in totum omittere. Matutinis namque laudibus expletis, aurora diei prima illuceſcente, aliis orationibus expletis pſallere pſalterium cœpit: quo expleto & Letania expleta, aliis orationibus firmiter inſiſtebat, uſque dum ſignum ad vigilias defunctorum ſonaret, quo audito ſtatim ſurrexit, & cum fratribus vigiliam celebravit & Primam. Prima vero expleta, fratribus ſolito more crucem portantibus, ipſe remanens in eccleſia codiculum breviatum ex pſalmis cum aliis orationibus interim decantavit, uſque dum fratres cum cruce redirent, & Miſſam ſacrificationis celebrare cœpiſſent: ipſe primum devote Deo ſacrificium *d* offerens, manum Sacerdotis humiliter oſculans. Expleta vero Miſſa, Tertiam cum fratribus explevit: fratribus vero ad Capitulum pergentibus, ipſe ſolito more in eccleſia remanſit, donec ſignum ad Sextam ſonaret. Sexta autem hora expleta, altaria circuibat cum venia *, can-

* id eſt cum genuflexione.

a „ *Berno*, Seipſum vero, *ait*, nimia maceratione caſtigavit, ita ut carnem non manducaret, & „ intrinſecus ſuper nudam cutem laneam veſtem portaret. *Et infra*: Et ut brevitatis compendio utar, ſic „ exterius gerebat officium Sacerdotis, ut interius non omitteret religionem monaſticæ converſationis.

b Storea, teges, a greco ψιαθος Notum ex Caſſiano & aliis.

c „ *Berno addit*. Sæpius ſperantibus quod cum illis manducaret, ipſe ablata carnalium epularum „ menſa ſurgens ad eccleſiam perrexit, Miſſarum ſollemnia celebravit. Unde adhuc quaſi recenti ſit actum „ memoria, ore multorum refertur, quod dum quadam die ipſe venerandus Pater cum *Conrado*, divæ „ memoriæ Conſtantienſis eccleſiæ Epiſcopo, ad prandium apud ſanctam Afram martyrem comediſſet; „ poſtquam conſumptis cibis ab utriſque diſceſſum eſt, quædam cauſa exſtitit, qua prædictus Pontifex ad „ virum Dei mittere debuiſſet. Ad quem cum legatus ipſius veniſſet, invenit eum ſacro altari adſtantem hoſtiam Domino immolantem. Quo peracto nuntium audivit, atque abſolutum redire ad dominum ſuum permiſit. Cumque reverſus interrogaretur, cur tam diu moratus fuiſſet, reſpondit, quia virum Dei tamdiu exſpectaſſet, donec ter Miſſarum ſollemnia peregiſſet „ &c. Alius congreſſus cum Conrado fabuloſus refertur, in quo Dux Bajoariæ ſanctis viris aliud cogitantibus fruſtum carnis exhibuiſſe dicitur: quod a nullo fide digno acceptum eſt, ſed ab incerto auctore.

d Id eſt oblationem ad ſacrificium, uti colligo ex ſequentibus verbis, *manum ſacerdotis oſculans*.

Digitized by Google

cantans *Miſerere mei Deus*, & *Deprofundis*: tunc demum ad cubiculum rediit ad lavandam faciem ſuam, & ad Miſſam ſe præparandum. Miſſarum autem celebrationibus expletis & Veſperis decantatis, ad hoſpitiolum pauperum pervenit, & 12. pauperum pedes lavit, & unicuique eorum de aceolo *a* pretium unius denarii donavit. Inde rediens ad menſam pranſurus conſedit: ibi lectio non defuit, nec prædictorum pauperum multitudo copioſa. Appoſita cum gaudio ſumpſit, & cum eo manentibus maxima hilaritate diſtribuit, recordans illud Apoſtoli: *Hilarem enim datorem diligit Deus*. Unicuique enim præbebat quod eum libentiſſime ſumere æſtimabat. Cibo vero conſumpto, & omnibus cum eo commorantibus lætificatis, congruo tempore Completorium recitavit; inſuper aliis orationibus peractis, ſecreta cubiculi cum ſilentio repetivit, & omne colloquium, niſi cum Deo & ſanctis ejus, uſque ad alterius diei Primam peractam, omnino devitavit. Hoc modo dies Quadrageſimæ explevit, uſque in diem Indulgentiæ, quem dicunt Paſcha palmarum.

AN.CHR. 973 4. Julii.

19. Eo die mane diluculo ad ſanctam Afram *b* veniebat, ſi in præterita nocte ibi non manebat: Miſſam de ſancta Trinitate *c* cantabat, & ramos palmarum diverſarumque frondium benedicebat, Evangelioque & crucibus & fanonibus *, & cum effigie ſedentis Domini ſuper aſinum, cum clericis & multitudine populi ramos palmarum in manibus portantis, & cum cantationibus ad honorem ejuſdem diei compoſitis, & cum magno decore pergebat, uſque ad collem qui dicitur *Perleich*: ibique obviam ei veniebat chorus Canonicorum cum pulcritudine magna, & cum civibus qui in civitate remanſerant, & qui de opidis circumjacentibus ipſis ſe jungere voluerunt, ibi ad imitandum humilitatem puerorum ceterorumque populorum, ramis palmarum & veſtimentis ſuis viam ſternentium. Iis expletis vir ſanctus congruentiſſimam admonitionem de paſſione Domini ad omnes fecit, eouſque ſæpe ut ille fleret, fletuque ſuo multos flere feciſſet. Admonitione peracta, omnes ſimul Deum laudantes ad eccleſiam matriculam pervenerunt, ibique Miſſam cum eo celebraverunt, & inde omnes in ſua redierunt.

* id eſt vexillis.

20. Poſtea autem his tribus diebus contiguis Synodale colloquium habere conſuevit, eo quod canones *d* bis in anno Epiſcoporum Concilia fieri præcipiunt, unum 15. Kal. Octobris, & aliud quarta hebdomada poſt Paſcha, hoc in iſto tempore perficere decrevit, ne in antea ei aliquod obſtaculum illud perficiendi impedimentum faceret, & ut in Cœna Domini cum eadem multitudine clericorum & populi plenius & honorificentius chriſma & oleum ſanctificaretur. Eo vero die hora tertia omnes clerici ſollemniſſimis paraturis induti venerunt in eccleſiam: & ipſe ſuo more glorioſiſſime ad Dei ſervitium paratus, cum eis ſacrum myſterium agere devotiſſime cœpit: perlectoque Evangelio & admonitione facta ad populum, & confeſſione populi accepta, indulgentiam humillime eis fecit, & tota Synodo oblationem offerente ſecundum ordinem cautiſſime implevit uſque ad benedictionem chriſmatis & olei. Hoc fecit magna reverentia ſibi apportari, cum crucibus & cum pueris portantibus ſub palliolo occultatis, & cereis, cum verſibus ad hoc miniſterium compoſitis formoſiſſime decantatis, & cum proceſſione duodecim Presbyterorum, qui cum eo uſque in finem Miſſæ in ſuo miniſterio perſeverare debuerunt. Rite autem ſibi allato, humillime ſuſcepit, & totam Synodum rogavit, ut quando ille crucem benedicendo ſuper illud

a Iterum obſcura hæc vox redit infra num. 21. an de marſupio; an legendum de *ſacculo*?

b Nunc S. Udalrici & ſanctæ Afræ eccleſia, monaſterio noſtrorum celebris, ut dictum eſt ſupra: quæ muris urbis tunc non continebatur, infra num. 24. ſic vero in præſens.

c Iterum infra num. 23. Miſsa de Trinitate die ſancto Paſchæ. Eadem num. 51.

d Ita ſtatuunt canones relati Diſt. 18. c. 4. Primum poſt tertiam hebdomadam Paſchæ, ut in quarta compleatur: ſecundum Idibus Octob. Unde apparet hic 15. *Kal. Octob.* ſumptum pro *die* 15. *Octob.* ut apud alios quoſdam auctores minus Latinos. Ita fere Velſerus. Exſtat Concilium Auguſtenſe anno 952. celebratum, præſidente Friderico Archiepiſcopo Moguntino, præſente Ottone Rege, in quo undecim Canones conditi ſunt.

AN.CHR. faceret, & ipſi cum eiſdem Presbyteris qui in proceſſione erant, & ſibi aſſi-
973 ſtebant, benedicere non deſiſterent, ceterumque populum *Pater noſter* cum
4. Julii. magna humilitate decantare rogavit. Quo benedicto, & populo ſacro viatico *a* recreato, veſperaque expleta, ad ſacrarium venit chriſma & oleum clericis diſpenſandum.

21. His diſpenſatis, ad hoſpitium pauperum venit, & eis ſolito more miniſtravit. Inde autem in eccleſiam ambulavit, & ante ſacrarium venit, ibique a Camerario allatis veſtibus novis, duodecim pauperes veſtivit, & acervulum aceoli aliis diſpenſavit, & eo die nullum ab eo vacuum abire dimiſit, quamvis eorum multitudo magna adeſſet. Poſtea ad cibum venit: cibatiſque omnibus cum eo manentibus, exemplo Domini pedes diſcipulorum ſuorum lavare cœpit. Lavationeque cum antiphonis congruentibus & verſibus & lectionibus decentiſſime peracta, pocula optima in ſuis cellariis recondita cum magna charitate & humilitate ſufficienter porrexit, & Completorio expleto, membra in Dei ſervitio fatigata quieti lectuli commendavit. Die autem Paraſceve horis ſecundum ordinem caute expletis, omiſſis aliis Curſibus, ſicuti in Cœna Domini, niſi ad eumdem diem pertinentibus, mane diluculo pſalterium explere feſtinavit, & ſacro Dei miniſterio perpetrato, populoque ſacro Chriſti corpore ſaginato, & conſuetudinario more quod remanſerat ſepulto, iterum inter eccleſias ambulando pſalterium explevit decantando, & veſpertina hora ſine menſa atque menſalibus in cubiculo ſuo pane & cerviſia
NOTA. ſe recreare cœpit, & unicuique qui ſecum erant, panem & cerviſiam juxta eorum voluntatem exhibere præcepit.

22. Sanctiſſimo autem Sabbati die expletis nocturnis officiis & amando pſalterio perlecto, præparatum ſibi balneum intravit, quo numquam uti ſolebat eo tempore, niſi in Sabbato ante Quadrageſimam, & in media Quadrageſima, & eo die. Lavatione autem corporis peracta, & præparatione veſtimentorum induta, ad ſacrum officium ſollemniter ſe præparavit, & totum clerum hora diei nona cum eo paratum eſſe deſtinavit, ſtatimque perlecta trina letania, cereoque ſanctificato, lectionibuſque & tractis conſummatis, cum quina Letania & cum omni honore ad Baptiſmum conſecrandum ad eccleſiam ſancti Joannis Bҽptiſtæ perrexit: baptizatiſque ibi ab eo tribus pueris cum ſeptena Letania, regreſſus eſt in ſacrarium ad Miſſam ſe præparandum, clero interim pſallente in choro. Miſſarum vero ſollemniis ſollemniter cum veſpera peractis, corporeque Chriſti diſpenſato, & ſacris veſtibus depoſitis, eo die menſa appoſita ad refectionem cum magna multitudine conſedit: & omnibus abundanter refectis, cum gaudio ad manſiunculas redire permiſit.

23. Deſiderantiſſimo atque ſanctiſſimo Paſchali die adveniente, poſt Primam intravit eccleſiam *b* ſancti Ambroſii, ubi die Paraſceve corpus Chriſti ſuperpoſito lapide collocavit, ibique cum paucis clericis Miſſam de ſancta Trinitate explevit. Expleta autem Miſſa, clerum interim congregatum in
* porticu. ſcena * juxta eamdem eccleſiam ſitam ſolemniſſimis veſtibus indutum anteceſſit, ſecum portato corpore Chriſti & Evangelio & cereis & incenſo, & cum congrua ſalutatione verſuum a pueris decantata, per atrium perrexit ad eccleſiam ſancti Joannis Baptiſtæ, ibique Tertiam decantavit: indeque cum antiphonis ad honorem hujus diei congruentiſſime compoſitis, ad tuomum *c* formoſiſſima proceſſione binis & binis ſecundum ordinem ſimul ambulantibus Miſſam celebraturus pervenerat. Miſſa itaque devotiſſime, religioſiſſimeque decantata, cunctiſque ſacramenta Chriſti accipientibus & in ſua re-

a Ita ſupra num. 11. *Viaticum* pro communione, & infra num. 42. Fideles olim hoc ſacro triduo communicari mos erat. De Communione Paraſceves num. 21 Sabbati vero num. 22. ubi corporis Chriſti, ac nulla ſanguinis mentio. Adde diem Paſchæ ex num. 23. Adi Conſuetudines Cluniacenſes.

b Iſtius eccleſiæ nullam ſupereſse mentionem dicit Velſerus, quam prope cathedralem exſtitiſse recte conjicit, patetque ex aſservato ibi Chriſti corpore, quod ſcilicet in Viaticum reſervatum ex conſueto loco transferri ſolet hoc triduo.

c Editor notat ſuperſcriptum fuiſse *ad ſummum*: & Germanicum eccleſiæ cathedralis nomen eſse *thuom*. Unde apud Mediolanenſes, *le Dome*, atque etiam Saltzburgi.

Digitized by Google

revertentibus, ille ad cibum acceſſit: ibi menſas tres omni decore præparatas invenit, unam cui ille cum quibus volebat adſedere ſolebat, & aliam matriculis, *a* tertiam congregationi ſanctæ Afræ. Sanctificato itaque cibo carnes agni, & particulas lardi *b* inter Miſſarum ſolemnia benedicti, omnibus diſpenſavit, & tunc demum cibum cum eis omni gaudio ſumpſit. Tempore autem ſtatuto ſymphoniaci venerunt, quorum tam copioſa multitudo fuit, ut pæne intercapedinem aulæ ſecundum ordinem ſtando impleviſſent, & tres modos ſymphonizando perfecerunt. His ita gaudiis multiplicatis, Canonici præcipiente Epiſcopo charitatem accipientes & rogantes, unum reſponſorium de reſurrectione Domini interim decantaverunt. Et hac charitate expleta, ad alteram menſam congregatio ſanctæ Afræ ſimiliter fecit. Appropinquante vero veſpera, ille ſibi & ſecum ſedentibus lætanter pocula porrigere præcepit, & tertiam charitatem omnes charitative bibere rogavit: acceptaque ea charitate, tertium reſponſorium omnis clerus ſimul cum lætitia decantavit. Quo decantato, hymnum decantando Canonici ſurrexerunt, ut apte præparati ad veſperam devenire potuiſſent. Veſpera autem peracta, Epiſcopus cum hoſpitibus & militibus ad ſuam ædem omnes exhilarandos revertebatur. AN.CHR. 973 4. Julii.

24. Mane vero, quod eſt die Lunæ, clerus totus ad ſanctam Afram congregabatur, ut Epiſcopum venientem formoſiſſimis paraturis indutus honorifice ſuſcepiſſet: quia ejus conſuetudo erat, ut eo die ibi ſacrarum ſollemniis Miſſarum Deo militaret, & poſt peracta ſacrarum Miſſarum ſollemnia multitudinem populi illuc congregati ſacro chriſmate confirmaret. Et his ita peractis ad civitatem rediit, & ibi totam paſchalem hebdomadam devotiſſime celebravit.

V. *Qualiter per loca ſua pergere conſuetus eſſet.*

25. Finita paſchali ſollemnitate, cum alicujus rei neceſſitas popoſciſſet, ut ad alia loca vel ad monaſteria pertinentia ad Epiſcopatum legitime pergere debuiſſet, Vvhtinuvanc, Staphenſe *c*, Fauces, Vviſſinteſteiga, Heuvibach, quæ numquam in beneficium laicorum conceſſit, niſi de exterioribus locis ad eadem monaſteria pertinentibus alicui de iſto pago, in quo monaſterium ſitum eſt, conceſſiſſet, ut ibi Advocatum monaſterii habere potuiſſet, ut eccleſiaſticæ ab eo res defenderentur: ſed ad ſuam poteſtatem optima quæque detinuit, ea videlicet cauſa, ut facultatem ea viſitandi & ibi manendi, & quæ neceſſaria erant corrigendi in ſtipendiis habuiſſet. Sedebat itaque in ſolio ſuper carpentum compoſito de humerulis plauſtri in ferro pendente, & cum eo unus clericus de capellanis ejus, qui cum eo totos dies pſalmos decantaſſet. Non ideo quando in primis tali modo pergere cœpit, niſi * adhuc caballicare potuiſſet: ſed ut a populis ſequeſtraretur, ne a cantatione pſalmorum eorum colloquiis ineptis impediretur. Comitari vero ſemper cum illo aliquos ſuos Presbyteros prudentiſſimos, & de capellanis tantum ut quotidie ſervitium Dei decore perficere potuiſſet, præcepit. Similiter & de vaſſallis ſuis ſemper ſecum aliquos ſapientiſſimos habere voluit, ſi ei aliquod negotium de eccleſiaſticis rebus vel ſæcularibus ad tractandum deveniſſet, ut eorum conſilio caute tractare & regere ſemper paratus eſſet. Fuerunt etiam electi de familia ſemper, qui trahentibus bubus *d* ductores fuiſſent,

*quod non.

a Id eſt Canonicis eccleſiæ cathedralis: Clerici vero per id tempus eccleſiam ſanctæ Afræ obtinebant.

b In vetuſtis Sacramentorum libris invenitur *benedictio lardi*, quod a Paſchate comedi incipiebat. Vide reſponſionem Zachariæ ad Bonifacium Sæculo 3. parte 1. pag. 78.

c Alii codices habent, *Staphenſe*, *Vviſintelleigia*, *Hovvibach*, *Suicbvvant*: alii *Scaphenſe*, *Vviſinteſſibia*, *Hovivibach*, *Fauces*, *Sincbvvanc*. De Faucenſi monaſterio in Obſervationibus præviis num. 7. & infra num. 83. fuſius in Sæculo 2. pag. 509. De Staphenſi hic num. 66.

d Mos olim erat, ut magnatum, immo & Principum carpenta bobus veherentur. Id patet ex Gregorii Turonenſis Epiſcopi lib. 3. cap. 5 de Deuteria matrona Theodeberto ſociata, quæ in baſterna poſita *indomitis bobus conjunctis*, de ponte præcipitata eſt. Huc ſpectat quod Eginhardus tradit de poſtremis Merovingicæ ſtirpis Regibus, quorum currus per boves trahebantur. Udalricus curru uſus eſt ob infirmitatem, teſtante Ekkehardo in Obſervationibus præviis num. 6.

Digitized by Google

AN CHR. 973 4. Julii. ſent, & eum ante & retro, ad dexteram & ad lævam caute obſervaſſent: quibus ille quotidie tantam annonæ copiam per ſe ipſum & per miniſtros ejus dari fecit in præſentia ejus, ut triplici numero virorum ſufficere potuiſſet. Amantiſſimus quoque comitatus pauperum ſemper cum eo inter ſua loca ibat, qui virtutem caballicandi habebant in cautiſſimis ambulatoribus pergebant, alii autem his vehiculis in quibus ſoliti erant pergere, cum carpentis epiſcopalia miniſteria portantibus perrexerunt: quorum vero manſiunculas & totas procurationes ipſe per aliquem ſuorum fidelium quotidie caute diſpoſuit.

26. Numquam vero in aliquo prædictorum monaſteriorum otioſus manebat, niſi in ædificiis eccleſiæ, vel clauſtrorum, vel aliorum ædificiorum, vel murorum antea præparatis & collectis ſupellectilibus laboraſſet. Vitam vero in eodem monaſterio Deo militantium Monachorum ſive Canonicorum, & ſtipendia eorum, omnino regere & componere ſtuduit, & jus familiæ diſſolvere omni modo non conceſſit. Dona etiam ſancti Spiritus tradere, ubi neceſſitas fuit, cum confirmatione chriſmatis non omiſit.

VI. *Qualiter diœceſim viſitavit.*

27. Gratum autem & neceſſarium iter populis, cum quarto *a* anno ſecundum conſtitutionem canonum miniſterium ſuum adimplendum, cauſa regendi & prædicandi atque confirmandi diœceſim ſibi commiſſam viſitare decreviſſet, eodem modo, ſicut ſuperius diximus, in ſolio carpenti ſuperpoſito ſedebat, pſalmoſque ſolito more decantabat, Eunuchum illum imitans, qui legens Eſaiam prophetam ſuper currum ſuum ſedens per viam pergebat, cui præcipiente Spiritu-ſancto Philippus adjunctus eſt, qui ab eo prædicatus & baptizatus fidem ſanctæ Trinitatis accepit: æſtimans pro certo quantum ſe colloquiis humanis ſubtraxiſſet, ut tantum ſe divinis propinquiorem facere potuiſſet. Ad loca autem illa cum perveniſſet ubi concilia ſua denuntiata fuerant, cum Evangelio, & aqua benedicta, & ſonantibus campanis, & tanta honorificentia ſuſceptus eſt, quantum illis, qui ibi congregati ſunt, virtus ſuppetebat. Statim vero Miſſa celebrata, in concilio conſidens populum ante ſe vocari fecit, prudentioreſque & veraciores ſacramento interrogare præcepit, quæ in illa parochia emendatione digna fuiſſent, & contra jura Chriſtianitatis perpetrata peccata, ut ei veraci relatu nota fierent facta. Ut autem ab eis aliqua normam rectitudinis ſupergredientia cognita audivit, ſine perceptione perſonarum, ſecundum judicium clericorum, ad tramitem rectitudinis, quantum omnipotente Deo juvante potuit, retrahere feſtinavit, & male pullulata ſurcula vitiorum falcaſtro verbi Dei ſtudioſiſſime reſecare, ne virgulta malorum germinum ſegetem Chriſti ſibi commiſſam ſuffocare licentiam habuiſſent, & morbis vitiorum aptiſſima fomenta emendationum oppoſuit, ſed tamen ſecundum verbum Dei dicentis, *Argue, obſecra, increpa in omni patientia & doctrina*. Ea vero quæ difficilia & inſuperabilia miniſtris ſuis eſſe ab eis comperit, in præſentia ſui omnium cum eo manentium adjutorio, percauta directione finiri contendit. Quæ autem ab eis ſine obtrectatione aliorum in ſtatum rectitudinis converti perſenſit, eorum regimini perficiendum firmiter commendavit. Ille autem ſequens regulam ſui miniſterii, Spiritus-ſancti donum populo ad hoc illuc congregato, ſacræ unctionis confirmationem ſtuduit imponere. Si autem his adhuc imperfectis nox ſolito more ſubrepens advenit; ne aliqua pars ovium ſibi commiſſarum detrimento privationis cæleſtis doni gravaretur, incenſis luminaribus in nomine Domini cœpta perficere decertavit.

28. Interdum autem cum de refragatoribus, juſtitiæ tanta contentio excreviſſet, ut decedente die tenebræ noctis funderentur in mundo, ne pro eo con-

a Velſerus ſuſpicatur legendum, *unoquoque anno*, forſan *quoque anno*, (quod idem eſt) Canones enim annuam diœceſis viſitationem Epiſcopis præſcribunt.

Digitized by Google

concilia inibi ventilata remanerent incorrecta, luminibus incenſis regulas canonicas legere præcepit, ut ſeris juſtitiæ ora refragatorum oppilarentur, & juſtis judiciis omnia in Dei voluntate conſummarentur. AN.CHR. 973 4. Julii.

29. Cum autem completo concilio vel confirmatione ad manſiunculas rediit, corpus reficiendum non prius prandium guſtavit, quam pauperibus eleemoſynæ ab eo clerico, cui illa obedientia erat commendata, erogabantur. Debilibus autem cum eo advenientibus in ſua præſentia collocatis, abundantem refectionem apponi præcepit.

30. In quibuſdam autem diebus capitula cum clericis habere diſpoſuit, in his locis ubi hæc aptiſſime fieri archipresbyteri putaverunt, & ubi eum ab aliis mundanis conciliis abſolutiorem eſſe arbitrabantur. Congregatis ante ſe clericis, Archipresbyteros & Decanos, & optimos quos inter eos invenire po-„ tuit, caute interrogavit, qualiter quotidianum Dei ſervitium ab eis imple-„ retur, & qualiter illis populus ſubjectus ex eis regeretur in ſtudio prædi-„ candi docendique; quantaque cautela infantes baptizarentur, infirmi viſita-„ rentur & ungerentur; defunctorum etiam corpora quanta compaſſione ſe-„ pulturis traderentur; qualiter de decimis & oblationibus fidelium pauperes „ & debiles recrearentur, viduis & orphanis in univerſis neceſſitatibus ſubve-„ nirent, quantoque ſtudio in hoſpitibus & advenis Chriſto miniſtrarent. Si „ ſubintroductas mulieres ſecum habuiſſent, & inde crimen ſuſpicionis incide-„ rent; ſi cum canibus vel accipitribus venationes ſequerentur: ſi tabernas cau-„ ſa edendi vel bibendi ingrederentur; ſi turpes jocos in uſu haberent, ſi ebrie-„ tates & comeſſationes ſupra modum amarent, ſi rixis & contentionibus „ & æmulationibus deſervirent; ſi nuptiis ſæcularibus intereſſent; vel ſi „ aliqui eorum miniſteria indecentia in conſuetudine haberent: ſi per Ka-„ lendas more anteceſſorum ſuorum ad loca ſtatuta convenirent, ibique „ ſolitas orationes explerent, ſuaſque eccleſias ad tempus reviſerent: ſi „ obedientiam eorum magiſtris præbuiſſent, & in toto ſuo miniſterio de-„ voti & apti manere ſtuduiſſent. Reſponſione autem de interrogatis facta, & ratione veritatis percepta, ſtantibus in rectitudine dulciſſimæ conſolationis gratia gratificavit, & ut deinceps a normula juſtitiæ ne deviarent ſuavi colloquio admonuit: errones autem per devia incedentes fratres dignis terruit correptionibus, & ut poſtea conſueta vitia omitterent præcepit.

VII. *De confirmatione eccleſiarum.*

31. Horum autem qui in ſuo Epiſcopatu proprietates habebant, quiſquis religioſorum propter amorem Chriſti eccleſiam componere cupiebat, & cum conceſſa licentia ab eodem ſancto Epiſcopo eam ædificaverat, conſecrationemque habili tempore ab eo fieri flagitavit; aptiſſime uniuſcujuſque petitioni præbuit aſſenſum, ſi confeſtim ille conſecratæ eccleſiæ legitimam dotem in terris & mancipiis in manum ejus celſitudinis dare non differret, in conſpectu civium ſuorum & teſtium veridicorum, ne poſtea geſtæ rei veritas offuſcaretur, ea etiam ratione ut aliis circumjacentibus eccleſiis jura earum in nullis rebus propter illam novam minuerentur. Conſecrationeque peracta, doteque contradita, comprobato illic Presbytero altaris procurationem commendavit, & eccleſiæ advocationem firmiter legitimo heredi panno impoſito *a* commendavit. Alicujus oblationem muneris non expoſcebat, niſi Presbyter ejuſdem eccleſiæ aliquid propter honorem ſuum & bonam voluntatem ſuam ſponte eum accipere impetraret.

VIII. *Qualiter in Albegovve * eccleſiam conſecravit.*

32. JESU vero quodam tempore præceptis obediendo, cum in pago Albegovve nominatum miniſterii ſui officium implere decreviſſet, venerunt quidam * vulgo Algoja, Algevv.

a Obſerva ritum tradendæ advocationis eccleſiæ, de qua in Præfatione prima Sæculi tertii ſub finem.

Digitized by Google

AN.CHR. 973 4. Julij. dam homines de eodem pago ad eum lamentando dicentes: Patres noſtri in ſua proprietate quam nobis reliquere, de lapidibus & cæmento & lignis ædiculam conſtruxerunt, quam Deo & ſanctis ejus dedicari voluerunt, & ut ipſi ibi ſacrorum Officiorum celebrationem audire meruiſſent: quia locus iſte in magna vaſtitate eremi eſt ſitus, ſed propter difficultatem viæ & pauperiem ſubſtantiæ eorum, numquam Epiſcopum ad conſecrandam præfatam ædiculam introducere potuerunt. His auditis Dei ſervus hilari vultu dicebat: Poteſtis nunc ad tempus quæ conſecrationi eccleſiæ ſunt neceſſaria acquirere? Qui amicorum conſolationibus, freti reſponderunt: Poſſumus. Quibus ille infit: Cautum mihi viæ ductorem dimittendo antecedite, & quæ ſunt ordinanda ordinate, ecce veſtæ ſubveniendum neceſſitati illic perveniam, & Deo juvante eccleſiam conſecrabo. Die vero altera conſecratione peracta, cives ipſi ſecundum ſuam facultatem munera offerentes ante eum veniebant: quæ videns, ſubridens dicebat: Non propter amorem alicujus muneris, ſed ut veſtræ neceſſitati conſulerem, & ſervitium Dei in hoc loco multiplicaretur huc veni. Hæc nobis oblata veſtræ utilitati ſervantes, & in Dei ſervitio creſcentes, manete in pace. Hæc dicens receſſit, & de ſcrupulo viæ nullam niſi quaſi lætando querimoniam fecit.

IX. *De multiplici ejus admonitione; & de ratione octo vitiorum, & de timore in die Judicii, & de conſolatione Juſtorum.*

33. His vero bonorum operum ſtudiis inſiſtens, omnes apud eum commanentes exhortatione benigniſſima ſpiritualiter recreavit, docens non ſolum in verbis, ſed etiam in operationibus, ut unuſquiſque Dominum ex omnibus viribus perfecte diligeret, & ejus amori nihil præferret, & proximum tamquam ſe ipſum: patrem & matrem honoraret, inſuper omnes bonæ voluntatis homines, de quibus angelica canit multitudo dicens, *Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis;* malignis autem in omnibus eorum malis actibus reſiſtere ſecundum ſanctum Prophetam David dicentem, *Ad nihilum deductus eſt in conſpectu ejus malignus, timentes autem Dominum glorificat.* Quod quiſque ſibi noluiſſet, alteri non faceret; eccleſias Dei cum devotione mentis & humilitate & cum oblationibus crebro viſitaret, ibique cum effuſione lacrymarum & pro remiſſione peccatorum ſuorum, & pro omnibus juſtis ſuis neceſſitatibus Deum flagitare ſatageret. Inimicis inſuper indulgentiam poſtulare monebat, ſecundum orationem Dominicam dicentem, *Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris;* & ſecundum Evangelium. *Sic & Pater meus cæleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis unuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris;* & iterum, *Dimittite & dimittemini.* Decimas omnium laborum ſuorum Domino & ſanctis ejus eccleſiiſque, quibus ſunt terminatæ, ne reatum Cain fratricidiæ inciderent, cum magna cautela præſentare feſtinarent. Dominicas etiam dies & ceteras ſollemnitates in anno, non ſolum in abſtinentia ſervilium operum, ſed & omnium vitiorum devotiſſime venerari monuit. Euchariſtiam quemque aſſidue accipere, atque ante acceptionem purgatum ſe exhibere, & poſt acceptionem mundum ſe cuſtodire certaret. Dies Quadrageſimæ, ceteraque jejunia antiquitus conſtituta, & noviter cum conſenſu inventa, omni monuit devotione ab omnibus cuſtodiri; abnegationem ſui facere, & Chriſti veſtigia ſequi; corpus caſtigare, delicias non amare, eſurientes & ſitientes eſcis & poculis recreare, nudis veſtimenta præbere, infirmos & in anguſtiis conſtitutos viſitare, egenis & vagis manſiunculas concedere, & quæ ſunt neceſſaria propter amorem Chriſti præbere; pupillos & viduas in tribulationibus viſitare, atque in cunctis eorum neceſſitatibus ſubvenire; malitias in corde non retinere, & verbis aliquem ad iracundiam non provocare; iram depo-

„ ponere, vindictamque Domino concedere; nulli malum pro malo reddere, „ nec aliqua læſione exacerbare maledicentes ſe non remaledicere; ſed magis „ benedicere, & perſecutionem pro juſtitia ſuſtinere: diſcordantes & ini- „ micitias inter ſe habentes ad unanimitatis concordiam revocare; Deo reſi- „ ſtentibus reſiſtere, & ſibi cum fide militantibus juvamina præbere; nullo „ octo vitiorum principalium, quæ omne genus hominum infeſtant, ſcanda- „ lo laqueari. AN.CHR. 973 4. Julii.

„ 34. Quærentibus autem quæ eſſent octo *a* vitia principalia, reſpondit non „ ſolum illis, ſed & his qui adhuc in hæſitatione manent quæ ſint octo vi- „ tia, dicens: Primum eſt Gaſtrimargia, hoc eſt ventris ingluvies, cum ſua „ prole commeſſatione & ebrietate. Secundum eſt fornicatio cum ſua pro- „ le, turpiloquio, ſcurrilitate, ludicris, quæ etiam ſunt ſtultiloquia. Ter- „ tium eſt philargyria, hoc eſt avaritia ſive amor pecuniæ, cum ſua pro- „ le, mendacio, fraudatione, furto, perjurio, turpis lucri appetitu, falſo „ teſtimonio, violentia, inhumanitate, voracitate, ac rapacitate. Quartum „ ira cum ſua prole, homicidio, clamore, & indignatione. Quintum triſti- „ tia cum ſua prole, rancore, puſillanimitate, amaritudine, deſperatione. „ Sextum accidia cum ſua prole, otioſitate, ſomnolentia, importunitate, „ inquietudine, pervagatione, inſtabilitate mentis & corporis, verboſitate & „ curioſitate. Septimum cenodoxia, hoc eſt vana gloria cum ſua prole, con- „ tentione, hæreſi, jactantia, ac præſumptione novitatum. Octavum ſuperbia „ cum ſua prole, contemptu, invidia, inobedientia, blaſphœmia, murmura- „ tione, detractione, inimicitia. Beatum vero dicebat qui in iſtis vitiorum „ pedicis non offendebat.

„ 35. Octo vero notiſſimas beatitudines a Deo in Evangelio enumeratas, „ auribus cordis caute percipere; & intimis cogitationibus firmiter inſerere, „ ut in tempore tentationis malignis ſpiritibus eas evellere virtus non conce- „ datur, ſed unuſquiſque ad ſpem cæleſtium deſideriorum eorum conſolatio- „ nibus ſublevetur, Agno vero omnipotentis Dei Chriſto tollenti crimina „ mundi ſemper die noctuque multiplices laudes & gratias totis deſideriis & „ omnibus viribus referre, quia dignus eſt ſua incarnatione, & nativitate, „ & baptiſmo, & crucifixione, & ſepultura, & reſurrectione, & aſcenſio- „ ne ſolvere ſignacula ſeptem libri ſignati, in viſione ſancto Joanni Apoſto- „ lo in Pathmos inſula oſtenſi. Intente autem & ſubnixe omnium in com- „ mune benevolentiam poſtulavit: Si qui eſſent in ſemetipſis ſegetem ali- „ quarum virtutum excreviſſe ſentirent, non ſuis meritis, ſed omnipoten- „ tis Dei miſericordiæ applicarent, ne ſubito jactantiæ grandine in eis ne- „ caretur, ſed tempeſtiva maturitate protegente Spiritu ſancto, in horreis „ Chriſti collocaretur. Os *b* a malo vel pravo eloquio cuſtodire, lectiones „ ſanctas libenter audire, mala ſua præterita cum gemitu & lacrymis quo- „ tidie in oratione Deo confiteri & deinceps emendare, deſideria carnis „ non perficere, voluntatem propriam frangere, ſacerdotum præceptis obe- „ dire, etiam ſi ipſi (quod abſit) aliter agant, eos imitantes de quibus „ Dominus dicit, *Dicunt enim & non faciunt*. Caſtitatem amare monuit, „ nullum odire, invidiam & zelum non habere, contentiones non colere, „ elationem odire, venerari ſeniores, diligere juniores, timorem Domini „ in corde & animo ſine intermiſſione habere, credere oculos Domini om- „ nia videre, & aures ejus omnia audire, Pſalmiſta dicente: *Ecce oculi Do-* „ *mini ſuper juſtos, & aures ejus in preces eorum, vultus autem Domini ſu-* „ *per facientes mala, ut perdat de terra memoriam eorum*. Diem vero obitus „ ſui & diem extremi judicii, in quo dicturus eſt Dominus his qui eum re- „ creare & veſtire & viſitare in ſuis pauperibus quotidie feſtinant, qui ab „ auditione mala non timebunt, illud, *Venite benedicti Patris mei*, &c.; illis „ au-

a Octo capitalia crimina diſtinguit cum aliis antiquis Caſſianus, tum in Inſtitutis, tum in Collationibus.

b Pleraque iſta deſumpta ſunt ex Regulæ ſancti Benedicti cap 4. ubi de inſtrumentis bonorum operum.

AN.CHR. 973 4. Julii.

„ autem hæc negligentibus & Deo in ſuis membris non miniſtrantibus, *Diſce-*
„ *dite a me maledicti in ignem æternum qui præparatus eſt diabolo & angelis ejus*,
„ ante oculos ſemper ſuſpectam & timidam habere, & pœnas maledictis
„ præparatas oculis mentis ſæpiſſime intueri, & locum peſſimum qui ſem-
„ per eſt ſine refrigerio, & ſine ſplendore, & ſine dulcedine, & erit
„ ſine fine, ubi vermis eorum non moritur, & ignis non exſtinguitur, ubi
„ fletus & ſtridor dentium ſine intermiſſione ſemper auditur, ubi urens
„ flamma machinationibus diaboli ſemper renovabitur, ubi conſolationis
„ ſpes omnino non habetur, ſed de hora in horam triſtitia augetur, quia
„ finem manendi invenire non poſſunt, ſed cum his quibus in hoc ſæculo
„ miniſtravere, in anguſtiis ſine fine perſeverant. Dei autem benedictis &
„ in ejus dextera collocatis quanta gaudia atque tripudia maneant, ſem-
„ per quantum humanis mentibus poſſibile eſt cogitare oportet, de quibus
„ ſcriptum eſt, quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor ho-
„ minis aſcendit quæ præparavit Deus diligentibus ſe; ubi hymnidici An-
„ gelorum chori inenarrabili claritate fulgebunt, ubi celſitudo Patriarcha-
„ rum digno honore remunerata gaudebit, ubi verax Prophetarum ordo
„ prophetiis ſuis in toto expletis Deo gratias agere non ceſſat, ubi judex A-
„ poſtolorum chorus accepta ante promiſſa mercede perenniter exſultabit:
„ ubi Martyres palma martyrii eorum coronati, conſolatione perfruuntur
„ æterna: ubi Confeſſores præmiis ſuis multiplicatis in Dei laudibus perſe-
„ verant: ubi Virgines centeſimi fructus retributione abundant, & viduæ
„ ſexageſimi fructus reſtitutione honorantur: ubi Monachi ex reſignatione ſæ-
„ cularium omnium, cum eſurientibus & ſitientibus juſtitiam Dei, expletis
„ eorum deſideriis ſatiati: Dei laudibus inſiſtere non ceſſabunt: ubi pœniten-
„ tes depoſitis delictorum ſuorum oneribus ſine fine Deum laudantes congau-
„ dent: ubi pueri agnum in albis ſequentes ſub throno Angelis concordantes
„ Deum laudare cantando non ceſſant: ubi glorioſiſſima Virgo Dei Genetrix
„ Maria ſuper choros Angelorum exaltata, inæſtimabili claritate & formo-
„ ſitate omnes hilarans conſpicitur: ubi juſti ſicut ſol fulgebunt, & omnes
„ ſancti Creatorem ſuum & omnium creaturarum, in ſua claritate facie ad
„ faciem gaudendo videbunt, ab eis auferentem omnem metum, & omnem
„ mærorem & triſtitiam, atque omnem adverſitatem. In illo regno lux ſo-
„ lis & lunæ & ſtellarum non eſt neceſſaria, fames & ſitis nulli nocebunt,
„ frigus vel æſtus nullum fatigabunt, infirmitas & dolor nulli adveniunt,
„ venturæ ſenectutis miſeria non timetur: ſed ſicut in die judicii corpora
„ mortuorum in menſura ætatis plenitudinis Chriſti reſurgent, in ea poſſi-
„ bilitate & pulchritudine permanebunt. Nuptiæ ibi non celebrabuntur, &
„ progenies hominum poſtea non multiplicabitur: ſed completus numerus
„ juſtorum non minuitur, ſed ſine fine in gaudio ſervabitur. Inſidias dia-
„ boli ultra non timet, indulgentia peccatorum ultra non indigebit; ſicut
„ Angeli in primæ conditionis poſſibilitate permanebunt, ſic & homines
„ poſt reſurrectionem æquales Angelis, in ſobrietate & incommutabilitate
„ perſeverant in civitate Dei noſtri, in monte ſancto ejus ædificata, quæ
„ dicitur duodecim lapidibus pretioſis eſſe ornata atque fundata, quorum
„ nomina & ordinem ſanctus Joannes Apoſtolus & Evangeliſta in Apocaly-
„ pſi enumerat, ubi jaſpidem in primo fundamento poſitum dicit, quem di-
„ cunt omnia phantaſmata fugare, in quo fidei viriditas deſignatur: ſapphi-
„ rum in ſecundo qui ſpem cæleſtis beatitudinis deſignat; calcedonem in ter-
„ tio, qui flammam internæ charitatis figurat: in quarto ſmaragdum, qui
„ ejuſdem fidei fortem inter adverſa confeſſionem figurat: in quinto ſardo-
„ nichum, ſanctorum inter virtutes humilitatem ſignificantem: in ſexto ſar-
„ dium, in quo ſanctorum Martyrum cruor exprimitur: in ſeptimo chry-
„ ſolitum, in quo ſpiritualis inter miracula prædicatio figuratur, in octavo
„ beryllum, in quo prædicantium perfecta operatio ſignificatur: in nono to-
„ pazion, in quo eorumdem ardens contemplatio monſtratur: in decimo
„ chry-

Digitized by Google

„ chryſopraſum, qui beatorum Martyrum opus pariter & præmium ſignifi- AN CHR.
„ cat: in undecimo hyacinthum, qui cæleſtem ad alta ſublevationem, & 973
„ propter humilem ad humana deſcenſionem figurat: in duodecimo amethy- 4. Julii.
„ ſtum, qui cæleſtis ſemper regni in humilium animo memoriam deſignat.
„ Hæc poſitio duodecim lapidum figurat firmitatem Apoſtolorum, qui in
„ fundamento Eccleſiæ ſunt poſiti, ſicut Salvator mundi beato dixit Pe-
„ tro, *Tu es Petrus & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*. Hæc di-
„ cendo ad Petrum, omnibus notum fecit Apoſtolis, quod ſuper eos eſſet Ec-
„ cleſia ſua ædificanda, quorum ſonus in omnem terram exivit, & in fines
„ orbis terræ verba eorum. Si Apoſtoli fundamentum domus Dei ſunt, &
„ omnis Chriſtianitas ædificatio ejuſdem templi manere debet dicente Apoſtolo,
„ *Templum Domini ſanctum eſt, quod eſtis vos*, & *Dei ædificatio eſtis*, & re-
„ liqua; ſtudeamus omnes totis viribus nos ædificatori & inhabitatori conjun-
„ gere, ut doctoribus noſtris in fundamentum poſitis, eo donante ſuperædi-
„ ficari mereamur, ut inter electos lapides poſiti, & præfatis ordinibus jun-
„ cti videamur, ut Creatorem & Redemptorem noſtrum judicem vivorum &
„ mortuorum facie ad faciem videntes, cum eis laudare mereamur per infi-
„ nita ſæcula ſæculorum, amen.

X. *Qualiter inter* LUITOLFUM *&* HEINRICUM *diſcordia oritur*.

36. Longe lateque cum fama ejus bonitatis dilataretur, & diabolus eum in hoc culmine virtutum ſtantem videret; omnigenis malitiæ ſuæ aſtutiis nitebatur in aliquam difficultatis voraginem immergere, & ab inceptis bonis impedire. His vero temporibus Liutolfus filius Ottonis glorioſi Regis Dux [a] erat Alamannorum, cui pater ejus antea gentes omnes regionum ſuæ ditioni ſubjectarum ſacramento poſt finem vitæ ſuæ ſubjugaverat. Patruus autem ejuſdem Liutolfi Heinricus, frater Regis, Dux exſtitit Noricorum: qui vero inter ſe propter confinia regionum ex ſuaſione malignorum hominum rixas & contentiones exercere cœperunt. Cumque eos Rex nullatenus ad concordiam & pacem revocare potuiſſet, objecit ſe filio, & in adjutorium fratris convertitur. Cum autem filius ejus eum univerſis quos congregare potuerat, ei reſiſtere niteretur, atque extorrem regalis potentiæ agere moliretur; Heinricus præfatus Dux, commendata civitate Ratiſpona totaque regione Noricorum Arnolfo [b] palatino Comiti & ceteris inſuper ſuis fidelibus, perrexit ad Regem. Moram autem illo ibi faciente, præfatus Arnolfus cum multitudine populi fraudulenter Ratiſponam cum ceteris urbibus & cum frequentia populorum, & cum omnibus quibus potuit, Liutolfi poteſtati ſubegit. Quibus compertis Rex cum fratre ſuo Heinrico Bajoariam hoſtiliter invaſit ad reſtituendum eum in honorem prioris poteſtatis. Præfatus autem antiſtes Udalricns, cujus fidelitatis firma ſtabilitas numquam ab adjutorio Regis ſeparata eſt, hæc comperiens, dimiſſa parte in Auguſta civitate vaſſallorum ſuorum, ceteriſque rebus collocatis, cum quibus potuit omiſſo vehiculo carpenti, equitando in ſervitium Regis [c] in regionem Noricorum ſagaciter venit, carmulaque [d] prolongata, poſſibilitatem redeundi apte non potuit habere.

37. Arnolfus autem prædictus interim accepta multitudine Auguſtam adiit, & deſpoliavit rebus omnibus, quas ſecum abducere potuit; comprehenſoſque quoſdam milites Epiſcopi ſecum Bajoariam revexit. Rex autem cum de regione Bajoariorum revertiſſet, & Epiſcopus in ſua redire voluiſſet, non confidebat ſe in Auguſta civitate poſſe cum multitudine parva defende-

[a] Hunc Ducatum adeptus erat Liutolfus matrimonio inito cum Ida, Hermanni Suevorum Ducis unica filia. Ita Witichindus, Ditmarus, Liutprandus; ita omnes, ex quibus diſſenſionis cauſas narrat Witichindus in lib. 3.

[b] Is erat Arnolfus, Arnolfi Bajoariæ Ducis ſuperius memorati filius.

[c] Id eſt ſeditione. Hæc vox item recurrit infra num. 81.

[d] Auguſtani annales urbem anno 953. captam produnt.

AN.CHR. 973 4. Julii. re, quia totum pæne Epiſcopatum in beneficium extraneorum dividebatur a Liutolfo & ſequacibus ejus: milites autem Epiſcopi quidam comprehenſi, quidam vero ſollicitatione iniqua diviſi ab eo, quidam deprædationibus in pauperiem deducti, ita ut ei ſecundum ſuam voluntatem in adjutorio eſſe non potuiſſent. Hi autem qui cum illo remanſerunt, ſuis colloquiis roborati ſalubre conſilium inierunt, ut relicta Auguſta civitate caſtellum quod dicitur *Menichingen* * *a* ædificare, & ab adverſariis eorum ibi ſe defendere ſtuduiſſent. Tum vero una tantummodo nocte in Auguſta civitate manebat incluſus; altera die ſtatim perrexit ad prædictum caſtellum, quod erat in toto interius exteriuſque ſine ædificiis deſertum. Quamvis certe hiems dura fuiſſet, tamen in illo loco in tabernaculis & in tuguriis feſtinanter compoſitis exſpectavere, donec congregata familia caſtellum ligno circumcinxere, & intus ſecundum poſſibilitatem eorum ædificia apta compoſuere.

*Menchingen.

38. Arnolfus itaque & omnes qui cum eo erant, regiæ poteſtati undique contradicentes, hec comperientes legationes miſerunt, ſi ſoſpitatem ſui ſuorumque habere voluiſſet, poteſtati Liutolfi ſe ſine dubio ſubdere non diſtuliſſet, & ut prædictum caſtellum cum ſuis componere deſeruiſſet: quia eo tempore in tota regione Suevorum nullus in Regis adjutorio remanebat, niſi Adalpertus *b* Comes cum ſibi ſubditis, & Theodpaldus * frater religioſi Epiſcopi; ideo æſtimabant ut eorum decreto virtutem reſiſtendi nullomodo acquirere potuiſſet, qui ſapienti cum ſuis utens conſilio, diverſis promiſſionibus & humillimis reſponſionibus, & interdum obſidibus datis interumque receptis ad ſe, eorum iras & obſidiones omnimodo mitigavit, donec ædificato caſtello, vallibuſque renovatis, in munitione ejuſdem loci ab eorum cum ſuis ſævitia ſe poſſe defendere æſtimaret. Cum vero induciæ rationibus reſpondendi ultra prolongari non potuiſſent, tunc manifeſte confeſſus eſt, ſe, ſicut cœpit, in voluntate Regis velle perdurare.

* al. Dietpaldus.

39. Tunc præfatus Arnulfus filius Arnolfi Dacis, congregata multitudine eorum infauſtorum qui antea Auguſtam civitatem deprædati ſunt, & aliorum in quorum tunc confidebat adjutorium, voluit obſeſſo caſtello venerandum Epiſcopum vi coactum cum ſuis ditioni ſubdere Liutolfi. Hac re comperta, Epiſcopus econtra legatis miſſis, multa pecunia promiſſa, flagitabat ut revertentibus eis illi licuiſſet in pace ſubſiſtere: ſin autem pace contradicta redire noluiſſent, præcepit eiſdem legatis ſuos parochianos banno Chriſtianitatis conſtringere, ne loca ſanctæ Mariæ in ſuo Epiſcopatu ſita ullo modo invadere præſumerent. Qui vero pecunia contradita, bannoque Chriſtianitatis poſtpoſito, male incœpta omittere noluerunt, ſed ad internecionem eorum ea Dominica *c* in qua mos eſt clericorum ante Quadrageſimam carnes manducare, & deinceps uſque ad ſanctum tempus Paſchæ devitare, hoſtiliter invaſerunt prædium ſanctæ Mariæ, & Epiſcopum obſederunt. Qui vero die noctuque in Dei ſervitio ſtudioſe permanens, timore abjecto in Deum confidens, obſeſſiones eorum pro nihilo ducens, in prædeſtinatione inita firmiter perſeveraverat. Hæc vero obſeſſio ut comperta fuiſſet Adalperto Comiti & Theodpaldo fratri Epiſcopi congregata phalange populi, prima die quadrageſimalis temporis, quod eſt dies lunæ, mane diluculo caſtra inimicorum invaſerunt. Sed illi hæc antea poſſe fieri non putantes, imparati ad bellum inventi ſunt, & repentino timore perculſi; relictis ſpoliis fuga inimicos evadere ſtuduerunt. Illi autem eos ſequentes, Hermannum fratrem Arnolfi apprehenderunt, quoſdam in caſtris cæciderunt, quoſdam vero ulterius ſubſequentes interfecerunt. Maxima autem parte eorum

a Mandichingam vocat Hermannus apud Caniſium ad prædictum annum.

b Genealogia Kiburgenſium Comitum, inquit Editor, Albertum vocat alterum fratrem Udalrici, quod neſcio quam verum ſit. Ex hoc ſane loco id colligere non licet. Theodpaldum *Comitem* appellat Hermannus ad annum 953 Comitatus plures habuit ex num. 44. infra.

c. Id eſt Dominica Quinquageſimæ; quæ Dominica *Carniprivium Sacerdotum* appellatur apud veteres, ut apud Willelmum Neubrigenſem in lib. 5. cap. 10. Vide Gloſſarium Cangianum in *Carniprivium*.

Digitized by Google

eorum interfecta, ceteriſque fugatis, nullus eorum ad ſe defendendum fiduciam accepit, niſi unus nomine, Egilolfus, fugiendo brachio Adalperti Comitis modicum vulnus infecit, de quo etiam vulnere mortuus eſt: vulnerator etiam ejus ſtatim occiſus eſt a Liutperto vaſſallo ejuſdem Adalperti. Pauciſſimi autem eorum ictibus contuſi ac diverſis modis vulnerati, periculum tamen mortis equis eorum eos aſportantibus, eo die vix evaſerunt: quidam vero eorum, gelu miſerabiliter adſtringente, nudi in deſperatione vitæ proprias manſiunculas repetierunt. Corpus vero Adalperti, in Dei voluntate occiſi, reverendus Epiſcopus ad Auguſtam civitatem vexit, & animam honorifice Deo commendans, in eccleſia ſanctæ Mariæ ſepelivit. Nullus enim eorum qui antea ſibi ſpolia Auguſtæ civitatis in contrarietatem ſanctæ Dei Genitricis Mariæ vindicaverunt impunitus evaſit, niſi qui ſe ſuis propriis rebus cum indulgentia reverendi Epiſcopi redimere non diſtulerunt. AN. CHR. 973 4. Julii.

XI. *De his qui Auguſtam prædati ſunt.*

40. Manus proprias unus ex his lacerando, vicinis ſuis in veritate dicentibus, perdito ſenſu ſpiritum exhalavit. Alius autem cum ablato de Auguſta civitate libro *a* caballum ſibi bene placentem comparavit, & ſecum adduxit in domum ſuam, uxorique ſuæ monſtravit & dixit: Melius mihi placet iſtum formoſum caballum habere quam librum, cum quo hunc comparavi, in Auguſta relinquere. Cujus verbis reſpondit uxor ejus dicens: Utile tibi forte fuiſſet, ſi manus tua hunc librum injuſte non tetigiſſet. Interim vero ille levigando manu in poſteriora tangebat caballum, & ſtatim ab eo percuſſus mortuus eſt. Novis & improviſis his cladibus & aliis multis formidoloſis rebus in reis peractis a multitudine populi compertis, timor magnus invaſit eos qui ſe eſſe reos cognoverunt de prædicta prædatione Auguſtæ civitatis, non ſolum in eos qui illuc pervenerunt, ſed & qui aliquid de injuſte acquiſitis ab eis acceperunt: & ideo ad pœnitentiam & lamentationem converſi, digna emendatione & reſtitutione abſtractarum rerum & cum efflagitatione indulgentiæ Epiſcopi, ſtuduerunt ſe cum Chriſto & cum ſancta Maria matre ejus pacificare. Non poſt multum vero temporis præfatus Arnolfus, qui ſe præſumſit res ſanctæ Mariæ hoſtiliter invadere, & incorrigibilis ſine pœnitentia perduravit, obſeſſa Ratiſpona civitate paratus ad prœlium exivit, & ſtatim in articulo tumultus, occiſus *b* eſt. Quidam etiam homo de Epiſcopatu qui dicitur *Eibſtetten* *, partem viliſſimi menſalis inde ad ſuam proprietatem portavit: & ſtatim a dæmonio occupatus, nullum abſcondendi locum ab eo invenire potuit, neque in eccleſia neque extra eccleſiam, neque adſperſus aqua benedicta, quin juxta eum ſemper videretur manere: donec Auguſtam regrediens, injuſte inde rapta reportavit, & Epiſcopum cum ſcopis ei flagella imponere pro Chriſti nomine poſtulavit, & inſuper indulgentiam præfati delicti condonare; ſicque liberatus a dæmonio ſalvatus receſſit.

* al. Eichſtetten.

XII. *Qualiter ſanctus vir & Hartbertus Ottonem & filium ejus pacificarunt; & de occiſione Ungrorum.*

41. Ne diu me ab incœpta taxatione ſubtraham, libet ſtilum retrahere ab enumeratione ex utraque parte obſeſſarum urbium & bellorum undique furentium, & viciſſitudine ſtromatum * diverſorum; ſed potius quomodo Dominus omnipotens per merita ſervorum ſuorum, ſuum dignaretur populum liberare, libet recenſere, ne diaboli machinationibus ad ſuum perveniret exitium. Cum Rex Otto in Alamannia, propter eos qui cum Liutolfo filio ejus ditioni ſuæ regalis poteſtatis contradicere voluerunt, cum exercitu conver-

* Stratagematum.

a Hinc æſtimare licet, quanti tunc temporis libri conſtarent.
b Et quidem anno 953. teſte in primis Hermanno.

Digitized by Google

AN.CHR. 973 4. Julii. ſaretur juxta flumen quod Hilara vocatur, in campo opidi quod dicitur Tuſſa *a*, & ibi ſæpedictus filius ejus Liutolfus cum alio exercitu obvius ad pugnandum contra eum deveniret, & cum tanta vicinitate conjuncti eſſent, ut nulla ambiguitatis ſpe detenti manerent in utrarumque partium multitudine, ni bellum ab eis committeretur; tunc amabilis Deo Udalricus Epiſcopus in Deum tota fiducia confidens, aſſumpto Curienſis Eccleſiæ Hartberto religioſo Epiſcopo, legationes inter eos facere cœpit, & ad pacis concordiam exorare, & ne populus qui a Deo illis commendatus eſt ad regendum, pro eorum reatu duceretur ad perditionem. Deo autem annuente duræ amborum mentes, patris ſcilicet Ottonis & filii ejus Liutolfi, de proficua admonitione & doctrina venerandorum Epiſcoporum in mollitiam verſæ, pactum pacis inter ſe placitaverunt, & turbine belli mitigato, in ſua cum pace redierunt.

42. Tantis autem tunc præfatis tumultuum fatigationibus ſuperatis, æſtimaverunt ſe aliquod ſpatium temporis in pace poſſe quieſcere. Altero pro certo ſtatim anno, quod eſt anno Incarnationis Domini noſtri Jeſu Chriſti 955. tanta multitudo Ungrorum erupit, quantam tunc temporis viventium hominum nemo ſe antea vidiſſe in ulla regione profitebatur, & Noricorum regionem a Danubio flumine uſque ad Nigram ſilvam, quæ pertinet ad montana, ſimul devaſtando occupavit, & cum Licum tranſcenderet, & Alamanniam occuparet, eccleſiam ſanctæ Afræ concremavit, & totam provinciam a Danubio uſque ad ſilvam deprædavit, & maximam partem uſque ad Hilaram fluvium igne combuſſit. Auguſtam autem civitatem obſedit, quæ tunc imis ſine turribus circumdata muris, firma ex ſemetipſa non fuit. Sanctus autem Antiſtes magnam valde multitudinem optimorum militum ſecum intra ſæpta civitatis collocatam habebat, ex quorum agilitate & audacia civitas fortiter firmata Deo juvante conſiſtebat: qui ut exercitum Ungrorum ad expugnandam civitatem circumdare viderunt, eis obviam exire voluerunt. Sed hoc Epiſcopus eis non conſentiens, portam ubi maximus aditus intrandi manebat, firmiter occludere præcepit. Porta autem orientalis plagæ * unde itur ad aquam, ſic a denſitate Ungrorum bello occupata eſt, ut ipſi æſtimarent ſe ſtatim poſſe intrare. Milites enim Epiſcopi ante portam viriliter pugnantes eis reſiſtebant, uſque dum unus Ungrorum, qui ceteros pugnando antecedebat, & ex cujus ductu & anteceſſione maximam prœliandi in illa hora confidentiam habebant, occiſus occubuit: ceteri denique cum eum terra tenus mortuum cadere viderunt, magno clamore & lamentatione eum rapientes ad caſtra reverſi ſunt. Hora vero belli Epiſcopus ſuper caballum ſuum ſedens, ſtola indutus, non clypeo, aut lorica, aut galea munitus, jaculis & lapidibus undique circa eum diſcurrentibus intactus & illæſus ſubſiſtebat. Bello vero finito regrediens circuivit civitatem, & domos belli in circuitu civitatis congruenter ponere, & in tota nocte eas ædificare, & vallos, quantum tempus ſuppetebat, renovare præcepit. Ille autem totum ſpatium noctis in oratione pernoctans, religioſas mulieres in civitate congregatas concitabat, ut una pars earum cum crucibus ad Dominum devote clamando intra circumiret; & altera pars clementiam ſanctæ Dei genitricis Mariæ pro defenſione populi, & pro liberatione civitatis, ſtudioſiſſime pavimento proſtrata flagitaret. *b* Ipſe autem minimam particulam noctis ante matutinam horam corpus requiei ſoporis indulſit, ut matutinis laudibus expletis, aurora primum irrumpente ſalutaris ſacrificii hoſtiam Deo libare licuiſſet. Miniſterio ſacro peracto, Viatico ſacro *c* omnes recreavit, humilique admonitione

* Jacobeam vocant.

---

a *Tiiſſen* cis Hilaram, prope *Tiettenheim*, quod ultra eſt. Confer Hermanum ad annum 953. Pacem anno ſequenti componunt Marianus & Reginonis continuator. Cum his conſentit auctor iſte, ut patet ex num. ſequenti. Rem paullo aliter narrant Witichindus & Ditmarus: ſed hic res accuratius expoſita.

b EKKehardus addit cap. 5. „ Imminente irruptionis illorum jam facili introitu, infantulos urbis „ univerſos, ab uberibus matrum raptos, circa ſe coram altaribus nuda terra jactari juſſerat, vagitibuſque „ illorum lacrymas cum ejulatibus miſcens, infeſtiſſimos illos alter Ezechias abegerat hoſtes. Nam nulla, niſi talium precum, exſiſtente cauſa, efferi illi urbe relicta, ad alia diſperſi ſunt loca „. Id anno 955. contigiſſe tradit præter alios Frodoardus in Chronico.

c Rotgerus in actis ſancti Brunonis Archiepiſcopi Colonienſis ait, Ottonem in vigilia ſancti Laurenti indici ſtatuiſſe jejunium pro felici pugnæ eventu: & Ditmarus, Ottonem ipſo die ſancti Laurentii pugnaturum, voviſſe eidem ſancto dedicare Epiſcopatum Merſepugenſem.

Digitized by Google

ne perſuaſit, ut in fide recta perſiſtentes, ſpem ſuam in Dominum componere non dubitarent, indicens eis omnigenam ſponſionem conſolationis, & annuntians pſalmigraphi David verba dicentis, *Si ambulavero in medio umbræ mortis non timebo mala, quoniam tu mecum es.* AN CHR. 973 4. Julii.

43. Salutari autem admonitione Epiſcopi peracta, cum jubar radiantis ſolis primum latitudinem telluris irradiaret, exercitus Ungrorum inenarrabili pluralitate ex omni parte ad expugnandam civitatem circumcinxit, diverſa ferens inſtrumenta ad depoſitionem murorum. Cumque undique parati eſſent ad bellum, & cuncta propugnacula civitatis repugnantium plena fuiſſent; quidam Ungrorum flagellis alios minantes ad pugnandum coegerunt; & illi tantam multitudinem in propugnaculis reſiſtentium eis videntes, muris ſe conjungere a Deo perterriti non audebant. Interim cum interius exteriuſque parati eſſent ab bellum, Berchtolfus, filius Arnolfi, de caſtello *Riſinesburch* vocitato, venit ad Regem Ungrorum, adnuntians ei adventum Ottonis glorioſi Regis: qui ut hoc audivit, ſuum claſſicum omni exercitui notum clangere præcepit: de cujus ſonitu exercitus totus pugnam civitatis omiſit, & ad colloquium eorum Regis ſe conjungere feſtinavit: qui cum eis autumatione facta Deo donante a pugna civitatis ceſſabat, & in occurſum glorioſi Regis ire cœpit, ea ratione, ut illo cum ſuis ſuperato, victor rediens civitatem & totum regnum libere habere potuiſſet. Regi Ottoni venienti Dietpaldus Comes frater Epiſcopi, cum ceteris [a] qui in civitate erant, nocte exiens in occurſum venit. Rex igitur cum tantum exercitum Ungrorum perſpexiſſet, æſtimavit, non poſſe ab hominibus ſuperari, ni Deus omnipotens eos occidere dignaretur; in cujus adjutorium confidens, ſuorumque conſolationibus Principum roboratus, bellum viriliter cum eis agere cœpit: & cum mutua cæde utrobique cecidiſſent, & his interfectis qui ad occiſionem a Deo prædeſtinati erat, glorioſa victoria Ottoni Regi a Deo, cui nihil impoſſibile eſt, data eſt, ita ut exercitus Ungrorum in fugam verſus, virtutem prœliandi ultra non haberet, & quamvis incredibilis numerus illorum occiſus fuiſſet, tantus tamen adhc exercitus eorum remanebat, ut hi qui de propugnaculis Auguſtæ civitatis eos venire conſpexerunt, non pugna laceſſitos eos redire æſtimaverant, donec prætereuntes civitatem ulteriora Lyci fluminis littora feſtinando repetere cognoverunt.

44. Rex autem cum ſuis eos ſequens, & quibus ſe conjungere potuit, occidens, veſpertina hora diei ad Auguſtam pervenit, ibique cum Epiſcopo illam noctem ducens, eique magnam conſolationis relevationem faciens, de Dietpaldo fratre ejus qui in bello occiſus [b] eſt, & de aliis ejus propinquis ibidem interfectis, Richvvinum filium Dietpaldi Comitatibus patris honoravit, Epiſcopique fido adjutorio, in quibuſcumque ejus deſiderium cognovit, dignam mercedem reſtituit. Mane autem facto fugitivas barbarorum acies ſequendo, regionem Bajoariarum reviſit, feſtiniſque legatis miſſis, tota remigia & vada fluminum obſervare præcepit ad occiſionem eorum: quod & ita factum eſt. Illi autem nocte illuc venientes, quidam eorum ab his qui in navibus erant fluminibus immerſi ſunt, quidam occiſi ſunt: qui autem ad littus pervenerunt, ab his qui littora obſervabant interfecti ſunt. Nulla eis via, & nullum devium ab eis inveniri potuit, quin in omni loco vindicta Domini ſuper eos manifeſte maneret, ita etiam ut non poſt multos dies Reges eorum & Principes [c] comprehenſi & ad Ratiſponam perducti, in ignominiam gentis eorum, cum aliis multis eorum comprovincialibus, æculeo ſuſpenderunt *.

* l. ſuſpenderentur.

Acta SS. O. B. Tom. VII. Ee iij XIII.

[a] Inter quos Udalricus: nam Otto ante pugnam „ communionem ab egregio porrectam Othalrico Con„ feſſore ſuo „ dein clypeum & lanceam ſacram ſumpſiſſe, perhibetur apud Ditmarum. De hac Ungrorum ſtrage lege præterea Witichindum, Hermannum, Ottonem Friſingenſem, & alios.

[b] Hermannus adſtipulatur ad annum 955. „ Conradus Dux bellicoſus & pius gener regius, & ſancti „ frater Epiſcopi Theodpaldus, ſororis ejus filius, Reginbaldus Comes, aviæ meæ Perthæ patruus, occubuere. „ Reginboldus filius ſororis ſuæ Liutgardis, de qua num. 13. laudatur num. ſequenti.

[c] Ita etiam Hermannus *patibulis ſuſpenſos* fuiſſe eorum Reges dicit. Confer Witichindum.

Digitized by Google

AN.CHR. 973 4. Julii.

XIII. *De reverſione Regis ad Saxoniam, & de ædificatione eccleſiæ ſanctæ Afræ.*

45. Rex autem Otto potentiam in Deo tenens, Heinricum fratrem ſuum poteſtativa manu in regnum *a* confirmavit, & ipſe in Saxoniam victor, ſicut ſolebat, revertebatur. Venerandus autem Epiſcopus Udalricus cum Rex ab Auguſta diſcederet, abiit ad loca ubi bellum peractum eſt, quærens prædictum Dietpaldum fratrem ſuum, & nobilem Reginboldum filium ſororis ſuæ, & inveniens eos ad Auguſtam perduxit, & in eccleſia ſanctæ Mariæ ante altare ſanctæ Walpurgæ virginis in ſede unius taphi * ambos fideliter ſepelivit. His ita, ſicut prælibatum eſt, peractis, Epiſcopus quamvis multis adverſis fatigatus fuiſſet, ſicut optime omni ſperanti in Deo decet, bonæ conſolationis effectum aſſumens cum ſuis pertractare cœpit, qualiter imminentia damna aptiſſime ſuperare potuiſſet.

* ſepulcri.

46. In primis qualiter deprædatam congregationem clericorum ſuſtentaret, ad implendum quotidianum miniſterium ſervitii Dei in Eccleſia. Sciebat enim eos cibaria non habere, & ideo cum his quæ ipſe ſic deprædatus habere potuit, & quæ a benevolis populis ei tranſmiſſa ſunt & oblata, aſſidue in ſua præſentia eos ſecundum ſuam facultatem mandere & bibere fecit, & omnimodis adjutoriis ſtabilivit, eo uſque dum ex ſemetipſis deprædationis miſeriam temperaverunt, & loca eorum ex iterata laboratione ſuſtentationis ſubſidium attulerunt. Sua autem loca ignibus exuſta & conſumptis frugibus in deſolationem redacta ſtudioſis laboribus in agris & in ædificiis renovare præcepit. Strenuitas autem familiæ juſſioni ejus parendo ſic inchoabat, & congruo tempore utilitatis uſu, quantum poſſibilitas ſufficiebat, reſtituit. Eccleſiam autem ſanctæ Afræ, quæ a paganis fuerat cremata, adhuc reædificata non erat: ſed turgurium gloſſibus * tectum altaria ab imbribus & intemperiebus defendebat. Sepulchrum SIMPERTI *b* Epiſcopi in choro juxta gradus ſitum, aduc ſine tecto remanebat, de cujus operimento in viſione admonitus, lignis more operculi arte conjunctis tegebat.

* f. pro ſcandulis.

47. Non poſt multum vero temporis decurſum, iterum admonitus, ut domum ſanctæ Afræ reædificare non tardaret. De cujus inſtauratione cum ſæpiſſime tractaret, qualiter congruentiſſime fieri potuiſſet, & qualiter ſub poſitione cryptæ orientalem plagam eccleſiæ convenientiſſime decoraret, & nullus certitudinis effectus ei animo irrepſiſſet, continuis orationibus & jejuniis cum domeſticis & religioſis Presbyteris, devotiſſime miſericordiam Dei ſecreto deprecari cœpit, ut ei monſtraretur locus, in quo corpus ſanctæ Afræ collocatum fuiſſet, & ſi cryptam in eo loco ubi voluntas ejus complacuit, fas componere maneret. Ut orationem ejus & jejunium ad aures Domini pervenire dubium non eſſet, ſecundum cantationem ſancti David Prophetæ, *Ecce oculi Domini ſuper juſtos, & aures ejus in preces eorum*, quadam nocte in viſu ei ſancta Afra apparuit, & locum collocationis corporis ejus, ſicut in ſcriptura paſſionis ejus eſt ſcriptum, ab Auguſta civitate in ſecundo milliario *c* in eccleſia monſtravit. Cryptam autem in prædeſtinato loco fieri prohibuit, propter Sanctorum reliquias quæ in illo loco in requie exſpectare debent diem judicii. Hac revelatione perdoctus quid ſibi eſſet faciendum, muros ex maxima parte ab ignibus depoſitos cum magna feſtinatione reædificare fecit, & priori altitudini menſuram unius cubiti ſuperpoſuit, cryptaque congruenti occidentalem partem eccleſiæ decoravit, ſuper ædificia in ſua præſentia caute menſurata, ſummo ſtudio incidere & adducere præcepit: & non tardavit donec imbricibus eam ex toto cooperuit, & interius ædem

---

a Otto Heinricum ante pugnam Ungaricam in Bajoariæ Ducatum reſtituit, poſt victoriam autem in Saxoniam abiit, teſte Witichindo.

b Simperti elogium retulimus in ſuperiori tomo a pag. 553. Confer Obſervationes prævias hic n. 7. In Necrologio ſancti Udalrici monaſteri laudatur 3. *Idus Octob. Simpertus Epiſcopus*.

c Autographum, ut teſtatur Velſerus, hic alia manu ad oram habet, *in loco ubi paſſa eſt*.

Digitized by Google

ædem eccleſiæ laquеariis veſtivit, & lucida decoravit, & ornamenta eccleſiæ, quæ propter barbaros in civitatem fuerunt deportata, & in pictura matrici Eccleſia ſervata, reſtitui fecit. AN. CHR. 973 4. Julii.

XIV. *De hortulano ejus; & de itinere ejus ad Romam; & viſitatione Eberhardi ſolitarii.*

48. Quam in magna obſervatione Dei ille locus orientalis partis eccleſiæ ſemper maneat certis ſit indiciis manifeſtatum, hic mihi congruum videtur innectere. Quidam hortulanus nomine, Adelpoldus, ibi deambulando inter gramina ſpeluncam invenit: in quam intrans formoſam ædiculam ſub terra muratam conſpexit, & veniens nunciavit Epiſcopo dicens: In hoc loco poſ„ ſum olera mea & alia neceſſaria reponere. Cui ille reſpondit denuntian„ do, dicens: Si hoc facis, ſenſum & ſoſpitatem membrorum tuorum te „ perdere dubium non eſt. Hortulanus autem verbis Epiſcopi non credens, ſine ejus ſcientia præfatas res in eamdem ſpeluncam congregare cœpit: hoc faciendo ſenſum cum auditu & viſu perdidit. Hoc autem cum Epiſcopo nun„ tiatum fuiſſet, juſſit adduci ſibi hortulanum & dixit ei: Quare occupare „ voluiſti illum ſanctum locum ſpernendo meum præceptum? Cui ille quamvis ſenſu careret, Non infitior, ait: ſcio enim quod pro illo reatu quod mandatis tuis non obedivi, iſtam tribulationem incurri. Cujus tribulationibus benevolus Epiſcopus condolens, indulgentiam ei cum benedictione donans, Deo concedente, ſanitati reſtituit. Mirabile dictu! ille hortulanus poſtea illam ſpeluncam nullo modo invenire potuit.

49. Poſtea autem Epiſcopus pollinctoribus accerſitis, in auſtrali parte exterioris muri eccleſiæ ſepulcrum ſibi fodere, & exterius muro cingere, & perrupto muro eccleſiæ arcum muratum deſuper curvare præcepit, & arcam aptam componere ad cooperiendum corpus in ſepulcro, & inſuper tabulatum denſum longo tempore imputribile cauta conjunctione vinctum ſuperponi decrevit. His præparationibus exſequiarum ſuarum perpetratis omni hebdomada de hinc ipſum locum die Veneris viſitare, & ibi hoſtias immolare conſuetus erat, ſi alia aliqua ei occupatio vel abſentia impedimentum non fecit. Interea vero, Dei donante clementia, iſtas regiones concordia pacis illuſtrabat, & benevolas mentes turbo perſecutionum a ſervitio Domini non prohibebat. Ideo ipſe Romam pergere decrevit, & illuc feliciter pervenit, liminaque beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli devotionis ſtudio humiliter viſitavit, ibique precibus profuſis, eleemoſynarumque largitate pauperibus diſpenſata ab Alberico *a* Principe Romanorum honorifice ſuſceptus eſt, frequentique miniſterio & oblatione cumulatus, aliquantos dies ibi perduravit. Cumque ibi morando reliquias Sanctorum ſe velle comparare indicaſſet, quidam clericus ad eum veniens, perduxit eum in ſilentio noctis, ubi caput ſancti Abundi Martyris in quadam eccleſia altari incluſum ſervabatur: cujus paſſionem ei oſtendens & caput præſentans, ſacramento firmitatem fecit ſuper reliquias quas Epiſcopus ſecum attulerat, ejuſdem Abundi caput eſſe, cujus paſſio præſentialiter fuit perlecta. Cum autem ſacramentum peractum audiſſet Epiſcopus, placitam mercedem clerico donavit, caputque ſancti Abundi accipiens, ad Auguſtam ſecum reportavit, ibique ad conſolationem multorum glorioſe incluſit.

50. Monaſterium vero ſancti Galli, ubi ille ſcientias litterarum fuerat perdoctus, aſſidue viſitavit, ibique Deo militantibus cœnobitis convivium fecit, & inde ad Cellam ſancti Meginradi perrexit ad videndum ſervum Dei ſanctum *b* EBERHARDUM, ejuſque neceſſitatibus ſibique ſubjectis monachis ſubveniendum, in quibuſcumque potuit eorum cognoſcere voluntatem. Ultima vero vice Eberhardo vivente, cum inde recedere debuiſſet,

a De hoc Alberico ſæpius dictum in Actis ſuperioribus, maxime ſancti Odonis Abbatis Cluniacenſis.
b De eo ſuperius actum, ac de ſancti Meginradi Cella, nempe ad annum 958.

AN.CHR. 973 4. Julii. ſet, expleta multimodæ amabilitatis locutione, acceptoque cum orationibus in eccleſia permiſſo, ad vehiculum ſuæ reportationis egreſſus eſt. Cumque paratus eſſet ad pergendum, & eo die ſanctum Eberhardum amplius videre non putaret; ſubito poſt eum quaſi feſtinando veniebat, & oſcula charitatis iterans cum flebilibus oculis ajebat: Ex hac hora ultra me non vi-„ debis, donec exempti corporibus in præſentia Dei nos videre merebimur. „ Cujus verbis reſpondens Epiſcopus dixit: Dulciſſime Pater, nunc ſcis me „ certe cito de hoc ſæculo eſſe migraturum. Cui ille reſpondit: Finis adhuc vitæ tuæ tibi non imminet: verba autem quæ tibi nunc dixi vera eſſe non dubites. His verbis expletis Epiſcopus remeavit, & antequam iterum eamdem Cellam reviſitaret, Eberhardus feliciter migravit a ſæculo.

XV. *De itinere ad Burgundiam pro reliquiis Sanctorum.*

51. Regionem quoque Burgundionum tempore alio *a* adiit, & ad Agaunenſium locum, ubi ſanctus Mauricius cum ſuis ſequacibus propter nomen Domini martyrium ſumpſit, magnæ humilitatis ſtudio viſitavit: qui antea a Rege Burgundionum promiſſionem accepit, ut unum de ſanctis Martyribus ex ejus datione & adjutorio inde ad Auguſtam referre mereretur. Et cum illuc die ſabbati perveniret, Monaſterium noviter a Sarracenis *b* exuſtum invenit, & nullum de habitatoribus ibi conſpexit, niſi unum ædis ædilem combuſtum monaſterium cuſtodientem. Cumque ille ſacram noctem in Dei laudibus ibi permaneret, & mane cum radius ſolis primum latitudini terræ lucem diffunderet, Miſſam de ſancta Trinitate celebravit: qua expleta, cum alteram ſtatim venerationi diei Dominici congruentem celebrare cœpiſſet, duodecim clerici cum multitudine populi advenientes, miniſterii ſui celebrationem audientes perſiſterunt. Quo peracto ſanctus Epiſcopus eoſdem fratres ſalutavit & muneribus honoravit, & ob quam rem illuc deveniret notum fecit. Qui hilaritatis ejus dulcedinem & ſanctitatis religionem perſentientes, ne delectabili deſiderio privatus abiret, aperta collocationis Sanctorum ſpelunca in ſcopulo exciſo, plurima parte ſanctarum reliquiarum donatum lætificaverunt.

52. Cum vero optabili licentia clericorum, & amantiſſima dimiſſione populi inde rediret, Conſtantiam civitatem cauſa orationis viſitavit, & inde ad Augiam inſulam venit, & ab ALEUVICO *c* Abbate charitative ſuſceptus, & omnimodis commodis bene procuratus eſt. Cumque amabili colloquio inter ſe ſermocinarentur, omnia quæ ei in itinere acciderunt nota fecit. Benevolentia autem Abbatis, cum audiret eum pro amore ſanctarum reliquiarum exire, deſiderio ejus ſatisfaciens, non modicam partem de corpore ſancti Mauricii & de aliorum multorum Sanctorum reliquiis ei donans, lætum abire permiſit.

53. Auguſtæ vero civitati cum appropinquaret, præmiſſis nuntiis demandavit ut ad optivum * donum ſanctarum reliquiarum quod ſecum attulerat, honorifice clerici cum populo, & cum crucibus & incenſo pigmentorum, aquaque benedicta occurrerent, & ſuſcipiendo glorioſe, cum laudibus & melodiis congruis perducerent honorifice cum illo in eccleſiam in honore ſanctæ Dei genitricis Mariæ conſecratam. Illuc cum perductum eſſet, ab Epiſcopo caute collocatum eſt in arcam auro & argento coopertam ad laudem Dei omnipotentis, & in auxilium populi advenientis in nomine Domini noſtri Jeſu-Chriſti, cui eſt honor & gloria per infinita ſæcula ſæculorum, amen. Talibus & his ſimilibus ſtudiis ſemper in Dei voluntate ſerviens, decertavit qualiter Epiſcopatum, quem ad regendum ſuſcepit, omnigenis honoribus ſublimare potuiſſet, & ſervitium Dei & ſanctæ Ma-

* optatum

a Nempe anno 940. ut ex Frodoardi Chronico colligit Baronius.

b Id contigiſſe anno 940. docet Frodoardi Chronicon, & ex eo Baronius ad eum annum, ubi hunc locum ex Velſero adducit.

c De Alevvico ſeu Alavvico Abbate Augienſi, ejus nominis primo, dictum eſt ſuperius ad annum 958.

Digitized by Google

Mariæ Dei genitricis amplificare indefeſſus laborabat, & ideo ubique gratia Dei præventus, ſicut in pſalmis ſcriptum invenitur, *Voluntatem timentium ſe faciet & deprecationem eorum exaudiet, & ſalvos faciet eos:* & ſecundum Apoſtolum dicentem, *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum*, & reliqua. Multiplicibus enim Dei magnificentiis honoratus, & firma fide confortatus, deſideria voluntatis ejus percipiens, multis in ſuis neceſſitatibus profuit, & poſſibilitatis ſuæ potentiam, quantum potuit, humiliter celavit, quia multi qui caduco morbo vexabantur, ſanctitatis ejus benedictione percepta, ſoſpitati reſtituebantur, ſi pro qua re benedictionem expetivere non indicavere: qui autem neceſſitatis eorum afflictionem manifeſte nuntiaverunt, benedictione ſubtracta, cauſa humilitatis „ abire permiſit, dicens: Ego non ſum dignus de hac infirmitate vos poſſe „ liberare.

AN CHR. 973 4. Julii.

XVI. *De oleo a ſancto viro ſanctificato.*

54. Sanctificatum vero oleum in die Cœnæ Domini ab eo tam ſalubre effectum eſt, ut multi in infirmitate poſiti, ab eo uncti celeriter ſanitati reſtituerentur, & multi caliginem oculorum habentes, & præſentis luminis ſe in hoc ſæculo munere carentes putavere, a tactu hujus olei ſerenitate oculorum iterum uti meruerunt. Hæc vero nemine dicente comperiebam, ſed propriis oculis in quamplurimis peracta conſpiciebam.

55. De ipſius autem Epiſcopi recuperatione non oportet reticere, quia cum quodam tempore de Monaſterio ſancti Galli redire ad Auguſtam civitatem decreviſſet, Campidonam *a* veniens tam gravi infirmitate detentus eſt, ut ex ſe ſine adjutorio aliorum ambulare non potuiſſet: & cibum ad recreationem corporis ſumere vires non ſufficerent; miſſis nuntiis celeriter ad Auguſtam civitatem, oleum ab eo conſecratum ſibi inde reportare præcepit. Cumque in vigilia Pentecoſten *b* nuntiis revertentibus hora diei nona, cum adhuc congregatio Monachorum ſollemni officio Miſſæ interfuiſſet, & ipſe intra cubiculum ſacrum myſterium auditum habuiſſet, oleum ei repræſentaretur; peracto ſacro myſterio Monachi ad eum introducti ſunt, præſentibus clericis qui cum eo illuc devenerunt, & cantatis pro ejus infirmitate ſeptem pſalmis, Letaniaque devote expleta, quemdam ſanctum Monachum, HILTINE nominatum, ad clauſtrum revertentes Fratres ad ungendum eum oleo ſancto cum ſuis duobus Presbyteris dimiſerunt. Unctione vero peracta ſecundum doctrinam Jacobi Apoſtoli, *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyterum Eccleſiæ* & reliqua; dixit Epiſcopus Præpoſito: Iſtis unctoribus meis cum ce„ teris meis comitibus, in mea vice ſervitium congruenter exhibete, cum „ his bonis quæ nobis hodie conceſſit Deus. Cum vero ad menſam pran„ dendum conſediſſent, & adhuc prandium peractum non fuiſſet: nuntius de Epiſcopo venit dicens: Læto animo eſtote & recreamini cum gaudio, quia Dominus noſter Epiſcopus, quamvis hebdomada præterita vel buccellam panis ad refectionem accipere non potuiſſet; nunc Deo donante ſe reficit, & reducta ſanitate eſt melioratus. Qui audito delectabili nuntio, omnes ſimul Deum laudantes & Deo gratias dicentes hilares effecti ſunt. Veſpertina autem hora adveniente, & ſigno veſpertinali in primis ſonante, ſtatim ſurrexit, & ad eccleſiam ambulavit, & ibi in Dei laudibus infatigatus permanſit, donec veſpertinalis laus a Fratribus ſecundum curſum Monachorum prolixe perficiebatur: & poſtea de die in diem confortatus, ex integro priſtinæ ſanitati cito reſtitutus eſt. O quam magna multitudo dulcedinis Dei, qui illi hoc tanta velocitate ad remedium conceſſit, quod ille

Auctoris ætas.

Unctio infirmi.

a Campidona, celebre etiam nunc Benedictinorum apud Suevos monaſterium, vulgo *Kempten*, ad Hilaram fluviolum, cui Abbatiæ aliquando præfuit Udalricus, uti vetus inſtrumentum inferius docebit.

b *Pentecoſten* abſque ulla flexione veteres ſcribebant paſſim, uti hoc loco.

AN. CHR. 973 4. Julii. ille aliis ad medicinam &. ad indulgentiam peccatorum præparavit, ut cum ejus fide perfecta ceteris plurimis fides confirmaretur.

XVII. *Qualiter ſuper Vindicem & in Danubio liberatus eſt.*

56. Tradere huic quoque me aliam rationem in hoc loco oportet, quam Herevvigo capellano ejus dicente comperi. Quadam die cum pro aliqua utilitatis cauſa ſuper fluvium Vindicem *a* nominatum caballicare debuiſſet, & ipſe ab illuvie elevatus fuiſſet, & comites Epiſcopi univerſi vadum rectitudinis devitarent, & alia vada aptiora quærerent, & idem ipſe prænominatus Herevvigus ſolus cum eo remaneret; ipſe vadum quod alii omiſerunt, ſine trepidatione tranſcendit, ſoccis de ſago factis indutus propter frigus, quia hiems erat. Præfatus vero Herevvigus flumine tranſgreſſo, ex cingulo deorſum, quamvis ſuper altiorem caballum ſederet quam Epiſcopus, udus effectus: & proſpiciens in veſtimenta Epiſcopi ſi aqua infunderentur, ſed nec in ſoccis unum pilum humidum conſpexit, & ad Epiſcopum dixit: Ego uditate perfuſus ſum, & tuæ celſitudini pilus in ſoccis non eſt madefactus. „ Cui dixit Epiſcopus: hæc quæ vidiſti me vivente, nemini dicere præ„ ſumas.

57. Alio vero tempore, cum ad colloquium Ottonis Imperatoris ad Ratiſponam civitatem navigando per Danubium venire decreviſſet, quodam die nautis incaute ante ſe conſpicientibus, navis cuidam ligno importune conjuncta, aquis repleta immerſionem omnibus minabatur. Perturbati vero omnes & timore perculſi, ad litus magno ſtudio navem perducere feſtinarunt: Navi vero aridæ adducta, quæ intra erant ad litus portaverunt, illius vero Epiſcopi in poſteriori roſtro navis ſedentis obliti ſunt. Unus vero clericorum, Meſi nominatus, magno ſtupore attonitus dixit: Heu nobis miſeris, quia ſeniori noſtro in iſto periculo adjutores non fuimus! Et his dictis currens, per profunditatem aquæ quæ in navi fuerat congregata, aſſumptis brachiis Epiſcopi ſuper humero ejus, evexit eum extra navem. Omnibus itaque expoſitis, & illo noviſſime egreſſo, navis in poſteriori parte profunditati demerſa eſt. Quid mirum ſi navis onuſta eo inſedente mergi non potuit, ſed eo jubente ſuper aquam ſtetit, qui beato Petro apoſtolo undas maris ad ſuperambulandum propria voluntate firmavit? ſic non ex ſua conditione, ſed ex meritis in ea ſedentis navis interim ſuper aquas natare cogebatur, donec cunctis ſtipendiis & oneribus relevaretur; poſtea vero immerſa nuntiabatur.

XVIII. *Qualiter* Tar *b fluvium tranſivit.*

58. Romam viſitare, itaque cum quodam tempore æſtuanti animo deſideraret, & fluvium nomine *Tar* cum perveniret, tam periculoſum ex inundatione aquarum factum invenit, ut nullus ex utraque parte advenientium eo die vel alio ſe poſſe venire ſuper eum ſperaret: Sanctus Epiſcopus in Deum confidens, paratura miſſatica *c* ſe indui feſtinavit, & in litore fluminis cum ſuis comitibus Miſſam devote celebravit, & poſt Miſſam præfatum fluvium tanta commoditate tranſivit, ut nulli ejus Comitum aliquid adverſitatis adveniret, ſed omnes ſalvi & incolumes Deum laudantes gaudendo ibant per viam.

XIX. *Qualiter una Sanctimonialis infirmabatur & ſanata eſt.*

59. Multimodis Chriſti ſervitiis cum ferventiſſime inſiſteret, & undique am-

a Vulgo *Vuerten*, qui item *Vindex* appellatur infra in lib. de miraculis cap. 25. & 26. Vindonem appellavit Fortunatus in lib. 4. de vita ſancti Martini, *Pergis ad Auguſtam, quam Vindo Lycuſque fluentant*. Ekkehardus aliud refert cap 5. *Sed & Heſſinum Camerarium, in effuſo Lico flumine jam mergi viſum, ad ſe feſtinum vocavit, fluctuſque illum coram pedibus ſuis in litus ejecit*.

b Tarus Plinio & aliis, Italiæ Ciſpadanæ fluvius.

c Id eſt ornamentis ad Miſſam adhiberi ſolitis, infra num. 73.

Digitized by Google

AN CHR. 973 4. Julii.

*al. Hicila vel Lucila.

amplificare ſtuduiſſet, Deo donante excogitavit, propter cujuſdam Sanctimonialis religionem, Emoza * nominatæ, ad eccleſiam ſancti Stephani *a* protomartyris Sanctimonialium congregationem componere, & regulæ ſanctitatis ſubdere, & ſancto velamine Chriſto Deo deſponſatas conjungere. Quod cum factum fuiſſet, quædam mulier cum conſenſu connubia mariti deſpiciens, eidem congregationi ob futuræ beatitudinis mercedem, obedientiam profeſſa ſe admiſcuit. Litterarum vero ſcientia ad perfectionem docta non manebat, ad exteriora autem neceſſitatis opera ſtrenuitatem magnam habebat: & ideo aliæ Sanctimoniales eam Cellerariam facere voluerunt: qua renuente, Epiſcopo nuntiatum eſt & ſupplicatum, ut cum ſua poteſtate miniſterium Cellerarii commendaretur. Epiſcopus vero ſupplicationi aſſenſum præbens, præfatam Sanctimonialem Cellerariam eſſe præcepit. Illa autem præcepto Epiſcopi non obedivit, ſed in priſtina refragatione conata eſt perſiſtere. Sequenti vero nocte in ſomnis audivit vocem dicentem ſibi: Quia non obediſti præceptis Epiſcopi, ideo uſu ambulandi privaris, tamdiu donec ab eo abſolveris. Expergefacta autem diſſolutam membris ita ſe eſſe perſenſit, ut nullum ambulandi effectum habere potuiſſet. Hac infirmitate ligata, laborioſe exſpectabat adventum Epiſcopi. Interim vero appropinquabat tempus ſynodalis colloquii, & Epiſcopus ad Auguſtam revertebatur. Hoc cum infirma Sanctimonialis audiret, rogavit ſe portari in eccleſiam ſanctæ Mariæ, & obtutibus ejus repræſentari. Cumque ad ejus præſentiam veniret, humillimis precibus ejus miſericordiam deprecari cœpit, ut ab affligentibus alligationibus infirmitatis ab eo abſolvi mereretur. Audita ejus deprecatione Epiſcopus de inobedientia eam increpavit, & munere benedictionis ſimul & indulgentiæ donatam dimiſit. Cumque ab ea reverteretur Epiſcopus, ſtatim ſanitati reſtituta currendo præceſſit Epiſcopum, antequam ille perambularet eccleſiam, & ante celſitudinis ejus præſentiam proſtrata, Deum pro reddita ſanitate laudando, promiſit de inobedientia ultra ſe ſe fore emendaturam, & ad proprias manſiunculas læta rediit.

XX. *De conſtructione eccleſiæ ſancti Joannis Baptiſtæ.*

60. Hymnizans ſanctus Dominum Epiſcopus, habili tempore poſtea eccleſiam in cœmeterio ſanctæ Mariæ in modum crucis edificare cœpit, & ædificatione peracta, altaribuſque quinque in ea compoſitis, in honore ſancti Joannis Baptiſtæ dedicavit, & dolium baptizandi de petra exciſum in ea conſtitui fecit, & dote legitimatam, Presbytero ad procurandum in divinis officiis commendavit, & præcepit ut matricularii in omni hebdomada die Sabbati, & in aliis ſollemnibus feſtivitatibus, cum Evangelio & crucibus, & cereis, cum Dei laudibus reverenter viſitarent; & in Paſchali hebdomada, quam dicunt infra Albas, quia tunc conſuetudo eſt tres cantare pſalmos ad veſperam, remanentes duos illuc deambulando cum antiphona & tono formoſa modulatione perpſallere: & ipſe perſæpe ibi ſalutares hoſtias Deo immolare conſuevit.

XXI. *De itinere ejus ultimo ad Romam.*

61. Zoam *b* in ultimis temporibus ſuam ſalvare cupiendo, animo decrevit, quamvis vires corporis de die in diem decreſcere ſentiret, ut limina Apoſtolorum Petri & Pauli devota intentione laboraſſet viſitare. Cumque aliquantulum itineris peregiſſet in carpento, & ad difficiliores vias perveniret; non potuit ultra iter peragere, antequam in lecto collocatus equis ſuperpoſitus pergere cœpit: ſicque pergendo, quamvis comitibus ejus ubique pe-

a Bruſchius circiter annum 936. conditam dicit, eique præfectam Abbatiſſam Eleuſiniam, Udalrici conſanguineam. Berno ait hanc eccleſiam *extra urbis muros* ſitam fuiſſe. Nunc intra muros continetur, ubi ex Benedictinis Sanctimonialibus Canonicæ evaſerunt, *abjecto jugo diſciplinæ*, ut legitur in Chronico Auguſtano.

b *Zoam* pro vita, vitam pro anima uſurpavit, ut recte Editor monet.

Digitized by Google

AN.CHR. 973 4. Julii. periculoſum videretur, Deo juvante & ſancto Petro Apoſtolo, ſine periculo pervenit ad Romam. Votorumque ibi antea diſpoſitorum & promiſſionibus devotiſſime expletis, & gratiſſimorum emolumentorum & indulgentiarum donis acceptis, permiſſoque ſalubri a ſancto Petro & Vicario ejus Pontifice, ceteriſque Deo ibi & ſancto Petro militantibus honorabiliter accepto, felicem reditum iniit, & Ravennam viſitare diſpoſuit. Illucque cum appropinquaret, Imperatorem glorioſum Ottonem cum Imperatrice Adalhaida ibi manere comperit, & ante ſe miſſo nuntio, adventum ejus illi indicavit, & ille ſtatim nuntium ſequendo ad oſtium cubiculi Imperatoris pervenit. Imperator vero cum eum in tanta vicinitate manere agnoviſſet, uno pede calceato, & alio adhuc incalceato, cauſa humilitatis & flagrantia divini amoris, eum ad ſuſcipiendum amabiliter feſtinavit. Cumque in cubiculo accerſita Imperatrice ſuavi colloquio fruerentur, & alternis locutionibus diverſarum rerum proventus terminarent; vir ſanctus Imperatorem cum auxilio Imperatricis flagitare cœpit, ut filio ſororis ſuæ *a* Adalberoni procurationem ſui Epiſcopatus, regimenque ſuper familiam & omnia negotia ſæcularia ad eum pertinentia, fideliter firmiterque commendaret, & ut a celſitudine ejus Imperialis potentiæ promiſſum conſolationis accipere mereretur, ut poſt ejus diſceſſum cathedram epiſcopalis poteſtatis ei donaret, ut ſibi majoris otii ad ſtudium orationis & eccleſiaſtici regiminis & Chriſtianitatis ſtabilitatem facultas concederetur. Cujus petitioni glorioſus & benevolus Imperator aſſenſum præbens, ſæcularium negotiorum commercia Adalberoni commendavit, & Epiſcopalis honorem cathedræ poſt vitam Epiſcopi, ſi Deus vellet, ei donare promiſit, & inſuper multis libris auri Epiſcopum donatum, amabiliter abire permiſit, & ejus manſiones cum alio ſervitio neceſſario, cum ſuis fidelibus uſque ad finem illius provinciæ caute diſpoſuit.

XXII. *De reverſione ad Auguſtam.*

62. Epiſcopus autem & præfatus Adalbero, num lætabundi ad Auguſtam reverterentur civitatem, honorifice, ſicut decuit, ſuſcepti ſunt, & omnes qui ibi inventi ſunt, comperta eorum proſpera reverſione, & honorificatione ab Imperatore eis facta, valde lætificati ſunt. Tunc vero præfatus Adalbero congregatis militibus Epiſcopi, deſideravit ut ei ſacramenta fidelitatis jurarent, quod & fecerunt in præſentia Epiſcopi, ſimiliter & familia per totum Epiſcopatum fecit. Epiſcopus autem indumento more Monachorum formato induebatur, quorum antea Regulam multimodis virtutibus ſequi conſueverat. (NOTA.) Cumque hæc ita agerentur, propter quorumdam clericorum æmulationem, qui ſe æſtimabant poſt obitum ſancti Epiſcopi, Imperiali celſitudine concedente, Epiſcopatum poſſe acquirere, ferulam epiſcopalem publice portare præſumpſit, ut eis tota ſpes acquirendi Epiſcopatus adimeretur.

XXIII. *Qualiter ſynodus Adalberonem degradari voluit.*

63. Poſtea vero revertentibus de Italia Imperatoribus, patre ſcilicet & ipſius prole ad Franciam, facta eſt ſynodus *b* in loco qui dicitur *Ingilunheim*, ad quam Archiepiſcopi cum ceteris ſuis ſuffraganeis ſanctum Udalricum cum ſuis legatis honorifice invitaverunt, Adalberonemque ejus nepotem cum eo venire decreverunt. Illuc vero cum pervenirent, & Antiſtites ibidem congregati Adalberonem baculum epiſcopalem publice portare cognoviſſent, irati ſunt contra eum, & dicebant, ut contra canonicæ rectitudinis regulam in hæreſim lapſus fuiſſet, & quod pontificalis honorem ſublimitatis vivente Epiſ-

a Nempe Liutgardæ, de qua ſupra num. 13. ubi de Adalberone.

b Hermannus ad annum 972. „ Synodus apud Ingelenheim ab Epiſcopis collecta eſt, ibique beatus Epiſcopus Udalricus, & Adalbero ſororis ejus filius tranſgreſſionis canonum accuſati, cauſa ſua dicta & excuſata, abſoluti revertuntur. Eodem anno Ottones ambo ex Italia reverſi ſunt. Alia habita eſt anno 948. ex Chronico Frodoardi. Lege librum de miraculis ſequentem cap. 16.

Digitized by Google

Epiſcopo ſibi plus juſto vindicaret, & ideo ultra eum Epiſcopum ordinari AN.CHR.
non deceret. Quibus ille auditis, prima die ſynodale colloquium intrare de- 973
vitavit, & in alia domo cum ceteris Clericis Epiſcopi remanebat. Anti- 4. Julii
ſtes autem cum paucis ſuis capellanis Synodum intravit. Cumque inter ſe
Pontifices colloquia habere cœpiſſent, uniuſcujuſque rationem per latinitatis
locutionem voluerunt terminari. Cumque cauſa ſancti Udalrici fuiſſet ven-
tilanda, & ille pro infirmitate, tam ſonora voce, ut tota ſynodus audire
potuiſſet, rationem proferre non poſſet, advocabatur unus ſuus clericus,
nomine *a* Gerhardus, qui extra ſynodum cum Adalberone remanebat, ut
pro eo deſiderii ſui rationem per latinitatis locutionem manifeſtaret. Cum-
que vix pro denſitate multitudinis, in præſentia Imperatorum & Epiſco-
porum præſens ſtetiſſet, interrogabatur quid deſideraret dominus ſuus. Qui-
„ bus interrogationibus multiplicatis, dixit: Non debeo interrogationibus
„ veſtris reſpondere pro domino meo, niſi illo præcipiente. Cui dixit Epi-
„ ſcopus: Frater, bene tibi notum eſt deſiderium meum, enarra hoc, &
„ obſecra ut eorum conſiliis & permiſſionibus Deo juvante expletum fiat.
Tunc præfatus clericus Gerhardus in præſentia omnium dixit: Excellentiſ-
„ ſimi Imperatores, & religioſiſſimi Antiſtites, deſiderium domini mei eſt
„ relinquere ſæculum, & ſecundum Regulam ſancti Benedicti ſan-
„ ctam inire vitam, & in contemplativa vita diem exſpectare obitus ſui.
„ In indumento pro certo habitus exterioris, poteſtis cognoſcere volun-
„ tatem animi interioris. Iſtis & aliis rationibus in voluntate domini ſui
in finem deductis, terra tenus cecidit ante pedes Imperatorum & Antiſti-
tum, obſecrans ut petitionem domini ſui ſecundum Dei voluntatem imple-
re non dedignaretur. Qui ſimul reſpondendi inducias uſque in craſtinum diem
poſtulaverunt; & poſtea inter ſe æſtimaverunt, qualiter cauſa Adalberonis
terminaretur.

64. Quidam vero Epiſcoporum adjutores Adalberonis fuerunt, ne pror-
ſus a ſpe Epiſcopalis ordinationis poſt vitam avunculi ſui excluderetur. Hæc
cum inter ſe prolixe ſermocinarentur, ultima in unum ratione coadunati,
omnes ſimul firmaverunt, niſi Adalbero ſe ſacramento excuſaret, quod non
„ ſciret hæreſim manere, quia epiſcopalem potentiam cum baculo arripuit;
„ nullo modo ulterius legaliter Epiſcopus fieri potuiſſet. Altera vero die cum
Epiſcopo etiam Adalbero ſynodali interfuit colloquio: & cum ei prædictum cri-
men imputaretur, multis objectionibus diverſorum colloquiorum cum ſuis ad-
jutoribus a prædicto crimine ſe defendere ſtatuit. Hoc cum ei adunatio om-
nium Epiſcoporum non conſentiret, ſecundum prædictam deſtinationem Epi-
ſcoporum Sacramentum perfecit, per nomen Patris & Filii & Spiritus
ſancti ſuper quatuor Evangelia. Tunc iterum Epiſcopus Udalricus petitionis
ſuæ reſponſa, quæ pridie procraſtinata fuerunt, per prædictum ſuum cleri-
cum expetivit, quia deſideravit ut prædictus ſuus nepos Epiſcopus ordina-
retur, & ille ſecundm regulam ſancti Benedicti, in monaſterio cum
eorum conſenſu deſervire mereretur. Epiſcopi autem, quamvis eis ex toto
non placeret, aperte ei in Synodo contradicere noluere petitionem ſuam: ſed
ſapientiſſimi ex ipſis, cum conſilio aliorum extra Synodum eum ambulare
cum illis poſtulaverunt, ibique cum eo & cum ſuis clericis ſapientiſſimis
„ ſecretam locutionem habuere, dicentes. Reverende Pater, cui nota eſt
„ omnium eccleſiaſticorum librorum normula, qui ſemper callem rectitudi-
„ nis ambulaſti non deviando, non decet ut nunc iſtam viam quam ſemper
„ tenuiſti omittens, ſeminarium ex te ſumat talis error, ut alius in loco tuo
„ te vivente ordinetur: quia ſi ex te talis conſuetudo incipit perpetrari, in
„ poſterum multis reverendis & bonis Epiſcopis, ab eorum nepotibus & cle-
„ ricis talia deſiderantibus, multa concreſcunt adverſa. Melius tibi eſt, ut
„ in eo miniſterio, in quo cœpiſti Deo ſervire, permaneas, quam tuam vo-
„ lun-

---

a Forte is eſt Gerardus hujus libri ſcriptor, neſcio an diverſus a Gerardo Præpoſito, de quo inferius num. 70. & a Gerardo Presbytero, num 83.

AN. CHR. 973 4. Julii.

„ luntatem ſequens aliis plurimis ſcandalum facias: quia ex te Canonici, & „ Monachi, & Sanctimoniales, & ceteri Chriſtiani ad rectitudinis ſtatum „ debent conſtringi, qui ex ſemetipſis per climata cadere feſtinant: qui au„ tem incaute ambulando ceciderunt, ex te Deo juvante erigi poſſe ſperandi „ ſunt. De nepote autem tuo Adalberone tuæ voluntati ſatisfaciendo in com„ mune firmamus, ut nullus alius a nobis poſt tuum diſceſſum ad illum lo„ cum, in quo tu paſtor exſiſtis, eo vivente ordinetur niſi ipſe. His conſiliis conſentiens ſanctus Epiſcopus Udalricus, cum eis in Synodum regrediebatur: & tunc cum conſenſu aliorum Antiſtitum, fecit ab Imperatore Adalberoni commendari in eorum præſentia, procurationem ſui habere, & ſub ipſo totius Epiſcopatus cautam diſpoſitionem in omnibus adimplere. Taliter vero iſtis terminatis, finita Synodo Epiſcopus & Adalbero cum ſuis ad Auguſtam revertebantur.

XXIV. *Qualiter Adalbero vitam finivit.*

65. Prædicta vero Synodus in autumnali tempore peracta eſt; & inantea Paſchali tempore adveniente, & ſancta hebdomada finita, Epiſcopus & Adalbero, amabiliter vocante Riavuino * Comite, Dietpoldi fratris Epiſcopi filio, ad caſtellum Dilinga nominatum venerunt, ut ibi aliquantos dies charitative cum eo, & cum femina * ejus HILTEGART nominata manerent. Paucis itaque diebus tranſactis, Adalbero ibi cum phlebotemo ſibi phlebotemando ſanguinem minui fecit, & poſtea cum Epiſcopo ad cœnam conſedit, & de cœna ſurgens in lectum ſe ad requieſcendum depoſuit. Cumque unuſquiſque ad ſuas divertiſſet manſiones, eadem nocte ſubitanea morte Adalbero *a* defunctus eſt. Herevvingus * ejus Presbyter, cum ad nuntiandum hoc Epiſcopo cubiculum ejus intraret, Epiſcopus ſermonem ejus præveniens, dixit illi: Ecce Adalbero defunctus eſt. Cui ille reſpondit: Ideo ego huc intravi ut tibi hoc nuntiarem, nullus alius me præibat ad te, & quomodo hoc ſcire potuiſti? Cui ille reſpondit: Vade & ſuſcita Riuvinum, & omnes qui nobiſcum ſunt, ut cito præparent vehiculum, ut corpus ejus ad Auguſtam ducamus civitatem. Epiſcopus autem miſſis ad Auguſtam legatis, præcepit ut in ecleſia ſanctæ Afræ ſepulchrum ejus juxta ipſius ſepulchrum præpararetur: quod & ſic factum eſt. Ille autem cum his qui cum ipſo erant, impoſuit corpus carpento, & antepoſitis equis vexit ad Auguſtam cum frequentia populi. Matricularii autem cum crucibus, & aqua benedicta, & cereis, & incenſo, & cum magna multitudine familiæ, ceterique populi appropinquanti occurrerunt, & honorifice ſuſcipientes, cum congruis orationibus & modulationibus perduxerunt ad locum ſepulchri: & ibi expletis vigiliis, & ſalutaribus pro ejus anima Deo oblatis hoſtiis, Epiſcopo animam omnipotenti Deo commendante, corpus devotiſſime ſepelierunt. Commendatione autem corporis peracta, & Epiſcopo cum triſtitia redeunte, univerſi fletu & lamentatione & magna mæſtitia in ſuas reverſi ſunt manſiones, pro eo quod ex nobili genere ortum & formoſum, & grammaticæ artis bene doctum, & in Dei ſervitio ſtudioſum, & in bonis operibus ſtrenuum, & in eloquentia dulciſona cautum, in donando largum, in adverſis aliorum triſtem, multarum virtutum opulentia cumulatum, in adjutorio miſerorum feſtinum, multimoda benevolentia ornatum virum, tam cito depoſitum amiſerunt.

* al. Richvvino num. 44.
* uxore infra num. 77.
* al. Perevvicus.

XXV. *Qualiter Utinburam abbatiam reddit.*

66. Religioſus autem Antiſtes, miſſo legato nuntiavit Imperatori obitum præ-

a Hermannus anno 973 „ Cum beatus Epiſcopus Udalricus apud Dilingam caſtrum cum Richvvino Co„ mite fratris ſui Theotvvaldi filio Paſcha ageret; Adalbero clericus, faturus poſt eum, ut ſperabatur, Epiſco„ pus, ibidem phlebotomatus, ſubita morte periit, Auguſtæque in baſilica ſanctæ Afræ ab avunculo Epiſcopo „ ſancto ſepultus eſt.

Digitized by Google

prædicti nepotis ſui, & abbatiam Utenbura nominatam, quæ ipſi a ſua imperiali potentia conceſſa erat, poſtulavit ſibi donari, non cauſa avaritiæ, ſed ea intentione, ut cœnobitis ibidem Deo ſervientibus deliberationem, quam ille eis antea conſcriptam & ſigillatam ab eodem Imperatore donari impetravit, reſtituere *a* potuiſſet. Imperator autem per eumdem nuntium Abbatiam conceſſit & conſolationem magnam, & multimodam ſalutem remandavit. Nuntius autem cum reverterertur, invenit Epiſcopum in loco qui dicitur Staphenſe, & hæc prædicta narravit.

AN.CHR. 973 4. Julii:

67. Paucis vero diebus poſtea revolutis, adhuc ipſi in eodem loco manenti, per nuntium quemdam, orationis ſuffragia pro anima Imperatoris *b* poſcentem obitus ejus illi annuntiabatur. Inde vero cum ad Auguſtam rediret, venerunt nepotes ſui, Riuvinus Comes filius fratris ſui Dietpaldi, & Hupaldus Comes filius fratris ſui Manegoldi, & rogaverunt illum ut pergeret ad opidum quod nominatur Witeſelinga *, & illis monſtraret eccleſiam ibi ſitam, ubi corpora ſuorum parentum * terræ commendata fuerant, de qua ipſe ſæpe eos antea præmonuit ut eam meliorarent, & eadem corpora in illam concluderent, ne ultra a pluviis domatum infunderentur, ordinare, & quantæ magnitudinis eam facere debuiſſent. Sanctus vero Epiſcopus, quamvis certiſſime ſciret in proximo manere ſequeſtrationem corporis & animæ ſuæ; tamen pro divino amore, & pro eorum amabilitate illuc perrexit, & provida ordinatione eamdem Eccleſiam ſuper præfata corpora amplificari perdocuit, ibique cum nepotibus ſuis aliquantis diebus moratus eſt, & inde ad caſtellum Sunnemotinga * nominatum, propter petitionem Manegoldi fratris prædicti Adalberonis pervenit.

* al. Witegislinga. * conſanguineorum.

* al. Sunnemnotinga.

68. Cumque in itinere, antequam illuc pervenirent, in campo propter herbam juxta villam, quæ dicitur Gerilehova, caſtra metati fuiſſent, cum ſol occaſui radios ſuæ lucis inſerere cœpiſſet, venit quidam homo qui dixit, Chunradum Epiſcopum certiſſime defunctum fuiſſe, & nominavit diem obitus ſui, & diem collocationis corporis ejus in ſepulcrum. Hac fama audita, clerici & alii comites ejus ſtupefacti effecti ſunt, & ſtatim æſtimaverunt nuntium ad Auguſtam mittere, ut pro ejus anima ſolitæ orationes explerentur: quibus ſanctus Epiſcopus blando ſermone infit, certiſſime rei veritatem ſciens: „ deſiſtite adhuc nuntium mittere, mane diluculo comperietis, qualiter „ circa Epiſcopum maneat. Craſtina vero die diluculo quidam de Conſtantia venit, & de obitu Epiſcopi veraciter contradixit, & ejus poſſibilitatem ſecundum ſuam conſuetudinem eſſe nuntiavit. Sanctus autem Epiſcopus Udalricus cœptum iter peregit, & ibi quaſi ad convivium vocatus, poſt expletionem ſalutaris hoſtiæ, quam quotidie per ſe, quamvis viribus corporis valde eſſet deſtitutus, Deo perſolvere ſatagebat, cum convivantibus quotidie ad menſam ſedebat, & nullum corpori cibum exhibuit, niſi micas panis aquæ infuſas in os miſit, quas etiam ſæpiſſime aquis exſpoliatas de ore rejecit: hauſtibus vero aquæ interdum corpus, cum adhuc ad menſam ſederet, reficiebat.

Miſſa quotidiana.

69. Conſummatiſque ibi rebus pro quibus illuc vocatus eſt; abire cœpit, altera die ad locum qui dicitur Utiuntiga * pervenit, & ibi ad ſe convocatis Monachis de Monaſterio Uttembura nominato, autumare cum eis & cum ſuis fidelibus provide cœpit, quomodo deliberationem, quam eis antea ſicut præ„ dixit ab Imperatore impetraverat, reſtituere potuiſſet, & dixit eis: Eli„ gite ex vobis unum ad Abbatem, qui in Dei ſervitio utilis & veſtris neceſſi„ tatibus poſſit cautus inveniri. Si illum eligitis qui mihi ad hoc placet, commen-

*al. Otinga.

a Ejus rei meminit Hermanus ad annum 973. „ Ipſe beatus Epiſcopus, inter alia bona, Abbatiam „ Uttenburam, ſibi ſubditam, libertatis privilegio ab Imperatore abſolvi impetravit. *Berno*: Inter cetera miſeri„ cordiæ bona, quæ pro requie animæ ſui nepotis agebat, etiam abbatiam, Utenbura dictam, quam ille, „ dum viveret, in beneficium tenebat, ſibi adquiſivit, & tamdiu tenuit, quouſque ipſius ſtudio dona„ ta eſt libertatis privilegio. „ Ejuſmodi privilegium oſtentant noſtri Uttenburani, quo monaſterium ab omni etiam temporali onere eximitur. De Uttenbura dictum ſupra in Obſervationibus præviis num. 7. De Attone recluſo infra num. 72. at de Ruperto Abbate piiſſimo in libello de inventione S. Udalrici num. 6.

b Ottonis Magni, eo nomine primi, anno 973. mortui: cui ſucceſſit filius ejus Otto.

Digitized by Google

AN CHR. 973 4. Julii. „ mendabo illi Abbatiam uſque in præſentiam domini mei Imperatoris: ſin „ autem alium niſi mihi placentem eligitis, non illi commendabo. Qui reſpondentes dixerunt, Nominet nobis ſanctitas tua, hunc qui tuæ dominationi placitus ſit ad electionem noſtræ unitatis. Tunc dixit eis: Rudungum *a* fratrem veſtrum ad hoc nominabo miniſterium. Quibus auditis fratres inducias poſtulaverunt, donec omnes ſimul loquerentur, ſi hæc electio cum omnium fratrum conſenſu fieri potuiſſet. Cumque in loco deſtinato collecti fratres colloquia inter ſe habere cœpiſſent de præfata electione, quibusdam fratribus placuit, quibuſdam diſplicuit: ſed tamen cum conſilio amicorum roborati, Epiſcopi voluntati parentes, in unum coadunati Rudungum ad Abbatem elegerunt, & cum eo ad Epiſcopum regredientes, unitatis eorum electionem ei nuntiaverunt. His auditis Epiſcopus, aſſumpto baculo commendavit Abbatiam præfato Rudungo uſque in præſentiam Imperatoris, qui tunc in Imperio patri ſuo æquivoco ſucceſſerat, & illum commendavit ſuis nepotibus & aliis ſuis fidelibus, ut eum celſitudini Imperatoris præſentarent, & illis cum fide ei juvantibus ab eo confirmarentur. His ita expletis, propriam ſui Epiſcopatus reviſitavit ſedem.

XXVI. *Quam formoſe obitum ſuum in Auguſta exſpectaret.*

70. Mœnia autem Auguſtæ civitatis introgreſſus, magna triſtitia ſæptus eſt pro morte Adalberonis ſui nepotis, & pro obitu Imperatoris, cui ſemper fidem in omnibus ſervavit: cujus etiam amor pectori ejus firmiter conglutinatus eſt. Pro requie vero animarum amborum multas eleemoſynas largitus eſt pauperibus, & multas orationes & preces ad Dominum quotidie effudit, ut eis miſereri dignaretur: Miſſarum vero officia quotidie celebrare non deſiſtebat, quoaduſque vires corporis ſic ſubtrahebantur, ut nullo modo ultra per ſe ſtare potuiſſet. Ad menſam vero ſedebat, & ſedentibus cum eo convivium faciebat: & ille quaſi jejunus ad ſiſtebat, & poſtea in Eccleſia, vel in cubiculo ſuo dulci cantatione pſalmorum, vel auditione lectionum ſacrarum recreatus eſt. Vires vero corporis cum ei ita defeciſſent, ut per ſe Miſſam cantare non potuiſſet; quotidie in eccleſiam introductus devotiſſime eam audire, & interim orationibus intentis inſiſtere non deſiſtebat. Pro certo poſt Miſſam expletam cum cubiculum intraret, repauſationi lectuli ſe non commendavit ante horam veſpertinam: ſed ſuper ſedile ſuum calceatus ſedit, & interdum ſe ſuper pulvillum in dexteram partem reclinavit, interdum ad ſiniſtram, & interdum ſedens ad dorſum ſuper poſteriora ſedilis, in quo ſedebat, reclinavit. Et poſt expletionem curſus & totius pſalterii, legente Gerhardo Præpoſito * ſacrorum lectiones librorum audivit, & interdum cum eo inde dulci eloquio fruebatur. Cuidam vero eloquio inter ipſos finito præfatus clericus interrogavit eum dicens: Habes ſpem pro iſta infirmitate, Domine, obitum tuum tibi imminere? Cui ille, quaſi cum increpando, reſpondit: Quare ſic dixiſti? non ſpero, ſed certiſſime cognoſco diem obitus mei non poſt multos dies mihi evenire. De qua re Preſbyter contriſtatus, indulgentiam poſtulavit & dixit illi: Domine, quem Epiſcoporum præcipis vocare ad commendationem corporis tui? Cui ille reſpondit: Eo tempore quando anima mea derelictura eſt hoc corpus, non poteſtis ullum eorum huc advocare, quia comprovincialis meus Chunradus Epiſcopus tanta infirmitate detentus eſt, ut huc venire non poſſit: Epiſcopi vero Bauvariorum ad regale colloquium ad Franciam ſunt congregati. At ille inquit: Domine, quid tunc facere debemus? Cui ſanctus Epiſcopus dixit: Noſtis corpus hominis terræ commendare? At ille ait, Si talis perſona eſſet ſuper quam commendatio noſtra fieri debuiſſet, timorem inde non haberemus. Cui Epiſcopus dixit: Facite de hac re, cum tempus advenerit, „ ſicut

Miſſa quotidiana.

* v. num. 63. & 83.

a *Ruodingum* alii ſcribunt, alii *Rupertum*, Bruſchius *Rudingum*, ſed electionem anno 972. male illigat, cum ſequenti conveniat.

„ ſicut optime poteſtis: Dominus commendatorem corporis mei providebit. Et his dictis præfatus presbyter iterum lectionis uſum aſſumpſit, & in ea, ſicut ſolitus erat, uſque dum ſonante ſigno veſpertinalis laudis hora annuntiabatur. Lectiones vero fuerunt Vitas *a* ſanctorum Patrum, & liber ſancti Gregorii, quem Dialogorum vocant, cujus ultimus liber diſputat multum de his, qui de corpore rapti in ſpiritu multa viderunt, & iterum ad corpus redierunt. AN.CHR. 973 4. Julii.

71. Taliter vero converſando formoſiſſime exſpectabat diem obitus ſui, & interdum in ſpiritu plurima videbat, de quibus pauca his qui cum eo erant narravit. Interea vero Werinhario Abbati de monaſterio Vulta *b* nominato, cauſa viſitationis ad eum venienti, inter alia dixit: Tu poſt me „ hic deberes Epiſcopus fieri, omnes te elegerunt niſi duo, hi vero duo „ ſi aliis concordarent, electio tua ſine dubio perfecta fuiſſet. Et his dictis manus Attelini tunc Vicedomini & manus Hiltini Camerarii comprehendens, ſuæ fidelitati commendavit, & cum charitate eum abire permiſit. Altera vero vice quadam die quaſi de gravi ſomno expergefactus, ei aſſidentibus „ & hæc audientibus ait: Heu heu quod illum nepotem meum Adalberonem „ unquam vidi, quia pro eo quod ei ſecundum ſuum deſiderium conſentie„ bam, nolunt me impunitum in ſuum recipere conſortium. Et his dictis ſtatim tacuit. Virtus vero corporis de die in diem decreſcens, in tantum deficiebat, ut eccleſiam intrare niſi a duobus ſuſtentatus non potuiſſet.

72. Cum vero in die natali ſanctorum Marci & Marcelliani, quod eſt 14. Kal. Julii, eccleſiam introduceretur ut Miſſam audiret, peracta Miſſa ad ſanctam crucem tapetium ſibi deponi præcepit, & ſe ſuper illo proſternebat. Ibi vero cum quaſi dimidiam horam jacuiſſet, ſurrexit, & camerarium *c* Liutpaldum Presbyterum ad ſe venire fecit, & cunctas ſuas res, quas ille in miniſterio habebat, in præſentiam ſui portare præcepit, & ponere ante altare, niſi unam paraturam domus & menſarum, & unum coopertorium mardrinum ad ſervitium ſui ſucceſſoris dimiſit. Cum vero ante eum po„ ſita fuiſſent, & ille ea conſpexiſſet, dixit: Quid mihi hæc omnia nunc „ debuerunt? Quamvis vero illi plurima viderentur, numerus eorum major non fuit, niſi pauca camiſalia, & ſeptem vel octo menſalia, & duo ſarcilia, & decem ſolidi argenti, quos in manum Gerhardi Præpoſiti commendavit ſtatim ad erogandum pauperibus. Cetera vero omnia diſpoſuit dividi inter clericos ejuſdem loci. De veſtimentis ſuis miſit Antonio *d* venerando viro, quem ille antea ad Utenburam in Dei nomine incluſit. Cuidam etiam Ruozoni *, mobilitate membrorum carenti niſi de brachiis ſurſum, cui domicilium in cœmeterio Campidonenſis monaſterii more lectuli a terra ſublevatum ædificatum erat, ut ea quæ ab eo digeſta fuerant terratenus cadendo a domicilio ſepararentur, veſtimenta tranſmiſit; quia antea cum Epiſcopus in eodem monaſterio * moraretur, prædictum pauperem per ſe ipſum ſæpe viſitavit, & ejus locutionis dulcedinem libenter audivit, quia idem ipſe prædictus pauper clauſo oſtiolo ſemper in Dei laudibus & orationibus die ac nocte morabatur. O quæ lingua virum tantæ benignitatis enarrare poteſt, qui in ultimis poſitus tanto ſpatio interpoſito Chriſtum veſtire non omiſit! pro eo certe quia ei ſemper aderat, qui ab eo ſua membra veſtiri volebat. His vero prædictis diſpenſatis, præcepit Vicedomino ceteriſque quibus voluit ſuis fidelibus ac miniſtris, ut in cunctis locis ad ſuum ſervitium pertinentibus, cuncta quæ in eis inventa fuiſſent in tres partes dividerentur, & tertia pars Presbyteris pauperibuſque provida diſpenſatione ſtatim eo vivente donarentur, quod & factum eſt. Pro certo quamvis corpus gravi infirmitate detentum fuiſſet,

Diſtributio bonorum.

* al. Ruzoni.

* ſupra n. 55.

a Sic *Vitas* efferre ſolebant ſine flexione, de quo Gloſſarium Cangianum.

b Id eſt Fulda. Werinharius ſancti Udalrici materteræ filius erat, teſtante Brouwero in Antiquit. Fuld. lib 4. pag. 285. laudatus iterum infra num. 78.

c Ergo is erat Camerarius Epiſcopi, Hiltinus numero ſuperiori Camerarius eccleſiæ cathedralis: tametſi plures Camerarios habebat Udalricus ex num. 73.

d HATTONI alii legunt, quod magis probat Velſerus. De illo nihil apud Bernonem.

Digitized by Google

AN.CHR. 973 4. Julii. ſenſus & animus & voluntas occupari non potuerunt, niſi piis inſiſterent intentionibus.

XXVII. *Qualiter die Nativitatis ſancti Joannis Baptiſtæ ultimam Miſſam celebravit.*

73. Die itaque ſancto Nativitatis ſancti Joannis Baptiſtæ hora diei prima, quaſi repente de ſomno beatus Udalricus ſuſcitatus, dixit Camerariis ſuis: „ Induite me veſtimenta mea & calceamenta. Qui hæſitantes propter magnam ejus infirmitatem, ſi hæc in ecſtaſi mentis vel in capacitate ſenſus eis præciperet: implendo tamen præceptum ejus, induerunt eum veſtimenta ejus & calceos. Statim autem paratura ſe miſſatica indui præcepit. Cumque paratus fuiſſet, perambulavit matricem eccleſiam, & ad eccleſiam ſancti Joannis Baptiſtæ, quam ipſe antea ædificaverat & in honore ejus conſecraverat, pervenit: ibique Miſſam *a* quam anniverſariis ſollemnitatibus mane diluculo conſueverat cantare, potenter & caute explevit, illaque finita ſtatim publicam Miſſam iniit, & devotiſſime Deo juvante in finem ſtando glorioſe peregit: ambas Miſſas cum ſtando ſine adjutorio aliorum cum benedictionibus decenter ad finem perduceret, conſedebat & adſtantibus ſibi clericis dicebat: Hæc mi„ niſteria quæ nunc Deo donante peregi, ex poſſibilitate corporis mei non „ aſſumpſi, ſed ex præcepto, hodie enim cum in lecto quaſi ſopitus ſomno jace„ rem, ſteterunt coram lectulo meo duo viri juvenes formoſiſſimi adſpe„ ctu, e quibus mihi unus dicebat. Quare non ſurgis? debes enim hodie ad „ ſanctum Joannem Baptiſtam Miſſam celebrare. Cui alter reſpondit, Quo„ modo poteſt hoc fieri, quia pro impoſſibilitate corporis primam adhuc „ non explevit? At ille qui antea locutus eſt ad me, dixit: Surge & ſecun„ dum meum ſermonem Dei miniſterium in præfata eccleſia implere feſtina, „ quia hodie præter te nullus alius ibi Miſſam cantabit. His vero dictis ad cu„ biculum regreſſus eſt.

74. Cumque diem obitus ſui devota mente & læto animo, & ſecundum verba pſalmographi David dicentis, *Quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus*, exſpectaret; quamvis verbis non dixiſſet, factis tamen manifeſtavit quod de hoc ſæculo ſe migraturum eſſe in vigilia Apoſtolorum Petri & Pauli putavit. Eadem die antequam veſpertinalis laus inciperet, & cum a cuſtodibus omnes ſimul campanæ ad ſonandum moverentur; balneatus, & paratura, quam ad obituum ſuum conſervatam habuit, indutus, ſe quaſi defuncturum depoſuit. Finita autem veſpertinali laude, aliis juvantibus ſe a terra levavit, & quaſi ſecreto dixit: O ſancte „ Petre, nunc non feciſti ſicut ego æſtimavi. Et quaſi animo aliquantum de „ hac re mente conſternatus manebat. Præfatus autem Presbyter Gerhardus dixit ad eum: Domine noli contriſtari, ſed recordare quia aliis ſanctis Epiſcopis ſimiliter contigit: uni enim dictum eſt, circa natale Apoſtolorum de hoc ſæculo ad requiem es perducturus, is cum ſperaret ſe in natale Apoſtolorum obiiſſe, induciæ ei prolongabantur uſque in octavum diem, & tunc defunctus eſt. Caſſio Narnienſi Epiſcopo per quemdam Presbyterum ab Angelo flagellatum dictum eſt: Non ceſſet manus tua, non ceſſet pes tuus, age quod agis, operare quod operaris, natali Apoſtolorum venies ad me. Epiſcopus autem æſtimans in ſollemnitate Apoſtolorum, quæ tunc proxima erat, ſibi obitum ſuum imminere, in quibuſcumque potuit ad depoſitionem corporis ſui præparare ſe ſtuduit. Sollemnitate itaque adveniente, ſanus permanebat, & incolumis, & ſic manſit, donec curricula ſeptem annorum præterirent: & tunc in eodem die, ſicut ei dictum eſt, multis bonis præmiſſis, & ſacro miniſterio expleto, feliciter migravit a ſæculo. His auditis ſanctus Epiſcopus vera eſſe recordatus eſt, & reſpondit ei dicens: Bene dixiſti, frater, & relevatus mente bono animo manebat, & cum eo manentibus dulcem & commodum ſe exhibebat, nul-

Greg. lib. 4. Dial. c. 56. & hom. 37. in Evang.

a Recte, nam litera dominicalis E convenit anno 973. Characteres ſequentes optime concordant.

nullum objurgans, nullum increpans, nulli iratus, nulli moleſtus, nulli adverſus, nullum verbum alicujus lamentationis ab eo audiebatur; ſed bona omnia, quæ tunc potuit, præſentibus & abſentibus fecit. Nemini indulgentiam negavit, gratia ſuæ benedictionis omnes conſignavit. AN.CHR. 973 4. Julii.

75. Prædictus vero Richwinus Comes nepos ejus, adhuc de regali locutione non revertebatur: de quo interdum dicebat: O Ricwine, utinam me vivente venires ut te viderem. Eo anno ſollemnitas Apoſtolorum Petri & Pauli Dominica die eveniebat, de qua optimis moribus, ſicut prædixi exſpectabat, donec dies quintæ feriæ pertranſiſſet; in illa nocte, antea quam aurora ſextæ feriæ bene cognoſci potuiſſet, adſperſo cinere in modum crucis, & aqua benedicta aſperſa, ſe doponi fecit, & ſic jacebat uſque dum aurora cunctam latitudinem orbis illuminaret. Tunc Richuvinus de palatio rediens intravit, & legationem Imperatoris eo audiente recitavit. Eo ſcilicet viſo legationeque audita, oculos levans ſecundum ſuam poſſibilitatem gratias agebat Deo omnipotenti, qui ſecundum dicta David Prophetæ; *Voluntatem timentium ſe faciet*, &c. Richvvino autem exeunte, ſtatim eadem hora clericis Letaniam devote canentibus animam Deo commendans, anno Incarnationis Domini noſtri Jeſu-Chriſti 973. ætatis 83. ordinationis autem 50. quarto *a* die Julii, 4. Non. ejuſdem menſis, die Veneris, felici obitu quaſi ſomno ſuavi ſoporatus, ergaſtulo corporis exemptus migravit ad requiem. Pro certo ſanctum corpus cum ad lavandum more ſolito denudatum fuiſſet, ſuavi odoris fragrantia nares omnium ibi manentium replevit, & tamdiu permanſit, quoad uſque corpus lavatum, prædeſtinatiſque veſtibus indutum, & feretro impoſitum, in eccleſiam portaretur.

76. Clerus nempe cum audiret quod Epiſcopi Bauvariorum de prædicto colloquio redirent ad ſuam provinciam, miſſo Legato voluerunt Archiepiſpum * Fridricum ad commendationem ſacri corporis vocare. Cumque ad illum nuntius perveniret, invenit eum tanta infirmitate febrium detentum, ut nullo modo advenire potuiſſet. Miſſo autem cum triſtitia inde revertente, audivit quod venerandus Epiſcopus Wolfgangus *b* ad locum qui dicitur Nordilingga venire voluiſſet: in occurſum ejus feſtinavit. Ad eum certe cum perveniret, ſalutatus ab eo audivit quod Auguſtam civitatem pergere voluiſſet, viſitare ſanctum Dei ſervum Udalricum in infirmitate detentum. Cui ille reſpondit: Dominus ſanctitati tuæ præcepit viſitare eum, & ego ad hoc veni ut nuntiarem tibi quia defunctus eſt, & de omni congregatione ibi Deo militante te flagitare, ut feſtine venires & ſanctum corpus Deo commendares: quo audito ſanctus Epiſcopus magna mæſtitia ſæptus eſt. In eadem nocte diluculo ſurrexit & ad Auguſtam pergere cœpit. In itinere vero cum cognoviſſet quod ad congruum tempus illuc pervenire non valeret, præmiſſo eodem legato nunciavit adventum ejus. Interim vero corpus in eccleſia ſanctæ Mariæ a congregatione die noctuque cum orationibus & Miſſarum celebrationibus, caute & devote cuſtodiebatur uſque in diem Dominicam. Die vero Dominica poſt primam Miſſam pro ejus anima celebratam, congregato clero & ſanctimonialium congregatione adveniente, & magna de provinciis multitudine populi, Presbyteri levaverunt corpus, & ad ſanctam Afram, ubi antea ſepulchrum ejus præparatum fuerat, portare cœperunt. Cumque venirent ad collem, qui dicitur *Pereleich* *, præfatus nuntius venit, & adventum Wolfgangi Epiſcopi nuntiavit. Illi autem perducentes corpus in eccleſiam ſanctæ Afræ, & item Miſſam ſacrificalem cum omni devotione pro requie ejus animæ celebravere. Epiſcopus vero cum adhuc non veniret, & hora diei non tardaret, niſi tempus celebrationis publici Dei miniſterii immineret, & hoc cum omni devotione a congregatione clericorum perficeretur, venit præfatus Epiſcopus, qui cum honorifice ſu-

* Saltzburgenſem.

* al. Perelich.

a In Necrologio ſancti Galli IV. Non. Junii notatur *obitus Vvolrici Epiſcopi Auguſtani*, idem dies notatur a Ditmaro in lib. 3. & in variis Kalendaris atque Necrologiis.

b De ſancto Wolfgango Epiſcopo Ratiſponenſi inferius agendum ſuo loco.

AN. CHR. 973 4. Julii. ſuſceptus fuiſſet, & orationi finem impoſuiſſet, ſalutatis a ſe Fratribus dixit: Quid vobis videtur? an hodie ſacrum corpus commendamus, vel ad alterum diem procraſtinemus? Cui Fratres reſpondentes dixerunt: Si tuæ ſanctitati placet, nobis bonum videtur ſi omnibus qui nunc hic in præſentia ſunt annuntiatur, ut mane congrua hora huc ad commendationem ſacris corporis conveniant, & a te ſalutaris hoſtiæ munus nobis ſacrificantibus pro requie ejus animæ Deo offeratur: quia congrua hora præterita eſt, & tu es magna laſſitudine ſæptus. Quibus auditis Epiſcopus conſilio eorum libentiſſime aſſenſum præbens, alterum diem exſpectavit.

77. Ea vero nocte HILTEGART uxor præfati Richwini Comitis, quamvis nupta, tamen ſatis religioſa, venit, camiſaleque cera perfuſum attulit, & ſublimiſſimos clericos petiit, ut ſacro corpori caute ſecreto circumdaretur, NOTA. ne ſacerdotalis paratura, qua indutus erat, cito a terra conſummaretur: quia ipſe adhuc vivens præcepit, ne tabulatum ligneum corpori ejus ſuppoſuiſſent, ſed puræ terræ imponerent, & ligneo operculo cooperirent. Qui ſecundum ejus petitionem camiſale corpori ſacro circumdederunt. Mane autem facto magna multitudine populi adveniente, & clericis ſanctimonialibuſque ibidem Deo militantibus congregatis, ſed & de provinciis multis, ſacris officiis utentibus adjunctis, Antiſtes, cunctis pro ejus anima ſacrificantibus, magna contritione cordis & humiliatione ſalutarem obtulit hoſtiam Deo. Inſuper etiam publica Miſſa expleta, omnes in commune ſobrio & cauto ſermone admonuit, ut pro illa ſancta anima intima intentione cordis devote exorent, ut ab omni vinculo delictorum abſoluta, Deo donante, perenni gaudio in ævum cum ſanctis & electis Dei perfrui mereretur. Oratione autem ſecundum verbum ejus ab omnibus peracta, Epiſcopus corpus *a* ſepelivit, & animam omnipotenti Deo devotiſſime cum lacrymis commendavit. Miniſtri autem, ſicut prædictum eſt, operculo ligneo corpus cooperuerunt, & ſuper hoc gradibus murati ſepulcri denſum ligneum tabulatum ſuperpoſuerunt, in ſuperficie autem terræ cum lapidibus conjunctis firmiter clauſerunt. His ita peractis, Epiſcopus ad Auguſtam cauſa orationis perrexit. Orationibus multipliciter conſummatis, a Fratribus per charitatem rogatus, paraturam miſſaticam, quæ fuit ſancti Udalrici, quarum opulentia ille vivens abundabat, propter ejus ſanctitatem ſuſcepit: & honorifice, ſicut optime dignus erat, dimiſſus, Deo comite ad propria reverſus eſt.

XXVIII. *Qualiter* HEINRICUS *ſucceſſor ejus ad Epiſcopatum venit, & qualiter interiit.*

78. Poſt obitum ſancti Udalrici Epiſcopi, Heinricus filius Purchardi Comitis ſucceſſor ejus effectus eſt, non provide in ovile ovium intrando, ſed aliunde aſcendendo, quia Purchardo *b* Duce Alamannorum, qui filiam materteræ ejus habuit uxorem & aliis plurimis, ſed & quibuſdam militibus qui ab eo beneficia ſua augeri aſtuta arte cupiebant, conſiliantibus ſubtili cœpit conſilio æſtimare, qualiter prædictum locum ſibi potuiſſet uſurpare; quamvis in ejus ſcientiam deveniret quod Werinharius Abbas * in quadam inviſibili carnalibus oculis congregatione, ubi ſanctus Udalricus in ecſtaſi mentis adjunctus audivit, Si duo aliis concordarent, ab omni illa congregatione ad hoc miniſterium fuiſſet deſtinatus ut ejus ſucceſſor efficeretur, ſicuti antea prædixi. Quidam clerici, Advocato & aliis quibuſdam militibus de eodem Epiſcopatu ſecum comitantibus, ad curtem Imperatoris baculum Epiſcopalem ferendo iter agere cœperunt. Cumque ad Wormacenſem civitatem ad monaſterium ſancti Cyriaci venirent, invenerunt ibi Purchardum Ducem cum uxore ſua in infirmitate occupatum. Cum-

* Fuldenſis ſupra n. 71.

a Alius ergo fuit ſive Ulricus, ſeu Ardericus, cujus corpus Mediolani in baſilica Apoſtolorum inventum legitur in lib. 5. de vita S. Caroli Borromæi cap. 6. auctore Carolo a Baſilica-Petri.

b Eo nomine tertio, qui in Sueviæ Ducatum Liutolfo ſucceſſit anno 957. teſte Hermanno, obiitque anno 973. Is uxorem primo Liutgardem, Udalrici ſororem, deinde Hedvvigem, filiam Heinrici Bajoariæ Ducis, habuit.

Digitized by Google

Cumque ei indicarent ſtudium itineris ſui, quibuſdam machinationibus callida ratione ab eo illuſi ſunt, quia dixit eis Imperatorem his diebus prope in ultimis finibus regni ejus morari, & in ea via quam pergere debuerunt, omnia ſupra modum cara, & herbam undique in defenſione manere, & ideo ſemetipſos & eorum caballos nulla commoditate poſſe ſuſtentari. Non poſt multos dies Imperator noſter vult regale colloquium habere ad locum qui dicitur *Erinſtein* *, illuc facile poteſtis ire. Ideo revertimini nunc, & quando meus certus nuntius vobis prædictæ locutionis diem nuntiaturus advenerit, illuc venire ne dubitetis, ibi enim me invenietis firmum vobis fore adjutorem, & in electione epiſcopali ſine ambiguitate me ſciatis vobis concordari. His verbis auditis, vera eſſe æſtimantes, & conſiliis ejus conſentientes reverſi ſunt. AN. CHR. 973 4. Julii. *al. Eriſtein

78. Non poſt multum vero temporis nuntius Ducis venit, & regale colloquium in prædicto loco manere indicavit, eoſque illuc venire admonuit, qui ſtatim aliis fratribus ſecum ſumptis ad præfatum locum pergere feſtinaverunt. Cumque appropinquaſſent ad locum qui ad Balneos nominatur, quidam nuntius eis obvius dixit: Hainricus filius Purchardi, quem Imperator cum ſuis fidelibus & Dux Purchardus ad Auguſtam Antiſtitem eſſe decreverunt, nunc cito occurret vobis. Hac ratione audita contriſtati fratres, eo quod de prædicta electione Epiſcopi privari debuerunt, ultra non ſunt progreſſi: ſed revertentes in loco opportuno eſxpectaverunt, uſque dum præfatum Heinricum inde comitarentur.

79. Eo ſtatim die, cum ad caſtra venirent milites qui de Duce Purchardo cum Heinrico venerunt, adjunctos ſibi clericos rogare cœperunt, ut Hainricum in commune Epiſcopum eſſe comprobarent in eodem loco: qui inducias petierunt uſque in communi capitulo domi cuncti fratres in unum ſe coadunarent. Cumque milites hoc refutarent, & longa inter ſe locutione contenderent; reverſi ad Hainricum cum quibuſdam clericis, elegerunt eum ſuper ſe eſſe Epiſcopum: quidam vero eum non eligentes ad Auguſtam pervenerunt ad ceteros fratres. Cumque ad Auguſtam pervenirent ſic ſequeſtrati in electione ejus, venit quidam Comes, Wolveradus nomine, cum aliis quibuſdam hominibus, quaſi legationem ab Imperatore ferendo ad congregationem, dicens: Imperator demandavit vobis gratiam & miſericordiam & omnia bona, & poſtulavit ut iſtum dominum Hainricum, quem ille cum ſuis fidelibus decrevit in iſto loco eſſe Paſtorem, ut & vos ob amorem ſui Antiſtitem vobis eligere unanimiter non renuatis. Legatio autem hæc fraudulenti conſilio compoſita erat. Cui reſpondentes dixerunt: Veniat ille cum vobis ad Capitulum noſtrum ad audiendum reſponſa noſtra. Cumque vix obtinuiſſent ut in Capitulum intrarent, legebant lectiones canonicas de electione Antiſtitum. Præfatus Hainricus cum audiſſet de lectionibus in præſentia recitatis, quod in poteſtate eſſet Canonicorum eum eligere vel refutare, cum venia humiliter poſtulavit, ut eum Epiſcopum eligere non dedignarentur, promittens eis, ſi ejus poſtulationi conſentirent, in poſterum omnigenæ commoditatis impenſionem. Qui ejus promiſſionibus credentes, quidam vero ſponte, quidam vero diſſenſiones vitando, omnes tamen in commune decreverunt eum eſſe Epiſcopum. Hæc vero electio cum in eccleſia militibus & familiæ nota facta fuiſſent, ſonantibus campanis ab omnibus confirmabatur. Tunc demum præfatus Heinricus aſſumptis quibuſdam Canonicis perrexit ad Imperatorem & in præſentia ejus aliorum teſtimonio roboratus, de electione ejus nuntiavit, humiliter flagitans, ut a celſitudine ejus Imperialis poteſtatis Pontificium prænominatum ei concederetur. Imperator autem ejus petitioni non contradixit, neque continuo adimplevit: ſed promiſit ut poſt quinque dies in ſollemnitate ſancti Mauricii ejus petitioni aſſenſum præberet, ſicut & fecit. Poſtea vero ſtatuto tempore ad Maguntiam venit, & a RUDPERTO *a* Archiepiſcopo & ſuis ſuffraganeis benedictionem epiſcopalem accepit.

80. His vero temporibus OTTO filius Liutolfi, filii Ottonis * Imperatoris, Dux fuit Alamannortm; & HEINRICUS filius Hainrici, fratris ejuſ- *Ottonis.

a De Rudberto Hattonis ſecundi ſucceſſore vide Serarium pag. 710.

AN.CHR. 973 Julii. ejuſdem Imperatoris, Dux Bauvariorum erat, qui quamvis ex vicina propinquitate charitate conjuncti fore debuiſſent, ex machinatione male ſuadentis ſatanæ invidias & diſſenſiones *a* inter ſe exercere cœperunt. Heinricus itaque Epiſcopus æquivoco ſuo Duci aptior manſit in omnibus, & ipſius conſiliis plus conſentiens, quam Ottoni Duci, quamvis civitas Auguſta in ſuo Ducatu ſita maneret. Pro hac vero re Otto Dux contra eum iratus eſſe cœpit, & cum fidelibus ſuis conſiliari, ut ei in quibuſcumque potuiſſet adverſaretur, quod & fecit. Inſuper Epiſcopus quibuſdam militibus nepotibus ſancti Epiſcopi Udalrici, Manegoldo & Hucpaldo, voluit beneficia abſtrahere, propter quorumdam conſilia, ſine illorum reatu, ipſi autem quia Epiſcopo ſancto Udalrico adhuc vivente ab eo miſſi ſæpe in auxilio Imperatoris cum herili multitudine militum venerunt, & in ejus ſervitio voluntatem ejus ſtrenue in omnibus adimplentes, tamdiu permanſerunt, uſque cum illius gratia muneribus honorati redire dimiſſi ſunt. Regina etiam profitebatur eorum ſe eſſe propinquam; ideo beneficia accepta Epiſcopo contradixerunt, & in eorum poteſtate co nolente tenuerunt. Epiſcopus itaque his & aliis multis adverſis fatigatus, triſtis effectus eſt. Quodam tempore cum Imperator Otto gentem Sclavorum cum exercitu invadere voluiſſet, & Otto qui tunc Dux erat Alamannorum & Bauvariorum, Heinrico depoſito, in adjutorium ejus venire cum Alamannis & Noricis paratus eſſet, Hainricuſque Epiſcopus ire ſe cum illo promitteret; exſpectavit cum ſuis militibus donec recederet exercitus, &, ſicut antea conſiliati ſunt, occupavit cum militibus ſuis civitates quas potuit & ipſe in Nuvvingburg * intravit. Heinricus autem, qui antea Dux fuit, Pazovvam * civitatem intravit, ea ratione, ut Ottone cum exercitu recedente, provinciam ſibi adjutorio nepotis ſui Epiſcopi ſubjugaret.

* al. Nuumburg, Nevvburg.
* Paſſavv.

81. Hoc itaque conſilium cum Ottoni Duci notum factum fuiſſet, reverſus eſt cum exercitu ambarum provinciarum, & obſedit eum in præfata civitate Pazovva. Imperator autem Otto cum Dei clementia liberatus a Sclavis, venit poſt eum ad eamdem civitatem in obſidionem ejus. Cumque obſidione finita & carmula mitigata, Imperator ad Saxoniam reverteretur, poſtea ſtatuto tempore Heinricus filius Hainrici, & æquivocus ejus filius Pertolfi, ad colloquium Imperatoris vocati ſunt: cum quibus etiam Heinricus Epiſcopus ad Imperatorem ſe ad excuſandum de prædicto reatu venit, ut an. 977. Contracti vetus editio. reſtitutus gratiæ ejus ad propria redire mereretur. Peracto itaque colloquio Heinricus & æquivocus ejus in exſilium miſſi ſunt: Heinricus autem Epiſcopus ad Wrdinam *b* ubi ſanctus requieſcit Liutgerus, Abbati ad cuſtodiendum commendatus eſt. Cumque ibi de Paſcha uſque poſt Nativitatem ſancti Joannis Baptiſtæ cum magna cautela cuſtodiretur, factum eſt Imperiale colloquium in opido quod dicitur Trutmanna. Illuc venerunt duo Presbyteri Gerhardus & Anamotus de Auguſta, & cum interventu Ottonis Ducis & Epiſcoporum ibi inventorum, ſupplicaverunt non ſolum de ſemetipſis, ſed de omnibus clericis & laicis in eodem Epiſcopatu habitantibus, ne diu Epiſcopali cuſtodia privarentur. Imperator autem petitioni Ottonis Ducis & aliorum ſuorum fidelium præfatorumque clericorum ſatisfaciens, Epiſcopum de exſilio reduci præcepit, & in præſentia ſua iterato fidelitatis ſuæ ſacramento, cum gratia ſua ad Epiſcopatum ſuum redire conceſſit.

82. Reſtitutus autem in ſuum locum Epiſcopus, tractare in animo ſuo cœpit, pro quibus reatibus ei tam diverſa adverſa ſic frequenter accidiſſent, qui a Duce multipliciter plus quam anteceſſores ſui injuriabatur. Et quia Principes militum beneficia ſua contra voluntatem ejus habere præſumebant, & electiſſimi de paterna ſua familia miniſtratores diverſo modo repente interierunt, ſecreto a familiaribus clericis interrogavit, ſi ſanctus Udalricus de Werenhario Abbate diceret, ut ſucceſſor ejus fieri deberet, ſicuti ei antea dictum eſt. Cumque in veritate verum eſſe cognoviſſet, quod antea credere noluit, expavit

a Hæc diſcordia accidit anno 977. teſte Hermanno.
b Warthinenſe appellatur, ut in Actis ſancti Liudgeri diximus in Sæculi 4. parte 1. pag. 17.

Digitized by Google

pavit ſe vehementer, ſed publice non manifeſtavit: pro eo plus expavit, quia AN.CHR.
tunc frequenter ſigna magna & mirabilia ad ſepulchrum ſancti Udalrici Epiſcopi Deo concedente fiebant. 973. Tunc demum in meliora multipliciter mutatus, 4. Julii. cum Deo ſe pacificare conatus eſt, & matricem eccleſiam novo tecto cooperire præcepit, & ſuper Licum fluvium ad ſanctam Afram pontem compoſuit, & ut nullus ex familia de ponte teloneum aut ullam redhibitionem acciperet præcepit, ſed in eleemoſynam ejus, quicumque voluiſſent, ſine contradictione & occupatione pergerent.

83. Poſtea autem Romam & limina ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli pro remiſſione delictorum ſuorum viſitavit. Et antea quam illuc pergere cœpiſſet, proprietatem quam pater ſuus Purchardus in Geiſinhauſa * habere viſus eſt; (* Giſenhauſen.) & quam Etichoni fideli ſuo ſub teſtimonio contradidit, ea videlicet ratione, ut eam illuc firmiter transfunderet, ubi eum filius ejus Heinricus Epiſcopus rogaret; tunc pro certo Etih *, poſtulante Epiſcopo tradidit cum manu ejus (*al Ethich.) præfatam proprietatem legitime ſecundum legem Noricorum, ſanctæ Mariæ ſuper altare ejus in Auguſta civitate ſitum, & ſuper capſam deauratam lapidibuſque incluſis decoratam, cum eccleſia & totis ædificiis, cum agris, pratis, paſcuis, molendinis, aquis, aquarumque decurſibus, viis & inviis civitatibus, ſilvis tonſis & intonſis, quæſitis & adhuc inquirendis, & cum familia & cum omnibus ad eamdem proprietatem jure pertinentibus, niſi 20. hubas *a* extra traditionem dimiſit, & eas ſervituti ſancti Magni ad Fauces decrevit, Canoniciſque placitavit ut poteſtatem haberent, ſi vellent, eaſdem hubas 20. cum 10. in iſta provincia in bono loco ſitis hubis concambire, in manum Werinharii advocati, & in manum Gerhardi Præpoſiti pro remedio animæ ſuæ & patris matriſquæ ſuæ, & materteræ ſuæ, ceterorumque propinquorum & parentum ſuorum in eam placitationem, ut in jure & poteſtate Canonicorum perpetualiter in oblatione permaneat, ſalvo in omnibus eorum quotidiano ſtipendio: & ut ipſi pro requie ejus animæ annis ſingulis ante anniverſarium diem ad horam veſpertinam vigiliam plenam devote celebrent, & in anniverſario die iterum vigiliam expleant, & celebrata Miſſa altaris, hoſtiæ oblationem omnes in commune Deo offerant, (NOTA.) & inſuper centum pauperes ſufficienti ſtipendio edendi & bibendi procurent, & ex eis duodecim veſtiant in uno anno lineis veſtimentis, & in altero anno laneis induant, & caligas, calceamentaque præbeant. Si autem aliquis ſucceſſor ejus Antiſtes hanc placitationem irrumpere tentaverit, & prædictam proprietatem Canonicis auferendo in ſuam utilitatem aliquo modo redigere conatus fuerit, & iſta ratione ei comperta ſtatim non reſtituerit; heredes ejus legitimi liberam habeant poteſtatem, tres ponere ſuper altare denarios, & eamdem proprietatem inde redimere, & in jus proprium poſſidere omnibus in futurum generationibus. Actum in Auguſta, in eccleſia ſanctæ Dei Genitricis Mariæ ante altare, Epiſcopo Hainrico perpetrante in præſentia Canonicorum coram frequentia populi & coram teſtibus ſubnotatis. Signum Etih, qui hanc traditionem fecit. Signum Adalbero. Signum Jacob. S. Marahuvrat. S. Willehalm. S. Hunurid, S. Engilmar. S. Wezzi. S. Pilgirim. S. Gundachar. S. Cadolt. Iſti de provincia Noricorum. Iſti autem de provincia Alamannorum. Signum Werenhere Advocatus qui hanc traditionem cum manu Gerhardi Præpoſiti accepit. S. Hiltipold. S. Gotebold. S. Reginhar. S. Suidger. S. Aribo. S. Urolf. Anno Incarnationis Domini noſtri Jeſu Chriſti nongenteſimo octuageſimo, indictione 8. 4. Nonas Octob. (& 20.) die Jovis. (& 20. delendum videtur.) Ego igitur Gerhardus *b* indignus Presbyter notavi diem & annum.

84. His ita, ſicut prædixi, expletis ad Romam perrexit, & votis ſuis peractis ſanus ad propria venit. Adhuc autem intus magna anguſtia mentis angebat, pro eo quod a Duce Ottone, quamvis exterius pacificati eſſent, plus

a *Huba* ſeu *Hoba* Germanis, idem quod Gallis *colonica*, *manſus*, latinis *villa ruſtica*, ut vulgo Gloſſographi cenſent: at potius manſi partem, & fortaſſe jugerum terræ ſaltem hoc loco ſignificari ex contextu manifeſtum. Adi gloſſarium Cangianum in voce *Huba*.

b Hinc quidam non inepte conjecerunt, Gerardum qui his verbis chartæ ſubſcribit, eſse hujus Vitæ ſcriptorem. Confer Obſervationes prævias., & ſuperiorem num. 63.

AN. CHR. 973 4. Julii.

cogebatur, quam anteceſſores ſui ei ſervitium facere de rebus ſanctæ Mariæ, & pro eo quod quidam milites beneficia eccleſiaſtica ad illius poteſtatem jure pertinentia contra ejus voluntatem poſſidebant. Quia ille ex nobilibus parentibus ortus eſt, & Grammaticæ artis aliorumque librorum magnam ſcientiam habebat, ſuavique colloquio & beneſonante loquela valde congrue exuberabat, in ſanctis ſollemnitatibus in Dei ſervitio & in prædicatione ſtudioſus fuit. Herili ſervitio ad menſam ſuam utebatur, & cum eo manentibus copiam manducandi atque bibendi hilari vultu & placida mente porrexit. Familiæ autem plus juſto ſævior exſtitit, eorum jus tollendo, & in quibuſdam locis novum cenſum creando. Tunc demum cognoſcebat, quod prælibata adverſa niſi Deo adjuvante, & Imperialis celſitudinis gratia machinante ſuperare non potuit, & toto niſu ſervitio Imperatoris ſe innectere ſtuduit, ut acquiſitione ejus gratiæ, omnes contrarietates ei ab aliis undique imminentes, cum ejus clementia & cum ejus præceptis mitigarentur. Ideo igitur ſæpius cum Imperialibus muneribus eum viſitavit, & drudes *a* ſuos donis congruis ſibi complacare ſatagebat, & inſuper hoſtilia itinera cum eo pergebat, taliter ſicuti ei optime æſtimabat placere. Anno itaque Incarnationis Domini noſtri Jeſu Chriſti 983. *b* Imperator cum exercitu Calabriam provinciam adiit: illuc etiam Epiſcopus Hainricus cum eo pervenit. Cumque ibi pugna cum Sarracenis ageretur, plurimis ibi ex utraque parte occiſis, heu dolor, ſive captus, ſive occiſus, etiam ibi remanſit. Supra modum eſt lamentandum perditio ejus: quia locus ejus a clericis ſuis & propinquis & cognatis, & amicis inveniri & viſitari non poteſt. Periculoſum eſt valde, decretum Dei per ſuos ſanctos revelatum ſupergredi, & prophetias ſpernere, dicente Scriptura: *Spiritum nolite exſtinguere, prophetias nolite ſpernere.* Werenharius autem poſtea ab Imperatore interrogatus, ſi Epiſcopatum accipere vellet, ſicut ſanctus Udalricus antea decrevit: qui cum adhuc eſſet ſanus & incolumis reſpondit, ſe ultra hunc Epiſcopatum non velle accipere. Poſt contradictionem autem Epiſcopatus, ut a miniſtris ejus comperi, paucis horis interpoſitis infirmari cœpit, & ad Luggam * vitam finivit, & corpus ejus portatum eſt uſque ad ſanctum Domninum *, & ibi honorifice eſt ſepultum. Otto autem Dux etiam ad Luggam defunctus eſt: & a ſuis ſuper montana * portatus, & uſque ad *Aſchaffenburg* perductus, cum magno honore & nimia lamentatione ibi terræ commendatus eſt.

* id eſt Lucæ in Hetruria.
* opidum S. Domnini prope Parmam.
* id eſt trans Alpes, ex Italia nim. in Germaniam.

LIBER DE MIRACULIS S. UDALRICI.

CAP. I. *De cereo qui cecidit ſupra tapetium, miraculum primum.*
II. *De eo qui de febre ibi liberatus eſt in primis.*
III. *De multitudine a febribus liberatorum.*
IV. *De eo qui unum de baculis abſtulit.*
V. *De Adalgero Presbytero.*
VI. *De his qui de baculis fulciebantur.*
VII. *De multitudine baculorum.*
VIII. *De cujuſdam mulieris filia ſanata.*
IX. *De eo cui lingua & aures ſolutæ ſunt.*
X. *De Similario Epiſcopi Heinrici.*
XI. *De eodem qualiter de vulnere ereptus eſt.*
XII. *De Adalbardo qui charitatem S. Udalrici bibere recuſavit.*
XIII. *De VValdkero qui etiam caritatem contempſit & mortuus eſt.*
XIV. *De Hereuunſo qualiter ſanitati reſtitutus eſt.*
XV. *De Hiltepaldo qui lumen oculorum recepit.*
XVI. *De Ruodperto qui primum in itinere, poſtea ad ſepulcrum ſanatus eſt.*
XVII. *De Luiterico qui viſum recepit.*
XVIII. *De Clerico qui loquelam amiſſam recepit.*

XIX. De

a In uno exemplari ſuperſcriptum erat, *gratos*, in alio *conſiliarios*, id eſt fideles, a voce Germanica *Draut* ſeu *Drut*, quæ fidem ſignificat.

b Ita etiam Marianus, qui *Idibus Julii*, & Lambertus Scafnaburgenſis, qui III. *Idus* prælium commiſſum dicit. Corrigendus ergo Hermannus, qui annum præcedentem notat, aſſerens Henricum Augſtenſem Epiſcopum *interceptum diſparuiſſe*, Ethicum vero ei ſucceſſiſſe.

Digitized by Google

XIX. *De cæco qui lumen in via recepit, & ductorem ſuum ad ſepulchrum portavit.*
XX. *De matrona a dæmone liberata.*
XXI. *De filio VVoltzlaui Ducis.*
XXII. *De Miſicone Duce quomodo liberatus eſt.*
XXIII. *De muliere quæ a Demonio liberata eſt.*
XXIV. *De eleemoſynaria Abrahami Epiſcopi liberata.*
XXV. *De cæco quem ductor ſpoliatum dimiſit.*
XXVI. *De puerulo qui de ponte cecidit in amnem.*
XXVII. *De eo cui fænum in favillas mutatum eſt.*
XXVIII. *De muliere cui manus contractæ ſunt.*
XXIX. *De claudo cui caballus in pedibus vitiatus eſt.*
XXX. *De infirmo qui contra voluntatem portantium de lecto exſilivit.*

CAPUT I. *Qualiter tapetium ſepulchro ſuperpoſitum, ignis non tangebat.*

POſt commendationem pretioſi theſauri ſacri corporis Udalrici, tapetium ſepulcro ſuperponebatur, & aſſiduum lumen appoſitum ſine intermiſſione ardebat. Quidam autem cuſtodum ardentem cereum incaute poſuit juxta ſepulchrum, quo recedente cereus cecidit in tranſverſum ſuper tapetium ſepulchri, & ardens permanſit donec illa pars cerei quæ ſuper tapetium jacebat ab igne conſumebatur, & cum anteriori parte tapetii quæ ſepulchro eminebat conjunctus arderet, & flammam ſurſum per tapetim emitteret. Cuſtos advenit, & hoc videns tremefactus obſtupuit, & quod adhuc remanebat de cereo timens abſtulit, tapetiumque ſollicite inſpexit ſi ab igne aliquid læderetur: veſtigium ignis de minimis micis cerei invenit, unum vero pilum in ſuperficie & in latere ſepulchri in tapetio exuſtum invenire non potuit. Hoc miraculum cum magiſtro ſuo & Fratribus nuntiaret, & veſtigium cerei monſtraret, & tamen tapetium illæſum oſtenderet, admiratione & gaudio repleti Deum omnes glorificaverunt & S.Udalricum.

II. *De Reginvvaldo ſanato.*

Quamvis adhuc nullum inibi aperte fieri miraculum comperiretur, utriuſque ſexus familiæ multitudo jugiter pavimento proſtrata, poſitioni ſancti corporis adjuncta, neceſſitatis ſuæ ſuffragia precabatur: deprehendenſque ei multa omnigenæ commoditatis auxilia inde evenire, frequentius eumdem cœpit viſitare locum. Itaque cum ab aſſiduitate viſitantium, Domino concedente, plurimis ille commendaretur locus, venit quidam homo de provincia Noricorum, nomine Reginvvalech, qui integro anno febre fatigatus ad nimiam infirmitatem deductus, ad Wicfredum Præpoſitum ejuſdem loci venit, interrogans eum ſi aliquod liberationis ſuæ medicamentum ei indicare potuiſſet: Qui reſpondens dixit: Vade & acquire tibi baculum, & porta eum ad ſepulchrum domini mei ſancti Udalrici pro ſoſpitate tua. Qui ambulans inde concidit ſibi baculum de ligno bidullaneo, & portavit eum ad præfatum præpoſitum: qui ambulans cum eo duxit eum ad ſanctum ſepulchrum, & monſtravit ei baculum ponere ſuper illud. Oratione etiam clericorum fretus, & doctrina eorum in fide confortatus, eadem hora a febre liberatus ſanitati manifeſte redditus eſt.

III. *De multitudine a febribus liberatorum.*

Eodem vero tempore in iſtis regionibus incredibilis multitudo populorum febribus fatigabatur: qui cum audirent præfatum hominem ad ſanctum ſepulchrum, ſicut prædixi, fore liberatum, quidam cum baculis, quidam etiam additis aliis oblationibus, feſtinaverunt pro ſanitate ſua ſanctum viſitare ſepulchrum: qui omnes undecumque venirent celeriter ſanitati reſtituebantur.

Digitized by Google

AN.CHR. 973 4. Julii.

IV. *De Hiſenbardo a febre fatigato.*

Quidam de familia ſanctæ Mariæ - Hiſenhart nomine, unum de baculis qui ad ſepulchrum de infirmis portabantur, tulit, & eum in manu portando inde ambulare cœpit. Cumque ad collem qui dicitur *Perileich* * veniret, a febre acriter fatigari cœpit. Tunc perſentiens pro quo reatu infirmitati concederetur, regreſſus ad ſepulchrum, baculum reſtituit in locum ubi eum tulit, votumque fecit, ut ultra nullum inde auferre præſumeret: votoque peracto a febre dimiſſus eſt.

* al. Perleich, Berleich.

V. *Qualiter Aldalger bacellos a ſepulchro tulit.*

De congregatione ſanctæ Afræ Presbyter unus, Adalger nominatus, tulit de ſepulchro duos bacellos ſpecioſis ad videndum, & aptos in manibus ad portandum; & ſui oblíviſcens portavit eos in domum ſuam, ibique cum ſediſſet, invaſit eum oſcitatio crebra & obripilatio cutis maxima, & omnia membra tædio occupata ſunt, ita ut virtutem ſedendi, neque ambulandi, nec ſaltem jacendi apte non potuiſſet habere: qui intra ſemetipſum æſtimare cœpit, pro qua re tam ſubita ſolutione membrorum gravaretur: & ſurgens venit ad Wicfredum Præpoſitum, & nuntiavit ei eventum rei. Cui ille dixit: Tune iſtos bacellos de ſancto ſepulchro tuliſti? Qui dixit, Ita feci. Feſtina, inquit ille, reponere eos in locum ſuum. Hoc cum factum fuiſſet, omni incommoditate corporis fugata, Presbyter confeſtim ſanitati priſtinæ reſtitutus eſt.

VI. *De his qui de apportatis baculis in eccleſia tollere præſumebant.*

NOTA.

Quicumque etiam de multitudine vulgi de apportatis baculis in manus ſuas acceperunt, ut inter ſacra myſteria ſe ſuper eos inclinarent, ut facilius finem myſterii exſpectarent, repentina invaſione febris quaſſati ſunt, compertaque cauſa eventus, rejectis baculis eadem hora liberati ſunt.

VII. *De baculis multiplicibus.*

His caſibus divulgatis, & in notitiam undique omnium deductis, nullus præſumebat vel minimum bacellum ſine licentia inde auferre: & ideo tanta multitudo baculorum excrevit, ut facile dinumerari non potuiſſet, nec ſine impedimento in angulis eccleſiæ collocari: unde factum eſt, ut ſuper trabes ejuſdem exedræ, ubi ſepulchrum ſitum eſt, ponerentur. Manſionarii itaque, præcipiente eorum magiſtro, frequenter eos ad focum portant, & eis ardentibus ceram in mollitiem redigunt ad candelas multiplicandas ad ſervitium Dei. Super trabes tamen plurimi ſemper remanebunt, & hi qui eos conſpiciunt non putant numerum eorum in aliquo minorari. Suſtentacula eorum qui gratia Dei concedente per merita ſancti Udalrici a diverſis infirmitatibus ibi ſunt liberati, plurima pendent, & aliorum analogiæ ſecundum membra diverſa infirmantium figuratæ etiam plurimæ ibi videri poſſunt. Vehicula etiam eorum qui carris ſuperpoſiti multimoda debilitate membrorum manci illuc veniebant, & in omnibus membris perfecta ſanitate donabantur, relictis ibi carris cum tuguriis, pedeſtri itinere læti redierunt, ante fores eccleſiæ conſpici poſſunt.

VIII. *De ſanata filia cujuſdam mulieris.*

Cujuſdam vero mulieris filia in brachio in totum debilis facta in pago *Geltenſtein* *, cui quadam nocte in ſomnis dictum eſt, Quare filiam tuam *cum* lucerna * non perducis ad ſepulchrum ſancti Udalrici pro ſanitate ſua? Quæ expergefacta ſomnium nuntiavit filiæ ſuæ, & ut celerius potuit, eam illuc cum

* al. Geltenſten.
* id eſt candela ſeu cereo.

Digitized by Google

cum candela perduxit, & perfecta ſanitate recepta, eam inde lætam ad propriam poſſeſſionem revexit. AN.CHR. 973 4. Julii.

IX. *De quodam viro auditum recipiente.*

De eodem vero pago de opidulo Toningevve * vocato, quidam homo cui aures clauſæ ſunt ut nihil audire potuiſſet, & lingua ligata, ita ut numquam ullum verbum proferre potuiſſet, ad ſepulchrum ſancti Udalrici a fratribus ſuis deductus eſt, & ibi proſtratus diu jacuit lacrymas fundendo, elevatus autem a fratribus per altaria deductus eſt. Cumque ambulare cœpiſſet, & perveniret ante altare ſancti Donati, quod eſt ſitum ad occidentalem partem eccleſiæ, audivit ſonitum canentium in choro clericorum, & infirma adhuc voce dixit fratribus ſuis: Ecce audio & loqui poſſum. Qui cum peracto Dei miniſterio hæc clericis annuntiarent, & ipſi veraciter hæc ita eſſe cognoſcerent, campanas ſonare fecerunt, & ipſi in commune Deum laudare cœperunt, laudationeque finita cum perfecta loquela & integro auditu donatus præfatus infirmus abire promeruit.

* Tuningevve.

X. *De Liutnoto, ſimiliario Henrici Epiſcopi.*

Ex familia Epiſcopi Hainrici ſimilarius *a* quidam Liutnot nominatus, reatu proprio gratiam Domini ſui perdidit, pro eo quia farra per loca Epiſcopi ſibi commendata, magna incautela diſſipavit: qui cum a miniſtris Epiſcopi vehementer territus maximum timorem incideret, ad ſepulchrum ſancti Udalrici pro liberatione imminentis anguſtiæ nudis pedibus acceſſit, & ibi diu cum lacrymis adjutorium ejus poſtulavit. Inde autem cum reverteretur, paucis diebus interpoſitis, facilius quam credere potuiſſet, gratiam ſui domini recepit. Deinde in auxilium ejus firmiter ubique confidens, in recreatione ſua pro amore ejus *b* frequenter bibebat, & alios bibere poſtulare conſuevit.

XI. *De eodem, quomodo de vulnere ereptus eſt.*

Idem Liutnotus quadam die ad domum Razonis, qui tunc potens miniſter Epiſcopi fuit, in opido Pobingga * venit, & ibi cum eo prandium ſumpſit. Qui cum ſaturatus abire voluiſſet, præfatus Razo cogebat eum plus ad bibendum. Cujus petitioni ille contradicere non audebat, ſed vas quod illi porrigebatur accepit, dicendo. Iſtam ſiceram bibere pro charitate ſancti Udalrici, per cujus adjutorium de maximis anguſtiis liberatus ſum, volo. Cumque poculum hauſiſſet, & vas cum manu deorſum verteret dixit: Cum iſta charitate ſignatus, certus ſum quia nullius adverſitatis pravitas mihi hodie poterit nocere, ſed neque gladius corpus meum vulnerare. Cui Razo dixit. Da mihi digitum tuum, ut videam ſi cultellus meus tuum poſſit vulnerare membrum. Qui ſtatim magna fide digitum ſuum ei porrigebat. Ipſe autem apprehenſo ejus digito, alia manu cultellum de vagina extrahere conabatur, ad vulnerandum digitum prænominati piſtoris, propriæque ſui manui cum eodem cultello grande vulnus infecit, digitumque apprehenſum ſimul & cultellum feſtine dereliquit, & ſuam manum vulneratam lamentari cœpit, piſtor autem in fide confortatus ſanus receſſit.

* al. opinga.

XII. *De Adalhardo qui charitatem ſancti Udalrici bibere recuſavit.*

Alius autem ex familia, nomine Adelhardus, cum de Auguſta civitate ad

a Piſtor panis primarii ex ſimile farinæ.

b Id eſt ſancti Udalrici. Similes compotationes in charitate S. Emmerammi apud Arnolfum in lib. 1. cap. 7. Alias item in *amore* Sanctorum notavimus in ſuperiori tomo pag. 376. Vide hic infra capita 11 & 12 & 13. Ekkehardus Junior in lib. de caſibus monaſterii S. Galli cap. 3. pag. 41. *Amore, ut moris eſt, oſculato & epoto tatabundi diſcedunt.*

AN.CHR. 973. 4. Julii.

ad ſuam manſionem, quæ ſita eſt in opido Eitinge * nominato, pergere voluiſſet, ante portam civitatis quidam homo eum cum aliis bibere rogavit. Cumque bibere cœpiſſent, quidam ibi manentium pro charitate ſancti Udalrici poſtulavit eos potum accipere. Præfatus autem Adelhardus ſordidum verbum ex ore ſuo emiſit, & poculum rogatæ charitatis accipere renuit. Cumque paululum inde recederet, in planitie viæ equo ſuo cadente crus ejus fractum eſt, & ita ad ſuam domum cum labore deductus longo tempore debilis permanſit. Poſtea vero votum ad ſepulchrum ſancti Udalrici vovit, & Deo donante ſanitati eſt redditus, & deinde charitatem quam antea ſprevit, alios frequenter bibere poſtulavit.

* al. Eitingen.

XIII. *De Waldkero qui etiam charitatem contempſit, & mortuus eſt.*

In præfata villa Eitinga quadam die cum multi ex familia ſimul ad bibendum in unum congregati fuiſſent, fuit inter eos unus nomine Walterih, diſcipulus Wicfredi Præpoſiti de ſancta Afra, qui cum audiret ibi poſtulare ſancti Udalrici Epiſcopi charitatem, profano ore quaſi inſaniendo ſtultiſſime locutus eſt: Quid mihi prodeſt charitas illius Epiſcopi, quia ille ſigna facere non poteſt pluſquam unus canis? Illo verbo emiſſo, diabolo conceſſus loquelam hominis amiſit, & more canis furendo ſonare cœpit, & ganniendo atque latrando parvo tempore evoluto heu miſerabiliter vitam finivit.

XIV. *De Herevvnſo ſanato.*

In civitate Auguſta quidam faber Herevvnſus vocatus, longo tempore magna infirmitate totius corporis detentus ita ut ambulare non poſſet niſi aliis adjuvantibus, & interdum cum duobus ſuſtentaculis ſuſtentatus, prope terra tenus inclinato capite ad neceſſaria corporis vix pervenit: qui cum audiſſet multos infirmos ad ſepulchrum ſanctum ſæpe ſanari, cœpit illuc ultra vires repere, & mane diluculo manſione ſua exire, & illuc ante horam diei tertiam vix pervenire. Cumque hoc frequenter feciſſet, quodam tempore in Quadrageſima die Veneris, cum ad portam, cui capella ſancti Michaelis eſt ſuperpoſita, veniret, ultra modum laſſus & univerſis viribus deſtitutus ſubſiſtit dicens: Domine Deus, pater omnipotens, cognoſcere dignare quanta difficultate nunc iſtum adii locum, & per merita ſancti Confeſſoris tui Udalrici miſerere mei. Et aliquantulum pauſatus repſit uſque ad ſepulchrum. Finita ibi oratione, dum acceptis ſuſtentaculis adjuvante comite ſuo ſurgere voluiſſet, unum ſuſtentaculum in pavimento lapſum eſt, & ipſe ad terram iterum dejectus eſt, & in dejectione genua ejus retro in contractione nervorum more fractorum malleorum ſonitum fecerunt, & crura per pavimentum extenſa ſunt. Comes autem illius cum ſolito more eum levare voluiſſet, dixit illi: Exſpecta paullisper, ut mihi videtur ex me ipſo ſurgere poſſum & ambulare. His dictis, dimiſſis in pavimento ſuſtentaculis, ſurrexit & ambulavit, qui ſtatim ibi accepta [a] cruce, clericis civibuſque ceteris cum eo comitantibus, ſine baculo potenter ad ſanctam Mariam in Auguſtam civitatem perambulavit, ibique Dei laudibus in commune peractis, eadem hora ad ſanctam Afram crucem portando regreſſus eſt.

XV. *De Hiltibaldo illuminato.*

* al. Meſſinga.

Nativus quidam pauper de opido quod dicitur Meſslinga *, Hiltibaldus nomine, cæcitate perculſus eſt, & in illa cæcitate duos annos perduravit. Tertio autem anno quidam homines de eodem pago, pergere decreverunt ad Auguſtam civitatem cauſa orationis, qui invenerunt eum in eodem itinere cum duce

[a] Mos erat uſitatus, ut ſanati in baſilica ſanctæ Afræ ad tumulum S. Udalrici, inde accepta cruce in eccleſiam cathedralem comitante populo progrederentur. Confer Udelſcalcum tomo 2. Caniſii pag. 215.

Digitized by Google

duce ſuo victum per opida quærentem, & dixerunt ei: Perge nobiſcum ad Auguſtam civitatem & ad ſepulchrum ſancti Udalrici, forſitan ibi miſericordiam conſequi poteris. Quibus ille reſpondit: Stipendia mihi & ductori meo, & oblationes ad illa ſancta loca deferendum non habeo. Qui reſpondentes dixerunt: Si nobiſcum ieris, quantum poſſumus auxiliatores tui ſumus. Quorum conſentiens ſuaſionibus cum eis perrexit ad Auguſtam, & eadem nocte juxta ſanctum ſepulchrum foris eccleſiam diem exſpectavit futurum. Mane autem facto, infra eccleſiam ad ſepulchrum deductus devote oravit, & antea amiſſum lumen oculorum Dei gratia donante recepit: levataque cruce, comitante cum eo magna multitudine populi, ad ſanctam Mariam pervenit, & qualiter ſit illuminatus, civibus ſuis ei teſtimonium dantibus recitavit.

AN.CHR. 973 4. Julii.

XVI. *De quodam Rutperto ſanato.*

Quodam tempore cum ſanctus Epiſcopus ad Synodum Ottonis Imperatoris in Ingilunheim congregatam pergeret, quidam pauper de opido *Affelterbach* Rudpret vocatus juxtam viam ei conjunctus eſt, ilia ſua de ventre prolapſa in loco umbilici portans in ſinu ſuo: cumque ea aperto ſinu Epiſcopo oſtenderet, præcepit ei denarium dari, & dixit illi: In pace Dei perge: qui non multo poſt tempore meliorari de die in diem cœpit, & ſanato ventre de prædicta infirmitate liberatus eſt. Poſtea autem idem ipſe claudus factus eſt, ita ut niſi ſcamellis ſuſtentatus ambulare potuiſſet, utilitate etiam dextræ manus in lineamentis totus privatus eſt. Hac infirmitate cum quatuor annis detentus manſiſſet, deſideravit venire ad ſepulchrum ſancti Udalrici, & comparavit ceram quam ſecum ad ſepulchrum deferret: comparata autem cera virtus ei in ſuſtentaculis baculorum dimiſſis ſcamellis, ambulandi conceſſa eſt. Illuc autem taliter cum perveniret, manus ejus & genua ſanitati reſtituta munia ſua receperunt, ita ut idem homo ſine ſuſtentaculis erectus gradiens tripudiando rediret.

XVII. *Qualiter quidam Liuthartus viſum recepit.*

De regno etiam Lottherii quidam Lutericus qui multo tempore luce oculorum caruit, ad ſanctum ſepulchrum venit, & orationibus peractis clarum viſum recepit.

XVIII. *De quodam clerico ſanato.*

Clericus quidam qui in Auguſta civitate ſtudio diſcendi ſæpe inter ſcholares morabatur, cum ad propinquos ſuos reverteretur, mutus effectus. Cumque ab eis ad ſepulchrum ſanctum deductus fuiſſet, emiſſis de ore ſuo duobus denariis ſuper ſepulchrum, loquelam quam amiſit, recepit.

XIX. *De cæco qui lumen in via recepit.*

Cæcus quidam cum valde parvulo ductore ad ſanctum locum hiemali tempore ſtuduit pergere, qui cum Smutturam * fluvium tranſgrederetur, & ad longum rivulum de fonticulis congregatum ſuper viam decurrentem veniret; ductor ejus ei auxilium præbere non potuit, ſed de frigore & laſſitudine defectis viribus cecidit. Cæcus autem ductore cadente, magna cura & triſtitia per decurſum rivuli cum baculo undique palpando ambulavit, & magna voce clamando ad ſanctam Mariam & ſanctam Afram, & ad ſanctum Dei ſervum Udalricum, adjutorium & miſericordiam ſibi dari intenta mente flagitavit. Cumque ſic palpando & clamando pæne uſque ad finem rivuli perveniret, Dei donante clementia ſubito, apertis oculis lumen adſpexit, & regrediens ductorem ſuum levavit, & uſque ad ſanctum ſepulchrum omni-

* al. Smuturam, Schmuturam.

Digitized by Google

AN.CHR. 973 4. Julii. omnipotentem Deum & ſanctos ejus laudando, portavit; ibique manifeſte clericis & omnibus præſentibus quæ ei in via acciderant recitavit.

XX. *De matrona ſanata.*

Fuit quædam matrona in Francorum provincia prædives & nobilis, quæ arrepta a diabolo nimie laborabat: ad cujus ereptionem quinque Epiſcopi cum aliis plurimis convenerunt: qui cum diabolum orationibus & conjurationibus arctarent ut obſeſſum corpus dimitteret; clamans & ejulans dixit: Niſi aliquid de rebus Epiſcopi Udalrici huc venerit, propter veſtrum præceptum poſſeſſum vas non dimitto. Cumque iterum atque iterum eadem reſponſa iteraret, æſtimare cœperunt, ut Legatos ad Auguſtam mitterent, ut aliquid acquirerent de rebus Epiſcopi. Interim vero cum hæc inter ſe arbitrarentur, clamavit diabolus per os matronæ: Væ mihi, væ mihi, hic in vicinitate eſt Presbyter unus qui habet humerale quod fuit præfati Epiſcopi, quamvis non ſponte ſed Deo jubente nominavit Presbyterum, & locum ubi habitavit. Cumque accerſitus Presbyter cum humerali veniret, antequam domum intraret, dæmon dixit: Væ væ, nunc venit humerale Epiſcopi. His dictis, clamando & dolendo corpus matronæ valde fatigatum reliquit. Interrogatus autem Presbyter unde ei humerale veniret, reſpondens dixit: Epiſcopus aliquando ad regale colloquium pergendo, ad noſtram eccleſiam venit, & nos ſibi Miſſam cantare rogavit. Cumque alba nos indui ſine humerale *a* velle videret, dixit: ubi eſt veſtrum humerale? Cui ego reſpondi, Non habeo humerale. Tunc ille iſtud humerale juſſit mihi donari. Matrona autem a dæmonio liberata, & ſenſui ſanitatique reſtituta, tota veſtimenta ſua quibus eo die induebatur, cum caligis & calceamentis ad ſepulchrum ſancti Udalrici per nuntios miſit: quibus etiam præcepit ut ibi nuntiarent, qualiter Domino concedente per ejus merita eſt liberata. Wicfridus ejuſdem loci præpoſitus, qui etiam & cuſtos eccleſiæ eo tempore manſit, de froco *b* ejuſdem matronæ dalmaticam fieri fecit, & alia ejus veſtimenta ſicut ad Dei ſervitium compoſuit, ut hoc ſignum miſericordiæ Dei frequentius poſteris in recordatione maneret.

XXI. *De filio Vvolezlavi * Ducis.*

*al. Woleſlavvi.

In regione Sclavorum filius Wolezlavi *c* Ducis in valetudinem incidit, & in tantam infirmitatem deductus eſt, ut pater ejus & mater, ceterique præſentes amici, præſentem vitam eum ulterius habere poſſe deſperarent. Cumque pater in his anguſtiis verſaretur, admonitus eſt de matre pueri & de aliis quibus notum fuit, quam multipliciter multi per merita ſancti Udalrici de diverſis anguſtiis liberati eſſent, continuo votum vovit, ſi filius ejus ad vitam rediret, ut miſſis Legatis ſepulchrum ſancti Udalrici cum oblationibus viſitaret. Eodem vero die filius Ducis converſus ad vitam, conſolationem patri non minimam obtulit, qui cognoſcens miſericordiam Dei in filio, nuntios ſtatim mittere, & votum ejus implere ſtuduit. Qui venientes ad ſepulchrum obtulerunt 5. libras argenti, & aureos quam plurimos, & de cera quantum unus fortis ſaumarius * portare potuit: mater *d* etiam pueri ſeorſum aureorum denariorum bonam partem pro filio miſit. Legati etiam altare ſanctæ Mariæ cum auro & aliis oblationibus, ſicut eis præceptum eſt, devote viſitaverunt, ſimiliter & altare ſanctæ Afræ, & narraverunt pro qua re miſſi ſunt, dicentes antequam ipſi exirent de ſua provincia, ut filium Domini ſui ambulantem & ſanum dimitterent.

*equus ſarcinarius.

XXII. *De*

a Hinc patet *humerale* vocari, quod nos modo *Amictum* vocamus.

b Frocus genus panni ſubtilioris, unde cucullis ex eo factis inductum frocci nomen.

c Boleslai cognomine Pii Boemiæ Principis, cui Boleslaus cæcus filius fuit ex Hemma uxore. Vide Du-Bravium lib. 6.

d Alia Hemma, uxor ſcilicet Ludovici II. Imp. Witgario Epiſcopo Auguſtano Epiſcopo zonam miſit, quæ hodie quoque in eccleſia cathedrali ſervatur. Witharius obiit anno 882. teſte Reginone.

Digitized by Google

XXII. *De Minchone vulnerato.*

Alio quoque tempore quidam Dux Wandalorum *a* Miſicho nomine, cum ſagitta toxitata in brachio vulneratus eſt, qui cum ſentiret veneno ſe nocivo eſſe percuſſum, & ſibi imminere mortis interitum eadem hora putaret, cum magna fide & conſtantia votum vovit, ut brachium argenteum cum manu quantocius potuiſſet, ad ſanctum Udalricum mittere non differret. Qui ſtatim poſt votum relevatus a periculo ad domum ſuam rediit, & brachium ſecundum ſuum votnm componere præcepit. Cumque fabri brachium fabricare cœpiſſent, & manum in eo fingerent; Dux continuo de imminenti periculo liberatus ſurrexit, Deum laudans, qui eum per merita ſui ſancti Epiſcopi de mortis periculo liberavit, votum ſuum perficiens, mittendo brachium cum manu ad viri Sancti ſepulcrum.

XXIII. *De muliere a dæmonio vexata.*

Quædam mulier de Curienſi Rætia, relicto proprio marito, cuidam viro de pago Albegeuve Durinc vocato in matrimonium juncta eſt. Cumque cum illo aliquantulum temporis maneret, a dæmonio obſeſſa eſt, & ab eo nimie vexabatur, quæ cum in multis ſanctis locis liberationis ſuæ adjutorium quæreret & non inveniret, conſilium accepit ut ad ſepulchrum ſancti Epiſcopi Udalrici veniret, quod & fecit. Cumque appropinquaret Auguſtæ civitati, & eccleſiam ſanctæ Afræ bene adſpicere potuiſſet, clamans & fremens cecidit in terram, & facta eſt quaſi mortua. Præfatus autem Durinc cum comitantibus ſibi ſtuduit levare eam: levata autem, reddito ſenſu a dæmonio eſt liberata.

XXIV. *De eleemoſynaria Epiſcopi Abrahæ ſanata.*

Eleemoſynaria quædam Abrahami *b* Friſingenſis Epiſcopi civitatis, de villa quæ dicitur Camera, cui maxilla pectori fuit inſerta, & loquela in toto negata, cui etiam manus brachiis replicatæ & conglutinatæ erant, ut figuræ digitorum vix cognoſci potuiſſent; cum veniret ad ſanctum ſepulchrum, & inde revertendo ſuper pontem Lici fluminis ambularet, quidam homo ei obvius venit, & interrogavit eam unde pergeret. Cui illa reſpondere non potuit, ſed vertebat ſe inclinando ad eccleſiam ſanctæ Afræ, ut ei monſtraret unde pergeret. Cum autem ſe ad illam verteret, maxilla de pectore ſolvebatur, & loquela ei ad reſpondendum conceſſa eſt.

XXV. *De cæco quem ductor ſpoliatum remiſit.*

Quidam cæcus cum perveniret cum ductore ſuo ad fluvium qui dicitur Vindex; interrogavit eum ſi adhuc videre potuiſſet civitatem & Monaſterium *c*. Cumque audiret in proximo fuiſſe ſanctum locum, abſtrahere ſibi fecit caligas & calceamenta, ut nudis illuc perveniret pedibus. Ductor autem ejus raptis calceamentis & aliis rebus ejus, furtive receſſit ab eo: qui æſtimans ut pro aliqua neceſſitatis cauſa opidum juxta ſitum intraret, & ſtatim ſibi in adjutorium rediret. Cumque diu exſpectaret, vociferando eum nominare cœpit ut veniret. Interim etiam quæſivit zabernas & calceamenta, &

a Id eſt Polonorum, quorum Dux Miſico, aliis Michovlo, Mieſca, Mieſco, & Miezulaus, ultimus Ducum ejus gentis, primus Chriſtianam religionem in eam intulit, perſuaſus ab uxore ſua Dubrava, quæ prædicti Boleslai ſoror fuit. Obiit anno 992. ex Ditmari lib. 4.

b Abrahamum anno 992. obiiſſe ſcribit Hundius in Metropoli Salisburgenſi. Eleemoſynaria hic ſtipendiaria intelligitur, infra cap 29.

c Id eſt eccleſiam ſanctæ Afræ, quæ tunc clericis parebat, poſtea monachis Benedictinis ab anno 1012. ex Obſervationibus præviis.

AN CHR. 973 4. Julii. & non invenit. Tunc perſenſit a ductore ſuo ſe eſſe ſpoliatum, flendo & orando clamare cœpit ad ſanctam Mariam matrem Domini, & ad ſanctam Afram, & ad ſanctum Udalricum, ut ſibi aliquod conſolationis ſupplementum eveniret. In hac cum prolixæ afflictionis tribulatione laboraret; ſubito ignotum conſpexit oculis lumen, & ſtatim crucicula de viminibus facta eumdem denotavit locum, & tunc lætus deſtinata viſitavit loca, gratias omnipotenti Deo & ſanctis ejus agens pro perceptione luminis. Cives autem de Hovarchuſa * in eodem loco ubi cruciculam monſtratam invenerunt, majorem crucem pro ſigno poſuerunt.

* al. Hovarahuſa, nunc Oberhauſen.

XXVI. *De puerulo qui de ponte cecidit in amnem.*

Quodam tempore cum populus undique concurreret ad Auguſtam in vigilia Nativitatis ſanctæ Mariæ, ut ſanctum diem ibi ſollemniter celebrarent; quædam mulier inter alios cum puerulo ſuo parvulo, ſtuduit & illuc venire, ut illum ad ſepulchrum ſancti Udalrici cum oblationibus ibi præponderaret pro ſua ſoſpitate. Cumque ſuper pontem Vindicis carpento ſuperpoſitum puerulum cum aliis rebus ducere voluiſſet, pro inæqualitate pontis carpento inclinato, puerulus cecidit in amnem: qui pro nimia illuvie vehementer elevatus, univerſis ſuper eum meantibus exitium minitavit. Cumque mater triſtitiſſima in perniciem ſui in amnem poſt puerum cadere voluiſſet, & vix a circumſtantibus comprehenſa teneretur; populi in utraque parte fluminis in ripa feſtinaverunt in adjutorium infantis, qui cum a nemine eorum adjuvari potuiſſet, flumine ſubmerſus ab oculis omnium occultabatur. Mater autem ab amne vi abducta, & quantum poſſibile fuit conſolatione recepta, flendo & lamentando adjutorium ſanctiſſimæ Dei genitricis Mariæ in primis quæſivit, & poſtea ad ſepulchrum ſancti Udalrici cum oblationibus, quas antea pro ſoſpitate filii ſui illuc referre decrevit, & eas pro requie animæ pueruli cum bona fide donavit. Sequenti vero nocte cum triſte corpus mulieris ſopor occuparet, quidam valde venerabilis ſenex in veſtitu epiſcopali apparuit ei dicens: Pænitetne te mulier valde infantulus tuus? Quæ reſpondit, Etiam Domine. Cui ille: Mane diluculo, inquit, vade ad fluvium, & ubi ultima vice in amne videretur quære eum in ripa fluminis inter frutices. Quæ expergefacta venturum cras vix exſpectans, cum adjuvantibus ſibi ripam fluminis adiit, & ſecundum verbum Sancti viri infantem ſuum ſanum & incolumen invenit. Tunc læta Deum laudans rediit, & rem geſtam in civitate & ubique publice recitavit.

XXVII. *De eo qui feſtum non celebravit.*

Quidam vero homo juxta Danubium, cum cunctus populus ſua ſponte natalitium ſancti Udalrici ſollemniter celebraret, fœnum cum raſtellis congregavit in cumulos, diem ſanctum ſpernendo: qui cum altera die cum plauſtris veniret ut hoc in fœnarium ſuum duceret, exterius formoſum invenit: cum autem bidenti ligno interius tangeret, totum in favillas immutatum invenit, & diem ſanctum quem antea celebrare non voluit, poſtea præ timore contemnere non audebat.

XXVIII. *De muliere cui manus contractæ ſunt.*

Eodem vero tempore ancilla cujuſdam matronæ, Gerbire nuncupatæ, telam ſuam dum in texendo laboraret, ſubitus dolor cœpit contrahere manus ejus, quod cum lamentando aliis diceret, reſponderunt ei: Depone textile ferrum, quia pro reatu hodierni operis hic labor tibi accidit, quæ vix manibus de ferro abſolutis lectum intravit. Cumque ibi requiem non haberet præ contra-

* Sic olim ceram, aliaſve oblationes ad pondus ægrotantes aut male affecti afferebant.

tractione manuum, conſervæ ejus nuntiaverunt dominæ ſuæ: illa vero præcepit ut mane diluculo duceretur pro liberatione ſua ad ſepulchrum ſancti Udalrici. Cum in itinere laſſæ circa horam nonam in planicie Lechfeldici campi ad reficienda corpora conſediſſent, dolor cœpit minui in manibus laborantis, ita ut antequam de ipſo loco ſurgerent, uſui prioris rectitudinis redderentur. Quæ tunc lætæ pervenerunt ad prædeſtinatum locum: & inde in civitatem ad eccleſiam ſanctæ Mariæ genitricis Dei poſt veſperam venientes, hæc, ſicuti geſta ſunt, nobis annuntiaverunt, & lætæ ad propria redierunt. AN.CHR. 973 4. Julii.

XXIX. * *De claudo cui caballus in pedibus vitiatus eſt.*

* Quæ ſequuntur, in duobus codd. non habentur.

Nobilis quædam matrona de Burgundionum provincia, dum decreviſſet pergere ad Auguſtam civitatem cauſa orationis, quemdam claudum eleemoſynarium præcepit comitari ſecum: cujus caballum duobus miniſtris ſuis commendavit, ut pedes ejus, ſicuti mos eſt pergentibus, ferro munirent: qui fraudulenter pedes caballi cum clavis vulneraverunt, ne delator eorum in itinere actuum ſuorum pro fidelitate dominæ ſuæ, ſicut ſolitus erat, maneret. Dixeruntque claudo: Caballus tuus claudicat, & ideo hic te neceſſe eſt remanere. Quibus claudus reſpondens dixit: Quamvis caballus claudicet, tamen non conſentio hic me remanere, qui omnia poteſt Deus omnipotens, etiam me valet, ſicuti ſibi placet, ad loca perducere deſtinata. Cumque cum aliis pergere cœpiſſet, ſano & apto caballo ad Auguſtam pervenit. Cumque ibi ad ſepulcrum ſancti Udalrici devotam orationem prolongaret, & firma fide pro ſoſpitate ſua clementiam Dei imploraret, in præſentia multorum ſanitati redditus eſt. Hoc videntes præfati homines qui impedire iter ejus in caballo voluerunt, ceciderunt terra tenus, confitentes clericis ceteriſque qui in præſentia aderant, delicta ſua, veniam poſtulantes, quod eum claudum impedire voluerunt ne perveniret ad locum, ubi Dominus per merita ſancti Udalrici eum ſanare dignatus eſt. Et accepta pœnitentia ſecuti ſunt claudum ſanatum crucem portantem, uterque ſaxum tantæ magnitudinis portans quantum levare potuit, uſque in eccleſiam ſanctæ Dei genitricis Mariæ, quæ eſt ſita in civitate: ibique peccata ſua lamentabantur multum cum lacrymis veniam poſtulantes. Cumque hoc ſignum in præſentia omnium recitatum fuiſſet, clerici *Te Deum laudamus*, & populi *Kyrie eleiſon* cantantes gratias, & laudes Deo referebant. NOTA.

XXX. *De infirmo qui contra voluntatem portantium de lecto exſilivit.*

Quidam homo juvenis, cujuſdam filius Comitis, tanta infirmitate eſt detentus, ut nec in lecto, niſi ab aliis adminiculatus, in aliud ſe vertere potuiſſet latus, nec cibum multo tempore valeret accipere, niſi paucis oblatis refocillaretur. Cum vero immani labore fatigaretur, a fidelibus ſuis in lecto ad ſepulcrum ſancti Udalrici deductus eſt, oblationibus oblatis lacrymabiliter ibi miſericordiam deprecatus eſt. Cumque eum in lecto ad ſanctam Mariam portare cœpiſſent, in medietate viæ cœpit rogare portantes ut deponeretur ad ambulandum, qui non credentes eum poſſe ambulare, noluerunt deponere. Ad portam vero civitatis iterum rogavit ut deponeretur, dicens ſe poſſe ambulare: qui iterum ei non conſenſerunt. Ad gradus vero atrii eccleſiæ cum perveniret, in nomine Dei omnipotentis omnes in commune flagitavit, ut depoſito lecto eum ambulare dimitterent. Ipſi vero in fide hæſitantes, petitioni ejus aſſenſum non dederunt. Ille autem ut cognovit infirmitatem ab eo eſſe ſeparatam, & virtutem nutu Dei conceſſam, exſilivit de lectulo & inde ſtrenuo greſſu ad eccleſiam pervenit, & ſoſpes ad propria rediit.

Hæc pauca prælibata miracula ſufficiant ſtudioſis ad bona exempla Lectoribus, ita ut etiam tardis & ſegnibus nimii nauſii faſtidium non inculcent. Quomodo ſi cœpero cuncta beneficia adeuntibus ad ſepulcrum ſancti Udalrici & inde revertentibus, vel juxta ſepulchrum infirmis atque debilibus

Digitized by Google

AN.CHR. 973 4. Julii. a Deo conceſſa ſingillatim enumerare? nullius adjutorio niſi ſolius Dei, qui omnia poteſt, poſſum perficere. In tantum namque multiplicia ſunt, ut ſenſibilitas humanæ agilitatis dinumerare ea non poſſit: quia quibuſdam poſt vota devote peracta illuc cum oblationibus veniendi, ſtatim in laribus ſuis donata ſunt; quibuſdam illuc appropinquantibus, quibuſdam illuc pervenientibus, quibuſdam inde redeuntibus compendioſe adimpleta ſunt. Quorum auditus bono rumore non ſolum propinquas, verum etiam longe ſitas regiones advolavit, quod frequens frequentia adventantium undique populorum ſæpiſſime manifeſtat, indicans in iſtis locis, in ſuis regionibus multa magnalia Dei per merita ſancti Udalrici facta, quorum vera cognitio nos propter noſtras neceſſitates ad iſta loca veniendum incitavit. His auditis, eja nos qui inquilini hujus eccleſiæ ſumus, & tanti patroni faciem ſæpiſſime vidimus, & ejus doctrinam, benedictionemque ſæpiſſime accepimus, & in eo optima exempla conſpeximus, & nunc in retributionem ejus bonorum operum aſſidua miracula & diverſa ſigna in liberatione multorum videmus & audimus, cur non expergiſcimur, & tædium noſtri deſidii non deponimus? Eum vero de quo loquimur, quantum Deo donante poſſumus imitantes, ejus adjutorio iter rectitudinis ineamus, per quod pervenire mereamur ad eum qui in tribus perſonis in Divinitatis æqualitate unus, incommutabilis, omnipotens Deus permanet ſine fine in ſæcula ſæculorum, amen.

BULLA CANONIZATIONIS S. UDALRICI Epiſcopi, ad fidem manuſcripti exempli reſtituta.

JOannes Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, omnibus Archiepiſcopis, Epiſcopis & Abbatibus, in Gallia & Germania commorantibus, ſalutem in Domino, ac apoſtolicam benedictionem. Cum conventus eſſet factus in palatio Lateranenſi pridie Kalendas Februarias, reſidente Joanne ſanctiſſimo Papa cum Epiſcopis & Presbyteris, adſtantibus Diaconibus & cuncto Clero, ſurgens reverendiſſimus Liutfoldus Auguſtæ Epiſcopus inquit. Domine ſanctiſſime Præſul, ſi vobis placet, & omnibus Epiſcopis & Presbyteris hic reſidentibus, libellus quem præ manibus habeo coram vobis legatur, de vita & miraculis venerabilis Udalrici ſanctæ Auguſtanæ eccleſiæ dudum Epiſcopi, & quid libitum vobis fuerit decernatur: quia Spiritus-ſancti teſtatur præſentia & congregatio ſacerdotum, certum eſſe quod legimus, quia nec poteſt veritas noſtra mentiri, cujus in Evangelio iſta ſententia eſt, *Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi & ego ſum in medio eorum*. Quod cum ita ſit, (nam nec huic tam brevi numero Spiritus-ſanctus deeſt,) quanto magis eum nunc intereſſe credamus, quando in unum convenit turba Sanctorum? ſanctum namque eſt pro debita veneratione collegium. Cumque perlecta eſſet Vita prædicti ſanctiſſimi Epiſcopi, ventum eſt ad miracula, quæ ſive in corpore, ſive extra corpus geſta ſunt, videlicet cœcos illuminaſſe, dæmones ab obſeſſis corporibus effugaſſe, paralyticos curaſſe, & quam plurima alia ſigna geſſiſſe, quæ nequaquam calamo & atramento illuſtrata ſunt. Quæ omnia lepida ſatis urbanitate expolita recepimus, & communi conſilio decrevimus memoriam illius, id eſt ſancti Udalrici Epiſcopi, affectu piiſſimo & devotione fideliſſima venerandam: quoniam ſic adoramus & colimus reliquias Martyrum & Confeſſorum, ut eum, cujus Martyres & Confeſſores ſunt, adoremus: honoramus ſervos, ut honor redundet in Dominum qui dixit: *Qui vos recipit, me recipit*: ac perinde nos qui fiduciam noſtræ juſtitiæ non habemus, illorum precibus & meritis apud clementiſſimum Deum jugiter adjuvemur. Quia divina ſaluberrima præcepta, & ſanctorum canonum ac venerabilium Patrum inſtabant efficaciter documenta, omnium eccleſiarum Dei pio conſiderationis intuitu, immo apoſtolici moderaminis anniſu, utilitatum commoditatem, atque firmitatis perficere integritatem, quatenus memoria Udalrici jam præfati venerabilis Epiſcopi divino cultui dicata exſiſtat, & in laudibus Dei diutiſſime per-

ſol-

Digitized by Google

ſolvendis ſemper valeat proficere. Si quis interea (quod non credimus) temerario auſu contra ea quæ ab hac noſtra auctoritate pie ac firmiter per hoc privilegium conſtituta ſunt, contraire tentaverit, vel hæc quæ a nobis ad laudem Dei, pro reverentia jam dicti Epiſcopi, ſtatuta ſunt refragari, aut in quoquam transgredi; ſciat ſe auctoritate beati Petri Principis Apoſtolorum, cujus vel immeriti vices agimus, anathematis vinculo innodatum. At vero qui pio intuitu obſervator exſtiterit, benedictionis gratiam a miſericordiſſimo Domino Deo noſtro multipliciter conſequatur, & æternæ vitæ particeps efficiatur. Scriptum eſt per manum Stephani Notarii regionarii & Scriniarii ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, in menſe Februario, indictione ſexta, anno nongenteſimo nonageſimo tertio.

Ego Joannes ſanctæ Romanæ Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ Epiſcopus, huic decreto a nobis promulgato conſenſi & ſubſcripſi. Joannes Epiſcopus ſanctæ Anagninæ eccleſiæ conſenſi. Benedictus Epiſcopus ſanctæ Pipernienſis eccleſiæ conſenſi. Dominicus Epiſcopus ſanctæ Ferentinæ eccleſiæ conſenſi. Creſcentius Epiſcopus ſanctæ Sylvæcandidæ eccleſiæ conſenſi. Anniſo Epiſcopus ſanctæ Cerenſis eccleſiæ conſenſi. Bonizo Archipresbyter & Cardinalis ſanctæ Luciæ conſenſi. Benedictus Presbyter & Cardinalis ſancti Stephani conſenſi. Leo Presbyter & Cardinalis ſancti Nerei conſenſi. Joannes Presbyter & Cardinalis ſancti Damaſi conſenſi. Leo Presbyter & Cardinalis ſancti Sixti conſenſi. Joannes Presbyter & Cardinalis ſanctorum Apoſtolorum conſenſi. Joannes Presbyter & Cardinalis Sanctorum quatuor Coronatorum conſenſi. Joannes Presbyter & Cardinalis ſancti Clementis conſenſi. Creſcentius Presbyter & Cardinalis ſancti Calixti conſenſi. Benedictus Archidiaconus, Joannes Diaconus & oblationarius, Benedictus Diaconus, Joannes Diaconus. Hi omnes conſenſerunt & ſubſcripſerunt. Data tertio *a* Kalendas Februarii, per manum Joannis Epiſcopi ſanctæ Nepeſinæ eccleſiæ, & Bibliothecarii ſanctæ ſedis apoſtolicæ, anno pontificatus domini noſtri Joannis ſanctiſſimi 15. Papæ octavo, menſe dicto, & Indictiona ſexta.

PROLOGUS.

GEBEHARDI Epiſcopi Auguſtenſis in ſecundam vitam S. Udalrici.

1. AMantiſſimi Patris noſtri diſcendæ vitæ deſiderio diu multumque ſuſpirans, hanc tandem reperi a quodam illuſtri viro non incovenienter quidem compoſitam: ſed ita nominum virorum ac mulierum, villarum etiam confuſione fuſcatam, ut non ſolum (ſi in pace dicere liceret) prudentioribus ſtudium, ſed pæne videretur puerile ludibrium. Cujus inſuper operis increvit adeo diffuſa pluritas, ut potius bellorum eventum, Regum, Cæſarumque hiſtoriam, quam propoſitum videretur ordinare negotium. Quod nequaquam improbando, vel per hoc mea (quod abſit) præferendo dixerim: ſed vir ſanctæ ſimplicitatis, & meriti non aliter dictis ſuis æſtimavit accommodari fidem, niſi tot nominum ſibi conſciſceret velut adſtipulationem, nec veritatem ſubſiſtentium rerum judicavit plus proprie, quam facillime ac ſimpliciter exprimi poſſe. Opuſculum ergo iſtud aggredientes, ſuperfluis quibuſque poſtpoſitis, obſcura prolata clarius & competenter enodare; prolixius vero digeſta, quantum congruere videtur, abbreviare contendimus: quatenus lectori compendioſius pateat, quidquid virtutum Chriſti confeſſoris ſcire vel imitari delectat. Schedula utraque præ manibus, quid quis nemine urgente vel improbante deliberare poterit. Sed illud merito dignitate præſtabit quod jam libitina ſacravit.

a Hic vel legendum *tertio Nonas*; vel ſi *tertio Kalendas*, id eo modo intelligendum, quo ſupra in Notatione 3. pag. 428. ut ſenſus ſit, *tertio die poſt Kalendas*. Siquidem Synodus habita eſt *prid. Kal.* & bulla data *in menſe Februario*.

Digitized by Google

AN.CHR. 973 4. Julii. Udalricus nobilis,

INCIPIT VITA.

1. Beatiſſimi Patris & Domini noſtri converſatio ſi altius ab ineuntis ætatis ſerie quæritur, clariſſima Ducum & Comitum Alemanniæ proſapia oriundus exſtitiſſe dignoſcitur: quorum licet potentia ſæcularis ubertim emineat, religioſitatis tamen prærogativa apud religioſos incomparabiliter ac ſuperne præponderat. Hoc igitur talique religioſæ propaginis ſurculo ſuccreſcente in medium pretioſior palmes, lignum ſecus decurſus aquarum plantandum jam divinum redolens quiddam præmaturæ virtutis ſpirabat opobalſamum. In baptiſmate ergo vocabuli ſui nomine Udalricus adepto, ignoto quodam clerico ſuperveniente, vagientiſque pueri meritum per ſpiritum deprehendente, femineis etiam uberibus paſci (nihil enim his ſpectatæ, &c.

PROLOGUS

Bernonis Abbatis Augienſis in tertiam vitam S. Udalrici.

1. REverendiſſimo Patri Frideboldo, ac vero ſanctæ matris Afræ alumno, Berno * Dei Matris mancipium, cum omni contubernio Augienſium fratrum, ſummum & indeficiens bonum. Miræ charitatis virtus, ex dulcifluo pectoris tui emanans fonte, id exiguitati meæ injunxit officii, ut libellum de vita ter quaterque beati patroni noſtri Udalrici, veraci quidem, ſed ſimpliciori quam oportuit ſermone editum, cultiori ſtilo reddam luculentum. Pius quidem jubentis affectus eſt, ſed non æque facilis *parentis* eſſe poterit effectus: quippe cum tarditas ingenii & exteriorum *curæ*, *amaro* (ut ſic dictum ſit) ſapore conditæ, me prohibeant tam arduum opus aggredi. Accedit etiam, quod venerandæ memoriæ Gebehardus, qui poſt beatum virum quartus ejuſdem Vindelicæ Auguſtæ eccleſiam rexit, nulli modernorum Doctorum ſecundus, idem negotium corrigendi ſtudio attentavit, ſed infectum, morte præventus, dereliquit: cui ſi ipſe manum extremam impoſuiſſet, parvitas mea omnino ſuper hoc digitum ori impoſuiſſet. Id ipſum tamen quod compoſuit, licet eloquii venuſtatem redoleat, tamen ita verborum ac ſententiarum ſublimitate ſe in altum extollit, ut vix aliquis exinde aliquid percipere poſſit. Alterius vero oratio, etſi rerum veritate ſubnixa, ſic tamen pæne videtur humi jacere, ut quiſquis ſapientium ſemel hinc potuerit quiddam guſtare, pigeat ſe ulterius ad hanc inclinare. Quocirca, venerande Pater, tibi tuiſque placuit hujuſmodis onus mihi imponere, ut inter utroſque medius incedens, talem moderato ſermone materiam componam, ut ex utraque parte ad ſe venientes, media charitate conſtrata, & parvuli lac quod ſugant, & fortes valeant invenire cibum quem comedant. Quod ego omnimodis horrerem, niſi ſcriptum eſſe ſcirem: *Melior eſt obedientia quam victima*. Nunc vero ſi data interceſſionis tuæ manu, manui meæ ducatum præbere ſpoponderis, adjunctis tecum beati viri meritis, omnipotentis Verbi, quod aperuit os mutorum, & linguas infantium fecit diſertas, fretus auxilio, obedire tentabo, initium narrandi ab ipſius viri Dei infantia ſumens, ac orationis curſum ita ad finem uſque perducens, ut nihil de propriis addam, præter exempla antiquorum Patrum, atque ſententias ſanctarum ſcripturarum, quæ ſuo decore ſolent dictorum ſeriem venuſtare. Hoc tamen ſolum mihimet ex proprio ſudore injunxi, ut latius diffuſa, modeſta brevitate arctius coerceam; ſtrictius digeſta, moderata prolixitate dilatem; minus regulariter prolata, ad rectitudinis lineam corrigam. Quæ tamen omnia tui examen judicii exſpectant, ut te benigno judice valeant rata conſiſtere. Opto, Pater beatiſſime, ut in Chriſto valeas, meique memor ſemper exiſtas.

* ab. Bern.

VITA

* In mſ. codice Colonienſi hic ſequuntur capitula 42. Exemplum præ manibus habemus accuratum beneficio religioſi viri Willelmi Wlfrati quondam Prioris ad S. Pantaleonem.

Digitized by Google

VITA INCIPIT

2. Egregius Chriſti Confeſſor Udalricus, ex Alamannorum proſapia exſtitit oriundus: cujus parentes Hupaldus ſcilicet ac Teotbirga, ambo quidem ſecundum ſæculi hujus dignitatem clari & nobiles, ſed fide atque divina religione multo clariores atque nobiliores, &c.

DE INVENTIONE ET TRANSLATIONE Corporis S. Udalrici.

1. ANno Dominicæ Incarnationis 1183. Indictione prima 16. Kal. Julii circa horam nonam, cum nimius eſſet æſtus, fabrica quædam in valle poſita vicinas domos, & inde omnes officinas, tandem clauſtrum & eccleſiam ſancti Udalrici & ſanctæ Afræ mira celeritate in favillas redegit, ita ut proxima cœna nec panis ad victum ſupereſſet, nec tugurium in quo proxima nocte fratres quieſcerent. Diſperſi ergo per civitatem fratres, præ nimia afflictione ſpiritus tædebat eos vivere, donec reſumptis viribus, domicilia cœperunt ædificare, in quibus ad divinum ſervitium & ad cultum religionis peragendum ſe pro poſſe receperunt. Sepulchrum etiam beati Udalrici trabibus deſuper cadentibus confractum, & a ſanctiſſimo ipſius corpore vacuum inventum eſt, niſi quod quatuor tabulæ, ſicut ſolent fieri in loculis mortuorum, aromaticum habentes odorem ibidem repertæ ſunt. Unde opinamur, quod in illis reconditum fuiſſet ſacratiſſimum corpus ejus quando a ſæculo deceſſit. Pro eo igitur quod non eſt inventum corpus ejus in ſepulchro dubietas magna cœpit oriri, & mæror maximus tenuit animos omnium.

2. Ex præcepto autem & conſilio Hartuigi *a* Epiſcopi, quæſitum eſt corpus beati Udalrici pæne per duas ſeptimanas, & inventa eſt ſpecus murata quadris lapidibus, & ſub illa alia ſpecus murata, minor tamen ſuperiore, & utraque tamen erat vacua: quæ res auxit dubietatem & mærorem, adeo ut plerique dicerent corpus beati Udalrici in illo loco non haberi. Tandem quando placuit ſancto Confeſſori, in anniverſaria nocte ſancti patris ſui Hupaldi voluit revelari, in tertia videlicet ſpecu murata, quæ & minima & ſub duabus ſuperioribus erat. Ceſſatum eſt igitur uſque ad diem ſancti Laurentii: in quo ad præceptum memorati Epiſcopi vocato Præpoſito ſancti Georgii & aliis religioſis, & clauſis eccleſiæ januis, inducti ſunt biblii & cæmentarii Confeſſione & flagellis * curati. Per totum igitur diem laboraverunt ut locum mundarent, & lapides quadros admodum magnos de illa magna profunditate ejicerent; & vix imminente nocte opus compleverunt. Quid ibi miraculi Dominus per merita ſui Confeſſoris oſtenderit, operæ pretium ſcribere eſt. Cum lapidem quadrum miræ magnitudinis cæmentarii ad ſuperiora funibus traxiſſent, funibus ruptis lapis ipſe ruit ſuper quemdam bonæ indolis adoleſcentem, nomine Conradum, in inferioribus ſtantem, & eum ita proſtravit, ut jam non ſolum mortuum, ſed etiam per membra & per articulos totum diſſipatum & confractum eſſe crederes. Heinricus qui tunc Prior cœnobii erat, & alii Religioſi ad pedes ſancti Udalrici in fovea ſtantes, & pſalmis operam dantes, mente conſternati ſunt, & omne conſilium ab eis penitus receſſit. Porro viri qui in ſuperioribus ſtabant, præcipites ſaltus in foveam dederunt, ut jam non corpori, ut ſperabant, ſed exanimi & colliſo per membra ſubvenirent. Mira dicturus ſum, avulſo lapide adoleſcens quaſi in ecſtaſi vivus inuenitur, ac de terra ſublatus ſanus & incolumis, cum pauſare aliquantulum juberetur, ipſe indefeſſus ad opus rediit, & mærorem gaudio commutavit. Benedictus Deus qui eſt in ſæcula.

Crypta effoditur.

* vulgo diſcipiina.

Miraculum.

3. Ipſa die Epiſcopus ſolo pane & aqua contentus, rei exſpectabat eventum. Imminente autem nocte purgatis omnibus, & aditu patefacto ad ſepulchrum,

a Hartvigus ſedit ab anno 1167. ad annum 1184.

AN.CHR. 973 4. Julii. Corporis detectio

chrum, vocatus venit cum paucis in eccleſiam. Epiſcopus ſacris veſtibus indutus, cum magna reverentia nudis pedibus dimiſſus eſt in fove..m, & ibi ſtans ſuper ſanctum ſepulchrum, oratu Prioris cœnobii ſub anathemate interdixit, ne quis furtim de tantis quippiam ſubtraheret reliquiis. Inventum eſt igitur corpus ſanctiſſimi Confeſſoris ſuper aurum & topazion pretioſum, cum quibuſdam particulis pontificalium induviarum necdum vetuſtate conſumptarum; & in dextro latere ad caput pyxis argentea admodum nitens in ſacello holoſerico, & in pyxide (ut quidam dicebant) ſanguis Domini, & alia ſancta continebantur. Inventa eſt etiam ciſtella ſerata admodum magna, quæ omnia plena erant & referta reliquiis ſanctorum. Corpus igitur beati Udalrici cum univerſis reliquiis oſtro involutum, in geſtatorio ligneo recluſum eſt, donec aliud geſtatorium cupreum ex toto firmum factum eſt, in quo ſanctiſſimum corpus diligenter eſt reconditum, pyxide argentea ad caput poſita cum ceteris reliquiis. In ipſo ſepulchro Epiſcopus os quoddam de coſta ſancti Confeſſoris temere ſurripuit, & in fruſta comminutum indecenter pro reliquiis marſupio impoſuit. Per omnia etiam animo immutatus, valde infeſtus loco exſtitit, & quod reliquiarum ſancti Udalrici pro ſua voluntate compos exſiſtere non potuit, congregatione ſanctæ Afræ vehementer renitente, perſecutionem magnam adverſus locum movit: unde & Dominus eum eodem anno vita privavit, ſicut in conſequentibus patebit.

Epiſcopi pœna,

4. Quidam Udalſcalci famulus, Præpoſiti majoris eccleſiæ, qui poſtmodum Epiſcopus factus eſt, a quo & hoc ipſum quod narramus audivimus, vidit beatum Udalricum in viſu, quaſi turbatum & ira commotum. Cui inquit: O ſancte Udalrice, quid cauſæ exſtitit quod ſic in mærore & non in vultus tui hilaritate videris? Ad hæc beatus Udalricus: Super Epiſcopo illo qui os de coſta mea arroganter comminuit, & cum aliis reliquiis corporis mei temere & indigne egit, moveor & movebor, & tamdiu divinitati conquerar, donec ipſe pœnas exſolvet. Non multo poſt cum ſanus & incolumis eſſet, ſubito arreptus febribus infra paucos dies defunctus eſt: & poſt mortem viris religioſis ſæpius apparuit, exponens quali judicio ſubderetur, & quibus tormentis afficeretur, pro eo quod in ſanctum Udalricum peccavit, & locum ipſius ac Fratres ſæpius infeſtavit, frequenter monens & rogans, ut ab ipſis indulgentiam conſequi poſſet. Qui fratres intuitu miſericordiæ, ſicut pro inimicis jubemur orare, ſæpius veniam optant, & pro ipſo preces fundunt.

5. Libet etiam inſerere quod Præpoſito ſancti Georgii in ipſa inventione corporis ſanctiſſimi, ut ipſe nobis teſtatus eſt, accidit. Dum ſibi innotum foret in adjutorio & teſtimonio eſſe prædictæ inventioni ſancti Confeſſoris, omni deſiderio æſtuabat, ut majorem digitum pedis pio quodam ſubtraheret furto: & fratres ſui eodem deſiderio laborantes, ſacculum holoſericum, in quo reconderet eaſdem reliquias, ſibi præſtabant. Igitur dimiſſus in foveam & ruinam paſſus, ſuum articulum in pollice pedis, ſecundum quod ipſe ſancto Udalrico voluit furto ſubtrahere, magnum paſſus dolorem confregit, unde ipſe hodie, ſicut aſſerit, debilitatus eſt. Marſupium etiam quod habuit clam collo dependens, palam amiſit, unde adeo verecundatus eſt, quod pæne doloris oblitus eſt. Non ſunt tamen fraudati a deſiderio ſuo idem Præpoſitus & venerabiles ſui fratres, quia de ſacroſanctis cineribus & dentem unum fratres cœnobii ſancti Udalrici pro reliquiis contulerunt. Interim longe lateque fama percrebuit corpus ſancti Udalrici inventum, & cœperunt exſtruere & dedicare eccleſias & altaria in honore ipſius, quibus etiam de ſacroſanctis reliquiis, quantum auſi ſunt prædicti Fratres cœnobii, intuitu charitatis diſpertiti ſunt. Concurſus etiam tam de longinquis, quam de vicinis locis tantus factus eſt, ut dictu ſit incredibile [a] &c.

6. Erat

[a] In Chronico Auguſtano auctore Sigiſmundo ſanctæ Afræ monacho hæc adduntur parte 1. cap. 12. ,, Anno ,, Incarnationis 1187 præſentibus Electoribus & Principibus Imperii, ac Metropolitano Moguntinenſi, aliiſque ,, Epiſcopis, videlicet PIRCHTOLDO Archiepiſcopo Trevirenſi, UDALCALCO Auguſtenſi, HERMAN- ,, NO Monaſterienſi, OTTONE Arcatenſi, quæ modo Eyſtæ dicitur, qui diverſa altaria conſecraverunt, & ,, OTTONE Friſingenſi, qui capellam ſancti Bartholomæi conſecravit, poſitum eſt corpus ſancti viri in eo lo- ,, co, qui nunc colitur.

Digitized by Google

6. Erat in pago, Uttenbura dicto, temporibus felicis memoriæ Ruperti [a] Abbatis, quidam dæmoniacus, qui univerſa fratrum commiſſa in eodem loco commanentium, quodam occulto Dei judicio prædicto Abbati revelabat: ſiquidem & ipſe Abbas quadam potenti virtute imperabat dæmonibus. Quadam ergo die dum prædictus dæmoniacus mitius ſe haberet, & altera die juxta ſolitum torqueretur, ille beatus Abbas ubi heri fuerit percunctabatur. At ille: In Orientalem, inquit, regionem properavimus, quemdam de corpore exeuntem, & innumeris obrutum flagitiis excipere volentes: ſed Udalricus Auguſtenſis Antiſtes & Vitus Lucanus qui diſcurrunt per omnem terram, magnum nobis impedimentum in acquirendis animabus facientes, etiam hunc monachali habitu per quemdam religioſum inveſtientes, noſtræ ſubtraxerunt poteſtati. Hoc quia pie credenti nihil obeſt, ſed magis fidem & ſpem in Deum & ſanctum ejus auget, in fine ſignorum quæ uno & eodem anno Dominicæ Incarnationis 1145. facta ſunt, annotavimus, quia & ipſum veraci relatione ab iis qui audierant & viderant agnovimus. De iis ergo quæ dicta vel dicenda ſunt, nullus dubietatis anfractus cuiquam in corde reſideat, quoniam auditus & viſus nos minime fefellit, &c.

AN. CHR. 973 4. Julii.

7. Anno Dominicæ Incarnationis 1146. præſidente Abbate Udalſcalco, eccleſia beatorum Udalrici & Afræ multis divinæ gratiæ illuſtrata eſt beneficiis, pro quibus teſtimonio non eget noſtri ſtili officium, dum non ſolum Auguſtenſis provinciæ, ſed & totius Germaniæ populi, qui ſuperſunt noſtræ ætatis, horum meminerint. De illis ergo pauca narrabimus, ut omnes noverint quam ſacer ſit iſte locus, in quo tantæ virtutes exuberant, &c.

8. Eſt vero & alia quaſi miraculoſa contra prædictos ſubventio glires, in toto pæne orbe promulgata. Terra namque (quæ ſancti Udalrici dici conſuevit) in qua ſanctum ejus corpus mediantibus ſacris veſtibus (quæ omnes inconſumptæ, omnique ſine læſione cum eo inventæ fuerunt) humatum fuit, ſi cui fidelium donata, ab eoque digne ut Sanctorum Dei reliquias decet, venerata fuerit, mox omnes ac ſi peſtem fugientes habitationem relinquunt, & eidem nequaquam deinceps appropinquare audent. Hæc toties ubique terrarum vera eſſe inventa ſunt, ut numerum excedere videantur. Nonnumquam etiam complures proprias relinquere voluerunt habitationes, ſeu igni cremare, propter maximam prædictorum infeſtationem animalium, qui prænominata acquiſita terra devote eam venerantes, auxilium Dei omnipotentis per meritum ſui Confeſſoris impetratum ſenſere, adeo ut eorum deinceps nullus approximare audere viſus ſit muris, &c.

CHARTA UDALRICI EPISCOPI AUGUSTANI,
qua Campidonenſi monaſterio eligendi Abbatis libertatem reſtituit.

OMnibus ſpem vitæ gerentibus, & adhuc in poſterum naſcentibus notum ſit, quod primo Ottone principatum regni procurante, ſanctiſſimæ memoriæ VODALRICUS Auguſtenſis civitatis epiſcopus, Campidonenſis monaſterii ovile de manu prædicti Principis ſuſcepit, & ad ipſum, non avaritiæ vel auſteritatis cauſa, ſed pro augendo ſanctæ Mariæ ſervitio, paterna proviſione procuravit. Per id tempus duobus electis fratribus in eodem monaſterio militantibus vir venerabilis ſui laboris pondus commendans, Moyſen legiferum vatem imitatus eſt, qui frequentia populi fatigatus, Aaron & Hur adjutorio ſublevatus. In eadem vice ſanctus Vodalricus unum nomen habentem LIUTERICH infra clauſtrum fratribus Deo ſervientibus Decanum & Magiſtrum fieri deſtinabat: alterum IRMINHART vocatum in præpoſitura ſæcularis negotii deſudare præcipiebat. Huic Irminhardo in exterioribus rebus prudenter converſanti, & dignis meritis ſuis bonam famam in contiguis partibus & in Regis

[a] Rupertus electus anno 1104. præfuit ad annum 1145. quem Uttenburani noſtri ut ſanctum habent, tametſi de eo fit tantum anniverſarium ſollemne. In brevi chronico ad cyclos paſchales: „ Anno 1145. obiit dignæ „ memoriæ Rupertus confeſſor, miraculorum & in corpore, & extra magnificus operator, Abbas loci hujus annis 40. 7. Id. Novemb. ordinatus, vita vivens centum viginti ferme annorum. Huic ſucceſſit Iſingrinus Abbas. Et in Kalendario 18. Kal. Septemb. obiit piæ memoriæ Abbas Rupertus, totius loci pater „ egregius, miraculorum operator inſignis.

Digitized by Google

AN.CHR. 973 4. Julii.

gis ſeribus promerenti, placuit ut aliquod remedium ſuæ animæ præpararet, & ut in honore Dei baſilicam fundotenus conſtrueret, quam ut mente diſpoſuit, Dei adjutorio & optimi Epiſcopi conſilio operis expletione perpetravit, & hanc ipſam eccleſiam in pomerio fratrum honorifice conſtructam Deo dignus Vodalricg Epiſcopus in honore ſanctæ Crucis & ſancti Herasmi & ſancti Nicolai confeſſoris VII. Idus Maji dedicavit, & coram multitudine Cleri & populi epiſcopali ſententia decrevit, ut unus ex fratribus, qui in regulari vita, morum excellentia dignus fuiſſet, eamdem eccleſiam quotidiano obſequio provideret, & quotidie ſui videlicet Epiſcopi annonam de cellario fratrum pleniter acciperet; dedicatoque altari vir ſanctus, omni pietate circumſæptus, in legitimam dotem unum manſum in *Ivoningevve*, & dimidium in Lietenbere, & tertiam partem in *Heimirtingen* donans, & adhuc ex tali paupertate eccleſiam non poſſe procurari exiſtimans, unum mancipium, quod vocabatur *Madelbreth*, cum novali quod primus ex viridi ſilva in monte *Chnieboz* cœpit, adjuncta manu SALECHONIS advocati in hoc altare contradidit. Dehinc ſacerdotali veſte indutus, coram populo publice dixit: Si qua perſona huic eccleſiæ vel altari aliquid horum, quæ dedimus, abſtrahat, huic æternæ vitæ januam intrare non liceat, & ab hac luce ſequeſtretur, quam in conſpectu Dei omnis juſtus feliciter contuetur.

NOMINA EPISCOPORUM AUGUSTÆ civitatis.

I. ZOzimus. *Aliquis recentiori manu præpoſuit*. Sanctus Dionyſius martyr.
II. Perevvelf
III. Tagepertus
IV. Manno
V. Vvicho
VI. Pricho
VII. Zeizzo
VIII. Marchman
IX. Vvichterpus
X. Tozzo
XI. Sintpertus
XII. Hanto
XIII. Nidger
XIV. Odalman
XV. Vvigger
XVI. Lanto
XVII. Adalpero
XVIII. Hiltine
XIX. S. Oudalricus
XX. Heinricus
XXI. Euticus
XXII. Luitolth
XXIII. Gebehart
XXIV. Sigefridus
XXV. Pruno
XXVI. Eberhardus
XXVII. Heinricus
XXVIII. Embrico. Hic primo ordinationis ſuæ anno, qui eſt ab incarnatione Domini 1064. datis ab anteceſſore ejus 50. talentis, eccleſiam ſanctæ Afræ a fundamentis deſtruxit: & repertum eſt corpus ſanctæ Eutropiæ in plumbeo ſarcophago prid. Kal. Maji: corpus vero ſanctæ Afræ in lapideo ſarcophago miræ magnitudinis integrum, & quodam cæmento obductum repertum eſt IV. Nonas ejuſdem menſis.
Hactenus prima manus: quæ ſequuntur, ſecunda manu adjecta ſunt.
XXIX. Sigefridus
XXX. Hermannus
XXXI. Vvaltherus
XXXII. Kondradus
XXXIII. Hartvvicus
XXXIV. Oudalſchalcus
XXXV. Heirtvvicus
XXXVI. Sifridus
XXXVII. Syboto
XXXVIII. Hartmanus
XXXIX. Sifridus
XL. Vvolfardus
XLI. Degenhardus
XLII. Fridericus

Confer ea quæ de Epiſcopis Auguſtanis dicta ſunt, tum in obſervationibus præviis num. 7. tum ad Vitæ cap. 1. Dionyſium ex catalogo Epiſcoporum Auguſtenſium expungit Velſerus in Notis ad converſionem ſanctæ Afræ ſub finem.

DE

Digitized by Google

DE RATHERIO EPISCOPO VERONENSI.

AN. CHR. 974

1. E*TSI* RATHERIUS *inter Scriptores ſæculi decimi potius, quam inter Sanctos locum habere mereatur; quia tamen rerum ſui temporis pars magna fuit, ejus Elogium hoc loco referimus, ut, quoad fieri poteſt, minimum deſit ad illuſtrandam iſtius ſæculi hiſtoriam. Ipſius itaque facta ex variis illius ævi auctoribus, pro more noſtro, depromemus, præcipue ex ipſomet Ratherio, & ex Folcuino Chronographo Laubienſi, tametſi infenſi in eum animi fuiſſe videatur. Sic vero iſte Ratherii geſta orditur in cap. 19.*

Spicil tom. 6. pag. 563.

2. Floruerunt his temporibus apud nos ſtudia litterarum: quibus ediſcendis operam dantes opinatiſſimi fuerunt Scaminus, Theoduinus, & perſpicaciſſimus horum Ratherius, qui videlicet Ratherius partibus Hilduini favens (*is de Epiſcopatu Leodicenſi cum Richario contendebat*) illi inſeparabiliter adhæſit. Hilduinus enim fraudatus Leodicenſi Epiſcopatu ab Hugone Rege Italiæ, apud quem fecerat confugium, uſu ſtipendiario promeruerat Veronenſe Epiſcopium, promiſſo Regis manente, quod ubi illum altius promovendi emergeret tempus, Ratherius Veronenſibus daretur Epiſcopus: quod quomodo factum ſit, vel quantas in Epiſcopatu illo pertulerit adverſitates, ex ipſius ſcripto lector melius cognoſcere poterit, in epiſtola quam ſummo Pontifici & univerſali Papæ conquerens de his hujuſmodi ſcripſit, *Summo, &c.*

Ratherius Laubienſis monachus doctus.

fit Veronenſis Epiſcopus.

3. *Ratherii in ſede Veronenſi inſtitutio ad annum 928. refertur a Sigeberto, a quo* vir miræ ſimplicitatis, ſed experientia liberalium artium nominatus *dicitur: & a Liutprando* ob religionem, ſeptemque liberalium artium peritiam Veronæ Epiſcopus *creatus. Modum quo hæc creatio facta eſt, ipſe deſcribit in epiſtola ad Joannem 12. Quippe* Notgero fauſtæ recordationis, *inquit*, Epiſcopo meliora (ut remur) petente, datum eſt epiſcopium meo domino Hilduino jure ſtipendiario, promiſſo Regis, qui me tunc oppido (ut credebatur) diligebat manente, quod ubi illum altius promovendi locus emergeret, ego petentibus darer Epiſcopus. Inthronizato Mediolani eo, ut ſe inſtabilitas mundanæ ſæpe continet volubilitatis, longe aliter atque promiſerat Regi placuit, cupienti potius (ut fama erat) unum e tribus; aut Aquitanum, aut quemdam Garafridum, aut Manaſſem Arelatenſem Archiepiſcopum, citra jus licet canonum. Inter agendum revertor a Romana ſede, peracta legatione, ferens pallium pro jam dicto domino meo actum cum archiepiſcopali pallio. Allatæ cum his ſunt & litteræ domini Papæ tunc temporis Joannis glorioſæ indolis, quibus continebantur preces ejuſdem totiuſque Romanæ eccleſiæ, uti ego Veronenſibus darer Epiſcopus. Diſplicuit hoc non parum Regi contraria molienti: ſed obtinuit deprecatio apoſtolica, inſtante rogando meo jam dicto cum primoribus regni domino. Ego ſemivivus pæne jacebam infirmus: perſuaſum eſt Regi, puto, a me diligentibus, quod non evaderem. Hac ſpe pellectus conſenſit, ſatisfacere geſtiens tam domino Papæ, quam ceteris, quos inconveniens videbatur offendere rogantes. Evaſi, ordinatus ſum ego: iratiſſimus redditur ille, juravit per Deum, nec eſt mentitus, quod diebus vitæ ſuæ de ipſa ordinatione non eſſem gaviſurus. *Hæc tota ſeries ordinationis Ratherianæ, primaque illius fortunæ ac vexationis occaſio. Hic notare juvat, non tam Hugone (ut ſcribunt Folcuinus & Sigebertus) quam Joanne XI. agente Ratherium fuiſſe creatum Epiſcopum: cum Hugo ipſi perpetuo adverſatus ſit contra promiſſum. Deinde hanc creationem non anno 928. ut Sigeberto placet, contigiſſe, ſed ſub annum 931. quo Joannes XI. pontificatum adeptus eſt in annos 5. Pergit Ratherius deſcribere vexationes ſibi ab Hugone Rege illatas.*

Liutp. lib. 3 cap. 11.

4. Mi-

AN.CHR. 974

Multa patitur ab Hugone.

4. Miſit ergo in pitaciolo certam quantitatem ſtipendii, quod tenerem de rebus eccleſiæ: de ceteris exigens jusjurandum, ut diebus ſuis filiique ſui Lotharii amplius non requirerem. Ego intelligens quanta abſurditas hoc conſequeretur, non conſenſi. Quid magis? Adhibuit undique perſecutores & adverſarios, qui aut deterrerent me ut effugerem, aut irritarent ut in illum excederem, & ut expellendi me inveniret occaſionem. Nactus eſt: cepit me, retruſit in cuſtodiam in quadam Papiæ * turricula, non dico ſine mei culpa, ſed citra legem ita hæc egit, & ſine audientia. Duobus annis & dimidio, niſi fallit recordatio, priorem pertuli perſecutionem, & totidem carcerulæ ſupplicium. Sed cum per Dei miſericordiam ego quidem eo invito fuiſſem liberatus, ille vero per Dei juſtitiam regnandi honore privatus, ſedit animo illum adire, ejuſque calamitatem omnibus diebus obſequio ſolari. *Hugonis abjectio contigit anno 933. Sed ecce novæ rurſus Ratherii vexationes.*

* Pavia.

item a Milone.

5. Veniebam, *inquit ille, ſcilicet ad Hugonem:* comprehendit me Berengarius *Hugonis æmulus*, inſtinctu Manaſſæ ſanctiſſimi (*ſic ironice loquitur*) Archiepiſcopi, & qui jure locum obtinebat Ambroſii. Tribus & ſemis menſibus ſub cuſtodia retentus, indeque emiſſus, Veronamque perductus, & a Milone dolo receptus, (*is Ratherio ejecto ſubintruſus*) ut ſcilicet Manaſſem expelleret, ne pænitentia ductus juvaret quem plurimum (ut ferunt) nocuerat avunculum Regem *ſcilicet Hugonem, cujus Manaſſes conſanguineus erat*. Quod martyrium verſutiis ejuſdem Milonis per biennium pertulerim, ſatagam ſi referre hiſtoriam putetis. Summam tantummodo ut breviſſime comprehendam, omnes clericos, milites, colonos, & famulos, ipſo contra me patrocinante, non Synodum agere, non capitulo clericorum intereſſe, non aliquid quod emendandum eſſet audebam ſolummodo commemorare, ſtatuere quidlibet vel deſtituere; nuſquam aliquid quod ſcire vellet loqui poteram, quod non continuo ſciret. Hoc adeo proceſſit, ut quadam die dum Ordines eccleſiaſticos agerem, Archidiaconus cum omni clero exiens, me ſolum in eccleſia relinqueret, & alteram ſibi contra me vindicaret. Et o tempora, o mores, o legis canonicæ publica conjuratio! Arelatenſis Archiepiſcopus *Manaſſes* tendens inſidias Veronenſi Epiſcopo, conſecravit Epiſcopum quemdam ſuæ diœceſis in titulo eccleſiæ Veronenſis. *Et relatis contra hoc factum canonum ſanctionibus:* Sed hæc ad illos, *inquit*, qui unius ſedis ſunt Archiepiſcopi: cui vero quinque licet epiſcopiis præeſſe, nullique prodeſſe, quid poterit non licere? *His verbis tangit Manaſſen Arelatenſem Archiepiſcopum, qui favente Hugone Rege & Willa ejus uxore, in Italia varios Epiſcopatus invaſerat. Tum ſubdit Ratherius.* Horum vero omnium cum incentor Milo eſſet & auctor, mei tamen & videri & dici ambiebat advocatus & tutor. Itaque callidiſſime me affligebat, ut rariſſimus eſſet in regno, qui non æſtimaret amiciſſimum eum eſſe mihi omnino. Ego vero miſer eram diebus noctibuſque, ita confectus & anxius, ut tæderet me vitæ meæ, & mallem in Walberti, ut quondam, turricula, quam ſedere in Veronenſi cathedra: eſurire ſub Hugone, quam epulari cum Milone.

Verona decedit.

6. Biennio & hoc tolerato, graviſſimo omnium, quas antea & poſt pertuli, miſeriarum carcere, dum ad veſpertinalem pergerem ſynaxim, affuit miſſus domini Regis Lotharii præcipientis, ut urbe decedens darem locum Manaſſæ ſedem meam invadendi: adjiciens amicale ſatis conſilium, melius ſcilicet eſſe ut ſecederem, quam Milonis dolo aut exmembrarer, aut interficerer, aut (quod levius his multo, ſed graviſſimum mihi eſſet futurum) comprehenſus, quo minime vellem abducerer .... Feci juſſus quod antea libentiſſime feciſſem injuſſus, niſi interdixiſſet quod ait in Evangelio de mercenario Dominus: ſed non potui agere impune. Lupi illi gregem non quærebant invadere, ſed paſtorem: perſecutuſque in una civitate, fugere potui in aliam.

In Provinciam & Laubias ſecedit.

7. *Tunc temporis Ratherius conceſſit in Provinciam, & quidem ſub annum* 941. *ubi cujuſdam viri nobiliſſimi filium, nomine Roſtagnum, litteris informavit, atque*

que ob iſtud officium Epiſcopatu in illis partibus honoratus eſt, ut ex Folcuino inferius oſtendemus. Verum Laubienſem ſeceſſum huic Epiſcopatui præferens, adiit Richarium Leodicenſem Epiſcopum: a quo favorabiliter receptus, Laubiis eſt habitare permiſſus. *Interim, mortuo paullo poſt Lothario, Ratherius in curiam ab Ottone M. advocatur, ut Brunonem, futurum Colonienſem Epiſcopum, erudiret. Poſt obitum denique Faraberti Leodicenſis Epiſcopi, iſti eccleſiæ* in emolumentum magiſterii, *ut ſcribit Folcuinus,* magna Brunonis inſtantia Ratherius eſt incardinatus *anno* 953. *quo etiam anno Bruno ſedi Colonienſi admotus eſt. Sed tandem poſt biennium hac dignitate cedere coactus eſt Ratherius ob turbas Balderici, qui eam demum factione validiori obtinuit. Hæc fuſius poſtea explicanda inſerere huic loco viſum eſt ad illuſtrandam ſeriem eorum, quæ Ratherio acciderunt: quæ autem inde conſecuta ſint, ex prædicta ipſius ad Joannem XII. epiſtola audiamus.* AN.CHR. 974

8. Interjecto dehinc tempore cum glorioſiſſimus atque piiſſimus, cunctoque celebratiſſimus orbe Rex noſter *Otto M.* Italiam introiſſet, affui cum ejus clariſſimo filio, tentans, ſi daretur optio, ut meo reſtiuerer loco. Sed impedivit quod alterum illic inſtitutum Rex invenit, Milonis ſcilicet nepotulum: ne difficile ſit conjectare, cujuſce rei cauſa tanta mihi intulerit mala. Cui quidem Manaſſes ſedem vendiderat: ſed fautores ejuſmodi ordinationis licentiam ſe accepiſſe gloriantur ab apoſtolatu veſtræ dominationis. Cedere igitur tam apoſtolicæ veſtræ auctoritati, quam illius regali majeſtati, quam reprehendere ſi quid decreviſſet tutius fore credens, ſtatueram carceribus & exſiliis per Dei miſericordiam exemptus ſolitudinem monaſterii petere, & ibi exſpectare Deum.... Sed rurſum cogitans in quali ordine illic quoque deberem eſſe, Epiſcopi ſcilicet an Presbyteri, an alterius, an nullius ordinis..... veridicoque poſt & hoc inſperato percipiens relatu, mihi ab æmulis quædam objici, pro quibus non vi, ſed jure, miniſterio ſacerdotali me aſſerant privari; verens ne hæc mei ceſſio vel patientia alicujus alterius, præſentis ſcilicet aut futuri, fiat depoſitio a dignitate propria..... ad pedes apoſtolatus veſtri me proſterno, & quis e nobis duobus.... Epiſcopus ſit, audire cupio. Si ego: Veronenſis ergo. Si ille: repulſio mea non furtiva eſſe debet, ſed publica.... Coram apoſtolatu veſtræ ſedis ad certamen canonicum provoco, eo etiam (ſi veſtræ dominationi placet) tenore, ut ſive pro me, ſive pro illo lex obtinuerit, epiſcopium cui vobis viſum fuerit tribuatis, tantum in Domino. Præeſſe enim ulterius non concupiſco, ſi prodeſſe, ut antea, nulli valeo.... Verum, ut in breviloquio comprehendam quod opto, aut Veronenſium eſſe convincar, aut nequaquam Epiſcopus. Univerſalem namque me Præſulem eſſe non conſequitur ullatenus, & tædet me in hoc vel errare, vel errandi aliis cauſas præbere diutius. Papam appellat.

9. *Quis ſit Joannes iſte, ad quem hæc Ratherii epiſtola ſcripta eſt, intelligere licet tum ex eo quod initio dicit, ſe tunc omni calamitatum genere* per annos jam viginti *fatigatum,* ad oras ſenectutis *perveniſſe: tum ex eo quod in Italiam ait ſe revertiſſe cum filio Regis ſui, ſcilicet Ottonis, cum* hic Italiam introiſſet. *Ratherius vero ſub annum* 932. *factus Epiſcopus, parvo tempore abſque vexationibus fuit. Otto prima vice Italiam adiit anno* 951. *Non ergo ante hunc annum iſta epiſtola ſcripta eſt. Cum autem nullus Pontifex Joannes nomine occurrat ante annum* 955. *qui Joannis XII. primus fuit; hinc eam epiſtolam* Joanni *XII. inſcriptam fuiſſe evincimus, non autem Joanni XIII. qui anno* 965. *ſedere cœpit, quo tempore jam præceſſerant anni fere triginta, non tantum viginti, a primis Ratherii procellis. Eodem ſpectant aliæ ejuſdem epiſtolæ, nempe ſecunda,* Domino ſanctæ Romanæ ſedis, quicumque eſt, apoſtolico & univerſo Senatui, *contra Milonis invaſionem, data* Kal. Auguſti. *Ex his verbis,* quicumque eſt Apoſtolico, *innuitur tunc dubium fuiſſe Pontificem, adeoque exiſtimo hanc epiſtolam annum ad* 963. *referendam eſſe, cum exauctorato per Ottonem Joanne XII. Leo intruſus eſt in ſedem Romanam. Quarta ejuſdem argumenti epiſtola directa eſt* dominis Patribus & reverendiſſimis compræſulibus per univer-

AN.CHR. 974 verſam Italiam, Galliam, atque Germaniam in Domino conſtitutis. *Encyclica eſt hæc epiſtola, qua* Concilium *appellat. Et re quidem vera in ſedem ſuam* præcepto Apoſtolici, qui tunc Romanæ præerat ſedi, & judicio Epiſcoporum ſynodaliter *reſtitutum ſe fuiſſe aſſerit ipſe in Itinerario ſuo, quem locum fuſius poſtea referemus num.* 14. In Synodo Papienſi *ſe proclamatum fuiſſe Epiſcopum Veronenſem ait in libro Apologetico. Nunc quædam brevius, quam par erat, ſuperius ad conſequentiam dictorum & eventorum delibata, accuratius expendere juvat.*

Pag. 232.

Laubias bis ſedit.

10. *Et primo quidem duplicem Ratherii Laubias receſſum diſtinguere neceſſe eſt, unum ſub annum* 941. *cum relicta (ut diximus) Provincia in Laubienſe monaſterium receptus eſt, favente Richario Epiſcopo Leodicenſi, poſt annos duodecim factus Epiſcopus iſtius eccleſiæ poſt Farabertum. Deinde ſede iſta cedere compulſus, de Veronenſis reſtitutione cogitavit, idque aſſecutus eſt gratia & patrocinio Ottonis M. & Brunonis ejus fratris, cujus is præceptor exſtitit, teſte Folcuino. Reſtitutio hæc poſt biennium ab ejus e ſede Leodicenſi ejectione contigit, teſte Folcuino, cujus verba num.* 13. *adducemus, ac proinde ſub annum* 957. *Nam Baldericus, Leodicenſem cathedram quiete poſſedit ab anno* 956. *ut in Spicilegii tomo* 6. *pag.* 514. *legitur, & apud Sigebertum in Chronico.*

Epiſcopus Leodicenſis quo anno.

Brunonis præceptor.

11. *Antequam ad cathedram Leodicenſem Ratherius eſſet deſignatus, in curiam ab Ottone M. evocatus eſt ad erudiendum Brunonem, quod ejus benevolentiam ſibi conciliavit. Id ex Folcuini cap.* 22. *ſic accipe.* Otto tunc potentiſſimus Auſtraſiis & ſubactæ Italiæ imperitabat: cujus frater Bruno, unicum & ſingulare in Chriſti Eccleſia decus futurum, velut pretioſiſſimus lapis, multiplicibus Philoſophorum poliebatur argumentis. Advocatur Ratherius, & habetur inter palatinos Philoſophos primus. Quid multa? non deſtitit, donec regiam illam & mirificam indolem in omnibus diſciplinis perſpicaciſſimam reddidit & perfectam. *Hæc aliquot annis ante Brunonis epiſcopalem dignitatem accidere, atque adeo antequam Otto* Italiæ ſubactæ imperitaret: *quod tamen anticipato ei tribuit hoc loco Folcuinus. Quanta exinde benevolentia Ratherium Bruno complexus ſit, ex Rotgero hujus encomiaſte diſcimus in cap.* 4.

Leodienſi eccleſiæ imponitur.

12 Ratherius Veronæ, quæ civitas eſt Italiæ, ordinatus Præſul, cum ex quadam levi ſuſpicione, ut mos eſt gentis illius, ab honore ſedis illius eſſet expulſus, Leodienſi cathedræ vacanti magna ejus, *id eſt Brunonis*, induſtria ſecundum ſtatuta canonum incardinatus eſt. Quod quidem propter abundantem doctrinam & eloquentiam copioſam, qua inter ſapientiſſimos florere viſus eſt, non eidem eccleſiæ ſolum cui præfuit, ſed & multis aliis circumquaque valde proficuum fore putatum eſt: ſimul quia in illis partibus per zelum & contentionem, unde fieri ſolet inconſtantia & omne opus pravum, quidam etiam Sacerdotes Domini plerumque (quod dictu nefas eſt) terrenæ plus juſto confiſi potentiæ, populum imperitum ſcandalizabant: ſæpe dictus dominus Bruno Colonienſis Archiepiſcopus, cui jam totius regni diſpenſandi cura imminebat, ratus id, quod verum fuit, hunc ejectum ante hac & neglectum, hoc tanto beneficio ad illud fidei & veritatis fœdus adduci, ut a nemine poſſet reduci, ita demum os loquentium iniqua obſtruere poſſe credidit, ſi nulla occaſio ſcandali poſſet in eorum Epiſcopo reperiri. Sed ad ſuam perniciem pars ſiniſtra prævaluit. Quid multa? erratum eſt, ſævitum eſt, nec ceſſatum eſt, donec expulſione ejus crudelitati ſuæ & nequitiæ ſatisfacerent. Ablata eſt omnis ſpes reſtitutionis ejus. Conſpiratio enim graviſſima facta eſt, quæ, niſi & hic penitus amoveretur, & eumdem locum Baldricus, qui erat de magnatum terræ illius proſapia oriundus, ſubrogaretur, ſedari non poſſe viſa eſt. Ceſſit igitur ne vinceretur a malo, ſed vinceret in bono malum: ceſſit adverſantium voluntati, ut ſuo eos gladio jugularet: ſibi obſtricti ſunt ſacramentorum fide ſpontanei, ut ſi accipere mererentur Epiſcopum quem petebant, invicta exinde firmitate auctoritatem Eccleſiæ & jus Imperatorium tuerentur. At ne quid in hujuſmodi negotio imperfectum reſtaret, quod curioſis alienarum rerum inveſtigatoribus ſcrupulum commoveret; cum

iterum rejectus.

Veronæ reſtituitur.

Digitized by Google

cum Imperatore germano ſuo id effecit, ut Ratherio Epiſcopo, bis jam deſtituto antiqua ſedes Veronenſis eccleſiæ redderetur. ANCHR. 974.

13. *Rem iiſdem, atque Rotgerus, verbis commemorat Folcuinus Chronographus Laubienſis in cap. 23. ex Rotgero, an Rotgerus ab ipſo acceperit, incertum. Audiendus idem Folcuinus ex cap. 24. ubi commemorata Leodicenſium in Ratherium conſpiratione ad* Nativitatem Domini *factam, ejuſdemque diſcenſione, hæc inſit*. Exacto igitur in hac deſtitutione ſua Ratherius ferme biennio, deficiente ab eo militari copia, Italiam revertitur: ac ne quid in ejuſmodi negotio imperfectum reſtaret, quod curioſis alienarum rerum inveſtigatoribus ſcrupulum commoveret; cum Imperatore germano ſuo prædictus Bruno id effecit, ut eidem jam bis deſtituto antiqua ſedes Veronenſis eccleſiæ reſtitueretur. Scripſit per idem tempus librum, quem appellavit Phreneſim, eo quod quaſi phreneticus nimis auſtere & ultra modum in Baldricum inveheretur. Scripſit & alium, quem appellavit Perpendiculum, necnon & alium quem appellavit Syrmam, in quo in eumdem Baldricum invehitur, pervaſorem (ut ipſe nominat) ſuum. *Primum opuſculum (ni fallor) deſideratur: duo ſequentia exſtant cum aliis in Spicilegii tomo 6. Unum inſcribitur* volumen perpendiculorum, *ſeu* de contemptu canonum ad Humbertum Parmenſem Epiſcopum, *pag. 161. diviſum in duas partes: alterum*, Concluſio deliberativa Leodici acta, ſive Clymax ſyrmatis *pag. 194. De triplici ſua ejectione ipſe luſit hoc verſu*:

Veronæ Præſul; ſed ter Ratherius exſul.

14. *Reſtitutus tertium uſque Ratherius in ſedem Veronenſem, iterum procellas a ſuis clericis patitur. Eas declarat cum in libello de ſua diſcordia pag. 217. tum in ſuo Romano Itinerario pag. 265. in quo hæc verba*. Omittam quippe ter me contra canos exſulatum, millies injuriatum, epiſcopium mihi inlegaliter ademptum, alium ſuper me adulterum adductum receptum. Iterum eo miſericordia piiſſimi Cæſaris, præcepto Apoſtolici, qui tunc Romanæ præerat ſedi, judicio Epiſcoporum ſynodaliter reſtitutum, ab eodem invaſore (vobis non penitus tantum ignaris, neque eidem eidem contrariis, ut mille non defuerint, qui vos pæne omnes nedum conſenſiſſe, hoc crediderint machinaſſe) poſtea comprehenſum, pulſum, injuriatum, exſpoliatum, cuſtodiæ mancipatum. *Quæ fuerint iſtius divortii cauſæ, exponit ipſe in duobus libellis mox laudatis. Ex priori patet eam potiſſimum fuiſſe cauſam quod Clericorum ſuorum intemperantiam graviter objurgaret*. Te ergo, *inquit*, contra legem Dei faciente, ego qui ad te corrigendum a Deo ſum inſtitutus, non debeo ſaltem latrare? Te conſuetudinem illorum, quos inermus ſine dubio detinet, ſtatutis illorum qui cum Deo in cælis conſiſtunt præferente, ego neque auſus ſim ſaltem mutire? Quid ergo faciam, dum cum quibuſdam miſeris mihi te quoque dicetur præſente: Non aſcendiſtis ex adverſo, & neque oppoſuiſtis murum pro domo Iſrael &c. *Deinde addit, occaſionem hujuſmodi rixandi ortam eſſe etiam ex epiſtola ad Hubertum Parmenſem Epiſcopum directa, in qua quædam ſuis clericis* non vi tamen ſequenda, ſed ratione perpendenda *proponebat. Et infra*. Monſtravi illis auctoritatem canonicam, illi contra conſuetudinem uſitatam... Per omnes ſane ſermones, quos populo Quadrageſima iſta feci, monere mecum omnes non deſtiti, ut redire non differremus ad pacem, ſed quam (proh dolor) numquam tenuimus, Chriſti. *Addit ſe beneficiis ſuis eorum perfidiam auxiſſe, cum ablata eccleſiæ ſuæ reſtituit, faciens de quibuſdam inſuper ſcriptum quoddam, quod nominant* judicatum, id eſt decretum, pauperiori bus clericis ejuſdem eccleſiæ, non ut ipſi fideliores, ſed in ſervitio Domini promptiores, & ceſſante paupertatis occaſione ſtudioſiores in Domini diebus ac noctibus fierent ſervitute. *In ſequenti libello Apologetico ſignificat ſe accuſatum, quod eccleſiæ ſuæ facultates impendiſſet inſtaurandis eccleſiis, quæ* paſſim aut incendio paganorum, aut incuria pſeudoepiſcoporum *dirutæ fuerant: ad idque opus duas ex quatuor bonorum eccleſiæ partibus*, portione clericorum victuque Pontificibus delegato exceptis, *inſumpſiſſet, cum nec* fames *pauperes* opprimeret, & plures eſſent qui alere valerent, *quam qui* eleemoſynaliter ali indigerent.

Tertio appetitur.

pag. 219

pag. 222.

pag. 223.

pag. 224.

pag. 229.

15. *Quo*

Digitized by Google

AN.CHR. 974 15. *Quo tempore illa diſcordia contigerit, intelligimus ex dictis, nempe poſt obitum* Joannis XII.*cujus juſſu reſtitutus fuerat: ac proinde poſt annum* 964. *Demum cum Ratherio quieto eſſe non liceret, Laubias reverſus eſt Folcuino Abbate, qui Chronicon monaſterii ſui ſcripſit. Quo in ſtatu res Laubienſes tunc eſſent, ex eodem Folcuino ſic accipe. Baldrico Leodicenſi Epiſcopo mortuo, quod anno* 959. *contigit*, Euracrus ex Bonna Decanus Brunone concedente efficitur Epiſcopus, vir ingenuarum artium litteratus. Hic Aletrannum undecumque doctiſſimum, & in lege Dei exercitatum, ac eloquentem, volentibus omnibus Lobiis præfecit Abbatem: ubi ita vixit, ut ſervum decuit Domini. Nam cum ante eum permiſſa Fratribus rerum peculiarium & tricliniorum ſolummodo impunitate, de cetero honeſte quidem & in commune viveretur; hic quomodo inſtructus fuit, omnia ad Regulam correxit: ad cujus ſupplementum domnus Euracrus juvit plurimum.... Hac diu deſiderata pace jam tandem ſero potita, citiſſime eccleſia noſtra eſt deſtituta. Nam domnus Bruno, in quem rei ſumma recumbebat, diem clauſit 6. Idus Octobris: & domnus Abbas, poſtquam bienni paralyſi diſſolutus eſt, poſtque quinquennium quam præeſſe cœperat, in magna ſpe futuræ gloriæ defunctus eſt 3. Nonas Novembris, anno uterque 965. dominicæ Incarnationis. Poſt hæc domnus Euracrus Folcuinum vere peccatorem, (*ſic ipſe de ſe ſentit*) ſed & ætate juvenem Lobienſibus præfecit Abbatem... Ratherius adhuc Veronæ erat: qui pertæſus civium inſolentia, ſimulque ſuſpectam habens innatam illis & peculiarem perfidiam, de reditu cogitabat, proponens illud, quod in aliena patria, ſæpe quidem bene vivitur, ſed male moritur. Mittit igitur ad Abbatem *Folcuinum* librum, quem prætitulavit, CONFLICTUM DUORUM, *pro eo* quod in eodem diſputans, utrum reverteretur necne, anxius fluctuaret: ſimul & rogans, ut mitterentur ei equi & comites, quo expeditius ad eos iter accelerare poſſet. Factum eſt, miſſum eſt: venit ille, afferens ſecum auri & argenti non dicam pondera, ſed (ut ipſius verbis utar) maſſas & acervos: ex quibus a Hlothario Rege eſt mercatus ſancti Amandi abbatiam: qua vix una nocte potitus, eam (ut erat miræ levitatis vir) derelinquens, Alnam revertitur villam, quam munificentia domni Epiſcopi promeruerat. Inde quoque ſimili modo monaſterium, quod Altum-montem nominant, dato magno pretio comparavit: ubi quidquid præcipuum ſibi in ornamentis & veſtimentis eccleſiaſticis fuerat, quæque antea ipſe eccleſiæ noſtræ largitus fuerat, ſed poſtea reſumpſerat, facta donatione congeſſit. Hoc quoque derelicto Alnam denuo revertitur. Dederat autem ei & Abbas conſenſu Fratrum villas Stratam, & Goſiniacus, & abbatiolam ſancti Urſmari, & aliam, quam Waslare-monaſterium vocant. Sed ipſe locum noſtrum ſemper exſecrans, Abbati inſidias machinabatur, inſtigantibus eum ad hoc nonnullis: Quid multis morer? ad hoc res evenit, ut Abbas cederet loco, ſciens ſic quoque Epiſcopum velle. Nam de eo nihil noſtrum aliud eſt dicere. Ratherius ut oſtenderet prioris inimicitiæ cauſas, locum invadit: & metuens Abbatis animoſitatem, ſimulque cognationem ejus, quæ non erat infima, clauſtrum in modum caſtelli cingit. Quid plura? annus ille ſic ductus eſt, uſque dum defunctus eſt Evacrus Epiſcopus, *quod anno* 971. *accidit*, & in loco ejus Notkerus ſucceſſit: cujus animi dotes & virtutum ſummam ſi pergam dicere, quoniam adhuc ſupereſt, adulari videbor. Unum pro certo dicendum eſt, quod vir ſit, in quem Spiritus Dei donum ſingulare contulit veritatis & fidei. Qui nolens primordia ſua levia aut præcipitata haberi, evocatis Abbatibus Werinfredo videlicet a Stablaus, & Heriberto ab Andagino *ſeu ſancti Heucberti*, cum aliquibus Fratribus primum conſpirationis exordia quærit, inventa trutinat & diſcutit, diſcuſſa demum judicio utitur. Ubi perſpexit omnia eſſe frivola, Fratres Abbati reconciliavit, ipſum reſtituit. Ratherius Alnam revertitur: ubi uterque, ipſe videlicet & Abbas, ſibi reconciliatus de reliquo deguit: qui poſtea apud Namucum, cum ibi forte cum Comite moraretur, vita deceſſit. Cujus corpus ad nos delatum, pontifi-

Marginalia: Laubienſis monaſterii ſtatus. — Ratherius eo ſe recipit. — Ut ſe geſſerit. — Moritur.

tificalibus exſequiis ſollemniter celebratis, honorifice eſt tumulatum in eccleſia ſancti Urſmari ad partem aquilonarem. *Eccleſia hæc eſt locus cœmeterii Laubienſis, modo paræcialis, ubi omnes iſtius cœnobii viri illuſtres ſepulti ſunt, in colle ſita, ad cujus pedes ſtat monaſterium ad Sabim. Ratherii obitus anno* 974. *contigit, teſte Sigeberto. Epitaphium ipſe ſuum uno hoc verſiculo compoſuit:* AN.CHR. 974

Conculcate pedes hominum ſal infatuatum.

16. *Hæc omnia retuli continenter, ut lector intelligat ſimultates, quas Ratherius cum Folcuino Abbate & chronographo habuit. Hinc enim non levis ſuſpicio eſt, Folcuinum, quantumvis modeſte loqui videatur, infenſo in Ratherium fuiſſe animo; nec leviter ei fidem adhibendam, cum ſentit Ratherium Abbatiam ſancti Amandi, deinde Altum-montem dato pretio acquiſiiſſe: quod ſane non facile crediderim. Ex aliis enim ejus factis, quantum ſimoniam averſatus ſit, intelligimus. Illud inter cetera exemplo ſit, quod cum ex abbatiola quadam Veronenſi eccleſiæ ſubjecta, quæ* Magonzianus *vocabatur, Abbatem ob pravos mores, qui* incenſo ab Ungaris cœnobiolo, *ſolus illic reſidebat, expuliſſet; is Ratherium* Geziaca lepra per internuntios conatus eſt inficere, hoc eſt, ut accepta ab eo pecunia *ſineret eum ibidem conſiſtere*. Utrimque cum fuiſſet diſcuſſum, *ſubdit Ratherius*, hæſit animus quid agere poſſem: *non ut pecuniam acciperet, ſed qua ratione locum illum ordinaret*. Si enim ego, *ait*, poſſeſſiunculam Dei Genitrici collatam melius quaſi diſpenſaturus mihi retinerem, aut meorum alicui darem; ne ſucceſſorum aliquis meorum meo ſimiliter faciens exemplo eleemoſynam illorum bonorum *fundatorum* deſtrueret, nonnihil verebar. Si vero propter unum falſum cucullum, Abbatem appellatum, hæc *in malos uſus* permitterem expendere, imprudentis diſpenſatoris non minus pœnam quam infidelis verebar incurrere. *Repulit ergo pſeudoabbatis ſimoniacam oblationem Ratherius, ne* Geziaca lepra *inficeretur: an idem ipſe tentaturus fuiſſet, ut abbatias dato pretio ſibi compararet? Certe id nequaquam veri ſimile videtur. Sed forſan id hauſit Folcuinus ex adulantium relatu, quod ipſe in Ratherium offenſus non ægre credidit, & litteris mandavit. Sane idem Folcuinus ob ſimilem cauſam in Erluinum Abbatem Gemblacenſem non ſatis æquus fuit in cap.* 263. *ut ſuo loco oſtendemus. Neque Ratherio etiam objici ejus ejectio frequens, ſed potius malevolis imputari debet, quemadmodum præter alia probant Acta Remenſis Synodi ſub Gerberto in cap.* 44. Item quæ circa Ratherium Veronenſem Epiſcopum uſu vel conſuetudine provenerunt, ab omnibus abrogata ſunt, *nempe quia* nec abdicationis porrecto libello, nec ſacerdotalibus depoſitis inſignibus ſucceſſorem acceperunt. *Quod attinet ad præmiſſa monaſteria, de Abbatia ſancti Amandi dictum eſt in ejus Vita: de Altomonte * vero in actis ſancti Madalgarii & ſancti Ansberti in Sæculo* 2. *Alna * modo eſt monaſterium Ordinis Ciſtercienſis percelebre ad Sabim *: Waslare abbatia erat a ſancto Urſmaro conſtructa in Teoraſcia: cui loco Dodonem præfecerat, ut in obſervationibus ad Urſmari vitam diximus in Sæculi* 3. *parte* 1. *Cetera quæ ad Ratherium pertinent, abſolvamus.*

Ab objectis purgatur.

Spicil to. 2. pag. 236.

*Haumont

* Alne

*la Sambre

17. *Varia ſcripta & opuſcula condidit Ratherius, ex quibus aliqua jam commemoravimus. Pleraque exſtant in Spicilegii tomo* 2. *præter epiſtolam ad Patricum* de corpore & ſanguine Domini, *quæ in tomo* 12. *vulgata eſt. Primum eſt* Perpendiculum de contemptu Canonum, *diſtinctum in duas partes. Secundum eſt* Clymax ſyrmatis, *ſeu* concluſio deliberativa Leodici acta. *Tertium eſt* Qualitatis conjectura, *ubi varia ſibi objecta enumerat: quod poſtremum ejus opus eſſe reor. Quartum eſt liber* de diſcordia inter ipſum & clericos ſuos. *Quintum*, Apologeticus liber, *quem ſequitur libellus conſimilis* de clericis ſibi rebellibus. *Sextum eſt ſcriptum* de Abbatiola Magonziana. *Septimum, tractatus brevis* de nuptu cujuſdam illicito. *Sequuntur ejus epiſtolæ quinque ad diverſos, quibus ſexta* ad Patricum *ex Spicilegii tomo* 12. *addenda eſt: tum* Synodica ad Presbyteros, *&* ſermones quatuor ex aliis pluribus quos ipſe compoſuit. *In Synodica & in ſermone de Quadrageſima jejunium tantum ad nonam uſque horam præſcribitur, præterquam in Sabbato ſancto, contra veterem morem jejunandi ad veſperam, qui tempore ſancti Bernardi Abbatis Claravallenſis in uſu erat, & contra morem Orientalium,*

Ratherii ſcripta.

AN.CHR. 974 *talium*, *qui* longiorem & auſteriorem, quam nos, *inquit Ratherius*, faciunt Quadrageſimam. *In eodem ſermone de Quadrageſima reprehendit eos*, *qui horam comedendi prævenientes*, Quid ajunt, *nocet*, ſi ante nonam comedam, cum non niſi ſemel in die manducans jejunium faciam? *Ad quod Ratherius:* Quid profuit Adæ, quod niſi ſemel de fructu ligni vetiti manducavit, poſtea ab eodem abſtinuit? nonne ipſa inobedientia divini præcepti reum illum in perpetuum fecit? Qui autem illum de ligno eodem comedere prohibuit, ipſe tibi jejuniorum diebus uſque ad horam nonam abſtinere præcipit. *Alia ſcripta perſequamur.*

Quid de jejunio ſentiat.

18. *Deſiderantur in editis Liber* Phreneſis *contra Baldricum Leodicenſem Epiſcopum*, *atque* Meditationes cordis, *de quibus ita Folcuinus in cap.* 20. In illo ſane quo ſe Ratherius poſitum dixit exſilio, vacans epiſcopio edidit librum, quem „ appellavit Agoniſticon, cui & talem præpoſuit titulum: Meditationes „ cordis *cujuſdam Ratherii Veronenſis quidem Epiſcopi*, *ſed Laubienſis monachi*: „ quamvis ex digeſtis ſchedulis Volumen cenſuit appellari Præloquiorum, *quod vocatur* Agoniſticon, quem librum ad relegendum ſive ad probandum eruditiſſimis quos noverat miſit, Sobboni videlicet & Widoni Archiepiſcopis, Godeſcalco & Aurelio Præſulibus, necnon & Brunoni & Rotberto Galliarum Archiepiſcopis nobiliſſimis & in philoſophicis ſtudiis eruditiſſimis, ad extremum Frodoardo Remenſi, miſſis unicuique epiſtolis, quæ continentur in eccleſiæ noſtræ ſcriniis. *Epiſtolæ iſtæ etiam deſiderantur. Neſcio an de Perpendiculo*, *an de alio libro Liutprandus*, *Ticinenſis eo tempore Diaconus*, *mentionem faciat*, *ubi ſic loquitur in lib.* 3 *cap.* 4. Quo diſcedente, *nempe Milone*, Hogoni Regi mox civitas redditur, & Ratherius ejuſdem civitatis Epiſcopus ab eo captus Papiæ exſilio relegatur: in quo faceta urbanitate de exſilii ſui ærumna librum componere cœpit. Quem ſi quis legerit, nonnullus ibi hac ſub occaſione res expoſitas inveniet, quæ legentium intellectui non minus placere poſſunt quam prodeſſe.

19. *His Ratherii ſcriptis Folcuinus in eodem cap.* 20. *hæc addit*. Libellum etiam vitæ ſancti Urſmari, cum Cumis exſularet, ibi reperit, quem ſolœciſmis refertum emendavit; nobiſque tranſmiſit. Poſtea cum in parte Burgundiæ, quæ Provincia dicitur, manſitaret, filium cujuſdam viri ditiſſimi, nomine Roeſtagnum, ad imbuendum litteris poſtulatus recepit: ad quem librum de arte grammatica conſcripſit, quem librum gentilitio loquendi more Spera-dorſum *vocavit*, *pro eo quod qui ſcholis aſſueſceret puerulus*, dorſum a flagris ſervare poſſet. Ob quæ ei ibi epiſcopatus datus eſt, que relinquens, Laubias revertitur. Richarius tunc adhuc ſupererat: a quo favorabiliter receptus, Laubiis eſt habitare permiſſus. Nec multo poſt Richarius deceſſit, poſtquam in epiſcopatu 22. annos peregit. *Hujus loci explicatio ex ſuperioribus perſpicua eſt.*

20. *Denique Folcuinus in cap.* 24. *tribus Ratherii opuſculis*, *nempe Phreneſi*, *Perpendiculo*, *& Syrmate*, *ita ut præmiſſum eſt*, *commemoratis*, *hæc ſubdit*. Eſt & ejuſdem libellus contra Antropomorphitas, qui Deum, hoc eſt ipſam inviſibilem deitatem, per membrorum lineamenta depingunt. Synodica quoque ejus ad diæceſanos Presbyteros, & Conjectura vitæ ejus, Itinerarius quoque ejus Romam pergentis: ſed & Sermones quamplures, in Paſcha ſcilicet & in Cœna Domini, & in Aſcenſione Domini, & die Pentecoſtes, necnon feſtivitate beatæ Mariæ, & alia quamplura. *Hæc omnia*, *ut diximus*, *in prædicto Spicilegii tomo* 2. *vulgata ſunt*, *præter ſermouem de beata Maria. Quæ ſint illa* quamplura *ſcripta*, *quæ Folcuinus non recenſet*, *nobis divinare non licet. Sigebertus Ratherio præter enumerata tribuit librum unum de* Prædeſtinatione, *& alium* de Corpore & ſanguine Domini. *Sed vereor ut Ratramni libros Ratherio imputet.*

Synodica qua occaſione ſcripta. pag. 371.

21. *Qua occaſione Synodicam ſcripſerit*, *docet Ratherius ipſe in ſuo Itinerario*, *ubi de Clericis ſuis conqueſtus*, Sciſcitatus, *inquit*, de Fide illorum, inveni pluximos neque ipſum ſapere Symbolum, qui fuiſſe creditur Apoſtolorum. Hac occa-

Digitized by Google

occaſione Synodicam ſcribere omnibus Presbyteris ſum compulſus, in qua continetur primitus ita ſuaſum. Moneo igitur paternaliter, & præcipio paſtoraliter, ut dicentis Apoſtoli reminiſcentes, *quia* ſine fide impoſſibile eſt placere Deo, *hoc eſt ſine credulitate*, *quæ* nobis per Apoſtolos eorumque ſucceſſores tradita... Ipſam Fidem, id eſt credulitatem Dei, trifarie præparare memoriter feſtinetis, hoc eſt ſecundum Symbolum, id eſt collationem Apoſtolorum, ſicut in Pſalteriis correctis invenitur: & illam, quæ ad Miſſam canitur, & illam ſancti Athanaſii, quæ ita incipit, *Quicumque vult ſalvus eſſe*. Quicumque vult ergo Sacerdos in noſtra parochia eſſe, aut fieri, aut permanere; illas tres memoriter nobis recitet, cum proxime a nobis huc vocatus fuerit. Iſtud cum & mediantem Quadrageſimam illis ſcribenda, atque memoriæ mandanda dediſſem, & inobedientes exſtitiſſe vidiſſem; dum quid inde canonice agere poſſem inquirerem, metus illorum quoſdam tantus invaſit, ut promiſſo mihi ad iter carpendum auxilio, pollicerentur ſe deinceps deſcriptionem beati Athanaſii cantaturos, & reliqua inibi deſcripta juxta poſſibilitatem ſuam facturos. *Et ita quidem animo comparatos fuiſſe ait* titularios omnes & illos de plebibus, *id eſt beneficiatos & paræciarum rectores, contra vero* Cardinales *qui ſcilicet in eccleſia cathedrali incardinati erant. In illo Itinerario corrigendus eſt locus aliquanti momenti pag. 278. ubi particula negans haud dubie reſtituenda eſt in hæc verba*. Et vide quanta hic continetur adverſitas. Oblata enim non permitteris conſecrare, ſi te peccaſſe confiteris: ſalutem non conſequeris ſi te peccaſſe (non) confitearis. *Hoc enim loco ſupplendam eſſe negationem conſequentia probat, uti & verba quæ ſequuntur*. Quid igitur de vobis faciam, fratres & compresbyteri mei? Si peccata veſtra non confitemini, timeo ne non ſalvemini: ſi confitemini, oblata niſi contra vetitum conſecratis. *Ubi forſan legendum*, nonniſi.

AN.CHR. 974.

Ratherii mores, pag. 203.

22. *Legendum aliud ejuſdem Ratherii ſcriptum, nempe* Qualitatis conjectura, *in quo ſibi objecta refert, quæ quidem maxime ad ejus facta illuſtranda ſpectant. In „ illis hæc notanda, nempe* quia erat pauperrimus, *nolle miniſtrum vel capella„ num habere. Mores, lectionem, & cantum carpere clericorum. Inlegale conjugium „ vocare adulterium. Legem tenedam contra conſuetudinem. Opus ſervile inter„ dicere Dominica die. Omnes carpere, & aliorum vitia ſcriptis mandare. Ve„ ſtibus & calceamentis incomptis uti, nec quibuſvis pretioſis. Filium eſſe car„ pentarii; ideo tam pronum eſſe ad baſilicas ſtruendas vel reſtruendas. Servili„ bus occupari: frequentius decumbere humi vel in ſcamno; quoslibet ad menſam „ adhibere. Regem aut magnates non adire, nihil ab eis petere, munera etiam reſ„ puere. Nolle ut pedem ipſius quiſquam oſculetur. Libris legendis totum eſſe, fre„ quentiam odiſſe, ſolitudinem diligere, ludos averſari. Non curare ſi quis de eo „ male loquatur, ut duodecim nummos cuidam convinciatori dederit. Jejunare ad „ Nonam, ut pœnitentiam pro aliis agat. In ſumma, volenti ejus mores perſpe„ ctos habere, librum confeſſionis ejus præſto eſſe, qui eos explicet. Hoc porro opuſ„ culum, ſcilicet quod inſcribitur* QUALITATIS CONJECTURA, *ex poſtremis eſſe colligitur ex his verbis:* Quadraginta jam fere ſunt anni, ex quo ambire potentiam cœpi, *id eſt Epiſcopatum*. Numquam valui illam adipiſci, aut ſi ſum eam adeptus, permanere mecum nequivit diutius morituro. Nunc mihi ſi daretur, quid rogo conferret, cum ea mihi frui nec anno liceret?... Cum vero in hac patria, *id eſt Italia*, ſumptum quem requirunt pompaticum aliquis adipiſci non valeat ſine peccato maximo.... nonne eſſem dementiſſimus, ſi de animæ perditione aliis divitias acquirerem meæ? De me enim ſcio, quod debeam terrena deſpicere, & amare cæleſtia. *Ita ſentiebat Ratherius ſub extremum vitæ ſuæ tempus, quadrageſimo initæ dignitatis anno, id eſt anno 972. aut inſequente, qui ejus vitæ pænultimus fuit, ex Sigeberti calculo. Lege quæ de primis Veronenſibus Epiſcopis ex Ratheriano codice retulimus in Analectorum tomo* I.

Digitized by Google

CIRCA AN. 975 6. Mart.

VITA SANCTI CADROÆ

ABBATIS WALCIODORENSIS, dein Mettenſis.

Auctore REIMANNO vel OUSMANNO ejus æquali.

Ex Martio Bollandiano.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Vitæ ſcriptor. 1. *Hujus vitæ ſcriptor, quem alii* OUSMANNUM, *alii* Reimannum *appellant, monachus fuiſſe videtur VValciodorenſis, aut certe Gorzienſis cœnobii: quem, licet ex aliorum dumtaxat relatu (quod in prologo fatetur) hæc acta conſcripſerit, tamen ad Cadroæ ætatem acceſſiſſe conſtat tum ex num.* 29. *tum vel inde maxime quod opus ſuum* IMMONI *Abbati, cujus juſſu ſuſceptum erat dedicavit. Duos enim hoc Immonis nomine Abbates, quibus Cadroæ vitam literis mandandi cura eſſe potuerit, ambos ipſi æquales reperio, quorum alter VValciodoro poſt Forannanum Cadroæ ſucceſſorem circiter annum* 1000. *alter Gorziæ ad annum* 1006. *præfuit. At utri nuncupata ſit hæc Vita, divinare non licet. Favet Immoni Valciodorenſi, quod ſanctus Codroes ſecundus ejuſdem loci Abbas fuerit; Gorzienſi vero non ſolum diuturnior Cadroæ apud Mettas commoratio, verum etiam intima cum Gorzienſibus familiaritas ſuffragatur. Hinc ſub judice ponenda litis definitio, donec certiora ſuppetant argumenta.*

Cultus. 2. *Sancti Cadroæ (quem alii* Kaddroem *&* Kadroclem *dicunt) feſtum a quingentis & amplius annis in ſancti Clementis monaſterio, quod olim ſancti Felicis appellabant, peragi ſolitum fuiſſe docet Chronicon VValciodorenſe ab Acherio noſtro in tomo* 7. *Spicilegii editum, ubi legitur Cadroem* ob dignitatis ſuæ reverentiam a majoribus altare conſtructum *ſuo tempore, hoc eſt ſæculo* 12. *ad annum* 50. *provecto jam* habuiſſe, quo ſingulis annis dies depoſitionis ejus ſollemniter celebrabatur. *Porro etſi in nova, quæ nuper exſtabat, ſancti Clementis baſilica nullam peculiarem aram habuerit, illius tamen memoria quotannis ibi recolitur, his verbis in Martyrologio prænotata;* Mettis ab baſilicas natalis ſancti Cadroæ Abbatis: *Quin & ejus reliquiæ, præter caput, quod in loculo ſeparatim reconditum eſt, una cum aliorum ſanctorum oſſibus in capſa cuprea inaurata aſſervantur. Cadroæ mentionem faciunt Bartholomæus Fiſenus in Floribus diœceſis Leodicenſis, ac Balduinus VVilſotus in Hagialogio Belgico, & alii rerum Lotharingicarum ſcriptores.*

Patria. 3. *Inter ſanctos Hiberniæ Cadroem numerat Colganus, illumque popularibus ſuis vindicare nititur quinque aut ſex argumentis, quæ apud eumdem legeſis in actis ſanctorum Hiberniæ pag.* 506. *Colgano refragatur Henſchenius, & Cadroem in Scotia Albionenſi natum potiori jure exiſtimat. Qui enim apud Hibernos editus Cadroes eſt, quem ejus vitæ ſcriptor, ſtudiorum gratia in Hiberniam miſſum a parentibus apud Ardmacham literis vacaſſe tradit? infra num.* 10. *Huc enim mitti non poterat, qui eatenus apud patrum Beanum educatus, in nativo Hiberniæ ſolo remanſiſſet. Ad hæc ſi Cadroæ in Galliam venientis veſtigiis inſiſtamus, illum Eboraco, Londino, ac per Cumbrorum terram pedeſtre iter habuiſſe ex hujus vitæ num.* 16. *colligemus: quæ loca non Hiberniam, ſed Scotiam Caledoniam relinquenti obvia fuerunt. Errandi occaſionem Colgano dedit, Scotiæ nomen ambiguum, quod etſi paſſim apud antiquos Hiberniam ſignificet, ſæculo tamen decimo exeunte, vel etiam poſt undecimi naſcentis initia pro Scotto Britannia uſurpari hic potuit, quod alias factum Hibernorum nemo, nedum Colganus ipſe poterit infitiari.*

Abbatialis dignitas. 4. *Cadroes ut ſolvit in Galliam, recto itinere ad Peronam Scottorum inſigne monaſterium ſanctique Furſei limina ſe contulit. Verum ubi priſtinos mores ſenſit immutatos (quippe loco a Danis peſſumdato, Clerici monachorum ſedes occupaverant) Herſindis Comitiſſa ductu ac ſuaſu commodiorem ſibi duodecimque ſociis locum aſſecutus eſt, ad S. Michaelis fanum in Tiraſcia, ubi nonnihil moratus, commigravit ad ſancti Benedicti Floriacenſe monaſterium, ibique exacto tirocinio, cum monaſticæ vitæ dediſſet nomen; ErKembaldi Abbatis permiſſu reverſus ad Maccalanum, peregrinationis ſuæ ſocium, jamque VValciodori abbatem, eidem ſe adjunxit: tum Præpoſiti munere aliquamdiu perfunctus, abdicante Maccalano, VValciodorenſibus Abbas præficitur. His quæ ex ſubiectæ vitæ num.* 21. *&* 24. *certiſſima ſunt, adverſatur Chronicon VValciodorenſe, cujus autor præmiſſo Forannano, quem (ut infra dicturi ſumus) primum VValciodori Abbatem perperam ſcribit, Maccalanum Cadroæ ſucceſſiſſe putat. Verum hujus vitæ ſcriptori æquali potior habenda fides quam Chronici concinnatori, cum is poſt ſæculi* 12. *medium ſcripſerit, plureſque operi ſuo mendas adſperſerit, puta dum Maccalani obitum anno* 990. *conſignat, quem anno* 978 *mortuum tradit illorum temporum ſcriptor, qui Frodoardi Chronico annorum duodecim ſeriem attexuit. Vide quæ de eodem Maccalano inferius referemus.*

5. *Adminiſtrato aliquot annis VValciodorenſi cœnobio, Cadroes ſancti Clementis monaſterii regimen ſuſcipere coactus eſt ab Adalberone Mettenſi Epiſcopo, cujus* precibus, *inquit ſubjecta vita num.* 24. aliorumque ſupplicantium evictus conſentit, & locum non longe ab urbe Mettenſi poſi-

Digitized by Google

poſitum, & multorum Sanctorum corporibus & reliquiis inclitum, ſed tunc jam ad nihilum redactum, ſuſcepit commendatum. Et quia curam ſuſceperat animarum, quoſdam ſecum a VValciodoro adduxit, & his qui remanſerant, ſecundum voluntatem illorum patrem præfecit. *Porro quantum temporis huic Mettenſi cœnobio Cadroe præfuerit, etſi non ſatis pro comperto habetur; eum tamen ante annum 953. a VValciodoro receſſiſſe haud dubium eſt, cum ex charta, quam hoc eodem anno datam referunt Sancta-marthani, eccleſiam S. Andreæ cum ſuis juribus S. Clementis monaſterio attributam Cadroes jam tum ejuſdem loci Abbas acceperit.* CIRCA AN. 975 6. Mart.

6. *Quo anno ſanctus Cadroes obierit, pro certo definire non ſinit veterum de eo ſilentium. Auctor Chronici VValciodorenſis annum 998. Henſchenius 988. ſignat, neuter, mea ſententia, ſatis accurate: diploma ſiquidem Ottonis III. monachis ſancti Clementis anno 991. conceſſum (quod in lib. 6. de re diplomatica exſtat num. 145.) eum jam defunctum ſupponit, ſic enim in eo diplomate loquitur Imperator:* Talem defenſionis tuitionem donamus, qualem noſter beatæ memoriæ pater Otto inviciſſimus Cæſar tempore ſanctæ memoriæ Cadroelis Abbatis jam dicto monaſterio concedere dignatus eſt. *Rarius vero* beatæ memoriæ *hominem in vivis adhuc agentem appellare ſolent. Ad hæc, (quod & Henſchenii ſententiam refellit) cum ex hujus vitæ num 37. conſtet ſanctum Cadroem ſuæ in Gallia peregrinationis anno circiter trigeſimo mortuum eſſe, etiam ab anno 953. (ut ſupra vidimus) Mettenſi cœnobio præfuiſſe; conſequens videtur illius obitum ad annum 975. aut 976. ac in Galliam acceſſum ad 945. aut 46. revocandum, octo ſcilicet annis antequam abbatialem Mettis dignitatem aſſequeretur, cum non minus octo annorum ſpatium exigat in ſancti Michaelis monaſterio diuturna ſancti Cadroæ commoratio, emiſſa apud Floriacum poſt annuam probationem profeſſio, ac ſuſceptum conſequenter VValciodori tum Præpoſiti tum Abbatis officium; quæ omnia deinceps munia ſanctus Cadroe jam exſecutus eſt. Denique ſi Deodericus Mettenſis Epiſcopus quem ſancto Cadroe ſupervixiſſe ex dictis ſupra numero 34. certo colligitur, anno 984. defunctus eſt, ut re vera illum hoc anno defunctum fuiſſe aſſerit Sigbertus in Chronico, qui potuit ſanctus Cadroes ad annum 988. pervenire? Hæc ſane inter ſe minime cohærent, ſtandumque illi potius, quem aſſignamus, anno: qui, ut allata momenta demonſtrant, ſi non certus, at vero proximus eſt.*

EPISTOLA AD IMMONEM ABBATEM.

1. VEnerabili in Chriſto Patri IMMONI ...... *omne bonum in ſummo bono.* Cum me tibi, Pater, obedire ſponderem, tale quid impoſuiſti, quod niſi ad ultima quæque promiſiſſem, digne recuſarem: juſſiſti enim, ut aliquid de actibus felicis viri Kaddroe deſcriberem, quaſi aut diſciplinarum quippiam conſecutus ſim, aut ita Viro illi familiaris fuerim; cum neque ingenium ſuppetat, neque geſtorum ejus aliquid ſciam præter audita. Huc accedit, quod me ruſticum inter Rhetores, verba cogis facere: materia aliquibus profutura, ſtyli groſſitudine multos offendet. Verum quoniam inter nos ſchedulam te comprimere promiſiſti, parui ut potui. Si autem incurrerit manus aliquorum, ſtylum excuſabit materia, quæ licet inter æmulos, ſicubi forte fuerint, omni carebit invidia, cum & ipſe bono animo acceperim, ſi quis eam in melius commutatam augmentaverit. Ceterum in ſitu inſularum *a* & nomine regionum minus nos reprehendat, ne inertiam alterius monſtrando, ſuam inſipientiam oſtendat, legat potius hiſtorias, ut nos vera dixiſſe cognoſcat. Hic & in æternum, Pater beate, vale.

PROLOGUS AUCTORIS.

2. PIetas omnipotentis Dei, ſciens humanam naturam aſſidue inhiare caducis, ut tandem valeret aſpirare manſuris, ex incomprehenſibilis & æterni jure conſilii ordinato tempore apparuit cum gratia erudiens nos: ut abnegantes impietatem & ſæcularia deſideria, ſobrie & juſte, & pie vivamus, & terſa caligine vetuſti erroris, portas vitæ cum exultatione intremus. Ne vero in eremo hujus exulatus, quis patriam petens, deficeret, Venite, inquit, ad me omnes, qui laboratis & onerati eſtis, & ego reficiam vos. Et ne ignotum quæratis iter, Ego, ait, ſum via. Quid autem præmii euntem maneat, oſten- Chriſtus ſuo & ſuorum exemplo nos docet.

a Harum inſularum deſcriptionem, ac Scotorum originem, quam ſatis fuſe hic auctor numero 3. proſequebatur, reſecuimus, utpote inſtituto noſtro inutilem, ac doctis viris parum acceptam: etſi eam Colganus ex integro ediderit.

Digitized by Google

CIRCA AN. 975 6. Mart. oſtendit, Per me, inquiens, ſi quis introierit, ſalvabitur. Hujus ergo pactionis promiſſor, quo ad ſpem vitæ animaret; conſortes fragilitatis mortalitatiſque noſtræ ad iter ſalutis excitos, debilitati infirmorum ſpeculum exempli aſſidue proponere voluit: quorum multi ad juſtitiam verbo erudientes plurimos, jam fulgent ut ſtellæ in perpetuas æternitates: plurimi exemplo ſuorum actuum, ad portum beatitudinis alios appulere, atque in domo Dei, qui ubique pro ſe laborantibus hilaris remunerator occurrit, ut eorum quiſque potuit, inſudavere.

3. Verum quia noſtri jam ævi inertia, quibus ex iniquitatis abundantia refriguit charitas, uſque adeo detorpuit, ut non modo non collaboret aut laborantes attendat, ſed nec olim in vinea noſtri patrisfamilias laborantium actus, qui nobis ſolatio conſcripti ſunt, perſcrutari curet; indeficiens largitas Dei ſemper invenit quos proferat: ut, ſi priorum negligimus lectionem, præſentium excitemur viſione. Quorum videlicet monumentum bonorum operum, etſi raros imitatores habet, decorum eſt habeat ſcriptores: quia manus Domini non erit invalida, ut per id aliquando aliquos ſuæ ſervituti adjiciat, in hoc inſiſtentibus mercede æternæ remunerationis ſalva: quam multi appetentes, ad profectum noſtrum, in quos fines ſæculorum devenerunt, non tantum viſa, ſed audita tranſmittentes, in domo Dei aurum, argentum, lapides pretioſos obtulerunt: & nos, qui pilos caprarum vix conſecuti ſumus, ad hoc applicuerunt, ut, ſi imitando ſequi tardi ſumus, tamquam ſi cæcus iter monſtrare velit, aliquem, qui imitari debeat & poſſit, deſcribere audeamus, & ſi digne non valemus, olim volentibus & valentibus ſtyli materiam præbeamus.

VITA INCIPIT.

Cadroæ genus. 4. REgii igitur ſanguinis, opibus eximiis vir quidam nomine FOCHERTACH fuit, qui divitiis & nobilitate ſimilem ſibi ſortitus eſt conjugem nomine BANIAM, quæ in flore juventutis ſuæ ex priore viro filios ſuſceperat, ſed poſt huic conjuncta, ſterilis permanebat: unde poſt multa Sanctorum ſuffragia, quæ ad piiſſimas omnipotentis Dei aures admoverat, B. Columbani cum viro ſuo adivit merita; nec ſuo voto eſt fruſtrata. Namque cum ad ſepulchrum ejus cum jejuniis & orationibus pernoctaſſent, vix obdormierant, & ſingulas ſe tenere candelas cum lumine indiſſimiliter videbant. Quas cum lætantes attenderent; ſubito in unum lumen compactas mirabantur: & ecce vir præclari habitus apparuit: Tuæ, inquiens, mulier, meam infecerunt ſtolam lachrymæ, & in conſpectu Dei aſtiterunt preces, & qui oranti Annæ conceſſit Samuelem, petentique Jacob conceptum dedit Rebeccæ, juſſit, ut concipias & parias filium nomine KADDROE futurum lumen Eccleſiæ, qui juxta nominis ſui virtutem bellator in caſtris Domini invictus aſcendet, ex adverſo opponens murum, paratus ſtare in prœlio pro domo Iſrael. Somno itaque exciti, cum gratiarum actione congratulabantur viſioni, nec incerti de promiſſa miſericordia, domum cum exultatione redeunt, quod talem ſuſcepturi eſſent prolem, fit commune gaudium.

Nutrici divinitus educandus traditur. 5. Interea concepit mulier & peperit filium, cui juxta Domini mandatum, Kaddroe impoſuit vocabulum. Fama nati pueri finitimas repleverat nationes; ut moris eſt patriæ, accurrit vulgus nobile, diverſum ſexu & ætate, unuſquiſque avidus puerum educare. Mater ergo tantorum nobilium, petentium ſcilicet cavens inimicitias; cui Deus juberet dari, reſpondit ſe ſubtrahere non poſſe. Forte ſtratu decubuerat, cum illi inter tantos ſomnus obrepſit, vixque leniter per membra diffuſus, videre fecit quaſi domum circumvolaſſe accipitrem, & omnibus ſemotis, matronæ cujuſdam vertici inſediſſe, Expergefacta dehinc circumſtantibus quid viderit narrat. Tunc vero communi omnium conſultu, matronæ nutriendus traditur: qui ſublatus in domum mulieris atque ablactatus eſt. Cujus pater jam in tenera indole futuram præſentiens induſtriam, ſæcularibus rebus innutrire tentabat.

Beani pro eo ſollicitudo. 6. Erat autem puero patruelis BEANUS nomine, ab ineunte ætate Chri-

Digitized by Google

ſti gaudens ſervitute, pervigil in orationibus, eleemoſynis intentus, ſervator ſui qui ſi fieri poſſet, omnes ad Chriſtum trahere volens, converſus ad Deum pro pueri ſalute totis incubuit precibus. Mox clementiſſima Divinitas affuit, atque in viſu ſenem (alloquens) a patre, puerum ad ſcholas repoſci juſſit. Paruit ſenex, & virum ſuper negotio convenit: abnegat ille & ſenem quaſi errantem riſit. Denuo rem repetere juſſus, patrem pueri repetivit, mandata pandit, utque puer ei qui dederat reddi debeat, inſiſtit. Tunc homo ægre ferre ſe a viro importune infeſtari, quæ nolebat repoſci, ſenem errare judicio, non poſſe ſe amittere filium ſibi per repromiſſionem in ſenectute matris generatum, baculum ſenectutis parentum, quem tanta familia expectabat Dominum. CIRCA AN. 975 6. Mart.

7. Itaque ſene recedente ſine effectu, viſitavit Dominus matrem pueri, concepitque iterum, & genuit filium nomine Mattadanum: adjecitque Dominus admonere ſenem. Vade, inquiens, dic patri pueri: Age homo, repeto abs te puerum juſſus a Deo, qui tibi ſubſtituit alterum illius loco: qui ſi noluerit, dic illi imminere iram divinæ animadverſionis. Nec mora, virum adiit, pro re allocuturus; cui renuenti, Acquieſce, inquit, ne contradicentem te invadat diſtrictio ſupernæ ultionis. Quod ſi me non juſſum ex meo dicere adſcribis; imminentis tibi iræ indicio, equus, qui tibi melior eſt, moritur. Mira velocitas: adhuc volvebantur in ore ſenis verba, cum puer ſtabularius equi interitum nuntiat. Quo audito irruit viro terror, diriguitque, & calor oſſa reliquit: tandem vero illacrymans, licet invitus cum matre pergens ad tumulum B. Columbani, infantem Deo, qui petebat, offerens, ſeni prædicto nutriendum tradidit. Suſceptum igitur puerum ſenex curavit, atque in divina lege, ut potuit, erudivit: jam infantia emerſerat & adoleſcentiæ proximus, acris ingenii acie coævos præibat.

8. Interea quidam peſtifero ſpiritu agitati nutritores olim infantis devaſtabant, qui virium reſiſtendi inhabiles, adoleſcentulum adeunt, ſuæ miſeriæ querimoniam pandunt: moris namque eſt patriæ, ut ſi quis nobilium infantem nutriat, deinceps non minus genitoribus ejus in omnibus auxilium exquirat. Ut autem juvenem in ſui adjutorio incenderent: Cum te, inquit, nutrivimus, ſi oves vel equos levaſſemus, harum lacte paſti equorum vehiculo melius hoſtium rabiem declinaremus, qui te præſente prædæ & vaſtitati ſuccumbimus. Forte Beanus aberat, cum juvenis commotus arma corripuit & ſocios inclamans, hoſtes inſequi deliberavit. Jamque ripæ fluminis inundantis, trans quem hoſtes erant, aſtiterant & navium uſus exquirebatur; & unus ex numero comitum ordine Clericus, cuſtos Juveni deputatus, ſeni reverſo renuntiat. Tum vero comploſis manibus in lacrymas reſolutas bonum te, ait, cuſtodem juvenis dereliqui. Nutricis bona vi repetere prohibetur.

9. Cumque ille non potuiſſe ſe reſpicere ſatisfaceret: Moras, ait Beanus, rumpe, & ut me præſtoletur, coge. At ille cum adoleſcentem cœptis non deſtiturum omnino diceret; ſenex proferens, quo ſolebat uti, Evangelium: Hoc, inquit, defer, & me ut opperiatur conteſtare. Præcedit Clericus mandata ſenis cum ſigno deferens, & licet lacrymantem & contradicentem in ripa ſtare compulit. Sequitur Beanus & cauſam iræ adoleſcentis exquirit: ille vero rem retulit, nec ſibi ajebat eſſe poſſe integrum, ut dolorem nutritorum pateretur manere inultum. At ſenex ejus efferos animos mitigabat. Illi autem non acquieſcenti ait ſenex: Supes hoc ergo exquire ejus voluntatem, cui promiſiſti fidem: & ut ſcire valeas, aperit librum, quem ab eo receperat, & verſum, quem primum invenit, arripuit. Erat autem: Si quis quod tuum eſt tulerit, ne repetas. Hoc autem cum ei non ſatisfaceret, denuo revolvit ſententiam, & incurrit juveni contraria, quæ erat: Omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt. Tertioque revolventi occurrit: Serve nequam omne debitum dimiſi tibi quoniam rogaſti me, nonne ergo opportuit & te miſereri conſervi tui, ſicut & ego tui miſertus ſum. Cumque his contradicere non poſſet, in pace cum viro Dei reverſus, lectioni & orationi vacabat attentius.

10. Quadam autem die, feſſa ſenex membra ſtratulo collocaverat, &

CIRCA AN. 975 6. Martii.

Hiberniam ſtudiorum cauſa adit.

Kaddroe cum ſociis haud procul quieſcebat; cum homini Dei Virgo apparuit, fulgore vultus fulgorem ſolis vincens: adeo annoſa, ut non putares eam noſtri temporis, licet videretur juvenis, ſeptiformi veſte induta, cui quidquid dici & cogitari poteſt intextum erat: quam ſenex miratus, quæ, & unde eſſet, inquiſivit. Tunc illa; Ego, ait, ſum, Sapientia, quæ habito in conſiliis, & eruditis interſum cogitationibus, & hunc veni mihi aſſumere juvenem. Viſio evanuerat ab oculis intuentis, & juvenis amore corripitur diſcendi: quem niſi ſæcularibus tradatur ſtudiis, moriturum putares. Intellexit Vir Dei, quod viderat, & paratis quæ viæ & ſcholis erant neceſſaria, adoleſcentem Hiberniam mittit *a*, qui apud Artmacham in piſtrino diſciplinarum ſe reclusit, non veritus poſt dogmata divina, mundanas literas quærere, ut his lucidius elimatus, quæ olim didicerat melius poſſet examinata proferre, cum legeret Platonem gentium philoſophum fama Jeremiæ accitum Ægyptum petiiſſe, atque cum eodem Propheta collatis verbis unum ſuper omnia Deum, quem antea ignorabat reperiſſe.

unde redux aliorum fit magiſter.

11. Inſtruitur itaque, & coævos contubernaleſque ſuos longe præcedens, gymnaſium ſapientiæ ipſa ductrice angulatim percurrebat. Quid ultra? quod Poeta cecinit & Orator dixit, quidquid Philoſophus cogitavit, expertus eſt: nihil illum fugit, quidquid numero, menſura, & pondere, tractus & auditu a quoquam veſtigatum eſt ebibit, ad ultimum, aſtrorum occultos tactu & curſus radio doctius Egino, quo neſcio an aliquis in cæli hierarchia probatior ſit, deſignavit: taliterque edoctus, æquore remenſo, ad Beanum rediit; & per totam Scotiam conſervis ſuis triticum ſapientiæ ſibi creditum, fideliter erogavit. Licet enim Scoti multa millia pædagogorum habeant, ſed non multos patres: in diſciplinis enim artium hic illos genuit. Unde quia labia ejus erudierunt plurimos, non ſociabitur ei afflictio. Nam a tempore adventus ſui nullus ſapientium mare tranſierat, ſed adhuc Hiberniam incolebant. Lætabatur ſenex juvenem proficere, & ad cuncta, quæ tentabat, neminem ſimilem habere.

Beanus de monaſtica Cadroæ profeſſione cælitus admonetur.

12. Interea præteribat tempus: utque Dominus adoleſcentem in viam ſalutis dirigeret; homo Dei deprecabatur: nec longinqua Dei miſeratio fuit, quæ ſe in veritate invocantes ſemper audit. Cumque una noctium vigiliis fatigatus, poſt hymnos membra lectulo collocaſſet, ut ſæpe mane incœptus & lætus eſt, ſomnus ſubierat ſenem: neque pleniter obdormierat, nec plene vigilabat, ſed quamdam in exſtaſim raptus, vidit magnorum virorum fieri conventum; quos admirans, aliquid magni acturos ſperabat. Tum illorum unus ceteris reverentior, Militiam, inquit, regis æterni a ſæculis ordinatam augere expedit, Voſque, ait ad reliquos, ex his qui hic quieſcunt juvenibus quoſdam aſcribatis, qui in conſpectu Imperatoris ſaltus dare debeant, ille, qui venit ſaliens in montibus tranſiliens colles, direxit: huicque, qui nos aſpicit, quid tranſilire debeant, oſtendere præcipit. Ducitur itaque Beanus, & videt tres terræ defoſſos ſpecus, quorum primus, & ſecundus non parvæ erant quantitatis, tertius altitudine nimii horroris, immenſæ latitudinis: hujus ulterior ripa plena ſplendoris erat & gaudii.

13. Quid ſibi hæc vellent, non cunctatur ſenex inquirere; reſponſumque eſt, hos debere juvenes tranſilire, ſi gratiam Imperatoris vellent habere. At vero ſeni periculum Kaddroe timenti, Ne inquit, magnificus vir ille, paveas: tranſilierit enim, licet diſpariliter; ſed iſte felicius præcedet, cui magis times. Et ne caſſam juſſionem exiſtimes, quid ſpecus ſignificent attende. Primus itaque rerum eſt ſpontanea amiſſio, ſecundus patriæ relictio, tertius monaſticæ vitæ exercitatio. Porro ripa illius exultationis vitæ perennis perceptio. Diſparuit ergo viſio, & ſenex excutitur lecto. Non multi poſt fluxerant dies, & ipſi a Domino dicitur Kaddroe: Exi de terra tua & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram quam monſtravero tibi, & conſtituam te ducem populi mei, atque ſuſtollam ſuper altitudinem nubium, & cibabo hereditate Jacob patris tui.

14. Ex-

a Hinc recte contra Colganum concluditur, Cadroem ex Hibernia oriundum non fuiſſe, cum illuc ſtudiorum gratia miſſus fuerit, ut ſupra in Obſervationibus prævìis jam annotavimus.

Digitized by Google

CIRCA AN. 975 6 Mart.

Cadroes patriam deſerit,

14. Expergefactus juvenis, amore corripitur peregrinationis, & relictis omnibus, viam peregrinandi ingreditur. Fama rem vulgaverat, & cunctos divites & pauperes mæror & luctus invaſit. Accurrit omnis ætas & omnis conditio, & velut exitium & vaſtitas totius Scotiæ appropinquaret, fit omnium lacrymabilis acclamatio. Cur nos Pater deſeris, aut cui laboris tui fructum derelinquis? Quare tibi peregre ire placuit, cum omnes advenæ apud Deum ſimus & habitatione cedar incolatum noſtrum (te docente) plangamus prolongari. Aſpice, quæſumus, fructum quem tantos docendo facere potes, & quibus neceſſe eſt opem ſcientiæ impertire. Numquid in Joannis viſione non attendis Patris æternum Verbum quid te moneat? Qui audit, inquit, dicat veni. Motus ergo his fletibus, aliquantiſper ibidem moratus, in ſemetipſum ipſe inſurrexit. Propter manabat amnis curſus validiſſimi, juxta quem ut crebro contingit, ſuccreverat moles cujuſdam arboris. Noctibus itaque ſolo Deo teſte illuc accedens, exutus veſtibus, in maximi horrore frigoris ſe mittebat in flumen: & ne vi fluctus in præceps rueret, manu tenebat quem arbori circumligaverat funem; & tamdiu ibi ſtabat quamdiu compleret a centeſimo octavo decimo, centeſimum trigeſimum tertium pſalmum.

Conſtantino Rege & parentibus fruſtra renitentibus.

15. Interea ruente hieme æquora detumebant, & propoſitæ peregrinationis denuo aggreditur viam. Tunc vero mæror & luctus iterum totam occupavit regionem; atque accurrentibus omnibus, Rex, qui præerat patriæ, Conſtantinus nomine, hominem retenturus accurit. Parte itineris jam emenſa, B. Brigidæ Kaddroe oraturus ſubintraverat ædem, cum e diverſis partibus accitum vulgus nobile & ruſticum complevit Eccleſiam: unum omnes petunt, ne deſerat patriam. Ad quos ille converſus, Regi & omnibus hoc tantum reſpondit: Vos, inquit, non deſeram, dum, ubicumque fuero, veſtram habebo memoriam. Tunc clamor populi attollitur, & ſanctorum reliquiis ante eum poſitis, eorum obteſtationi ut acquieſceret, rogabant. Ille vero ſi ad hoc, ait, ſanctorum reliquias attuliſtis, ut me a voluntate propoſita compeſceretis mecum eorum ſuffragia petite, ut utrum viam ſalutis aggreſſus ſim, dignentur oſtendere. Chriſtus enim cum relinquentibus patrem & matrem, fratres & ſorores, ſua præmia proponeret, nihil conſilii veſtri ſubintulit. Abrahæ quoqne, quia obediens Deo, exivit de terra ſua, & de domo patris ſui, reputatum eſt ad juſtitiam. Fruſtra itaque Regi cum plebe laboranti, & maxima quæque promittenti dum non acquieſceret; parentes ejus moti, tumenteſque cum jurgio: Si, inquiunt, precibus non valemus, ferreis vinculis & carcere cohibebimus. Hoc, ait, veſtræ eſt poteſtatis; verum quamdiu in vinculis ero, nullo modo bibam vel manducabo.

Itineri neceſſaria accipit.

15. Forte cum rege Abbas quidam, nomine Maikedarius advenerat; qui, ut æquus erat conſilio, Si, ait, virum hunc a voluntate propoſita non valemus avertere, prout quiſque poteſt auxilium viæ impendamus; ut remunerationis ejus laborum conſortes eſſe valeamus. Tunc omnes certatim auri & argenti, veſtium & equorum adjutoria impendentes, cum benedictione Dei dimiſerunt, & Regis ipſius ducamine, venit uſque terram Cumbrorum. Dovenaldus *a* Rex illi præerat plebi, & quia erat propinquus viri, cum omni gaudio occurrit, & ſecum aliquamdiu retinens conduxit uſque Loidam *b* civitatem, quæ eſt confinium Normannorum *c* atque Cumbrorum; ibique excipitur a quodam viro nobili Gunderico, a quo perducitur ad Regem Erichium *d* in Euroacum * urbem: qui ſcilicet Rex habebat conjugem, ipſius domini Kaddroe propinquam. Unde egreſſus, Lungdinam * civitatem expetiit, atque a quodam ſene, Hegfrido nomine, ſuſceptus manſit.

* York.

* Londres.

a De eo agit Matthæus Weſtmonaſterienſis ad annum 946 eumque Dummailium appellat.

b Henſchenius ad hunc locum notat ex Cambdeno, in Northumbriæ finibus trans murum Pictic͏um, ad Tripalli fluvii borealem ripam, ingentem ſilvam exſtare, vulgo *The foreſt of Louves*, hoc eſt Loydæ ſilvam appellatam, quod nomen ex urbe olim celebri huic loco forte remanſerit.

c Normanni hic intelligendi ſunt Dani, qui per Angliam effuſi, plura tunc temporis cum Anglorum Regibus bella geſſere.

d Hunc Iricium Willelmus Malmesburienſis lib. 2. cap. 7. Eiricum Rogerus Hovedenus appellat, genere Danum ac ultimum Northumbrorum Regem.

CIRCA AN. 975 6. Mart. Londini incendium extinguit.

17. Noctu itaque per incuriam urbs ipſa incenditur, & maxima jam parte conſumpta, quod ſupererat victrix flamma lambebat. Tunc vero Deus, quid Kaddroe apud ſe haberet meriti, declarare voluit. A ſene igitur rogatur, ut orando pereunti urbi ſuccurreret. Qui confiſus in Domino, inter ignem, & quod reſiduum erat currens, converſus ad Dominum, dixit: Tibi, Domine, omne quod eſt famulatur: Jube ergo terrores æſtuantium ceſſare flammarum. Hæc breviter dixit, elevataque manu, retro abire juſſit incendium. Videres flammam velut viventi retortam paulatim deficiendo, emori. Sic lætantibus omnibus civitas liberata eſt. Tua ſunt hæc opera, Deus, qui glorioſus in virtutibus tuis, ad gloriam tui nominis, qui olim in populum murmurantem exortum incendium, orante Moyſe, abſorberi juſſiſti; nunc per famulum tuum Kaddroe flammis urbem liberaſti.

Navim conſcendens, tempeſtate repellitur.

18. Fama tunc tranſvolans, & totam replens regionem ad Regem uſque, qui in Windecaſtra *a* civitate erat, Hegmundum nomine, devenit, qui continuo accerſitum hominem ad ſe venire petit, & aliquamdiu ſecum eſſe rogans, ejus colloquiis delectatus per Archiepiſcopum ejuſdem urbis, Otthonem *b* nomine, in portum uſque, qui Limen *c* dicitur, deduxit. Ibi igitur conſcenſis navibus cum in altum irent vento excito littori revocantur: iterumque mare tentantes, pæne cum naufragio, littori ſunt reſtituti. Putaſne lector & auditor Deum nolle, ut homo iſte mare non tranſiret? nonne Paulus ad coronam Romam navigans, naufragium, hiemem, & famem vix evaſit?

Bononiam appellit,

19. Turbatis omnibus, Kaddroe meror invaſit: irruenſque nox clauſerat diem, & ipſe mærore & jejunio confecta membra in lectum compulit. Aſſiſtens ergo vir, eum ita affatur: Hi, inquit, omnes qui tecum ſunt, mare tranſire non poterunt, ne tibi in via Dei quam intraſti, moleſtiam inferant. Nepotem itaque tuum & aliquos ſecum redire ſuade; & tunc mari emenſo, ulterior te lætum ripa excipiet. Exſurgens igitur viſionem ſociis retulit, & juvenem dictum, dato vehiculo & ſumptibus, redire præcepit: Sicque ſolventes navim plenis velis portum Bolonienſem appulſi ſunt, & per terram iter agentes Parronam monaſterium advenerunt; ibique domnus Kaddroe Domini clementiam & beati Furſei *d* merita implorat ut ſibi commorationis locum

S. Furſei ſepulchrum viſitat.

oſtendat. Nocte autem veniente adeſt ei in viſu B. Furſeus. Quem cum ille, quis eſſet, inquireret, nomen edicit: ſe ab eo invocatum veniſſe pandit, &, ut locum mutare debeat, præcipit. Non longe erat matrona Herſendis *e* nomine, nobilitate & opibus inclyta, ſanctæ devotionis ardore plena. Et quia erat ſterilis, ſi quos inveniret ſanctæ peregrinationis viros, ſuſcipere cogitabat, eiſque benefacere, propter nomen Domini Salvatoris.

ab Herſinde exceptus.

20 Audito itaque peregrinorum adventu, mox adeſt exorans & ſuadens, ut ad ſe dignentur venire, qui cum ſe locum a ſæculo eis paratum dixiſſent quærere, ubi labore manuum ſuarum viventes Domino poſſent ſervire; gaviſa illa oſtendit eis locum in ſilva Theoraſcenſe ſacrum B. Michaelis *f* ex nomine. Quem cum habilem ſuæ voluntati dilexiſſent, & a matrona eccleſia ampliata domibuſque conſtructis manerent communi conſilio, erant enim tredecim, ſtatuere, ut domnum Kaddroe ſibi dominum & patrem eligerent. Ad quod cum nullomodo cogi poſſet, conjunctis ſecum aliis, Machalanum *g* virum ſummæ bonitatis, & ſuæ ſocium peregrinationis, ut ſibi imperare debeat, efficiunt. Ibique diu ſic habitantes, matronæ prædictæ beneficiis aliti ſunt.

Inte-

a Wigorniam *Voorcheſter* interpretatur Colganus; melius Henſchenius Wintoniam, *Voincheſter*; hæc milliarium fere 70. a Londino, illa 50. circiter intervallo diſtat.

b Errat hic vitæ ſcriptor, qui Otthonem Wintonienſem Archiepiſcopum appellat, cum nullus unquam in ea civitate Archiepiſcopus fuerit. Odonem, Cantuarienſem intelligendum putamus, cujus Odonis vitam ſupra retulimus

c Celeberrimum hunc portum fuiſſe notat Cambdenus, donec eum arenæ quas mare evomit, obſtruxiſſent. Antoninus, & Auctor notitiæ imperii Portum Lemanis appellant, triginta paſſuum millibus a Londino, octo a Cantuaria diſtantem.

d De beato Furſeo egimus in Sæculo 2. ad annum Chriſti 650.

e De Herſinde vide quæ infra dicemus in Elogio ſancti Maccalani, ad annum Chriſti 978.

f Perſtat etiamnum ſancti Michaelis cœnobium ſub religioſa ſancti Vitoni Congregatione.

g Machalani ſeu Maccalani obitum ad annum 978. refert Appendix ad Chronicon Frodoardi, quo anno de eo agemus.

Digitized by Google

Interea devotionis deſiderio creſcente, monaſticæ Religioni cœperunt aſpirare. Unde cum voluntate Dei, domina illa Machalanum Gorziam, ſcilicet diſciplinatui venerabilis Agenaldi *a*; Kaddroe vero Floriacum ubi Erkembaldus *b* vir magnæ religionis præerat, direxit. Ambo ergo quod cupierant aſſecuti, Machalanus apud patrem Agenaldum monachum profeſſus eſt: Kaddroe vero die converſionis Pauli Apoſtoli apud Floriacum coram domino Erchembaldo habitum & animum monachalem induit.

CIRCA AN. 975. 6. Martii. Floriaci monachum induit.

21. Emenſo itaque tempore ſæpe dicta matrona Gorziam miſit, omni affectu domnum Agenaldum orans; ut Machalanus ad locum olim electum poſſet regredi reverſuſque locum, quem ſuſceperat, gubernabat. Erat autem locus ſupra Moſam fluvium priſco vocabulo Walciodorus * nominatus. Huc illum advocans, monaſticum Ordinem inſtituit, domnumque Kaddroe a Floriaco reductum, omni conamine renitentem, Præpoſitum ordinavit. Multi non fluxerant dies, cum videret Machalanus utriuſque loci curam vires ſuas excedere, ſalubri conſilio multorum petitionem ſibi jungens, domnum orabat Kaddroe, ut nomen Patris in loco Walciodoro non recuſaret ſuſcipere. Expavit homo ſtupore vehementi, & ultra quam credi poteſt, reluctans abnuit. Illis autem inſiſtentibus, ne pro humilitate ſcandalum fratribus faceret, Rege tunc, poſt Auguſto, Ottone cogente, vix acquievit, ut ſuſciperet nomen Abbatis.

tum ſit Abbas Walciodori.

* Waſor.

22. Præconio igitur ſanctæ converſationis nomen ejus longe lateque crebreſcens, multos ad agonem ſanctæ Regulæ advocabat. Gaudebant multi ex naufragio ſæculi portum monaſterii contingere: inter quos ad Chriſtum nobilis, Girerus nomine, confugiens, militiæ cingulum ſolverat, & Monachum profeſſus in monaſterio militabat. Moris eſt Monachorum ſibi ſub charitate devote invicem ſervire. Unde iſte cum ſocio ſuo coquinæ officio juſſus fuerat inſudare: quod cum libenter exciperet, ut aliquid operis ageret, cultrum qui propter jacebat, arripuit, moxque ſpiritu nequitiæ ſe admiſcente, manum ſuam feriens, gravi vulnere cruentavit. Currens ergo, & ad patris Kaddroe veſtigia provolutus, damnum, quod fecerat, manum cruentam oſtendens, indicavit: cui Pater compaſſus, ſuper locum vulneris ſigno crucis edito, ad officium injunctum abire præcepit. At ille cum benedictione diſcedens, recedente dolore, manum ſubito miratus eſt priſtinæ redditam ſanitati, reverſuſque pro adepta ſanitate gratias referebat: ſed vanæ gloriæ inimicus, ne cui diceret, imperavit.

Monachi vulnus ſanat.

23. Prædicta præterea matrona ſancto ardens deſiderio, exceptis his, quæ commemoravimus locis, locum quemdam Bucceleum *c* nomine, a fundamentis in honore B. Petri erexerat, atque ad Deo ſerviendum, Virginum chorum ibidem aggregaverat; inter quas ſpiritus erroris unam præſumpſit & agitabat. Ut fera igitur corripitur & in vincula conjicitur. Cauſa extitit qua pater Kaddroe locum viſitaret: occurrunt cum gaudio & ſuſceptum patrem venerantur, atque inter cetera ſororis infortunium pandunt, utque captivæ ſubveniret precantur. At ille audiens, graviter doluit, & contra antiquum hoſtem fidei ſcutum arripuit. Interea ſole ruente, dies clauditur, & ei ſtratus in quo quieſceret, in domo juxta eccleſiam ab ancillis Dei præparatur. Sene itaque quieſcente, ſano conſilio miſera adducitur, & in domo illa ponitur. Spiritus autem nequam, ſe poni, quo nolebat dolens, cellam clamore per os puellæ compleverat; cum pater Kaddroe excitus, & inquietudine commotus, increpanſque ſpiritum: Diſcede inquit, funeſte, diſcede, & plaſma Dei agitare deſiſte. Mirum dictu! vix vir Dei verba compleverat, & ſpiritus impurus dato rugitu per fœdas corporis partes fluxus ven-

ſanctimonialem dæmonio liberat.

a De Agenoldo Gorzienſis cœnobii inſtauratore fuſe actum eſt ſuperius in actis B. Joannis Gorzienſis poſt eum Abbatis.

b Erchembaldus Abbas Floriacenſis, ſancti Benedicti cœnobio ad Ligerim, poſt ſanctum Odonem Cluniacenſem, qui anno 943. deceſſit, præpoſitus eſt, quo in regimine 15. circiter annis perduraſse videtur. De eo ſuperius.

c De hujus monaſterii erectione, vulgo *Bucylli*, quod Præmonſtratenſibus jam ceſſit, conſule Chronicon Walciodorenſe tomo 7. Spicilegii, pag. 522.

CIRCA AN. 975 6. Mart.

tris expulſus, fætore intolerabili cellam replevit. Quid eſt, maledicte diabole ut ſuper aſtra cæli tuum exaltares ſolium, qui ſuper terram loquentem ferre hominem non audes, vermem & cinerem futurum! Bene tibi contigit, ut qui gloriabaris tuo conſilio hominem deceptum a patria exſulare, peregrinorum a pervaſis ſedibus Verbi ejiceris poteſtate.

Ab Adalberone accitus Mettas,

24. Rumor igitur ubique nomen ejus detulerat, & de virtutibus viri omnes gentes narrabant. Adalbero *a* Præſul nobilis nobilem Mettenſium nobiliter gubernabat cathedram. Cumque e diverſis partibus multa ad eum perferret fama, hujus quoque viri nomen detulit: & ut erat amator Religioſorum, venerabiles viros Agenaldum & Anſteum ad ſe advocatos, de viro interrogavit, & quomodo ad eum perveniat, inquirit. Venerabiles jam igitur dicti viri, deſiderio domni Pontificis reſcito, ſæpe virum Dei ſuper eo alloquuntur. Sollemnis erat dies, qua B. Martyris Gorgonii *b* agebatur feſtiva memoria, & undique confluentibus populis, ipſe quoque homo Dei Kaddroe advenerat. Nacti itaque locum, ei Præſulis voluntatem exponunt, & ſuas preces ante eum proſternentes, ut ſecum dignaretur manere, expoſcunt. Sed quis eorum non diligeret in terris ſocietatem, qui in cæleſtibus caſtris jam meruerant æternam dignitatem? Precibus ergo ſupplicantium evictus conſentit, & locum non longe ab urbe Mettenſi poſitum *c*, & multorum ſanctorum corporibus & reliquiis inclytum, ſed tunc jam ad nihilum redactum, ſuſcepit commendatum.

S. Clementis monaſterio præficitur,

Vualciodoro relicto.

25. Et quia ut jam diximus, curam ſuſceperat animarum; quoſdam ſecum a Walciodoro adduxit, & his, qui remanſerant ſecundum voluntatem illorum Patrem præfecit *d*: qui licet poſtea a via rectitudinis exorbitaverit, non multum ad illum pertinuit: nam Dominus, cum per Ezechielem de non converſis impiis loqueretur, ait: Fili hominis ſpeculatorem dedi te domui Iſrael, audies ergo ex ore meo verbum: & annuntiabis eis ex me. Si autem tu annuntiaveris impio, & ille non fuerit converſus a via ſua impia, ille quidem in iniquitate ſua morietur, tu autem animam tuam liberaſti. Suſcepti igitur loci curam agebat, (quem ut ex) ruinis cineribuſque elevaret, ut poterat, ſatagebat. Viſitabatur in dies a civibus, accurebant viri cum mulieribus: quibus ille, ut erat in Domino diffuſus charitate, verba vitæ, conſilium animarum ſtudebat impertiri: quis enim ad eum mæſtus venit, & lætus non redivit? quis ejus bonitatis ſuavitate non uſus eſt? clericorum, monachorum virginumque chori hunc, ut patrem colebant, venerabantur, amabant: quo enim illorum in via ſalutis ſcandalizante, dolore compaſſionis non uſtus eſt? ſollicitudo illi quanta erat pro periclitantibus, & infirmantibus cura? Damno alterius illum affici putares, cum gaudio alieno velut proprio tripudiaret.

Jejunium in via ſervat.

26. Interea contigit, ut Walciodorum viſitaret, & labente tempore B. Gorgonii Martyris annua remeabat dies, utque ipſe occurrere poſſet cum Wltmaro *e* Gandenſis cœnobii, cumque Aledrando Gemblacenſis *f* monaſterii Abbatibus repedabat, jamque Brieum caſtrum præteribat, & maturius quam ſenex ſoleret, ad epulum ſuadebant: quibus cum vir Dei non conſentiret forte locum amœnum herbis aquiſque irriguum peragrabant. Si inquiunt jejuni hinc eximus, aquæ penuria diutius jejunabimus. Ad quos Dei homo converſus, fratres, ait, ſcriptum eſt: Væ terræ, cujus Rex eſt puer, & cujus Principes mane comedunt. Aquæ hic & ubique in manu Dei ſunt, qui timentitibus

a Primus ſcilicet ejus nominis, qui erga ſancti Benedicti ordinem mirifice propenſus, Gorziam, aliaque cœnobia ad ſtrictiorem obſervantiam auctoritate & beneficentia reduxit.

b Apud Gorzienſes ſollemnis erat Gorgonii cultus 5. Idus Septembris, ut jam annotavimus in Sæculi 3. parte 2 ubi hiſtoriam Translationis ejus edidimus.

c Eccleſiam ſcilicet ſancti Felicis ſeu Clementis, quæ tunc extra urbem poſita, dilatato poſtea pomerio, intra civitatis mœnia concluſa eſt. Vide infra num 32.

d Hic ille eſt, ni fallor, Godefridus, quem male poſt Immonem collocat Chronicon Valciodorenſe, qui Godefredus ex Remenſi ſancti Remigii monaſterio aſſumptus, ob ſuperbiam pravumque regimen a monachis ſuis Abbatiali dignitate dejectus eſt.

e Vvomarum appellat ſancti Bavonis Chronicon, ejuſque regimen aſſignat ab anno 955 ad ann. 982 Obiit 5. Kal Septemb.

f De Gemblacenſi cœnobio, vide quæ ſupra diximus in obſervationibus præviis ad vitam S. Guberti, ad annum 962.

Digitized by Google

buſ ſe, nihil promiſit, defuturum. Conſentiunt inviti & aliquantiſper eunt jejuni. CIRCA AN. 975

6. Martii.

27. Hora refectionis aderat, & partem cujuſdam prati ſubintraverant. Tunc vir ſanctus, ut erat vultu hilaris: Ecce, inquit, domini & fratres, locus noſtris uſibus habilis. Cumque ſe aquæ uſus non habere quererentur, ſciens homo fidere: Nolite, ait, deſperare; potens eſt manus Domini ſervis ſuis aquam dare, qui querimonioſæ plebi in ſolitudine inaquoſam rupem ſiccam aquam juſſit manare. Propter jacebat ſcirpoſus ceſpes, quem vir domini adiens circum foſſum juſſit levari: parentibus itaque aderant, & ceſpitem eruentibus, aqua ſecuta eſt. Sed cum prædicti viri inferius ſedentes, ſanctum Domini exſpectarent, & quod fecerat ignorarent; jamque in hoc eſſent, ut manus & quæcumque neceſſe erant, vino diluerent, murmure delabentis ad ſe rivi commoti, aquæ abundantiam ſunt mirati. Qui fons uſque hodie permanens, teſtatur quid Kaddroe apud Deum meriti habeat. Ad ſocios ergo reverſus, cum mirantes factum laudarent, Dei, ait, Omnipotentis clementia hanc veſtræ charitati miſit aquam, ut noverimus Chriſtianam paupertatem ſemper eſſe divitem. Sumptis igitur epulis, iter cœptum explent.

Fontem mirabiliter educit.

28. Præterea loci commiſſi cauſa exigebat, ut comitatum *a* adiret, ac Fredericum *b* tunc Ducem alloqui deberet: qui cum a viro Dei in deſignato loco quæſitus & inventus eſſet, venienti cum omni humilitate exſurgens, ut ſervo Dei occurrit. Viro autem ſancto ſe officioſiſſime reſalutante, cum in mutuis amplexibus ruerent, putans homo Dei ſe aliquem ſuorum ſequi, baculum, quem manu tenebat, retro porrexit: quem cum nullus eſſet, qui ſuſciperet, per feneſtram lucebat, ut ſolet contingere, radius ſolis, qui videlicet ruentem baculum, velut elementum aliquod ſolidum ſuſcepit & ſuſtinuit, ut videres elementa ipſa Kaddroe velle famulari. Quid vero mirum, ſi amico Dei creaturæ ſerviant, cum ejus inimicos, terræ ſemina paſcant, quæ cælis veniens pluvia nutrierat. A ſæpe dicto etiam loco Walciodoro ſcilicet Mettin pergebat, & ſecum juvenem, quem ipſe nutrierat, comitari juſſerat. Qui cum fere in medio itineris oculum graviter dolere cœpiſſet, ab eo ſigno crucis ſuper ſe edito, dolorem mox ſanus effugiſſe lætatus eſt.

Alia miracula.

29. Idem quoque juvenis febribus quatiebatur, & fere emenſo anno, vi adverſæ valetudinis toto jam corpore effæto, laborabat: nihil miſero febris præter ſpeciem hominis reliquerat; conſumptis carnibus, oſſibus cutis adhæſerat. Interea vir ſanctus, ut in Domino ſemper miſericordiæ viſceribus affluebat, compaſſus juveni, forte ſibi illum conſidere juſſerat, & manu pateram cum potu tenebat, ex qua cum hauſiſſet quidpiam, reliquum juveni porrigit, &, ut in nomine Domini ſecurus bibat, præcipit; moxque ut infirmus ille potum hauſit, febribus fugatis, redditus ſanitati eſt, atque adhuc teſtis eſt *c* factæ in ſe clementiæ. Lazarus quoque Scotigena monachus, cum viro Dei in monaſterio habitabat. Hic infortunio graviſſimo tactus ad extrema tendebat: quadam autem die cum nimio febris æſtu ureretur, dolore ad præcordia redeunte, in ultimo ſpiritu poſitus, non jam vicinitatem, ſed præſentiam mortis ſe evadere deſperabat. Cum ſanctus vir accurrit; terræ cubantem reperit; quid ageret, inquiſivit. At ille virtute, qua potuit, ſe morti proximum reſpondit; quem Sanctus, manibus contrectans, & ſigno crucis muniens, ut lectulo parum quieſceret, imperavit. Nec mora, æger convaluit, & robore recepto, in pedes ante mirantium ora incolumis aſſurgit, &

Febrim pellit.

a Hic perperam, meo quidem judicio, per *Comitatum* intelligit Henſchenius Ducatum Lutzemburgenſem, qui ſolo Comitatus nomine tunc gaudebat: nec veriſimilior Colgani ſententia, qui de Barrenſi Comitatu circa annum 970. inſtitui cœpto interpretatur: quis enim eo ſimpliciter verbo caſtrum nullius eatenus nominis denotaret? propius ergo fidem eſt ut aula Principis per *Comitatum* hic denotetur, quo ſenſu apud auctores paſſim hæc vox uſurp tur.

b Hunc Fredericum Lotharienſibus præfecit anno 959. Bruno Colonienſis Archiepiſcopus, ac Ottonis Magni frater, ut narrat Frodoardus in Chronico ad eumdem annum.

c Hic manifeſte ætatem ſuam vitæ auctor denotat, qui juvenem a ſancto Cadroe educatum & febri liberatum, adhuc ſuperſtitem, dum hæc ſcriberet, fuiſſe dicit.

Digitized by Google

CIRCA AN. 975 6. Martii.

& quam propinquæ benigniſſimi Jeſus aures precibus Kaddroe eſſent, oſtendit: nam, ut Scriptura ait, Voluntatem timentium ſe faciet, & deprecationem eorum exaudiet. Quid enim vir iſte niſi voluntatem Dei faceret: cui tantum Chriſtus in ore, pax ſemper in corde erat.

Ejus virtutes ac præcipue charitas.

30. Humilitatem in eo laudare neceſſe non eſt, pro qua jam Dei conſecutus eſt gratiam. Quantæ ſobrietatis fuerit, nulli mandamus ſermoni, quia ſtilus materiæ victus ſuccubuit: parcitas ejus frugalitatis raros forte imitatores habebit: patientia ei ultra humanum modum fuit. Ceterum charitas, quæ eſt juxta Apoſtolum vinculum perfectionis tanta in eo reſplenduit, ut niſi videris, non credas. Ut autem ex hac aliquid ſub exemplo dicamus: Joannes *a* Abbas Gorzienſis cœnobii columna in templo Dei (cujus mortem, ſicut neſcio quis ait, Pœnos gemuiſſe leones, monteſque, feræ, ſilvæque loquuntur) gravi inæqualitate corporis correptus lectulo decubabat: & quia erat vir inenarrabilis abſtinentiæ, aridis cibis, ut ſolebat ſanus, imbecilles artus, cogente ſpiritu, excruciabat. Pater Kaddroe, hoc audito, charitate ducente Gorziam pervenerat, & neſciente homine, quod cum Eccleſiæ filiis edere poſſet, carnium ſcilicet edulium parari juſſerat, & veniente hora refectionis poſita eſt coram eis menſula. Cumque illatos cibos Joannes horreret attingere, ſciens Kaddroe quia charitas non quærit quæ ſua ſunt, qui jam olim parcitatis amore ſaltem ovum non contingere ſtatuerat, carnes ſuſcipiens, comedebat. Quod cum vir Dei Joannes vidiſſet, jam non valens ejus juſſui contraire, infirma membra, quoad convaleſceret, refocillavit. Quid ergo? nonne charitati Chriſti in hoc quoque Kaddroe deſervivit? inde ad monaſterium reverſus, rigore abſtinentiæ contra ſpirituales nequitias ſcutum recepit.

cum Joanne Gorzienſi Abbate ægrotante.

carnes ſanus manducat.

Signo crucis dæmonium fugat.

31. Eſt locus Mettis ſacer nomine B. Petri *b* in quo multitudo virginum Domino pro poſſe ſuo ſervit. His præerat Mater nomine Helvidis omni actu & converſatione ab ipſis cunabulis pæne incomparabilis. Sub hujus beata cura, quædam erat domina occulta dæmonis infeſtatione vexata, quæ, ubicumque eam apprehendebat, in terram eliſa, ſtridens dentibus, & ſpumans areſcebat. Contra hanc igitur nequam ſpiritus infeſtationem jam dicta illarum ſororum Mater auxilium B. Kaddroe invitat, qui paratus omni petenti ſe tribuere, cum domino Udone qui ad ſe tunc venerat, ad locum vadit. Cum vero in Virgine erroris ſpiritus non poſſet cohiberi, medicus ille in Deo fiſus, ſus, ad lectum patientis cum illo familiari ſuo, in crucis nomine acceſſit. Et quia id genus inimici non niſi in jejunio & oratione valet ejici, ut Kaddroe jejuniis & orationibus armatum vidit, ab ancilla Dei exiens ingemuit, & eam ultra repetere non tentavit.

Adelberoni ſuccedit Theodericus.

32. Adelbero opinatiſſimæ ſanctitatis Præſul cum poſt triginta quinque annorum curricula, curſu ſuæ adminiſtrationis expleto, cælicas receſſiſſet ad ſedes *c*, Theodoricus vir Imperatorii generis, ingenii ſingularis, ad Epiſcopatus cathedram, ut erat jam a Deo ex nomine vocatus, communi omnium acclamatione acceſſit: qui ut nobilitatem ſanguinis morum honeſtate vinceret, licet occupatus ſæculi negotiis (neque enim aliter poterat tantæ conſulere urbi) intentionem ſui animi circa ſanctorum memorias, locoſque conſtruendos & reſtaurandos verterat: quare undecumque poterat, ſanctorum corpora & reliquias in ſuam diœceſim transferebat: ſervorum Dei amabat colloquia, conſortia diligebat. Unde amore Dei, dominique Kaddroe qui eum unice dilexerat locum B. Felicis, *d* his, quibus hodie uſque in eo Chriſto militantes utuntur,

qui ob ſancti amorem multa monaſterio largitur.

---

a Illius vitam exhibuimns ſupra ad annum 973.

b De beati Petri monaſterii primordiis diximus in Sæculo 2. ubi ſanctæ Waldadæ elogium texuimus, Porro Helvidis, de qua hic ſermo, alia videtur ab altera cognomine, quam ad annum Chriſti 1160. referunt Sanctamarthani; niſi forte in aſſignanda hujus Helvidis ætate error ipſis obrepſerit, quod non raro accidit, maxime quia ex Necrologiis, in quibus ſolus obitus dies annotari ſolet, catalogos ſuos conſarcinarunt, ut plurimum, ſicut notat Henſchenius.

c Obiit Adalbero Mettenſis Epiſcopus anno 964. *cui*, ut habet Sigebertus in Chronico, *Deodericus conſobrinus Ottonis Imperatoris, Epiſcopus ſubrogatus eſt*.

d Monaſterium ſancti Felicis, quod nunc S. Clementis dicitur, non Felici Nolano Presbytero, ut opinati ſunt Sanctamartani, ſed Felici tertio Mettenſium Epiſcopo ſacrum fuit, in cujus etiam eccleſia eum tumulatum fuiſse tradit Meuriſſius in hiſtoria Epiſcoporum Mettenſium.

Digitized by Google

tur, beneficiis auxit, & prædiis, ipſumque beatum virum ac ſi Patrem venerabatur, atque ad ſe crebro vocatum, quia ſpiritum conſilii virum ſciebat habere, audiebat, & ejus charitatis orationibus ſe attentius committebat, quas Deo placere, tantarum virtutum teſtimonio comprobarat.

CIRCA AN. 975 6. Mart.

33. Ex quibus jam multis ſatisfeciſſe putaremus, niſi curioſorum, qui ſanctitatem in virtutum æſtimatione ponunt, ſcandalum vitaremus. Neque vero deeſſet de viro hoc unde eis ſatisfieri poſſet: ſed pauca de pluribus ideo loquimur, ne lectoris faſtidio arguamur. Charitas compulſit hunc virum Dei, ut jam dictam virginum Matrem apud locum, qui Corruptala dicitur, morantem viſitaret: qui cum improviſus adveniſſet, & Dei jam nominata ancilla ſe uſibus hominum, qui cum tanto viro venerant minus in promptu carnes habere diceret; virque Dei eam ſuper hoc anguſtari comperiſſet, ad ſe vocat; Confortare, inquit, in Domino, & in potentia virtutis ejus; eique confitere, qui aperit manum ſuam, & replet omne animal benedictione: poteſt namque dare, quod deeſt nobis, in ſe fidentibus, qui olim quereloſam domum Jacob in deſerto coturnicum ſaturavit carnibus. Cum verbis viri ſancti canis cervam inſequens rupe, quæ contigua eſt monaſterio, deturbavit, ſicque fractis cruribus, uſibus viri Dei ſervitium exhibuit, & ancillam Dei præſenti anguſtia liberavit.

34. His itaque & talibus refulgens virtutibus & quotidie diſſolvi & cum Chriſto eſſe cupiens, non longe ſui obitus diem fore a Domino audivit. Interea Adeleidis Auguſta * *a*, invicti Ottonis Auguſti genitrix, ſancto accenſa deſiderio, ut omnes, quos Religioni amicos noverat, hunc quoque beatum virum ſincero amore diligebat. Italiam igitur petens, ad locum in ripa Rheni fluminis ſitum, & Neheriſteim appellatum advenerat. Unde legatos Mettim dirigens, virum Dei Kaddroe ad ſe venire charitatis gratia exorabat. Conventus ſæpius a legatis atque a Domino Deoderico *b* Præſule coactus; licet finem dierum ſuorum non ignoraret, ob charitatem, quæ ſcilicet omnia ſuffert proficiſci non recuſavit; bonum vitæ ſuæ finem ſe conſequi æſtimans, ſi charitati inveniretur deſevire. In via vero poſitus fratres quoſdam ſecum comitantes advocat, & ſui reſolutionem imminere denuutiat: quos cum gravis mæror invaderet, quia omne conſilium perderent; conſolans, ait: Magni conſilii „ angelus vos, fratres, non deſeret, niſi eum forte vos relinquatis. Man„ data Dei omni aviditate ſuſcipite, opere explete, & ille vos diriget in „ viam ſalutis æternæ. Ceterum corpuſculum meum, ſi quis apud vos eſt „ locus mearum precum, ad monaſterium referte, ibique ſepulturæ manda„ te: ſi autem Auguſta me aliquantiſper retinere tentaverit, vos quæſo, ne „ fiat adverſa te, nam ſi contigerit illa præſente me de vinculis carnis ex„ ire, jam ſciat charitas veſtra corpuſculum meum monaſterii ſepultura „ privari. De cetero poſt exceſſum meum, ſi quid cum conſultu agere vul„ tis, ſunt apud vos viri boni conſilii, quos ſemper conſulite: & matrem „ Helvidem ne obliviſcamini, quia, juxta ſenſus mei, parvitatem, „ in ſexu illo numquam ei ſimilem reperi. Domnum Pontificem, & cete„ ros amicos ex me ſalutate pro charitate Chriſti, ut apud Deum pauperi „ animæ meæ ſuccurrant exorate.

Adeleidis Cadroem ad ſe accerſit.

Is obitum ſuum prædicit:

35. Venit interea ad Auguſtam: quæ cum virum advenire audiſſet, cum ingenti lætitia accurrit, & ſuſceptum officioſe ſalutavit. Vir autem Dei cum Auguſtam inquireret, dicens: Noſti, domina, quare huc venerim? illaque reſponderet: Pater charitatis amore adveniſti. Homo Dei, ut erat jucundi vultus, ſubintulit: Charitas quidem cum me huc compelleret, ipſa quoque neceſſitas, ut licentiam veniens peterem, imperavit. Quæ videlicet licentia, quid

ab Auguſta excipitur.

a Fuit hæc filia Rodulfi Regis Burgundionum, & dominæ Berthæ Reginæ, ut habet Abbas Uſpergenſis in Chronico, quæ Lotharii (is filius Regis Hugonis erat) relicta, Ottoni magno ob magnas animi dotes anno 951. nupſit.

b Epiſcopatum tenuit Deodericus ab anno 964 ad 984. ut diſerte ſcribit Sigebertus in Chronico: unde patet longius a vero recedere eorum ſententiam, qui ſancti Kaddroe obitum ad annum uſque 988. aut etiam 998. differunt, quo tempore jam dudum deceſſerat Deodericus, quem tamen, ex hoc loco, ſancto Kaddroe ſupervixiſſe evidens eſt.

Digitized by Google

Circa an. 975 6. Martii. quid vellet, ille quidem noverat, ſed Auguſta minime advertit. Cum vero quatriduum vel amplius cum Imperatrice feciſſet, & femina ſanctæ devotionis eum dimittere nollet, ſed ut ſecum aliquamdiu maneret ſuis & Epiſcoporum præſentium precibus exigeret, converſus ad fratres: *Eja*, inquit, fratres agite, & quia corpuſculi mei reſolutio prope eſt, exire ſatagite: nolite acquieſcere precibus, ſi meum ad monaſterium vultis referre corpus. *Jam* quatriduum fluxerat, & Auguſta, ut ſecum adhuc biduo maneret, inſiſtebat: conſentit igitur invitus licet, utque petitus fuerat, biduum explet: fit ingens gaudium, quod ad hoc uſque Dei compuliſſent virum: prandii venerat hora, & regni Proceres cum Imperatrice ad epulas diſcumbebant. Cum inter prandendum ibi ignis accenditur plurimus, ne quid forte diſcriminis fieret incendio, multi tectum & laquearia ſubjecerant domus.

Reditum in monaſterium urget.

Hominem ex alto lapſum ſanat.

36. Ecce autem unus incaute tabulato innixus, lapſo pede ad terram ruit, ubi tanta erat fabricæ altitudo, ut non modo crura frangere, ſed toto corpore diſſipari potuiſſet. Exortum itaque tumultum Auguſta compeſcuit, utque homo in domum in qua Kaddroe hoſpitabatur, portaretur imperavit. Illatus itaque, & a viro Dei ſignatus, ut potum ab eo meruit, integerrimæ eſt redditus ſanitati. Percrebruit apud Palatinos ſermo, & viri Dei nomen per ora tollitur omnium. Quod homo Dei comperiens, moleſteque ferens, ne inde quiſquam amplius loqueretur, vix obtinere potuit. Et expleto biduo, cum ad monaſterium regredi vellet, jamque Auguſtæ licentia longe aliquantulum diſceſſiſſet, repente febre corripitur, & mox viribus corporis deſtituitur: convocatiſque fratribus, iter accelerare imperat, ut ſi fieri poſſit, monaſterium vivens repetat. Sed Deo jubente, qui *conſtituit terminum hominis, qui nullo modo præterire poterit*, jam ſenex emeritus, poſt ſeptuageſimum vitæ & trigeſimum annum peregrinationis ſuæ, cæleſte capitolium, hominem exuens, a remuneratore laborum ſuorum perpetuo coronandus, intravit.

In itinere moritur.

Poſt mortem cuidam apparet.

37. Componitur, ut moris eſt, in feretro; & neſcio quæ occaſio ejus corpus verterat in latus: propter frater quidam feſſus accubuerat, cui apparens: Frater, ait, cur me, quam negligenter in lectulo poſitus ſim, non attendis? Expergefactus ille cum perquireret, ut diximus, ita, jacens corpus reperit: ut petitus fuerat, emendavit. Fratres, comites ſcilicet ejus itineris mærore pleni, ad urbem lamentabilem nuntium dirigunt. Credi non poteſt quis mæror totam urbem corripuit: procedunt certatim, & obviam corpori, innumera multitudo ex urbe, oppidis, & vicis, & agris ruit: una vox mærentium pariterque plangentium. Et licet ſcirent virum illum non eſſe lugendum, qui poſt longa hujus vitæ certamina in gaudium Domini ſui introierat, tamen memoria ejus bonitatis effectum extorquebat lamentationis. Ab eo autem loco, quo tranſierat vir beatus exeuntibus, qui corpus portabant, fratribus, vir quidam diutina febre laborans, acceſſit; moxque, ut loculum tetigit, populo teſte, ſanus abſceſſit. Advehitur interea Mettim, & ab immenſa, quamquam mærenti, clericorum, monachorum, virginumque & populi promiſcua multitudine, quæ ex vicinis undique convenerat locis, excipitur, & ad locum uſque ſepulchri, cum maximo, non dico funeris, ſed triumphi apparatu perductus, ſepultus in B. Felicis eccleſia, vivit cum Chriſto in æterna ſæcula. Amen.

Tacto loculo febricitans ſanatur.

DE

CIRCA AN. 975 8. Martii.

DE VENERABILI BRUNONE

EPISCOPO VERDENSI.

1. *INter Corbejæ novæ cœnobitas, qui ſub Folckmaro Abbate vixerunt*, BRUN Epiſcopus *apud Meibomium memoratur. Fuit is cognatus Herimanni Saxoniæ Ducis, ſucceſſitque Amulungo ſeu Amalungo conſanguineo ſuo in Epiſcopatum Verdenſem*, (Fardenſem *veteres appellant*) *ſitum in Orientali Saxonia ultra Virſugim amnem. Brunonis promotionem Chronographus Magdeburgenſis deſcribit his verbis.* Anno 962. Amalungus Fardenſis Epiſcopus obiit, frater Herimanni Ducis: eique Bruno Corbejenſis monachus cognatus ejuſdem Ducis, ſucceſſit. *Nominis æquivocatione falſus eſt Bruſchius in catalogo Epiſcoporum Verdenſium, ubi Brunonem noſtrum, ipſum eſſe Ottonis Magni ex Liutolfo nepotem, & poſtea Papam Gregorium 5. ab Ottone tertio deſignatum perperam exſtimavit, ut poſtea oſtendemus.* Bruno cognatus Herimanni Ducis.

2. *De Brunone noſtro fit mentio non ſemel apud Ditmarum, totidemque verbis apud jam dictum Chronographum Magdeburgenſem, ex quo hæc deſcribimus ad annum* 973. Herimannus ibi, *id eſt apud Quidilingeburg*, tandem moriens, Imperatoris gaudia turbavit. Hujus corpus dum ad Luneburg a filio ſuimet Bernhardo deferretur, contigit ibi Brunonem, Fardenſis eccleſiæ Antiſtitem, in proximo eſſe. Hic quia Herimannum, dum vixit, banno conſtrictum tenuit, ſuppliciter rogatur a filio, ut ſolutionem ſaltem defuncto impenderet, ut in eccleſia eumdem ſepeliri liceret. Sed is quod poſtulat nequaquam impetrat. Fuit hic Bruno conſanguineus præfati Ducis, novæ Corbejæ monachus, & ob venerationem ſui Imperator eumdem Amulungo ſucceſſorem ſtatuit Epiſcopo. Qui eccleſiam in Ferdun cui rationabiliter poſtmodum præfuit, de lignis egregiam fecit, quia lapis illi defuit, magnitudine & qualitate ceteris præcellentem, & benedixit, & in ſenectute bona proficiens obiit 3. Nonas Maii. Sed dum ſenio & infirmitate aſſidua gravaretur & tardaret, rogatus a Cæſare ut Herimannum ſuum Capellanum Folcmari Epiſcopi fratrem pro filio nutrire, & ad juvamen & heredem voluiſſet ſibi eligere; „ hanc legationem lugenti animo ſuſcipiens ita reſpondit: Curam quam mihi „ dominus meus indigno committere dignatus eſt, ſtudioſe hactenus rexi, & „ quamdiu hic degere debeo, ſine aliquo tali juvamine degere concupiſco. „ Humilitatis ac ſuperbiæ non eſt æqua ſocietas, nec unquam conſortem patitur poteſtas, quodcumque in alio placet ſeniori meo devotus implebo. Non „ ſpes juveni in morte ſenis decrepiti quia peccatum eſt. Reminiſcatur quod „ ſæpe pendet rudis vituli pariete pellis. Talia dicens ad eccleſiam Chriſti vir„ ginis Cæciliæ ſe portari jubet, humoque proſtratus ſe indigne ei ſerviſſe ſic „ effuſis lacrymis queritur: A Deo & a te repudiatum me infelix agnoſco, cum „ alienus mihi præponitur, & ſervituti tuæ ut dignior aſſumitur. Unde hinc „ triſtis nunc abſcedere volo, & Chriſti gratiam & tuam interceſſionem ſan„ ctam exſpectare volo. Vellem ut ſicut ego injuſte aliena non appeto, ita nul„ lus unquam de meo gaudere præſumeret detrimento. Nunc a Deo quid ſibi „ placeat, & eccleſiæ meæ proſit ſupplex exoro. Finita hac oratione ſurrexit, „ & diſcedens tamdiu in ſua morabatur parochia, quoad uſque de nece ſupra „ memorati juvenis certus efficitur: & tunc convocatis in unum ſociis dixit. Do„ minum non habetis novum, me ad monaſterium meum deferte, diem judi„ cii ibidem abſque omni vagatione expectaturum. Diſcite vos mortales omnia „ quæ vobis ſunt ſalubriter profutura. Non volentis nec currentis ſed miſerentis „ eſt Dei. Simus vobis in exemplum quod nemo confidens in Deum deſola„ tur, nec in ſe ſperans utiliter exaltatur. Ponite, Filii, in Deo ſpem veſtram, „ & cum auxilio Unigeniti ejus & Paracleti conſubſtantialis vincite timorem no-

Heriman. num mortuum abſolvere recuſat.

Eccleſiam conſtruit.

Coadjutorem recuſat.

„ xium:

AN.CHR. 975 8. Martii. „ xium : propitium rogate Deum, ut quod ego in vobis vel vos in me unquam humana fragilitate deliquimus, emendetur deinceps in melius, & ut „ poſt me Deo carum & vobis utilem habere poſſitis ſeniorem, & tempora „ proſpere arridentia. Poſt hæc verba ad prædeſtinatum perveniens locum, quamvis multa ſenectutem ejus circumvenirent incommoda, tamen affabilis & laudandæ fuit converſationis. *Hactenus ex Chronographo Magdeburgenſi, quæ totidem (ut dixi) verbis habentur apud Ditmarum in lib. 2. pag. 23.*

Obit. 3. *Hæc ſunt quæ de Brunone Verdenſi ex illius temporis tenebris nobis eruere licuit. Ejus obitus accidit anno 975. teſte Ditmaro, & poſt eum Chronographo Magdeburgenſi.* Bruno Fardenſis Præſul ſupra memoratus 7. Idus Martii obiit : & Erp Præpoſitus Bremenſis interceſſione Atheldagi Archipræſulis ordinatur. *Hinc manifeſte convincitur Bruſchii erratum, Brunonem noſtrum confundentis cum altero Brunone, qui Papa creatus eſt anno 996. poſt annos viginti a morte Brunonis Verdenſis. Erat ille Ottonis Ducis filius, Imperatoris Ottonis tertii nepos, ideſt conſanguineus, ut ex Ditmaro intelligimus : idemque* marcam Veronenſem ſervabat, *ex Chronographo Magdeburgenſi, cum Pontifex electus eſt.*

AN.CHR. 975 11. Julii.

VITA VENERABILIS TURKETULI

ABBATIS CRULANDENSIS IN ANGLIA.

Ex hiſtoria Crulandenſi auctore Ingulfo Abbate.

1. T*Urketulum Abbatem Crulandenſis cœnobii, de cujus origine in actis S. Guthlaci initio Sæculi tertii egimus, hoc loco præterire religio eſt, utpote præcipuum ſui Sæculi ornamentum. Ejus geſta deſcripſit Ingulfus Abbas Crulandenſis, ex quo ſequentia carptim delibavimus.*

Godrico Abbate mortuo. 2. ATHESTANUS Rex Abbatem *Croyland* GODRICUM adhuc ſuperſtitem, ſed longo ſenio gravatum, ceteroſque confratres ſuos tunc ad numerum ſeptenarium de viginti octo diminutos in ſuam curiam aſſumens, monaſterium Croylandiæ reſtaurare propoſuit : ſed præpropera morte præventus fratribus ſuis ſuum propoſitum perficiendum reliquit. Anno ergo 17. regni ſui obiit & Malmesbiriæ ſepelitur ...... Eodem anno Godricus Abbas Croylandiæ obiit; infraque menſem obitus ſui duo ſenes eum ſecuti ſunt, ideſt frater Svveinus, & frater Oſgotus : remanſeruntque tum quinque ſenes, ideſt frater Charembaldus *, frater Svvarlingus, frater Thergarus, frater Brunus, & frater Aio. Quorum duo iſti ultimi, cernentes Regem Athelſtanum ſuum patronum, ac Abbatem ſuum Godricum in fata ceſſiſſe, de monaſterii ſui revelatione, ac ſpiritualium filiorum ſucceſſione penitus deſperantes, relicto fratrum ſuorum contubernio, prior monaſterium Wintoniæ, ſecundus monaſterium Malmesbiriæ adiens, uterque & in eorum conventum receptus, & aliquot annis detentus eſt. Verum trium fratrum in monaſterio Croylandiæ remanentium ſancta Trinitas ſemper in Domino confidebat, quod aliquando memor miſericordiæ ſuæ, mitteret eis aliquem ſalvatorem ......

* al. Clarembaldus. Locus fere deſertus.

Turketulus Regis Cancellarius. 3 Cumque illuſtriſſimus juvenis Rex EDMUNDUS etiam Croylandiam alicui potenti viro, qui ſanctæ religionis exſiſteret amator, proponeret ..... occiſus eſt .... Cui ſucceſſit frater ſuus EDREDUS tertius filius EDUARDI Regis .... Ipſe ...... dirigens Cancellarium ſuum, nomine TURKETULUM, virum quippe prudentiſſimum, & omnis honeſtatis ac æquitatis ſectatorem, ſibi etiam carne propinquum, & cognatum (filium ſcilicet CILWARDI quondam patrui ſui) in dictaque eccleſia Eboracenſi pinguiſſimam præbendam obtinentem, de fidelitate ſua continenda ſibi & regno ſuo inſtanter ac ami-

Digitized by Google

amicabiliter commonebat. Tranſiens itaque venerabilis Cancellarius ... regali ſanguine generoſiſſimus... ſexaginta munerariorum dominus, divina gratia diſponente viam ſuam, verſus Eboracum per monaſterium *Croyland* iter aſſumpſit. Quod cum pertranſire diſpoſuiſſet, occurrentes ei tres dicti monaſterii venerandi ſenes, multa ſupplicatione, adveſperaſcente jam die, ad eos intrare compulerunt: & ducentes eum ad orationem in oratoriolum ſuum, quod in angulo eccleſiæ dirutæ conſtruxerant, reliquias ſanctiſſimi Guthlaci confeſſoris oſtendentes, omnem hiſtoriam ſuæ deſolationis expoſuerunt. Ille vero inæſtimabili pietate miſeratus, univerſa devotiſſime auſcultavit. Deinde ſenes in ſuum hoſpitiolum tam nobilem hoſpitem ſumma cum humilitate ac humanitate ſuſcipientes, omnia victualia quæ habebant, miniſtris ſuis & coeis pro domini ſui cœna præparanda, licet minus idonea, & tantæ familiæ permultum inſufficientia, cum animo liberaliſſimo (ſua duo minuta) offerebant: ſolliciti pro viribus & ſupra vires ſuum ſanctum hoſpitem lætum reddere ac jucundum, & ad tantam benevolentiam inducere, quatenus penes dominum Regem interceſſor dignaretur exſiſtere, & reædificationem eccleſiæ ſuæ, quam germanus ſuus inclitus Rex Ethelſtanus, ſi ei vita comes fuiſſet, animo aliquando intenderat, aut aliquod aliud beneficium ex ſua eleemoſyna pro merito ſuæ animæ procurare. Venerabilis Cancellarius & miſeriæ tanti monaſterii multum compaſſus, & ſenum curialitatem intimis viſceribus amplexatus, illorum precibus aſſenſum præbens, & interceſſionem conceſſit, & aliquod adjutorium ex proprio peculio compromiſit.

AN CHR. 975 11. Julii. loci deſolatione commotus, opem pollicetur.

4. Summo ergo mane recedens, præcepit ſervis ſuis victualia ſufficientia uſque ad reditum ſuum ſenibus relinquere, & pro aliis neceſſariis emendis juſſit centum ſolidos erogare: tandemque valefaciens, cum multis lacrymis ſe eorum orationibus commendabat. Ab illo namque die animus ejus dictis ſenibus ac Croylandenſi monaſterio tam intimo ac individuo amore conglutinatus eſt, ut per totam viam ſuam quotidie quibuſcumque occurrentibus, tam in diverſoriis, quam in viis, Croylandenſium ſenum humanitatem exponeret, ſanctitatem extolleret, charitatem prædicaret, calamitatemque deploraret. Ab ipſoque tunc primitus proceſſit, quod Croyland *Curteyſe* * cognomen accepit.

Inde diſcedit. * al. Curteſy

5. Perveniens itaque Eboracum venerabilis Turketulus, cum domini ſui Regis mandatum multa ſollicitudine ac prudentia penes Archiepiſcopum, & univerſum civitatis populum peregiſſet proſpere, revertendo per Croylandiam rediit, & ſancto ductus ſpiritu, ad prædictos ſenes hoſpitaturus cum ſua familia iterum declinavit. Suſceptus ipſe immenſo gaudio, iterum de ſuſtinentia conſolatur; & manum Dei ſemper ad adjuvandum ſuos potentem & promptam prædicans, auxilium divinum in proximo affuturum pollicetur: datiſque viginti libris argenti dictis ſenibus, ad dominum ſuum Regem ſummo mane reverſus eſt. Cumque Regem de reſponſo Archiepiſcopi Eboraci, ac totius populi civitatis illius inſtruxiſſet, tandem invocato ſancto Spiritu, de ruina Croylandenſis relevanda monaſterii ſermonem ſagaciſſime inducebat. Porro prædicationis ſuæ de hac materia in auribus Regis cum ejus Cancellarius ac præcipuus conſiliarius finem feciſſet, gratuitu conſenſu Rex aſſenſum præbuit: ſed cum bellum ferociſſimum, quod tunc in manibus habebatur, opitulante divina gratia, proſpere peregiſſet, tunc namque vacaret hujuſmodi devotionibus inſiſtere, & Chriſti eccleſiam ubique per regnum pro viribus promovere. Ad quod Cancellarius: Domine, prædeceſſores veſtri ſtrenuiſſimi Reges, domini mei, duo germani veſtri, multa bona ad honorem Dei, ſanctæque matris Eccleſiæ exaltationem operati ſunt in diebus ſuis; & Dominus Deus juſtiſſimus judex pro hujuſmodi bonis operibus & dedit eis victoriam de omnibus inimicis, & abundare fecit etiam omnibus bonis. Ita & vos (ſi mihi creditis) per opera meritoria digniſſima recompenſatione Deum vobis obligabitis, & ſic protecti ſanctorum precibus, & adjuti ſuperum favoribus, ſecuriori conſcientia, cum placuerit, ad veſtra prælia pro-

Iterum eo reverſus dat bona verba cum munere. Regi ſtatum loci exponit.

AN.CHR. 975 11. Julii.

cedetis. Hæc & plura talia cum venerabilis Cancellarius collatione amicabili coram Rege ſæpius retexiſſet, tandem dominum ſuum Regem ad hoc induxit, ut illud evangelicum illi diceret: Habete vos cuſtodiam, & ſenes illos & locum illum cuſtodite ſicut ſcitis: nam manus mea in omnibus erit vobiſcum, ſi adjutorio meo in aliquo egeatis.

Eum ad ejus reſtitutionem inducit.

6. Iſtud reſponſum accipiens ille tamquam divinum oraculum, & de ſacrario Cancellarius ſanctus procedens, theoricum verbum non ſecus intelligens, mox ſe monachum ibidem futurum palam promiſit, & regium favorem ſuo propoſito affore animo devotiſſimo requiſivit. Rex hæc audiens, ſupra modum admiratus, id fieri omnimodis diſſuadet. Maxime cum jam in ſenium vergeret, & nutritus in deliciis, rigorem religionis in uſu antea non haberet; præter hoc in regni negotiis urgentiſſimis, cum omnia in ipſo pendeant ac ipſius auxilio & conſilio, regnum periclitari non immerito formidaret. Et Cancellarius: „ Domine mi Rex, dominis meis fratribus veſtris „ & vobis debita fidelitate (Deo teſte qui novit omnia) pro viribus militavi: „ Jam pro merito animæ veſtræ patiatur veſtra clementia, me Domino Deo „ ſaltem in ſenio militare. Quippe conſilium meum & omne auxilium quod „ parvitas mea poterit, quamdiu in hoc meo corpuſculo vita comes fuerit, „ veſtris negotiis incunctanter aderit: ſed certiſſime de cetero ſcire velit di„ gnatio veſtra, quod manus mea arma bellica a modo non tractabit. Audiens hoc piiſſimus Rex, graviter ferebat, cernenſque quotidie ſanctum ejus deſiderium in Domino creſcere, metuenſque ſanctum Spiritum exſtinguere (prout erat præ cunctis Regibus prædeceſſoribus ſuis puriſſimæ conſcientiæ) quadam die in ſecretum cubiculum eum advocat, & provolutus pedibus ſervi, quatenus ſui miſereatur, & non derelinquat eum in die tribulationis ſuæ, etiam cum multis lacrymis ſupplicat & exorat. Videns vero Cancellarius dominum ſuum, Regem videlicet Angliæ, ſuis pedibus ſuper terram pervolvi, & ipſe ruit in terram, & quatenus ſui miſereatur, ſuſpiriis & ſingultibus innumeris rogat: & tandem per ſanctum Paulum (cui Rex ſpecialem devotionem ſemper habebat) corditer adjurans, ſuperat, & impetrat quod exoptat. Ambo ergo ſurgentes a terra, diem ſtatuerunt, quo Croylandiam adirent, ac ſanctum votum ſuum ſecuriſſimo ac honeſtiſſimo modo, quo poſſent, invicem conſummarent.

Turketulus ibi monachum ſe vovet.

Rege ægre concedente,

7. Evolutis itaque paucis diebus, Rege conſentiente, voce præconaria venerabilis Cancellarius Turketulus per medias Londonias fecit proclamari, ut, ſi cui aliquo debito teneretur obnoxius, paratus erat certo loco & die deſignato ad plenum perſolvere: & ſi cui aliquam injuriam irrogaſſet, promiſit in triplo, tamquam alter Zachæus, ſatisfacere, ac juxta omnem juris exigentiam damna inita reſtaurare. Omnibus ergo creditoribus ac debitoribus univerſis pacatis, ſexaginta maneria ſua domno ſuo Regi contulit, decimum ſemper manerium Domino ſuo Chriſto reſervavit. Reſervavit itaque ſex maneria ſua de ſexaginta, quæcumque ſcilicet habebat ad Croylandiam propinqua, ſituque viciniora, videlicet *Mendlingburough*, *Elmington*, *Morthorpon*, *Kotenham*, *Nokington* & *Beby*: cetera vero dedit Regi. Et veniens cum Rege ad Croylandiam in vigilia Aſſumptionis beatæ Mariæ: mox ad Wintoniam & Malmesbiriam pro duobus fratribus, ſcilicet Bruno & Ajone, ex Regis nomine nuntios miſit. Qui audientes Dominum de cælo Croylandiam reſpexiſſe, gaudentes & alacres ad ſuum monaſterium regreſſi ſunt: & intrantes in vigilia beati Bartholomæi patroni ſui ad fratres ſuos, cum ingenti gaudio ſunt recepti. Erant namque ambo viri litteratiſſimi, & moribus multum honeſti ac religioſi. In craſtino ergo, ſcilicet in feſto ſancti Apoſtoli, quum venerabilis Turketulus depoſito habitu ſæculari inter prætactos ſenes quinque monachicum ſchema ſuſcepiſſet, etiam baculo paſtorali a Rege donatus eſt, & a Cedwulfo Epiſcopo Dorcaciſtrenſi diœceſano tunc præſente more eccleſiaſtico benedictus. Eodemque die de Regis arbitrio ac juriſperitorum conſilio, ut in poſterum contra iniquorum violentias fortiori conſiſterent fun-

rem exſequitur.

debitis prius perſolutis.

Abbas mox factus.

Digitized by Google

fundamento, venerabilis Abbas Turketulus prætactique quinque ſenes monachi ſui univerſum monaſterium ſuum cum omnibus terris ac tenementis bonis & catallis ei pertinentibus in manum domini Regis funditus & ſponte reſignabant. Rex autem ſuſcipiens omnia in manus ſuas, in craſtino carpentarios ac cæmentarios conducens, deque propria familia quemdam clericum nomine Egelricum, genere ſibi propinquum, cognatumque domini Turketuli Abbatis operariis & univerſo loco præficiens, expenſas de fiſco aſſumendas, ligna & lapides de proximis ſilvis & lapidicinis, tunc regali manerio ſuo de *Caſtre* pertinentibus, in omni copia aſſignavit. Qui diligentiſſime operi invicto inſiſtens animo, in brevi eccleſia fabricata, claſtroque cum ceteris neceſſariis officinis ædificato, & gratias a Rege, & benedictionem a Domino meruit pro labore. AN CHR. 975 11. Julii. Rex cœnobium inſtaurat.

8. Statim vero, cum Rex ipſe ſingulis operibus ſingulos operarios deputaſſet, & prædictum fidelem clericum ſuum prædictis operariis præfeciſſet, cum dies concilii appropinquabat, quod tenendum in proximo Londoniis pro publicis regni negotiis ſtatuerat, aſſumpto ſecum venerabili Turketulo Abbate cum duobus ſenibus monachis ſuis, ſcilicet Turgaro, & Ajone in feſto ſancti Auguſtini Epiſcopi & egregii doctoris Londonias repetebat. In feſto ergo nativitatis beatæ Mariæ cum univerſi magnates regni per regium edictum ſummoniti, tam Archiepiſcopi & Epiſcopi, ac Abbates, quam ceteri totius regni proceres, & optimates Londoniis conveniſſent ad tractandum de negotiis publicis totius regni, conſummatis omnibus, coram univerſis, domino Turketulo Abbati, monachiſque ſuis accerſitis Rex Edredus dedit monaſterium *Croyland* per chartam ſuam, dictatam ab eodem Turketulo Abbate, jamdudum Regis Cancellario, conſiliarioque familiariſſimo & conſcriptam in his verbis. In Synodo dat privilegium.

„ PAX in ſummæ Trinitatis nomine, Patris & Filii & Spiritus-ſancti, „ Amen. Ego Edredus Rex terrenus ſub imperiali potentia Regis „ ſæculorum æternique Principis, magnæ Britanniæ temporale gerens im„ perium, univerſis Chriſtianis tam præſentibus, quam poſteris, ſalutis be„ neficium in auctore ſalutis. Vobis liqueat omnibus, quod per devotam ſug„ geſtionem, & frequentem provocationem dilecti clerici & cognati mei Tur„ ketuli mihi factam ſuper reparatione, reſtauratione, ac libertate ſacroſan„ ctæ eccleſiæ, & monaſterii Croylandenſis; in quo reconditæ ſunt reliquiæ „ ſancti Guthlaci confeſſoris & anachoritæ, non modicum condolui & com„ paſſus ſum, tam pro depopulatione ſanctæ matris Eccleſiæ, quam pro mi„ noratione beneficiorum ſpiritualium, pro animabus progenitorum meorum „ per opera miſericordiæ multipliciter & frequenter impenſorum, recolens „ ibi cœnobium nigrorum monachorum Ordinis ſancti Benedicti a nobili „ Rege Merciorum, Ethelbaldo nomine, quondam Alvvionis filio eſſe „ fundatum, affluenter ditatum, & regalibus privilegiis ſufficienter muni„ tum, ut per inſpectionem chartarum ejuſdem Ethelbaldi ad ſecuritatem „ dictorum monachorum compoſitarum, ſatis erat conſilio meo declara„ tum. Sed poſt multorum temporum curricula per paganorum exercitum „ erat devaſtatum, & cum omnibus ornamentis & monumentis compluribus „ igne crematum & conſumptum. Ubi prædictus Turketulus juxta Pſalmi„ ſtæ vocem propheticam, *Odit eccleſiam malignantium, & dilexit decorem do„ mus Domini*, pio ſtimulatus deſiderio dictum cœnobium reparare & reædi„ ficare ſummopere molitur. Hic homo divinæ charitatis zelo in tantum ac„ cenſus eſt, ut corde ac corpore, ſe ovili dominico ibidem mancipare indeſinen„ ter adoptat. Unde quinque monachi ſenes in eadem inſula latitantes, de quibus „ duo a diſpoſitione* regreſſi de ejuſdem Turketuli, & aliorum juriſperitorum „ conſilio informati, quaſi graviter formidantes, jacturas & diſpendia varia, fu„ turis temporibus inopinate emergentia, totam Abbatiam cum poſſeſſionibus „ obtentis, & ejuſdem Turketuli ſollicitudine recuperatis, meo etiam favore

* al. diſperſione.

AN.CHR. 975 11. Julii. „ acquiſitis, cum ſex maneriis de prædiis ſuis hereditariis in manum meam „ funditus & ſponte reſignarunt, ut per meam redonationem de firmiori & „ liberiori ex tunc & in poſterum gratulentur poſſeſſione. Sed cum fœdus „ verbo ſolummodo initum, dum a memoria fuerit devolutum, in materiam „ contrahitur litigioſam, niſi rei geſtæ perennis ſcripti patrocinium ſuffrage- „ tur, hinc eſt quod ſæpe dictum Turketulum, cum præfatis monachis jam „ in habitu adunatum, grato meo conſenſu & aſſenſu Abbatem ejuſdem mo- „ naſterii conſtituo: & tam Abbatiam, quam omnes poſſeſſiones ſic recupe- „ ratas, & mihi reſignatas, ex dono meo regali de cetero in perpetuam & „ puram eleemoſynam illis monachis & omnibus ſucceſſoribus eorum ſub ea- „ dem Regula & eodem habitu ſancti Benedicti ibidem Deo ſervientibus tra- „ do, dono & confirmo, & in hunc modum per ſingula declarare diſpono. „ In primis totam inſulam Croylandiæ pro gleba eccleſiæ, & pro ſitu ſeparali „ ejuſdem monaſterii cum his limitibus diſtinctam: videlicet a ponte de Croy- „ land triangulo per aquam de *Meland* verſus *Spaldeling* uſque ad *Aſendich*, „ ubi Aſendich cadit in aquam de Meland ex Boreali parte crucis lapideæ per „ prædictum Turketulum ibidem affixæ ...... ubi primus Abbas a funda- „ tione ejuſdem monaſterii, nomine Kenulfus, poſuit crucem lapideam pro „ limite inter Croyland & *Deping* &c. anno ab Incarnatione Domini noſtri „ Jeſu Chriſti nongenteſimo quadrageſimo octavo, in præſentia Archiepiſco- „ porum Epiſcoporum & procerum regni mei ſubſcriptorum. † Ego Wlſta- „ nus Archiepiſcopus Eboracenſis devotus ſubnotavi. † Ego Odo Dorober- „ nenſis Archiepiſcopus conſilium & conſenſum meum ad iſtud dedi. † Ego „ Alfredus Schireburnenſis Epiſcopus affectavi. † Ego Kinſius Lichfelden- „ ſis Epiſcopus conſenſi. † Ego Kinevvaldus Wigornienſis Epiſcopus iſtud „ factum corroboravi. † Ego Ceolvvlfus Dorcaciſtrenſis Epiſcopus deſidera- „ vi. † Ego Athelvvoldus Abbas Abendonenſis approbavi. † Ego Dun- „ ſtanus Abbas Glaſconiæ multum adoptavi. † Ego Oſlake Dux ad in- „ ſtantiam Domini mei Regis collaudavi. † Ego Brithnodus Dux com- „ mendavi. † Ego Alcinus Comes favi. † Ego Aigulfus Comes conſigna- „ vi. † Ego Radbodus Comes conſenſum dedi. † Ego Bingulf Vicedominus „ conſului. † Ego Alfer Vicecomes audivi. Ego Harceus * miniſter inter- „ fui. † Ego Sigeus miniſter auſcultavi. † Ego Athelvvardus miniſter aſpexi. „ † Ego Turketulus, licet miniſter inutilis, finem cernens mei propoſiti, ob „ hujus rei gratiam æternum Deum laudo per omnia, & licet ſero veniens „ ſub habitu monachali, & animo contrito jugo regulari memetipſum ſubmi- „ ſi; ut ſaltem ſic ſenectutis meæ fæces Creatori meo cogar immolare. Ma- „ gnificat ergo anima mea Dominum, & vos fratres magnificate Dominum „ mecum, ut in ſanctitate & juſtitia coram ipſo ſervientes, ſemperque mun- „ di principe triumphato, ſic curramus in præſentis vitæ ſtadio, ut in „ futuro ad divinæ ſpeculationis bravium pertingere mereamur. Amen.

Turketuli vita. 9. De geſtis hujus venerabilis patris noſtri Abbatis Turketuli aliqualem no- titiam noſtris poſteris tradituri, noſtræ narrationis exordium decet ut altius aſſumamus: quatenus tam generoſi ephebi florida juventute cognita, ſecun- dum chronicorum fidem, & prout patres noſtri narraverunt nobis, ſanctam ſenectutem ſucceſſiſſe veriſimili evidentia facilius demonſtremus Circa ergo Genus, & conjugii fuga. ultima tempora Regis Edvvardi, defuncto Ethelvvardo germano ſuo, fi- lius ſuus primogenitus Turketulus noſter paternam hæreditatem a patruo ſuo prædicto Rege Edvvardo adeptus eſt. Cui cum generoſiſſimas puellas, Ducum, Comitumque ſuorum filias, multoties Rex in matrimonium ob- tuliſſet, & ille nullomodo nuptiis acquieſcens, omnes amore caſtitatis pri- ma fronte repudiaret; arguens Rex prudentiſſimus per hujuſmodi ſancta principia, virum virtutis ipſum futurum fore, ſtuduit ad dignitates eccle- Epiſcopatus recuſati. ſiaſticas & epiſcopatus apicem eum aliquando exaltare. Unde plurimis Epi- ſcopis in fata cedentibus, ut ſua ſanctitas innoteſceret univerſis qui in do- mo Domini ſunt, ſi ſuper candelabrum poneretur, Rex ſæpiſſime ſatage- bat

Digitized by Google

bat in majoribus eccleſiis totius Angliæ ad gradum epiſcopalem præ cunctis ceteris clericis ſuis promovere. Ille vero variis excuſationibus omnes hujuſmodi honores ſubterfugiens, tamquam tendiculas ſatanæ ad animas ſubvertendas, omnibus vitæ ſuæ temporibus penitus abhorrebat. Obtulit enim ei prædictus Rex Epiſcopatum Wintoniæ defuncto Dinevvlfo Epiſcopo ejus: ſed ille minus ſe idoneum tantæ dignitati proteſtans, Frideſtanum collactaneum ſuum, quatenus dignaretur accipere, ſupplicabat & obtinebat. Factus que eſt Frideſtanus Epiſcopus Wintoniæ. Eodem etiam momento Pleigmundo Archiepiſcopo Dorobernienſi ſuggerente, Dorcaciſtrenſis Epiſcopatus ei a Rege oblatus eſt: quem cum pari pertinacia refutaret, & Ceolvvlſum presbyterum ſuum Regi offerret, dictus Ceolvvlſus Epiſcopus eſt factus. Semper itaque ſic terrenæ dignitatis gloriam refutabat, ſic tranſitorios honores omnibus diebus ſuis abjiciebat.

AN.CHR. 975 11. Julii.

UNIVERSIDAD CENTRAL BIBLIOTECA DERECHO

10. Cognoſcens tandem Rex quorſum cordis ſui ſanctiſſima deſideria inclinabant & propendebant, (ſcillicet illum dignitates & divitias non amare, ſuis terris ac ſtipendiis tantum contentum eſſe, aliena non appetere) Cancellarium ſuum eum conſtituit, ut quæcumqne negotia temporalia vel ſpiritualia Regis judicium exſpectabant, illius conſilio & decreto (tam ſanctæ fidei & tam profundi ingenii tenebatur) omnia tractarentur, & tractata irrefragabilem ſententiam ſortirentur. Conſilio ergo illius multa bona opera Rex effecit, ac inter cetera ſeptem eccleſiis ſeptem Epiſcopos uno die dedit, videlicet præfatum Frideſtanum ad epiſcopatum Wintoniæ, præfatum Ceolvvlſum ad Dorcaciſtriæ, Wherſtanum ad epiſcopatum Schireburnenſem, Athelſtanum ad Cornubienſem, Athelmum ad Fontanenſem, & Aldulfum ad Cridienſem, ac Bernetum auſtralibus Saxonibus præponens, cujus ſedes eſt apud...... omneſque uno die unoque loco a præfato Pleigmundo Archiepiſcopo conſecratos.

Cancellarius creatur ab Edvvardo.

11. Complevit itaque dies ſuos inclitus Rex Edvvardus, Ethelſtanusque filius ejus ſucceſſerat. Contra quem cum Analafus, filius Sitrici, quondam Regis Northanhumbriorum, & bellum ferociſſimum multorum viribus moliretur, conſpirantibuſque cum dicto Analafo Conſtantino Rege Scottorum, & Eugenigo Rege Cumbrorum, ac aliorum Regum Comitumque barbarie infinita, omnes cum ſubjectis nationibus ad *Brunford* in Northanhumbria contra Athelſtanum regem conveniſſent, arctiſſimo fœdere conjurati, & dictus Rex Anglorum cum ſuo exercitus occurriſſet; licet præfatus barbarus infinitam multitudinem Danorum, Norveganorum, Scottorum, ac Pictorum contraxiſſet, vel vincendi diffidentia, vel ſolita gentis ſuæ verſutia maluit nocturnis tenebris inſidias tendere, quam aperto prælio dimicare. Irruit ergo ſubito ſuper Anglos nocturno tempore; peremptoque quodam Epiſcopo, qui præcedente veſpere ad exercitum Regis Athelſtani acceſſerat, cum clamor morientium longius perſonaret, ut Rex ipſe, qui plus uno milliari a loco diſtabat, ſuuſque totus exercitus, qui circa illum in tentoriis ſub dio dormiebat, evigilans atque intelligens citius armarentur aurora jam illuceſcente, ad locumque cædis appropinquans paratus & promptus fieret ad invadendum contra barbaros qui tota nocte laboraverant, & jam laſſos & laxatos ab ordine offendentem contigit Regem Ethelſtanum, qui Weſtſaxones omnes ducebat, contra aciem Analafi occurriſſe, ac Cancellarium ſuum Turketulum, qui Londonienſes & omnes Mercios trahebat, contra aciem Conſtantini obviaſſe. Ceſſantibus cito ferentariis armis, pede pes, & cuſpide cuſpis, umboque umbone pellebatur. Cæſi multi mortales, confuſaque cadavera Regum & pauperum corruebant. Cumque diutiſſime ac diriſſime dimicaretur, & neutra pars cederet (tanta erat paganorum multitudo), Cancellarius Turketulus aſſumptis ſecum paucis Londonienſibus, quos fortiſſimos noverat, & centurione VVicciorum, SINGINO nomine, qui ſpectata fortitudine pollebat; ipſe præ cunctis & ſtatura procerus, oſſibus & nervis ſolidus & cordatus, ac inter omnes heroes Londonienſes

Adelſtani regnum turbatum.

Turketuli virtus in prælio.

Digitized by Google

AN CHR. 975 11. Julii. ſeſ viribus robuſtiſſimus, pervius ipſe involat in adverſos, penetranſque cuneos hoſtiles proſternit a dextris & a ſiniſtris. Jam Orcadenſium ac Pictorum globos pertranſierat, ſilvamque jaculorum & telorum, quæ thorace fideliſſima ſufflaverat, in ſe projectam circumferens, jam cuneos Cumbrorum ac Scottorum cum ſuis ſequacibus perforabat. Tandem multo ſanguine ad ipſum Regem perveniens, equo dejecit, dejectumque cum vivum capere omnimodis conaretur, & Scotti conſtipati Regem ſuum totis defendere viribus inſiſterent, & plures in paucos niterentur, præcipueque omnes unum Turketulum appeterent, prout ſæpius poſtea fatebatur, tunc primum temeritatis ſuæ pœnitebat. Jamjamque opprimendus erat a Scottis, & Rex e manibus ejus eripiendus, cum Singinus Centurio gladio confodit eum. Sic Rege Scottorum Conſtantino perempto, Scotti ſe retrahentes, viam apertiorem Turketulo, ſuiſque militibus concedebant. Cognita ergo morte Conſtantini per univerſum exercitum Analafus fugam facit, fugiuntque univerſi. Cecidit ibi paganorum copia inaudita. In tam duro certamine ſæpius ſe gloriabatur a Domino conſervatum Turketulus, & ſe feliciſſimum & fortunatum, quod numquám hominem occiderit, neminem mutilaverit, cum pugnare pro patria, & máxime contra paganos licite quiſque poſſit.

Atelſtani ſorores nuptui datæ. 12. Hac itaque victoria per univerſam Chriſtianitatem citius ventilata, deſiderabant omnes Reges terræ cum Athelſtano Rege amicitias facere, & quocumque modo ſacra fœdera pacis inire. Miſit ergo legatos Henricus Imperator Romanorum pro una ſororum ſuarum Ottoni filio ſuo in uxorem ducenda. Miſit etiam Hugo Rex Francorum pro alia ſuo filio tradenda. Miſit & Ludovicus Princeps Aquitanorum * pro una ſibimet aſſumenda. Allata ſunt per eorum nuntios tot eximia regalia, qualia & quanta per plurima ante ſæcula Anglicis fuerant incognita & inviſa. Præter odores aromatum, præter honores gemmarum, præter equos curſorios aureis ephippiis phaleratos, & onychina vaſa pretioſiſſima, & alia donaria plurima & pulcherrima, miſſa eſt pars crucis Dominicæ cryſtallo decentiſſime incluſa, portiuncula etiam ſpineæ coronæ Chriſti ſimiliter cryſtallo contecta; enſis Conſtantini Magni, cujus capulo ſuper craſſas auri laminas clavus affixus erat unus ex quatuor, quibus Redemptor noſter nos & omnes ſuos ſalvavit: vexillum quóque beatiſſimi martyris Mauricii, & lancea Caroli Magni non apud Francos exigui pretii. Quibus donariis magnificus Rex Ethelſtanus in immenſum delectatus & ſorores præfatis principibus conceſſit, ac inter delegatos, qui virgines tranſducerent, primum & præcipuum Cancellarium ſuum Turketulum, eo quod prudentiſſimus, & in omni negotio ſanctiſſima fide probatiſſimus, propinquus etiam genere dictis virginibus haberetur, indubitata confidentia deputavit. Vadunt ad littora cum Cancellario quatuor viragines, quæ caſtitatis honore Dianam vincebant .... Completa itaque dicta legatione, Cancellarius Turketulus, magnis onuſtus muneribus, cum tota familia multis donariis ad ultimum quemlibet puerum ditata, proſpero navigio in Angliam eſt reverſus.

* Francorum.

Munera ipſi conceſſa.

Turketulus ad Reges legatus.

Adelſtani pietas. 13. Triumphatis ergo omnibus hoſtibus, ſuiſque ſororibus digniſſime maritatis ad exaltandam Eccleſiam Chriſti ubique per regnum ſuum (Cancellario ſuo Turketulo ſemper illud ſuggerente) intentiſſima devotione animum totum dedit. Reſtaurat ergo monaſteria, ædificat eccleſias, ac ſanctis altaribus offert pretioſiſſima ornamenta. Malmesbiriam maxime (ubi duos cognatos ſuos, filios ſcilicet Ethelvvardi patrui ſui, Elvvinum & Ethelſtanum, cæſos a Danis in prælio Brunesfordenſi ſollemniter ſepelierat) ſpeciali diligentia diligit & exaltat, ac multis privilegiis præ ceteris monaſteriis magnificat & honorat: & demum ſuos annos atropo ante tempus abſcindente defunctus, ibidem ſepultus pauſat. Cui (ut prædictum eſt) frater ſuus Edmundus in regnum ſucceſſit.

Mors & ſepultura.

Edmundus ſuccedit. 14. Ejus enim tempore cum ſanctus Dunſtanus tunc regii palatii Preſbyter, ac Cancellario Turketulo a ſecretis familiariſſimus, & confeſſionum

num ſuarum communicator confidentiſſimus, quibuſdam æmulis perſequentibus, per ipſum Regem de palatio pelleretur, Turketulo Cancellario procurante, ſuamque ſanctitatem plurimum prædicante, & pro ſua gratia ſtudioſiſſime Regem deprecante, revocatus, & monaſterio Glaſconiæ donatus eſt. Dedit tunc ſancto Dunſtano Cancellarius Turketulus pulcherrimum calicem, qui adhuc ad hæc Normannorum tempora, ibidem & calix Turketuli cognominatur, conſervatus. Sex autem annis & dimidio in regno completis, cum Rex Edmundus eſſet interemptus, Edredus tertius frater in regnum ſucceſſit. Cujus anno ſecundo Cancellarius Turketulus, cum adhuc ante ſuam converſionem in ſuo ſancto deſiderio neophytus exſiſtens, gratiam domini ſui Regis votis ſuis bene reſpondentem in omnibus obtinuiſſet, quadam die cum ſumma celeritate de Londoniis Croylandiam advolans, præfatos tres ſenes in dicta inſula latitantes devotiſſime viſitavit, & ſupra quam dici poteſt aut excogitari, revelato ſuo ſancto propoſito in immenſum lætificavit. Receptus ergo in eorum fraternitatem, chartas fundationis monaſterii ac alia ejus monumenta relegens, univerſam inſulam Croylandiæ cum dictis ſenibus, qui carpento vehebantur, & familia ſua, quæ adhuc illum Cancellarium grandi numero comitabatur, de angulo ad angulum circuibat. Hoc interſerendum eſt, quod circa hæc tempora tanta ſiccitas per totam Angliam erat, quod triennio non plueret ſuper terram, & ſiccitas Eliæ a pluribus diceretur. Edoctus itaque Cancellarius Turketulus de limitibus Croylandiæ, & eius terminis univerſis, juſſit cruces lapideas terminorum innovari, & longius a ripis fluviorum in proxima ſolida terra infigi, ne forte lapſu temporis per aquarum alluvionem in flumina corruerent, prout antiquas cruces in eiſdem limitibus per Kenulfum, monaſterii Croylandiæ primum Abbatem, ibidem aliquando appoſitas intellexerat corruiſſe. In auſtrali namque ripa dictæ inſulæ poſuit tunc Turketulus crucem lapideam, quæ tunc diſtabat a *Southee* per ſex perticatas, & in boreali parte dictæ inſulæ tunc poſuit aliam crucem lapideam, quæ tunc diſtabat ab *Aſendich* cadentem in *Meland* per tres perticatas. Terminos etiam mariſcorum, tam *Alderlound* in auſtrali parte aquæ de *Meland*, quam *Goggisland* in parte boreali dictæ aquæ adiens, & limites eorum, prout chartæ fundationis monaſterii demonſtrabant, annotans, juſſit ſimiliter crucibus lapideis deſignari: ſicque ſalutatis dictis ſenibus fratribus ſuis, & iterum datis viginti libris argenti ad eorum ſuſtentationem, cum chartis & monumentis monaſterii ad Regem Londonias eſt reverſus.

AN. CHR. 975. 11. Julii.

Edmundo Edredus.

Turketulus Crulandenſes viſitat.

Cruces ad terminos reſtituit.

15. Alloquitur ergo ibidem quadam die Comitem Levvinum, qui *Spalding*, *Cappelade*, & *Sutterton* terras olim monaſterio *Croyland* dependentes occupabat; quadraginta marcas auri coram præfato Rege præfato Comiti contulit, & prædictas villas in ſuam poſſeſſionem, tamquam atturnatus [a] dictorum ſenum, eorum nomine tituloque recepit. Compoſuit etiam tunc cum Comite Alfero, & datis ei decem marcis auri. *Draiton* Croylandiæ reſtituit. *Staudon*, & *Badby*, datis ſimiliter decem marcis auri Comiti Athelvvoldo Croylandiæ recuperavit. Eodem tempore de Comite Alvvino, cum eſſet juvenis piiſſimus, & eleemoſynis multum deditus, villam de *Morburne* ad Croylandiam acquiſivit. Tunc etiam *Bokenhale*, & *Alington*, & *Lindeſey* de duce Oslaco datis duodecim marcis auri Croylandiæ reſtauravit. *Langtoft* autem & *Baſton* tunc regali fiſco pertinentes Rex Edredus gratis & ſponte reddidit. *Deping* vero, cum Langferus, quondam Regis Beorredi Panetarius, cui dictus Rex dictum manerium aliquando donaverat, jam longævo ſenio gravatus obierat, nullo herede maſculino relicto, ad duas filias ejus tranſibat: quæ diu in cœlibatu permanentes, neque cum Turketulo voluerunt componere, nec juri ſuo prece vel pretio renuntiare. Exſpectabat itaque diutius venerabilis pater Turketulus tempora meliora: ſed quam-

Prædia amiſſa recuperat.

[a] Atturnati in jure Anglico & Normannico dicuntur Procuratores, qui aliena negotia ex ſpeciali mandato agunt. Vide Gloſſaria, maxime Cangianum.

Digitized by Google

AN.CHR. 975 11. Julii. quamdiu vixit, vixerunt & illæ in eadem pertinacia. *Kirketon* autem & *Kimerbi* ad *Croxton*, cum Dux OSBRITHTUS tenaciter retinebat, & chartæ donatorum perierant, nec aliqua regia confirmatio dictas terras continebat; Turketulus cum ſemel & ſecundo oblato juſto pretio repetiiſſet, nec auditus eſſet, ad alia tenementa redimenda tota vigilantia indulgebat. Revocavit tunc *Glaptborn*, *Thirming*, *Laithorp*, *Kirkbie*, *Peikirke*, & utramque Adingtonam, *Repingale*, Suttonam, & Stapiltonam.

Monachus efficitur & Abbas. 16. Tandem adveniente feſto B. Bartholomæi Apoſtoli, in præſentia Regis Monachus factus, & ſtatim baculo paſtorali a Rege donatus, & ab Epiſcopo benedictus, univerſum monaſterium cum omnibus ejus poſſeſſionibus in manum Regis reſignavit. Qui apud *London* in communi concilio coram Archiepiſcopis, Epiſcopis, & totius terræ magnatibus dictum monaſterium cum omnibus terris ejus, tam ab antiquo ei pertinentibus, quam ab eodem Turketulo noviter datis ac acquiſitis, dicto domino Turketulo Abbati, monachiſque ſuis reddidit, & cum charta ſua (prout præmiſſum eſt) liberum & ſolutum ab omni terreno ſervitio in perpetuam eleemoſynam confirmavit. Antiquam vero loci impunitatem vel immunitatem nullo modo conſenſit acquirere, ne ſceleratis & impiis refugium a publicis legibus videretur in aliquo præbere, & cum hujuſmodi maleficis compelleretur vel in aliquo contra conſcientiam ſuam cohabitare ſeu conſentire. Secuti ſunt eum ad monaſterium multi litterati viri, quorum decem ſecum ſchema monachicum ſuſceperunt; ceteri rigorem religionis abhorrentes, adhuc in ſæculari habitu permanebant: at nihilominus ſecum in monaſterio habitabant, quia præſentia ejus nullo modo carere poterant. Quorum quidam gradum ſacerdotalem obtinebant, quidam in clericali adhuc officio miniſtrabant. Hos omnes, cum multi fuerunt, in cella ſanctæ PEGAE Virginis, ad orientalem partem monaſterii manere juſſit, & unicuique eorum, ſicuti uni monacho miniſtrari quotidie de victualibus imperavit: fabricanſque illis ibidem capellam, Horas regulares, tam nocturnas, quam diurnas, tempore quo monachi perſolvebant, & ipſos perſolvere juſſit. Fiebat autem hoc ex præcepto Turketuli Abbatis, ut ipſo uſu fierent aliquando monachicis obſervantiis aptiores, qui ſæcularibus hactenus dediti laſciviis, a regulari vita longius erant devii & diſcordes. Habitum etiam omnibus uniformem indixit, ſcilicet chlamydem nigram, veſteſque talares, ac omnes nigri coloris. Præter continentiam & obedientiam nihil aliud religionis noverant; unde vix vel numquam contigit aliquem illorum ad ſæcularem vomitum revertiſſe, tam larga exhibitione procurati, tam laxa regula ſunt contenti. Abbas Turketulus Præpoſitum illorum Priorem dicebat, quem ab ipſis omnibus electum ille confirmabat. Quidam illorum ibidem ſanctiſſimo fine quieverunt, & in eodem loco ſepulti ſunt: quidam præcedente tempore ad religionem monachicam converſi, & in ea ſanctiſſime converſati etiam ad Abbatis officium aſſumi poſtea meruerunt. Iſti fuerunt duo EGELRICI, qui de genere & cognatione ſua ſibi ſatis carne propinqui, ſed ſpiritu multo propinquiores jam effecti, ſucceſſive poſt illum Abbatis officio ambo ſtrenue functi, & in eodem defuncti ſunt.

Multos litteratos trahit.

Clericorum ibidem habitus & inſtitutum.

17. Cum autem circa ultima tempora Turketuli Abbatis ſub inclito Rege EDGARO inciperet Ordo monachicus in multis monaſteriis ubique per totum regnum reſtauratis, & quibuſdam noviter fundatis copioſiſſime reflorere, rariuſque ſolito venientibus ad converſionem clericis, fere omnes Presbyteri Pegelandiæ ſunt effecti monachi Croylandiæ. Unde Pegelandia fere perſonis deſtituta, cœperunt pauci Clerici relicti Abbatem Turketulum multa inſtantia pulſare, quatenus complaceret vel ſacerdotes ſæculares eis conducere, vel monachum de monaſterio ſuo, qui divina eis quotidie celebraret, aliquem aſſignare. Sæcularis autem aliquis veniens ad converſionem, cujuſcumque gradus fuerat vel conditionis, illorum prius collegio deputatus eſt, & apud Pegelandiam probatus, ſuccedente tempore, prout Pegelandenſes de ipſo teſtabantur, receptus vel repudiatus eſt. Abbas ergo Turketulus pru-

Digitized by Google

prudentiſſima providentia neutram petitionem Pegelandenſium acceptans, nec omnino damnans, conceſſit pro memoria ſanctæ Pegæ Virginis, & conſtituit ibidem divinum ſervitium perpetuandum; non tamen amodo aliquod collegium regularium vel irregularium, quod aliquando forte fieret monaſterio ſuo injurioſum vel oneroſum, ibidem ullo modo modo ſtatuendum. Ordinavit itaque unum ſacerdotem, & cum totius conventus ſui conſenſu communi chirographo ſui capituli confirmavit in perpetuum, qui perpetuis temporibus pro monaſterii fundatore Rege Ethelbaldo, & pro ejus reſtauratore Rege Edredo, ac pro Turketulo Abbate, ceteriſque loci benefactoribus celebraret, ac ut unus monachus conventualis in refectorio exhiberetur, quotidie poſt Prioris ſervitium de eadem qualitate tam in prandio, quam in cœna victualia ſua ſuſcepturus, ſive domi fuerit, ſive foris: ad alia vero neceſſaria ſua mediam partem oblationum, quas fideles Chriſti in dicta capella ſoliti ſunt offerre contra ſacriſtam, per æquales portiones amodo recepturus. Sed hæc conſtituta ſunt circa ultima tempora Turketuli Abbatis, tempore videlicet Edgari Regis, primuſque ſacerdos poſitus ibidem per Abbatem Turketulum ad hujuſmodi officium peragendum vocabatur Reinfredus, vir multæ litteraturæ ac ingentis honeſtatis. Edredus vero Rex (ut prædictum eſt) regnavit. AN.CHR. 975 11. Julii.

Poſitiſque, apud Pegelandiam clericis ſuis, venerabilis pater Abbas Turketulus Dunſtanum quondam ſibi familiariſſimum ad Archiepiſcopatum Doroberniæ promotum, Osketulumque cognatum ſuum, Archiepiſcopum Eboracæ pariter effectum, Londonias ſemel adiens, cum quanto gaudio ab utroque ſit ſuſceptus, non eſt facile notare: cum alter ſuus nutritius, & antiqua beneficia recordatus; alter ei carne propinquus, & pro cognatione generis amplexatus, uterque jam in caſtris Domini militem emeritum affectione intima veneratus ſit. Obtinuit etiam tunc a Rege Edgaro, videlicet octavo anno regni ſui, prædictis Archiepiſcopis intercedentibus, chartam regiam de confirmatione Croyland Monaſterii ſui ſub hac forma. Edgari privilegium.

„ IMperante Domino noſtro Jeſu Chriſto ſuper omnes cælos, & ſuper omnia regna orbis terrarum principatum tenente, qui tollit Reges & transfert regna, tractatque ſuo nutu mundi climata univerſa; ego Edgarus ejuſdem Dei noſtri largiflua munificentia poſſidens totius magnæ Britanniæ monarchiam, ſtatui mecum ab inito regni mei pro modulo meo ſua beneficia compenſare, & de tranſitoria mammona providere, beatorum tabernacula mihi, perque caduca bona promerere ſempiterna gaudia. Cum ergo de relevatione Eccleſiarum Chriſti & monaſteriorum reſtauratione frequentiſſime mihi ſuggererent ſpirituales patres mei Pontifices & Prælati, teſte Deo cordium inſpectore, ſollicitus eorum petitionibus ſemper apertis auribus acquievi. Cum vero ſanctiſſimi Archiepiſcopi mei Dunſtanus Doroberneníis & Osketulus Eboracenſis apertius inſinuaſſent, quomodo celebre monaſterium Eroylandenſe quondam ab inclito Rege Merciorum Ethelbaldo fundatum aliiſque Merciorum Regibus, ſucceſſoribus ejus multis & magnis donariis & dignitatibus ditatum, inſuper immunitatibus & immenſis privilegiis ampliatum & magnifice confirmatum, demum nefandiſſimis Danis totam terram opprimentibus; ab iiſdem dictum monaſterium fuerit igne crematum & devaſtatum: Sed poſtea tanta ceſſante procella, per induſtriam venerabilis patris Turketuli, cooperante ſibi gratia piiſſimi Regis patrui & prædeceſſoris mei Edredi, reſurrexit reſtauratum, & iterum in ſanctorum habitaculum ædificatum, & regio chirographo confirmatum: gaudio magno gaviſus ſum, & creſcenti quotidie convaleſcentique in dies temporibus (noſtris) per totam Angliam cultui Chriſtiano totis animi præcordiis (Deo teſte) congratulatus, prædicto viro venerabili, Abbati Turketulo, quondam patris mei patruorumque meorum patricio

AN CHR. 975 11. Julii. „ potentiſſimo, ac omnium hoſtium Anglici regni triumphatori ſtrenuiſſimo,
„ jamque patriæ cæleſtis amore ſervorum Chriſti ſanctiſſimo paſtori & præ-
„ lato, concedo de regalibus ſilvis meis ſuo Croylandenſi monaſterio magis
„ vicinis & propinquis ſcilicet de *Ancarigvvood*.... arbores & meremium ad ædi-
„ ficationem ſui monaſterii prædicti quot & quantum placuerit accipere......
„ prout Edredi patrui prædeceſſoriſque mei chirographa & monumenta...,
„ declarant.... Concedo etiam quod dicti monachi poſſint includere... cro-
„ ftos circa pontem ſeparaliter.... Concedo etiam .... quod habeant omnes
„ conſuetudines liberas cum omni illo quod appellatur Socha, Sacha, Tol
„ & Tem, Infangthef, Weif & Stray.... Contra ergo hujus noſtri chirogra-
„ propoſitum quicumque dictum Turketulum Abbatem... vexare præſumpſe-
„ rit.... a ſanctorum congregatione ſegregatus.... Sancitum eſt hoc in anno
Anno 966. „ Dominicæ Incarnationis nongenteſimo ſexageſimo ſexto.... † Ego Edgarus
„ totius Albionis monarcha iſtud chirographum cum ſigno ſanctæ crucis con-
„ firmavi. † Ego Dunſtanus Archiepiſcopus Dorobernenſis hoc chirographum
„ cum trophæo hagiæ crucis corroboravi. † Ego Osketulus Archiepiſcopus
„ Eboracenſis devote collaudavi. † Ego Athevvoldus Epiſcopus Wintonienſis
„ multum procuravi. † Ego Oſvvadus Epiſcopns Wicciorum commendavi. †
„ Ego Alfvvoldus Epiſcopus Donevoniæ ſubſcripſi. † Ego Alſtanus Abbas
„ Glaſconiæ conſilium dedi. † Ego Etelgarus Abbas novi monaſteri Win-
* l. Wlſinus ut infra. „ toniæ conſenſum præbui. † Ego Wlfius * Abbas ſancti Petri Weſtmo-
„ naſterii extra *London* ſubnotavi. † Ego Merwenna Abbatiſſa de Rumſe-
„ ge ſignum ſanctæ crucis feci. † Ego Ordgarus Dux Donevoniæ conſi-
* al. Elfegus. „ gnavi. † Ego Elfecſus * Suthamtonienſis Dux approbavi. † Ego Oslac
„ Dux affui. † Ego Brithnodus Dux aſpexi. † Ego Alwine Dux con-
„ ſenſi. † Ego Alferus Dux interfui. † Ego Ernulfus miniſter vidi. † Ego
* f. Ringulfus. „ Ringuhus * miniſter vidi. † Ego Adelwardus miniſter audivi. † Ego
„ Veif miniſter auſcultavi.

18. Venerabilis autem Abbas Turketulus contra pericula brachii ſæcularis impetrato ab Edgaro Rege tali munimento, etiam pro ſpiritualis auxilii clypeo utrumque Archiepiſcopum Dunſtanum & Osketulum inſtanter deprecatus eſt contra filios Belial (ſi forte in monaſterium ſuum inſtinctu diabolico *Aliud privilegium.* inſurgerent in futurum) hujuſmodi cenſuram eccleſiaſticam in ſupraſcriptorum regiorum chirographorum violatores, (videlicet Edredi & Edgari) & in omnes contra venientes, & contra procurantes eodem tempore apud Londonias impetrabat ſub iſtis verbis,

„ UNiverſis poſteris chriſtianam fidem profitentibus Dunſtanus Dorober-
„ nenſis, & Osketulus Eboracenſis Archiepiſcopi, Athelvvoldus Win-
„ toniæ, Oſvvaldus Wigorniæ, & Leſvvinus Dorcaceſtriæ Epiſcopi ſalutem
„ in Domino ſempiternam. Cum naturaliter Ægyptii paſtores omnes ovium
„ exſecrantur, & filii tenebrarum filios lucis furore implacabili perſequun-
„ tur (ſemper enim Madiam prodere populum Domini machinatur) cu-
„ pientes ideo in futurum contra ſceleratos & ſacrilegos ſanctam matrem
„ Eccleſiam jugiter infeſtantes murum defenſionis opponere, & quicumque
„ ſe divino ſervitio mancipaverunt, & in caſtris Domini quocumque modo
„ militaverunt, reddere ab hujuſmodi perſecutoribus ſecuriores, & in domo
„ Domini tutiores: attendentes etiam ſanctiſſimam devotionem, qua piiſſimi
„ Reges noſtri temporis, ſcilicet Edredus quondam Rex, & inclitus Rex
„ Edgarus nunc ſuperſtes, inſpirante ſancto Spiritu, conceperunt ad reſtau-
„ randa ſacra ſervorum Chriſti monaſteria, & eccleſiam Dei ubicumque re-
„ levandam; chirographa eorumdem Regum benigniſſime conceſſa venerabi-
„ li patri Turketulo Abbati Croylandenſi (qui pro patriæ cæleſtis amore di-
„ vitias multas & magnas dignitates fortiſſime reliquit) de confirmatione ſui
„ monaſterii ſibi confecta nos auctoritate divina confirmamus, ratificamus,
„ ac omnes qui timore Dei poſtpoſito, poſſeſſionis dicti monaſterii diripere
ten-

Digitized by Google

„ tentaverint, vel pacem dictorum monachorum contra intentionem ac volun- AN.CHR. 975
„ tatem prætractorum regiorum chirographorum perturbaverint, aut perturba- 12. Julii.
„ ri procuraverint arte vel ingenio, conſilio vel favore, quocumque colore
„ ſua machinamenta homo ſeminaverit inimicus, & filius iniquitatis ſua fude-
„ rit argumenta, ex tunc excommunicantes, nomina illorum de libro vitæ tol-
„ limus, & a conſortio Sanctorum ſeparantes, ac a limine portæ cæleſtis longius
„ repellentes, niſi condigna ſatisfactione citius ſua errata correxerint, inferna-
„ libus incendiis cum Juda traditore damnandos pro ſuis demeritis irremiſſibi-
„ libus deputamus. Inſuper ſpiritualitatem totius inſulæ Croylandiæ, villæ-
„ que adjacentis, prout a fundatione monaſterii ſui dicti monachi hactenus ha-
„ buerunt, videlicet quidquid attinet ad Archidiaconatus officium, omnibus
„ correctionibus ad inſtantiam partis, vel quocumque modo infligendis, pro
„ quibuſcumque delictis vel criminibus per quamcumque perſonam commiſſis
„ vel committendis ibidem, præfato venerabili Abbati Turketulo, & omni-
„ bus ſucceſſoribus ſuis Abbatibus in eodem monaſterio futuris, & eorum offi-
„ cialibus ad hoc officium vice ſua exſequendum ſubſtituendis, cum conſenſu
„ Agelnothi Archidiaconi procurantis iſtud fieri, concedimus & aſſignamus;
„ excommunicantes & exterminantes a facie Dei, & a glorifica viſione vultus
„ ſui in die magni judicii omnes, qui dictum patrem Turketulum, vel ali-
„ quem ſucceſſorum ſuorum ſuper hoc de cetero inquietaverint, vel aliquod
„ præmiſſorum violarint, vel violari procuraverint quocumque modo, in per-
„ petuum eos ſathanæ ſine fine tradentes, niſi citius reſipuerint, & cum con-
„ digna pœnitentia prædicto monaſterio ſatisfecerint pro patratis. Iſtud privile-
„ gium ſancitum eſt, & immutabiliter decretum ad honorem Dei & ſanctæ
„ matris Eccleſiæ relevationem, ac ſancti Guthlaci Confeſſoris reverentiam in
„ præſentia Regis Edgari, Prælatorum, Procerumque ſuorum, anno Domi-
„ nicæ Incarnationis nongenteſimo ſexageſimo ſexto apud *London* collectorum. Anno 966.
„ † Ego Edgarus totius Albionis monarcha iſtud privilegium ſanctæ crucis
„ indicio confirmavi. † Ego Dunſtanus Archiepiſcopus Doroberniæ prædi-
„ ctam cenſuram eccleſiaſticæ animadverſionis in regiorum chirographorum
„ violatores irrevocabiliter fulminavi. † Ego Osketulus Archiepiſcopus Ebo-
„ racæ perpetuam damnationem in ſanctæ matris Eccleſiæ adverſarios in-
„ ter Prælatos iſtam ſententiam corroboravi. † Ego Lefvvinus Dorcaci-
„ ſtrenſis Epiſcopus conſenſi. † Ego Alſtanus Londonienſis Epiſcopus com-
„ mendavi. † Ego Oſvvaldus Wigorniæ Epiſcopus conſenſum dedi. † Ego
„ Alſvvoldus Epiſcopus Donevoniæ conſenſum præbui. † Ego Kinſeus
„ Lichfeildenſis Epiſcopus adjuvi. † Ego Alfricus Epiſcopus Eſtangliæ pro-
„ curavi. † Ego Godvvinus Epiſcopus Roffenſis acquievi. † Ego Athel-
„ ſtanus Epiſcopus Cornubienſis conſilium dedi. † Ego Werſtanus Epiſco-
„ pus Schireburnenſis annui. † Ego Agelnothus Archidiaconus favi. † Ego
„ Elſtanus Abbas Glaſconiæ conſenſum dedi. † Ego Ethelgarus Abbas no-
„ vi monaſterii Wintoniæ conſenſum præbui. † Ego Wlſinus Abbas ſan-
„ cti Petri Weſtmonaſterii extra *London* ſubnotavi. † Ego Oſvvardus Ab-
„ bas Eveshamenſis ratum habui. † Ego Mervvena Abbatiſſa conſignavi. †
„ Ego Wlvvina Merhamenſis * Abbatiſſa communivi. † Ego Orgarus Dux *al. Mercamenſis.
„ conſtitui. † Ego Ailvvinus Dux conſtabilivi. † Ego Brithnodus Dux aſ-
„ pexi. † Ego Oſlacus Dux affui. † Ego Alferus Dux interfui. † Ego Elfe-
„ gus Dux audivi. † Ego Frithegiſtus * miniſter vidi. † Ego Ethelvvard *al. Eriſtegiſtus.
„ miniſter vidi. † Ego Ethelmund miniſter auſcultavi. Acta ſunt hæc in octa-
„ vis Pentecoſtes in eccleſia ſancti Pauli cathedrali.

19. Confirmato itaque monaſterio ſuo, & contra omnes adverſantes tam pontificali, quam regali auctoritate ſufficienter ſuffulto, & fortiſſimo effecto, venerabilis pater Abbas noſter Turketulus jam ſenior ætate, plenuſque dierum, deinceps in ſæculum non exibat: ſed inter ſeniores monaſterii quotidie converſatus, de ſtatu & obſervantiis antiqui monaſterii inquirere & audire ſummopere affectabat. Dum namque Ajonem, qui juriſperitus monumenta

Hiſtoriæ hæc ex quibus accepta.

AN CHR 975 11. Julii. menta monaſterii veteris optime noverat; dumque Thurgarum, qui ab infantia utriuſque monaſterii veteris & novi devaſtationem & reſtaurationem oculis viderat, ceteroſque ſeniores, quæcumque de ſuis ſenioribus in adoleſcentiori ætate audierant, aſſignans eis fratrem Svvetmannum, debita diligentia exciperet, quatenus ſuis poſteris tam memoranda de monumentis veteris monaſterii, quam de regularibus obſervantiis ejus ſtudioſe traderent, inſtantiſſima vigilantia deprecatus eſt. Ediderunt tunc illi ſeniores hiſtoriam iſtam, continentem majora memoranda domus noſtræ cum paucis incidentiis regni Merciorum, & Weſtſaxonum a noſtra prima fundatione per Ethelbaldum Regem, uſque ad quartumdecimum annum regni incliti Regis Edgari.

Crulandenſis monaſterii diſciplina. 20. Quo etiam tempore venerabilis pater noſter Abbas Turketulus, antiquis obſervantiis veteris monaſterii Croylandenſis plenius auditis, examinatis, & integre intellectis, ſtatuit & decrevit, ſubſequentia in ſuo Croylandenſi monaſterio perpetuis temporibus inviolabiliter ab omnibus obſervanda. Dividens enim totum conventum in tres gradus, ut quilibet gradus ſuum ſtatum agnoſceret & teneret, ſtatuit, videlicet quod juniores ab ingreſſu monaſterii uſque ad annum vigeſimum quartum in Ordine, ſubeant omnia opera chori, clauſtri & refectorii, canendo, legendo, ſerviendo, & omnes regulares obſervantias ſecundum magiſtri ſui doctrinam cuſtodiendo: quæ officia quicumque tam pro ſeipſo, quam pro ſociis ſuis ſtuduerit diligenter & devote peragere, ubique majorem favorem a ſuperioribus ſuis merebitur obtinere. Si quis autem (quod abſit) inflatus ſuperbia, vel elatus alicujus artis ſcientia, vel confiſus litterarum copia, vel conductus parentum ſuorum aut alicujus alterius amicitia, ſuſurro ſeu detractor, contentioſus, ſeu quocumque modo ſeniorum ſuorum contemptor eruperit in monaſterio; tamquam veniens ab inferis Alecto, ab omnibus cautius evitetur, nec aliquam gratiam in capitulo, nec licentiam in refectorio, nec ſolatium in infirmitorio uſque ad vitii ſui emendationem de ſuperioribus conſequatur: ſed ſicut bos cornupeta domi recludendus, de leunculo ne leo evadat indomabilis, in ipſo initio per Priorum diſcretionem debite caſtigetur. Qui vero affabiles & faceti, caſti & pacifici, mites & modeſti, obſequentes & obedientes fuerint; omni favore digni frequentius ſolatia ſortiantur.

(Margin: Ordo primus juniorum.)

Ordo ſecundus provectorum. 21. Porro qui viginti quatuor annos a converſione ſua compleverint, per ſexdecim annos ſequentes medium gradum tenebunt. Iſti ſunt abſoluti ab officiis parvis, Cantariæ, Epiſtolæ, Evangelii, & a ceteris minoribus laboribus: ſed cum onera alia chori, clauſtri & refectorii fecerint in curſu ſuo circulari, ſupportationem frequentem a junioribus habebunt, ut bis vel ſaltem ſemel in hebdomada pro bono obedientiæ ipſius ſua officia faciant; in ceteris diebus a junioribus adjuventur. Et cum iſtis magnitudo negotiorum, & providentia conſiliorum, ac totius loci ſollicitudo ſpecialiter incumbit, decet, ut ſecundum ſuos labores præter divinam remunerationem, quam monachi maxime exſpectant, vultum Superiorum ſuorum ſentiant rigidum vel benignum, affabilem vel auſterum, cum onere recipiant honorem, & juxta ſua merita gratiam vel gravamen.

Ordo tertius Seniorum. 22. In gradu namque tertio qui quadrageſimum annum attigerint, uſque ad quinquageſimum annum in Ordine ſeniores appellentur, abſolvendi ab omni onere chori, clauſtri & refectorii, præterquam a curſu Miſſarum, quæ cum nota canuntur: in quibus Miſſis juniores de primo gradu, & medii de ſecundo gradu quotidie ſe devote offerendo ſua onera ſupportabunt. Anno etiam quadrageſimo ſecundo completo erunt iſti excuſati ab omni officio forinſeco, ſcilicet Proviſoris, Procuratoris, Cellarii, Eleemoſynarii, Coquinarii, Operarii & Pitantiarii, niſi aliquid officiorum præmiſſorum Abbas alicui ſeni ex urgente neceſſitate decreverit aſſignandum. Iſti, tamquam milites emeriti, qui portaverunt pondus diei & æſtus in ſervitio Dei, & pro ſtatu monaſterii ſui carnem & ſanguinem ſuum expenderunt, omni honore

nore digni ſunt, & nullius indigentiam patiantur. Hoc omnimodis in iſto gradu attendendum, quod hujuſmodi diſpenſationis gratiam illi digniſſime conſequantur, qui a primo ingreſſu in monaſterium uſque ad illam ætatem de nullo crimine convicti fuerint, pro quo pœnam gravioris culpæ ſuſtinere publice meruerunt. AN.CHR. 975 11. Julii.

23. Quinquagenarius autem in ordine, Sempecta vocandus, honeſtam cameram in infirmitorio de Prioris aſſignatione accipiat, habeatque clericum ſeu gartionem ſuo ſervitio ſpecialiter attendentem, qui exhibitionem victualium recipiet de parte Abbatis modo & menſura, quibus miniſtratur gartioni unius armigeri in Abbatis aula. Huic Sempectæ unum fratrem juniorem commenſalem tam pro junioris diſciplina, quam pro ſenioris ſolatio Prior quotidie aſſignabit: quibus, tamquam infirmis, de coquina infirmorum victualia miniſtrentur. Ipſe vero Sempecta pro ſua voluntate & arbitrio ingrediens & egrediens chorum, clauſtrum, & refectorium, & dormitorium, ac alias officinas monaſterii, cum frocco vel ſine frocco, quomodo & quando voluerit, intrabitque & exibit. Nihil triſte de negotiis monaſterii in ejus audientia recitetur. Nullus eum in aliquo audeat offendere; ſed ſumma pace animique quiete finem ſuum præſtoletur. Licentiam habeat & poteſtatem quotidiani capituli monachorum pænitentias injungere, & injunctas, prout viderit vultum pænitentis contritum & compunctum, minuere vel augere. Omnes etiam licentiæ refectorii, omniaque ſolatia infirmitorii ejus deſcriptioni & arbitrio committantur: & prout hactenus ſolitum eſt miniſtrari, tam de victualibus, quam de aliis neceſſariis, ſive domi ſive foris fuerit, eodem modo in perpetuum miniſtretur, niſi convictus de aliquo crimine inveniatur: quia tum admonitione de ſua emendatione (prout ſancta Regula noſtra dictat) procurante... Qui Prioratus officium in Croylandia ſemel obtinuerit, uſque ad obitum ſuum Prior perpetuo permanebit: & quia in medio fratrum rector eorum in honore, præter inclinationes, omnis honor ei & reverentia exhibeatur. Præcentori tabularum, ac ejus aſſignatoribus in choro tam Abbas & Prior, quam tota cetera congregatio humiliter obediat.

24. Officio etiam Sacriſtæ tunc in augmentum portionis ſuæ officium Archidiaconatus ſuper totam parochiam Croylandiæ aſſignavit, dum ſine acceptione perſonarum, cum timore Dei rationabiliter & canonice ſuum officium exſequatur. Dedit tunc officio Sacriſtæ calicem aureum, & duas phialas argenteas & deauratas, ac in formam duorum Angelorum opere cælatorio fabrefactas, & duas pelves argenteas miri operis & magnitudinis, pulcherrime cælatas cum militibus armatis. Quæ vaſa univerſa Imperator Almanniæ Henricus aliquando contulerat, & uſque ad illud tempus ſemper in ſua capella reſervarat. Item officio cameræ monachorum tunc aſſignavit manerium ſuum de *Beby* cum eccleſia ejuſdem villæ, divinam maledictionem imprecans, quicumque dictum manerium & eccleſiam ejuſdem dicto officio immutaverit in damnum conventus vel procuraverit immutari. Turketuli alia donaria.

25. Hæc ſanctiſſima ſtatuta venerabilis pater noſter Abbas Turketulus in ſuo Capitulo publice promulgata, & ab omnibus acclamata, & obedientiſſime acceptata fecit ſcribi, & in fine Regulæ ſancti Benedicti juſſit apponi, ut omnes cum vellent, valerent legem ſuam legere, & ne contingeret aliquem per ignorantiam contraire. Edita itaque a prædictis quinque Sempectis iſta præmiſſa veteris monaſterii hiſtoria, ſtatutis etiam venerabilis Abbatis Turketuli prætactis, per dictos Sempectas longo libramine digeſtis, & in Regulam ſcripto redactis; præfatus pater jam ſenio fractus, & præcipue vulneribus plurimis, ac laboribus immenſis in ætate fortiori ſuſceptis multum debilitatus, quotidie metam ſuæ mortis exſpectabat, & tamquam bonus operarius a Domino ſuo denarium pro fideli adminiſtratione ad veſperam recepturus, finem fieri ſudorum ſuorum, veſperumque venire retributionis æternæ affectu deſiderantiſſimo ſuſpirabat, frequentius & ferventius invigilare Extrema ejus facta.

AN. CHR. 975 11. Julii.

re ſanctis meditationibus, & afflictionibus vacare, omnes pauperes de ſuis indigentiis relevare, mendicantibus & egenis omnibus victualia præſtare, ceteris etiam charitatis operibus inſudare, in dies vitam præſentem faſtidire, & indeſinenter futuram appetere, regularium obſervantiarum nihil negligere; ſe tamen inutilem ſervum dicere, & totis animi præcordiis Chriſti miſericordiam concupiſcere, devotioneque infatigabili, quaſi diligentia manuali, quotidie paradiſi portas pulſare, ac regni cæleſtis aditum omni Chriſtiano titulo vindicare. Infantes ac filios nobilium monachandos, & apud Pegelandenſes clericos ad erudiendum litteris deputatos, ne forte in aliquo negligentius tractarentur, ſaltem ſemel omni die viſitans, lectionem & laborem uniuſcujuſque conſiderabat; & afferente ſecum aliquo ſervitore ficus vel uvas paſſas, vel nuces, vel amygdala, vel ſæpius poma & pira, vel alia talia munuſcula, bene laborantes remunerabat præ ceteris, ut omnes ad diligentius inſiſtendum ſuis lectionibus, non verbis tantum vel verberibus, ſed ſæpiſſime precibus, & præmiis provocaret. Sempectas autem monaſterii, qui verbo vitæ ipſum ad Dei ſervitium genuerant, ſemper in ſumma veneratione habebat, quotidie conſolatus familiari alloquio, & de menſa ſua aliquo inviſens ſpeciali xenio.

Monachis morientibus aſſiduus. * al. 148.

26. Cumque primus prædictorum Sempectarum & ætate decrepito, & ordinis converſione diuturna ceteris multo ſenior dominus Clarenbaldus completis annis vitæ ſuæ centum ſexaginta & octo *, infirmatus, jam de manu Domini tam longiſſimi laboris in ſuo ſancto ſervitio præmia percepturus, lecto decumberet, carnis depoſitionem in proximo præſtolatus; ipſe venerabilis Pater Abbas Turketulus, ſervitoris fungens officio, die nocteque non recedebat, ſed juxta recubans, regulare ſervitium in auribus ægroti decantabat *; & omnia officia more paratiſſimi juvenis propriis manibus peragebat. Tandem inunctum ac defunctum, in medio choro, cum ſollemni exſequiarum officio, tumulabat. Anno proxime ſequente obiit dominus Swarlingus completis annis vitæ ſuæ centum quadraginta & duobus. Quem venerabilis pater Abbas Turketulus ſimili diligentia ægrotantem cuſtodivit, & defunctum juxta dominum Clarenbaldum cum ſimili ſepulturæ reverentia tumulo commendavit. Sic dominum Brunum, ſic dominum Ajonem, omneſque tres intra unum annum, qui erat incliti Regis Edgari annus decimus quartus, ſimiliter & ſimili miniſterio ſepelivit. Tandem anno proximo ultimus omnium obiit dominus Turgarus, venerabilis ſenex, completis vitæ ſuæ annis centum & quindecim. Iſti quinque ſenes Sempectæ utrumque monaſterium viderant, & vetus quod a Danis deſtructum fuerat, & novum quod nuper reſtauratum fuerat.

* id eſt recitabat.

Turketulus morti proximus quid ſtatuerit.

27. Anno Dominicæ Incarnationis 975. qui erat Edgari Regis decimus ſextus & ultimus, celebrato cum multa devotione feſto Apoſtolorum Petri & Pauli, venerabilis pater noſter dominus Abbas Turketulus ex ferventiſſima illo anno canicula febrem incurrens, ultra ſolitum modum per triduum fortiſſime laborabat. Quarto die lecto decumbens, totum conventum, monachos ſcilicet quadraginta ſeptem, & quatuor laicos fratres in cameram ſuam convocavit: & coram omnibus dominum Egelricum, tunc proviſorem ſuum, ſtatum domus tam in theſauris, quam in jocalibus aliis juſſit oſtendere, & de univerſis poſt obitum ſuum per indenturam *a* conventui reſpondere. Theſaurus monaſterii prolatus palam, tunc ad ſummam decem milium librarum fere pertingebat. Reliquiæ vero plurimæ fuerunt & pretioſiſſimæ, quas Imperator Almanniæ Henricus, Rex Francorum Hugo *b*, Princeps Aquitanorum Ludovicus, aliique multi Duces & Comites, Proceres & Prælati, Regum Anglorum benevolentiam & amicitiam captare cupientes, dum regii Can-

a Id eſt chartam indentatam, quæ in modum dentium a medio chartæ reciſa, aliam habebat ejuſdem tenoris in alia parte deſcriptam. Vide lib. 2 de re diplomatica caput 2.

b Hic hallucinatur auctor, legendumque, *Dux Francorum Hugo*, nempe Magnus, qui anno 926. mortuo patre, Ethildem, ſororem Adelſtani Anglorum Regis, uxorem duxit. Unde corrigendus auctor num. 12. Confer Willemum Malmesburienſem in lib. 2. de Regibus Anglorum cap. 5. & 6.

Cancellarii officium gerebat, ei crebro contulerant. Inter quas præcipue colebat pollicem beati Bartholomæi Apoſtoli, ita ut illum ſemper ſuper ſe gereret, & cum illo in omni periculo & tempeſtate & fulgure ſe ſignaret. Dux Beneventanus Imperatori illum dederat, cum eum baltheo militari primo juvenem accinxiſſet: Imperator autem illum ei adhuc Cancellario contulerat. Item de crinibus ſanctæ Dei genitricis Mariæ, quos Rex Franciæ ei incluſos in aurea pyxide dederat: quoddam os de ſancto Leodegario Epiſcopo & Martyre per Principem Aquitaniæ donatum; ac aliæ multæ, quarum quædam diſtractæ ſunt, quædam adhuc ad hæc noſtra Normannorum tempora conſervantur. Vaſa vero aurea & argentea multa, quæ omnia integra in neceſſitatem monaſterii ſub proviſoris & procuratoris cuſtodia deputaverat conſervanda. Erant enim ambo Egelrici, cognati ſui ſecundum carnem, & fratres ſecundum Deum religioſiſſimi & devoti, alter monaſterii proviſor, alter procurator: proviſor in temporalibus tractandis prudentiſſimus; procurator vir ſcholaſticus, & omnium literarum ſcientia profundiſſima imbutus. Iſti conſiliarii Abbatis fuerunt præcipui, Priorque Amfridus, quamdiu vixit; ac ſine illorum conſilio nihil magnum aut minimum faciebat. In dies ergo creſcente febre, & ad extrema deducente, communicatus Chriſti ſacris myſteriis, crucem, quam de eccleſia ante conventum miniſtri attulerant, datam ad oſculandum ambobus brachiis amplexatus, quantis ſuſpiriis, quot lacrymis, quibus ſingultibus, & quam frequenter oſculatus fuerit, paucis non poteſt explicari. Tam devota verba ad ſingula Chriſti vulnera dixit, quod omnes circumſtantes fratres ad lacrymas uberrimas commoverit, & a multorum dictorum fratrum cordibus, quamdiu poſtea vixerunt, ejus devotionis memoriam deinceps non receſſerit. Pridie ante obitum ſuum, ad fratres ſuos, qui aderant, brevem ſermonem faciens de Ordinis obſervantia, de charitate fraterna, de negligentia tam in temporalibus quam in ſpiritualibus cavenda, & de ignis noſtri diligenti cuſtodia (ſive charitatem ſupponebat, ſive combuſtionem loci ſignificabat, quam præcaveri cupiebat: tum iſtud verbum, *Ignem veſtrum optime cuſtodite*, frequenter & quaſi prophetice commonebat) tandem dimittens ſe omnium orationibus commendabat, omnibus ultimum vale dicens, & pro omnibus Deum rogans. Cumque virtus vitalis deficeret, & languor magis & magis violentior ingraveſceret, quinto Nonas * Julii, id-eſt in Translatione ſancti Benedicti patris & patroni ſui, officio regulari completo, complevit & ipſe in ipſo Completorio dies ſuos, tranſiens ex hoc mundo ad Patrem, de ſudoribus Abbatiæ ad ſinum Abrahæ, ſepultuſque eſt in eccleſia ſua, quam a fundamentis conſtruxerat, juxta magnum altare, in ejus latere dextro, a convicinis patribus Adulfo Burgenſi; & Godmanno Thornienſi Abbatibus, anno ætatis ſuæ 68. & monachatus ſui 27.

AN.CHR 975 11. Julii. — Pie obit, — *1. Idus. — die Translationis S. Benedicti.

28. Cui ſucceſſit ad Abbatis officium electione omnium Egelricus ſenior cognatus ejus, & ſub ipſo proviſor monaſterii totius, vir religioſus valde, & in temporalibus tractandis vir excellentis induſtriæ; ac in omnibus ſæcularibus negotiis proſpero fine tractandis, experientiæ immenſæ prudentiæque mirandæ. Duci namque Merciorum Alfero carne propinquus, & multa familiaritate præcharus, ſub præfato Rege EDVVARDO, qui patri Edgaro ſucceſſerat in regnum, cum monaſteria multa graviſſime affligerentur, nullum damnum paſſus eſt, nec in minimo moleſtatus. Ipſe quidem domini Turketuli Abbatis ultimis annis functus ſub eo totius monaſterii Proviſoris officio, multa bona opera faciebat. Stimulavit enim & induxit dominum Turketulum Abbatem Londonias adire, & chartam Edgari Regis, ac cenſuram eccleſiaſticam in violatores ejus ab Archiepiſcopis Dunſtano Dorobernenſi, & Osketulo Eboracenſi, cum confirmatione ſpiritualitatis ſuper totam parochiam Croylandiæ impetrare, quo paci & quieti totius monaſterii providetur, & contra violentias tam ſpirituales, quam temporales totum cœnobium validiſſime roboratur. Audito etiam quod ſanctus Athelvvoldus Epiſcopus Wintoniæ inſiſteret penes Regem Edgarum mona-

Egelricus Abbas ſucceſſor. — Ejus facta.

Digitized by Google

AN.CHR. 975 11. Julii. monaſterium de *Medeshamſted* in vicinio ſituatum, ad ſtatum priſtinum reſtaurare, dum adhuc vicinæ ſilvæ in manu Regis fiſco applicatæ manerent; utens licentia regiæ chartæ, arbores & meremiam de dictis ſilvis ad monaſterium Croylandiæ curribus & carpentis, carris & plauſtris, omnique genere vehiculorum cariari fecit. Unde poſtea in monaſterio Croylandiæ pulcherrima ædificia facta ſunt, & pulcherrima ligna multa numero valde ad quoſcumque caſus in tempus futurum pro monaſterii neceſſitatibus conſervata. De namque illo meremio, adhuc domino Turteketulo Abbate ſuperſtite, conſummata eſt navis eccleſiæ, turriſque ejus longiſſimis trabibus fortiſſime ſuffulta & compacta. Poſt etiam obitum domini Turketuli Abbatis fecit ipſe de eodem meremio plurima pulcherrimaque ædificia. . . . . Omnia hæc, præter Abbatis cameram & capellam, quæ clauſtrum contingebant, & prædictum diverſorium pauperum, quæ dominus Turketulus lapidea fecerat, erant lignea. . . . Fecit & fieri duas magnas campanas, quas *Bartholomæum* & *Bettelinum* cognominavit, & duas medias, quas *Turketulum* & *Tatvvinum* vocavit; & duas minores, quas *Pegam* & *Begam* appellavit. Fecerat fieri antea dominus Turketulus Abbas unam maximam campanam, nomine *Guthlacum*, qua cum prædictis campanis compoſita, fiebat mirabilis harmonia; Obitus. nec erat tunc tanta conſonantia campanarum in tota Anglia. Decemque annis in officio paſtorali conſumptis ſtrenuiſſime, obiit Abbas Egelricus pridie Nonas Auguſti anno Domini 984.

Egelricus junior ſuccedit. 29. Cui ſucceſſit ad Abbatis officium de eadem cognatione alter Egelricus dictus Junior . . . . Dedit iſte Abbas communi bibliothecæ clauſtralium monachorum magna volumina diverſorum Doctorum originalia numero 40. minora vero volumina de diverſis tractatibus & hiſtoriis, quæ numerum centenarium excedebant . . . . induitque omni anno totum conventum cum ſecta ſua de tunicis, omni altero anno de cucullis, & omni tertio anno de froccis, præter illa quæ dominus Turketulus aſſignaverat conventui, ſingulis annis de eccleſia & manerio de *Beby* capienda. Cumque octo annis optime monaſterium rexiſſet, obiit Nonis Martii anno Domini 992. . . . . . . Sepulto vero Abbati Egelrico in capitulo juxta alterum Egelricum, ſucceſſit ad Abbatis officium dominus Osketulus Abbas, ſub domino Turke- Osketulus poſt eum. tulo & utroque Egelrico Abbatibus poſt Amfridum Priorem Prior longo tempore . . . . Accidit ergo, quamdam magnam dominam villæ quæ *Elnophesbiry* vocatur, Lefvvinam nomine, ſororem ſcilicet ex parentum propagine domini Osketuli Abbatis Croylandiæ, ad *Mitleſey* tunc villam ſuam S. Neoti reliquias obtinet. venire, & ſecum ſacras reliquias, ſcilicet ſacratiſſimam glebam ſancti Neoti Confeſſoris de *Elnophesbiry*, quia minus honorifice jacuerunt, ac Danorum deprædationi patuerunt, in ſcrinio ad hoc aptato deferre. Quæ dirigens celerem nuntium ad fratrem ſuum dominum Abbatem Osketulum, ſupplici poſtulabat ſupplicatione, quatenus cum congruo fratrum ſuorum comitatu Witleſiam placeret accedere, & dictas reliquias ſancti Neoti Confeſſoris ſecum in ſuum monaſterium cum digna reverentia *a* deportare. Ille gaudens & exſultans, aſſumptis ſecum quibuſdam fratribus, Witleſiam adiit, & dictas ſanctas reliquias cum debita honorificentia & pſalmorum melodia ad Croylandiam tranſtulit, ac juxta ſanctæ Dei genetricis Mariæ altare cum devotione debita collocantur.

DE

a De hac translatione actum eſt in tomo ſuperiori pag. 337.

Digitized by Google

AN.CHR. 976 20. April.

DE ELEVATIONE CORPORIS
S. THEODERICI ABBATIS REMENSIS.

1. *Vitam ſancti* Theoderici *Abbatis retulimus in Sæculo* I. *auctore anonymo: aliam breviorem poſtea reperimus, quæ antiquioris videtur auctoris, in qua Teudericus ad diſcrimen Teuderici Regis* Teuderio *appellatur. De ejus elevatione hic agendum, quam mirum fortaſſe videbitur tamdiu fuiſſe dilatam: cum ſancti Theodulfi ejus diſcipuli corpus ante hoc tempus tumulo elatum fuerit, atque Remos deportatum. Verum illud inde accidit, quod ſancti Theoderici corpus maluerint ejus alumni ſecreto loco penes ſe propter Nortmannorum metum reponere, quam Remos delatum amittendi periculo exponere. Hujus vero elevationis occaſio nata eſt ex reſtitutione monachorum in cœnobio ſancti Theoderici, quod in monte* Or *duabus ab urbe Remorum leucis ſitum eſſe alias diximus.* Canonici ſæculares apud S. Theoderi-cum.

2. *Cum locus iſte bellorum temporumque injuriis fere attritus eſſet, laxata regulari diſciplina monachi ex regularibus facti ſunt ſæculares. Id contigiſſe putat Marlotus ſub ultimis Regibus primæ ſtirpis. Equidem* ſex Canonici *ſancti Theoderici nominantur anno* 882. *in libello ſupplici Cleri Remenſis pro electione Fulconis. Acceſſit ad miſeriarum cumulum, quod Hungari idem monaſterium ſæculo decimo flammis combuſſerunt, teſte Frodoardo in Hiſtoriæ lib.* 1. *cap.* 25. *Anno* 953. *ex ejuſdem Chronico,* Synodus quinque Epiſcoporum apud ſanctum Theodericum in territorio Remenſi celebratur, Artoldo Archiepiſcopo præſidente. Ad quam vocatus Ragenoldus Comes ob res eccleſiaſticas ab eo pervaſas, venire noluit; ſed deprecatus eſt Regem, ne excommunicaretur, ut ad Synodum mitteret: cujus excommunicatio tunc Rege petente intermiſſa eſt. *Poſtea tamen, id eſt anno* 966. Odelricus Archiepiſcopus Ragenoldum Comitem excommunicavit pro villis eccleſiæ Remenſis, quas pertinaciter detinebat. Et ipſe Comes loca quædam ejuſdem Epiſcopii cum ſuis pervadens, rapinis incendiiſque devaſtat. *Ragenoldus iſte Comes erat Rociacenſis * primus, qui multa bona eccleſiæ etiam ſancti Theoderici invaſerat, ſepultus in eccleſia ſancti Remigii apud Remos, prope Gerbergam Reginam.* Synodus ibidem. * de Rocy.

3. *Anno* 970. *Adalbero Odalricum Remorum Antiſtitem excepit, cui nihil antiquius fuit, quam monaſteria ſuæ curæ concredita in meliorem ſtatum reformare: id quod de Moſomagenſi & S. Theoderici exſecutus eſt. Chronici Moſomenſis verba retulimus ſuperius, ubi de ſancti Arnulfi translatione actum eſt, ex quibus hæc repetere juvat ad conſequentiam dictorum.* Jam tunc Epiſcopus *Adalbero* intendebat animum hunc locum decuſſare, *id eſt ornare* regulari inſtitutione, ſicut poſt fecit Remis ſancti Theoderici locum, quem de manibus Rotgerii Comitis *Rociacenſis* injuſte illum tenentis, vi & ſagacitate retraxit; & remotis duodecim præbendariis, non Deo & ſanctis ejus, ſed ſibi ipſis & Comiti ſervientibus, Abbate ex monaſterio ſancti Remigii accepto, Airardo nomine, cum monachis Deo fideliter militantibus religioſe inſtituens ordinavit. *Ad hæc pia opera motus eſt Adalbero, tum quia in Gorzienſi monaſteria inſtitutus a puero fuerat, tum quia per ea tempora ſanctus Theodericus miraculis coruſcabat, teſtante Frodoardo. Hæc monachorum reſtitutio contigit an.* 972. *Sic enim in brevi Chronico Remenſi legimus apud Labbeum.* An. 972. reſtitutus eſt Ordo monachorum in monte Or. *Rem fuſius narrat Auctor anonymus in libello inedito de elevatione ſancti Theoderici, quo ex libello quædam hic delibamus, ubi Adalbero Remenſis Archiepiſcopus Adalberoni Mettenſi Epiſcopo* conſanguinitatis propinquiori linea conjunctus fuiſſe *dicitur.* Monachi ibidem reſtituti. Frodoard. in Chron. an. 951.

4. *Qui primus loco præfectus eſt Abbas,* dictus eſt Airardus ex nomine, *ex cœnobio ſancti Remigii* ubi tunc religionis ſtudium florebat. *Is* olim ex clerico monachus effectus, jam quoque eximia vitæ converſatione plures excellebat & ſanctitate. *Ibi* dum vixit, & in loci reparatione, & in Fratrum ſpirituali ædificatione attentius laboravit. *Porro* plures *Monachorum ejus* ſtudio beate vivendi animati, abrenuntiato ſæculo huc diebus illis confluebant. Crebro etiam viſitandi gratia domnus Adalbero huc veniebat; *eiſque monita ſalutis dabat.* Airardus Abbas.

5. *Neque hoc contentus Adalbero, factum ſuum regiis litteris, confirmari curavit, obtentis a Lothario Rege litteris, quas Marlotus in tomo* 2. *retulit. In iis litteris Rex proloquitur, fidelem ſuum Adalberonem Archiepiſcopum, accedente etiam rogatu Emmæ Reginæ, ſibi ſupplicaſſe, ut diploma largiretur* ſuper quadam Abbatia cœnobii tertio milliario ab urbe diſparata, in honore beati Bartholomæi, beato diſponente Remigio ſub divina revelatione conſtituti, in quo venerabilis confeſſor requieſcit Theodericus, primus ejuſdem loci ab eodem ſancto Dei Pontifice monachorum Abbas inſtitutus: *qui locus, cum a monaſtico Ordine defeciſſet in canonicalem,* procurante eodem Adalberone, in priſtini Ordinis dignitatem eſt reportatus. *Rem probat Lotharius Rex, confirmans bonorum reſtitutionem, quæ eidem monaſterio ab eodem facta eſt. Diplomati ſubſcribunt præter Adalberonem Remenſem* Adalbero Laudunen. Vvido Sueſſionen. Theobaldus Ambianen. Guillebertus Vvido, Manasses, Albertus, & Rotgerus *Comites.* Actum palatio Compendii ſub die 7. Kal. Junii; anno Incarnationis 974. Indict. 2. vigeſimo anno regnante glorioſiſſimo Rege domno Hlothario. Lotharii diploma.

6. *Rebus ita ordinatis & firmatis conſilium initum eſt de ſancti Theoderici corpore e terra efferendo. Id factum anno* 976. *& quidem* 13. *Kal. Maii, quo die ita legitur in Martyrologio loci.* Inventio corporis beati Theoderici, a domino Adalberone Archiepiſcopo, qui ordinatione beati Remigii primus Abbas extitit in monte Or, ubi incorruptus plus ferme quam trecentis quinquaginta annis requievit: & translatio ipſius atque ſancti Theodulfi in capſam argenteam. *Annum aſſignat breve* S. Theoderici elevatio.

Chroni-

Digitized by Google

AN.CHR 976 20. April. *Chronicon Remenſe apud Labbeum*. Anno 976. ſanctus Theodoricus levatus. *Prolixam hujus elevationis hiſtoriam ſcribit anonymus, cujus hæc ſumma. Effoſſa humo*, apparuit derepente quidam ſarcophagus, in quo nihil aliud repertum eſt præter terram, quæ putrefactis laterum compagibus intro plurima ceciderat. Et hoc quidem fecerat provida hominum induſtria, qui ſarcophagum vacuum inter tumulum interpoſuerant, *ne* quiſpiam furtim ſacrum pignus *auferret. Altius defoſſa humo, tandem* inventum eſt corpus beati Confeſſoris holoſericis veſtibus involutum, ſtola ſcilicet circumquaque lento auro deducta, & pleraque pariter reperta ſunt pretioſa indumenta.

Regi hæc nuntiantur. 7. *Interea Epiſcopus rem Lothario Regi deferendam ratus*, juſſit corpus in terra relinqui *pallio ſuperinjecto*. Hæc autem facta ſunt anno Dominicæ Incarnationis 976. menſe Aprili, videlicet 13. Kal. Maji, inter ipſa Quadrageſimæ ſolemnia: nec tamen uſque in Decembrem menſem a loco ſepulturæ remota ſunt beati viri pignera. Quærebat interim Epiſcopus ex induſtria opportunitatem, quo Rex Lotharius, qui illis temporibus regno præerat, expeditius accerſiri poſſet ad ipſam elevationem, quod ad effectum uſque non pervenit juxta votum ejus, quia ferme toto illius temporis curriculo immorabatur Rex pro quibuſdam reipublicæ negotiis circa extremas partes regni. *Demum accidit, ut prædicto menſe*, infra ipſos dies quibus agitur obſervantia Dominici Adventus, ut Remorum finibus Rex appropinquaret, habiturus quidem apud metropolim palatium cum optimatibus ſuis. *Rex ab Epiſcopo invitatus ad celebritatem, non renuit adeſſe, ſed* mox cum uxore ſua Emma & exercitu copioſo eo iter acceleravit. *Adalbero* miſſa legatione *interea vicinos Epiſcopos & Abbates* convocavit. *Omnibus adunatis, Archiepiſcopus ſacrum corpus e tumulo efferre conatus, ſed fruſtra; Regem obſecrat, præbeat manum: Theodericum regiis humeris in tumulum elatum, ex eodem nolle abſque regiis manibus efferri. Appoſita Regis manu, ſacrum corpus facili negotio eductum eſt* 3. Idus Decembris, *atque decenti in loculo repoſitum*. Ipſo die Rex cum Regina beato Confeſſori pretioſa ornamenta obtulerunt.

S. Theodulfi relatio. 8. Præterea beatæ memoriæ Epiſcopus *locum amplius illuſtrare cupiens, corpus beati Theodulfi, quod tunc* Remis in majori eccleſia quieſcebat, *ad priſtinam ſedem reportari curavit: ut ſcilicet* ex his duobus patronis uno in loco ſociatis virtus divina *copioſius oriretur*, quæ finitimos ad pietatem excitaret *efficacius. Reclamantibus civibus, dies nihilo minus conſtituta eſt. Adalbero ſacram ſarcinam cum ſuis comitibus* uſque ad locum, qui Mons Remenſis dicitur, *detulit: ex quo monachi eamdem ſuis humeris gaudentes ad ſuam eccleſiam extulerunt. Hæc paucis ex Auctore illo anonymo, poſt cujus libellum varia ſancti cum Theoderici, tum Theodulfi miracula referuntur, quæ partim ſancti Theoderici actis ſubjuncta ſunt in Sæculo* 1.

Airardus Abbas auctor. 9. *Horum omnium auctor fuit cum Adalberone* AIRARDUS *Abbas, qui primus loco præfuit poſt reſtitutam inibi monaſticæ vitæ diſciplinam. Mortuus eſt ante annum* 983. *ut colligitur ex indice monachorum, qui mortui ſunt ſub unoquoque Abbate Remigiano, nam ſub Rodulfo Abbate tertio ponitur obitus Airardi Abbatis. & Chriſtiani ejus ſucceſſoris. Rodulfus vero non exceſſit annum* 983. *cum nonniſi annos* 14. *Archimonaſterio præfuerit poſt Hugonem, qui annos dumtaxat duos Abbas fuit poſt Hincmarum anno* 967. *defunctum, ut in ejus Elogio ſuperius diximus. In* Necrologio *Remigiano*, Airardus Abbas ſancti Theoderici *notatur* 5. Kal. *Junii*. Chriſtianus 13. Kalend. Februarii.

AN.CHR 977 1. Martii.

VITA SANCTI RUDESINDI

EPISCOPI DUMIENSIS MONASTERII

Cellæ-novæ in Callæcia conditoris.

Ubi de ILDUARA Confeſſa ejus matre.

Auctore STEPHANO, Cellæ-novæ ſæculo 12. monacho.

Ex Martio Bollandiano.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Rudeſindi Vitæ & miraculorum ſcriptores duo. 1. *Ante annum* 1171. *quo Hyacinthus Cardinalis, poſtea Cæleſtinus III. Apoſtolici Legati munus obibat in Hiſpania, ſcripta erat Rudeſindi Dumienſis Epiſcopi; & Cellæ novæ conditoris vita, quam is attente perlegit, antequam corporis ejus elevationem, accitis totius Callæciæ, vicinarumque provinciarum Epiſcopis procuraret. A quo primum ſcripta ſit hæc vita, ambigunt auctores. Hanc Godefridus Henſchenius cum miraculorum parte maxima Stephano Cellæ-novæ monacho tribuit auctori; quem deinde Ordonius ejuſdem loci monachus ab illis num.* 31. *verbis:* Quia vero longum eſt ſcribere omnia &c. *exceperit. Ab Henſchenio diſſentiunt Hiſpanici ſcriptores, maxime Morales cum Aguirra noſtro: quorum prior in lib.* 16. *Chronici Hiſpanici cap.* 36. *aſſerit facta & miracula ſancti Rudeſindi in volumine antiquo,*

AN.CHR. 977 1. Mart.

tiquo, & aureis fere exarato characteribus adſervari in monaſterio Cella-nova: ac librum de vita ejus conſcriptum attribuit Ordonio, alterum de miraculis Stephano. Alii utrumque auctorem vitam & miracula pariter ſcripſiſſe volunt. Henſchenio favet vitæ titulus, qui ſic habet in mſ. Cellæ-novæ. Facta, & miracula ſancti Rudeſindi Epiſcopi Dumienſis, Abbatis, fundatoris & Domini monaſterii Cellæ-novæ, ſcripta per reverendum patrem magiſtrum fratrem Stephanum in eodem cœnobio monachum, & profeſſum. *Titulus recentior: at non propterea fallax. Porro unum eumdemque auctorem vitam, & miraculorum ſaltem priorem partem ſcripſiſſe duobus libellis conſtat ex Prologo, ubi auctor quædam ait, ſe tum ex ſcriptis aliorum tum ex alieno relatu accepta in litteras retuliſſe. Monachus is fuit Cellæ-novæ * poſt obitum Pelagii Abbatis, id eſt ſub medium ſæculum 12. Gravis tamen, pro tempore auctor, qui in ſcribendis miraculis ſubinde teſtes citat, Morales Ordonium exeunte ſæculo 12. Cellæ-novæ Priorem fuiſſe arbitratur, a quo etiam liber* Expomonogeron *conditus ſit, veluti quoddam Rationale divinorum Officiorum, in cujus fine legitur hoc diſtichon.* Ordonius librum per Chriſtum condidit ipſum, Bis denis annis ſeptem ſupra mille ducentis. *Alii præterea ſcriptores Hiſpani & Luſitani vernacule Rudeſindi res geſtas perſecuti ſunt, ex quibus omnibus Antonius Yepez ipſius elogium texuit, quale initio tomi 5. Chronicorum exhibetur.*

* Vide Mirac. n. 15.

Rudeſindi genus.

2 RUDESINDI (*quem alii* Rodeſindum, *vulgus* Roſendum *appellat*) *genere nihil illuſtrius. Is regiæ ſtirpis patrem habuit Guterium Menendes ſeu Mendes de Arias, avum Hermenegildum, Alfonſi Magni conſanguineum, & fortaſſe proavum Rudeſindum Guterium, qui inter Alfonſi M. Comites apud Sandovallium numeratur.* Ermenegildus, *inquit Sampirus ubi de Compoſtellanæ eccleſiæ dedicatione, aderat* Tudæ & Portugallæ Comes, & Arias filius ejus in Minio Comes. *Rudeſindi mater Ilduara, vulgo Aldara, non minus pietate illuſtris quam natalium ſplendore: Hæc Comitiſſa dicitur in ejus ævi monumentis, maritus & ſocer ſubinde Comites ac Duces nuncupatur in diplomatibus ab Yepezio relatis: quorum omnium inſtar erit hæc Alfonſi V. Privilegii epocha:* Poſt obitum vero ſupradicti Regis Adefonſi confirmavit filius ejus Rex dominus Ordonius ad præfatum Ducem Ermenegildum: Poſt obitum vero domini Ordonii principis confirmavit eam Rex dominus Ranimirus ad Ducem dominum Gutierrem Ermenegildi filium &c. *Rudeſindo fuere duo fratres Munius ſeu Nunius Guterius & Froila Dux, ex diplomatibus noti; duæ item ſecundum Yepezium ſorores; Adoſiuda, quæ teſtamento ipſius ſubſcripſit, & Ermeſenda. Et ne his diutius immoremur, jam laudatum Alfonſi V. privilegium* ordinavit magnus Comes & Dux Menendus Gundiſalviz, ex ſemine ſupra nominati Herminigildi Comitis, & neptus ſupradicti Pontificis ſancti Rudeſindi. *Hæc omnia nituntur tabulis ſeu diplomatibus ab Yepezio prolatis in Appendice Centuriæ 5. quæ quidem inſtrumenta, tametſi in Ærarum deſignatione alicubi vitioſa errore typographico, fide digniſſima ſunt: novis utique prelis hic committenda, niſi brevitati conſuleremus.*

Vitæ ſeries & teſtamentum.

3. *Non tamen penitus omittendum Rudeſindi duplex teſtamentum, ex quo, uti & aliis monumentis, vitæ ipſius, initi pontificatus, & Abbatialis dignitatis ſeries, qua licebit, repetenda eſt. Anno 907. editum ferunt in lucem, qua ſeptuagenarius ad 977. potitus eſt. Poſt exactos ſub ſanctiſſima matris diſciplina pueritiæ annos, litteris operam ſedulo navavit, atque tantos in brevi ſub Savarico magiſtro progreſſus fecit, ut accedente non impari ſapientiæ pietatiſque fama, nondum exacto duodevigeſimo ætatis anno, Dumienſis creatus ſit Pontifex, ſi qua fides huic vitæ, ceteriſque poſt eam ſcriptoribus habeatur. Rei novitate, motus Ambroſius Morales, pro decimo octavo, annum duodetriceſimum ſubſtituit: quem Yepezius ad mſſ. codices & veterum traditionem emendare curavit. Nil tamen hac de re certum tabulæ, neque adeo teſtamenta definiunt. Savarici vel Sabarici Dumienſis Epiſcopi (quem Rudeſindus ſuum ipſius* patrem ſpiritalem *vocat) nulla mentio poſt annum 914. Ad 920. pertingere potuit. Nam Rodricus ipſius ſucceſſor, non niſi anno 922. innoteſcit.*

Cellæ-novæ primordia.

4. *Triennio poſt electus fuit Rudeſindus, cujus tamen epiſcopatus prima notitia anno dumtaxat 935. petitur ex diplomate pro conditione monaſterii Cellæ novæ, quod hic velut primum Rudeſindi teſtamentum delibare juvat.* Adeo ego Rudeſindus Dumienſis Epiſcopus, cum peccatorum mole depreſſus..... in quibus ab ineunte ætate verſavi...... conſtrui monaſterium ad calcem montis Leporarii, olim dictus Villari, nuper autem Cellæ-novenſis nomine perhibetur. Et ita geſtum patratumque eſt, quod totum per manum famuli Dei FRANQUILANI Abbatis, hæc oblatio offerre niſus ſum, quem elegi Patrem & rectorem ſuper ipſam domum vel commorantes in ea. Ideoque ex ſucceſſione genitorum meorum GUTIERRIS & ILDUARAE offero monaſterio ſancto, & fratribus ibidem habitantibus per veram humilitatem, & charitatem dignam, per jugem orationem, & piam ſanctitatem vibentibus, id ſunt Villas &c. Obſervetur denique a fratribus & Dei cultoribus Cellæ-novæ degentibus..... ut omni tempore ſtudeant in memoria ſancti Patris mei ſpiritalis SABARICI Epiſcopi feſta ſancti ROMANI monachi perſolvere functionem, proprii genitoris mei Gutierris, munimentum in ſancti VINCENTII Lebitæ, reddatur obſequium pro genetrice mea ILDUARA ſanctorum ADRIANI & NATALIAE: faciant obſequelam ſanctorum PRIMITIVI & FACUNDI natale pro peccatore RUDESINDO, exerceant opus ſimile &c. *Aliud teſtamentum paulo ante mortem ſcripſit, in quo hæc leguntur.* Suſcipe quæſo humillimam precem tui, licet indigni, famuli RUDISINDI, prolis GUTIERRIS & ILDUARAE..... Cunctis manet notiſſimum...... monaſterium eſſe fundatum..... Cellæ-novæque uſu locutionis humanæ vocitatum, ibidemque hominum pie & caſte & religioſe.... congregatio ſeu monachorum cœtus degentium & per antiquorum Patrum normam viventium..... Poſt per annorum ſpatia mo-

AN. CHR. 977. 1. Mart.

naſticam normam adeptus, & actualem vitam cum pluribus ſervorum Chriſti pari glutino adſcrip-tus, prævidens dies vitæ meæ quotidie expletæ, robor corporis marceſcere .... inſtituo vobis Patrem hunc filiumque meum ſpiritalem MAMILANUM Abbatem, & poſt ipſum qui vicem Chriſti agere videretur ſapientia eruditus, vita probatus, & omni collatione prælectus &c. Cetera videſis apud Tepezium. Regula ſanctorum Patrum, de qua his in litteris mentio, laudatur etiam in ſequentis Vitæ num. 6. ubi id auctor de Regula S. Benedicti interpretatur. Confer ea quæ hac de re pro Hiſpania notavimus in prima parte Sæculi 4. pag. 734. & in ſecunda parte, pag. 585. Denique Rudeſindum inter præſtantes Benedictinæ familiæ heroas, qui decimo Chriſti ſæculo Hiſpanias illuſtrarunt, Henſchenius ponit.

Sub Regula S. Benedicti.

5. In Cellæ novæ monaſterii conditione Rudeſindus, ab Ilduara matre adjutus eſt, ut inferius patebit. Quo loco ab initio primum Dumienſi pontificatu ad hunc annum, id eſt 935. conſederit, haud liquet: at nonniſi poſt conditam Cellam-novam ſubſcribit Rudeſindus Epiſcopus Dumienſis, ſedis Cello-novenſæ, alias ſolam Dumienſem exprimit: qui locus prope Bracaram ſitus erat, ubi Epiſcopus, quondam fuit Martinus ille ſanctiſſimus, de quo in Sæculo primo actum eſt. Vaſtato Dumienſi loco, nec ſatis tuto ad quod deceſſores confugerant Mindonio, Rudeſindus in Cellam-novam ab ſe conditam ſe recepit; ubi monaſticis addictus diſciplinis, poſt Franquillæ mortem Abbatis munus epiſcopali conjunxit. Antquam Abbatis gereret nomen, non alios videtur habuiſſe clericos, quam Cellæ-novenſes aſcetas, quibuſcum, ait ipſe in poſteriori teſtamento, ad actualem vitam, ſeu epiſcopalia munia, cum pluribus ſervorum Dei adſcitus, onera partiebatur. Quod etiam Gennadium in Aſturicenſi eccleſia, & alios Hiſpaniæ pontifices tunc temporis in ſuis ſedibus uſurpaſſe, non immerito ſcribit Tepezius. Redacto in ordinem Siſnando Trienſi ſeu Compoſtellano Epiſcopo, ſuffectum Rudeſindum tradit hic auctor, quod ſic accipiendum recte monet Tepezius, ut incarcerati Siſnandi vices & munia Rudeſindus objerit, ne hæc eccleſia paganorum incurſantium morſibus pateret: non quod alteram hanc ſponſam retenta vel dimiſſa priore Dumienſi ſuceperit. Nam ubique Dumienſem ſe, nullibi Irienſem aut Compoſtellanum antiſtitem indigitat. Et caſo tandem Siſenando ſucceſſorem dari procuravit. Publicis conventibus ſeu regni comitiis, in quibus regia præcepta condita ſunt, itemque baſilicarum dedicationibus interfuit Rudeſindus, cujus nomen inclitum in publicis inſtrumentis ubique conſpicitur.

Cultus & translatio.

6. Rudeſindum celebrant martyrologia, non ſolum Benedictina Vvionis, Menardi, Dorganii, Bucellini; ſed etiam Hiſpanica; ejuſque feſtum ſub ritu duplici agunt Mindonienſes & familia Benedictina, ſemiduplici Irienſes ſeu Compoſtellani & Luſitani. Caſtella Ferrerus in hiſtoria Compoſtellana ſcribere non veretur, ſe poſt S. Jacobum præ reliquis cælitibus maxima animi propenſione erga ſanctum Rudeſindum ferri. Hyacinthus Cardinalis circiter annum 1170. elevando corporis S. Rudeſindi Kalendas Septembres delegit, quo die ſacras ejus reliquias digniorem in locum tranſtulit. Factus poſtea Romanus pontifex, anno initæ ſedis 5. Chriſti 1195. eum ſolemni pompa ſanctorum albo inſcriſit. Anno 1601. Claudius Tenorius Abbas Cellæ-novæ S. Rudeſindi corpus una cum S. Torquati Epiſcopi reliquiis, quas olim Rudeſindus ipſe monaſterio intulerat, pretioſam in capſam recondidit, eodemque anno utriuſque oſſa duo Compoſtellanis data ſunt, aliquot item partes Aurienſibus, nec non etiam Mindonienſibus conceſſæ: ut S. Rudeſindi pignoribus ſacris nobiliſſimæ Callæciæ regni provinciæ ditarentur. Supereſt ut aliquid de Ilduara ipſius parente dicamus.

Ilduara Rudeſindi mater.

7. Ilduaræ ſanctitatem ſatis probat angelica viſio, qua filium ſe concepturam præmonita fuit. Precum ejus inſtantiam, nudi pedium, ſacrorum curam & alia pietatis opera commendat auctor Rudeſindi vitæ, cui ſuffragari debet Cellæ-novæ monaſterii conſtructio, cujus illa cum filio princeps auctor fuit, quod ipſe teſtatur in litteris ab Tepezio relatis. Ilduaræ texuit elogium in tomi 5. cap. 4. Tepezius, eamque inter ſanctas & illuſtres feminas Ludovicus dos Anjos recenſet: at majoris momenti eſt ipſius epitaphium in eccleſia Cellæ-novæ a Rudeſindo filio lapidi ſepulchrali impoſitum. Sic autem habet. Degit hic humatum ILDUARAE CONFESSAE ſanctum corpus, conditum a Rudeſindo Epiſcopo prole ſua, tertio-decimo Kalendas Januarii 980. quæ incidit in annum Chriſti 962. Hanc Caſtella Ferrerus ait ſepultam in arcu parieti Oratorii ſancti Joannis Baptiſtæ impoſito. Confeſſæ nomen quo donatur in epitaphio, ſanctimonialem aut feminam Deo ſacratam in monaſterio deſignat: uti Confeſſi & Confeſſoris nomen ſæpius viris tributum in Hiſpanicis Conciliis, qui abdicata ſæculi pompa inſigne confeſſionis ac pænitentiæ ſchema monaſticum induebant, obedientiæque legibus ſe mancipabant. In admonitione, quæ orationi ſecundæ pro Cleri variis ordinibus, in die ſancto Paraſceves recitari ſolitæ præmittitur, oratio dirigitur pro Epiſcopis & aliis majoribus minoribuſque Ordinibus, tum pro Confeſſoribus, Virginibus, viduis, ubi Confeſſorum nomine Monachos intelligi exiſtimo. Sic apud Tepezium in appendice tomi 5. leguntur, Vitiſani præpoſitus & Confeſſor, Traſonius Confeſſor, Adolinus Confeſſor, Arieſter Confeſſor, Leovegildus Confeſſor, Senta Confeſſa &c. Confeſſas iſtiuſmodi Converſas vocant Tepez & Anjos ſed alio plane ſenſu, quam a modernis Converſæ nomen uſurpatur. Non enim Matronæ illæ, plerumque nobiliſſimæ, & ob præſtita monaſteriis beneficia commendatæ, exterioribus aut ancillaribus, uti modo, deputabantur officiis; ſed Confeſſæ dicebantur, ſive ob earum diſtinctionem a Virginibus, quod conjugatæ fuiſſent, ſive ob rerum abdicationem, quibus illæ, juris ſui factæ, publica conceſſione nuntium remittebant. Incertum quo loco Ilduara Chriſto nomen dederit, an in Cella-nova aut in Villa-novæ proximo parthenone, cui Adoſinda ipſius filia præerat Abbatiſſa. Ut ſit, Benedictinæ familiæ connumeranda eſt, quam geminæ prolis ſuiſque ipſius conſecratione nobilitavit. Nunc Rudeſindi vita exhibenda.

PRO-

Digitized by Google

PROLOGUS AUCTORIS.

MIrabilis Deus in ſanctis ſuis, dixit Propheta David: ſed multis modis mirabilis in ſancto ſuo Rudeſindo fuit. Nam mirabilis fuit in ejus conceptione, mirabilis in baptiſmo, mirabilis in vita, mirabilis in morte, mirabilis poſt mortem. Ideo viſum eſt mihi, poſtquam miracula ejus legi, alia a videntibus audivi, alia a perſonis honeſtis accepi, illa omnia in codice ſcribere, & in duobus libris dividere; ita ut quæ in vita ſua fecit, in primo inveniantur, & quæ poſt mortem in ſecundo.

VITA INCIPIT.

1. RUdeſindus ex regio genere a proceribus nobilitatis Galleciæ & Portugalliæ originem traxit: pater ejus Gutierre Menendez, mater ejus Ilduara vocatur. Iſti in Galleciæ partibus & Portugalliæ proſpere & abundanter procedebant: unus tamen dolor angebat, quod nati filii ſtatim poſt baptiſmum moriebantur. Factum eſt autem ut dum Comes Gutierre in bello contra Agarenos contra Colimbriam *, ut Dux, moraretur, Ilduara eleemoſynas daret, eccleſias viſitaret, jejunia faceret, preces multiplicaret poſtulans cum lacrymis a Deo filium benedictionis. Eccleſia fundata erat in altitudine montis Cordubæ *a*, dedicata ſancto Salvatori, & diſtabat duobus miliaribus a villa Salas *b*, in qua Comites palatium ſuum habebant. Illa, ut hanc eccleſiam viſitaret, & divina officia audiret, in eam ſine comitatu, nudis pedibus per iter aſperum, cum ſingultibus & lacrymis aſſidue veniebat. Quadam die, Spiritus-ſancti gratia fervens, feſſa ex itinere, ad altare procidens & orans obdormivit. Angelus autem Domini ei apparuit, ac eam conſolabatur dicens: Ilduara gaude: preces tuæ coram Deo auditæ ſunt: concipies & paries filium, qui apud homines erit magni pretii, & apud Deum magni meriti. Illa expergefacta gratias Deo reddidit, & ſtatim miſit nuntium ad virum ſuum, ut veniret ad ſe: qui de revelatione certior factus, gratias etiam cum magna lætitia reddidit Deo. Poſt aliquot dies Ilduara concepit, menſes gravedinis ſine faſtidio complevit, & vigeſima ſexta die menſis Novembris peperit filium, quem vocavit Rudeſindum. Parentes ob reverentiam nativitatis ejus magnas eleemoſynas diſtribuerunt pauperibus, libertatem ſervis dederunt: & dies illa, quæ fuit vigilia ſanctorum martyrum Facundi & Primitivi *c* apud eos toto tempore vitæ læta & feſtiva fuit. Immo ipſe Rudeſindus in teſtamento ſuo *d* præcepit monachis Cellænovæ, ut omnibus futuris temporibus diem illum peculiaribus eleemoſynis quotannis celebrarent.

Rudeſindi genus regium.

* Coimbra

Ortus celitus prædictus.

2. Meminerat Ilduara bonum nuntium ſe ab Angelo accepiſſe: ideo a die conceptionis filii, eccleſiam juxta Salas cœpit ædificare: deinde Epiſcopos ad conſecrationem vocavit, & eam ſancto Archangelo Michaeli & omnibus Angelis dedicavit. Concurrentibus autem conſanguineis & amicis ad baptiſmum pueri, placuit parentibus ut in eccleſia ſancti Salvatoris ſuper montem Cordubæ baptizaretur: quia mater ejus ibi de conceptu revelationem acceperat. Quæſierunt ergo magnum fontem lapideum, & poſuerunt ſuper plauſtrum, ut ad hanc eccleſiam ſancti Salvatoris deferretur. Cum vero boves traherent fontem lapideum, plauſtrum pondere confractum eſt: Dumque ſervi novum plauſtrum præparant; fons baptiſmalis intra eccleſiam ſancti Michaelis nuper ædificatam inventus eſt. Omnes videntes prodigium, mirati

Baptiſmus in eccleſia S. Michaelis.

a Alii Corduvam ſcribunt, quam etiam nunc Montem-Corvam appellant.
b Sita eſt villa hæc Salas in confinibus Galleciæ & Luſitaniæ, vulgo *Val de Salas* dicta.
c Celebres apud Hiſpanos Martyres Facundus & Primitivus, quorum feſtivitas die 27. Novembris recolitur. De cœnobio ipſis dicato inferius.
d De Rudeſindi teſtamento actum eſt in Obſervationibus præviis, num. 4.

Digitized by Google

AN CHR. 976 1. Martii. rati ſunt valde: parentes autem infantis cognoverunt voluntatem Dei eſſe, ut in eccleſia ſancti Michaelis baptizaretur; & ita factum eſt. Lapideus vero fons baptiſmalis uſque hodie in ea eccleſia ſervatur.

Pueri gravitas & mores. 3. Rudeſindus ab infantia non curabat de ludis puerorum, nec de vanitatibus mundi; ſed legem Dei meditabatur die ac nocte, quam uſque adeo ſtuduit implere; ut de eo poſſimus dicere quod nulli animum voluptati dedit, ſicut magnus Gregorius dixit de ſancto patre Benedicto. Litteras ac liberales artes faciliter didicit, & in ſacra ſcriptura multum profecit: in juvenili autem ætate judicium ſenis oſtendebat. Eloquium ejus dulce & ſuave mulcebat & attrahebat: verbum in ore ejus potens & efficax omnia perficiebat. Erat modeſtus, maturus, & gravis ſine moleſtia, lætus & jucundus ſine levitate, vultu placidus, ſtatura mediocris. Adhuc in adoleſcentia tantum virtutibus excelluit, ut fama ejus per totam Hiſpaniam divulgaretur. Nota enim erat caſtitas ejus, modeſtia, miſericordia in pauperes, munificentia ad amicos, Adoleſcens Dumienſem epiſcopatum inire cogitur. pietas ad Deum, charitas ad omnes. Epiſcopatus Dumienſis vacavit; Clerus & populus ſine diſſentione Rudeſindum, ut ſpeculum virtutum, in ſuum Epiſcopum elegerunt. Ille renuebat, dicens, ſe indignum tanta dignitate, & tantum onus non poſſe ſuſtinere: qua vix compleverat decimum octavum ætatis *a* annum. Sed inſtante clero & populo, a Deo admonitus eſt ut ſuſciperet onus epiſcopale. Poſitus in epiſcopatu, ut luminare magnum ſuper candelabrum, illuxit Eccleſiæ Dei. Pauperibus & peregrinis tamquam pater erat, viduis & orphanis ſolatium: curam adhibuit in docendo & prædicando verbum Dei & in corrigendo pravos mores: eccleſias augmentabat, collapſas reædificabat; Clerum animabat, omnes avertebat a vitiis, & attrahebat ad ſervitium Dei. Jamjam ſanctus Epiſcopus feſſus mundi pompis & ſolitudinem ap- Monaſteria conſtruit. petens, totum ſe Deo tradere ex corde deſiderabat. Interea aliqua monaſteria conſtruxit, ad quæ tamquam ad portum ſecurum aliquando veniebat, & poſtquam in illis ſe dederat ſpiritualibus exercitiis, ad epiſcopatus curam revertebatur. Ita temperabat contemplativam vitam cum activa, ut aliquando Mariæ, aliquando Marthæ ſe daret.

Siſnando Compoſtellæ Epiſcopo ſubſtituitur. 4. Eccleſia apoſtolica Compoſtellana per Siſnandum Rudeſindi conſanguineum regebatur. Hic Siſnandus ludis, exceſſibus & vanitatibus attendens, officii ſui curam parvipendebat: immo flagitioſus populo, clero & Proceribus & Regi Sancio infenſus erat. Rex poſt admonitionem Siſnandum incarceravit, & annuente clero & populo Rudeſindum ſubſtituit, ut conſanguinei ſui defectus ſuppleret. Ille novum epiſcopatum accipere nolebat: ſed Rex cum magnatibus contendit, quouſque conſenſit & accepit. Hoc tempore, abſente Rege, Gallæcia a Normannis invadebatur, & Portugallia a Mauris devaſtabatur. Rudeſindus, exercitu congregato, confidens in miſe- Pſal. 19. 8. ricordia divina magis quam in illo, repetenſque verſiculum Pſalmi, *Hi in curribus & hi in equis; Nos autem in nomine Domini Dei noſtri invocabimus*, Normannos & Mauros repellit. Normannis & Mauris obviavit; Normannos favente Deo ex Gallæcia expulit; Mauros ſic repreſſit, ut intra terminos ſuos contineri coegerit. Victor a Compoſtellæ civibus communi gratulatione receptus eſt. Poſt pauca Sancius *b* Rex moritur; quo cognito, Siſnandus vincula confringens e carcere fugit, & ipſa nocte Nativitatis Domini noſtri Jeſu-Chriſti Rudeſindum cum Siſnando mortem prædicit. Canonicis pauſantem aggreſſus eſt. Gladium ſtrictum manu portabat, quo mortem minabatur, niſi Epiſcopatum relinqueret & civitatem deſereret. Rudeſindus ponderoſis verbis temeritatem arguit, prophetans mortem violentam Siſnando cito eventuram; quæ ita contigit, ſicut ei fuerat a Rudeſindo prædicta *c*. Ille ſine mora ex Compoſtella exivit, & lætus confugit ad monaſterium S. Joannis *d* de Cabero, quod ædificaverat.

5. *San-*

a De anno initi a Rudeſindo Pontificatus vide obſervationes prævias.

b Sancii Regis obitus ad annum 967. referendus.

c Siſnandi cædes anno 970. contigit ſecundum Sampirum, cujus hæc verba: „ Normanni Rege Gunderedo „ Gallæciam ingreſſi, ſtrages multas fecerunt, & in gyro ſancti Jacobi Apoſtoli Epiſcopum loci ipſius gladio peremerunt, nomine Siſnandum.

d De eo Yepezius ad an. 953. quod in Mindonienſis Epiſcopatus profunda valle ſitum ad Can. Reg. tranſiit.

Digitized by Google

AN.CHR. 977

1. Mart. Secedit in ſolitudinem.

5. Sanctus Vir Rudeſindus ſolitudini, orationi & contemplationi totum ſe dedit in iſtis temporibus, in tantum ut orans pernoctaret. Dum ergo inſtantius in monaſterio Caberi contemplationi vacaret, mundi pompis & vanitatibus renuntiare decrevit. A Deo oranti revelatum eſt, ut in oppido Villare *a* prope Limiam cœnobium ædificaret: & conſecrans ſancto Salvatori, in eo monaſticam vitam ageret. Hac revelatione accepta Sanctus Epiſcopus ad Villare venit, ut locum ſibi aſſignatum a Deo videret. Poſtquam vidit, gaviſus eſt: quia hoc Villare fuit hereditas avorum ſuorum, ſitumque erat in amœna valle plena fontibus & rivulis, aptaque floribus, fructibus & herbis producendis, nec non & arboribus pomiferis. Statim incœptum eſt ædificium monaſterii, quod Rudeſindus Cella-nova vocavit: & ex tunc Villare amiſit nomen ſuum, & Cella-nova ab omnibus vocatum eſt vocabulo monaſterii.

Cellæ-novæ monaſterium condit.

6. Octo annis conſtructa ſunt omnia monachis neceſſaria, videlicet eccleſia cum ſacriſtia, clauſtrum cum cellis, capitulum & refectorium. Omnibus his conſtructis, vir Dei congregavit multos monachos ex diverſis monaſteriis, eligens meliores, gradientes, juxta normam ſanctorum Patrum, voluntatemque habentes bonam in ea. Franquillam *b* Abbatem S. Stephani vocavit, ut novum monaſterium regeret, a quo ipſe ſanctus vir epiſcopali pompa depoſita, habitum religioſum ſuſcepit, & Regulam ſancti Benedicti profeſſus eſt. Hic Franquilla erat vir ſanctiſſimus, & ſpeculum omnium virtutum. Sollicitus & attentus ovibus ſuis de illarum profectibus ſpiritalibus valde curabat. Hoc magiſtro, mirum eſt quantum Rudeſindus excelluit in charitate, obedientia, humilitate & paupertate: mirum eſt quomodo ſe totum tradidit negationi ſui ipſius, mortificationi voluntatis ſuæ, vigiliis & orationi. Et quia cognovit hoc ſuum monaſterium ad hoc fuiſſe electum a Deo, ut multi in illo a laqueis peccatorum liberarentur, & a poteſtate ſatanæ; ideo voluit ut omnes fratres in illo viventes ad culmen evangelicæ profeſſionis properarent. Ipſe vero vir ſanctus exemplo & doctrina omnes antecedebat, intentus pſalmodiis, vigiliis & obedientiæ ſub Franquilla Abbate, cui in omnibus obtemperabat, quamvis ſuper partes Gallæciæ regias vices imperando exerceret, multa monaſteria a fundamentis extruxit, alia reædificavit, alia correxit, & ad primum ſuum ſtatum reſtituit: ad quæ Abbas Franquilla magnum adjumentum erat cum aliis fratribus ſanctæ vitæ & converſationis.

ſub Franquilla Abbate monaſticam vitam ducit.

Eo mortuo Abbas eligitur.

7. Peractis jam multis diebus, quadam die Epiſcopo cum Abbate Franquilla, ut aſſeritur, conſedente, viſa eſt ei ab ore Abbatis ſpecies columbæ, ſæpius exire, atque iterum introire. Cui Epiſcopus: „Abba, video „columbam ab ore tuo regredi ſimul & ingredi. Ad quem Abbas: Quod „aſſeris, Pater, me neſcire plane profiteor. Cui iterum Epiſcopus: Scito Ab„ba, quod columba hæc nihil aliud eſt, niſi nuntius Dei, qui te in proximo „invitat ad regnum: qui non multo poſt, ut Epiſcopus dixerat, glorioſo fine „clauſit terminum vitæ. Cui peractis exſequiis ſanctus Epiſcopus Rudeſindus a monachis Abbas eligitur; Abbatiales vices poſſidens, Epiſcopales non amittens. Porro quantæ ſanctitatis fuerit, quam pius, quamque benignus erga omnes exiſterit, charitas non tacuit. Cum juſtum ut melius proficeret, ſacri verbi lenitate inſtruebat; & commotum ſeu ſuperbum, ut emendaretur legis ſuavitate & gehennæ terrore mitigabat, juxta illud Apoſtoli: *Argue obſecra increpa in omni patientia & doctrina*. Ad cujus mirabile exemplum hinc Epiſcopi dignitatibus epiſcopii ſpretis, hinc Abbates honoribus Abbatiæ abjectis, hinc turbæ populorum, tam nobilium quam ignobilium, ejus mundi divitiis derelictis, veniebant omnia ſua ſeque dedentes: ſed & nonnulla Monachorum ac Monialium monaſteria *c* ſub ejus dulciſſimo imperio ſubmittebantur, quæ

2. Tim. 4. 2.

Multi ſub ejus diſciplinam confluunt.

a De Villaris ſeu monaſterii Cellæ-novæ conditu egimus in Obſervationibus præviis.

b Antequam Franquilla Cellæ-novæ præficeretur a Rudeſindo, Silenſe S. Stephani monaſterium regebat, non longe ab Aurienſi urbe, quod Ordonii II. apud Yepezium diploma teſtatur. Is ſubſcripſit æra Hiſpanica 972. Chriſtiana 934. litteris pro Samonenſi monaſterio, de quibus infra in Mirac. num. 20.

c Inter illa monaſteria Yepezius cenſet Lauredanum S. Vincentii ad ripam fluvii Minii, & aliud innominatum prope flumen Sorgam.

Digitized by Google

AN. CHR. 977

quæ in Limiæ & Gallæciæ ſeu Portugalliæ provincia conſtructa eſſe videbantur : cujus melliflua doctrina ſatis educabantur.

1. Mart. Monaſteria ei ſubjecta.

8. Factum eſt autem, ſicut plerique teſtantur, ut quadam die apud Portugalliam unum monaſterium ex his, nomine ſanctus Joannes de Venaria *a*, ab ipſo viſitaretur; & a Senorina *b* ejuſdem cænobii Abbatiſſa, & ipſius (ut dicitur) conſanguinea, officioſiſſime ſuſciperetur. Cumque ſederent, & inter ſacrum colloquium ei munuſculum ab illa exhiberetur, & præ ſacro amore ſeſe frequenter intuerentur; duo operarii, qui ſuper domum operiendi cauſa cum aliis operabantur, inter ſe male de eis ſenſerunt. Quos ſtatim immundi ſpiritus inique invaſerunt, & in terram abſque anima, juſto Dei judicio projecerunt. Tunc quidam qui adſtabant quamvis perrerriti eorum corpora ſuſceperunt, & intra eccleſiam ante altare depoſuerunt : Rudeſindus poſt hæc Epiſcopus almus tam a Senorina, quam a cunctis qui aderant ad tempus exoratur, quatenus ſuis ſanctis precibus eis ſalutis beneficium præſtare dignaretur : quorum precibus vir Dei compulſus, Deique pietate confiſus, oratorium ubi mortui jacebant ingreſſus, flexis genibus ſic ad Dominnm loquitur : Domine Deus cæli & terræ, qui Lazarum quatriduanum & viduæ mulieris filium, ac Principis Synagogæ filiam ſuſcitaſti, hos quæſumus famulos tuos ab inimici nexu libera ac excita : ut viventes tibi demus laudes in ſæcula. Cumque diutius peroraſſet, oleum benedictum accepit, & per eorum ora, ſeu per oculos in modum crucis cum pollice ſuperunxit, & ait : In nomine ſanctæ Trinitatis Patris & Filii & Spiritusſancti a mortis ſomno ſani & liberi ſurgite. Qui protinus ad hanc ſancti Rudeſindi Pontificis vocem tam ab immundis ſpiritibus quam a morte incolumes ſurrexerunt. Et hoc quod retulimus, ſicut eis evenerat, proprio ore patefecerunt.

mortuos duos revocat ad vitam.

Angelos audit Miſſam canentes.

9. Item alio tempore cum a Concilio ad quod iverat, reverteretur, & poſt horam tertiam a Fratribus exſpectaretur; Angelicæ voces in medio itineris ab eo ſunt auditæ ſunt ad modum canentium officium Miſſæ. Deſcendit Epiſcopus igitur, & orationem faciens fixis genibus, donec ei viſum eſſet audire, *Ite Miſſa eſt*, jacuit proſtratus : deinde ſurgens monaſterium ingreſſus eſt. Cum autem monachi ſe præpararent ad celebrandum Miſſæ officium, convocatis omnibus ad Capitulum, & quod ſibi viſum fuerat poſt quam didicere : ut poſt Canonicas horas nemo, quamvis gradu celſior, præſtolaretur, ſed officium Miſſæ in conſtitutis horis celebraretur, tali revelatione monitus firma ſanctione inſtituit.

Araguntis Reginæ obitum prædiſcit.

10. Accidit eodem tempore, ut Regina Aragunti *c* (quæ ſanctam vitam ducebat, & monaſterium quod Saliceta vocatur ædificavit) magno teneretur languore. Hæc autem cum infirmaretur, ad conſobrinum ſuum Epiſcopum nuntios direxit; quatenus ejus præſentia ſanctis orationibus viſitaretur. Quod audiens Epiſcopus, fuſis ante Dominum precibus iter aggreſſus eſt. Cum autem montem, qui *Sandin* dicitur, aſcenderet; & Angelorum voces, *Gloria in excelſis Deo* cantantium, ſuavi modulatione audiret; in terra proſtratus & iterum ſurſum elevatus, ſecum euntibus ſic eſt orſus : Revertimini fratres ad Monaſterium : quia Regina jam hujus vitæ terminavit curſum, & a Deo meruit obtinere triumphum. Qui reverſi nuntium miſerunt, & ita repererunt, ſicut Epiſcopus dixerat. Poſt non multum vero tempus vir Deo deditus, cum jam videret ſe ærumnas hujus ſæculi terminare, & poſt hoc peregrinationis exſilium propriam hereditatem recuperare; convocatis in unum Fratribus eos ſic ſancto Sermone & melliflua locutione admonuit : En Fratres nexibus hujus carceris & de periculo exilii præſentis jam liberor. Quam ob rem ſanctæ profeſſioni, Deo adjuvante regulariter ſervitis, hoc cœnobium cum hereditatibus & ſervientibus Deo, cui digne „ mili-

Morti proximus ſuis conſulit.

a Aliis *de Vieira* dicitur, ad Baſtim opidum diœceſim Bracarenſis poſtea translatum.

b De S. Senorina, quæ in Actis dicitur Rudeſindi *cognata*, agemus inferius ad annum 982.

c Hæc Ordonii II. altera uxor; eodem quo nupta eſt anno 922. ſecundum Sandovallium abjecta, dicitur nonnullis *amita* S. Rudeſindi; *conſobrinam* vocat auctor noſter.

Digitized by Google

„ militatis, & vobis, qui eo protegente ſanctam vitam ducitis, ab omni AN. CHR. 977
„ parte, tam regia, quam epiſcopali, ſive a qualibet liberum relinquo. Ser- 1. Mart.
„ vos & liberos, nobiles & ignobiles ex qualicumque regione, ſanctam hujus
„ profeſſionis vitam cupientes ducere, quot videlicet monaſterii ſubſtantia po-
„ tuerit ſufficienter capere, in hoc cœnobio ritu perpetuo jubeo recipere. Non
„ enim Deus perſonarum proſapia congratulatur, ſed contritione cordis &
„ obedientia in omnibus delectatur. Cumque valde a languore urgeretur, ſumptis myſteriis, aſtantibus cunctis Fratribus cum Epiſcopis qui aderant, cœperunt unanimiter dicere cum lachrymarum ſuſpiriis: Domine Pater, provide & conſidera de tantorum agminibus quos acquiſiſti, nutriſti & erudiſti; cui noſtri curam commendare debeas, aut quem Patrem vel tutorem eidem eccleſiæ reſtituas. Scis enim domine, quia ſæpe per ſpatia annorum mutantur omnium rerum actiones.

11. His verbis commotus, & evangelica eruditione inſtructus, necnon et-
„ iam canonum decretis compulſus, hæc eis flebili voce reſpondit: Confidi-
„ te, o filioli & domini, & ſpem veſtram in Domino ponite: quia non vos
„ relinquam orphanos. In primis commendo vos Creatori meo Domino Jeſu-
„ Chriſto, cui vos acquiſivi, & in cujus amore hunc locum conſtruxi; & ad
„ Regem, qui in urbe Legionenſi in apice regni unctus fuerit ad ſalvandum
„ & tuendum potius quam ad imperandum. Et inſtituo vobis Patrem hunc
„ filiumque meum ſpiritualem Mamillanum Abbatem: & poſt ipſum, qui Mamillano
„ vicem Chriſti agere videtur, ſemper tantum a monachis ſecundum ſancti ſucceſſore
„ Patris Benedicti Regulam pro Abbate eligatur, ſapientia ſcilicet eruditus, deſignato
„ vita probatus, & omni collatione prælectus. Itaque ſcitote, quia ego vo- moritur.
„ bis ero auxiliaturus, locumque iſtum protecturus, & a malefactoribus ſem-
„ per ulturus. His dictis, quadrageſimo ſecundo anno ab initio, quo cœnobium cœpit edificare; ſeptuageſimo *a* autem poſt ejus ſanctam in monte Corduba promiſſionem, ex quibus decem in Epiſcopatu, viginti vero in Abbatia exegit, die Kalendarum Martii, quinta *b* videlicet feria, exſiſtente Completorii hora, adſtantibus omnibus de ejus abſentia valde plorantibus, ſed de ipſius felici gloria lætantibus, Rege Ramiro, ſupradicti Sancii Regis filio imperante, cum Sanctorum agmine, immarceſſibili trabea & indeficienti corona a remuneratore omnium bonorum feliciter in gloria eſt coronatus. Eadem vero hora, ut aſſeritur, qua ſanctus vir Rudeſindus obiit Epiſcopus, beata Senorina, cujus ſuperius mentionem fecimus, dum Completorii officium pariter perageret cum ſuis monialibus audivit pſallentium voces in cælo & dicentium, *Te Deum laudamus*. At illa eas curavit interrogare, ſi earum aures voces illæ percuterent. Quæ dixerunt: Minime. At ipſa, quadam puella ad ſe accita, oratione præmiſſa interrogat, ſi aliquid audiret. At illa: Audio voces quaſi in cælo, ſed quid ſit prorſus ignoro. Quæ reſpondens ait ad omnes: Scitote dominum noſtrum Rudeſindum Epiſcopum migraſſe a ſæculo, & nunc Angeli cum hymnis & laudibus deferunt in excelſum. Quæ Cellam-novam miſerunt; & iſta die & hora ſanctum virum obiiſſe invenerunt, ſicut eis dixerat beata Chriſti ancilla: Sepultus vero eſt honorifice prope eccleſiam ſancti Petri in lapideo ſarcophago, ubi poſcentibus præſtantur beneficia Dei ad honorem & laudem nominis ſui: qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat per infinita ſæcula ſæculorum, amen.

Senorina Angelicum concentum audit.

a Henſchenius ex Hiſpanico recte legendum monet, *Septuageſimo anno poſt ejus nativitatem* & pro decem in Epiſcopatu reſtituendum *triginta duo*.
b Hic characteres in annum 977. conveniunt, quo anno littera Dominicalis erat, G.

AN.CHR. 977 1. Mart.

LIBER SECUNDUS.

De miraculis S. Rudeſindi Epiſcopi.

Elvira Infans monachis infeſta.

Petrum Abbatem intrudit.

1. IN tempore namque Regis Adefonſi *a* filii Regis Fernandi, ſicut a reverendis Cellæ-novæ Fratribus didici, Infans Jelvira *b* ipſis Regis germana, in hac morabatur provincia: quæ Abbatem Pelagium *c* bonæ memoriæ, qui modo prope eccleſiam ſancti Michaelis quieſcit, multis modis afflixit, & hereditatem monaſterii ſæviſſima damnatione oppreſſit. Abbas vero coactus cum paucis ejus tyrannidem fugiens, in inſulas de Evigio, ut ſaltem ibi Deo quiete ſerviret, profectus eſt. Interea Infans Jelvira Petrum Gundi Salvi apoſtatam & ſæcularem ducentem vitam huic præpoſuit monaſterio. Decrevit ergo ſupradictus Petrus monachos clauſtro expellere, & intra cellas, quæ ante eccleſiam ſancti Michaelis ſunt, includere, & jam dictam Jelviram cum militibus & matronis, ſeu cum aliis in clauſtro & in refectorio ſive in fratrum dormitorio permanere: quod firmum & ut in ſequenti die fieret ſancitum, priuſquam completum eſt; monachi cum eis ad cœnam, a ſolita portione ab eo aliquid ſubtraheretur, eadem hora cum lacrymis & ſingultibus ante ſepulchrum ſancti Rudeſindi ſe proſtraverunt nudis genibus, quorum unus jam decrepitus, erecto baculo quo ſuſtentabatur, percutiens monumentum *d* magno ejulatu ſic conqueritur: Cur nos Rudeſinde, hic congregaſti? cur nos ſub ſpecie religionis, quam nunc in te falſam fuiſſe comprehendimus, decepiſti? cur nos avulſos a propriis ſedibus (ubi, ut licebat, vivebamus) ad ſerviendum non Deo, ut prædicabas, ſed tyrannis præbuiſti? Si Sanctus es, libera nos. Cumque orationes Fratres compleſſent, ipſo die ſero poſt cœnam jam dictus Petrus in thoro quieſcens, magno ſonitu crepuit medius, & ſtatim obiit peregrinus. Ad cujus interitum memorata Jelvira ſurrexit, & concito greſſu abſque ulla jumenti ſublevatione, præ nimio ſancti Antiſtitis Rudeſindi pavore, Villam-novam *e* devenit: quæ per ſe Abbatem Pelagium expetit, & ad monaſterium honorifice reintegratis omnibus, tranſducit, ut aſſerunt omnes ſancti viri, qui præſentes fuere, & mihi retulerunt.

Cujus interitu reſipiſcit.

Contumelioſus miles morte plectitur.

2. Quemdam militem Regis, qui Nunio-Velati vocabatur, infirmum in hoc monaſterio Comes dimiſerat Raymundus. Hunc autem in hoc cœnobio honorifice tractabant, & quæ neceſſaria erant, ei adminiſtrabant. Sed cum quadam die ille ſuperflua quæreret, & a Cellerario quæ quærebat, quia nimis erant, non impetraret, & eum male & inhoneſte tractaret; ante promptuarium in impetu furoris conſedit, & cuidam Æthiopi, ut portas frangeret, imperavit, ut quæ vellet, inhoneſte mulctato monacho, ſi contradiceret, inde traderet. Quod poſtquam compertum eſt monachis, tam illi quam Cellerarius ad ſepulchrum ſanctiſſimi viri Rudeſindi concurrerunt, & ut domum ſuam quam ipſe pauperibus dederat, non militibus, una defendat, multis cum lacrymis poſtulant. Eadem vero hora effectus eſt mutus, & in ſequenti die defunctus.

Cæca bis viſum recipit.

3. Quodam itaque tempore in partibus Camporum *f* quædam femina amiſit lumen oculorum: quæ dum cæca per multa tempora maneret, & multorum ſanctorum limina lacrymis perfunderet; in ſomnis eſt admonita, ut S. Rudeſindi feſtinaret adire ſepulchrum. Ipſa vero quia numquam alias audiverat,

a Alfonſus VI. Caſtellæ Rex & Legionenſis Ferdinando patri ſucceſſit anno 1072. & ad 1109. principatum tenuit.

b Aliis Elvira & Geloira, quæ poſtea Cabræ Comiti nupta fuit.

c De Pelagio & aliis Cellæ-novæ Abbatibus conſule Yepezium in Centuria 5. Dicitur Abbas fuiſſe ab anno 1140. ad 1156. De eo iterum infra num. 20 confer num. 30.

d Simile factum in libro de miraculis S. P. Benedicti Sæculo 2. pag. 382. & in actis S. Fructuoſi pag. 583. confer Tortarium in tomi ſuperioris pag. 393. vide infra num. 9. & 40.

e Dicitur *Villa nuova de los infantes*, parva leuca a monaſterio Cellæ-novæ.

f Hæc ditio procul a Cella-nova diſtat verſus Orientem.

rat, multos percunctando, & paulatim de patria in patriam incedendo, demum partes intravit Limiæ. Cum autem incolas ejuſdem patriæ percunctaretur, ab eis, Cellam-novam peteret, admonetur. Ingreſſa itaque Cellam-novam, ante ſancti Viri monumentum peregit vigiliam. Mane itaque luceſcente, ipſa quæ cæca fuerat, jubar ſolis cœpit videre. Recepto igitur lumine in propria revertitur. Et poſt annum cum puero a dæmone vexato, ipſa ſiquidem ut antea cæca, quia vigiliam S. Rudeſindi, ceu voverat, non obſervavit, ante ſepulchrum ſancti Rudeſindi reperitur. Peractis itaque vigiliis, ipſa iterum illuminatur, & puer a dæmone liberatur.

Dæmoniacus ſoſpitatem.

4. Item in temporibus Abbatis Petri, quemdam cæcum multi qui adhuc ſuperſunt, ſanctam vitam ducentem viderunt: qui, ut ſtrictiorem vitam duceret, & peccata ſua jejunio & oratione, necnon & carnis maceratione diutius fleret, ferreis circulis accinctus eſt. Cum autem carne ſupercreſcente armillæ ferreæ, quibus brachia circumdabat, jam penitus cooperirentur, & circulus *a* quo venter cingebatur, ob ulcera ex fractione carnis tumentia, non videretur, magno & intolerabili dolore cruciabatur: quippe cum nec medicina foveri, nec alicujus inſtrumenti poterat auxilio conſolari. Viſis itaque (nam prope monaſterium morabatur, & monachis, ut poterat, famulabatur,) quæ per ſanctum virum fiebant miraculis, ante illius tumbam nocte tota excubans, aurora ſuperveniente jacuit ſemivivus: ſole vero jam oriente ligamina ferrea fracta ſunt, S. Rudeſindi medicina ſuperveniente, & ipſe ſanus factus coram ſepulchro Dominum laudans a monachis eſt inventus.

Pænitentis ligamina ferrea confracta.

5. Poſtea vero cum ſupradictus cæcus ligaminibus ferreis per ſanctum Rudeſindum ſolutis, ſolitariam vitam in monte, qui *Sandin* dicitur, duceret, uxor ejus cæca effecta eſt. Hæc autem dum quotidie ante ſarcophagum ſanctiſſimi viri preces funderet, officiaque diei ac noctis diligenter audiret; die appropinquante manus ante baſilicam * ſolito more cœpit abluere. Cum vero proprias manus videret, timens ne malignus ſpiritus eam illuderet, domum reverſa eſt. Sed cum ex conſuetudine ad eccleſiam nocte veniret, & orationem ex more Deo cum lacrymis funderet; accerſito ſacriſtano, ſe videre confeſſa eſt. Ipſe autem inquiens, Vade, & Deo gratias redde. Jam ad ſextam horam ſole aſſcendente, nono anno ſuæ cæcitatis per B. Rudeſindum illuminata, cunctis præbuit manifeſtum miraculum.

Uxor ejus illuminata.

* al. fontem baſilicæ.

6. Eodem fere tempore cum quædam mulier juxta parietem dormiret, peccatis exigentibus, a ſerpente invaſa eſt: quæ, cum valido dolore torqueretur, & vicinarum eccleſiarum ante limina proſterneretur; tandem ante ſepulchrum S. Rudeſindi præſentatur. Itaque monachorum adjuta precibus, & S. Rudeſindi coruſcantibus virtutibus, ſerpens ore ipſius projicitur: & cum fugeret, ab adſtantibus ſibi, qui paulo ante me audiente recitaverunt, tenetur & interficitur.

Alia ſerpentem ore vomit.

7. Item alio tempore quidam puer qui extra hoc monaſterium (erat enim famulus) morabatur, cum pecora cuſtodiret, fuſte projecto, ut fit, poſt pecudes, cecidit inter vepres: qui dum incaute nihil ſuſpicans, ut ſtipitem acciperet, ſe inclinaſſet, forte ſerpens non magnus per os ejus ſaliens in ventrem deſcendit. Ejus utique parentes hoc poſtquam viderunt, ante tumbam S. Rudeſindi eum præſentaverunt; & ut proprium famulum liberaret, cum conventu monachorum eum rogaverunt. Expulſo itaque & per os ejecto colubro, puer ſanus redditur parentibus.

Item famulus.

8. Accidit quodam tempore, ſicut veridicis coram verbis * recitantibus, qui ſe illos, quibus hoc evenerat miraculum, vidiſſe ajebant, didici; ut propoſitum iter ingrederentur duo viri, qui cum poſt ſolis occaſum, nocte imminente ad littus Cadam veniſſent; & navem trans fluminis alveum conſpexiſſent, & domum vel aliquid hujuſmodi ad hoſpitandum nuſquam vidiſſent; interius dolore commoti, exterius vero timore perterriti, ſuper amnis oras ſede-

* al. vobis.

Miraculum de nave.

a De ejuſmodi pœnis ob homicidium impoſitis actum eſt in Præfatione Sæculi 2. num. 41. & in ſequentibus tomis ſæpius.

Digitized by Google

AN.CHR. 977 1. Mart. ſederunt. Cum vero inter ſe quid agerent, diu volverent; accidit, ut a miraculis ſancti Rudeſindi caperent ſermonem. Cum autem miracula quæ per ipſum Deus fuerat operatus, multa narraſſent; una voce clamaverunt: Sancte Rudeſinde, ſi vera ſunt quæ de ſoliti ſumus audire, nobis ſuccurre; & ut ſani tranſmeemus, curam de nobis habe. Quod poſtquam dixerunt (quod mirum eſt dictu) lembum venientem viderunt: & cum portum Deo remige, teneret, ipſi feſtinanter intraverunt, & ſic S. Rudeſindo nauta, ſani incolumes tranſmeaverunt.

Energumena liberata.

9. Mulierem ab immuudo ſpiritu vexatam, & per longi temporis ſpatium cruciatam multi, qui adhuc ſuperſunt, viderunt. Hanc ſiquidem malignus ſpiritus ita furoris veſania repleverat, ut ni catenis teneretur, in ignem aut flumina, aut in aliqua præcipitia cum mortis periculo præcipitaretur. Parentes vero ejus, cum jam prolixi temporis afficerentur tædio (quippe qui eam cuſtodiebant tota die ſimul & vigiliis macerabantur nocte) ut eam jam dimitterent, habuerunt pro conſilio. Sed rerum omnium factor & factorum gubernator, laborantium ſublevator, omnium bonorum recuperator, quod fecerat noluit derelinquere. Igitur divina revelatione præmoniti parentes, catenatam, quam genuerant, ducentes ante S. Viri ſepulchrum, cum in nocte ſuper ſuam filiam vigilarent; hujuſmodi preces cum lacrymis fuderunt: S. Rudeſinde, Chriſti Confeſſor, qui lepore non delectaris verborum, ſed ſuſpiria & gemitus conſideras intentionum; vide noſtram afflictionem: & ut attendas miſeram noſtri converſationem S. Rudeſinde, vel huic miſeræ noſtræ filiæ finem vitæ impone; vel ab hoc nequam ſpiritu, tuo juvamine defende. Hac ſimplici oratione finita in terram cecidit puella velut mortua. Tunc ſpiritus qui ei dominabatur, ululans exivit ab ea. Ipſa vero cum parentibus domum ſoſpes revertitur.

* Deza.

Captivus educitur.

10. Nuper etiam in partibus Deciæ *, ſicut a monachis didici, quidam homo injuſte oppreſſus in poteſtate cujuſdam militis tenebatur vinculis alligatus. Cum autem eum tortores juſſu domini vehementer affligerent, & ab eo quod non habebat, ſub quæſtione quærerent, intempeſtæ noctis ſilentio, ſic locutus eſt: S. Rudeſinde Chriſti Confeſſor vide cruciatum & corporis paſſionem, quam injuſte patior: Libera me, Pater ſanctiſſime. Ego enim jam propoſueram præſentiam tuæ ſepulturæ viſitare. Hæc poſtquam dixit ſomno gravatus, aliquantulum dormire cœpit, atque in ipſo ſomno ſanctum Rudeſindum ſic loquentem meruit audire: Surge homo, ſurge, nihil timeas, ſed ſecurus incede. Verumtamen quod voviſti operibus comple. A ſomno igitur expergefactus, S. Rudeſindo manum ejus tenente, inter vigiles tutus exivit. Non poſt multum vero temporis ad ſepulchrum S. Rudeſindi veniens cum cereis & oblationibus, hæc ut ei evenerant ordine narravit.

Raptor boum morte plexus.

11. Factum eſt autem, ut quadam die (ſicut ab his qui in tempore Petri Abbatis viderunt didici) quidam Miles, nomine Munio Folgar, boum Cellænovæ greges temere invaderet, atque ſub ſua ditione tranſmearet. Quod poſtquam Monachis non ignotum eſt omnibus, ante S. Rudeſindi tumbam flexis poplitibus hujus rei defenſorem atque ultorem obnixius tam ſingultibus implorant quam precibus. Cumque ea die eidem una ex iis ad edendum præpararetur, poſitaque menſa de ea ab ipſo guſtaretur; valido languore Dei ultione corripitur: qui prope ſe infelicem conſiderans ait ſuis, ab intimo corde deplorans: Cunctis & integris bubulis domino meo Rudeſindo Epiſcopo munus ex noſtris facultatibns quantocius deferte, quoniam quidem ejuſdem ira coarctor validiſſime. Quamvis autem ſecundum quod dixerat, adimpleretur; tamen eadem hæbdomada illius corpus in ipſo cœnobio ſepulturæ impenditur.

Dæmoniacus liberatus.

12. Sub eodem jam dicti Abbatis tempore miraculum geſtum eſt aliud mirabile quod a quodam venerabili monacho me recognoſco noviſſe, qui ſe ab altero qui viderat, memorabat audiſſe. Fatebatur enim, quod quadam Dominicæ Nativitatis ſollemnitate, Urraca *a* Regina cum non minima mi-

a Urraca Regina primo nupta Alfonſo VIII. Caſtellæ Regi, cognomento Bono, qui obiit anno 1157.

militum multitudine Cellam-novam deveniſſet, quatenus tantæ ſollemnitatis officia debita veneratione in tali loco plenius poſſet auſcultare, & ob hoc a Deo majorem animæ ſublevationem impetrare. Inter hæc autem cum a monachis nocturnale officium celebraretur; contigit ut pro neceſſariis quæ ad tantum diem pertinere noſcuntur, theſauri domus a Sacriſta peterentur. Cumque in ipſius aſſcenſu itineris quidam miles ejuſdem Reginæ conſederet cum aliis; illius oram clamydis, caſu accedente pedibus conculcavit: moxque adverſus Dei ſervum maximo furore infremuit, ac contumelioſis verbis male tractavit: qui protinus Dei judicio, invaſus ab inimico, ab imo pavimenti ad excelſum inter officia celebrantes projicitur, & huc illucque peſſima vexatione a cunctis agitari conſpicitur. Itaque cum quomodo vel quare id actum fuerat, perterritis omnibus, divulgaretur; ſumma reverentia Dei potentiam pertimeſcere videbantur. Ad ultimum autem illum aliquanti ex monachis una cum populorum turba ad S. Rudeſindi tumulum in ulnis deferunt, & ut ei auxiliari dignaretur, ſuis precibus expoſcunt, a quo ſtatim glorioſe a dæmone liberatur; & id in quo deliquerat, ſatisfaciendo emendavit, & monaſterio de proprio cenſu grata munera, Deo omnibus dicentibus gratias, pro reſtituta incolumitate donavit. AN. CHR. 977 1. Martii.

13. Alio namque tempore (ſicut a quodam honeſto laico viro cognovi qui ſe vidiſſe aſſerebat) quidam ruſticus ex ſuperioribus Camporum partibus lumine oculorum caruerat: pro quo per Sanctorum oracula cum orationibus peragravit; eo quod diu nonnulla medicis erogaverat, & nihil utilitatis impetraverat. Qui cum ſeptem annis cæcus videretur permanere, in ſomnis demum admonetur, quod luminis apicem nullatenus ab alio, niſi per S. Rudeſindum poſſet impetrare. A ſomno igitur expergefactus, eo quod de tanto viro nuſquam audierat, præ admiratione cœpit pavere, & ſollicite quamplures interrogare: cujus tamen ſanctitatem ſciebat apud Deum nimis valere. Cui demum a quibuſdam dicitur: Scias plane, hunc beatiſſimum virum nequaquam in iſtis partibus, ſed in Limiæ finibus apud Cellam-novam quieſcere; qui etiam late coruſcat virtutibus. Quo audito, iter ſubito contra Occidentalem plagam arripuit, quo uſque Cellam-novam devenit. Qui oculorum lumen ad ſancti ſepulchri tactum conſequitur: & ad proprium ſolum incolumis, Deum laudans revertitur. Cæcus curatur.

14. Item alio tempore a valida rabie quædam mulier vexabatur; quæ tam ipſa quam ejus vir monaſterio ſervitutis cauſa, pariter ſubjiciebantur, ſicut a ſupradicto laico agnovi, qui ſe vidiſſe confitebatur. Cumque ei nulla medicina auxiliaretur, qua videlicet ab imminente morte liberaretur, funibus tamen alligatur, quibus a ſuo viro ad S. Rudeſindi ſarcophagum perduceretur. Quod cum factum fuiſſet, & de petra ſancti tumuli raſa, ab ipſa potaretur; ita priſtinæ ſanitati reddita eſt, ac ſi malum numquam ſenſiſſet. Item rabida.

15. Occultandum etiam illud non eſt neceſſe, quod cum in primo teneræ *a* ætatis flore, litterarum ſtudiis a parentibus traderer; præ tanti ſtudii ſudore, ſeu virgarum (ſicut ſolet fieri in pueris) percuſſione eis abrenuntiarem, inſuper locis ſilvarum occultis ob hoc ſæpius occultarer. Inter hæc autem cum nullatenus acquieſcerem, quamvis vinculis alligatus, divino nutu magiſter meus S. Rudeſindi ſepulchrum petit, candelam accendit, flexis genibus orationem fundit: quatenus ſi apud juſtum judicem in clericatus gradu eſſem prædeſtinatus, ipſe me ſuo virtutis ligamine conſtringeret, & ad diſcendum cor dignaretur aperire. Quod ſicut poſtea ab eo multoties audivi, plus acquievi: & non multo poſt in eodem cœnobio monaſticæ profeſſionis habitum libenter accepi. Scriptor vitæ ad ſtudia converſus.

16. Nequaquam ergo & illud ſilendum eſt, quod me plane fateor vidiſſe. Quidam ejuſdem cœnobii famulus, nomine Joannes, membris omnibus, neſcio qua cauſa infirmitatis, penitus eſt exemptus. Itaque cum nec videret nec audiret, neque aliquid ſentiret; a parentibus me præſente ante S. Rudeſindi Quidam impotens ſanatur.

a De hoc Scriptore, quem Henſchenius Stephanum vocat, actum eſt in Obſervationibus præviis.

Digitized by Google

AN CHR. 975 1. Martii. di tumbam deductus eſt: qui tamdiu ibi jacuit, quamdiu corporis incolumitatem recepit.

17. Cum vero quiſque in tribulatione cujuslibet rei poſitus S. Rudeſindum ſincero corde flagitaverit, ſatis poteſt conſequi, ſecundum quod popoſcerit; cum pleroſque videamus petiiſſe, & ſine mora accepiſſe. Unde ex his unum explicare volo, quo credentibus ſufficere credo. Quidam ergo Monachus, qui ſe S. Claudii Legionis Abbatem aſſerebat, fortuitu Cellam-novam devenit: ibique quantum licuit permanſit, ſicut hi qui ſuperſunt, mihi retulerunt; & in præteritis tribus annis, quia non intereram, factum eſſe annuunt. Interea cum quemdam monachum ſibi incognitum in equo ſuo, neſcio qua legatione miſiſſet, fugiſſe credidit, cum ſtatuto die minime veniſſet. Interim ejus veſtimentum a quodam alienigena eſt ſublatum: qua de re nimis ſe ipſum animi vexatione cruciare cœpit: quid tamen ageret ſe neſcire dixit. Demum S. Rudeſindi ſepulchrum appetit; eique ac ſi cum altero alloqueretur, ait: S. Rudeſinde, quid tibi aut tuis unquam malefeci? Quare me penes te exſpoliare voluiſti? Si ſanctus es, redde quæ abſtuliſti, cum ea non cuſtodiſti. Porro cum quidam noſter monachus ab itinere, quo miſſus fuerat, reverteretur, Dei nutu latronem longe a Monaſterio reperit, veſtimentum abſtulit, eique detulit. Sicque factum eſt, ut eo die, quo S. Rudeſindum invocaverat, veſtem, & in tertio, equum incolumem reciperet.

Ablata reſtituuntur.

18. Teſtantur enim Monachi, qui præſto ſunt, quo in tranſactis quinque annis, quidam puerulus, Joannes nomine, me tamen abſente, arripitur a dæmone, & cum diu talem vexationem pateretur, a matre ad eccleſiam deducitur; & per altaria Miſſam celebrantibus ſubmittitur. Ad ultimum cum nihil ſalutis conſequeretur, illius genitrix a quibuſdam Monachis admonetur, quatenus ab ea ante S. Rudeſindi tumbam puer deduceretur: quorum præcepto confeſtim obediens coram tumulo projecta, talia proloquitur: O S. Rudeſinde, iſte quidem filius meus eſt, ſed ſervus tuus eſt: amodo illum tibi trado, atque relinquo, quidquid placuerit facito. Et hæc dicens, cœpit abire. Mira res! Dæmon protinus cum magno ſonitu receſſit: puer ſurrexit, matremque vocavit: cujus vocem mater audiens, concito greſſu rediens, natum ſanum recepit, Deo gratias referens.

Puer abreptitius liberatur.

19. A monaſterii didici Prepoſito. Qædam mulier a dæmonio vexabatur, quæ cum ejuſdem patriæ eſſet indigena, S. Rudeſindi præ tanto dolore expoſcit beneficia. Dæmon ſiquidem talis erat, ut cum illam vexaret, loquebatur, quamvis eum nullus interrogaret; ibique aliquantiſper celebratis vigiliis, ab inimici ſalubriter eripitur anguſtiis. Factum eſt autem, ut cum iſtam relinqueret, ipſius ſororem invaderet. Ambæ itaque fere poſt dies octo cum oblationibus Cellam-novam deveniunt, & quod geſtum fuerat referunt. Dæmon autem ante S. Rudeſindi ſacrophagum præſentatur: ubi protinus per puellæ os inimicus talia fatur: Foras me educite; quoniam quidem præ S. Rudeſindi virtute nullatenus poſſum quieſcere. Ad quem ſæpius monachi: Exi, miſer, exi infelix; quia Deo juvante nullo modo hic permanebis: Demum ad beati Antiſtitis ſepulchrum quibuſdam noctibus cum excubarent in vigiliis, ad propria pariter redeunt cum ſalutis gaudiis.

Item ſimiles duæ.

20. Cunctis liquet, quod Rex Fernandus *a* Legionis natus Adefonſi Imperatoris, per omnia conſtat mirabilis. Qui cum regni gubernacula, quod ſibi impendebat, per genitoris ſui obitum pacifice obtineret, ſic ſe omnibus pie ac juſte exhibebat, ut fere in nulla parte exorbitaret. Quem Portugallenſis Rex Adefonſus *b* in quibuſdam opprimebat, eo quod quoſdam illius milites, qui natu majores eſſe videbantur, callide deceperat: eorumque animos non modico cenſu averterat, ſeu offuſcarat, quatenus tam conſilio quam opere ejus vices occulte ſuſtentarent; ſuumque dominum minime adju-

Monaſterii bona bello Luſitanico amiſſa.

a Fernandus Poſterior Alfonſi Boni ſeu Imperatoris filius, cui Legionis & Callecia regna paruerunt, cum Caſtilia ejuſque appendices Sancium primogenitum haberent Regem.

b Is primus Luſitaniæ regium nomen intulit, quam prius Henricus Adefonſi pater Comitivæ titulo regebat.

adjuvarent.* In hac ergo perſecutione nonnullæ eccleſiæ præ ſuarum rerum direptione maximam læſionem ſunt adeptæ: inter quas monaſterium Cellænovæ prædiorum depreſſione fere ad nihilum redactum eſt ſub tam iniqua ſubjugatione. Denique in primis ſupradictus Rex Portugallenſis quoddam ipſius cœnobii oppidum, Sandinum *a* nomine, quod prope fluvium conſiſtit *b* Arnogiæ, valido cum exercitu obſedit: quem Rudeſindus beatiſſimus Epiſcopus intolerabili tonitrui cæleſtis coruſcatione mirabiliter pepulit. Siquidem altera jam dicti Monaſterii oppida Comes ipſius Regis Velaſcus, videlicet ſanctæ Crucis & Montis Leporarii, fraude ſibi rapuit. Inſuper illius ſuaſione Rex præfatus S. Rudeſindi virtutem parvipendit; cum Birretum * caſtrum, intra monaſterii ſeptum delatis lapidibus firmiter ædificavit, eique tradidit: qui etiam cunctam fere ſupradictam cœnobii hæreditatem militibus ad ſibi ſerviendum erogavit. His ita geſtis, Pelagius * Abbas ſobrinus Ficani Abbatis, cum aliquantis monachis cœnobium ob tantam perſecutionem deſerit, Regem Fernandum petit, qui illum honeſte, ac ei Samonenſe *c* Monaſterium tradidit. Interim vero cum ædificandi cauſa jam dictum caſtrum præpararetur, facta eſt contentio inter monaſterii homines ac Regis famulos, eo quod ſegetes ad equorum opus ſecarentur. Ad hoc autem quidam ruſticus, Garſias nomine, Regis juſſu cum pleriſque ad ſuos venit defendendum: magnoque faſtu clara voce ſe cum B. Rudeſindo dixit pugnaturum: qui in eadem pugna lancea percuſſus obiit peregrinus, & eodem die monaſterio eſt delatus, & in ſequenti ſepultus. Quo igitur ſigno ſancti Antiſtitis potentia cunctos, qui audierant, valde perterruit: ſed ipſius Regis ſicuti Pharaonis, ad majorem cumulum ſuæ damnationis cor obduravit, quatenus maris, id eſt magni populi, abſorberetur fluctibus; aut cum Simone ſublevatus, lapidis frangeretur percuſſionibus; ſicuti poſtea rei probavit eventus. Prævalebat ſiquidem circumcirca iniquitas, & multorum refrigeſcebat charitas: ita ut opprobrii cauſa tam Portugallenſes, quam Limienſes dicerent: S. Rudeſindum, eo quod ſe de his non ulciſceretur, more pagenſium apud nidum moras innectere, ad ſalem deferendum. Inter hoc autem quidam miles, nomine Menendus, vidit per ſoporem cum candidata turba B. Rudeſindum aſſiſtentem. Cumque eum eo quod ex adverſo ſtaret deprecaretur, ut ſibi pulchram illius faciem oſtendere dignaretur, retulit, ſe propter hereditatem, videlicet ripam Minei, quam a Comite præfato poſſidebat, adverſus eum iratum: & tam de Rege, quam de Comite cito ulturum. Quidam deinceps ruſticus, cum perditum bovem in Toreni partibus per montes videretur quærere, beatum ſupradictum Antiſtitem valde rutilantem conſpexit cum dealbato cuneo honeſte incedere. Qui cum unum ex his, qui eſſet interrogaret, S. Rudeſindum affirmavit eſſe, qui ſua ab hoſtibus properat eruere. Similiter & quidam miles, nomine Gundiſalus, uti mihi eſt proteſtatus, dum cum uxore ſua quieſceret, expergefacta dixit: ſe a jam dicto beato Præſule monitam, quo in octavo ipſius diei Portugallenſis Rex caperetur, & ſui cœnobii hæreditas reintegraretur: quod poſtea ſane ita actum eſſe comprobatur. Sicque factum eſt, ut ex eo tempore quo præfatus Rex monaſterium Cellæ-novæ lædere tentaverat, ſemper per omnia male ſe habuit: ſiquidem oppidum jam relatum & cito factum, quod male impetraverat, ipſo præſente perdidit, & cæleſti flamine omnipotens Deus Regi Fernando tradidit. Præterea cum Pacenſem *d* civitatem oppugnaret; clam ſuper eum Rex Fernandus, Sarracenorum legatione * cum exercitu devenit, illumque nimis ſauciatum juſto Dei judicio, fracto femoris oſſe, longe ab ipſa civitate cepit, ac ſub cuſtodia fere per duos menſes retinuit, uſquequo uni-

AN. CHR. 977. 1. Martii.

* Berredo.

* V. num. 1.

Auctores puniti.

* al. legione.

Adefonſo Rege capto,

a. Poſitum eſt Sandinum ad occidentalem plagam, tribus leucis a Cella-nova.
b. Arnogia non procul inde in Minium defluit.
c De Samonenſi ſancti Juliani monaſterio lege Yepezii tomum 5. & Sandovallium, poſt Sampyrum a p. 138. fuſe diſſerentem. Rudeſindus æra 972. id eſt Chriſti 934. ſubſcribit litteris Adelphii Abbatis Samonenſis pro iſto monaſterio, ubi *Sancta Regula* viguiſſe dicitur, ibidem pag. 147.
d Yepezio Pacem Auguſtam, *Badajoz*, in confinibus Caſtellæ-novæ & Luſitaniæ.

Digitized by Google

AN CHR. 975 11. Julii.

univerſa, tam Limiæ, quam Toroniæ oppida, quæ fraudulenter *arripuerat, ab eo impetravit. Nam cum idem Rex prius caperetur a quibuſdam, ut aſſeritur, S. Rudeſindus conſpicitur: ipſe autem Rex, quamvis ſolutus a vinculis, tamen uſque ad ultimum diem animæ ſuæ egreſſionis e ſuo corpore permanſit inutilis. Poſt hæc autem Birreti caſtellum quod per biennium ex quo

bona recuperantur.

cœpit ædificari exſiſtere perhibetur, juſſu Fernandi Regis deſtruitur, omniſque Cellæ-novæ hereditatis a ſupradicto Abbate jus plenarie recipitur. In quo videlicet oppido, quamdiu permanſit, ipſius Monaſterii ſigna, uti prius vel poſtea ſunt audita, nullus audire potuit. Velaſcum vero Comitem qui tam perverſæ rei auctor exſtiteraт præmaximus, non multo poſt cum ſibi complicibus dejectum vidimus, ubi caput reclinaret minime habentem. Cujus etiam Major Domus *, nomine Adefonſus Box, qui multa mala intulerat, diu ante * crepuit medius. Per omnia benedictus Deus, qui ſuperbos humiliat, & confidentes in ſe ab omni preſſura liberat: qui cum Patre & Spiritu ſancto vivit & regnat per omnia ſæcula ſæculorum, amen.

* al. Majorinus.
* al. divina juſtitia.

21. Cum enim perſecutionis aſperitate Limia nimis devaſtaretur, & ſeſe

Incarceratus evadit.

incolæ noctis ſilentio occulte invicem perſequerentur, ita ut ſua diriperentur, atque ex utraque parte aliqui caperentur; factum eſt ut monaſterium Cellæ-novæ ab Aurienſium *a* fortitudine in aliquo comprimeretur. Quamobrem cum ab ejuſdem cœnobii procuratore invaderentur; unus ex eis Joannes nomine, una cum aliorum ſpoliis ab eodem capitur, & inter monaſterii ſæpta in vinculis ſtudioſiſſime concluditur: qui cum Francigena eſſet, & tam parentela, quam cenſu cujus munimine redimi potuiſſet, ſe proculdubio deſtitutum per omnia non ignoraſſet, atque præ anguſtia, lacrymis ac ſuſpiriis valde ſe afflixiſſet; ad ultimum Dei inſpiratione ab imo cordis pectore, ſic S. Rudeſindi auxilium imploravit dicens: Peto, ſancte Rudeſinde, quatenus ſi ſanctus es, me perplexum injuſte, ſolita virtute illæſum abire permittas. Cumque ad hæc obdormiſſet; ecce S. Rudeſindus apparuit ei dicens: Vocaſti enim me, ecce adſum. Nunc ſurge & perge ſecurus: quia jam ab iſtis vinculis es abſolutus: qui ſtatim ſurgens, cuſtodes tranſiit, & ad propria incolumis rediit. Sed non multo poſt ille rediens ſancto viro gratiam referens, hoc quod retuli, me præſente cunctis dixit.

Joannes Epiſcopus male de ſancto ſentiens punitus emendatur.

22. Epiſcopus quoque Lucenſis, JOANNES *b* nomine, beato viro Rodeſindo verbis contradicere ſolebat. Quadam vero die ſolito more cum illum aſſereret virtute divina carere; ſubito a perterrita mula, ſuper quam ſedebat, in terram cecidit, & ejus brachium ſuper quod corruit, de loco ſuo exiit, & fere ſine aliquo ſenſu diu ſemivivus jacuit: qui poſtea in ſenſu ſuo paullatim rediens, tacito ore præmiſſa oratione ſic ſanctum Rudeſindum interpellabat, dicens: O beate Rudeſinde, ſi potes, mihi quæſo accommoda incolumitatem, & me amodo tuæ ſanctitatis habebis laudatorem. Eadem quippe die ſoſpitatem conſequitur, ſicuti ab iis qui hactenus ab eo hoc audivere, me recolo agnoviſſe.

23. Silentio non eſt tegendum quod noſtris temporibus pleriſque manet cognitum. Quidam Canonicus Jacobenſis eccleſiæ *, PETRUS nomine, cum Legionis atque Portugallis Regum Legatione fungeretur, fortuitu jam infirmus Cellam-novam ingreſſus eſt, ubi etiam ita a languore perurgetur, ut ulterius convaleſcere nullatenus putaretur, a quo tamen monaſterii Abbas multis exoratur precibus, quatenus ante ſancti Rudeſindi tumbam præſentari mereretur. Qui continuo ad Abbatis imperium quorumdam manibus ſuſtentatus, ab eccleſiæ ſacriſta eſt coram beato viro delatus: moxque ante illius ſepulchrum proſternitur, & præ tanto dolore brachiis monumentum, ventre ſimul adhærente amplectitur: quo uſque ſingultu ac prece diutina peractis vigiliis per ſomni ſoporem a ſancto Rude-

* Compoſtellanæ.
Petrus Canonicus convaleſcit.

a Aurienſis civitas Epiſcopalis, *Orenſe* indigenis, Cellæ-novæ ſatis vicina.

b Is Samenſis aut Samonenſis Abbas fuerat, interfuitque translationi reliquiarum S. Rudeſindi circiter annum 1170. Alius codex non Joannem, ſed ill. Epiſcopum Lucenſem notat.

Digitized by Google

deſindo ſanitatem conſequitur, uti ab eis, qui hæc adhuc ab eo audiere, didici. AN.CHR. 977

24. Reticendum penitus non eſt neceſſe quod nuper Archidiacono Cellæ-novæ Pelagio cunctis liquet accidiſſe. Nam cum quædam in ejus naribus infirmitas, quæ vulgo ſpunlia dicitur, naſceretur, præ tantæ peſtis deformitate tribulabatur, ac nimis verecundabatur. Ob hoc ſi quidem duabus vicibus Cellam novam venit; & peſtis locum S. Rudeſindi ſepulchro multoties confricando, adhæſit, ac cum magnis ſingultibus pſalmos recitavit, in quorum fine taliter infit: O beate Rudeſinde, mihi, quæſo, peccatori miſerando ſubveni, vita mortis periculum dona ſalutis adminiculum. Verum enim vero cum in ipſa hebdomada ſe ad Officium Miſſæ celebrandum præpararet, ſicuti poſtea ab illo audivi, ita peſtis illa ad tactum aquæ, quam abluendi cauſa per manus faciemque fuderat, radicitus abſtrahitur, quatenus priſtinæ ſanitati, Dei virtute, per S. Rudeſindum redderetur. 1. Mart. Pelagii Archidiaconi puſtula ſanata.

25. Apud Portugallem in monaſterio fontis Archadiæ quidam monachus, Munio nomine, valde a quartanis urgebatur febribus. Nam cum per unum annum neque per eccleſiarum viſitationem, neque per medicorum operationem ſublevaretur; demum in ſomnis a ſancto Rudeſindo admonetur, quatenus ſi in ejus honore flexis genibus Dominicalis oratio a cunctis monachis Deo funderetur, continuo ſanitati redderetur. Quod ita factum eſt, ſicut quodam honeſto noſtri monaſterii agnovi monacho: qui illuc poſitus, tam ab eodem, quam ab omnibus hæc audiſſe fatebatur. Monachus febricitans curatur.

26. Pelagius quidam Cellæ-novæ monachus, cum adhuc prius eſſet in laicali habitu poſitus, a validis tenebatur febribus. Porro cum diu ab eiſdem cruciaretur, quatenus præ laſſitudine de loco in locum nullatenus moveretur; in equo ſuo ante S. Rudeſindum præſentatur, ibique per unius noctis ſpatium excubans, dum omnes quieſcerent, quaſi per terram rependo, ad beati viri ſepulchrum acceſſit, & illius petram cum dentibus radendo degluttiens obdormivit. Facto itaque mane ita ſanus redditur, ut ſi propriis pedibus remeare vellet, uti ab eo audivi, penitus potuiſſet. Item alius.

27. Homo quidam non longe a Minei flumine morabatur, qui vigilia Ramorum *a* poſt meridiem divinis negligenter officiis derelictis, in propria vinea operabatur. Cumque peracto opere ad menſem ſederet, fumus pulmenti quod ante eum poſitum fuerat, uti ei viſum eſt, ita per illius faciem expanditur, ut ejus os obliquum faceret, & unum oculum tumidum redderet. Ad hoc autem eccleſias expetit; preces fundit: nihil ſalutis accipit. Sarcophagum denique S. Rudeſindi popoſcit, ibique triduum manſit, ac vigilias celebravit. Quarto vero die, cum ſe ſanum adſpiceret, beati Viri ſepulchrum annuatim viſitaturum ſpopondit: quod poſtea negligendo infirmitatem quam amiſerat recepit: ubi denuo remeavit, & a dolore emundatus receſſit. Sic ſacriſta qui ei in quibuſdam adminiculum exhibuit, modo proteſtatur. Dominicæ religionem violans punitus.

28. Infantulus quidam, Martinus nomine, cum a matre ſua nutriretur, præ infirmitate caruit oculorum lumine. Parentes autem ejus propter pignoris ſui cæcitatem ſeſe animi anxietate cruciabant, quidve facere deberent, ignorabant. Per ſanctorum oracula cum luminaribus incedunt, medicinas apponunt; nihilque proficiunt. In his igitur cum nihil utilitatis impetrarent, & caſſo labore deficerent; ad S. Rudeſindi tumulum deveniunt, ac beneficii auxilium ſuppliciter expoſcunt. Celebrata itaque una nocte vigilia; facto mane cum pariter quo venerant reverterentur, puer cœpit videre. Sequenti namque die cum oblationibus ad S. Rudeſindum recurrunt, & quod factum fuerat, cunctis referunt. Quod ſi alicui hoc incredibile fortaſſe videtur: ecce puer & pater ac ejus mater in teſtimonio habentur. Illuminatur cæcus.

29. Matrona quædam, ex Limia indigena, nimis impellebatur a dæmonis potentia. Ob id autem cum oblationibus nonnulla poſcit eccleſiarum limina, inſtantiſſime precibus ac ſingultibus implorando ſalutis beneficia. Energumena liberatur.

a Nempe a Veſpera in veſperam olim feſta obſervabantur, ut in Sæculo 2. & alibi obſervavimus.

AN. CHR. 977 1. Martii.

Ad ultimum cum in his, quæ flagitabat ſe fruſtratam conſpiceret, Cellam-novam devenit, ubi orationem ante ſancti Rudeſindi tumbam, non minimam fudit; peractaque totius noctis vigiliæ, prece monachos aggregavit, cum quibus exorando, a Deo per S. Rudeſindum ſoſpitatem recepit, ſicuti ab ejuſdem eccleſiæ cuſtode, qui ei in quibuſdam ſervitium exhibuit, affirmatur.

Monachus navi ſponte mota mare pertranſit.

30. Factum eſt autem, ut quidam ex Cellæ-novæ monachis, Munio nomine, maritimas partes propter piſces fratribus deferendos peteret: ubi Abbatem ſuum Pelagium *a* Ficarium caſu reperit, cujus comitatui adhæſit, quatenus ſecurius, atque per omnia melius haberet. Cumque Abbas cum aliquantis ex altera maris ripa qua erat iturus, a miniſtris cujuſdam clerici, qui eum honeſte in hoſpitium ſuſceperat in vehiculo tranſportaretur, jam dictus Munio cum quibuſdam Abbatis famulis fortuitu remanere videtur. Nautæ vero reverſi, & non invento domino ſuo, qui propter negotium longe receſſerat, nec prece, nec pretio eumdem monachum cum reliquis tranſportare, ſicut illorum dominus præceperat, voluerunt, ſed in altera ponti ora receſſerunt, & in vehiculo dormire cœperunt. Hoc autem cum vidiſſet monachus, præ animi anguſtia coactus (quippe qui in illo loco illud vehiculum alias reperire non poterat) ceteris qui cum eo erant, talia narrat: Oportet nos nunc toto animi conamine S. Rudeſindi auxilium attentius flagitare, quatenus pro cujus fratrum utilitate tantum ferre laborem non dedignor, ipſe noſter fiat in hac neceſſitatis hora pius adjutor. Mira res flexis genibus fuſiſque precibus; ecce vehiculum quo nautæ dormiebant, ſine alicujus ducentis manu ubi ipſe aſſiſtebat acceſſit. Quod cum aliis ſimul cum piſcibus ingreſſus, uti ab eodem cognovi, cum uno tantum remige eſt in alteram partem tranſvectus. Per cuncta benedictus Deus, qui tanta meritis ſanctiſſimi Rudeſindi miracula operatur.

31. Quia vero longum eſt ſcribere omnia, quæ per ſuum ſervum mirabilia Deus dignatus eſt operari: aliqua tamen de multis huic opuſculo dignum duximus inſerenda *b*, quæ a pluribus & viris religioſis audivimus, qui ſe

Votifragus a dæmone invaſus.

propriis oculis vidiſſe fideliter teſtabantur. Vir ergo quidam peccatis exigentibus diu poſſeſſus a dæmone, venit ad monaſterium Cellæ-novæ ubi corpus B. Rudeſindi in beatæ Mariæ Dei genitricis eccleſia requieſcit. Qui cum ante ipſam eccleſiam deveniſſet, & ſe cito arreptum, a quo ſolitus erat, dæmone cognoviſſet; accepit cultrum quem in vagina tenebat, & pueris circumſtantibus dedit, dicens: Cuſtodite hoc, & ducite me ad fores eccleſiæ, ubi jacet corpus S. Rudeſindi, & obſervate me, quia ſine dilatione ſum a ſolito dæmone invadendus. Quo dicto, & pueris fugientibus præ timore, ſtatim quod dictum fuerat opere adimpletur. Arripitur, in terram proſternitur, conteritur graviter & vexatur. Quod videntes pueri qui prius fugerant perterriti, occurrerunt tam ipſi, quam alii. Supervenientes autem monachi deferunt illum ad tumulum B. Rudeſindi, ejuſdem auxilium attentius implorantes, ut eidem dignaretur miſero miſericorditer miſereri. Sicque tenentes & conſtringentes illum, ne penitus diſcerperetur a dæmone, comminabantur ei, modis quibus valebant, ut exiret, & ab eo diſcedere debuiſſet. Cumque ſic diu teneretur, & ab ipſis monachis interrogaretur, quam ob cauſam ipſum hominem ingrederetur; cœpit loqui & dicere, audientibus omnibus, qui adſtabant: Pro nulla re alia hominem ſum ingreſſus, niſi pro voto quod vovit B. Mariæ, ut iret ad domum ejus, & facere non curavit. Sed & dum egreſſus fuero, ab illo (nam egrediar) niſi ſtatim iter arripuerit, & votum ſolvere feſtinaverit; mox iterum arripiam, & quaſi proprium poſſidebo. Si autem votum exſolverit, poteſtatem in eum ulterius non habebo. Cum vero iterum interrogaretur, qualiter vel qua hora deberet exire, ſic reſpondit: Cum fuerit tempus Miſſæ celebrandæ, apprehendite illum per pollicem digitum, & per nares ipſum fortiter conſtringentes, tenete; & ſic ab

a Analius qui ſupra Pelagius Abbas, Ficarii ſobrinus, num. 29

b Sequentia miracula Godefridus Henſchenius Ordonio ſcriptori tribuit.

Digitized by Google

ab eo recedam, numquam ad illum de cetero reverſurus, quod factum eſt. Nam cum ad Miſſam campanæ pulſari, & ſe monachi cœperunt ad ejus officium præparare; monachi qui aderant, apprehendentes eum, ſicut ipſe dixerat, & collum ejus ſtola beati Pontificis circumdantes, cum tempus acceſſit ab eodem dæmone prænotatum, clamans atque diſcerpens confuſus exiit & diſceſſit. Sicque homo per ſancti Pontificis merita liberatus, ad votum beatæ Virgini perſolvendum ſanus & incolumis ſe præparavit : & ita per Dei miſericordiam liber cum magno gaudio ad propria remeavit.

AN. CHR. 977 1. Mart.

Stola ſancti adhibita liberatur.

32. Quædam monialis, ſicut a quodam Religioſo didicimus, a partibus Galliæ veniens, dicebat jam longo tempore a maligno ſpiritu ſe poſſeſſam quæ cauſa liberationis propriæ multorum Apoſtolorum & plurimorum Sanctorum aſſerebat ſe limina viſitaſſe, numquam tamen ſe ſenſerat melius habuiſſe. Cum autem poſt multum temporis ſpatium, eſſet multipliciter his etiam incommodis & cruciatibus fatigata, divina miſerante gratia audivit, & divina eam revelatio monuit, ut ad ſepulchrum ſancti Rudeſindi Epiſcopi quantocius deveniret, & ibi per ipſius ſuffragia reciperet a Domino ſanitatem. Quid plura? Venit Galleciam, quæſivit monaſterium, invenit locum : pulſavit & intravit, ibique per dies aliquot in orationibus & vigiliis perſeverans ſalutem, quamdiu optaverat, glorioſi Rudeſindi meritis impetravit, & ſic operante Chriſto incolumis ad propria remeavit.

Monialis item Gallicana.

33. Alio etiam tempore cum turba ad feſtum S. Rudeſindi, quod fieri ſolet in Kalendis Martii, more ſolito convenit; puer quidam in turba foris extra oratorium ab immundo ſpiritu graviter invaditur & torquetur. Nutu vero divino cunctis mirantibus curſu rapido ad eccleſiam veniens, ſuper beati Pontificis tumulum concito ſe projecit, & mox dulci preſſus ſopore, ſuaviter obdormivit. Cumque monachorum conventus, qui tunc foras in proceſſione ad honorem glorioſi Præſulis laudes Deo decantabat, ad eccleſiam jam rediiſſet, compatientes eidem puero, illud Reſponſorium, *S. Rudeſinde*, cœperunt devote adſtantes ante ſepulchrum unanimiter decantare. Finito Reſponſorio & Oratione, ſancti meritis atque ſuffragiis, ab immundo ſpiritu, & a ſomno lætus & hilaris exſurrexit, ſic deinceps liber ab illo incommodo, multos poſtea vixit annos.

Alius quoque.

34. Alter quidam puer cæcus de terra Canderte, ductus eſt ad monaſterium Cellæ-novæ, ſubſidium luminis a Domino per S. Rudeſindi merita petiturus. Sed dum a parentibus & monachis fuiſſet ad ſepulchrum ſancti corporis intra eccleſiam deportatus, facta oratione pro eo ad Dominum, quaſi dormiens paululum requievit. Aliis vero eventum rei exſpectantibus, eidem puero, exteriori carenti lumine, apparuit quidam Epiſcopus, ut ipſe poſtea teſtabatur, dicens illi : Surge in nomine Domini & vade cum ſalute. Ad quam vocem illuminatus protinus ſurgens puer, cum circumſtantibus glorificavit nomen Domini Jeſu-Chriſti qui per ſanctos ſuos tam magna mirabilia dignatus eſt operari. Et ita, ut in illa viſione præceptum fuerat, ad propria reverſus eſt cum ſalute.

Cæcus puer lumen recipit.

35. Homo quidam, Petrus Nunionis nomine, de Milmanda, cum aliquando comederet piſcem qui Turta ab omnibus nominatur; accidit ut os piſcis in ejus gutture verſaretur; quod cum diu vi vel aliquo ingenio non poſſet extrahi nec deglutiri (quia pro poſſe in multis palam adverſabatur monaſterio Cellæ-novæ) tandem venit ad ſepulchrum B. Rudeſindi neceſſitatis anguſtia coarctatus, confiſus tamen poſſe ipſius beneficio per Dei gratiam ſanari. Dumque ad idem monaſterium veniſſet, rogavit monachos, ut illum introducere dignarentur, ubi erat corpus jam dicti beatiſſimi Confeſſoris. Cui cum præſentatus fuiſſet, dictum eſt ei ab aliquibus, qui adſtabant : Amice, recordare quia iſti loco fuiſti multoties adverſatus : quapropter pænitere primum; deinde promitte fideliter quod de cetero emendaberis : & vere credimus quod per B. Rudeſindum dabit tibi Dominus ſanitatem. Quibus dictis, culpam cognovit : emendationem promiſit, & cum adſtantibus pro merenda ſanitate pariter exoravit. Cumque in oratione aliquando permane-

Spina piſcis gutturi infixa ejicitur.

Digitized by Google

AN. CHR. 977 1. Mart. ret, dixerunt ei quidam: Tuſſite, ſi modo poteſtis. Cumque hoc faceret, exivit ſpina quæ illum graviter affligebat: & ita ſanus effectus a Domino per beneficium S. Rudeſindi, rediit in domum propriam a malitia & inquietudine, quam prius monaſterio exhibebat, de cetero emendatus.

Inflata curatur. 36. Puella quædam habens in facie graviſſimum apoſtema, venit ad monaſterium, Dei pietatem per S. Rudeſindi merita implorare: cujus facies ita jam erat inflata, ut ab inflatione illa oculi clauderentur, & caput ac tota facies in tanta rotunditate intumuerat, quod accedentes vix poterant illam præ horrore nimio intueri. Excreverat etiam in ipſius faciei parte, ſub uno oculorum quidam tumor ad inſtar parvi pomi, qui videbatur quaſi initium totius inflationis. S Rudeſindi anulus. Quæ puella cum ad B. Confeſſoris Chriſti tumulum eſſet ducta; & ſancti anulus qui in ejus translatione ab ipſius digito receptus fuerat, in ipſa tumenti facie ponetur, paulatim cum dolore cœpit decreſcere tumor ille, & ſic eſt uſque ad quintum diem per Dei gratiam & ſancti ejus famuli auxilium minoratus, quod vix poſſet in ipſa mulιercula doloris illius veſtigium inveniri. Pro quo Chriſto & ejus ſanctiſſimo Præſuli laudes referens plurimas, ad propria rediit cum ſalute.

* S Pedro de la Roi. Manus contracta curatur. 37. Quidam clericus in Limia, villa Larciroa * manum habebat, reflexis in palmam utriſque digitis, penitus inutilem & contractam. Qui cum famam miraculorum S. Rudeſindi auribus percepiſſet, recuperandæ ſanitatis fide concepta, venit ad ejus monaſterium & ſepulchrum, ſed cum ad Beatum fuiſſet præſentatus, Monachi qui aderant, ſancti Pontificis anulum & ipſius alias reliquias deducentes, in ipſam manum clauſam ſuper inflexos & nimis adſtrictos digitos poſuerunt, & facta oratione pro eo, illum ante Sancti tumulum reliquerunt. Cum autem ad eum redierunt poſt aliquod diei ſpatium, invenerunt digitos illos mobiles, qui paulo ante in palmam defixi, ut diximus, & aridi tenebantur, quos cum tentantes tetigiſſent abſque ullo dolore, primo pollicem levaverunt, deinde alii ipſum ſubſequentes extenſi atque directi, anulus cum capſula argentea in qua eſt, plane in palma manus mirabiliter eſt inventus. Quo viſo miraculo cuncti qui aderant cum ipſo ſanato clerico, Deo & ſanctis ejus pro tanto beneficio dignas gratias retulerunt.

Item contractus. 38. Aliud quoque miraculum, quod multis qui ſuperſunt eſt cognitum, non duximus reticendum, ut quamvis indigni & peccatores; per nos tamen ea quæ a certis teſtibus audivimus, cognita & probata Dei mirabilia prædicentur. Erat igitur homo quidam, nomine Michael, cujus crura & tibiæ a juventute ita erant junctæ pedibus & curvatæ, ac ſi fuiſſent ad invicem ingenio aliquo ex induſtria glutinatæ. Unde per multum tempus ſic manſit inutilis, & ipſe pæne membris omnibus deſtitutus, quod de ſalute corporis quaſi jam penitus deſperaret: ſed inſpiratione divina, quæ nomen ſancti ſui Confeſſoris volebat apud homines amplius confiteri, intravit cor matris ejus, ut duceret illum ad monaſterium S. Rudeſindi. Cumque ductus fuiſſet, & ad Beati ſepulchrum intromiſſus, fuit ibi per dies aliquot perſiſtens in orationibus & vigiliis. Quadam vero die cum more ſolito mane ante tumulum alienis manibus duceretur, ibique ſolo inter columnas monumenti jactaretur, accidit, ut a conventu Miſſæ officium ageretur. Quod cum fieret, miro modo cœpit anguſtiari nimium & magnis vocibus acclamare dicens: Succurrite, fratres, ſuccurrite, quia rodor & crucior, ſicut a canibus devoratus. Et hæc duriſſimis vocibus inclamando cœpit ſurgere & tenere columnas ipſius ſepulchri. Et accurrentibus undique fratribus, viderunt illum ſtantem pedibus & clamantem, & audierunt ſtridere oſſa ejus firmiter, & viderunt currere ab eo ſanguinem de juncturis. Et ſic per merita & interceſſionem ſancti Confeſſoris & Chriſti miſericordiam extenſus eſt, & redditus ſanitati.

39. Aliud quoque miraculum quod a duabus Monialibus, ſatis religioſis feminis & honeſtis apud monaſterium de Tornino * veridica relatione didicimus contigiſſe, huic opuſculo credimus inſerendum: quæ domino Fernando tertio Abbati Cellæ-novæ, demum univerſo conventui, prout acci-

* Tomino.

accidit, retulerunt. Igitur in partibus de Toronio quidam miles de Cerbaria cum hominibus ſuis cepit quemdam ſibi (ut ipſe dicebat) hominem inimicum: quo capto, præfatum monaſterium hoſpitandi gratia intraverunt: & ibi eum macerare & male tractare coram monialibus & coram omnibus, percuſſionibus & pœnis aliis gravare incœperunt. Quem accipientes, ligatis pedibus & extenſis brachiis in lancea ſubtus tunicam ad modum crucifixi, dure & acerbe in ſolo projecto, ſe ſuper brachia ipſius & ſuper lanceam projecerunt. Videntes autem ſanctimoniales omnia quæ fiebant, coram altari, quod ibi constructum erat in honorem B. Rudeſindi Confeſſoris, ſe cum magnis fletibus & ſingultibus proſternentes, auxilium divinæ miſericordiæ qui nullum in ſe confidentem deſerit, devotiſſime exorabant, ut intercedente beatiſſimo Confeſſore, miſerum illum hominem, mortem mane procul dubio exſpectantem, divina clementia liberaret. Quarum etiam una præ cordis amaritudine pannos qui erant ſub ipſum altare, volens ab eo arripere ſic ajebat: O beate Rudeſinde, niſi nobis digneris ſuccurrere, & illum miſerum hominem liberare, altare tuum penitus denudabo. Quod cum illi homines cognoviſſent, quidam ex eis ſpiritu ſuperbiæ concitati, impetu furoris & crudelitatis ſic dicebant: Pono in ſuperbiam Deo *a* & S. Rudeſindo: quod hac nocte homo iſte non effugiat vel evadat. His dictis, per beatum Confeſſorem ſuum Rudeſindum ſic hominem illum Dei miſericordia liberavit, quod tunica, qua indutus erat ad modum crucifixi, ut diximus, cum prædictis ligaminibus in lancea remanſerit. Expergefacti itaque mane non invenientes hominem, confuſi de monaſterio receſſerunt, dicentes cunctis qui ibi aderant: Cuſtodite bene reliquias ſancti Rudeſindi. Tunc ſanctimoniales cum omnibus qui aderant & videbant, ubertim præ gaudio flentes, Deo & ſanctiſſimo Pontifici gratias & laudes multimodas cecinerunt, cui eſt honor & gloria in ſæcula ſæculorum.

[AN.CHR. 977. 1. Martii. — Captivus morti eripitur. — Crucifixi ſpecies.]

40. Noſtris quoque temporibus vidimus quemdam monachum Sancium nomine, qui apud monaſterium ſancti Facundi *b* longo tempore habitavit, vir venerabilis, & a primævæ ætatis circulo valde religioſus, petita ab Abbate ſuo licentia & obtenta, cœnobium petiit Cellæ-novæ. Cumque ibi diutius moraretur, & ſatis ſacris moribus prævaleret; contigit eum linguæ officium amiſiſſe taliter, quod omni locutione penitus privabatur. Verumtamen cum mutus longo temporis ſpatio permanſiſſet, nimis affligebatur præ triſtitia & dolore, volens multoties cum baculo, quo ſuſtentabatur, percutere monumentum S. Rudeſindi: quo per hoc inſinuaret, quod ipſe beatus Confeſſor, ſi vellet, ſibi redderet ſanitatem. Unde factum eſt, cum conventus monachorum in eccleſia Deo gratias reddidiſſent, a choro exire volentes, ad tumbam ſancti Pontificis Rudeſindi incipientem quoddam Reſponſorium invenerunt: quod mox eo incipiente, omnes pariter cantaverunt, & Deo gratias egerunt, qui tot beneficia præſtat mundo per beatum Confeſſorem.

[Monacho muto loquela redditur.]

41. Legimus dicente Salomone: *Filius ſapiens eſt gloria patris*. Propterea venerabile valde eſt & mirabiliter glorioſum, in tam ſapiente filio, beato ſcilicet Rudeſindo, Dei patris ſapientiam collaudare, & ejus ſemper gloriam exaltare: cujus filii ſapientia apparuit manifeſta, cum ſemetipſum templum Deo ſapientiſſime dedicavit, juxta quod ait Apoſtolus: *Templum Dei vivi quod eſtis vos*. Cujus templi ſapientia, ſanctitate, virtute, miraculis, ſignis & prodigiis illuſtrata, multa languentium membra variis languoribus detenta (non ſicut unus in piſcina Evangelica ſalvatur) integre reſtituit ſanitati. De quo unum parvum juxta magnitudinem aliorum in medium proferamus ad Dei Patris gloriam & honorem. In Limiæ partibus in loco, qui vulgo Ginizum nuncupatur, quædam mulier, præ infirmitatis magnitudine privata lumine oculorum, longo tempore manſit cæca. Cumque multa ſanctorum

[Prov. 13. 1. — 2. Cor. 6. 16. — cæcæ viſus.]

a Hiſpanice, *Hago unas apueſtas*, depoſito pignore certo cum Deo &c.

b De Sahaguntino Martyrum Facundi & Primitivi cœnobio fuſe agunt Sandovallius & Yepeius, qui Abbatem illum Sahaguntinenſem, qui tranſlationi S. Rudeſindi interfuiſſe dicitur inferius, GUNDISALVUM vocat, poſtea Zamorenſem Epiſcopum.

Digitized by Google

AN.CHR. 977 1. Mart.

loca frequentius peragraſſet & eccleſiarum limina viſitaſſet, tandem admonita eſt a ſacriſta Cellæ-novæ, qui de terra illa fuerat oriundus, quatenus ſepulchrum ſancti Rudeſindi cum devotione & oblationibus viſitaret. Quo audito mulier non differens, ſed quantocius complere opere properavit: quæ veniens Cellam-novam, ab eo ſacriſta eſt in eccleſia coram ſancti Confeſſoris ſarcophago præſentata: quæ manu palpans columnas quibus S. Rudeſindi tumba ſuſtentabatur, flendo & ejulando fletibus accingebat. Quæ ſic per triduum vigiliis celebratis cœpit aliquantulum videre; velut ille evangelicus, qui videbat homines tamquam arbores ambulantes. Verumtamen per dies aliquos clare lumine recepto, incolumis ad propria repedavit.

Fernandus ſpoliaturus monaſterium punitur a dæmone.

42. Quia ea quæ noſtris temporibus fiunt, magis delectant & melius memoriæ commendantur; ideo de miraculis B. Rudeſindi nonnulla huic operi inſerere dignum duxi. Tempore igitur claræ memoriæ illuſtriſſimi Fernandi *a* Regis, genitoris glorioſiſſimi Principis Regis Alfonſi, Princeps quidam illuſtris & potens, nomine Fernandus Roderici de caſtro, cum magna rapina de terra & patrimonio beatiſſimi Rudeſindi venit ad monaſterium Cellæ-novæ, fractiſque januis apothecæ, cum cuncta bona monaſterii violenter ſurripere cogitaret, ipſo cum militibus ſuis circa magnum ignem in hoſpitali dicti monaſterii quieſcente, monachi omnes congregati ad tumbam convenerunt beatiſſimi Rudeſindi: rogantes ut eos & ſua, ut promiſerat, defenſaret. Quorum quidam amaro animo ipſum monumentum panno pretioſo, quo opertum fuerat, detegentes in hæc verba cum lacrymis proruperunt: O Rudeſinde ſanctiſſime, exſurge, quare obdormis domine? exſurge, & ne repellas in finem. Quare faciem tuam avertis? Obliviſceris tribulationem noſtram? Exſurge domine adjuva nos, & libera nos. Recordare teſtamenti & promiſſionis tuæ, qua promiſiſti a malefactoribus nos defenſare. Ecce enim jam non ſufficit tuam patriam & patrimonium diſſipare; ſed etiam hic ſub alis tuis non dimittimur Domino deſervire. Hæc & his ſimilia dum Monachi dicti monaſterii dicerent lacrymantes, prædictum Baronem diabolus arripuit; ipſumque in ignem invitis & retrahentibus militibus ſuis, miſit. Cumque ipſum ſpumantem & ſtrepentem iidem milites ab igne extraherent, diabolus ex ore ejus loquens, ſic dicitur e circumſtantibus adhuc viventibus reſpondiſſe: Permittite me comburere deprædatorem ſanctiſſimi Rudeſindi, Dominus enim me conſtituit ultorem & majorinum ipſius. Terram enim ipſius temere deprædatus eſt: & nunc etiam hic irreverenter veniens in umbra ſua, monaſterium quod ipſe ſanctus conſtruxit, auſus eſt invadere, & bona ipſius atrociter diſſipare. Milites igitur accipientes prædictum Principem ſtrepentem, ut ſupra dicitur, & ſpumantem, ipſum circa B. Rudeſindi tumbam in eccleſia poſuerunt: ibique tota nocte illa jacuit ſemivivus. Mane autem facto ipſum iterum diabolus arripuit. Cumque interrogaretur a circumſtantibus, quo pacto ipſum dimitteret, ſic reſpondit: Niſi primum cunctam rapinam reſtituat, & homagium faciat ipſe & milites ejus, quod numquam terram & monaſterium iſtud ingrediatur, ut noceat; ipſum aliquatenus non dimittam. Milites igitur vocantes Abbatem & monachos cum Principe prædicto, pro eo fecerunt homagium ſupradictum. Quo facto, ſanus & incolumis factus eſt eadem hora; reſtitutiſque rapinis integris, omnes cum magno timore a Monaſterio receſſerunt. Per omnia benedictus Dominus, qui beatiſſimi Confeſſoris ſui ſic dignatus eſt injurias vindicare, Amen.

A diabolo obſidetur.

ACTA TRANSLATIONIS EX HISPANICO
Antonii de Yepez, Latine edita a Tamajo Salazario.

1. PRæteritis temporibus celebris fuit miraculorum fama, quæ Deus optimus maximus ad ſancti Rudeſindi ſepulchrum continuo patrare dignatus fuit, in plurimis febricitantibus, qui peregrinationis ergo, aut devotio-

a Ferdinandus Legionis & Gallæciæ Rex anno 1188. Alfonſo filio regnum moriens reliquit.

Digitized by Google

votionis ſpiritu, aut favoris recipiendi fide conveniebant. Igitur inter alios qui ad hujus monaſterii Cella-novenſis in Gallecia limina viſitanda pervenerunt, unus fuit Hyacintus S. R. E. Cardinalis, & per totius Hiſpaniæ circulos ſedis Apoſtolicæ Legatus, qui poſtea creatus fuit ſummus Pontifex titulo Cæleſtini III. Qui magnalia omnipotentis Dei ad tumulum ſancti Abbatis exaudiens; in monaſterium quo ejuſdem ſancti Præſulis ſacra pignora jacebant, perrexit anno Domini 1170. vel circiter: & ſpeculatis omnibus quæ audierat, & ſumma deliberatione penſatis, & ad oculum examinatis, cognoſcens veraciter majora eſſe in effectu, quam in opinione miracula quæ probaverat, quam quæ audierat, protinus ſacrum corpus ex illo humili tumulo, quo erat ſepultum, in ſublimiorem, capſa lapidea incluſum altera mirifice lignea affabre facta & deaurata deſuper impoſita, ſuper quatuor marmoris columnas intra capellæ angulum quæ ad clauſtrum tendit, transferre curavit. AN. CHR. 977 1. Martii. Rudeſindi corpus per Hyacintum ſolo elevatum.

2. Quod ut perfectius perficeret, primo de multorum Præſulum conſilio, prævio vitæ examine, & miraculorum frequentia, S. Rudeſindum inter ſanctæ Eccleſiæ Catholicæ Beatos adnumeravit: deinde totius Galleciæ & Portugalliæ Epiſcopos convocavit, ut ei in illo ſancto opere calendis Septembris aſſiſterent. Denique translationem eadem die populorum circumjacentium concurſu, Epiſcoporum jubilo, Optimatum devotione, Abbatum & fratrum adſtantium fervore, & ipſius Cardinalis pietate, ipſe propriis manibus perfecit, Indulgentiis indictis his, qui actui interfuere, & ceteris abſentibus, quos die commemorationis feſtivitatis illius quotannis celebrandæ intereſſe contigerit. Quarum omnium rerum ne memoria temporum lapſu deperiret, in publicum diploma & authenticam ſcripturam deſcribi præcepit: in qua illuſtriora ejus ſancti Præſulis vitæ exercitia, inſigniora miracula, & quidquid in hujuſmodi translatione præceperat & ordinaverat, aut quæ in ejus actu evenerant ſcribenda cenſuit.

3. Hujus Beatificationis exſecutio ad hunc finem perducta eſt, inſtantibus Cerebruno Toletano, & Petro [a] Compoſtellano Archiepiſcopis, Gundiſalvo Ovetenſi, Joanne [b] Legionenſi, Petro Caurienſi, Sanctio Zamorenſi; Antonio [c] Ulyſſiponenſi, Roderico [d] Palentino, Gundiſalvo [e] Seguntino, Gundiſalvo Segobienſi, & Marco Viſcenſi Epiſcopis; necnon Abbatibus, Sahaguntinenſi, Superadenſi, Caracetenſi, & Melonenſi; item Prioribus ſanctæ Crucis* & Eccleſulæ, cum aliis Principibus, Equitibus, Conſiliis civitatum & populorum, ad Dei gloriam, qui ſemper eſt glorioſus in ſæcula. * Conimbricenſis.

Miraculum recens.

4. Noſtris temporibus, anno milleſimo ſexcenteſimo primo, hanc domum gubernante Patre Magiſtro Fratre Claudio de Tenorio, filio profeſſo S. Claudii civitatis Legionenſis, vivebat igitur in loco, qui vulgo *Froyme* nuncupatur, in domo cujuſdam mulieris, quæ vocabatur Leonor Suaria, puer quidam qui a nativitate ſurdus & mutus erat. Cum igitur veniret ad hoc monaſterium, & preces ex intimo corde ante B. Rudeſindum funderet, poſt quintum diem, quem in vigilia præoccupaverat, ſanitatem conſecutus eſt, & coram omnibus cœpit loqui & audire, gratias referens Deo & beato Confeſſori Rudeſindo; per cujus merita illam aſſequi valuit: & ne hoc futuris ſæculis incredibile videretur, de ordine Abbatis claro & authentico teſtimonium fixum apparuit. Surdus & mutus ſanatur.

[a] Dicitur aliis Petrus Helias, quo a Petro Suares & aliis cognominibus pontificibus diſtinguatur.
[b] An Joannes ſuperius Lucenſis dictus, num. 22.
[c] Rodericus da Cunha in hiſtoria Uliſſiponenſi Alvarum vocat.
[d] An Ardericus inter Palentinos antiſtites recenſitus.
[e] Henſchenius Goſcelinum ſeu Joſcelinum reſtituit.

AN.CHR. 977 25. Julii.

DE TRANSLATIONE CORPORIS

SANCTI JUDOCI PRESBYTERI & Confeſſoris.

Iſembardus iſtius tranſlationis ſcriptor. 1. *IN Sæculo 2. ad annum* 668. *ubi ſancti Judoci acta retulimus, paucis deſcripta eſt ejuſdem tranſlatio ex Auctore anonymo, qui vitam ipſius in litteras retulit poſt alium anonymum antiquiorem ſub hoc titulo*: Dominis & Patribus, ſub patrocinio ſancti Judoci conſiſtentibus, veſter benivolus, nomine tacendus, Regi regum ſic militare, ut ſit dignum triumphantes coronare. *Scribebat auctor iſte Rotberto regnante*, cujus adhuc imperium, *inquit*, viget vigeatque optato multos, Deo concedente, per annos. *Nullus dubito hunc eſſe* Iſembardum *Floriacenſem monachum, de quo ita Ordericus Vitalis in Hiſtoriæ ſuæ lib.* 3. *pag.* 497. Floriacenſis Iſembardus Herboldo Abbati, inſtigante Adelelmo monacho deſcribit, quod anno ab Incarnatione Domini 977. tempore Lotharii filii Ludovici Regis Francorum, corpus ſancti Judoci ſic inventum ſit. *Et in fine*: Hæc omnia Floriacenſis Iſembardus geſta temporibus Hugonis Magni & Rotberti Regis, Adelelmo rogitante deſcripſit.

Tranſlatio duplex. 2. *Ordericus duplicem ſancti Judoci tranſlationem memorat: unam ex Iſembardo, quæ ſcilicet in ejuſdem Sancti monaſterio facta eſt anno* 977. *alteram ex Willermo Merulenſi, monacho & Sacerdote, quæ ex prædicto ſancti Judoci monaſterio primo in oppidum Gomercium, deinde in Parnenſem eccleſiam peracta eſt Philippo primo regnante: quo tempore eccleſia de Parnis *, ſita in pago Vilcaſſino*, Uticenſibus monachis commiſſa eſt, in honorem ſancti Martini Turonenſis antiquitus conſtructa. *De utraque tranſlatione ex Orderico carptim hic agendum.*

* de Parnes.

3. *Poſt Judoci obitum* duo nepotes ejus Winnochus & Arnochus ibidem ei ſucceſſerunt, & ſanctum corpus, quod diu incorruptum manſit, frequenter aqua lavare & condere conſueverunt. Drochtricus Dux Haimonis ſucceſſor hoc audivit. ſed credere dubitavit. Hoc igitur procaciter explorare volens, vi ſacrum ſepulchrum aperiri fecit, & intus irreverenter intuitus, & mox exterritus ait: Ah ſancte Judoce! Statim ſurdus & mutus factus eſt, & uſque ad mortem omni corpore debilitatus eſt. Uxor autem ejus infortunio viri territa ad Deum ingemuit, & pro ſalvatione animæ duas villas, Criſpiniacum & Netrevillam, ſancto Judoco dedit. Hæc itaque tempore Dagoberti filii LOTHARII magni Regis Francorum geſta ſunt.

4. Floriacenſis Iſembardus Herboldo Abbati, inſtigante Adelelmo monacho, deſcribit, quod anno ab Incarnatione Domini 977. tempore Lotharii filii Ludovici Regis Francorum, corpus ſancti Judoci ſic inventum ſit. Ruſticus quidam, nomine Stephanus, qui ex officio molendini victum quæritabat, in ſomnis a quodam clari habitus viro admonitus, ad locum ſancti Judoci venit, & relicta uxore cum filiis clericus factus eſt. Corpus vero ſancti Judoci, quod tunc a cunctis mortalibus ubi eſſet ignorabatur, ut per viſum inſtigatus fuerat, intra eccleſiam quærere cœpit, & inſinuante Pridiano * Sigemano, ad dexteram altaris ſancti Martini ſarcophagum invenit. Cunctis inde gaudentibus, & Deo laudes canentibus, defoſſum eſt cum ſancto corpore mauſoleum, & a terra ſublatum. Hoc fama paſſim divulgat, copioſa plebs undique properat, ut ſancti corporis levationem videat, & ei vota cum muneribus offerat. Multa ibidem facta ſunt miracula, & multarum curata ſunt infirmitatum genera. Tandem 8. Kal. Auguſti corpus ſancti Judoci veneranter poſitum eſt ſuper altare ſancti Martini.

* id eſt ædituo.

5. Ipſo

5. Ipſo anno ibidem monaſterium a fundamentis cœptum eſt, & monaſticus Ordo reparari cœptus eſt, & reverendus Abbas Sigebrandus conſtitutus eſt. Quadam nocte dum corpus ſancti Judoci ſervaretur in eccleſia ſancti Petri, ſeptem cerei ante reliquias erant, quantum unus tantum ab æditu incenſus erat: reliqui vero ſex cuſtodibus dormientibus cælitus accenſi ſunt. AN.CHR. 977 25. Julii.

6. Sic alia vice in eccleſia ſua corpus ſancti Judoci erat: præſente Sigemano lumen, quod vi ventorum & inundatione pluviarum exſtinctum eſt, divinitus illuminatum eſt.

7. Dominico dum Pridianus Miſſam ſollemniter celebrabat, quidem vaſſus Hilduini Comitis, nomine Guarembertus, mala voluntate plenus erat, cupiens de rebus ſancti quæ vellet violenter auferre, & Sigemano depulſo alterum ſuis moribus conſentientem ſubrogare. Cum ergo in Evangelio legitur, Ut quid cogitatis mala in cordibus veſtris? cœpit miſer alte vociferari, inviſibiliter percuſſus: tertio vexatus, divinitus tandem impulſus corruit, & ſanguinis coagulum ab ore evomuit. Poſt Miſſam juſſu Sigemani æditui foras aſportatus eſt, & in craſtinum meritis ſancti Judoci ſanam mentem recepit. Hoc tempore Hugonis Magni contigit.

8. A veracibus viris Adelelmo & Richerio monacho narratur, quod dum a Stephano reliquiæ ſancti Judoci pro conſtructione baſilicæ ad moneſterium ſancti Richarii deferrentur, inclita Bertſendis jam nubilis, filia Alſindis, paſſione renum ad pedes per biennium eſt prægravata: ite ut nuſquam ire, nec etiam movere ſine bajulo ſeſe poſſet. Fuſa vero prece cum fide a matre & filia ante reliquias ſancti Confeſſoris, ægra ſanata eſt: & mater viſa filiæ ſoſpitate admodum gaviſa eſt, & pallium pretioſum veloci archiatro largita eſt.

9. Rodbertus quidam dum ſolus meridie iter faceret, viſo ſpiritu erroris in ſpecie hominis penitus cæcatus eſt. Qui poſt longum tempus ſanctum Judocum expetiit, & ſe coram Widone Abbate ſervum contradidit: inundante ab oculis ejus ſanguine ipſo die lumen recepit, & ad Veſperas monachos in ſcamnis reſidentes ſe vidiſſe palam aſſeruit.

10. Rodbertus Tarvvarnenſis dum meridie ſolus in æſtate agri ſui operam reviſeret, ſubito a dæmone arreptus eſt, & in tantum vexatus, ut pæne inceſſanter homines devorare, & quæque perfringere ab hoſte ſtimularetur. Tres itaque fratres ſui jejunio quatuor temporum in Junio ad tumbam ſancti Judoci vinctum perduxerunt: ibique a quarta feria uſque ad ſabbatum permanſerunt. Exinde quietius ſe cœpit æger habere, & integra recepta ſoſpitate perpetualiter in ſervum ſancto Judoco tradidit ſe. Hoc eodem rogante, in feſtivitate ſancti Joannis Baptiſtæ Wido Abbas ambonem aſſcendens populo narravit, ipſumque præſentem & caſus ſuos palam proteſtantem oſtendit. &c.

11. Hæc omnia Floriacenſis Iſembardus geſta temporibus Hugonis Magni ſeu Rodberti Regis Adelelmo rogitante deſcripſit: ſed poſtea beatus Judocus multa petentibus magnalia (quamvis per incuriam ſcripta non ſint) agere non deſiſtit.

12. Mutatis regni Principibus, & ſeſe proceribus mutuo perturbantibus, iterum corpus ſancti Judoci pro timore hoſtium terra coopertum eſt: & tamdiu ita jacuit, donec omnibus mortuis qui abdiderat, communis ignorantia involverit. Tempore Henrici Regis Francorum, monachis ſæpe conquerentibus, qnod ignorarent ubi patronus eorum requieſceret Judocus: cuidam ſimplici laico divinitus ſanctum corpus inſinuatur; quo detegente, Abbatis fratrumque ſtudio ſollemniter levatur. Deinde monachi repertorem reliquiarum ad monachatum ſuſceperuut, & cuſtodem ſacri fomitis eumdem conſtituerunt, & oblationes fidelium ei commiſerunt. Defuncto autem Abbate ſucceſſor ejus non, ut decuit, ædituum dilexit; nec ut anteceſſor ejus eum amicabiliter tractavit. Unde graviter commotus, ſanctum corpus no-

Digitized by Google

AN CHR. 977 25. Julii. ctu aſſumpſit, ſecumque in Galliam aſportavit. Goisfredus autem Gomercii municeps eumdem cum theſauro quem ferebat honorifice detinuit: & magiſtratum caſtellanæ eccleſiæ, ubi quatuor erant Canonici, uſque ad mortem ei conceſſit. Poſt aliquod tempus Henricus Rex Francorum, ortis quibuſdam bellorum tumultibus, Gomercium obſedit, & viribus Callici exercitus Goisfredum expugnavit, & oppidum incendit. Dum vero baſilicam & caſtri ædificia edax flamma conſumeret, & terribilis clamor impugnantium & expugnatorum (ut in talibus moris eſt) undique perſonaret; Canonicus quidam oſſa ſancti Judoci de feretro ſuſtulit, & feſtinanter de incendio aufugit. Huic forte ſatelles regius ſuper pontem obviavit, ſuffaciatum quid ferret interrogavit; fatenti quod ſacra veſtimenta, codiceſque ſuos gereret, cuncta violenter abſtulit, & ſecum ad Parnenſe territorium hujuſmodi theſaurum detulit. Idem vir Rodbertus vocabatur, & *Meſlebren*, id eſt miſcens furfurem, cognominabatur, eratque de clientibus Radulfi de Caldrejo, qui tunc temporis inter præcipuos milites habebatur in exercitu Gallico. Miles itaque præfatus tali præda valde gaviſus eſt, & in eccleſia ſancti Martini a Presbytero & parochianis ſtudioſe collocatum eſt. Jamque ibidem pluſquam 70. annis venerabiliter ſervatum eſt. Innumera inibi ſuper infirmos miracula facta ſunt, & uſque hodie promerente petentium fide (ut tota vicinitas atteſtatur) frequenter fiunt.

13. De translatione ſacri corporis, quam breviter hic modo tetigimus, & de plurimis quæ Parnis provenerunt infirmorum ſanitatibus, Merulenſis Willermus venerabilis monachus & ſarcerdos egregium dictamen edidit, in quo veraciter & luculenter de miris eventibus ad ſacra oſſa geſtis diſſeruit.

14. Philippus Rex Francorum biennio febricitavit, nec ulla medicorum arte ſanari potuit. Unde poſt biennium Parnas venit, aquam tactu reliquiarum ſancti Judoci ſanctificatam bibit, & binis noctibus ante ſanctum corpus in orationibus pernoctavit, ibique ſanitatem dolore ceſſante recuperavit. Sanatus autem Rex quinquaginta ſolidos Pontœſienſium ſancto Judoco obtulit, & nundinas feria tertia Pentecoſtes celebrari ſingulis annis ibidem in honore ſancti Judoci annuit, & regalis auctoritatis præceptione conſtituit.

15. Præterea meritis ſancti Judoci multa Parnis miracula facta ſunt, quotidieque fiunt, quorum nonnulla ſcripta ſunt; & plura per incuriam ſcientium ſeu per imperitiam videntium vel expertorum ſilentio occultata ſunt. Nos autem quamvis alia referre feſtinaremus, pauca de te, ſancte Judoce, perſtrinximus, & chariſmata tibi cælitus data huic opuſculo inſeruimus: & pro modulo parvitatis noſtræ devote attollimus. Oramus itaque, glorioſe fili Regis Britonum, & conſors Angelorum, ut nos Deo commendens tuorum efficacia meritorum, obtineaſque nobis ſocietatem ſanctorum, cum quibus contemplantes in decore ſuo Creatorem cunctorum, læti collaudemus per omnia ſæcula ſæculorum, amen.

16. *Eccleſia ſancti Judoci de Parnis* * *(ſic modo appellatur) ſita eſt, ut dixi, in pago Veliocaſſino, haud longe a Magniaco oppido: qua in eccleſia quædam portio ſancti Judoci reliquiarum populo exhibetur feria ſecunda poſt Pentecoſten: maxima pars (ſi non totum corpus) hactenus in ipſius ſancti Judoci monaſterio apud Morinos a noſtris hactenus aſſervatur.*

* de Parnes.

BEA-

BEATI MALCALENI ABBATIS

WALCIODORENSIS ET S. MICHAELIS in Teraſcia

ELOGIUM HISTORICUM.

1. MAlcalenus, *aliis* Malcallinus, *ſeu* Malchalemnus, *&* Maccalanus, *quem Colganus ex Hibernia, nonnulli ex Scoto-Britannia oriundum rectius putant; primus fuit Walciodori Abbas, ac monaſticæ Regulæ apud ſanctum Michaelem in Teraſcia reſtitutor. Eſt autem ſancti Michaelis in Teraſcia antiquum & non ignobile ordinis ſancti Benedicti cœnobium, quod a Petronilla de Rocejo, relicta Radulfi Comitis Veteris-villæ erectum ut obſervatur lib. 1. cap. 3. Annalium Hannoniæ num a priſtino ſtatu temporum injuria penitus defeciſſet*, Eilberti *Comitis*, (*qui Heriberti Comitis Viromanduenſis frater major natu fuit*) *munificentia ac liberalitate inſtauratum eſt. Rem pluribus verbis exponit auctor Chronici Walciodorenſis ab Acherio noſtro tomo 7. Spicilegii editi, ex quo hæc pauca delibare viſum eſt.* Pulſatus igitur talibus tantiſque eventibus, infortunium diverſorum caſuum corporis & animæ timere cœpit venerandus Comes, priſcæ reminiſcens converſationis enormitatem, & antiquorum contagiorum præteritam actionem; quid egerit diuturna meditatione cœpit meditari, & ſe reum voce lacrymabili ex tranſactis facinoribus confiteri. Cumque jugi mæroris auxietate filii defleret deſtitutionem, ſuæ intentionis actionem ſuppliciter ad Deum convertit, & in ſtudio iſtius bonæ voluntatis, ex ſui juris proprietario una cum ſua clariſſima conjuge Hereſinde, Archangeli Michaelis ob honorem in Tiraſce baſilicam condidit, eoque in loco ſub tramite beati Benedicti Deo militantibus coadunatis fratribus, ipſis Abbatem præficiens, ad uſus quotidiani victus ſtipendia conſtituit non modica, locumque illum ſub ditione & ordinatione Lardunenſis eccleſiæ Antiſtitis conſtituit. Venerabilis autem Herſindis conjux ejus, Chriſto in eodem famulantibus ſe ſubjiciens, pietatis gratia ipſum frequentare cœpit...... ac in eo non multo poſt, carne depoſita, ſepulturæ conditorium ſuſcepit.

Monaſterii S. Michaelis inſtauratio.

2. *Maccalanum cum beato Cadroe aliiſque ſociis ad Herſindem Comitiſſam circa annum* 945. *aut* 946. *acceſſiſſe præter allata in obſervationibus præviis ad vitam ſancti Cadroæ argumenta, probat inſuper diploma a Radulfo Laudunenſi Epiſcopo anno* 945. *conceſſum, in quo factam ab eadem Herſinde eccleſiæ ſancti Michaelis in Teraſcia inſtaurationem confirmat. Hujus quippe eccleſiæ reparationem, ſancti Cadroæ in Galliam adventum non diu præceſſiſſe, ex ejuſdem Cadroæ Vita non obſcure colligitur. En auctoris æqualis verba, quibus totam utriuſque, Maccalani ſcilicet ac Cadroæ, peregrinationem deſcribit.*

Malcaleni adventus.

3. Solventes navim portum Bolonienſem appulſi ſunt, & per terram iter agentes Paronam monaſterium, *a ſancto Furſeo Scoto quondam ædificatum*, advenerunt; ibique domnus Cadroe Domini clementiam & beati Furſei merita implorat, ut ſibi commorationis locum oſtendat. Nocte autem veniente, adeſt ei in viſu B. Furſeus; quem cum ille quis eſſet inquireret, nomen edicit: ſe ab eo invocatum veniſſe pandit, & ut locum mutare debeat præcipit. Non longe erat matrona, Herſindis nomine, nobilitate & opibus inclita, ſanctæ devotionis ardore plena, & quia erat ſterilis, ſi quos inveniret ſanctæ peregrinationis viros, ſuſcipere cogitabat, eiſque benefacere propter nomen Salvatoris. Audito itaque peregrinorum adventu, mox adeſt exorans & ſuadens, ut ad ſe dignentur venire; qui cum ſe locum a ſæculo eis paratum dixiſſent quærere, ubi labore manuum ſuarum viventes Domino poſ-

AN.CHR. 978 21. Jan. poſſent ſervire; gaviſa illa oſtendit eis locum in ſilva Teoraſcenſe ſacrum beati Michaelis ex nomine: quem cum habilem ſuæ voluntati dilexiſſent, & a matrona eccleſia ampliata domibuſque conſtructis manerent; communi conſilio (erant enim tredecim) ſtatuere, ut domnum Cadroe ſibi dominum & patrem eligerent. Ad quod cum nullo modo cogi poſſet, conjunctis ſecum aliis, Maccalanum virum ſummæ bonitatis, & ſuæ ſocium peregrinationis ut ſibi imperare deberet, efficiunt: ibique diu ſic habitantes matronæ prædictæ beneficiis aliti ſunt.

Monaſtica profeſſio. 4. *Hæc vitæ ſcriptor anonymus: ex cujus relatu, quamdiu apud ſanctum Michaelem Maccalanus ſociis ſuis necdum monachis præfuerit, non conſtat. Pergit deinde.* Interea devotionis deſiderio creſcente, monaſticæ religioni cœperunt adſpirare. Unde cum voluntate Dei domina illa Maccalanum Gorziam, ſcilicet diſciplinatui venerabilis Agenaldi; Cadroe vero Floriacum, ubi Erchembaldus vir magnæ religionis præerat, direxit. Ambo ergo quod concupierant aſſequuti, Maccalanus apud patrem Agenaldum monachum profeſſus eſt: Cadroe vero die converſionis Pauli Apoſtoli apud Floriacum coram domino Erchembaldo habitum & animum monachalem induit. Emenſo itaque tempore, ſæpe dicta matrona Gorziam miſit, omni affectu domnum Agenaldum orans, ut Maccalanus ad locum olim electum poſſet regredi reverſuſque locum quem ſuſceperat, gubernabat. Erat autem locus ſupra Moſam fluvium priſco vocabulo Walciodorus nominatus. Huc illum advocans, monaſticum ordinem, inſtituit, domnumque Cadroe a Floriaco reductum, omni conamine renitentem, Præpoſitum ordinavit. Multi non fluxerant dies, cum videret Maccalanus utriuſque loci curam (ſancti Michaelis ſcilicet, & Walciodori) vires ſuas excedere, ſalubri conſilio multorum petitionem ſibi jungens, domnum orabat Cadroe ut nomen patris in loco Walciodoro non recuſaret ſuſcipere. Expavit homo ſtupore vehementi, & ultra quam credi poteſt reluctans, abnuit. Illis autem inſiſtentibus ne præ humilitate ſcandalum fratribus faceret, Rege tunc, poſt Auguſto, Ottone (nempe primo) cogente, vix acquievit ut ſuſciperet nomen Abbatis.

(& Abbatialis dignitas apud S. Michaelem & Walciodorum.)

Alia de eo ſententia. 5. *Hactenus ex ſancti Cadroæ actis Maccalani in Galliam adventum, monachatum, Abbatialemque dignitatem, tum apud Walciodorum, tum apud ſanctum Michaelem in Teraſcia ſuſceptam repræſentavimus. Verum ab his longiſſime recedit auctor Chronici Walciodorenſis, qui Maccalano tertium tantummodo Abbatis Walciodorenſis locum aſſignat, illiuſque etiam obitum ad annum* 990. *differt.*

6. Surrexit deinde, *inquit*, (*poſt Forannanum ſcilicet & Cadroem*) ex eodem contubernio comitum vir vitæ laudabilis Maccalanus, qui cum aſſenſu omnium, annuente Mettenſi Epiſcopo, in Walcioderenſi eccleſia Abbas conſtituitur, ibique regulariter inthronizatus, a Leodienſi benedicitur. Et quia teſtimonio ſuæ vitæ hoc commeruit, etiam in baſilica beati Michaelis ſub eodem tempore regimen animarum, & curam omnium, ibidem pertinentium cultu dignæ venerationis, Abbatis nomen ſortitus obtinuit. Ipſe etiam in converſationis bonæ actionis degens, & ſuper cuſtodiam ſuam inhianter vigilans, recto principalique ſpiritu normam juſtitiæ viriliter regebat, & ne callidus hoſtis detrimentum ſibi ex creditis ovibus faceret, ſuas ſuorumque ſubjectorum actiones Domino commendabat. Tali ſe ſtudio exercens, ignis ille divinus meditatione ſua in ea vehementer accendebatur, de quo dicit ſumma Sapientia, Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi ut ardeat? In hoc ergo fidei ardore comprehenſus, ultimus labentis diei curſus eidem clauditur anno Dominicæ Incarnationis 990. ex hoc mundo in baſilica beati Michaelis tranſivit, & in eadem a fratribus ejuſdem loci conditorio ſepulturæ honorifice conſtructo, cum ſumma diligentia ſepelitur. Interea ex Walciodorenſis eccleſiæ conventu ſubrogatus eiſdem eccleſiis regulariter domnus Immo præficitur.

Digitized by Google

7. *Verum potiorem præ chronici Scriptore meretur fidem vitæ ſancti Cadroæ Auctor, non modo quod æqualis fuerit Maccalano, a cujus ætate circiter trecentos annos abfuit chronici concinnator; ſed etiam quod chronici ſententia cohærere nequaquam poſſit tum cum Frodoardi Appendice, tum etiam cum Forannani Geſtis, in quibus cum Forannanus a Benedicto 7. qui anno 975. ſummus Pontifex creatus eſt, Abbas factus dicatur, qui potuit Maccalænus poſt Cadroem S. Forannano ſuccedere, cum eum anno 978. defunctum eſſe, ex Frodoardi Appendice certiſſimum ſit?* AN CHR. 977 21. Januarii.

8. *Præter adminiſtrata a S. Maccalano Walciodori & S. Michaelis monaſteria, illum etiam ſancti Vincentii Laudunenſis cœnobio Abbatem præfuiſſe veriſimile videtur: quippe cum per bellorum maxime civilium licentiam cæſis diſſipatiſve monachis ad ſummam etiam egeſtatem redactum eſſet ſancti Vincentii monaſterium, ut ſcribit auctor Chronici ejuſdem S. Vincentii, ac poſt Adelini Laudunenſis Epiſcopi, obitum, qui duodecim ibidem Canonicos monachorum loco conſtituerat,* crebreſcentibus diverſarum cladium malis pæne ad priſtinum relapſum eſſet diſſolutionis detrimentum, Rorico tunc Epiſcopus id non æquanimiter ferens (maxime quia Epiſcoporum, Canonicorum, nobilium atque laicorum habebatur ſepultura) accito generali conventu, ipſius conſilio deliberavit in antiquum (ut fama erat) monaſticæ converſationis ſtatum reformare, ac quantulumcumque monachorum ibidem numerum aggregare: qui Epiſcopus evocatis a monaſterio ſancti Benedicti ſuper Ligerim ſito, duodecim monachis venerabilem eis Melcalanum præfecit Abbatem: *qui Melcalanus ab eo, de quo agimus, Maccalano alius non videtur, ſive nomen, ſive regiminis tempus conſideres, quod ad annum 7. Lotharii Regis Chriſti 961. refert diploma Roriconis Epiſcopi, a Marloto editum, in quo hæc inter alia.* Evocatis igitur a monaſterio ſancti Benedicti ſupra Ligerim ſito duodecim monachis, eis venerabilem Melchanum præfeci Abbatem, eumque cum ceteris monachis in eodem cœnobio ad Deo ſerviendum conſtitui: quibus inter cetera beneficia a me collata, ſecundæ Sedis Epiſcopatus dignitatem ab anteceſſoribus noſtris antiquis eidem eccleſiæ conceſſam approbans confirmavi, &c. *Conjecturam auget tum Maccalani quæ celebris tunc erat fama, tum etiam monaſterii ſancti Michaelis vicinitas: quod monaſterium, cum a Laudano leucis haud amplius tredecim diſtet, & ad ejuſdem urbis diœceſim pertineat; facile Roriconi Epiſcopo in mentem venire potuit, ut monachorum, quos e Floriacenſi cœnobio recens eduxerat, curam ei committeret quod tamen in medio relinquimus, donec certiora ejus rei ſuppetant argumenta.*

An S. Vincentii apud Laudunum Abbas.

Marlot. to. 2. Metrop. Rem. cap. 9.

9. *Ultimum Maccalani diem anno 990. conſignat auctor Cronici Walciodorenſis, 978. Appendix Frodoardi his verbis.* Anno nongenteſimo ſeptuageſimo octavo vir Domini Malcallanus, natione Hibernus, in vigilia ſancti Vincentii Levitæ & martiris, vitam tranſitoriam, quam habebat exoſam, deſeruit, & cum Deo vivo, cui indeſinenter, dum adviveret, ſervivit, vivere feliciter inchoavit: qui præfatus Abbas in corpore humatus quieſcit in eccleſia beati Michaelis Archangeli, cujus abbatiam, dum corporaliter in hoc ſæculo vivens manſit, pio moderamine rexit. *Hujus Appendicis auctoritas Walciodorenſi Chronographo poſteriori, qui Malcaleni obitum ſerius differt, haud dubie præferenda eſt. Porro obſervandum, in editione Pithœi, loco* vir Domini, *ad marginem adſcriptum fuiſſe,* forte Virduni, *quæ verba recentioribus Martyrologis, apud quos Maccalani mentio eſt, occaſionem dederunt, ut eum Virduni Abbatem fuiſſe exiſtimarent. Sic enim inter cetera habet Martyrologium Anglicanum.* Virduni in Francia depoſitio S. Malcallini Abbatis & Confeſſoris, qui gente Hibernus, nobili ortus genere in Franciam trajecit; ibique monaſticam vitam complexus, factus deinde ſancti Michaelis Virduni Abbas, vitæ ſanctitate omnique virtutis genere, præſertim religioſæ diſciplinæ obſervatione eluxit, atque in ſenectute bona ſub annum Chriſti 978. ſpiritum Deo reddidit. Corpus in eodem Monaſterio conditum, ubi magna veneratione adſervatur. *Idem error manu recentiori adſcriptus eſt in Necrologio ſancti*

Mors ejus & memoria.

AN.CHR. 978 21 Jan. *ſancti Remigii apud Remos, ubi prima manu legitur ad 12. Kal. Februarii:* Obiit Malchalamnus Abbas. *Sic etiam Philippus Ferrarius in novo Sanctorum catalogo ad hunc diem,* Viroduni ſancti Malcallani Abbatis, *& poſt pauca,* In Lotharingia ſancti Michaelis. Ibidem ſancti Makalani Abbatis, *duplici errore, Malcallani a Makalano, alterum Virduni, alterum apud ſanctum Michaelem Abbatem diſtinguens, ut ſcite animadvertit Menardus noſter libro 1. obſeraationum in Martyrologium Benedictinum. Quamquam dubitare videtur Menardus num aliquando monaſterio ſancti Michaelis in Lotharingia Maccalanus non præfuerit: quod abunde ſatis ex dictis refutatum manet, atque etiam ex Chronico iſtius monaſterii a nobis edito in tomo 2. Analectorum, ubi nulla Malcaleni mentio. Non minus allucinatus eſt Sauſſaius in ſuo Gallicano Martyrologio, dum ſanctum Michaelem neſcio quem eatenus ignotum, cujus monaſterium Maccalanus rexerit, in Lotharingia Confeſſorem fingit,* cujus nomen, *inquit,* cœnobio & oppido hujus tractus non ignobili jam pridem inditum, meritumque claram perennat apud incolas memoriam, & incutit ſpecialem pro patrocinio venerationem. *Cum e contrario conſtet hoc monaſterium a Wolfando Comite anno 13. Childeberti Regis, eo nomine poſtremi,* in honore ſancti Michaelis Archangeli, vel ceterorum dominorum ſanctorum *fuiſſe ædificatum ut probavi tom. 2. Analectorum pag. 415. Melius ergo Raiſſius in auctario ad natales Molani 30. Aprilis:* In Theraſcia, in cœnobio ſancti Michaelis, natalis ſancti Macalani, tertii Valciodorenſis ad Moſam Abbatis: *quæ ex Chronico Valciodori a nobis ſuperius laudato deſcripta ſunt. Porro Malcalenum Valciodori nullo publico cultu honorari teſtatur Bollandus: quod etiam de Teoraſcenſi ſancti Michaelis monaſterio, ubi ejus corpus ſepultum eſt, dici poſſe opinor.*

AN.CHR. 978 1. Mart.

TRANSLATIO S. HILARII
EPISCOPI CARCASSONENSIS & Confeſſoris.

Monaſterium S. Hilarii.

1. *Carcaſſo, Volcarum Tectoſagum civitas, provinciæ Narbonenſis, Hilarium inter Epiſcopos ſecundum recenſet. Is monaſterium Saturnino Martyri ſacrum in territorio Carcaſſenſi ad Leucum amnem erexit, ibique demum terræ mandatus eſt. Ignotus loci ſtatus ad Carolum M. Imperatorem, cujus imperii anno 3. Placitum Carcaſſonæ habitum eſt, in quo Ermenardus, filius Amelii,* Nitolarias cellam in pago Ruſſinonenſi *monaſterio S. Hilarii* vvirpivit. *Judicium ipſum a* VVILERANNO ſedis Carcaſſonæ Epiſcopo, necnon AQUIFREDO Comite, SICFREDO Vicecomite, SUNIFREDO Abbate, MIRONE Abbate, *aliiſque Judicibus eſt ſancitum, quale a nobis in lib. 6. de re Diplomatica publici juris factum eſt.*

Abbates.

2. *Monaſterio tune praerat* RECAMUNDUS *Abbas, qui deceſſorem habuit* CASTELLANUM, *ibidem laudatum: cujus juſſu* CLODESINDIS *Hilarianus monachus prædictas Nitolarias ſeu S. Stephani cellulam commutavit. Ab hoc Caſtellano (dum ſuperiorum notitia ſuppetat) incipiendus Abbatum catalogus, quem a Namphione Recamundi ſucceſſore ducit V. C. Stephanus Baluzius in noviſſima Capitularium editione. Is poſt annum 803. Carolo ſuperſtite monaſterium regebat, cui* MONELLUM, ÆGIDONEM, LEONINUM *atque* ANAM *ſucceſſiſſe Ludovico Pio & Carolo Calvo regnantibus, edita apud eumdem Baluzium diplomata tria commonſtrant. Anam quis exceperit, haud liquet: nec ullus deſinente ſæculo 9. notus eſt Hilarianus Abbas ante Benedictum, quo procurante ſubjecta corporis S. Hilarii Translatio anno 978. facta eſt. Reliquos ejus loci Abbates jam laudatus Baluzius ad annum 1381. perſequitur: quibus nihil eſt quod addam præter Raimundi Comitis inſtrumentum, a Stephanotio noſtro ex autographo erutum, quo ipſe Comes Valleveſiam alodem Hilariano monaſterio concedit. Litteras referemus poſt S. Hilarii hiſtoriam translationis, quam ex ejus cœnobii monumentis in ſacra theca repertis idem Stephanotius noſter eruit eo modo, quo ſequitur.*

Baluz. Capitul tom. 2. col. 1102 1409. 1429. 1462.

Translationis narratio.

3. ANno Incarnationis dominicæ 978. Kalend. Martii, apud Provinciam Karkaſſenſem imperante ROGERIO Comite, ejuſdem provinciæ præſulatus etiam decus regente Præſule FRANCONE, in cœnobio almi HILARII præſidente BENEDICTO Abbate, ab eorum nutu vel providentia actum eſt conſilio inito cum provincialibus Epiſcopis & Abbatibus, ſanctiſſimi Præſulis & in mirabilibus clari domni Hilarii artus, qui humo tegebantur a tellure, ſubreptos poſt altare, quod ipſe olim egregius ſanctuſque Hilarius una cum bicenis* circumquaque commanentibus Epiſcopis conſecraverat, cum honore tumularent. Quam ob rem in præſtito die Kalendarum Martii conglobati ſunt pariter prædicti proceres, id eſt Rogerius Comes

* l. vicinis

Digitized by Google

Comes cum conjuge ſua ADALAIS, & domnus Epiſcopus Franco, & Abbates VVARINUS & BENEDICTUS, cæterorumque tam Procerum, quam etiam illuſtriſſimorum virorum, & Clericorum inſignis turma, necnon & pagenſium utriuſque ſexus copioſa plebs, in prædicto cœnobio.

AN.CHR. 978 1. Mart.

4. Adduxerat autem præfatus Abbas ſecum a radicibus Pyrenæi montis, exque Arciſterio Coxiano in honore agii Straticons urani * conſtructo ſtructorem miri laboris letum *. Hic cum trepidare cerneret ad tangendum ſancti viri locellum, non ſolum Clericos, ſed etiam Abbates atque Pontificem, fideliter acceſſit, & mauſoleum cum calibe diſſolutum patefecit. Cumque ipſe artifex, & plurimi qui circumſtabant perſpicacibus oculis, beati viri vellent videre corpuſculum, quia apertum erat vas per unius fere horæ ſpatium; ita vacuum viderunt ſepulchrum, ut nihil in eo niſi ſolum ſaxum inſpicerent. Unde mæſtificati omnes qui aderant cum magno gemitu flectentes genua, cœperunt Dominum enixius exorare. Ut autem ſæpius ipſe artifex obtutus cœpit reducere ad vas, illico ſanctum conſpexit corpus, & Deo gratias clamavit, addens & dicens: Ecce ſancti Hilarii corpus hic habetur totum, quod omnes audientes aſpexerunt, & ita, ut ipſe clamabat, viderunt.

* id eſt ducis militiæ cæleſtis ſcil. S Michaelis.
* l. virum.

5. Exinde dum cum laudibus defertur ſuper altare a Pontifice & ceteris fidelibus, odor ſuaviſſimus emanavit de ſancto corpore, & extemplo cæcus quidam qui aderat illuminatus eſt; quo viſo Epiſcopus una cum Abbatibus ceteriſque fidelibus magno cum gaudio laudes cœperunt in altiſſimis reboare Domino. Apertis denique ejuſdem baſilicæ januis, qui præ foribus erant intrantes & miracula aſpicientes, Dominum laudabant gaudentes. Dehinc Miſſa a Præſule celebrata, & poſt excubias totam per noctem expletas dies alter inluxerat, in qua plebs innumerabilis ex urbibus circumadſtantibus advenerat. Cumque a Præſule, ut decebat, reciperetur Miſſa, ſtatim ut benedictionem dedit ſuper populum, puerulus quidam a ſuo patre adductus, qui a matris alvo fuerat cæcus, apertis oculis, luminis hujus cœpit aſpicere decus. Quanta autem ſint tunc in plebibus gaudia facta, nullo modo poteſt effari humana lingua. Sed quid dicam? Tanta tunc temporis facta ſunt miracula per ſancti Hilarii glorioſa merita, quanta per hominum ora nequeunt loqui hæc labra. Poſuerunt autem ut decebant, beatiſſimi viri membra poſt altaris arulam in ſaxea arca, & in utroque latere, duorum ſuorum alumnorum BENEDICTI, CELSIque indiderunt corpora, in quo loco Dominus per ſancti Hilarii ſociorumque ejus merita inſignia quotidie non deſiſtit patrare miracula.

6. Hoc autem ſtatuimus non eſſe omittendum, quod prædictus Rogerius Comes ſpoponderat ante ſanctiſſimi Hilarii ſepulchrum; ut numquam permitteret populari in publicum omnem reditum, quod ab antiquis Comitibus ſeu a ſe fuerat in eodem cœnobio quolibet modo impoſitum, nullatenus ab aliquo vel a ſe deinceps eſſe exiendum; quod & factum eſt. Nam cum oſſa ſancti viri eſſent ſuper altare repoſita, præfatus Princeps ſua cum conjuge accepto libello Regulæ, remiſit in manibus Epiſcopi & Abbatum ita dicens. „ Ab hora hac „ nullum cenſum, nullumque ſervitium hoc reddat monaſterium, ſed ſecundum Regulam „ ſancti BENEDICTI, poſt hujus Abbatis obitum eligant ſibi nihilominus Abbatem; & nullus „ Comes, neque Epiſcopus de ordinatione illa audeat accipere ſervitium: ſed neque de Ab„ batibus, neque de rebus ejuſdem monaſterii audeat quislibet aliud tangere contra volun„ tatem Abbatis vel Monachorum. Spopondit autem & privilegium atque præceptum eidem „ cœnobio acquiſiturum, & duodecim Monachos omni anno veſtiturum. Cujus rei teſtes ſunt tam Epiſcopus, quam Abbates, & ceteri qui aderant utriuſque ſexus vel ordinis. Hanc autem ſcripturam cenſuimus, qui adfuimus, in ſepulchro beati Hilarii eſſe ponendam poſcentes eum, ut ipſe pro nobis Dominum exoret, quatenus cum illo vitam perfruamur æternam per cuncta ſæculorum ſæcula Amen.

7. *Quis iſte* VVARINUS *Abbas ſuperius laudatus, diu multumque inquiſivi. Coxianenſem ſeu* Cuxanenſem *ſancti Michaelis fuiſſe Abbatem ut credam facile adducor ex hiſtoriæ contextu; eum ipſum qui in Petri Ducis Venetiarum vita, quam hic damus,* Guarinus *dicitur, Olibæ deceſſor. Illud movebat in contrarium, quod Olibam inter atque Guarinum Abbatem Aſterus legitur anno* 1017. *medius interpoſitus: quo quidem anno is Borelli Rotenſis Epiſcopi decreto electionis interfuiſſe perhibetur in Capitularium Baluzianorum tomo 2. Oliba vero ſaltem ad annum Henrici Regis quartum, Chriſti* 1034. *ſuperſtes fuit, ut ex litteris Raimundi Comitis mox patebit. Verum Oliba Guarino Abbati ſucceſſor datur, ab auctore vitæ Petri Urſeoli, non proximus, ſed interpoſito Aſtero ſecundus, cujus Aſteri mentio nulla facta eſt, quod ille nihil ad Petri Ducis illuſtranda facinora contulerit. Hæc pluribus inferius ad ejuſdem Petri vita obſervationes prævias.*

Vvarinus Abbas quis.

8. *De Benedicto Celſoque alumnis B. Hilarii, quos hic quoque translatos, ſacroque ejus corpori adjunctos diſcimus; ſilent Occitanicarum rerum, quos quidem legerim, ſcriptores. Hilarianos fuiſſe Monachos, & quidem obſervantiæ regularis auctores, ibidem a ſancto Pontifice inſtitutos, facile crediderim.*

Benedictus & Celſus diſcipuli S. Hilarii.

9. *Quod pertinet ad Rotgerium Comitem, ſub quo hæc translatio facta, & privilegio illuſtrata eſt, fuit is ejus nominis primus a Catello memoratus Carcaſſonenſium Comes, ſuperſtitem filium cognominem ſortitus. Quod autem hic* accepto libro Regulæ *una cum conjuge Adelaida donationem monaſterio factam* in manibus Epiſcopi & Abbatum remiſiſſe *ſeu tradidiſſe memoratur, ex variis Monaſteriorum chartariis auctoritatem accipit: in quibus S. Benedicti Regulam cum aliis donationum inſtrumentis notatam invenimus. Lege ſis hanc in rem obſervata in Gloſſario Cangiano, & in libris*

Rotgerius Comes translationis auctor.

tertio

AN CHR. 978 1. Martii. *tertio & ſexto de re Diplomatica. Reſtat ut Raimundi litteras pro Carcaſſonenſi S. Hilarii monaſterio ſuperius promiſſas in fine hic apponamus.*

EGo Raimundus donator ſum Domino Deo & ſancto Hilario, cujus corpus requieſcit in eccleſia, quæ eſt conſtructa in honore ſancti Saturnini Martyris, qui eſt in pago Carcaſſenſe, juxta fluvium Leuco. Ego igitur præfatus Raimundus donator ſum ſupraſcripto cœnobio, & Olibano Abbati, Monachorumque catervæ alodem quem habeo in Comitatu Reddenſe, in villa quæ vocant Vallevecia, propter amorem Dei, & propter remedium animæ meæ & genitori & genitrix mea, & mulieris meæ nomine Beliardi, & propter ipſam pugnam, quam habeo in caſtrum Redda cum Arnaldo Giberto propter mortem filii ſui, quia fecit me Deus vincere ipſam pugnam per interceſſionem beatiſſimi Hilarii Confeſſoris ſui & aliorum ſanctorum, qui in ſupradicto cœnobio requieſcunt, &c. Facta carta iſta donationis & ſcriptura hæc 15. Kal. Septemb. anno 4. regnante Ænrico Rege. Sig. Raimundi qui hoc donum fecit & firmare rogavit. Sig. Beliardi uxoris ejus, *& aliorum.*

10. *Ex his litteris diſcimus, monaſterium a S. Hilario prope Carcaſſonem erectum in honorem S. Saturnini Martyris, etſi Ludovici Pii Principatu jam S. Hilarii nomine cenſebatur, ut docet ipſius præceptum a doctiſſimo Baluzio editum : non tamen adeo conſtanter tuliſſe hanc appellationem ut etiam Sæculo 11. S. Saturnini baſilica non audierit.*

CIRCA AN. 980 19. Aprilis.

DE S. GEROLDO EREMITA

ET BEATIS CUNONE ET UDALRICO FILIIS EJUS EINSIDLENSIBUS IN RHETIA MONACHIS.

Geroldi vitæ ſcriptores. 1. N*Ulla Geroldi Eremitæ memoria occurrit apud Benedictini martyrologii ſcriptores Wionem, Menardum atque Bucelinum: ipſe tamen Bucelinus in chronologia Rhætiæ ſacra & profana,* anno 1666. *edita, Geroldi res geſtas ad annum* 978. *præſtringit. Clariſſimi ejus viri nemo ante Albertum Bemſtatenſem, Einſidlenſis monaſterii Decanum, ex inſtituto ſcripſit. qui Geroldi, atque Cunonis & Udalrici filiorum vitam anno* 1404. *latino ſermone exaravit: Nuſpiam exſtat hæc Alberti lucubratio, quæ cum poſtmodum Teutonico idiomate donata eſſet Abbatum Einſidlenſium ſtudio, inde ſæpius recuſa, & maxima ex parte rerum Alamannicarum aut Helveticarum chronicis ſacris inſerta eſt. Hanc compendio referunt lectiones ſancti propriæ, quales ex Curienſi Breviario publicavit ad Aprilis diem* 19. *Daniel Papebrochius, ex quo præcipua delibare juvat.*

Vitæ ſynopſis. 2. Geroldus, *inquit ille*, ex Saxoniæ Ducum ſtirpe & familia oriundus, ejuſque gentis Dux trigeſimus octavus, ſpretis mundi vanitatibus & illecebris, eo loco propoſuit vitam agere eremiticam, in quo deductus ſecum aſellus cum ſarcina conſediſſet. Qui cum in vallem Druſianam, uſque ad locum Frieſa dictum, ad quercum antiquam perveniſſet; ibidem ſuo domino, quo inſtitutum ſuum perficere poſſet, ſub onere quieſcens, locum oſtendit. Quem poſtea ibi commorantem duo filii, Cuno & Udalricus, ſummo reviſendi patris deſiderio ducti, longo poſt temporis intervallo diu multumque quæſitum, tandem miraculis & vitæ ſanctitate celebrem, repererunt, idque magno ſuo bono. Patris enim exemplo ſancto provocati, eamdem ſibi vivendi rationem indixerunt, ibidemque mundi curis omnibus proſcriptis, totos ſe vigiliis precibuſque manciparunt. Quos tres Dei ſervitio ita ſimul addictos, Otto Jagbergæ Comes, ex Montfortium Comitum familia, quondam in venatione canum indicio repertos ſumme admiratus, amiciſſimeque complexus, in ſingulari deinceps habuit veneratione. Cujus etiam liberalitate Geroldus monaſteriolum ibidem, hodie ex ſancti nomine Præpoſitura ſancti Geroldi nuncupatum, condidit. Cum autem ſanctus Geroldus perſenſit appropinquare ſibi vitæ terminum, evulſis aliquot terræ quam incolebat ceſpitibus, & in peram conjectis, comitantibus filiis ad domum divæ Virginis, vulgo Einzidel conceſſit; & ad altare Deiparæ, ſe, liberos,

Digitized by Google

ros, & fundum de quo ceſpites erant deportati, ſedemque dedit & dedicavit: AN.CHR.
breviquе Frieſam, unde venerat, reverſus ibidem vitam circa annum non- 980
genteſimum ſeptuageſimum octavum, decimo tertio Kalendas Maii, termi- 19. April.
navit, eodem loco ſepultus. Filii poſtea in eremo, habitu ſancti Benedicti ſumpto, non abſque ſanctitatis fama mortui, Frieſæ uterque, Udalricus quidem in æde paterna, Cuno vero in ſacello divi Antonii ſepultus eſt. *Hactenus Curienſis Breviarii lectiones.*

3. *Multa peccavit Albertus, ſeu quiſquis eſt ejus hiſtoriæ primus auctor, circa Geroldi natales, quem Saxonum Comitem ordine triceſimum octavum inepte finxit. Papebrochius Geroldum exiſtimat e domitis Saxonibus, quos Carolus Magnus in variis locis diſperſit, ortum traxiſſe, cujus parentes vel avi ſive in loco* Sax *ad ripam Lanquarti amnis, ſive in* Hoenſax, *monte ad occiduum Rheni latus poſito, conſederint, & a nativo ſolo* Sax *nomen (quod & alibi factitatum) loco indiderint. Conjecturæ favet quod uterque hic locus non plus una dieta remotus eſt a Frieſa, ubi Geroldus ſedem fixit: ut eo minori negotio ſe conferre, itemque a filiis & ab Ottone Comite deprehendi potuerit. Qui detectus ab Ottone Iagbergæ Comite ſit Geroldus, Einſidlenſis Breviarii lectio* 6. *docet his verbis.* Cœpit poſtea ædiculam exſtruere, in qua adeo ſancte & innocenter, tantaque in rerum exteriorum penuria vixit, ut Angelorum frui non ſolum aſpectu, ſed beneficio etiam meruerit, acceptis ab eis non raro vitæ neceſſariis. Credidit porro tam illuſtris lucerna ſub modio ſe latere; ſed Ottoni Jagbergæ Comiti inſperato illuxit, cum doctus a venatoribus ſuis fuiſſet, urſum a canibus agitatum ad ſancti viri pedes accurriſſe, & ſolo baculi quo utebatur ſigno a morſu latratuque canum momento tutum fuiſſe. Quare accurrens Comes, eum arctiſſime complexus & magna veneratione proſecutus eſt, data illi non exigua agri ſui portione, ad excitandum hominibus Dei domicilium; quod erexit Geroldus, adjuvante in primis urſo, quo ad convehenda ferendaque ligna & lapides ceu famulo deinceps utebatur. *Hæc Einſidlenſes ex populari traditione, cui fidem faciunt Geroldinæ præpoſituræ veteres picturæ & vitrea feneſtra ſæculo decimo quinto confecta. In his Geroldo (quem militari habitu cum ducalibus pingunt inſignibus) Cuno & Udalricus filii adjunguntur, terque ſancti titulo donatus; radiiſque cinctus caput: quorum alter poſt parentis obitum apud Einſidlanam eremum Decani, alter Theſaurarii munus geſſerit. Hinc illi ſecundum Papebrochium Benedictinæ familiæ accenſendi, non pater; quod is eremiticam dumtaxat vitam Freiſæ duxerit. Verum aliter de Geroldo ſentiet, qui temporum illorum mores, cum ejus geſtis, non niſi poſt annos quingentos ab ejus obitu collectis comparaverit. Quippe ſæculo* 9. *exeunte, vel circa decimi initia, cum inteſtinis bellis & barbarorum incurſionibus attrita eſſet res Chriſtiana, plerique nobiles ſcelerum pertæſi, naſcentis familiæ Cluniacenſis exemplo, de ſæculi fuga cogitare cœperunt. In his Geroldus cum utroque filio ſe ſuaque Einſidlenſi monaſterio ſive Eremo mancipavit. Hinc cum bona Abbatis fratrumque venia Frieſam, datum a ſe prædium, commigrans, eremiticæ vitæ; cujus apud Einſidlam rudimenta poſuerat, ſtudiis addictus, ad ſimilem cultum liberos provocavit. Exſtincto patre, Cuno & Udalricus meritis inſignes, quo pluribus prodeſſent, Einſidlam revocati, prima poſt Abbatem munia obierunt: ſed amore ſolitudinis priſtinæ Frieſam denuo ſubeuntes, ibi vitæ finem atque ſepulturam acceperunt. Hæc inquam temporibus illis non infrequentia, vero proximiora ſunt iis, quæ ex Alberti ſcriptione nudera Curienſes breviario ſuo inſeruerunt. Tantum igitur abeſt, ut ob eremiticæ vitæ cultum Geroldus a Benedictinæ regulæ profeſſione fuerit alienus: ut vel inde monachis accenſendus ſit, quod anachoreſim coluerit in Einſidleſis Eremi ſeu monaſterii cella, quod ab ipſa conditione Benedictinis inſtitutis paruiſſe nemo negaverit.*

patria.

4. *Perſtat etiamnum hæc S. Geroldi Cella Einſidlenſis, Præpoſituram vocant, ſub Arula monte, qui Rhæticis Apibus verſus Brigantinum locum procurrentibus adjungitur. Ejus loci ſitum in Atlante Blaviano accurate expreſſum habes, quem Helvetiæ tabulæ non aliter quam* Cloſterlin, *hoc eſt monaſterioli nomine deſignant. Ibi ſex Aſcetæ Einſidlenſes commorantur; eoque ſæculo ſuperiori aliquot Abbates confu-*

AN.CHR. 980 19. April. *gium fecerunt adverſus Helveticos Zuinglianæ hæreſis ſectatores, qui Einſidlam variis calamitatibus afficiebant. In his Adamus reſignata Abbatia, ſeceſſit in S. Geroldi præpoſituram, in qua anno* 1585. ſupra ſancti fundatoris corpus curavit exſtrui elegans ex ſecto lapide mauſoleum, quod devotionis cauſa homines ingredi poſſent. Tandem poſt ſeptem *ab obitu Geroldi* ſæcula, *pergunt Einſidlani breviarii lectiones*, corpus ejus a Placido, hujus nominis primo, Einſidlenſi Abbate, e veteri ſepulchro levatum, & in Eremum delatum, atque auro gemmiſque decenter ornatum, anno gratiæ 1663. ipſo ſancti hujus anniverſario, inſigni pompa & maximo circumvicini populi accurſu, in novam præpoſituræ eccleſiam revectum eſt. *Nec defuere duo miracula, quæ eodem anno & ſequenti in pueri ac feminæ curatione patrata, Joſephus Dietrichus Einſidlenſis monachus in epiſtola ad Papebrochium miſſa deſcripſit. Antiquiora ſancti miracula legeſis apud Chriſtophorum Hartmannum in Annalibus Einſidlenſibus.*

5. *Quo die vitam finierint Cuno & Udalricus Geroldi filii; quove ritu & auctoritate beatis accenſeri cœperint, haud liquet. Ex paterni tumuli conſortio ſanctitatis nomen in picturis Geroldinis, & in Kalendariis eodem ac pater die memoriam accepiſſe facile crediderim. Non tamen humo levata ſunt eorum corpora: ſed non ita pridem a loci Præpoſito eorum ſepulchra in modum tumbæ non nihil elevata ſunt.*

Poſtquam hæc ſcripta fuerant, ad Helvetos profecti deprehendimus Geroldi memoriam in pervetuſto Kalendario Bibliothecæ Murenſis, olim ad uſum Sanctimonialium concinnato, & quidem ante annos fere ſexcentos: quo in Kalendario Geroldus alia, quam apud Papebrochium, die laudatur his verbis: 4. Idus Aprilis beatus Geroldus obiit. *Quod etſi de Geroldo noſtro dictum non dubito, nolim tamen eum loco movere uſque ad ampliorem inquiſitionem. Saltem ex hoc loco non leve de antiqua ejus veneratione argumentnm eruitur.*

AN.CHR 981 2. Junii.

HISTORIA RELATIONIS

CORPORIS S. WALARICI ABBATIS

in Monaſterium Leuconaenſe.

Auctore Anonymo, qui ſæculo 11. vixit.

Ex mſſ. & Aprili Bollandiano.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Relationis ſcriptores duo.

1. *Poſt editam in ſecundo Sæculo Benedictino ſancti Walarici Vitam, in manus noſtras venit membraneus codex ſexcentorum circiter annorum, in quo, præter eum quem retulimus de ſancto Walarico libellum, relationis quoque ejuſdem reliquiarum hiſtoria metro & proſa oratione deſcripta habetur, cum ſcilicet ex cœnobio Sithienſi ſeu ſancti Bertini, quo per Arnulfum Seniorem, Flandriæ Comitem, cum ſancti Richarii corpore aſportatum fuerat, indidem in proprium, id eſt Leuconaenſe monaſterium relatum eſt. Proſam a nobis communicatam ſocii Bollandiani in ſuo Aprili ediderunt cum metricæ narrationis fragmentis, quæ narratio poſterior eſt. Vixit Poeta anonymus in ſancti Walarici monaſterio Leuconaenſi procedente ſæculo* 11. *ut ex capite ultimo intelligitur, ubi Bernardum Abbatem Theodini ſucceſſorem alloquitur. Theodinus Adhelelmo ante annum* 1052. *ſucceſſit, quo anno Walo, ejuſdem loci poſt eum Abbas, ſancti Bertini elevationi interfuiſſe perhibetur in Sæculi tertii parte* 1. *ubi de ſancto Bertino actum eſt. Proſam hic reddere ſatis fuerit.*

Walaricus regnum Hugoni promittit.

2. *Hugoni Duci, qui relationis auctor fuit, factum a beato Walarico de futura regni Francici conſecutione oraculum perhibent: id quod auctores ambo, proſaicus & metricus, uti & Hariulfus in hiſtoria relationis ſancti Richarii eodem tempore factæ, conteſtantur. Apud metricum auctorem hæc verba ſunt Walarici ad Hugonem Ducem.*

Et

AN.CHR. 981 2. Junii.

Et nihil intrices, nos noſtras denique ſedes
Cum ſuſceperimus, per noſtros ſcito precatus
Suſcipies regnum, Rex dictus Francigenarum,
Heredeſque tui, ſimul unus, bis quoque terni.

id eſt ad ſeptimam generationem. Idem aſſerit Hariulfus in hiſtoria de relatione ſancti Richarii, ſic enim in illa hiſtoria. Quod ſi hæc imples, promitto tibi ex Dei juſſu, per ſancti pia merita Richarii & meas preces, te prolemque tuam fore Regem Francigenarum, ſtirpemque tuam regnum tenere uſque ad ſeptem ſucceſſiones. *Quin utraque relatio per Hugonem Capetum facta ſit, dubitari non ſinit tum iſtorum auctorum teſtimonium, tum maxime Ingelramni Abbatis, teſtis oculati, qui relationem ſancti Richarii verſibus cecinit, nulla tamen iſtius oraculi facta mentione, quoniam forte ad ſolum Vvalaricum pertinebat.*

3. Relationi corporis ſancti Vvalarici ſubjungenda eſt narratio de relatione ſancti Richarii eodem tempore facta. Hanc primus carmine deſcripſit INGELRAMNUS *ſeu* Angelrannus *Abbas Centulenſis teſtis oculatus, qui vitam & miracula ejuſdem ſancti tribus libris præmiſit, ut in Sæculo 2. vidimus. Eamdem relationem poſt annos centum proſa reddidit* HARIULFUS *monachus primus Centulenſis, dein Abbas Aldenburgenſis in Chronico, eique narrationi librum de miraculis ſancti Richarii conſecutis ſcripſit. Ingelramni carmen ſufficere viſum eſt cum libro miraculorum auctore Hariulfo, qui deeſt in Chronico Centulenſi, atque etiam apud Bollandianos.*

1. ANNO nongenteſimo octogeſimo primo incarnationis Filii Dei, relatum eſt corpus ſancti Confeſſoris Vvalarici in pagum Vvimnacenſem, in locum qui dicitur Legonaus, ubi ipſe vivens regularem vitam duxit: & relatum eſt a pago Teroanenſi, a monaſterio ſcilicet ſancti Bertini, in quo longo tempore jacuerat. Qualiter vero ibi fuerit translatum, & inde in Legonaum locum relatum, futurorum memoriæ tradere curamus &c. Regebat monaſterium ſancti Vvalarici, ſupra mare ſitum in pago Vvimnacenſi, quidam Clericus Herchemboldus nomine: qui cum debuiſſet canonica inſtitutione de virtute in virtutem conſcendere, & ſibi ſubditos ad cæleſtia provocare deſideria; vulneratus corde diabolico mucrone, cœpit animo tractare, qualiter Vvimnacenſem pagum & Legonaum locum privaret ſancti patris Vvalarici corpore. Adiit itaque Arnulfum [a] Flandrenſis regionis Principem ditiſſimum, cui prodidit mentis doloſæ conceptum, ut expleret tantæ nequitiæ votum: cui præfatus Princeps ait; Cum multis hujus mundi divitiis, o Herchembolde, affluam; unum eſt quod cupio, ditari Sanctorum corporibus, ut a me impenſis ditentur honoribus, & ego eorum ſanctis interceſſionibus cælorum merear innecti civibus. Et cum hæc cordis revolvo arcana ſacratiſſima, beati Vvalarici corpus habere peropto, ſi adeſt auxilium tui ingenii noſtræ voluntatis propoſito. Cui reſpondit clericus: En conſiliator adero, & adjutorium præſtabo. Et Princeps: Satis, ait, meo facies deſidero, ſi adimpleveris quod opto. Noſcas itaque me plurima illi exhibiturum famulamina, eumque a me ditari gaza non minima. At ille: Si hanc habere margaritam quæris, de quibus a te donabor gazis? Nemo, inquit Princeps, in mihi commiſſa regione, te præcedet opum ditatione, auri quoque & argenti innumerabili munere. At ille: Adimple quod promittis: & ego tibi deferam corpus Sancti. Sicque factum eſt, ut quod optavit Principis humilitas, perfecit clerici cupiditas.

Anno 981 facta relatio.

Præmittitur narratio de furto per Arnulfum

2. Illis ſiquidem diebus iſdem Princeps præfatus litem non modicam cum Rege habebat. Vallatus etenim catervis militum, fretuſque, ut erat prædives, ſuorum auxilio, Monaſteriolum * caſtrum, quod prope finibus ejus ſitum eſt, Regi auferens ſibi uſurpavit. Igitur, ut præmiſimus, accepta a Comite pecunia, præfatus proditor feſtinat implere quod promiſerat facere, ſumenſque ſecum exercitum Principis cum eo venit clam ad monaſterium ſancti Vvalarici. Sicque everſo caſtro, deprædato populo, interfectis multis viris cum feminis, detulerunt corpus ſancti Vvalarici in locum qui dicitur *Sithiu*, ubi requieſcit beati Bertini venerabile corpus. Sicque Vvimnacenſis pagus, & Legonaus locus, peccatis populi præpedientibus, privatus eſt tanto pignore, videlicet beati patris ſui Vvalarici corpore.

*Montreuil.

[a] Arnulfus ſenior mortuus anno 963. Balduinum filium habuerat, qui ante patrem decedens, nempe anno 961. Comitatum reliquit alio Arnulfo, ſub quo hæc relatio contigit.

Digitized by Google

AN.CHR. 981 2. Junii.

3. His ita peractis, orta eſt inter fratres dubia quæſtio de corpore præfati Confeſſoris; utrum ipſe eſſet, an oſſa ſæcularibus viri ibi eſſent delata. Tunc conſilio Abbatis & monachorum, delatum eſt in Capitulum, in quo jacebat Vvalaricus, ſcrinium. Expleta itaque lectione Regulæ, & finito ſermone a monaſterii Patre, ab eo, *Benedicite*, dicitur; & a fratribus, *Dominus*, reſpondetur. Tunc Abbas ſubjungit: Dicitur, fratres, a vobis hic requieſcente corpus ſancti Vvalarici: quod utrum verum ſit, ſciendum eſt a nobis. Aperiatur locellus: & ſi ibi ſit corpus videamus. Laudatur a fratribus quod ab Abbate dicitur. Cumque hoc vellent opere complere, & locellum aperire, ſubito eſt ab eorum oculis ablatus, angeliciſque manibus evectus eſt, & ſuper altare poſitus. Quo facto, ſtupore fratres attoniti a capitulo egreſſi, & oratorium ingreſſi, viderunt ſuper altare locellum in quo jacebat corpus ſancti Vvalarici: & lacrymis profuſis, cæperunt cantare *Te Deum laudamus*, vocibus excelſis. Quid mirum ſi Dominus oſſa ſervi ſui de medio dubitantium abſtulit, qui Iſraelitico populo in fide nutanti, manna retraxit, & Eliam de medio peccantis mundi curru igneo per turbinem in cælum tranſtulit? Voluit autem Dominus hoc facere præſente Eliſeo, ne forte mens ejus ambiguæ infidelitatis cupiſde perforata, pravis cogitationibus occuparetur marcida. Portatur Elias per turbinem curru igneo in cælum; defertur Vvalaricus per ſerenum aerem ſuper altare Domino ſacratum. Clamat Eliſeus: Pater mi, currus Iſrael & auriga ejus; cantant monachi in laudem Dei altiſſimi, *Te Deum laudamus*. Deflet Eliſeus abſentiam Eliæ; gaudent monachi præſentia tam præclaræ margaritæ, ibique per multa annorum curricula cuſtoditur corpus beati Vvalarici, & veneratur a fidelibus populis.

Relatio exponitur

4. Qualiter ad proprium locum relatum fuit corpus beati Vvalarici, audiat conventus fidelis populi: nam Deo proprium eſt peccantibus miſereri, & aures ſuæ pietatis eorum præbere clamori. Certe cum pietate judicat, & poſt mæſtitiam, lætificat quos corripit & caſtigat. Recordatus eſt ergo populi ſui, & miſertus eſt plebi Vvimniacenſi, ſuper abſentiam patris ſui tam graviter dolenti. Illo itaque in tempore, mortuo Ludovico Rege, ſublimatus eſt in ſolio dignitatis paternæ Lotharius Rex, in nullo inferior patre: ſub cujus dominio, inclitus Dux Hugo gubernabat ſtrenue partem Francigenæ patriæ, in divino cultu devotus, Dei & Sanctorum cultor humillimus. Hic cum moraretur in Lutetia urbe Pariſiorum, quadam nocte cum eſſet ſopore depreſſus, eum beatus Vvalaricus per ſomnium his verbis eſt affatus: Quid agis? Quem intuens Dux, tremens multumque pavidus, reſpondit: Vigilo: ſed quis ſis penitus ignoro. Tunc ſanctus Vvalaricus: Blando alloquio te alloquor, & obnixe precor, & nomen meum retineas, & quod poſtulabo impleas. Ego nempe ſum Abbas Vvalaricus, quondam vivus & poſt defunctus, incola ſuper maris littus: nunc quoque mutata patria, in alia terra, cum ſancto ſacerdote Richario detineor captivus. Sed nunc annuente Deo, advenit tempus ut ad proprias ſedes, & chariſſimas ſoboles redeamus. Dignum eſt ut populus olim nobis commiſſus, de noſtro lætetur reditu, qui tempore tam longo triſtatur abſceſſu. Et cum me in meam reduces eccleſiam, projice ab ea clericorum ſpurcitiam, & aggrega in ea regularem catervam. Scis etenim Monaſteriolum caſtrum a Comite Flandrenſi violenter Francorum dominatui ſubreptum & ſubtractum. Et ut noveris me certa dixiſſe, te illic adire, & caſtrum abſque capitali damno mortiſque ullius detrimento, prædico recipiendum fore. Accelera petitionem noſtram: per noſtras enim orationes, Rex efficieris Galliæ, & poſtea heredes tui uſque ad ſeptimam generationem, poſſidebunt gubernacula totius regni. Tunc Dux expergefactus, & de viſione certus, congregavit exercitum non modicum tendens ad Monaſteriolum Caſtrum: & ut a ſancto prædictum fuerat ita patrata cuncta monſtrantur. Is autem qui ad ſervandum caſtrum ab Arnulfo relictus fuerat, turpiter fugiens, locum cum victoria ceſſit Du-

Digitized by Google

Duci & ſuis. His peractis lætus Dux, & de viſione certior redditus, cœpit cogitare, qualiter ſanctos Dei ad propria loca poſſet reducere. Accepto itaque conſilio a viris religioſis & optimatibus ſuis, legatos ad ARNULFUM Flandrenſem Comitem direxit, & ut Sanctorum corpora redderet, humillime expetivit. Quibus Arnulfus reſpondit; Ego non eos a ſuis ſedibus avvulſi, aut huc adduxi; ſed antequam mihi cederet monarchia, ab avo meo tranſlati ſunt in hanc terram, in qua nunc venerantur, & honorantur, & excoluntur. Hæc audientes nuntii celerrimo greſſu ſunt reverſi; & quæ ab Arnulfo audierant in mandatis, referunt Duci eiſdem verbis. Continuo Dux congregata multitudine ſui exercitus, iter arripuit verſus fines patriæ Flandrenſis. Cum autem veniſſet in confinibus regionis illius, & hoc audiiſſet comes Arnulfus, lacrymabili voce ait ſuis primatibus: Heu mihi miſero, pretioſa corpora duorum Sanctorum perdituro! Continuo accerſitis nuntiis precatoria verba dirigit, mandans Duci; Ne Dux longius veniat, neminem noſtrum noceat: corpora Sanctorum reddam: non ſum dignus eorum præſentia, qui dum advixero, eorum triſtabor abſentia. Tunc Dux annuit precibus Comitis. Hinc idem Comes juſſit ex argento puriſſimo fabricari locellum in quo beati Walarici collocavit corpuſculum; ſcriptique ſunt in capite ſcrinii, hi duo verſiculi: AN.CHR. 980 2. Junii.

Interius ſanctus requiem capit hic Vvalaricus:
Arnulfus præpotens pretio cæleſtia ſumens.

5. Hoc itaque expleto opere, accipiens corpora Sanctorum, cum nimio dolore, ſupradicto Duci occurrit citiſſime. Cernens Dux venientem Arnulnulſum cum Sanctorum corporibus; profuſis lacrymis, poplitibus flexis, cum omnibus militibus ſuis gratias Domino egit, quod Sanctorum corpora recipere meruit. Hinc pacifice Dux & Comes ab alterutro diviſi, Arnulfus Flandris rediit, Dux Sanctorum corpora propriis ſedibus reſtituenda aſportavit. Referunt gratias ſummo Patri Wimnacenſes & Pontivi *, læti recipientes Patres, quorum præſentia per multa annorum ſpatia fuerant immunes. Recedunt Flandrenſes triſtes, tam ſplendidis margaritis extorres. Et cum veniſſet præfatus Dux in pagum Pontivum, pſallentibus turmis undique præcedentibus & ſubſequentibus agminibus, ipſe beatus Princeps ait ſuis: Properate, o vos boni milites, pedetentim cum beato Richario; & ego quamvis immeritus, ſanctum Walaricum ad proprium reducam locum; inde vero revertens, ſanctum Richarium in priſtinum reſtituam ſtatum. Hinc propriis ſcapulis imponens corpus ſancti Walarici, circumſæptus undique innumera multitudine populi (qui venerant non ſolum a finibus Ambianenſis urbis, verum etiam a vicis & oppidis ſitis ſuper littus maris, & ab omni pago Rotomagenſi) non longe a Legonao pervenit. Nititur ingredi arenoſum Somonæ * alveum, quem omni tempore bis in die, quod vicinum eſt, operit mare. Dumque vellet ingredi vadum, cernunt præcedentium & ſubſequentium turmæ accedere mare, ut ſolitum erat, magno fragore, undiſque tumeſcentibus vadum replere, ingentemque ſonitum dare. Clamatur a turbis, Ne ingrediamini, milites invicti, ne tumidum mare vobis inferat periculnm mortis. Tunc duo viri nobiles, videlicet Burgardus Pariſienſis comes, & Orlandus Wimnacenſis vice-comes dixerunt ad alterutrum: En videbimus, ſi hic habemus ſanctum Walaricum. Accipientes igitur locellum in quo jacebat corpus ſanctum, accinctis tunicis fidei, more Petri ſuper mare ad Deum pergentis, fluctus tumeſcentis maris fiducialiter ſunt ingreſſi. Mox tumidum mare a dextris & a ſiniſtris viſum eſt ſtare, donec Dux tranſiret cum ſancti Walarici corpore, & cum ſubſequentium agmine. Vere mirabilis Deus in Sanctis ſuis! Meritis igitur ſancti Confeſſoris renovavit miraculum antiqui ſæculi: nam exeuntibus filiis Iſrael de Ægypto, ſecumque corpus Joſeph deferentibus, qui eos eripuit a penuria famis; clamante ad Deum Moyſe quaſi pro muro mare ſtetit & tranſitum populo Dei præbuit. Quid enim ſanctus Vvalaricus, niſi Joſeph; & quid Dux niſi Moyſen; & quid plebs

* de Ponthieu

* la Somme.

Mare diviſum.

Digitized by Google

AN.CHR. 980 2. Junii. Wimnacenſis, niſi Iſraeliticum populum deſignat? Illi poſt tranſitum maris Ægyptios ſe perſequentes mortuos viderunt; iſti Flandrenſes ad propria confuſos redire vident. Cecinit Maria cum mulieribus, Cantemus Domino: reddidit Dux cum monachis & clericis omnique populo immenſas gratias Deo altiſſimo.

Miracula. 6. Tunc præfatus Dux, magna ſollicitudine procurans ſancti Walarici locum, abjecit ab eo ſæcularem congregationem *a* Canonicorum, & aggregavit in eo regularem Ordinem monachorum: miſitque Bellovagus ad monaſterium ſancti Luciani, & inde ſibi quemdam monachum, nomine Reſtoldum *b* adſcivit, quem in monaſterium ſancti Walarici præfecit Abbatem & ſpiritualem patrem. Non enim erat immemor promiſſionis ſancti Walarici, ſcilicet ſi eum ad proprium locum reduceret, quod rex Francorum fieret, & in eadem regia dignitate filius ejus cum progenie naſcitura ſuccederet. Mox, ut ſcripſimus, Dux cum corpore ſancti Confeſſoris, militibuſque ſuis mari tranſito, venit in locum qui dicitur Firmitas, ibique quievit paullulum, & poſt quietem ait ſuis: Eamus, & Sanctum Dei in locum ſuum reſtituamus. Et ecce homo quidam, nomine Hildegarius, qui per multos annos fuerat contractus, ita ut aliter incedere non poſſet, niſi quod ſcabellulis ſe adjuvans totum corpus per terram traheret; ibi cum magno labore, jam properante Duce cum ſancto corpore, advenit; magniſque vocibus clamare cœpit: O ſancte pater Walarice cur hic me dimittis, qui te cum tanta debilitate quæſivi, & uſque huc totum corpus per terram repens, pervenit? &c. Ilico vocem tantæ promiſſionis ſubſecuta eſt gratia ſanitatis. Surgit ſanus, vadit cum alijs lætus, cantat plebs devota Deo laudes in excelſo. Et iſdem contractus jam ſanus factus, ſanctum corpus in ulnis uſque ad monaſterium portavit, & dum advixit in obſequio fratrum permanſit: nam poſt annorum ſpatia defunctus, juxta oratorium beati Walarici eſt ſepultus.

Reſtoldus Abbas.

Fulcradus Abbas. 7. Multa quidem miracula Dominus fecit meritis ſancti Walarici, tempore domini Abbatis Reſtoldi: quo defuncto ſucceſſit Fulcradus, ejuſdem loci monachus: in cujus tempore oſtendit Deus multa miracula, quæ per incuriam ſunt neglecta &c. Æquinoctium erat, vigilia ſcilicet ſancti Benedicti, qua ab humanis migraverat, & cœpit firmamentum mugire, tonitrua reſonare, diſcurrere fulgura, pavere terra; ſed aeriæ poteſtates, omiſſis omnibus, cœnobium ſancti Walarici audent impetere jaculis flammantibus, nulli ut eo ſe poſſent conferre. Forte Abbas Fulcradus in choro jacebat, & pro ſuis & aliorum criminibus Chriſtum appellabat. Subito bidental * juxta eum cecidit, adeo ut froccum ejus lingens minime exuſſerit, nec ei tamen, nec aliis ullo modo nocuit. Mulier vero quædam religioſa in templo orabat, quæ, ſi fas eſt credi religioſitati, veraciter affirmabat, quod tria candelabra quæ in gradibus ſtabant, quaſi cum cereis flammantibus viderit exſurgere, & ignem cælitus venientem congrediendo repellere. Hæc illa aſſeruit nobis, & veroſimile videtur de conſequentibus, etiamſi ipſa non viderit. Petræ enim, tamquam ex maceria, pariter ceciderunt; quæ unde venerint, nulla unquam veſtigia in templo apparuerunt: ſed talis lapidatio, ſicut & multa pericula ejuſdem Abbatis temporibus, ſancti Walarici repulſa eſt merito.

* fulminis genus.

Adhelelmus ſucceſſor. 8. Et hoc de mundo tranſito, ſucceſſit Adhelelmus, ſancti Vedaſti monachus; in cujus tempore quædam mulier erat, Berta nomine, quæ per debilitatem membrorum, quia in tantum contracta erat ut calcanei ejus hærerent

---

a Canonicos *Gregoriano Ordine* ibi vixiſse ait Poeta his verſibus.

Ordine Dux Hugo vacuans mox Gregoriano,
Templum normalem ſtatuit normam monachilem.

In quadam charta Hugonis Epiſcopi Nivernenſis, tomo 6. Spicilegii relata, alii *Canonici beati Silveſtri Regulam tenentes* ſæculo inſequente appellantur.

b Benedictus Papa VII. diploma conceſſit „ Reſtoldo religioſo Abbati, vel omni congregationi in mona„ ſterio ſancti Walerici, quam Hugo glorioſiſſimus Comes in Regula S. Benedicti noviter congregavit; ſanxitque, ut ſub juriſdictione Romanæ eccleſiæ jugiter permaneat, datis litteris *anno 7. pontificatus Ind.* 9. id eſt anno Chriſti 981. *Kalendis Aprilis*, paullo ante relationem iſtam: tametſi auctor iſte eam præponit. Monachi antea Nortmannorum tempeſtate fugati fuerant.

Digitized by Google

AN.CHR. 981 2. Junii.

ſerent clunibus, a viro ſuo fuerat derelicta. Hæc adducta manibus parentum, ad ſanctum pervenit ſepulchrum, ibique longo tempore perſiſtens, exſpectabat a Deo meritis ſancti viri recipere ſanitatem. Cumque jam nequiret amplius exſpectare, decrevit non adepta ſanitate in craſtinum ire, & triſtis baſilicam adiit, & oratione finita, alta voce dixit: O ſancte Walarice æſtimabam te potentem in reddenda ſanitate: modo quia non eſt tibi cura, vadam, ſicut veni, contracta. Hæc audiens quædam Dei famula, quæ erat cuidam honorabili viro conjugio ſociata, cœpit eam confortare dicens eam miſericordiam Dei & virtutem Sancti exſpectare debere. Illa, ut audivit, in oratione Deo ſe obtulit: cumque auxilium Dei imploraret, apparuit ei in veſte candida quidam pulcherrimus puer, attrectans membra ejus leniter: & mox ſe erigens, nullumque dolorem ſentiens, ſanitatem recepit in omnibus membris; & poſt modum ſacrum velamen ſuſcepit, & peregrinum iter arripuit.

9. In ejuſdem quoque, ideſt Adhelelmi Abbatis tempore, anus quædam ex vico Melnaco venit, ita contracta & curva, ut penitus non valeret furſum reſpicere, nec niſi artificio ſcabellorum incedere: quæ aliquanto ibi commorans tempore, videnſque ſibi ſanitatem differri, quadam die allocuta eſt ſanctum Dei tali voce: Qualis, inquiens, ſanctus Dei tu es, qui nullam in mei miſericordiam habes, &c. Hæc & alia ſante anu cœperunt fratres Veſpertinalem ſynaxim: factumque eſt ut nervi mulieris ita mirabiliter extenderentur, ut ipſa gemens fratres pſallentes inquietaret. Itaque ſana atque erecta, quæ ante curva atque contuſa, ſurgit quæ exprobrarat, Deum laudans voce clara; ſurgit quæ erat triſtis, benedicens Deum dulcibus hymnis, acceptoque cereo, ad tumulum ſanctum currere cœpit, poſitaque candela in orationem ſe dedit. Mirantur fratres, quid eventum eſſet ignorantes: nam agnoſcunt ſanam quam antea viderant ægrotam; agnoſcunt directam, quam antea viderant curvam. Interrogata namque quæ eſſet, ait: Quid miramini? ego enim ſum anus quam veſtræ alebant manus: ego ſum miſella quam veſtræ charitatis potabat ampulla. Non enim eſt mirum, ſi me ſanctus Walaricus fecit ſanam, qui veſtram ſemper fovet catervam; neque mirabile eſt quod me fecit directam, qui veſtrarum culparum ſecat habenam. Referunt itaque fratres gratias Deo; necnon & ſancto extollentes hymnum Walarico.

10. Defuncto itaque præfato Abbate Adhelelmo, ſucceſſit Abbas Theodinus, monaſterii ſancti Dionyſii monachus, tempore cujus quidam civis, nomine Warnerus, natione Britannus, fratrem habebat, nomine Hildinum: qui Romam pergentes, & inde redeuntes, venerunt ad fluvium nomine Taronium: & cum tranſire vellent, Warnerus undis implicitus obiit; Hildinus vix cum his quæ portabat evaſit; & ejulans pro morte fratris, venit intra terminos Corbejæ monaſterii, ubi a latronibus exſpoliatus, his quæ habebat perditis, Belvacum uſque pervenit. Inde egrediens, & ad fines ſancti Walarici venire volens, ut eum cogebat neceſſiaas itineris, cum Somenam tranſiſſet, & poſt tranſitum ſe indueret, ecce ſubito quædam nigra avis eum in capite alis percuſſit. Qui illico arreptus a dæmone, cœpit per concava vallium atque per abrupta montium ſine diſcretione diſcurrere, venienſque ad fluvium voluit ſe necare: detentus autem a populo, deducitur ad oratorium ſancti Walarici vinctus. Qui antequam ingrederetur altis cœpit clamare vocibus: Cur me ad Walaricum ducitis: ſi enim ad eum pervenero, de hominis hujus habitaculo exire compellar. Cumque ante fores monaſterii fuiſſet adductus, interrogavit eum quidam ex monachis, nomine Petrus, Quo nomine cenſeris? Reſpondit: Runcinellus vocor. Tunc monachus, hujus nominis etymologiæ non ignarus, iterum interrogavit; Cur ita vocaris? Reſpondit; Peccatorum animas duco per runcias & ſpinas. Iterum interrogatus a monacho, cur non aperiret oculos, reſpondit: Tenebras amo, & lucem odi. Tunc compellitur a monacho & a circumſtante populo mona-

AN.CHR. 981 11. Junii. ſterium ingredi : ſed viribus quibus poterat, nec ingrederetur, obſtabat. Tandem introductus in eccleſiam, a fratribus oratione facta, atque benedicta perfunditur; & clamans magnis vocibus, fœtore relicto putenti, ab eo dæmon exivit : & ille qui fuerat a dæmone poſſeſſus, in terra proſtratus, videbatur quaſi mortuus. Poſt unius denique horæ ſpatium in ſe reverſus cœpit clamare : Sancte Walarice adjuva me ; jam a dæmone ereptus ſum. Qui per aliquantum tempus ſerviens, ſanus ad propria remeavit. Tunc fratres nimio repleti gaudio, gratias referunt Deo, canentes *Te Deum laudamus*.

11. Fuit in tempore ejuſdem Theodini Abbatis, quidam homo, nomine Berengerus, natione Francus, qui cauſa peregrinationis atque paupertatis de finibus propriis exiens, ad noſtrum properare feſtinabat cœnobium : qui dum appropinquaret ſolus gradiens, obviaverunt ei duo nigri homines, teterrimos equitantes equos; qui interrogantes eum quo iret, reſpondit : Ad cœnobium S. Walarici. Qui inquiunt, Non recto vadis calle. Ilico vero ex utraque parte alapas illi dantes proſtratus eſt in terra ſemivivus. Tunc unus ex illis, tulit feſtucam, & in duplo plicatam in aures ejus impinxit. Hoc facto evanuerunt : ipſe vero ſurdus remanſit & mutus. Qui tamen ſurgens, iter aggreſſum perficere cœpit : venienſque ad villam deductus eſt ad cœnobium S. Walarici, & inter eleemoſynarios deputatus, accipere cœpit eleemoſynam. Nec multo poſt creverunt in auribus ejus vermes teterrimi atque piloſi, & in capite ejus ſcabies tam magna, ut fronte ulceroſa, & naribus ita deformis appareret, ut nemo eum aſpicere poſſet. Sic miſer jacens non valebat eſum percipere nec potum. Quadam autem die hoſpes ejus, illi condolens, ait : Hic eſt unus puteolus, quem S. Walaricus propriis effodit manibus; ſi ad eum properare potuiſſes, ut caput tuum de ejus lympha lavares, credo quod merito Sancti noſtri melius tibi eſſet. Qui conſurgens, ut valuit, feſtinus eo pervenit: ſicque lavato capite, aliquid cœpit audire. Cum autem audiret campanam matutinalem, illuceſcente die, rogat ſe in oratorium deduci. Qui ductus, dum binis vicibus vellet nomen ſancti invocare, nequivit; ſed vix primam verbi ſyllabam protulit. Interea vero maximos ſanguinis globos ex auribus & naribus & ore emittens, clamavit alta voce : Sancte Walarice adjuva me. Qui ſanus atque integer redditus, aliquamdiu ibi permanſit. Cumque corde tractaret ut ad patriam parenteſque rediret; quadam nocte, cum ad matutinorum ſollemnia pergit, diabolus ei in via obvius fuit; qui ait ad eum : Quo vadis? Reſpondit, Ad eccleſiam. Et diabolus, Et ego ſimiliter, ſed veni poſt me, & ego te ducam. Qui ſequens eum venit uſque ad ripam fluminis, & ingreſſus in aquas uſque ad renes, ſcienſque ſe a diabolo eludi, ſigno ſanctæ crucis ſe munivit : & tunc inimicus evanuit. Reverſuſque citiſſimo curſu, ut erat aqua madidus, ad eccleſiam venit, eventumque rei fratribus narravit. Quibus interrogantibus, quid agere vellet, reſpondit : Voluntas mea erat in patriam redire : ſed video quia non vult ſanctus Vvalaricus, eroque in perpetuum illius ſervus *a*.

RE-

a Hic in Aprili Bollandiano ſubjicitur delatio corporis ſancti Walarici ad repetendum prædium Fulcherenſe, quod miles quidam, Giſlebertus nomine de *Druiſencurt* injuſte occupaverat, Rainaldo eccleſiæ beati Walarici advocato, qui hanc delationem fruſtra impedire conatus eſt, portis urbis clauſis, ſed cælitus reſeratis.

Digitized by Google

RELATIO S. RICHARII ABBATIS EX SITHIENSI MONASTERIO in Centulenſe.

AN. CHR. 981 3. Julii.

Auctore INGELRAMNO Abbate Centulenſi.

Ex mſ. codice Centulenſi & Aprili Bollandiano.

I. *Metrice* RICHARII *deſcripta Relatio ſancti.*

HActenus antiqui retinet quæ pagina libri
Carmine prout valui cecini miracula Sancti.
Hinc ea complectar proprius quæ vidit ocellus.
Ingenio validus, magnis opibus quoque fultus
ARNULFUS patriam poſſedit Marchio noſtram.
Hanc etiam fraude ut per plura ſolebat adeptus,
Tranſtulit hinc *a* Sanctum, cupiens tam nobile lucrum
Cum quiſdam ſanctis propriæ regionis habere.
Hic jam longævus deponens tegmine carnis,
Filius ut nati juſſit fieri ſuus heres,
Præſentabat avum proprio qui nomine tantum.
Poſt Regem primus, regni tunc jura tenebat.
Vir humilis cunctis, cunctis pius atque benignus,
Filius HUGONIS Magni, Dux inclytus HUGO:
Poſtea regali qui ſublimatus honore
Rexit Francorum miro moderamine regnum.
Hic graviter tolerans fraudem ſupra memoratam,
Reſtituit patriæ quæcumque erepta fuere.
Utque magis celebris fieret regreſſio *b* Sancti,
Præcipit immenſam populi glomerare catervam.
Nec ſolum noſtræ convenit concio terræ:
Quin etiam ex multis facta eſt collectio Francis:
Relliquias Sancti poſthæc mandat ſibi reddi.
Accipiens cujus præcepta puer * memoratus,
Efficitur mæſtus tanto pretio cariturus.
Sed reputans ſi deſpiciat non eſſe ſalubre,
Reddidit invitus, veritus ne forte coactus.
Jam tandem præclara dies illuxerat orbi,
Qua debet fieri tam grata receptio Sancti.
Procedunt partes, gaudentes & lacrymantes.
Namque illi tradunt quod ſemper habere volebant,
Iſti ſuſcipiunt ſine quo nec vivere curant.
Poſtea primores populi jurare rogantur,
Quidquam ut non deſit penitus de corpore Sancti.
Quo facto, noſtri feſtinavere reverti.
O memoranda dies, o lux votive colenda,

Arnulfus ſenior S. Richarii reliquias aufert.

Arnulfus junior Hugoni reſtituit.

* Arnulfus junior.

a Ad oram Chronici Centulenſis mſ. legitur, *Anno Domini 952. ablatum corpus, & 4. Kal. Sept. B. Bertini cœnabio illatum*, nempe Centulenſi Abbate Fulcherico, & clericis ibidem exſiſtentibus, ut apud Hariulfum in lib. 3 cap. 22

b Hanc reſtitutionem inſtaurato Centulenſi monaſterio reſtitutiſque monachis factam fuiſſe, ſub Ingelardo Abbate Fulcherici poſt Hugonem Ducem ſucceſſore, tradit ibidem Hariulfus. Eodem Abbate contigit tranſlatio ſancti Vigoris Epiſcopi Epiſcopi, & Madelgiſili confeſſoris, teſtante eodem auctore.

Digitized by Google

AN CHR. 981 3. Junii.

Fines dignatur *a* patrios qua viſere Sanctus.
Hujus lætitiam vix enarrare diei
Sufficiet quiſquam, quiſquam vix gaudia tanta,
Adventus Sancti quæ concutiebat ubique.
Ad quaſcumque etenim venit proceſſio villas,
Obvia cunctorum procedit turba colonum,
Ac præ lætitia gemitus ad ſidera jactant.
Ante ſed ad templum, quantum eſt ſpatium prope leugæ,
Quam perveniſſent, Dux jam præfatus equino
Deſcendens dorſo, nudis incedere plantis
Incipit, & propriis ſcapulis portare feretrum,
Et ſecum plebis qui viſi nobiliores.
Illud tamque diu portat lacrymis madefactus,
Altari donec gaudens proprio impoſuiſſet.
Sed jam Divina quid ſit virtute peractum
Miracula. Perpendat Lector. Sancti meritis ſociatis
Hæc quam prædixi facta eſt regreſſio Sancti
Tempore quo plenis campus flaveſcit ariſtis.
Sed tot militibus quæ ſufficerent quia tecta
Non fuerant, cultos ſeſe ſparſere per agros.
Dicere quis poterit fuerit quam diruta meſſis
Pæne omnis, pedibus dum conculcatur equorum
Pars quædam, quædam dum pars depaſcitur ore?
Uſta eſt pars etiam ſtabilita ardente culina
Partibus in multis, cocta radicitus herba.
Tandem diſcedunt, nuda tellure relicta.
Mira loquar: paucis tranſactis fere diebus,
Ecce incredibilis cœpit ſuccreſcere meſſis
Fructifera, ac demum cum tempus & hora metendi
Inſtaret, totos videas flaveſcere campos,
Ac ſi nil damni regio perpeſſa fuiſſet.
Hæc cernens meritis patrata fuiſſe Richari,
Ad laudes Domini populus ſe contulit omnis.

II. *Quod lapſi in puteum vixerunt vir mulierque.*

In Sancti mirum fuit & virtutibus illud,
Ipſius feſtum quia plebs dum multa adiiſſet,
Forte ſecus templi introitum puteus fuit, ex quo
Jamdudum laticis penitus defecerat unda,
Os cujus veteri fuerat de vimine clauſum.
Ignari ſuper hunc dum vadunt vir mulierque,
Ipſius in magnum lapſi cecidere profundum.
Quis dubitaret eos mortis diſcrimen obiſſe?
Cernuntur tamen a putei convalle reducti,
Non ſolum vivi, toto ſed corpore ſani.

III. *Quod veſcens quidam piſcis glutivit ariſtam.*

Exercebat ovans ex conſuetudine *b* Palmas
Plebs Domini, quidam ſumens cum clericus eſcam

Cum

a In Chronico Centulenſi mſ. exſtat diploma Lotharii regis, rogante Hugone Duce Abbate conceſſum, quo villæ monachis ab eodem *in pago Targonenſi* aſſignatæ confirmantur, nempe Botritium & Rolleni-curtis. *Actum Compendio palatio, anno 21. Lotharii. Adalbero Regis Notarius ad vicem Adalberonis Remorum Archiepiſcopi & ſummi Cancellarii recognovit.*

b Hariulfus: *Dominica Palmarum, quam vulgus Paſcha floridum vocitat, ex eccleſiaſtica traditione colebatur; cum ipſa die quidam clericus*, &c.

Digitized by Google

Cum monachis, ortus non ſtirpe parentum,
Unius incautus piſcis glutivit ariſtam.
Angorem cujus ſentiſcens veſpere facto
Tentat rejicere hanc valeat ſi forte vomendo.
Sed quia non potuit, gravior fit luce ſequenti.
Tertia namque dies prætendit deteriora,
Ac demum in quarta tractat de morte futura,
Diſponens etiam fuerant quæ congrua viſa.
Abbas & Fratres veniant ſe viſere mandat:
Queis ad ſe ingreſſis tantum de morte locutus,
Poſcit cum monachis ſepeliri quo mereatur.
Pro Domini Cæna, quinta ſed luce verenda
Hunc Sancti ad templum deducit turba parentum.
Tempore quo Fratres celebrant ſolemnia Miſſæ:
Suffultuſque viris dextra lævaque duobus,
Jam ferme exſpirans ſanctam conſcendit ad aram.
Cui poſtquam impoſuit quoſdam pro munere libros,
Nititur ut valuit retro deflectere greſſum.
Sed vix converſus nutu tangente ſuperno
Senſit aqua tepida perfundi corpore toto
Semet, & exclamat quia nil angoris habebat.
Ex hoc nos etiam tamquam de morte reducto
Lætamur, Domino porrectis laudibus alto.

IV. *De fabro templi tecto qui corruit alto.*

Ingelvinus erat lignorum cæſor apud nos,
Qui templi ſolitus ſarcire ruentia tecta,
Ardua præſumens etiam conſcendere plura.
Hic Paſchæ in feriis templi campanar adivit
Signi diſruptum funem religare rogatus.
Injuncto officio ſibimet ſed rite peracto
Conatur tecti quoddam obturare foramen.
Sed deceptus ſpe qua ſe bene poſſe tenere
Credidit, a celſo dilapſus culmine templi
Concidit, ac penitus horrendam mortem obiiſſet,
Parietis in partem niſi vis divina tuliſſet:
Cujus porrecti lapides ſic forte fuere,
Ut per circuitum poſſes incedere templi
Tutius utque per hos valuiſſet figere greſſus,
Deſuper adjunctum munimen erat podiorum, &c.

V. *Quod vixit templum ſcandens inſana puella.*

Unius in rabiem fuerat mens verſa puellæ,
Quæ ſenſu pravo ſtimulante errabat ubique.
Hæc villæ triviis peragratis tempore noctis,
Dum Matutinos vigiles eſſemus ad hymnos,
Ut mos eſt, portas templi adſpiciens patefactas,
Intrat vociferans ac frendens horrida verba.
Ad vociſque ſonum torquens veſtigia noſtræ,
Offendit ſcalam quæ tranſmittebat ad alta.
Ejus per gradus conſcendere neſcia cœpit:
Sed poſtquam ipſius cœpit contingere ſummum
Per porrectarum ſic diſcurrendo petrarum
Fracturas ſicut mos eſt inceſſit amentum

Cui

Digitized by Google

AN.CHR. 981 3. Junii.

Cui dubium eſt illam mortis ſubiiſſe ruinam?
Quod tamen & fecit, mortis nec damna ſubivit.
Quin etiam vadens ac diſcurrendo pererrans,
Venit ad introitum cochleæ qua culmina templi
Alta petebantur, quam longa eſt ſcandit & ipſam.
Poſt hæc quid fecit, cujuſquam dicere lingua
Vix dum ſufficiet. Non ceſſat denique voces
Edere terrificas, per gyrum & currere templi.
Nullus & a quanto fuerit ſervata periclo
Cognoſcet penitus, niſi qui loca viderit ipſa.
Nos vero ſtupidi & formidine ſollicitati
Ipſius caſu ne templum pollueretur.
NOTA. Sed nondum fuerat quia tempus & hora loquendi,
Adſtanti turbæ certatim ſignificare
Cœpimus, aſcendant, rapiant, ſecumque reducant.
Nemo ſed inſanam præſumpſit tangere ſanus.
Sponte ſua tandem greſſus rediit per eoſdem.

VI. *De Sancti famulis a vinclis ſponte ſolutis* a.
VII. *A Sancto frater ſanatur fratre rogante*.
VIII. *Quod Sancti in feſto pluviæ ceſſaverit unda*.
IX. *Prædones Sancti nequeunt accendere lignum*.

Eſt quodam in pago Ambianenſe vocatus
Mons Deſiderii *, vicus cui ſubjacet unus,
Eccleſia eſt cujus ſancti ſub honore dicata.
Contra hoc caſtellum, bellum cepere Royenſes:
Pluribus & villis populatis, vicus aditur,
Qui, ſicut dixi, templum Sancti retinebat.
Hunc furia accenſi prædones aggrediuntur,
Non dubitaturi templum violare profani.
Forte ſecus templi ſed ſtabat cereus aram:
Hunc præſumentes rapere, aſportant abeuntes.
Sed poſtquam ad proprias ſedes potuere reverti,
Quam ſecum tulerant tentant accendere ceram:
Appoſitum ſibi ſed prorſus ſic reppulit ignem,
Ac ſi in materiam lapidum converſa fuiſſet.
Quod rurſum tentant, rurſum fruſtraque laborant.
Pænitet hoc pacto Sancti violaſſe ſecreta
Illos, ac celeres templo ſublata remittunt.
Hæc a nonnullis ſic geſta fuiſſe feruntur,
Externus quamvis nobis locus ille fuiſſet.

* Mondidier.

DE

a Hæc tria miracula, quæ nihil ſingulare continent, videre licet in Aprili Bollandiano.

Digitized by Google

LIBELLUS

DE MIRACULIS S. RICHARII FACTIS

AN CHR. 981 3. Junii.

POST EJUS RELATIONEM

Auctore HARIULFO Monacho Centulenſi.

Ex mſ. codice Centulenſi.

PROLOGUS.

HActenus quamquam ſtilo imperito veritatem harum exſecuti ſumus rerum, ea tamen nos conſtat poſuiſſe miracula, quæ fidelium relatione teſtium nequaquam ſcrupulum dubietatis cuilibet devote legentium credimus afferre. Nunc deinceps ea ponenda ſunt quæ coram poſiti vidimus in quibus extrinſecus perſona teſtimonii non quæritur, propria nos conſcientia in omnibus inſtruente. Exſiſtunt etiam quædam his inſerta, quæ diverſis in locis exſtitere patrata, eo modo vel tenore nobis veraciter relata, ut eorum dictis ita animus ſolidatur, ac ſi nobis fuiſſent præſentibus acta.

Miracula a ſe viſa aut ab aliis accepta auctor proſequitur.

CAP. I.

Odfridus ob deſpectum S. Richarii cultum punitur.

Eo tempore quo Flandrenſium Comitatum agebat BALDUINUS, Barbati BALDUINI filius *a*, erat in regione Tornacenſium vir vitæ non mediocriter honeſtæ, ordine clericus, graduque Sacerdos nomine ODFRIDUS. Hic Gallicanis ſtudiis informatus plenariam litterarum ſcientiam habuit, atque cordis benignitate admodum præditus in bonorum operum exercitio acceptum Deo, & probabilem hominibus ſe præbuit; qui etiam in corripiendis hominum nequitiis ſeverus fideliter, & modeſtus alacriter Domino lucrum animarum reportare ſtudebat. Hic itaque quamdam eccleſiam in honore ſancti Patris noſtri Richarii priſcis temporibus conſecratam, ſitam in pago Menpiſco, propria induſtria adquiſitam cum adjutorio domnæ ADELAE Comitiſſæ, quæ quidem ROBERTI Regis filia, & ſupradicti comitis Balduini erat uxor, reſtaurare, ampliare, & in eadem fratres regulariter viventes aggregare ſtuduit *b*: & ibidem Prioris vel Præpoſiti functus eſt officio. Acceptis ergo ſecum quibuſdam ſuorum fratrum, adiit venerabile quondam ſanctumque beatiſſimi Richarii monaſterium, iſtud ſcilicet Centulenſe: & ſupplici prece rogavit ſibi aliquid dari ſancti Richarii reliquiarum, ut ſcilicet illam quam recenter meliorare inchoarat eccleſiam de eiſdem bearet. Ceterum quia præter altare vel ſcrinium aliæ ejuſdem ſancti reliquiæ non habebantur apud nos, nihil ei collatum eſt. Quapropter ille triſtis repedavit ad propria, & quiddam paſſus humanum, nec valens comprimere motum animi, indignando decrevit ſanctum illic Richarium non amplius nominare, non amplius venerari: ſed abraſo penitus nomine illius, beati nomen Nicolai ibidem celebrari & invocari ſtatuit. Cæmentariis itaque & lapidum cæſoribus vel ceteris operariis qui eidem loco ædificando inſudabant, mandavit ut omnia quæ operabantur in laudem & nomen ſancti facerent Nicolai, & non in ſancti Richarii. Quod dum illi obſervare tentarent, nihil proſperum eiſdem ſuccedebat. Quid faceret vir ille dudum ab omnibus ſanctus æſtimatus, qui ſanctum Nicolaum ſibi non auxiliantem in beati Richarii repulſionem ſentiebat! a multis redargutus, a pleriſque deteſtatus: conſenſit in hoc ut locus ille in amborum honore, id eſt beatorum Richarii & Nicolai conſtrueretur. Fuerat ibidem antiquaria conſuetudo ut ſolemnitas beati patris Richarii concurrente populo Menapenſis vel Tarvennenſis territorii feſtive in eodem loco coleretur: quod ille de quo agitur Odfridus in ſancti ſollemnia Nicolai retorquere ſatagens numquam prævaluit. Tandem poſt alia multa bona opera quæ exercuit, licet in hoc errorem paſſus decernatur, vocatus a Domino diem clauſit extremum, cum & pro prædicatione verbi Dei & pro utilitate fratrum monaſterio abeſſet: obiitque decimo Kalendas Decembris in quodam vico non longe a caſtro quod vocatur Gandavum. Monachi autem eccleſiæ ſancti Petri audientes tranſitum ejus, convenerunt alacriter cum ſumma devotione ad efferendum corpus in ſuam eccleſiam, quatenus condignam ibidem reciperet ſepulturam: ſed antequam ad id veniretur quo

a Balduinus hic, Pius dictus, anno 1067. defunctus eſt ſuperſtite Adela conjuge ſua, quæ velo poſtea ab Alexandro Papa ſuſcepto, in monaſterio Meſſinenſi, non longe ab Ipris a ſe conſtructo, Deo ceſſit.

b In mſ. chronico Vvatinenſi, qui eſt bibliothecæ Dunenſis cœnobii in Belgio, legi Ermengerum Abbatem Bergenſem pro altari *Ledvingehem*, eccleſiam Guatinenſem conceſſiſſe domno Odfrido, cujus ceſſionis confirmationem ab Adela Flandrenſi Comitiſſa idem Odfridus obtinuit. Fuit autem Vvatinum, vulgo *Vvatten*, Canonicorum Regularium quondam præpoſitura, quam modo occupant Anglicani Patres Societatis Jeſu, de qua infra.

Digitized by Google

AN.CHR. 981 3. Junii. ejuſdem apparitiones. quo terra ad ſepulchrum foderetur, non dormientem, ſed vigilantem matricularium monaſterii iſdem Odfridus aperta viſione conveniens, deſignavit ei in ipſius eccleſiæ cimiterio locum dicens: Vade frater, & tali in loco noſtram ſepulturam aperiri inſinua. Et ille: Quis, inquit, es ſenior? Ego ait ſum peccator Odfridus, qui Domini imperio die heſterna carnis ergaſtulum exivi & ejus voluntate in hoc loco hodie habeo ſepeliri. Poſt hæc dicta diſparuit. Cuſtos autem ille ſatis expaveſcens retulit fratribus hoc mandatum, & illi in loco deſignato fodere facientes, invenerunt ſarcophagum novum & candidum atque mundiſſimum; ac ſi recens ex lapide eſſet exciſum. Igitur peractis officiis cum jam deberet corpus illud in ſepulcrum deponi, affuit lux cæleſtis ad eaſdem exſequias: & divinæ majeſtatis favor indicio clari luminis in modum ſphæræ prætenſi ſe adeſſe manifeſtavit. Non multi poſt hæc fluxerant dies, & illi idem vir ſanctus cuidam honeſtæ virgini caſte Deum colenti per ſomnum apparuit: cui illa: Tunc es inquit dominus meus Odfridus, quem dudum defunctum credebamus? Tunc ille reſpondit: Corpore quidem defunctus ſum, ſed ſpiritu mundanis colluvionibus exuto beatiorem vitam recepi. At illa dixit: Et quomodo tecum in illa vita ubi vivis hactenus factum eſt? Tum ille cum gravitate vocis prope modum gemebundus ait. Inenarrabilis fuit pœna igniſque quibus caſtigabar. Illa adjiciens: Et ubi, ait, fuit auxilium ſancti Nicolai, cui tantum honoris impendiſti? ſi te nunc non adjuvit, vel quis in tanta neceſſitate poſito, tibi interceſſor vel patronus occurrit. Ille, ait, quem deſpexeram, quem expuleram, quem quaſi mediocrem, aut potius minimum ſanctum putabam, magnus & potens confeſſor Richarius, ille mihi adjutor, ille mediator, ille tam in judicio quam etiam in tormento indeſinens affuit protector: & cum in medium ignis examinandus projicerer, ille numquam receſſit, nuſquam abiit: ſed ſemper mihi aſſiſtens, & robore ſuorum meritorum ignes abjiciendo propellens, hoc egit ut tolerabilior me pœna ambiret, donec ſuo charo atque Deo amicabili interventu omni pœna me eximens in requiem beatam transferret. Unde volo ut vadas ad fratres noſtros Gautenenſes*, dicque eis ut omnem loci, ædificii, vel nominis laudem & honorem in beatum referant Richarium, quia ſicut in me, ita in ipſis, ſi non correxerint, judice Deo non poterit eſſe inultum. Ut autem tibi credant, hæc & hæc ſecreta quæ non niſi ego & ipſi ſciebant, illis ex me pro ſigno enarra. His ergo dictis evanuit. Tunc eadem venerabilis femina Canonicis Gautenenſibus hæc retulit mandata: illi hæc ovanter amplectuntur, & in priſtinam beati Richarii devotionem ſe reformant. Poſt parum temporis apparuit itidem cuidam clerico pedibus debili, qui manebat in ipſa villa Gautenes, & ei omnia hæc mandata intimans, & ad fratres ea deferri præcipiens, adjunxit ſic dicens. Vis inquit ſanus fieri? At ille ſe libenter hoc velle reſpondit. Adſtabant illic duo magnifici viri precioſe accurati, quos cum interrogaſſet qui eſſent, reſpondit ei domnus Odfridus: Iſti ſunt duo ſancti Confeſſores, Donatianus Brugienſis, & Ansbertus Gandavenſis. Si tu ſanari vis: venies ad ſanctum Donatianum Brugis, & ille gratia mei te ſanabit. Et converſus, dixit ipſi ſancto. Domine ſi venerit ad te Brugis, quæſo ut ſanetur. At ille blande annuens ait, ita fiet: poſt hæc diſceſſerunt. Mane facto clericus ille debilis canonicis eccleſiæ ſancti Richarii omnia intimavit, a quibus Brugis deductus promiſſum repetivit, feliciter accepit, & fideliter Dei gratiam omnibus declaravit.

* f. Gautenenſes.

II. Bona ſancti Richarii defraudans fit cæcus.

Leodium vel Leggia eadem una civitas eſt, a qua haud longe villa conſiſtit nuncupata *Merimont*, in plaga orientali, quæ ab antiquis temporibus jure proaſtii ſubjacet cœnobio patris Richarii, juxta quam fuit quidam collimitaneus habitator, qui avaritia dictante ſuam terram inardeſcens augere, & ſibi proximam ſancti Richarii terram minorem facere, venit ante loci Judices vel Scabinos & declamavit quod domeſtici ſancti Richarii terram ſuam præripuiſſent, & hanc ſibi judicio legum reddi debere. Reſpondentibus noſtris quod nullius unquam terram ſibi uſurpaſſent, & quod ſalva veritate juſtitiæ Dei ſcabinorum examen non devitarent, ſed potius probi homines de circummanentibus eligerentur, quorum fideli judicio terra illa circumdaretur: facta eſt utrorumque electio clamantis & reſpondentis. Eligitur de multis unus finium gnarus, qui in ceterorum conſpectu deambulans limites utriuſque terræ calcando divideret, & ſic utrique parti quod ſuum juſte aſſignaret. Ergo electus ille ambulans poſt avaritiam, declinavit a ſemita juſti, & corruptus pondere præmii cœpit ſuper terram ſancti iniquo veſtigio calcando deambulare, & ita ſtudebat alieno dominio hereditatem Dei & ſancti ſubjugare. Sic faciens, & tantam nequitiam perficere ſatagens, ſubito cæcatus eſt, ſteteruntque ſibi comæ, vox faucibus hæſit. Stetit igitur fixus, & tenebris obvolutus, non valens greſſum movere. Dicunt ei Judices & Scabini. Explica moras, dirige greſſum, quo citius peragatur negotium. At ille cum gemitu prorupit in vocem & ait, Væ mihi miſero qui iniquo munere præventus, ultore Deo cæcus ſum factus: Prævalet ecce hic ſanctus Richarius, cujus juſtitiam ipſe, ut ſentio, defendit Chriſtus. Sed jam properet qui mihi manum det, nam ego lumine carens quid ſim, ubi ſim, omnino neſcio. Tunc timor gravis præſentes omnes invaſit, ita ut nequaquam poſſent ſubſiſtere: Sed potius in terram lapſi ſunt. Tantæ autem virtutis fama mox perculit urbem, & multiplici populos ſermone replevit. Tunc venerandus Epiſcopus Hezelinus fama attactus convocavit illos qui interfuerant judices vel ſcabinos, & conjurans illos exegit ſibi referri omnem geſtæ virtutis ordinem. Audiens autem gaviſus eſt plurimum, & intulit excommunicationis ſententiam ſuper eos qui minuere niterentur ibi ſitam ſancti Richarii poſſeſſionem.

Eo

Digitized by Google

AN.CHR. 981 3. Junii. III. tempeſtas ſedata.

Eo tempore quo omnis terra feſtinabat venire in Jeruſalem, ut adorato Dei Filio in locis ubi corporaliter voluit converſari, contra impios Turcos ceteroſque barbaros arma ferrent, quibus Hieroſolymitanæ eccleſiæ pacem pro poſſe reſervarent, & impetus infidelium diatim refrœnarent: fuit quædam trigeris magna & fortis quæ plena hominibus armatis curſu volucri tendebat properare in Hieruſalem ut Chriſtiano exercitui auxilium ferret, & ſanctæ Eccleſiæ vaſtatores reprimeret. Erant autem in ipſa maxima navi, diverſarum homines nationum, Francorum ſcilicet, Burgundionum, Aquitanorum, Vvaſconum, Hiſpanorum, Italicorum, Siculorum, Calabridum, ſed & aliarum nationum, inter quos multi potentes & divites, multi audaces & alacres. Dum vero navigium illud ſecundis flatibus diebus non paucis ageretur, & nautarum voces, lætum celeuma perſonarent; facta eſt de repente nimia turbatio maris fluctuum, & undarum gravis colliſio; ut tota illa multitudo ſibi mortem adeſſe formidoloſe paverent. Aderant ibi clerici multi, quidam monachi: ad quos converſa cetera multitudo importune exigebant, ut pſalmorum cantibus atque ſupplicationum vocibus attentius, inſiſterent divinam iram flectere, ac ſupernam miſericordiam advenire. Tunc inſimul adunati tam monachi, quam clerici, flebiliter ac devote exorabant concinentes pſalmorum & lætaniarum quicquid in tanta neceſſitate utile ac conveniens poterant excogitare. Illis tot ac tanta concinentibus & denuo ac iterum flebilia cantica repetentibus crevit procella, intumuerunt undæ, furebat mare, & omnia mortis plena cernebantur. Tunc illi qui videbantur principari, facto ſilentio intulerunt. Ecce non placet Domino, ut generalis Sanctorum invocatio nos ab iſto queat ſalvare periculo, invocemus unuſquiſque quos in propriis locis peculiares habemus, & certemus per eorum ſuffragia iſta tam gravia evadere pericula. Tale edictum laudaverunt omnes, & cœperunt Franci invocare ſuum Dionyſium, Pictavienſes Hilarium, Turonenſes Martinum, Aureliani Anianum, Lemovicenſes Martialem, Toloſani Saturninum, Autiſiodorenſes Germanum, Remenſes Remigium, Vermandenſes Quintinum, & reliqui cives prout noverant conclamabant nomina notorum Sanctorum. Horum vero laudes antiphona præcedente & propria collecta ſubſequente cum enixius extuliſſent, ut pote magnorum & vere in Deo potentium, dilata eſt tamen populi ſperata ſalvatio, fortaſſis quoniam necdum concordabant cæleſti conſilio. Adfuit ibi quidam de pago Pontivo civis Centulenſis, nomine Siguinus, qui videns omnes fatigari & anxiari exclamavit. Viri nobiles & prudentes, placeat vobis quæſo audire conſilium meum. In terra nationis meæ veneratur quidam præcipui meriti ſanctus qui omnibus ſe invocantibus velox & fidus auxiliator aſſiſtit. Placeat vobis illum modo in iſta cauſa interpellare, & ſpondeo quod ſi fides adſit, continuo nos adjuvabit. Requiritur nomen ſancti, quod ille grato ore edicens, ſanctus, inquit, Richarius fortis Pontivorum patronus & gentium non paucarum glorioſus Apoſtolus. Tunc univerſi clamaverunt, ſancte Richari ſuccurre, ſancte Richari quæſumus auxiliare. Illis ita vociferantibus miſertus eſt omnipotens Chriſtus, & ſtatim requiem indixit ventis ac tempeſtatibus & facta eſt tranquillitas magna retunſis undarum fragoribus. Sic ad invocationem ſancti Richarii faciem miſericordiæ ſuæ prætulit Dominus deſperatis, & ut hunc glorioſum confeſſorem ſuum in exteris nationibus notum faceret, periclitantibus diſtulit reddere tranquillitatem, donec illorum ſenſibus infunderet hujus ſervi ſui beatiſſimam ſanctitatem *a*.

X. In Epiſcopatu Tornacenſi habetur vicus vocabulo Credena, ubi ex antiquo ſancti Richarii exſiſtit eccleſia: de qua cum multa referantur miracula, illud ad demonſtrandam ſancti Patris pietatem potius deſcribimus, quod cum moderno tempore reficeretur, & cæmentarius qui præerat operi ſuper excelſa parietum ſtans faſtigia quiddam operis percompleret; repente diſruptis machinis ad terram cecidit cum aliis & maxima pars maceriæ ſubito deſilivit, ita ut homines infra, lapides vero ſupra homines corruerint.

XI. .... Cuſtode &c... *b* Juſſu vero Abbatis aut rogatu monachi loci cuſtodis adveniens: nihil amplius judicet aut faciat aut colonos concutiat: niſi pro quanto voluntas Abbatis ſive monachi cuſtodis conſilium exſtiterit. In ſilvas ejuſdem ruris venandi vel ligna cædendi nullam poteſtatem habebit. Totius territorii Civinocurtis terras nec arabit, nec arandas cuiquam dabit. Mariſcum nec depaſcet nec ad paſcendum tribuet. Alnidum non cædet nec cædendum tribuet. Præter cultas terras in circuitu ex omni parte, triginta perticas in paſcuarum vaſtitatem recta menſura conſervabit, & villanos non arguet nec anguſtiabit obſonium, vel paſtum ab eis numquam requiret. Servitium muri vel foſſati faciendi non exiget, nec pro vuerra ſua extra Civinocurtem umquam illos ejiciet vel educet. Poſtquam tota pacis ſtabilitas inita & deſcripta eſt, jubente Rege relecta eſt in auribus totius Curiæ & ab omnibus eidem pacto acclamatum eſt. Fiat ſtabile, fiat perpetuum. Tunc benignus Rex juſſit cunctis præſentibus Epiſcopis & Abbatibus & univerſo clero ut ſententiam anathematis proferrent in Anselmum vel in ſuos ſucceſſores ſi unquam prætereirent vel immutarent ſtatum hujus pacti. Quod factum eſt prævio Guidone Remenſi Archiepiſcopo, proſequentibus Epiſcopis in palatio conſtitutis, & ab omni clero a Rege vel cœtu nobilium dictum fuit, Amen, fiat fiat. Itaque Anſelmus advocationis officiom ſortitus, quoad vixit defenſionem illius villæ prout debuit optime aſſervavit.

Poſt

a Hic ſex capita omiſſa, quorum tria prima ab Ingelramno ſuperius relata ſunt nempe capitibus 3. 4. & 8. alia tria minoris ſunt momenti.

b Hujus capitis initium ac præcedentis ultima verba deſunt, eo quod in manuſcripto, quo uſi ſumus, hic unum avulſum erat folium. Porro agitur in hoc 11. capite de Advocatis Civinocurtis, a quibus plura ſemper & ab aliis advocatis paſſi ſunt incommoda Centulenſes. Eſt autem Civinocurtis, vulgo *Chevincourt*, vicus diœceſis Belvacenſis prope urbem Compendium ad Iſaram, de quo loco legitur privilegium Ludovici in Chronici Centulenſis libro 3. cap. 13.

Digitized by Google

AN.CHR. 981 3. Junii. XII. Advocatus bona rapiens morte afficitur.

Poſt cujus obitum ſucceſſit filius ejus nomine Radulfus, qui impetu animi ceu pullus indomitus nec ſeipſum capiens, ſub nomine advocationis, auſu temerario ejuſdem villæ opibus ac colonorum ſervitio aſſidue uſus eſt, tamquam ſi Civinocurtis non defenſor ſub hæreditarius poſſeſſor eſſet conſtitutus. Gemebant ruſtici, & duriſſimo jugo ejus compreſſi, ut aufugerent cogitabant. Sæpe admonitus, ſæpe redargutus, bannitus quoque, canonico ordine ſegregatus; numquam voluit adquieſcere æquitati. Denique accidit, ut multitudo militum illi ſuperveniret, quibus hoſpitium & cœnam parare, ut ſua nobilitas & mos inolitus exigebat. Non habens ergo unde cœnam exhiberet, miſit turbam ſatellitum præcipiens ut curtem ſancti Richarii in Civinocurte violenter effringerent, & quicquid manducabile ibi invenirent, ad Coſdunum velocius deportarent. Reſponderunt ſatellites: In vacuum veniemus niſi vos præcedatis: quoniam villani ipſi in curte adunati, audacter ac mordaciter nobis reſiſtere non timebunt. Venite nobiſcum & in veſtra præſentia nullus audebit mutire. Qui ait: Parate mihi caballum. Tunc aſcenſis equis cum plurimo raptorum comitatu venit ad atrium eccleſiæ ſub honore ſancti Richarii ibidem antiquitus conſtitutæ, & juſſit ſibi atrium vel curtem actutum aperiri. Tunc monachus loci cuſtos, Algisus, miſit ei reſponſum dicens, non eſſe cauſam adventus ejus, nec ſibi velle aperiri: quoniam contra regale decretum id fieret. At Radulfus videns non ſibi tam facile ſucceſſurum, emiſſa voce inſtigavit ſatellites. Tunc ad vocem ejus impetu veloci ferociter irruperunt atrium, fractiſque foribus cellarii frumentum & vinum, panes vel caſeos, carnes quoque ſalitas abundanter acceperunt, & ad Coſdunum celeriter detulerunt. Aliqui vero ſuorum per villam debacchantes rapuerunt juvencas, freſcingas*, anſeres, ova etiam numeroſa tulerunt. Ipſe quoque equitando ſubſequens, juſſit ut carnes coquerentur, volucres aſſarentur, ſapores conficerentur. Interea dum ille apparatus ſollicite accuraretur, ipſe Radulfus ſeceſſum naturalem petiit, aſſumpto quolibet clientulo & cum jam ſediſſet, dixit eidem: Vade, voca ad me dapiferum, ut cum eo tractem de cauſis meis. Ille quidem dominum non reliquit, ſed ſtans in oſtio clamavit dicens, Tu talis, adeſto. Feſtinus ille convenit & cœperunt viciſſim ratiocinari; utrum præda de Civinocurte allata ſufficeret illi cœnæ veſpertinæ. Dumque in his edicendis aliquantiſper morarentur, jam coctis carnibus, jam cum ferculis compoſitis ſaporibus, ſubito Radulfum horror intolerabilis invaſit, & a gutture uſque ad virilia inteſtina omnia in latrinam dejecit. Oculi elati & cupidi clauſi ſunt, caput ſuperbum inflexum eſt, lingua proterva conticuit, ille color & elegantia formoſi corporis protinus emarcuit. Videntes qui adſtabant horribilem mortem ſui domini citius aufugerunt, & omni familiæ nuntiaverunt. Non crediderunt ita factum, donec ſubmiſſis lucernis cuniculum latrinæ ſcrutati ſunt, & cor ejus cum totis viſceribus in ſqualore illo effuſum perſpexerunt.

* pernas porcorum.

Ultio Richarii Radulfo contigit illi.
Interitum ſimilem formidet qui facit idem.
Abbas vel monachus non credat quod ſit inultus.

XIII. alius miſere decedit.

Huic Radulfo ſucceſſit filius Hugo, qui patris interitum formidoloſe metuens, decrevit ipſum advocationis officium a ſe penitus removere, ne fieret ſibi occaſio mortis æternæ. Uni ergo de vicinis militari viro, nomine Golvino, ipſam advocationem accepto pretio vendidit, ut quaſi culpam vitaret, ſi alius rem ſancti male tractaret. Is itaque Golvinus nimis inſolenter cœpit urgere homines de Civinocurte, qualiter ſibi deſervirent nocte dieque: facundus vero cum eſſet, & gnarus legum cauſidicus, villanos ſophiſticæ locutionis ignaros multoties decipiebat, ac ſic tamquam laqueis irretitos argumentoſe gravabat. Hic itaque tam malus ac peſſimus cum pluribus annis colonos eccleſiæ multipliciter tormentaſſet, tandem vindice Deo corruit in graviſſimam ægritudinem: qua ad mortem properans, mentem & mentis rationem in toto perdidit. Confeſſionem negligens, Viaticum non requirens, ſed amens & veſanus protenſa lingua uſque in pectus miſerrime obiit. Sed dum adhuc vitalem flatum palpitanti pectore trahere videretur, conjux ipſius Martha nomine, cupiens cernere exitum viri ſui a cubiculo arcebatur, nec ad illum ingredi ſinebatur, donec illa animo efferata violenter introivit, & tormentorum atque calamitatis ejus teſtis aſtitit. Sed illico horripilatione maxima apprehenſa continuo foras fugit, & non condolendo, ſed improperando vociferata dixit: Heu heu iſte non homo ſed diabolus eſt, qui ſic moritur amens, ore patenti, lingua protenſa. Erat quippe mirum, ſed plus miſerum, hominem cernere lividum, trucem ac tetrum, & omni calamitate conſæptum. Miſerrimo fine hic periiſſe viſus eſt, qui beato Richario, vel rebus ejus injurioſus fore non horruit.

XIV. Alius mente captus, poſt ſatisfactionem ad mentem redit.

Iſto denique non ſepulto ſed obruto, uxor ejus domina Martha alium ſortita eſt maritum, nomine Hugonem, natione Normannum, qui quoniam privignum cum uxore habebat patri æquivocum, utebatur functione advocati, donec adoleſceret privignus patri ſucceſſurus. Per id tempus fuit cuſtos in *Civincord* monachus, nomine Bernardus, qui advertens & impatiens quæ & quot mala inferret rebus vel hominibus ſancti Richarii Hugo Normannus, non palpando vel blandiendo, ſed acriter increpando arguebat eum, unde ſibi hoc homo externus in rebus & hominibus ſancti aliquam dominationem affectaſſet. Exaſperatus ille tali affatu, multas verborum contumelias in monachum evomuit, quin etiam arrepto baculo eumdem ferire non timuit. Flagellatus monachus verbere baculi & plurima contumelia oris magniloqui, abiit & proſtravit ſe ante altare ſancti Richarii, implorans ex dolore animi emendationem hujus commiſſi. Ille autem qui dicit, *Mihi vindictam & ego retribuam;* ipſum monachi percuſſorem convertit in amentiam & cordis errorem, in tantum ut per dies aliquot extra ſe factus non haberet ſen-

Digitized by Google

ſenſum rationis alicujus, ſed velut porcus multa vorans & vorando ſemper eſuriens, inhabilis atque inutilis permaneret ſemper amens. Poſt hoc quidam amicorum ejus agnoſcentes peccatum ejus vel pœnam peccati, humili ſupplicatione flagitaverunt a monacho, ut indulgentiam daret percuſſori ſuo a Deo percuſſo. At ille ſentiens fortem a Domino ſibi impenſam vindictam, gratanter tribuit veniam verborum & verberum, quæ multipliciter remenſa fuerant patratori eorum. Sed iſdem Hugo ab illata amentia numquam perfecte eximi potuit, donec amicorum ductus amminiculo ad veſtigia Bernardi nudus & diſcalciatus procidit: & ita Dominus conceſſit illum ex toto ſanari, quando vidit eum ex corde humiliari. AN.CHR. 981 3. Junii.

XV. Sanctorum Angelorumque Chori ſancti Richarii ſepulcrum viſitant.

Sanctus quoque Richarius noſtratis loci dominus, illis diebus magna voluit oſtendere miracula, ut & hoc quoque indicio ſibi placitum indicaret Abbatem *a*, cujus tempore revelabat ſuæ virtutis cognitionem. Nam quidam frater ex ſæculari converſus militia, nomine HUGO honeſte in monachico habitu ſe agebat: qui quadam nocte nocturnos præveniens hymnos poſt impenſam orationem in ſcamno chori reſidebat; cum repente audivit a parte occidentali ipſius baſilicæ, ubi eſt ſancti Salvatoris altare, voces mellifluas excelſe modulari, in quibus, ut poſtea ipſe retulit, voces virorum ac puerorum diſtincta ſoni qualitate poterant facile diſcerni. Quo auditu perculſus, oculos illo convertit, putans aliquas adeſſe illic perſonas, quæ tam ſuaviter cæleſtia cantica reſonarent. Veraciter enim ſanctorum Angelorum ſanctorumque Innocentium præſentiæ, ſanctiſſimam, quæ ibi eſt, Salvatoris memoriam, ac eorumdem Innocentium reliquias, a domno ANGILBERTO quondam ibi collocatas, ſollemniter inviſerant, ſed eorum ſpecies jam dictus frater videre non potuit. Verum cum intentiſſime carmina eorum auſcultans, ineffabiliter mulceretur, vidit fuſam lucem totam turrem repleſſe quæ ſe dilatans totum buticum baſilicæ cœpit implere. At monachus videns oculis cæleſtem lucem eo tendere, quo beatiſſimi Richarii corpus quieſcit; & tali viſu valde permotus ocius ſurrexit, & tantæ gloriæ volens teſtem habere, concitus dormitorium ivit, & quem primum offendit accivit fratrem, innuens ut cito ſurgeret, ſeque ſequeretur. Cumque ambo adytum eccleſiæ repetiiſſent, viderunt divino lumine totam completam baſilicam, voceſque dulciſſime decantantes audierunt: & ingenti pavore concuſſi introgredi non præſumpſerunt, ſed deforis, ſtantes dulciſluo canore eorum corda, quæ territa erant, recreabantur. Sed & venerabilis GERVINUS id ipſum expertus eſt. Nam cum ſolito more altaria orando circumiens veniſſet ad eamdem ſancti Salvatoris memoriam, ibique ſacrificium laudis victimaret, ſubito lux emiſſa de cælo, totam ipſam turrem reſperſit. At ille tremore tam novæ viſionis concuſſus aufugit, & uſque ad memoriam ſancti Stephani protomartyris vadens cœpit ſubſiſtere, ſuſpectus quidnam Deus facere vellet: cum ecce inſpicit eamdem lucem concurrere ad honorabilem memoriam ſancti Richarii. Cumque ipſe ſacer, quo beatiſſimi Richarii corpus pauſat, locus cæleſti lumine eſſet repletus, & jam per cetera baſilicæ loca ſe dilataret lumen ſupernum, venerabilis Gervinus nimio pavore conſtrictus, ivit citius & ſuſcitavit unum de matriculariis, qui religioſe ſe tunc temporis agebat, volens ut ſecum tantæ gloriæ claritatem intueretur, & ipſe de nimio horrore qui eum invaſerat illius conſortio reſpiraret. Venerunt itaque ambo, & Abbas quidem coram beati Richarii altare figens genua, & palmas protendens cum lacrymis exorabat: æditus vero in inferiori chori parte ſtans hauriebat oculis ineffabilem gloriam. Hanc tantam Domini magnificentiam contuentibus eis, poſtmodum talem ſenſerunt odorem, ut in comparatione tantæ ſuavitatis omnia humano ſtudio compoſita fœtor putarentur pigmenta. Viſæ ſunt autem & quædam cæleſtium corporum ſpecies quæ corpori ſancti Richarii amicabiliter valde ſe jungebant, ſed omnia exprimere refutamus, ne inaſſueta dicentes faſtidium incredulis pariamus. Illud veraciter comprobatur: quia priuſquam cæleſtes excubiæ memoriæ Salvatoris & ſanctorum Innocentium reliquiis honorem detuliſſent, ad beatum Richarium properabant: de animæ gloria jam exſtante, & de futura corporis immortalitate gaudium & honorem delaturi. Sed hæc occulta & velut myſtica ſeponentes, ad apertiora veniamus.

XVI. Incendium reſtinguit.

Ab aquilonari plaga monaſterii ejuſdem confeſſoris domni Richarii, quadam vice orto pergrandi incendio, fratres perterriti tanto imminentis Vulcani excidio, laborantes intendunt ſolum in exportandis ſacroſanctis pigneribus & eccleſiæ theſauro. Jam enim, quod dictu mirum eſt, ignis pluſquam centum locis ſe per eccleſiam ſparſerat, jam plumbum ſuperante igne liqueſcens defluebat, exportatiſque omnibus pæne ornamentis, excepta ſacri corporis beati VIGORIS *b* capſa: nil aliud exſpectabatur quam deſolatio loci, & exuſtio quæ impræſentiarum videbatur, Jamque humanæ fragilitatis ſolatio decumbente, pietas Dei ſignum præbuit ad manum ſuccurrentis clementiæ. Unus enim miniſtrorum eccleſiæ qui ad excutiendum ignem, ſi poſſet, aſcenderat, male tenaci ſuſpenſus manu, lapſus præceps ruit ad terram, eademque hora ubi ſe non læſum immo magis mortuum per ſe ſtupuit, reſiliens Dei gratia & beati Richarii meritis in pedes ſtetit. Ignis autem veluti ſedatur in ſtipulis ubi vires non habet, ita Dei gratia eodem confeſſore Richario mediante abſque humano auxilio exſtinctus eſt.

a Gervinum intelligit, cujus etiam in hoc capite fit mentio Hariulfus in Chronici Centulenſis lib. 4. cap. 30. inſcripſit. *Viſio Hugonis Monachi*, ac ſequenti capite quædam ſancti Richarii miracula ſe deſcripturum in indice promittit, quæ in editis deſunt.

b De ſancti Vigoris a Neuſtria in Centulæ monaſterium translatione agit Hariulfus in Chronici ſui libro 3. cap. 28. & libro 4. c. 20.

AN.CHR. 981 3. Junii. XVII Cæco viſum, & amenti mentem reſtituit. * le parvy.

Quidam etiam Tornacenſis pagi oculis cæcatus dum moraretur Corbejæ, ubi multam ſanitatum gratiam per merita ſanctorum loco patrocinantium Dominus eo contulit tempore, per viſum, ut perhibebat, a quodam formoſo ſene eſt ammonitus ut cœnobium ſancti Richarii adiret quantocius, quia ibi adepturus eſſet recuperationem viſus. Ille monitori obtemperans, duce ſorore jam nubili cœnobium adjit ſancti Richarii; quodque raro evenit alicui, ad veſperum venienti nullus præbuit humanitatem hoſpitii. Sicque compulſus eſt inhoſpitare tectum paradiſi*, ubi in duro lecto cubans per noctem inclamat pietatem ſanctiſſimi Confeſſoris. Mane intromiſſus reſeratis templi valvis aſſedit, & cum populo adſtante divinis officiis (quadrageſimale enim tempus tunc fuit) & ipſe quoque devotus adſtitit. Interea ergo, ut ſibi videbatur, quem Corbejæ viderat fauſtus monitor formoſus ſenex affuit, utraque ejus ſupercilia manu vellit, potentique medentis imperii verbo & nocivum ſanguinem per ora patientis elicit: & viſum diu peroratum ſuo obedienti inficit & reficit. Ergo medicanti aſſurgens magna voce inclamat, accurrentes lætos rei relatione facit, fratrum vero grex Deo ſanctoque patrono ſuo Richario laudum præconia intonat. Detentus ergo aliquamdiu, tandem cum ſorore non tamen duce redit, non æque felici calle. Nam a latronibus deſpoliatus & cruciatus eſt: ablata quoque quam ipſe ducebat comitem ſorore. Quibus diſcedentibus, ille amens factus quo impetus fugæ ferebat præceps graditur, tandemque ad monaſterium ſui Sanatoris iterum ſanandus uti male ſe habens fertur. Cui in viſu Pater pius iterum medicam manum intulit, ſuique compotem factum ad propria conducit.

XVIII. Alter tertio a cæcitate liberatur.

Alter quidam ex quadam ægritudine hebetato viſu penitus excæcatus dum alias tendit, quo divinam pietatem operari didicit, in ſomnis admonetur ut ſuper recuperatione ſui beatum Richarium petat, ſeque ejus curationi cælitus datum ut hoc ſibi conferat. Ille paruit, venit, aſſuit: perunctuſque ora ex aqua de ſcrinio ſancti tacta, videns adſtitit, nimiſque feſtinus necdum ſumpta licentia recedit, ſed ad portas eccleſiæ iterum in tenebras ruit. Quid miſer faceret? quem pium reperit pium repetit, importunuſque orator lumen levitatis ſuæ culpa, immo Dei diſpoſitione ablatum expoſcit. Nocte igitur quadam in ſopore decubans videt eccleſiæ ſanctuarium ceu quorumdam candidatorum totum caterva veſtitum, eorumque ſplendore totum monaſterii ſpatium quaſi feſtiva illuſtratione illuminatum. Tum nimirum apparuit, quot ſeu quantis ſanctorum patrociniis hic locus Deo dicatus conſiſtit. Hac vero felici viſione ille luce recepta, gaudens iterum parat maleſanus ire ad propria, ſed occurrentibus tenebris iterum ad medicum cæcus redire cogitur. Cui cum ſe voto adſtrinxiſſet quod in omni deinceps ſua vita, ſi mereretur ſanari, ſui capitis reſpectum annualiter ei referret: Sanus & clare videns cum omnium fratrum gaudio & benedictione diſceſſit. Nec tertio obviavit tenebris, quem perfectæ ſanitati commendaverat beatus pater cultor ſanctæ Trinitatis.

XIX. Surdus auditum recipit.

Quidam etiam puer ſcholis addictus ut litteras diſcederet, dum ſcholam refugiens in agro puerili fatuitate obdormiſſet, ægritudinem incurrit, unde auditum quoque perdidit, tribuſque continuis annis in lecto elanguit, poſtque ſex annis tremulo capite, nec integro auditu permanſit. Hic ergo ter ammonitus ut cœnobium ſancti Richarii adiret, ibique invocato eo ſanitatem reciperet, advenit, oblatoque ex voto fidei cereo, ubi coram altare Salvatoris peroravit, ſanguis e naribus auribuſque proſiliens illum in clamorem egit, quo exciti fratres plebſque fidelis occurrunt, & jam ſano rem ex ordine audiunt: gaudenteſque de tanta viſitatione Dei per pium Patronum ſuum, laudes in excelſo attollunt.

XX. Mulier membrorum uſum recuperat.

Quodam vero tempore cujuſdam rei opportunitate beati Patroni noſtri ſancti Richarii ſacrum corpus comitantibus fratribus ad villam Aſſiacum ferebatur. Cumque in eundo per *Buxudem villam* noſtram tranſitus haberetur, contigit ut in una domuncula moribunda jaceret *quædam mulier*, ante plures annos membris omnibus diſſoluta. Dum vero per eamdem *caſam ſanctus* Domini transferretur, dumque de contra jacentis veniſſet grabatulum: illico mulier exſiliens cœpit clamare & dicere. Laudo & benedico Dominum omnipotentem, qui mihi per domini mei ſancti Richari præſentiam, integram reddidit ſanitatem. Hoc itaque miraculum illi beatiſſimi BENEDICTI miraculo comparandum videtur, quo vincula coram ſe poſiti ruſtici ſolo aſpectu diſſolvit, niſi quod amplius ſtupendum eſt hominem Deo jam ſociatum, tantopere humanæ infirmitatis compaſſionem habuiſſe ut ſola ſuorum oſſuum præſentia ægrotam erexerit, quam illum, qui, quamvis ſanctiſſimus, adhuc tamen carnis, obſeps miſeriis hominum concurrere ipſa rerum importunitate trahebatur. Verumtamen hæc dicentes non eminentia beati Benedicti merita contrahimus, ſed iſtius Patris noſtri factum admirabile pro poſſe prædicamus. Jam vero quis enumerare queat quanti vinculati & catenati dum illum invocarent exſtiterunt liberati. Hæc itaque interim ſufficiat nos dixiſſe, quia quæ ſine fine quamdiu mundus ſteterit gerenda ſunt, litterarum ingenio a nobis circumcludi non poterunt.

plura alia miracula.

DE

DE SANCTO ADALBERTO

AN CHR. 981 20. Junii.

ARCHIEPISCOPO MAGDEBURGENSI PRIMO,

Ubi de origine monaſterii ipſius urbis, & de erectione metropolis ejuſdem.

1. *ANtequam Adalberti geſta exponamus, juvat hoc loco præmittere originem civitatis & monaſterii Magdeburgenſis: quod utrumque metropoli ejuſdem urbis principium dedit. Otto Magnus totius negotii auctor, qui devictis Slavis, Saxoniæ ad Albim populis, religionem Chriſtianam perſuadere cupiens, non aliud huic rei magis ſalubre conſilium invenit, quam erigendo præſidio ſimulque monaſterio noſtrorum, quod Fidei Chriſtianæ ſeminarium eſſet & aſylum. Itaque anno 937. Edithæ piiſſimæ conjugis ſuæ* inſtinctu, *prout in Chronico Magdeburgenſi legitur*, Magadaburgenſem ædificare cœpit civitatem, ad quam reliquias Chriſti martyris Innocentii cum magno adduxit honore. Nam urbem hanc ob æternæ remunerationis gratiam, patriæque communem ſalutem, & adquiſivit, & conſtruxit. Juvit eum ad hoc beatæ memoriæ Edith quibus potuit: quæ innumera virtute prædita, ut ſignis poſt obitum claruit, inducias viæ iſtius ſibi conceſſas, Deo hominibuſque accepte perduxit. Decrevitque idem Rex eodem anno 9. Kal. Octobris, hoc eſt in proximo die poſt feſtum ſancti Mauricii, congregationem Monachorum fieri in eadem urbe ob amorem Dei, & patris ſuæque animæ, & ſanctiſſimæ contectalis ſuæ, & Rodolfi Regis *Burgundiæ Tranſjuranæ*, qui ad eum ſanctum tranſmiſit Innocentium, omniumque debitorum ſuorum remedium, conſtruens monaſterium in honore ſancti Petri Apoſtolorum principis, ſancti Mauricii atque Innocentii: tradens ad eumdem locum prædia multa in diverſis locis, & ipſum locum Romano ſubjiciens mundiburdio, Fratribus concedens liberam electionem Abbatis; peragens omnia cum conſilio Friderici Mogontini, & Adaldagi Bremenſis Archiepiſcopi, aliorumque Epiſcopoporum complurium.

Magdeburgenſis urbis & monaſterii primordia.

2. *Hæc omnia fuſe commemorantur in ipſius Ottonis litteris apud Meibomium poſt Witbichindi Annales, quod privilegium ſecundum eſt Magdeburgenſi eccleſiæ datum anno Dominicæ Inc.* 937. *Indict.* 12. *anno vero Ottonis piiſſimi Regis* 2. *Tertium ſequitur privilegium, quo prædia item multa tradit* ad ſanctum Petrum Apoſtolorum principem, & ad ſanctum Mauricium, atque ad ſanctum Innocentium, ad nutrimen Monachorum in loco, Magdeburg dicto, Deo ſervientium, quem ipſum locum Romano ſubjicit mundiburdio, *in proprium dans*, quod a Bernhardo Halberſtadenſi Epiſcopo *commutatione acceperat*. *Diploma datum eſt* in Magdeburg anno Dominicæ Inc. 940. *quæ urbs alio nomine* Parthenopolis dicta *eſt*.

3. *Primus Magdeburgi Abbas fuit* Anno, *qui poſt Richgovvonem Epiſcopum in ſedem eccleſiæ Wormatienſis evectus eſt anno* 950. Otwinus, *ejuſdem loci Abbas ſecundus, itidem ad Epiſcopatum promovetur anno* 954. *quo anno hæc leguntur in Chronico Magdeburgenſi*. Thiethardo Hildensheimenſi Epiſcopo defuncto, Otwinus Parthenopolitanus Abbas, decimus Epiſcopus ordinatur: qui pluralem utilitatem ſuæ eccleſiæ per triginta annos providit, ſpecialiter tamen curtem Giſenheim in uſum Fratrum adquiſivit. Vinum etiam in ſumnis feſtivitatibus per 16. dies inſtituit. Ipſe etiam aurum pretioſum, & gemmas, & lapides, & margaritas in conſtructionem calicis & patenæ collegit: ſed infirmitate præventus, ſub ſigillo & fide Chriſti ſucceſſori ſuo reſervavit. Ipſe etiam Wendelgarda defuncta, GERBERGAM Abbatiſſam in Gandersheim ordinavit. *Denique Otvvino in regimen*

Abbates primi.

Digitized by Google

AN. CHR. 981 20. Junii. *Magdeburgenſis Abbatiæ ſucceſſit* Richarius, *quo Abbate cœnobii translatio facta eſt, ut poſtea dicemus. Huic vero ſucceſſiſſe videtur* Riddagus, *cujus egregia mentio fit in eodem Chronico Magdeburgenſi ad annum* 995. *ubi Cunigundis, Sigifridi Comitis de Waldbike uxor, flagitante fratre ſuo altero Sigifrido Comite*, nuntium ad Abbatem Riddagum miſiſſe *perhibetur*, ut filium ſuum Sigefridum, ad ſanctum Joannem in Magedaburh ſub habitu monachico degentem, accepta licentia reduceret. Hic quia vir valde prudens fuit, cunctis ſollicite perquiſitis injuſtæ legationi reſtitit; & propter curam a Deo ſibi creditam quod hoc facere non præſumeret, reſpondit: *Digna ſane bono Paſtore animi conſtantia!* Nuntius autem, ut ei juſſum fuerat, ad Ekkiardum, qui tunc cuſtos eccleſiæ ſancti Mauricii & magiſter ſcholæ fuit, veniens, ut filium ſuum Thietmarum ob rem neceſſariam matri remitteret, ſupplex rogavit. Qui cum laicali habitu, quo inter piratas converſari debuit, profectus eſt, *nempe ut ſuis a captivitate liberandis auxilio eſſet. Sed hæc extra lineas.*

4. *Cum Otto M. Slavos variis impreſſionibus attriviſſet, demum anno* 960. universos Slavorum populos ſuo imperio ſubjecit, & quos pater ejus uno grandi bello domuerat, ipſe tanta deinceps virtute conſtrinxit, ut tributum & Chriſtianitatem pro vita ſimul & patria gratanter ſuſciperent: baptizatuſque eſt totus gentilium populus; eccleſiæ in Slavonia ædificatæ? monaſteria etiam virorum ac mulierum Deo ſervientium plurima conſtructa. Tunc Slavonia in duodeviginti pagos diſpertita eſt, qui dicuntur ad Chriſtianam Fidem omnes, exceptis tribus, fuiſſe converſi. *Hæc ex Chronographo Magdeburgenſi mſ. ex quo etiam ſequentia deſumpta ſunt.*

Slavi devicti.

divisi in pagos 18.

5. *Anno* 962. *cum Otto a Joanne Papa* 12. *Romæ Imperator acclamatus eſſet, Archiepiſcopalem ſedem Magdeburgi ab eodem inſtitui curavit: tametſi res ad effectum non ante annum* 968. *perducta eſt. Joannis Pontificis Litteræ in prædicto Chronico mſ. ad marginem relatæ ſunt in hunc modum.*

Magdeburgenſis metropolis inſtitutio deſignatur.

JOannes Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, reverentiſſimis confratribus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Monachis, Primatibus, omni Clero & populo, in Gallia, Germania, Bauvaria conſtitutis. Quotiens ad profectum novæ Chriſtianitatis, conceſſionis firmitatiſque privilegium a ſancta Romana eccleſia, cui Deo auctore deſervimus expoſcitur, totiens omni diligentia omnique amore impertiri operæ pretium diximus: ne quod erga pia deſideria propenſius impendi convenit, callidi hoſtis invidia ob deſidiam indeficienter ſubripiat. Totis ergo viribus, chariſſimi Fratres, certandum eſt, ut Chriſtianitatem, quam Deus omnipotens per ſervos ſuos cæleſti trophæo cottidie extendit & provehit, noſtro quoque per eum adjutorio, in eodem ſolidetur & maneat. Nunc vero Dei operante clementia chariſſimus & Chriſtianiſſimus filius noſter Otto, devictis barbaris gentibus, Avaribus ſcilicet aliiſque quam plurimis, ut ad defenſionem ſanctæ Dei Eccleſiæ triumphalem, victoriæ imperii culmen, per nos a beato Petro Apoſtolorum principe ſuſciperet coronam; ſummam & univerſalem, cui Deo præſidemus auctore, adiit ſedem: quem paterno affectu ſuſcipientes, ob defenſionem ſanctæ Dei Eccleſiæ in Imperatorem cum beati Petri benedictione unximus. Cumque in eccleſia beati Petri Apoſtoli de ſtatu & regimine totius Chriſtianitatis tractantes, quæ utilia ſunt, utiliter ſecundum Deum tractarentur, præfatus piiſſimus Imperator Otto, qualiter Sclavos, quos ipſe devicit, in catholica Fide noviter fundaverat, noſtræ innotuit paternitati, deprecans & obnixe poſtulans, ne oves, quas ipſe in Chriſto adquiſierat, ob Paſtoris defectionem antiqui ſerpentis verſutia dominaretur. Ad hanc itaque petitionem, aſſenſum, Fratres chariſſimi, merito præbuimus. Totis ergo medullis cordis, prout dignum eſt, ut novella hæc plantatio ſuper verticem montis in petra, quæ Chriſtus eſt, fundetur, intendamus: dabit vires qui neminem vult perire. Cujus annuente clementia volumus, & per hanc privilegii paginam jube-

Digitized by Google

jubemus, ut Magdaburgenſe monaſterium in regno Saxonum juxta Albim conſtructum, quod prælibatus ſanctiſſimus Imperator ob novam Chriſtianitatem conſtruxit, quia vicinius id locorum gentibus eſt, in archiepiſcopalem transferatur ſedem, quæ per ſubditos Suffraganeos totum Dei gregem regere & gubernare valeat. Volumus & per hanc privilegii paginam jubemus, ut Mersburgenſe monaſterium, quod ipſe piiſſimus Imperator, quia Ungros proſtravit, futurum Deo devovit, in epiſcopalem evehatur ſedem, quæ Magedaburgenſi ſit ſubdita ſedi: quia tot gentes ſub uno Paſtore regi minime poſſunt. Volumus & per noſtræ auctoritatis privilegium cenſemus, ut cenſum, & decimationem omnium gentium, quas idem piiſſimus Imperator baptizavit, vel per eum ſuumque filium æquivocum Regem ſucceſſoreſque eorum Deo annuente baptizandæ ſunt, ipſi ſucceſſoreſque eorum poteſtatem habebant diſtribuendi, ſubdendi Magedeburgenſi, Mersburgenſi, vel cuique velint futuræ ſedi. Volumus etiam, chariſſimi Fratres, & ex beati Petri Apoſtoli juſſione præcipimus, ut Moguntienſis, Treverenſis, Colonienſis, Salzeburgenſis, Hammaburgenſis Archipræſules, Magedaburgenſis monaſterii in archiepiſcopalem, & Mersburgenſis translationem in epiſcopalem ſedem totius cordis corporiſque viribus conſentanei fautores perſiſtant. Cum vero Deus omnipotens per prætaxatum ſervum ſuum inviçtiſſimum Imperatorem, ſuumque filium Regem, ſucceſſoreſque eorum, vicinam Slavorum gentem ad cultum Chriſtianæ Fidei perduxerit, per eos in convenientibus locis ſecundum opportunitatem Epiſcopatus conſtitui, & eidem per conſenſum prædictorum, & Archipræſulum ſucceſſorumque eorum, ab Archiepiſcopo Magdaburgenſi Epiſcopos conſecrari volumus ſuffraganeos. Sed tamen ſi præfati filii noſtri piiſſimi Imperatoris, ſuique filii æquivoci Regis ſucceſſores eorum ſtatuta frangere temptaverint, aut prædictarum eccleſiarum ceterarumque Præſules ſucceſſoreſque eorum Magedaburgenſi Archiepiſcopo ſuiſque ſucceſſoribus, eorumque ſuffraganeis & eorum ſucceſſoribus, adjutores conſentaneique non fuerint; anathematis mucrone feriantur, a ſummoque retributore damnationem ſine fine recipiant. Omnipotens itaque Deus sereniſſimo Imperatori Ottoni, ſuoque nato æquivoco Regi ſpiritualibus filiis noſtris longævam tribuat vitam: quatenus in hoc ſæculo tranquille viventes, in futuro immarceſſibilis gloriæ percipiant palmam. Scriptum per manum Leonis ſcriniarii ſanctæ ſedis apoſtolicæ in menſe Februario Indict. 5. Data 2. Id. Februarii per manum Georgii ſecundicerii ſanctæ ſedis apoſtolicæ, anno Deo propitio pontificatus Domni Joannis ſummi Pontificis & univerſalis Papæ 7. imperii domni piiſſimi Auguſti Ottonis a Deo coronati magni Imperatoris anno 1. in menſe & Indictione prædictis.

6. *Hactenus diploma Joannis 12. pro erectione monaſterii Magdeburgenſis in metropolim, & Merſeburgenſis in ſedem epiſcopalem. At res effectu caruit, ut mox dicemus, ad annum 968. Quibus autem miniſtris Slavi ſeu Rugi ad Fidem converſi ſint, traditione acceptum refert Helmodus in hiſtoriæ Slavicæ lib. 1. c. 6. idque revocat ad tempora Ludovici ſecundi Imperatoris: cujus temporibus* egreſſi de Corveja Monachi ſanctitate inſignes, Slavorum ſalutem ſitientes, impenderunt ſeipſos ad ſubeunda pericula & mortes pro legatione verbi Dei: peragratiſque multis Slavorum provinciis pervenerunt ad eos, qui dicuntur Rani ſive Rugiani, & habitant in corde maris. Prædicantes itaque verbum Dei cum omni fiducia, omnem illam inſulam lucrati ſunt: ubi etiam Oratorium fundaverunt in honorem Chriſti, & in commemorationem ſancti Viti, qui eſt patronus Corvejæ: *quem Slavi in idolorum cultum denuo lapſi*, pro Deo, *inquit*, venerantur. Slavi a Corbejenſibus converſi.

7. *Id ſi factum eſt Ludovico ſecundo imperante, idem iterum tentatum ſub Ottone M. per Adalbertum Corbejæ novæ in Saxonia monachum, quem Otto Apoſtolum in illas gentes tranſmiſit. Hujus* Adalberti *ſeu* Adelberti *acta reperire nobis non licuit, nec ſcio an ab aliquo veteri auctore in commentarios relata ſint. Faciemus* Adalbertus Rugorum apoſtolus.

Digitized by Google

AN. CHR. 981 20. Junii. *ciemus itaque de eo pro more noſtro, ut collecto ex veterum monumentis ejus elogio, facta ipſius ab oblivionis tenebris pro modulo eruamus. Hunc Adalbertum illuſtriſſimus Cardinalis Baronius recte diſtinguit ab Adalberto Pragenſi Antiſtite ejus diſcipulo: ſed non bene ad Adalerto primo Archiepiſcopo Magdeburgenſi, quem unum eumdem eſſe cum Adalberto Rugorum Apoſtolo conſtabit ex iis, quæ jam dicturi ſumus.*

Adalberti plures.

Baron. ad ann. 971.

Rugi dicti Ruſſiæ populi.

8. *Qui de Adalberti noſtri rebus geſtis agunt, alii ad* Rugos, *alii in* Ruſſiam *miſſum perhibent. Rugos hodie quoque appellamus eos, qui nunc oram Baltbici maris incolunt, Pomeraniæ modo attributi, & Rugorum inſulæ, vulgo* l'Isle de Rugen, *vocabulum indiderunt. Sed ne Adalbertum ad Rugos iſtos directum exiſtimemus, vetat Helenæ Reginæ nomen, quæ recens ſacro lavacro regenerata, Fidei Chriſtianæ præcones ab Ottone M. poſtulavit. Atqui hæc Ruſſiæ Regina erat, ante Baptiſmum* Olga *dicta; quæ Conſtantino Leonis filio imperante profecta Conſtantinopolim, Chriſtiana facta, Helenæ nomen in baptiſmo accepit. Lambertus Scafnaburgenſis, qui ante quingentos annos Chronicon rerum Germanicarum ſcribebat, auctor eſt, anno Chriſti nati* 960. *Ruſſiæ gentis legationem ad Regem Ottonem primum veniſſe, orantem, ut ſibi Epiſcopus aliquis, qui Religionem Chriſtianam apud ſe prædicaret, mitteretur; miſſumque fuiſſe Adalbertum, qui vix manus eorum effugerit. Sed Martinus Cromerus initio libri* 3. *de rebus geſtis Polonorum allucinatum ait Lambertum, ratus, Adalbertum in Rugiam miſſum eſſe, non in Ruſſiam, quæ a Baſilio Imperatore CP. Epiſcopum & Fidei Chriſtianæ Græcanicos ritus acceperit. Verum tamen non ſolus Lambertus, ſed alii illorum temporum auctores Adalbertum in Ruſſiam directum conteſtantur; & qui Rugos appellant, addendo Helenæ Reginæ nomen, id de Ruſſia interpretandum ſatis innuunt. Inter primos Ditmarus, homo illius ætatis, Adalbertum* Ruſſiæ Præſulem *ordinatum tradit in l.* 2. *Chronicon Hildensheimenſe conſentit ad annum* 960. *Nec minoris eſt momenti Reginonis annalium Continuatoris auctoritas, qui Helenæ precibus hanc miſſionem tribuit cum Chronographo Magdeburgenſi. Continuatoris hæc verba ſunt ad annum* 959. Legati Helenæ Reginæ Rugorum, quæ ſub Romano Imperatore CP. Conſtantinopoli baptizata eſt, ficte (ut poſt claruit) ad Regem *Ottonem* venientes, Epiſcopos & Presbyteros eidem genti petebant. *Eadem verba habet Chronographus Magdeburgenſis, niſi quod rectius ſcribit,* Epiſcopum & Presbyteros eidem genti ordinari petierunt, *additque:* quos ille benigne ſuſcipiens & multum gaviſus, conſenſit deprecationi eorum, ordinavitque ad hoc venerabilem & catholicum virum Libutium, *id eſt deſignavit: nam Libutii ordinatio facta eſt anno ſequenti* 960. *teſte eodem Chronographo præter Reginonis Continuatorem.* Rex Natale Domini Franconevord celebravit, ubi Libutius ex cœnobitis ſancti Albani a venerabili Adalgago Archiepiſcopo Bremenſi Rugorum genti ordinatur Epiſcopus. *Libutium hunc fuiſſe inſignem religione & pietate virum vel ex hoc facto intelligimus, tametſi nihil de eo reſcire nobis licuit præter obitum, quem anno* 961. *contigiſſe docet idem Chronographus: cum Reginonis appendice.* Libutius priori anno quibuſdam dilationibus ab itinere ſuſpenſus, 15. Kal. Martii obiit anni præſentis: cui Adalbertus ex cœnobitis ſancti Maximini Trevirenſis, machinatione & conſilio Vuillehelmi Archiepiſcopi *Moguntini,* licet meliora in eum confiſus fuerit, & nihil in eum unquam deliquerit, peregre mittendus in ordinatione ſucceſſit. *Nimirum Willelmo, Ottonis M. filio, forſan invidiam faciebat Adalbertus:* quem piiſſimus Rex ſolita ſibi miſericordia omnibus quibus indigebat copiis inſtructum genti honorifice deſtinavit.

Rugorum legatio.

Libutius eo miſſus,

& eo mortuo Adalbertus.

Revertitur.

9. *Quid ex hac peregrinatione conſecutum ſit, docent iidem auctores anno* 962. *Quippe* eodem anno Adalbertus Rugis ordinatus Epiſcopus, nihilque in his propter quæ miſſus fuerat, proficere valens, & inaniter ſe fatigatum videns, revertitur: & quibuſdam ex ſuis in redeundo occiſis, ipſe cum magno labore vix evaſit, & ad Regem veniens charitative ſuſcipitur, & a Deo amabili Vuillelmo Archiepiſcopo pro retributione tam incommodæ ab eo ſibi machinatæ peregrinationis bonis omnibus & commodis, quaſi frater a fratre amplectitur, & ſuſtentatur. Miſſis etiam pro eo ad Imperatorem litteris, reditum

Digitized by Google

ditum ipſius in palatio operiri jubetur. *Sic tandem invidia virtuti ceſſit facili humanitate Vuillelmi optimi Principis. Ceterum ex hujuſce miſſionis eventu patet fictam fuiſſe Legatorum Rugorum (quod prælaudati auctores obſervarunt) petitionem.* AN.CHR. 981 20. Junii.

10. *Poſt annos tres, id eſt anno* 966. Erkanbertus Vvicenburgenſis cœnobii Abbas obiit: & Imperator, electione Monachorum Adalbertum, Rugis ordinatum Epiſcopum, eidem monaſterio præfecit. *Inſigne eſt iſtud in diœceſi Spirenſi monaſterium, cujus originem ad Dagobertum referunt, ſancto Petro ſacratum: cui jus electionis reſtituit anno* 957. *Otto M.* ſtudio ſanctæ religionis, & virum venerabilem Geilonem eidem cœnobio Abbatem præfecit. *Anno* 960. *mortuum Geilonem excepit* Gerricus, *cui anno* 964. *ſuffectus eſt* Erkembertus *ejus frater, & poſt biennium huic Adalbertus, uti diſcimus ex Chronico Magdeburgenſi, ex quo corrigenda vulgata Reginonis continuatio, in qua pro* Vvicenburgenſi *perpetuo legitur* Vvirtzburgenſe *monaſterium.* Abbas Wicenburgenſis.

11. *Sed quoniam Adalberto non ſufficiebat exigua hæc patrandæ virtutis materia, poſt duos Vvicenburgenſis regiminis anno, ſedi Magdeburgenſi tandem impoſitus eſt: quod argumentis demonſtrandum, ut non alium a Magdeburgenſi Adalbertum Rugorum Apoſtolum, quod Baronio viſum eſt, ſed unum eumdemque exſtitiſſe appareat.*

Primus noſtræ ſententiæ auctor occurrit Ditmarus, cujus hæc verba ſunt in l. 2. *pag.* 20. Imperator vocavit ad ſe Richarium, Magdeburgenſis eccleſiæ Abbatem tertium: nam Anno & Otwinus tunc Epiſcopi præfuerunt, & volens hunc dignitate ſacerdotali decorare, viſa quadam epiſtola quæ clanculum ſibi deferebatur, omiſit, Adelbertumque Treverenſem, profeſſione monachum, ſed Ruſſiæ prius ordinatum Præſulem, & hinc a gentilibus expulſum, ad Archiepiſcopatus apicem, inclitum patrem, & per omnia probatum, anno Dominicæ Inc. 970. 15. Kal. Novembris apoſtolica auctoritate promovit. Tunc miſit eum ad ſedem ſuam cum magno honore, præcipiens univerſis Saxoniæ Principibus, ut proximum Natale Domini cum eo eſſent. *Ex his manifeſtum eſt, Adalbertum, Ruſſiæ ſeu Rugorum Apoſtolorum, non alium eſſe ab Adalberto Pontifice Magdeburgenſi. Idem probatur ex Chronico Magdeburgenſi, cujus eadem eſt, atque Ditmari, narratio, quæ paullo altius repetenda eſt, nempe ab anno* 968. *quo Adalberti promotio facta dicitur in Chronico Magdeburgenſi, non anno* 970. *ut apud Ditmarum. Sic igitur factum Chronographus commemorat anno prædicto* 968. Magdeburgenſis Antiſtes creatur.

12. Imperator *Otto M.* audita morte matris & filii, ceterorumque principalium virorum, judicavit ab expeditione Fraxinetis abſtinere. Urgebat ad hoc eum timor mortis propinquæ: & quod Deo in rebus promiſit anxiis, opportuno tunc tempore complere ſtuduit. Electum namque a cuncto ſanctæ Halberſtadenſis eccleſiæ clero & populo Hildiwardum Præpoſitum, & a domino ſuo Bernhardo ad hoc præſignatum Romam ire præcepit, cumque eodem quod diu latebat ſecretum mentis revolvit, ſcilicet facturum ſe in urbe Parthenopolinata Archiepiſcopatum ſemper ſtuduiſſe ob ſpem remunerationis æternæ defenſionis cæleſtis patriæ, ſeque ad omnia quæcumque unquam ab eo expetiſſet, promiſit paratum, ſi conſentiret ſibi, hoc perficere votum. Hic autem, ut erat vir ſapiens, petitioni piæ annuit, partemque parrochiæ, quæ ſita eſt inter Aram & Albim & Bodam fluvios, & inſuper viam quæ Friderici dicitur, Deo conceſſit, ſanctoque Mauricio ac Imperatori. Inſuper charitative rogatus ab eodem Auguſto Cæſare, dedit Deo ſanctoque Laurentio parrochiam jacentem inter fluvios Vvillerbici & Salſum mare & Salam ac Unſtrod & Helmana, & foveam quæ eſt juxta Vvalehuſen. Tali muneri Imperator arridens, per manus ſuſcepit eumdem, curamque ei cum baculo committens paſtoralem, Accipe, inquit, precium patris tui. Hunc enim, Ericum nomine, cum ceteris (ſicut ſuperius dictum eſt) in Quidelingeburch in Paſcha eum occidere conantem, decollari præcepe- Magdeburgenſis metropolis erectio.

Digitized by Google

AN.CHR. 981 20 Junii.

rat. His ita tranſactis Imperator vocavit ad ſe Richarium, Magadaburgenſis eccleſiæ Abbatem tertium (nam anteceſſores ejus Anno Vvormatiæ, Otvvinus Hildensheim Epiſcopi præfuerunt) volens hunc dignitate ſacerdotali decorare. Sed viſa quadam epiſtola, quæ clam deferebatur, omiſit, Adalbertumque Treverenſem, profeſſione monachum, Rugis prius ordinatum Præſulem, & hinc a gentilibus expulſum, ad Archiepiſcopatus promovit apicem, inclitum Patrem & per omnia probatum, quem & Romam pro pallio a Domno Papa ſuſcipiendo direxit. Domnus autem Papa Joannes illius nominis XIII. & prius Narnienſis Epiſcopus, juſtis petitionibus annuens, nihilque tarditatis impendens, privilegio apoſtolicæ auctoritatis eum dignum Archiepiſcopum decernens, pro amore beati Mauricii & Innocentii, & ſanctorum qui Magadaburch requieſcunt, & prædicti Imperatoris, pallium ad Miſſarum ſollemnia celebranda dedit anno Dominicæ Incarnationis 968. Indictione 12. 15. kal Novembris, hoc eſt in feſtivitate ſancti Lucæ Evangeliſtæ, anno pontificatus ipſius domni Joannis univerſalis Papæ quarto. Tunc Imperator miſit eum ad ſedem ſuam cum magno honore, præcipiens univerſis Saxoniæ Principibus, ut proximum Natale Domini cum eo eſſent. *Eidem Adalberto Vvizenburgenſem Abbatiam retinere conceſſum eſt litteris apoſtolicis & imperialibus, quarum ſummam Meibomius refert.*

13. *Paullo aliter hoc factum memoratur apud eumdem Meibomium pag.* 108. *ubi iſta Magdeburgenſis metropolis erectio facta dicitur in Concilio Ravennenſi: at in alia narratione, quæ ex altero Chronico Magdeburgenſi mſ. eruta eſt, primo hæc erectio in Synodo prædicta concepta dicitur anno* 968. Quibus peractis Cæſar lætatus, accerſito Richario, Magdeburgenſis cœnobii Abbate tertio, coram Annone Vvormatienſi & Othvvino Hildensheimenſi Epiſcopis ſecum tunc forte commorantibus, volebat illum officio Epiſcopatus fungi in ipſa ſedis ſuæ mutatione: ſed impedierunt quidam occulto conſilio, & Imperatori pro ſecreto hoc delatæ litteræ. Qui dum ſe tanto honore privatum intelligens, minus æquo animo ferret, ac impediendo tam ſancto propoſito Imperatori quoquo pacto obviare proponeret; brevi pulſatus valetudine, terrena mutavit cæleſtibus, ſucceſſitque in ipſa ſedis mutatione Herdiggus. Erat tunc quidam magni nominis & meriti Adelbertus, qui dudum Treveris de cœnobio ſancti Maximini monachus abſtractus, & Epiſcopus conſecratus, ad prædicandum Rugis fuerat deſtinatus. Sed populus exaſperatus, dura fronte & indomabili corde expulit illum de finibus ſuis, contemnens evangelizantem Evangelium pacis, quia Dei providentia in terra noſtra illi populus committendus erat novæ acquiſitionis. Hunc ergo de Vviſſenburgenſi Abbatia, quam interim regebat, aſſumptum per omnia dignum & probatum Cæſar prædictæ eccleſiæ Magdeburgenſis Sacerdotio promovit, illumque Romam pro pallio ab apoſtolica ſede ſuſcipiendo cum litteris ſuæ auctoritatis direxit. Sedit eo tempore in Clavigeri cæleſtis cathedra gatia & nomine Joannes Papa nominis illius tredecimus, in ordine vero Romanorum Pontificum centeſimus triceſimus ſextus. Hic igitur benigne illum ſuſcipiens pro pio ſtudio glorioſiſſimi Imperatoris, quod in amplifitione divini cultus habebat, gaudens, ideoque juſtis ejus petitionibus annuens, illum apoſtolica auctoritate Archiepiſcopum fore, ejuſque ſucceſſores decrevit: cui & pallium ad Miſſarum ſollemnia celebranda dedit, & ipſe nimia dilectione commonitus, 15. Kal. Novemb. id eſt in feſto ſancti Lucæ Evangeliſtæ, ordinavit, & privilegio apoſtolicæ auctoritatis ſanxit ac confirmavit, eum in omni ordine eccleſiaſtico primatum habere omnium eccleſiarum Archiepiſcoporum, qui in Germania ſunt ordinati: in Gallia quoque, Colonienſi, Moguntienſi, Trevirenſi Archiepiſcopis per omnia honore ſimilem eſſe, crucis ſignaculum ante ſe ferre, & inter Cardinales Epiſcopos Romanæ ſedis conſortium habere. Præterea duodecim Presbyteros, ſeptem Diaconos, viginti quatuor Subdiaconos cardinales ad morem ſanctæ Romanæ eccleſiæ ordinare, qui ad principale altare mi-

Richarii Abbatis obitus.

Adalberti miſſio Romam.

Privilegia ei conceſſa.

Digitized by Google

AN.CHR. 981 20. Junii.

miniſtrantes quotidie, excepto jejunio, dalmaticis, feſtis vero ſandaliis uterentur: & Presbyteri & Abbates ſancti Joannis Baptiſtæ tunicis induerentur: & ut his exceptis Epiſcopis ſuper altare in honorem beati Petri Mauriciique dedicatum Miſſam celebrare aliquis nullo modo præſumeret. Præterea ſtatuit eum eſſe Metropolitanum totius ultra Salam & Albiam Slavorum gentis tunc ad Deum converſæ, vel convertendæ; & ut ſecundum deſiderium Imperatoris in his civitatibus, in quibus olim barbari ritus maxima vigebat ſuperſtitio, id eſt Cizi, Miſni, Merſeburg, Brandenburg, Havelberg, Poznam, in honorem Dei Epiſcopi fundarentur, quorum Paſtores ſecundum canonicam auctoritatem Magdeburgenſi Epiſcopo fidem & ſubjectionem debendo ſociarentur. His & aliis, quæ privilegia adhuc inibi conſervata teſtantur, Synodali decreto ordinatis, & interminatione Dei & apoſtolici nominis confirmatis, præfatus Archiepiſcopus cum Legatis Romanæ eccleſiæ, Vvidone ſcilicet Epiſcopo Bibliothecario, & Benedicto Cardinali, qui illum cum Hildivvardo Halberſtadenſi Epiſcopo ſedi ſuæ inthronizarent, dimiſſus, ad Imperatorem remeavit lætus: quem Imperator nihilominus gaudens, ut pote beati ſui deſiderii compos, cum litteris commendatitiis Magdeburg deſtinavit. Illuc ergo ex præcepto Imperatoris Epiſcopi, Marchiones, & reliqui *Saxoniæ* Principes convenientes, ipſum honorifice ſuſceperunt, & vocum acclamatione manuumque elevatione electum cum præfatis apoſtolicæ ſedis Legatis celebri ritu inthronizaverunt. Adfuit omnis ſexus & ætas gaudentium: fuit prorſus generale tripudium. Ubi ad confirmationem ſui idem Archiepiſcopus in præſentia eorumdem Nativitatem Domini ſecum celebrantium, Boſonem * monachum Merſeburgenſi, Burchardum Miſnenſi, Hugonem Cizenſi eccleſiis primos Epiſcopos ordinavit. Dudo quoque Havelbergenſis, & Dudellinus Brandenburgenſis Epiſcopi, prius quidem Moguntino Archiepiſcopo ſubjecti, ſed tunc agente Imperatore a debita ſui obedientia abſoluti, Magdeburgenſi eccleſiæ & ejus Archiepiſcopo cum præfatis confratribus fidem & ſubjectionem promiſere. *Hactenus erectio metropolis Magdeburgenſis ex codice Meibomii.*

Suffraganei.

* de eo ſupra pag. 112.

14. *His Epiſcopis, quos Magdeburgenſi Archiepiſcopo ſubjectos voluit Imperator*, Jordanem Poznanenſem *addit Chronographus Magdeburgenſis ad annum* 969. Adalbertus Archiepiſcopus a clero & omni populo magnifice ſuſceptus, in his feſtivis diebus conſecravit Boſonem Merſburgenſis eccleſiæ Paſtorem primum, Burchardum Miſnenſis eccleſiæ Proviſorem primum, Hugonem Cicenſis eccleſiæ primum Epiſcopum. His confratribus coaptavit Imperator tres prius conſecratos, hoc eſt Dudonem Havelbergenſem, Dudelinum Brandeburgenſem, & Jordanem Poznanenſem, omnes ſubjectionem Epiſcopo, ſuiſque ſucceſſoribus promittentes. Monachi autem qui prius ibidem converſabantur, tranſpoſiti ſunt in monte, qui dicitur ad ſanctum Joannem in ſuburbio ejuſdem civitatis v. Idus Auguſti, hoc eſt in vigilia ſancti Laurentii martyris. Qui multis retro annis ob devotionem & recordationem ejuſdem tranſpoſitionis, nudis pedibus eadem die facere ſolebant proceſſionem in urbem, ſuppliciter implorantes ſancti Mauricii ceterorumque Sanctorum patrocinia. Permanſit autem talis inſtitutio uſque ad adventum Hirſaugienſis Ordinis, *id eſt reformationis*. Quo autem anno hæc tranſpoſitio facta fuerit, certum non tenemus: niſi quod legimus Imperatorem tradidiſſe ad idem Monaſterium anno Dominicæ Incarnationis 965. Indictione 8. anno imperii ſui 4. regni autem 30. omnem decimam mellis de provincia Slavorum, Nizizi nominata. Si in eodem anno, an in ſuperioribus factum ſit, in dubio eſt.

Abbatiæ translatio.

15. *Eodem anno* 969. *Herimannus Saxoniæ Dux Magadaburgi*, ſuſceptus eſt ab Archiepiſcopo *Adalberto*, manuque deductus eſt ad eccleſiam, accenſis luminaribus, cunctiſque reſonantibus campanis. *Re per Heinricum Comitem de Stadhe accepta Otto, qui tunc in Italia verſabatur, & nuntio acce-*

Adalbertus Ottonem placat.

AN.CHR. 981 20. Junii. *accepto, quomodo Herimannus Dux* in medio Epiſcoporum ad menſam loco Imperatoris ſederet, lectoque dormiret; ob hoc maſculabile ſucceſus, Athelberto mandavit Archiepiſcopo, ut tot ſibi equos mitteret, quot Duci campanas ſonare, vel quot coronas accendi præceperat. Imperatoria Archipræſul peragens edicta, quibuſcumque valuit modis ſe per legatos ſuos excuſare contendit. *Anno 960. defuncto Boſone Merſeburgenſi Epiſcopo*, interceſſione Annonis Vvormatienſis Epiſcopi Imperator Giſilero, moribus & natura nobili, Epiſcopatum dedit, *qui Giſilerus* conſecratus eſt in Madaburh ab Athelberto Archiantiſtite Junio menſe.

Giſilerum Epiſcopum conſecrat.

16. *Anno* 972. Imperator multa Sanctorum corpora ab Italia ad Magadaburh per Dodonem Capellanum ſuum tranſmiſit, *ut cum ſacris pignoribus ibi felicius quieſceret. Nam anno ſequenti cum apud Miminleven in Saxonia obiiſſet idem Otto, ejus filius æquivocus* tranſtulit corpus patris in civitatem, quam ipſe magnifice conſtruxit, vocabulo Magdaburh. Ibi honorabiliter atque lacrymabiliter ſuſceptum, marmoreoque impoſitum ſarcophago, ſepultum eſt ab Archiepiſcopis Gerone Colonienſe, atque Athelberto Magdaburgenſe, ceterorumque auxilio Epiſcoporum, & plebis totius. Otto junior piæ genitricis ſuæ inſtinctu, cujus gubernaculo vigebat, Miminleve, ubi pater ſuus obiit, juſto adquiſivit concambio, decimaſque quæ ad Heresfeld pertinebant: & congregatis ibi Monachis, liberam fecit Abbatiam, datiſque rebus neceſſariis apoſtolico confirmavit privilegio. Inſuper licentiam Archiepiſcopum eligendi confratribus Magdaburh Deo famulantibus præcepto imperiali, præſente Athelberto Archiepiſcopo, dedit, & cum uno libro, qui hodie ibidem eſt, in quo ſua & Imperatricis Theophanu imago auro ſplendet formata, munus affirmavit, quod gratia Cæſaris & in præſentia ejus Archiepiſcopus præparatus ad Miſſam, cum peracto Evangelio more ſolito optime prædicaſſet, recitato coram præcepto imperiali, quo electio continebatur, oſtendit, eumque qui temerarius hoc unquam auderet infringere, terribili damnationis excommunicatione cunctis proſequentibus Amen, fiat fiat, conſolidavit.

Reliquias accipit, Ottonem M. ſepelit.

Miminlevenſis cœnobii origo.

Privilegium de eligendo Archiepiſcopo Magdeburg.

17. Anno Dominicæ Incarnationis 979. Imperator Natale Domini in Franconevord, Paſcha in Trotmannia celebravit. Accuſatus apud Imperatorem Gero Comes de Alesleve a Vvaldone, & in loco qui Sumeringe dicitur, captus, hortatu Athelberti Archipræſulis & Theoderici Marchionis, & Sigefrido Comiti & Lothario fratri ejus, filiis Lotharii de Vvaldebike, firmiter eſt commiſſus. Deinde convocatis in Magdaburg cunctis regni principibus, congreſſi ſunt hi duo judicio, in inſula quadam, ſingulari certamine. Vulneratus Vvaldo bis in cervicem, ardentius inſequitur hoſtem, percutienſque ictu valido in caput, proſtravit eum. Interrogatus autem Gero Comes ab eo, ſi plus poſſet pugnare, coactus eſt confiteri quod jam defeciſſet. Vvaldo egreſſus aqua refocillatur armis depoſitis, & poſt tergum mortuus cecidit. Tunc Gero juſſus eſt decreto judicum & voce Imperatoris a carnifice quodam decollari 3. Idus Auguſti. Hæc pugna nulli, niſi tantum Athelberto Archiepiſcopo & Theoderico Marchioni, placuit. Correptus eſt quoque Imperator ab Ottone Bauvariorum duce, filio Liudolfi, eodem die veniente, & a Comite Bertoldo, quod ob tam vilem cauſam tantus vir unquam damnari debuiſſet. *Geronis obitum Liudolfus novæ Corbejæ Abbas cælitus agnovit, ut in ejus Elogio dicemus.* Pro hujus, *id eſt Geronis*, memoria, ſoror ejus Tetta & conjux ejus Athela monaſterium in loco, qui Alesleve dicitur, ubi ipſe requieſcit, conſtruentes, decimam partem totius ſuæ hereditatis tradidere Deo, ejuſque Præcurſori dilecto, hoc privilegio imperiali præcepto ea ratione firmantes, ut Abbatia ibidem liberaliter facta Imperatoris ſuorumque ſucceſſorum poteſtatem ac tutelam reſpiceret. Comitis præfati corpus poſt tres annos, cum juxta illud contectalis ſua poneretur, integrum una cum veſtimentis inventum eſt. Filia ejus Athela nupſit Sigefrido filio Heinrici Comi-

Duellum.

Gero Comes decollatur.

Aleslevenſis parthenonis conditio.

Digitized by Google

mitis de Stathen, qui genuit ex ea Liutgerum Comitem, & Irmingardem & Bertam Abbatiſſas de Alesleve. Ipſa Comitiſſa Athela prædia contulit Magdaburgenſi eccleſiæ pro redemptione capitis patris ſui: inſuper duobus monaſteriis, ſcilicet in Alesleve & Herſevelden conſtitutis; dedit bona quæ ſunt Trebenezi. *Hæc tametſi ad Adalberti facta non omnino pertinent, viſum eſt referre ad rei monaſticæ illuſtrationem.* AN.CHR. 981 20. Junii.

18. *Denique anno* 981. Athelbertus Magdeburgenſis primus Archiepiſcopus, *ut in ſæpe laudato Chronico Magdeburgenſi legitur*, Imperatore Romæ commorante, 13. ſuæ ordinationis anno, ſuos docendo & confirmando, & Giſileri Præſulis *Merſeburgenſis*, quia tunc cum Cæſare fuit, diœceſim perluſtrans, 13. kal. Julii in Merſeburh Miſſam celebravit. Proximam vero noctem cum Hamezone venerabili laico in Crovvate lætus duxit: craſtinoque die exſurgens triſtis nimium, capitis queritur dolorem, & tamen non abibat. Cumque Cirmini villam ad Frekenleve pergere cupiens præteriſſet, ut cito a ſuis ſuſtentaretur, ex equo paullatim declinans, in terram cecidiſſet. Is vero tapeto ſuperpoſitus, completiſque omnibus quæ a clericis dicenda erant, fideliter migravit ad Chriſtum 12. kal. Julii. Hujus corpus ad Givikinſtein delatum, atque ſacerdotali apparatu veſtitum, navigio ad Magadaburh uſque deductum eſt, flebiliterque a confratribus, & maxime a Monachis ſuſceptum eſt. Commendatum vero eſt ab egregio ſanctæ Halberſtadenſis eccleſiæ Epiſcopo Hildevvardo, favente ſibi Hartvvico Abbate, in medio eccleſiæ, coram altari Apoſtolorum Philippi & Jacobi. Sepultura.

19. Quanta ſollicitudine idem Archiepiſcopus ſibi commiſſis invigilaverit gregibus, lector attende. Sæpenumero ad ovile ſancti Joannis Baptiſtæ ſanctique Mauricii noctis ſilentio venit, duobus tantum comitantibus, qualiterque confratres ad matutinas convenirent, vel qui in dormitorio remanerent, ex improviſo proſpexit: & ſi bene fiat, Deo gratias egit: ſin autem culpabiles, digna caſtigatione redarguit. Sollicitudo ejus & pietas.

20. Sed clerus & populus tanti Patris funere turbatus, Ochtricum confratrem, & tunc Imperatori fideliter ſervientem, communiter elegerunt in dominum & Archipræſulem: quamvis hoc nullo modo poſſe fieri, dum adhuc viveret, beneque valeret, multis ex eorum numero publice prædiceret. Cum enim Epiſcopus & Ochtricus numquam convenirent moribus, magna fratrum & hoſpitum caterva bene elaborata, quia Magiſter ſcholæ fuit, maluit inde exire, quam in monaſterio permanere. Huic Cæſar cum apud Archiepiſcopum licentiam ſibi ſerviendi vix impetraret, contigit in die ſanctæ reſurrectionis Epiſcopum ad Miſſam paratum, Subdiacono, ut moris eſt, ſanctam crucem tenente, ambabus eam complectens manibus, ut Ochtricus & Ico ſedem ſuam numquam poſſiderent, lacrymis profuſis poſtulat. Peracto autem divino pleniter miniſterio, cum idem ad menſam ſederet, præfatos numquam ſibi ſucceſſuros præſentibus cunctis innotuit, qualiter autem hoc ſibi revelatum fuerit, non aperuit. Poſt mortem quoque ſuam Vvalthardo ſibi dilecto, qui & Todico dicebatur, ut ipſe pro vero narravit, in ſomnis idem cuncta, quæ in hac re vivus prænuntiaverat, compleri talibus affirmavit. Hic in lecto poſitus in diceſſu mentis, vidit Archiepiſcopum in eccleſiæ auſtrali janua, quæ cimiterium reſpicit, ſtantem; & eumdem quaſi Romam cum baculo ſuo pergere cupientem, his exaſperavit verbis: Mi Todico, ut quid alii meum præbetis honorem? Qui reſpondens ait: Nonne in triſti meo habitu non voluntatem, ſed obedientiam ſolum, ſenior chariſſime, vales conſiderare? Ad hæc Archiepiſcopus proſequitur dicens: Pro certo ſcias, Ochtricum ſedem meam numquam poſſeſſurum. Univerſus autem clerus & populus, ut ſupra memoravi, completa electione miſerunt Ekkihardum, qui dicebatur Rufus, cum conſortio aliorum Fratrum & Militum, qui hanc Imperatori nuntiarent, & de promiſſis admonerent, qui cum Italiæ partes, ubi tunc Imperator erat, itinere attingerent, Giſileri Merſeburgenſis Epiſcopi ſuf- Ochtricum ſibi ſucceſſorem deſignari non patitur. Giſilerus ſuccedit.

fra-

AN.CHR. 981 20. Junii.

fragium, qui apud Imperatorem tunc plurimum valebat, implorantes, legationis ſuæ ſecretum ei aperiunt. Promiſſa eſt his ab eo fidelis interceſſio, completurque proxima ſibi in omnibus benivolentia. Namque ut audita Cæſaris auribus inſtillavit, pedibus ſupplex advolvitur, promiſſa & diu exſpectata longi laboris præmia poſtulans, Deo hoc conſentiente protinus impetrat. Egreſſus autem interrogatur a nuntiis, & maxime ab Ochtrico, qui ſe fidei ejus firmiter commendaverat, ſi quid in ſibi creditis proficeret: reſpondit quod vix in ſuis neceſſitatibus in hoc ſubveniret. Corruptis pecunia cunctis optimatibus, maximeque Romanis judicibus, quibus omnia venalia ſunt, qualiter ad Archiepiſcopatum aliqua ratione veniret, primum ſecreto revolvit: deindeque palam domni Papæ Benedicti ſeptimi, qui ſic vocabatur ex numero præcedentium æquivocorum, obnixe petit auxilium, quod cum totius conſilio ſenatus, ſi poſſet impendi, paratum ſe fore & hic promiſit. Poſitum eſt Romæ Concilium generale: ſapientiſſimi conveniunt: impleturque illa Jeremiæ prophetia, *Quomodo obſcuratum eſt aurum, &c.* Nam cum judices ab Apoſtolico interrogarentur, ſi liceret Giſilerum promoveri ad Archiepiſcopatum, qui certam non haberet tunc ſedem, ſed ab Epiſcopo Hildivvardo injuſte, ut ſemper queſtus ſit, ablata caruiſſet hactenus quam poſſederat: tunc auctoritate canonica jure meritoque hoc percipere verbis affirmabant & exemplis, Davidica tranſgredientes monita, *Recte judicate filii hominum*, & illud:

Corruptus judex neſcit diſcernere verum.

Piget atque pudet hoc verbis exponere, quod hi ad præſentem futurumque pudorem noluerunt omittere. Merſeburh, quæ uſque huc libera dominabatur, epiſcopali ſede deſtructa Halberſtadenſi eccleſiæ ſubditur, & Giſilerus ejus non paſtor, ſed mercenarius, ad majora ſemper tendens, deſiderata 4. Idus Aprilis percepit. (*Ditmarus, qui eadem iiſdem verbis in lib.3. commemorat, habet* Septembris.) Ochtricus vero Beneventum poſtea veniens infirmatur: viditque, uti Husvvardus, qui tunc aderat, poſtea retulit; Atelleken Præpoſitum quondam Magadaburgenſem, ſed tunc defunctum, ſibi aſſiſtere, atque annonam ſibi ſancti Mauricii eminus porrigentem. Et expaveſcens ad hanc viſionem, Cernis, inquit, Frater aliquid? Et exponens ei

Otrici obitus.

cuncta per ordinem dixit: Væ mihi miſero & peccatori, quod unquam monaſterium meum & obedientiam ob ambitionem dereliqui, & ſi Divinitas aliquam mihi ſanitatem concedere dignatur, ſupplex illuc veniam, & numquam inde recedam. Talia proſecutus, infirmitate validiori opprimitur, & poſt paucos dies in præfata civitate Nonis Octobris moritur ac ſepelitur, nullum ſapientia atque facundia relinquens ſibi ſimilem. Giſilerus autem accepta ab Imperatore licentia Magadaburh 2. kal. Decembris Theoderico Metenſis eccleſiæ Epiſcopo comitante venit. *De diviſione ab eo facta Epiſcopatus Merſeburgenſis ſuperius actum eſt. Porro Otricum fuiſſe monachum, ex jam dictis intelligitur, utpote quem in extremis relicti monaſterii & obedientiæ ob ambitionem prætermiſſæ pænituit.*

Adalberti ſanctitas.

21. *Redeo ad Adalbertum, quem* ſummæ ſanctitatis *virum appellat Adamus in cap.* 60. *ubi Magdeburgenſis Archiepiſcopatus fines accurate diſterminat.* Sanctum *Adalbertum vocat Crantzius in lib.* 4. *de Saxonia cap.* 28. *Illud maxime in noſtri Adalberti laudem cedit, quod alterum Adalbertum, futurum poſtea Pragenſem Epiſcopum inſtituit tum per ſe, tum per Otricum Scholaſticum Magdeburgenſem, de quo mox agebamus. Confer acta junioris Adalberti inferius edenda.*

Epponis monachi exitus.

22. *Hoc loco non prætermeam id, quod de Eppone monacho Magdeburgenſi in Chronico mſ. legitur ad annum* 1000. Fuit iiſdem temporibus in urbe Parthenopoli quidam Decanus, nomine Eppo hilaris homo, valde utilis in Monaſterio, & maxime in choro, qui cum jam ſenex & in cunctis actibus ſuis maturus eſſet, paralyſi ſubito percuſſus obmutuit: ſed poſtmodum auxilio ſummi Medici pſalmos optime potuit cum Fratribus canere;

nere; ad cetera vero parum valuit adſpirare . Et in hoc laudanda virtus Chriſti eſt, qua ſibi ſervienti fideliter vires ſuggerere probabatur. Cumque hic venerabilis pater in relicto habitu monaſtico ſe nimis peccaſſe facta confeſſione ingemuiſſet, idque hortatu Fratrum in receptione ejuſdem emendare voluiſſet ; non longe poſt obiit , ſepultus ad ſanctum Joannem cum ceteris Fratribus , cum quibus vivere debuerat , ſi ſic humana fragilitas fieri ſineret . *Ex his intelligitur , quoſdam ſancti Joannis Magdeburgenſes monachos non raro in cathedralem transferri ſolitos alicujus dignitatis gratia , vel etiam docendi: quos inter unus eſt etiam Otricus, de quo ſupra num.* 19. *Poſt ſuperiora Chronographus de Ekkihardo, cognomine Ruſo, qui* arte grammaticus , & Magiſter Scholæ , *Walthardo Præpoſito res ſuas diſtribuendas commiſit moribundus: tum de Huſvvardo, ac de Marquardo quodam Canonicis Magdeburgenſibus: ex quibus Marquardus in ſomnis admonitus dicitur , ſe in pœnas poſt mortem præcipitandum cum Rotbulfo, niſi is* in limine Liudegeri, *id eſt in monaſterio Helmeſtadienſi a ſancto Liudgero conſtructo* , converſus ſtaret'. Ambo enim hi fuerant Monachi in monaſterio Confeſſoris prædicti, qui locum Helmanſtide vocatum de ſua proprietate conſtruxerat tempore Karoli Regis: eratque frater Hildegrimi Catalaunenſis Epiſcopi, primi Halberſtadenſis eccleſiæ Rectoris: qui (Liudgerus primus Mimigardenſis Epiſcopus a Karolo effectus, locum quoque , qui Wirdina dicitur, ex propriis impenſis conſtruxit . Prædictus autem Presbyter eodem anno quo hoc vidit, habitum priſtinum reſumere & obedientiam vovit, & non longe poſt obiit. Hæc de confratribus meis, *inquit Chronographus*, non arguendo, ſed ut cauti ſimus, & bonos imitemur obſecrando , locutus ſum . *Et iſta quidem occaſione Adalberti Magdeburgenſis Archiepiſcopi primi, cujus obitum Baronius ad annum* 983. *id eſt biennio ſerius, uti & ejus ordinationem revocavit.* AN.CHR. 981 20 Junii.

DE S. SENORINA ABBATISSA BASTENSI IN PORTUGALLIA.

AN.CHR. 981 22. April.

1. *Inter fluvios Durium & Minium in Portugallia , diœceſi Bracarenſi , exſtat vicus quidam de Baſto dictus, ubi antiquitus monaſterium fuit , modo eccleſia parochialis, ſanctæ Senorinæ nuncupata . Iſtic ſæculo decimo vixit eadem Sancta , cujus vitam ex mſ. Legendario Conimbricenſi retulit Tamajus Salazar in Martyrologio Hiſpanico, & ex eo Godefridus Henſchenius in Aprilis tomo* 3. *Eadem acta præſtrinxit in ſuo tomo* 5. *Antonius Yepezius, & poſt illum Menardus noſter in Obſervationibus ad Martyrologium Benedictinum . Quæ habet Salazar , tanti non videntur, ut ea integra referamus . Res non ſatis probatas ſatius eſt compendio retuliſſe.* Baſti ſitus — Senorinæ Acta non authentica.

2. *Senorina illuſtri genere orta, patrem Adulfum Comitem, Taraſiam pari nobilitate matrem habuiſſe dicitur. Orbata matre, Godinæ materteræ, in cœnobio ſancti Joannis de Vieira Ordinis ſancti Benedicti Abbatiſſæ, educanda tradita eſt. In matrimonium a quodam Comite magnis votis quæſita, numquam acquieſcere voluit, ſponſum præferens Chriſtum. Proinde velo & habitu religioſo ſuſcepto, poſt mortem Godinæ Abbatiſſæ, in ejus locum ſucceſſit. Cœnobium ex loco Vieira Baſtum tranſtulit. Conſanguineum habuit Rudeſindum Epiſcopum Dumienſem, cui valde familiaris fuit, ut in Rudeſindi actis ſuperius vidimus. Multa mira patraſſe fertur. Aſſidua in lectione librorum ſacrorum, magnum inde fructum retulit. Cum aliquando Completorii officio intereſſet, audivit angelicas voces, quibus Rudeſindi exitum deſignari intellexit. Piam mortem obiit die* 22. *Aprilis, anno Chriſti* 982. *cum eſſet annorum octo & quinquaginta. Corpus juxta Gervaſii & Godinæ tumulum in eccleſia ſepultum, Pelagius Bracarenſis Antiſtes ante annum* 1130. *e terra extu-* Vitæ compendium.

Digitized by Google

AN.CHR. 982 22. April. *extulit in ſubliomiorem loculum, hoc illi inſcribens epitaphium, ſi Tamajo credimus.*

Hic Senorina jacet, Chriſti ſponſa, & fide plena,
Quæ innumeros vivens tunc reſpiravit odores,
Et moriens plurimos quoque nunc per ſæcula ſpirat.
Hæc fuit illuſtri, ut memorant, de ſanguine creta:
Sed magis illuſtris dicta eſt pro ſtamine vitæ.
Illius agnoſcens Pelagius agmina Præſul
Virtutum, poſuit vovens in tabulis almam:
Qui inſcripſit quoque lapidis hoc in tegmine metrum.

Miraculum in Regem. 3. *Inter alia miracula, illud ab omnibus celebre reputatur, quod Sanctius, primus hujus nominis Luſitaniæ Rex, qui ab anno* 1185. *ad* 1212. *regnavit, pro ſalute Alfonſi filii ſui primogeniti obtinuit. Cum enim extremo vitæ periculo defungeretur, Sanctius pater facto ad Virginis tumulum novendiali voto, ſalutem filio impetravit: in cujus rei monumentum plurima cœnobio beneficia præſtitit, dato diplomate, quod Henſchenius refert in hæc verba.*

Sanctii privilegium. IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti. Ego Rex D. Sanctius, memor humanæ conditionis & mortalium caſus, peragratis quibuſdam partibus regni mei cauſa orationis, veni ad locum, ubi corpus beatiſſimæ virginis Senorinæ requieſcit: in quo preces noſtras, prout decet, Domino Deo fundens, ipſam virginem gemitibus & ſuſpiriis pulſavi, quatenus ipſa a Domino Deo ſuo precibus ſuis, ſalutem filio meo D. Alfonſo Regi impetraret. Qua dicta promiſi me erecturum munitionis lapides, quos Cautum vocant, in circuitu loci ſanctiſſimæ Virginis, ſi petita ſalus orationem ſecuta foret. Imminebat enim periculum mortis; ſed orationibus glorioſæ Virginis expulſum eſt. Igitur conſiderato termino loci per gyrum, pedibus meis ipſa loca perambulavi, & ut competere vidi, petras erigere juſſi per manus D. Gonſalvi Menendi, qui tum temporis Princeps erat. Primus lapis erectus eſt, ubi intrat in Baſto rivulus ille de Moſes.

Alia privilegia. 4. *Rodericus de Cunha Bracarenſis Archiepiſcopus, poſtquam in tomo* 1. *Hiſtoriæ Bracarenſis cap.* 116. *totam S. Senorinæ vitam cum præmiſſo diplomate retulit, addit, Alfonſum Sanctii filium, accepti beneficii memorem privilegium conceſſiſſe æra* 1258. *quo dictam eccleſiam ab omni ſervitio exemptam recipit in clientelam ſuam. Hujus vero filium Alfonſum III. duo alia ſcripſiſſe eidem eccleſiæ privilegia. Denique Petrum Portugalliæ & Algarbiæ Regem, æra* 1398. *ad honorem Dei ac Matris ejus, necnon ſanctæ Senorinæ tradidiſſe jus patronatus in eccleſiam ſanctæ Mariæ de Saltu diœceſis Bragenſis, ea conditione, ut Abbas pro tempore teneatur ſemper alere Capellanum, qui quotidie Miſſam dicat ad altare, quod in eadem eccleſia de Baſto exſtruxit Agnes de Caſtro, iſtic ubi eſt corpus S. Gervaſii: & ut continuo tres ardeant lampades in eadem eccleſia, una ante Crucifixum, altera ante loculum S. Senorinæ, tertia ante ſepulchrum S. Gervaſii. Tamajus Sanctos Gervaſium & Godinam commemorat die* 1. *Octobris, ſecutus Martyrologium Luſitanicum P. Joannis Lupi. Porro S. Gervaſium ait vulgo cenſeri fratrem S. Senorinæ. Sed homini levioris auctoritatis non ſatis tuta fides.*

Digitized by Google

VITA S. FORANNANI EPISCOPI ET ABBATIS WALCIODORENSIS.

Auctore ROBERTO monacho ſæculi 12.

Ex Aprili Bollandiano.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Vitæ ſcriptores.

1. *Primus S.* FORANNANI *geſta in litteras retulit Anonymus quidam, de quo mentio eſt in ſequentis Vitæ num. 6. auctore* ROBERTO *monacho Vvalciodorenſi, qui eadem acta ſæculo 12. amplificavit. Idem præſtitit Chronographus Vvalciodorenſis, alius a Roberto Abbate, qui ad annum 1174. ſuperſtes fuit: cum Chronici primus ſcriptor in Godeſcalcho Abbate, hoc eſt in anno 1080. deſierit. Robertus monachus vitæ ſcriptor idem mihi eſſe videtur, qui poſtea Abbas fuit Vvalciodorenſis. Quippe ſcriptionem ſuam cenſuræ ſubjicit Vviboldi Stabulenſis* Abbatis, cujus regimen apud Fiſenum ab anno 1130. ad 1158. prorogatur. Roberti epiſtolam cum Vviboldi reſponſo, quoniam ad Forannani acta illuſtranda conducunt, huc referre juvat in fine harum obſervationum.*

* *de Stavelo*

Vvalciodori origo & primi Abbates.

2. *Chronographus Vvalciodorenſis ſui monaſterii originem fuſe deſcribit in ſuo Chronico, quod Acherius noſter typis vulgavit in Spicilegii ſui tomo 7. ubi S. Forannani Vita paullo diverſa ab editione Papebrochii in ſuo Aprili. Diſſentit Chronographus ille in nonnullis a Roberto. Ejus fragmenta poſt Vitam ſequentem adducemus. Vvalciodorenſis monaſterii originem ad annum 944. Chronographus refert: ſed in eo videtur erraſſe, quod primum loci Abbatem ſtatuat Forannanum. Conſtat ſiquidem ex Actis ſancti Cadroæ ſuperius ex auctore æquali allatis, Maccalanum ſub annum 946. Vvalciodoro præfectum; atque eidem ſuperſtiti ſanctum Codroen ſuffectum fuiſſe: donec ipſe poſtea eligendi Abbatis facultatem Vvalciodorenſibus reſignavit.*

S. Forannani cultus & reliquiæ.

3. *Forannanus priſco apud Vvalciodorenſes cultu honoratus eſt, ſed aliquando ex quorumdam religione intermiſſo. Eum in Martyrologiis laudant recentiores Andreas Sauſſaius, Hugo Menardus, ac præ aliis Molanus qui in Natalibus ſanctorum Belgii hæc in ſumma tradit, nempe ſanctum Forannanum anno 982. mortuum,* in læva baſilicæ Vvalciodorenſis *ſepultum fuiſſe*: cujus natalis cum officio canonico, *inquit*, celebris fuit *uſque ad annum 1526. Tunc autem Reformatores Bursfeldenſes eum ex albo Sanctorum expunxiſſe*, quod non exſtaret relatio ejus per eccleſiam Romanam in numerum Sanctorum: *quæ ratio quibuſdam Vvalciodorenſibus cum diſplicuiſſet*, eo quod multi ſancti celebrentur qui non ſint in curia Romana canonizati, *ſancti Forannani cultum reſtituendum cenſuerunt. Sacrum ejus corpus, addit idem auctor, excepto brachio, (Gazetus in hiſtoria Belgii caput dicit) quod in ſacrario aſſervatur, in tumulo compoſitum terræ ſinus fovet, exſtructo deſuper monumento, cum ſancti titulo & invocatione. In eodem ſacrario aſſervatur etiam integra ipſius ſtola, quæ a rabioſis canibus morſos curat. Nunc Roberti monachi epiſtola ad Vviboldum Abbatem cum hujus reſponſo, deinde Vita ipſa exhibenda eſt.*

Roberti epiſtola de vita Forannani.

INclyto, totiuſque prudentiæ fulgore inſigni domino VIBOLDO Abbatum egregio, frater ROBERTUS ſuorum utinam clientum ultimus, quicquid præceptori ſubditus. Non, o rector inclyte, veſtræ auctoritatis indignetur magnificentia, quod in conſpectu veſtræ dignitatis, noſtræ audeamus manifeſtare ſchedulas exiguitatis. Verum nec temeritatis ſupercilio id factum exiſtimet veſtræ pietatis eſſe dignatio. Non ergo hoc in opere luculentæ verboſitatis inveſtigare ornatum, atque animadvertere ab imperito velitis qualiter enucleatum. Ut igitur hoc examinationis roboretur judicio, de veſtræ magnificentia confidens pietatis, veſtris obtutibus repræſento, quo vigeat in aliquo veſtri, ſi diſplicet, arbitrii correptio, veſtræque, ſi placet, roboretur adminiculationis decreto.

Vviboldi reſpon[ſum].

FRater Vviboldus Dei gratia Stabulenſis Eccleſiæ ſervus, domino THEODERICO venerabili Valciodorenſis eccleſiæ Abbati, & reverendo Fratrum conventui, divinis ſemper invigilare ſtudiis & provehi muneribus. Gratias agimus, dilectiſſimi, conditoris omnium inæſtimabili gratiæ, qui univerſalis Eccleſię ſuæ pulchritudinem certis temporibus miro ordine magnis auctoribus ipſe novus ſemper & perfectus artifex condecorare non deſinit: ut unaquæque per obem eccleſia quæ maris undas interdum patitur, littoris tamen firmitate aliquando gaudeat, diſcipulis in navicula Chriſtum dormientem excitantibus, & Chriſto fluctibus imperante. Chriſtum* utique, fratres, & vos Apoſtolico exemplo in veſtra navicula excitatis*, dum veſtris, quibus eccleſia veſtra regitur patronis, honorem & devotionem exhibetis, dum ea quæ in eis ipſe operatur miracula, ad multorum notitiam & ædificationem perducere deſideratis. Scripſiſtis nobis per fratrem noſtrum & filium veſtrum ROBERTUM vitam & miracula beati Pontificis & Abbatis Forannani, ipſius non parvipendendo ſtudio compoſita, ea, ut ipſe nobis retulit, intentione,

* *al.* Chriſtus.
* *al.* excitavit.

tione,

AN.CHR. 992 30. April. * al. nimis.

tione, ut ſi qua minus * viderentur compoſita vel ſuperflua, noſtra parvitas elimaret aut detraheret, & totum corpuſculum operis noſtra cooperatio roboraret, quod operi ſi neceſſarium inſpicerem fore, quæ injunxit & vos injungitis, aggredi non recuſarem plane. Sed quia per omnia probatur laudabile, [ipſum vobis intactum remittimus] de cetero præceptis veſtris cupio obtemperare, (*adeſſe ſcilicet corporis ſancti Forannani, quam Vvalciodorenſes præmeditabantur, elevationi, ut ex ſequentibus patet*) ſi labores noſtri pro Eccleſia, ſi regni quibus obligamur negotia proſperos habeant exitus, & nobis aliquod, ſepoſitis curis, aliquando indulgeant otium. Vos interim eo quo cœpiſtis ſtudio beati Confeſſoris miracula amplectimini, & memoriæ tradere curate: quia ſi veſtra perſeveret devotio, ſi ſtudium non laſſeſcat, ſi religio accreſcat; glorificationem ſacri corporis videre corporeis merebuntur oculis, quibus tantum manifeſta datum eſt videre miracula, cujus temporis felicitati noſtra utinam intereſſe mereatur præſentia, noſtra ſubſervire parvitas, ut ſacrorum cinerum glorificatio ſit noſtræ fidei de ſpe reſurrectioni confirmatio, ſit in præſenti tempore de tribulationibus noſtris conſolatio, de exilio ad patriam, de morte ad vitam translatio.

PROLOGUS AUCTORIS.

1. QUoniam in culmine candelabri, ne videatur obſuſcari ſub latebra modii, erigenda eſt lucerna Chriſti; virtutes venerabilis viri Forannani, haud compoſito quamquam ſermone, decerpere diſpoſui. Sed quoniam imbutamento artis philoſophiæ minus fulti, verbis has enucleare nequimus venuſtis; more puerorum magis maluimus balbutire, quam notitiam miraculorum ſancti viri ſub obſcuritatis velamento occultare. Attamen hoc enucleandum opus, qua intentione arripui, quantumvis clareat cunctis, manifeſte pandere decrevi. Eſt itaque in noſtræ habitationis cœnobio quidam exſiſtens in provectæ etatis ſenio, qui antiquæ rememorationis intellectu, antiquarum rerum monimenta in ſuo prudenti pectuſculo prudenter locaverat. Ab hoc ergo antiquitatis relatore ſumpta materia; antequam morte præventa laberetur humanitatis fragilitas, & tanta Patroni noſtri miraculorum coruſcatio, omnia ſtudui comprehendere brevitatis ſub articulo. Interea eſt alius noſtræ narrationis intentus. Reſidentibus in ſolita conciliabula noſtris majoribus, factaque mentione de noſtri Patroni virtutibus, ſacer valde conqueſtus eſt conventus, quod maximo pollentes ingenio, atque ſub hujus vitam ducentes ſuffragio, has peritiſſimi viri in obſcuritatis reliquere latibulo. Qua propter hujus conventus animatus monitione, has editas ſchedulas cupio commendare, quatenus in futuro legentibus, hæ poſteris clarerent ſuccedentibus. Sed quoniam abſque divinæ gratiæ adminiculo hoc in opere efficax exſiſtere non valeo, almi Spiritus flatum flagito, quatenus ipſius afflatus ſpiraculo, veritatem cum conſono queam intimare verbo.

auctor ab aliis accepta narrat.

VITA INCIPIT.

2. GLorioſus igitur Domini Sacerdos Forannanus, nobili ex Scotienſium *a* proſapia ortus, primos arcendo laſciviæ impetus, decrevit poſtponere mundum propriis cum actibus; ſuamque inſignibus nobilitatem exornans virtutibus, ſeipſum Deo dignum devotus præparare ſtuduit ſacrificium, ipſius adminiculatione fultus. Intra denique pueriles annos poſitus ſub ſcholaſticæ eruditionis norma literis imbuendus, a magnifici parentibus honorifice eſt traditus: in qua divina clementia præeunte, quæ ſibi eum vas electionis futurum præviderat fore, omnium diſciplinarum arte repletus eſt, brevitatis ſub tempore. Qualibus ſi quidem incrementis, divinis meditationibus inhærendo, factus juvenis gratiſſimam juventutem augmentaverit; qualiterve procellas turbulenti maris, id eſt, mundanas tribulationes, divina fretus ſuffragatione, calcaverit; qualiterque miſerorum ſpes, orphanorum pater, pauperum recreator, viduarum, lugentium, omniumque pie

Forannani genus, & patria. ſtudia.

a Hiberno-Scottos intelligit auctos, qui Scottorum nomen apud veteres ſaltem ad ſæculum uſque decimum retinuerunt.

Digitized by Google

pie viventium pius conſolator exſtiterit; finis ejus conſummationis evidenter monſtravit, quia ſicut per quemdam ſapientem dicitur. AN.CHR 982 30. April.

Præmia juſtorum pendent in fine laborum.

Et propheta David intonat dicens: *Omnis conſummationis vidi finem.* Vidit quippe omnis conſummationis finem Chriſti clariſſimus Confeſſor Forannanus, qui diligendo Deum ſuum ſtuduit diligere proximum: quatenus vero latum videretur ſervare mandatum, ſincero corde totaque mentis intentione propter Deum, necnon amplectendo, ſuum ſtuduit diligere inimicum. Pſalm.118. 96.

3. Quapropter retributor omnium bonorum, qui ſecundum uniuscujuſque meritum pro talenti reportato lucro unumquemque remunerat largiendo præmium, venerabilem Antiſtitem noſtrum dignis muneribus eſſe volens honoratum, diſpenſatorem ſuæ domus conſtituit idoneum: quatenus a tritico ventilata palea, id eſt, a vitiorum ſpurcitia proximorum cordibus purgatis, menſuram tritici, ſacrarum ſcilicet pabula doctrinarum erogaret. Quid multa? exigente igitur nobilitatis magnificentia maximæque puritatis innocentia, a populorum electus caterva, in civitate, quæ eorum barbarica ſermocinatione *Domnachmor* *a* nuncupatur, quæ eſt metropolis totius Hiberniæ, in baſilica Genitricis Dei, quam propriis ex redditibus poſſeſſionibuſque fundaverat *b*, ſublimiter in pontificali *c* collocatur cathedra: quatenus qui ſine pondere regiminis prius in humilitatis rectitudine vigebat, multis poſtmodum cum magiſterio ſacræ eruditionis fieret & norma. At ubi ad honoris pervenit faſtigia, ſui prolongationem incolatus indefinenter deflebat, iſtius pſalmi verſiculum commemorans, heu mihi! quam valde prolongata eſt peregrinatio mea. fit Epiſcopus. Eccleſiam inſtaurat.

4. Cumque diutina cogitatione talia ſuo volveret in pectore, antiquorumque Patrum cuperet ſequi veſtigia, longe faciendo ſeipſum a cogitatione ſua; admonitus eſt cælitus viſione divina, quatenus culmen relinquens honoris, ad locum pergeret Speciosæ-vallis *d*, quo in venerationem Genitricis Dei baſilica fundata eſt, cœtus Apoſtolici, ſuper ripam unius fluminis, quod Moſa nuncupatur ſermone vulgari. Hac itaque cæleſtis viſionis percepta admonitione, infimæque ambitionis poſito honore, mandatum ſacratiſſimæ juſſionis cupiens explere, venerabiles duodenos comites elegit: quatenus cum his veniens ad locum præfatæ habitationis, armipotens veluti miles ſummi Imperatoris, hoſte cum inviſibili, viſibilique decertans bella præliaretur Domini. Igitur linquentes propriam, quærere cæleſtem cœperunt patriam, atque angelico freti ducamine ad marina pervenere littora: quo reſpicientes circum circa, nautica minime reperere ſuffragia. Sed qui ſub Moſaica deductione Iſraelis populo rubri maris arenam ſiccavit, quo ſicco veſtigio, altivada pelagi mirabili ductus itinere populus tranſmearet, quique ſub Petri veſtigiis liquidum calcabile præbuit elementum, ipſe huic noſtro venerabili Patrono, ad ſuorum oſtenſionem meritorum, ſuis cum comitibus ſimile iter, quo ad portum quietæ ſalutis valeret pertingere, ſua præbuit mira diſpenſatione. Walciodorum venit. Mari tranſmiſſo ſine navi.

5. Ecce enim quatuor ligna crucis in modum pariter compacta, ante eorum intuitum repente apparuerunt: ſuper quæ convocata Dei virtute, almæ crucis vexillo ſe munientes, aſſcenderunt hoc ordine. Diviſis itaque comitibus, atque in quatuor ſtabilitis partibus (ternarius enim quatuor ductus duodenarium efficit numerum) ſuper quatuor partes crucis aſſcendere eos juſſit; ipſeque crucis in medio poſitus, hilari mente claraque voce decantans, aje-

a Notat hic Bollandus in ſuo mſ. exemplari male ſcriptum fuiſſe *Domino cinor* pro *Domnachmor*, quæ vox non urbem Scotiæ metropolim, quæ Ardmacha eſt, ſed templum ſeu majorem eccleſiam ſignificat *Domnach* enim Hibernis eccleſiam, *Mor* majorem ſonat.

b Eccleſiæ Cathedralis Ardmachanæ inſtauratorem ac quaſi fundatorem eſſe potuiſſe Forannanum hinc probat Colganus, quod ipſamet civitas a Normannis ſæpius ſæculo decimo capta, ac ſignanter anno 914. igne cremata ſit.

c Cujus Eccleſiæ Epiſcopus fuerit Forannanus, non auſim definire. Fatetur ſiquidem Colganus apud Bollandum in mſ. Ardmachanorum pontificum catalogo a quingentis fere annis exarato Forannani nomen non exſtare.

d Id eſt Walciodori, quod nomen ex Valle-decora ſeu ſpecioſa etiam deducit auctor Chronici Valciodorenſis, de quo ſupra.

AN.CHR. 982. 30. April. Pſalm. 76. 20.

ajebat : *In mari via tua, & ſemitæ tuæ in aquis multis*. Igitur cum tali navigio atque admirabili venerandæ crucis vexillo, ducens per avia, hos protexit digne Dei munita tuitio: quoniam, quo crucis ejus bajulatores viderentur, ſe ipſos abnegarunt, atque propriam linquentes voluntatem, ſub alterius magiſterii imperio curſum ſui certaminis peragere decreverunt. Tandem linquere marinos, carpereque calles cœperunt terrenos : atque ſectantes quo eos traxerat almus Spiritus paraclitus, quo antecedens ibat, pariter ambulabant. Cum vero haud procul a præfatæ habitationis forent loco, ejuſdem ſtructori, inclyto nobiliſſimoque Comiti obviaverunt Eilberto *a* : a quo, quo greſſum figere vellent requiſiti, velle ſe reſponderunt adire locum Specioſæ vallis, ſuper ripam ſitum Moſæ fluminis. Et ille reſpondens, Feliciter, inquit, nunc interim greſſus veſtros poſt me dirigere ſectando ſatagite : vos enim ego deducens, præfati loci veſtris obtutibus manifeſtabo manſionem. Cumque in ſuæ peregrinationis fatigatione, de tanta nobilitatis magnificentia tam benignum conſolationis ſuſcepiſſent reſponſum ; cum cordis affectu ad cælum direxerunt corporis intuitum, atque Dei laudantes magnalia, ad diu concupita una pervenere habitacula.

Ab Eilberto Comite ſuſceptus.

6. Quo autem in monaſticæ eruditionis inſtituerentur propoſito, ducti ſunt Romam a Comite ſupradicto: ubi cum præſularis honoris dignitate nomen ſuſcipiens Abbatis prædictus Chriſti Confeſſor, tale mandatum a domino Benedicto *b* (qui in totius mundi gubernatione, a cæleſtis regni Clavigero acceptam ſpei anchoram in agnitione hujus nominis fixerat ſeptimus) ſuſcepit, quatenus remeando ad propria, ad monaſterium diverteret, quod nuncupatur Gorzia *c*; atque ibidem cum ſuis in divinis inſtitueretur mandatis. Etenim ſub norma monaſticæ religionis colla decreverant ſubigere: obtemperatoreſque apoſtolicæ inſtitutionis geſtientes exiſtere, ad monaſterium ſuperius nominatum una pervenere. Quo breviſſimo in tempore divinis in inſtitutionibus pleniter roborati, quod diu concupierant ſunt adepti : quoniam ſicut ſacra beati Gregorii teſtatur ſententia, nulla ad diſcendum mora eſt, ubi Spiritus-ſanctus Doctor adeſt. His itaque tractatis, maxima cum petitione Comes antedictus erga Laudunenſem Antiſtitem obtinuit, quatenus memorabile pignus venerabilis Chriſti Confeſſoris Eloquii daretur ſibi: quod ut mœnia prædictæ habitationis penetravit, recenſita memoria Dominicæ Paſſionis a beato Forannano plurimarum ſanitatum virtutes ſunt operatæ, quæ quoniam in ejuſdem geſtis *d* plenius ſunt enucleatæ, pro nimia prolixitate diſtuli memorare.

Romam cum eo petit.

ubi Abbas a ſummo pontifice creatur.

Gorziæ fit monachus.

S. Eloquii reliquiis donatur.

7. Quid igitur aliud iſta, dilectiſſimi, ſignabant, niſi quod ſuper rutilos lapides inſignes gemmæ e mundi partibus adventantes, intra unius domus Dei ſpatia claro virtutum jubare emicabant? Ut autem de pluribus pauca referam, inter alias ſpiritualis gratiæ dotes, hæc in eo ſanitatis virtus eminebat, quod morſu ſi quis rabidi canis lupive fuiſſet attrectatus, locoque in cicatricis fimbria ſtolæ ſuæve manipulæ fuiſſet locata, mox recuperata ſanitate cum gaudio remearet. O mira diſpenſatio Dei! Qui etiam quondam per fimbriam veſtimenti ſui in muliere fluxum reſtrinxit ſanguinis, ipſe nunc ſimili modo in laudem ſui Confeſſoris, per fimbriam infirmantibus opitulationem contulit ſanitatis. Quid plura? nullus denique a calamitate preſſus infirmitatis ægrotus ad eum venit, qui non poſt ſuſceptæ benedictionis ſuffragium ſacratiſſimique olei liquoris contactum remearet cum gaudio, ſuſcepto ſanitatis con-

Miraculis claret.

---

a Fuit hic frater natu major Heriberti Viromanduorum Comitis, ac in turbando regni ſtatu ſocius & adjutor primum, mox anteactæ vitæ pænitentia ductus ſeptem monaſteriorum conditor. Conſule fragmentum Chronici Vvalciodorenſis, quod infra exhibemus.

b Cum unicum Forannani Romanum iter referatur tum in hac vita, tum in actis ſequentibus; prope fidem eſt illud a Forannano ante monachatum non fuiſſe ſuſceptum, ſed aliquanto poſt adeptam Vvalciodori adminiſtrationem, ut deſcribit Chronographus Valciodorenſis Benedictus VII. ſedere cœpit, anno 975 Papebrochius hæc referre mavult ad Joannem XIII qui Pontifex fuit ab anno 965. ad 972.

c De Gorzienſi monaſterio actum eſt ſupra in actis S. Joannis Abbatis Gorzienſis ad annum 973. de ſancto Eloquio in Sæculo 2. ad annum 985.

d De iiſdem antiquis actis mentionem facit Chronographus in fine fragmentorum infra.

conſilio. Hæc & his ſimilia virtus Divinitatis in eo manifeſtavit opera; quæ quoniam ſcriptoris articulo non ſunt exarata, nobis ſunt incognita Deoque nota. AN. CHR. 982

8. Quia vero felici cucurrerat greſſu, fidemque eccleſiaſticæ inſtitutionis ſervaverat indefeſſus, contraque ſpiritualis nequitiæ arma fortis exſtiterat in ſui certaminis curſu, utpote pro bonæ diſpenſationis miniſterio a paſtorum Paſtore vocem clementiſſimæ manſuetudinis auditurus *a*, *Euge ſerve bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſupra multa conſtituam, intra in gaudium Domini Dei tui;* de ſuæ remunerationis ſpe ſecurus exſtitit. Igitur humanæ poſito corruptionis pondere, in nongenteſima octogeſima ſecunda ab Domini Incarnatione annualis circuli revolutione, pridie Kalendarum Majarum, ſub Ottonis Romani principis tempore, de corruptione ad incorruptionem, atque de via ad vitam promeruit tranſire, cui temporanea mors vita, atque ad cælorum palatia præſentis exitus extitit via.

30 April. Moritur anno 982.

* n. ſecundi

9. Ut autem ejus corporis detumulatio ſacra, ſeorſum in læva monaſterii fuit facta, e contubernio Fratrum nonnulli crebro adiere ejuſdem almiflui ſepulchrum, ſuorum flagitantes ſuffragia ſcelerum. Quo loco dum plurimæ ſanitatum opitulationes ab eiſdem fieri viderentur frequenter, communi tractato conſilio, capitales eccleſiæ decrevere, pro honoris reverentia, ſanctiſſimi corporis glebam loco excelſiori transferre. Dum vero hoc in opere efficaces exſiſterent, tumbam ſarcophagi in ſanctuarii ingreſſu ſtatuentes, vaſe incompoſito, lympham de torrente in ſtructione tumuli incaute detulere: atque in ipſo memorabile ſanctiſſimi corpus repoſuere. Tandem ſe quietionis ſomno dum nocte quadam pro corporis vexatione dediſſent, illam tranſlationem ſumma fore factam cum diligentia exiſtimantes, atque quid accciderit ignorantes, uni e fratribus qui ſtabilitus erat in ſollicitudine erga eccleſiaſtica, venerabilis Confeſſor Forannanus apparuit; illique monens imperavit, ut quoniam illo luculento in tumulo in quietionis pace, præ fœtoris injuria, jacere nequibat; Fratribus imperaret, quo ſui transferrent corporis aliorſum reliquias. Ille vero primæ viſionis revelationem occuluit, atque hanc manifeſtare negligens uſque in tertia viſione conticuit. In tertiæ igitur noctis tempore, cum maximæ comminationis furore memorato fratri ſe iterum dignatus eſt manifeſtare, atque prædixit, quod niſi fratribus ſui referret monita præcepti, in graviſſimæ incideret judicium ultionis.

Corpus ejus in Sanctuarium transfertur.

10. Ut igitur poli caligo coruſcante ſolis jubare evacuata eſt, memoratus frater fratres advocat, ac quidquid perſpicaci intuitu animadverterit intimando revelat. Illi itaque cauſam negligentiæ illius relatu perpendentes, aliud cum ſummæ ſollicitudinis diligentia, devotioniſque honorificentia ſepulchrum, juxta altare beati Nicolai, ædificavere, illumque e loco illo ejicientes, in nitidoque involventes linteamine, ad illud tranſtulere. Accidit præterea, quatenus quædam matrona nobilis a gravi dæmonis infeſtatione vexata, a ſuis clientulis in ſui adduceretur præſentia tumuli, ſuique pro ſua domina rogarent affore divinitus ſibi ſanitatis ſuffragia. Dum in hac igitur jugi permanerent ſupplicatione, ſe divina miſeratio dignata eſt manifeſtare. Nam binos luculentos vermiculos in ſui purgatione naſi emittens, priſtinæ ſanitati eſt reſtituta: atque cum ſanitatis remedio ſuiſque cum ſervulis ad propria ſalubriter eſt regreſſa. Miracula.

11. Aliud divinæ miſerationis miraculum, non ſub tetra latibuli nigredine occulendum, immo quemadmodum ab ipſo venerabili Forannano eſt manifeſtatum, omnibus cenſuimus fore declarandum, quatenus in ſuis virtutibus enarretur mirabilis Deus. Erat enim quædam mulier in pago Famenenſi *b* quam ullo ſine remedio per ſeptena tempora circumvallaverat graviſſimi ergaſtuli ægritudo: cui almifluus Forannanus apparuit jubens, quatenus pro ſui munere voti cordam unam, manibus allatam propriis, ſuper ſui poneret tum-

a Id eſt homines cenſuales eccleſiæ ſeu monaſterii Walciodorenſis.
b In Arduenna ſilva ſitus eſt hic pagus, cujus caput *Marchia*, vulgo *Marche en Famenne* nominatur, inquit Bollandus: quod etiam nomen Cæſari cognitum putat libro 2. de bello Gallico, ubi Condruſos, Eburones, Cæræſeos, Fæmmannoſque (male in editis Pæmanos) inter Belgicæ populos numerat.

Digitized by Google

AN.CHR. 982 30. April. tumbam ſepulchri. Cumque illa timoris perturbatione abjecta, ab illo ſuæ locum quietionis inveſtigando requireret diligentiſſime, talia ab eo promeruit ſigna recipere. Veniens, inquit, in villa quæ Vallis nuncupatur decora, in dexteraque monaſterii parte portam ingreſſa, recto itinere proprios ante obtuitus gradere, ſurſumque reſpiciens, juxta unam aram mei inveniens ſepulchri mentionem. Illa igitur ſacratiſſimæ revelationis juſſionem adimplere concupiſcens, votum ſuum mature explicito opere complevit; ſineque adminiculo alicujus ducaminis ad locum uſque pervenit. Cumque ante fores templi ejuſdem officiales reperiens, valvas eccleſiæ tacite penetraret, juxta præceptum Antiſtitis recto tramite ſuos greſſus direxit; atque ſecundum ſigna quæ acceperat, Sancti ſepulchrum reperit. Quæ dum pro optatæ ſalutis beneficio vota ſua repræſentans, ab oratione ſurrexiſſet; ſanitatis ſalutem ſuſcepit: & monaſterii manibus egrediens, revelationem miraculi omnibus evidenter manifeſtavit. His itaque geſtis, Salus humanæ ſalutis aliud glorificandum ad ſui nomen Confeſſoris mirabile miraculum addidit, quo ſolis jubar quemadmodum mundum rutilans irradiat, ſic hæc inſignis gemma, diverſis polita ſignorum coruſcationibus, partes mundi illuminaret diverſis virtutibus.

12. Fuit igitur in pago Lomaco, *a* in villa quæ Calvus-mons nuncupatur, ſub ſenioris præfatæ habitationis conſtitutione, ejuſdem exercens negotia terræ, quidam bubulcus, Warnerus nomine, qui a gravi dæmoniacæ legionis infeſtatione vexatus, in grave inciderat periculum infirmitatis. Hunc cum illius inquietudinem pro perverſæ atrocitatis crudelitate circummanentes nequirent ferre (graviter enim laniabat quos poterat attingere) diverſis vinculis ligavere, immenſoque oneratum ferri pondere ad ſancti tumulum adduxere. Dum vero divinæ miſerationis præſtolantes ſuffragium, ſuæ eccleſiæ cuſtodes ante Sancti jacerent tumulum, unius Chriſti Confeſſoris dies natalitius accidit; in quo dum debitæ ſervitutis ſolitum redderent fratres penſum, finita recitatione duodecimæ lectionis, iſtius modulatio reſponſi, *Magnificavit eum in conſpectu regum*, a rectore incœpta eſt chori. Dum autem ejuſdem finis advenit, inchoationem verſus ſubſequentis, mirabilem edens vocem dæmoniacus, arripuit; & quaſi in iſtius modulatione jugiter fuiſſet eruditus, cum cantore finem fecit cantus. Mira res! ille qui in articulatæ vocis cantu vexationem boum relevare conſueverat, vocis articulatæ modulationem quaſi pleniter inſtructus reſonabat. Quid igitur? Venit dies: in qua dum celebratio majoris Miſſæ ſolenniter ageretur, ſuper Sancti tumbam caput ſuum reclinans dæmoniacus obdormivit: atque poſt finem ejuſdem ſanus effectus ſurrexit, & qui cum aliorum robore fuerat adductus, receſſit liber a vinculis abſolutus.

13. Talibus ergo fulta ſuffragiis concio noſtris cœtus, cum plebe devota magnificet Deum, quod infirmitatis noſtræ patronum præclarum, edidit quem Scotia, magnificum Forannanum, humilitatis cum reſpectu Gallia devotiſſime ſuſcepit. Lætetur necnon Chriſti ſponſa Walciodorenſis eccleſia, quæ talem amicum Sponſi, a finibus terræ venientem audire ſapientiam Salomonis, intra ſui retinuit muros templi, &c.

14. Accidit interea quatenus ex exiguo viculo, qui noſtro proximus adjacet cœnobio, Porinaque * nuncupatur in vocabulo, quidam languidus, nomine Berengarius, preſſus diverſis infirmitatibus, dum ſuper alias a caduco graviter fatigaretur morbo, ante Sancti advenit ſepulchrum, ſperans illic affore ſibi divinitatis præſidium, matureve ſui doloris terminum fore ponendum: quod ita contigit. Cumque ſanctiſſimæ præſens adeſſet tumbæ, ad Sancti converſus patrocinium, taliter cœpit orare. Te obſecro, inquiens, Chriſti Confeſſor Forannane, quatenus ex hac præſenti ſi nequeo liberari infirmitate, proprio veſtigio ex hujus eccleſiæ nullomodo queam introitu exire. Cumque terminum feciſſet orationis, capite poſito cum ipſa ſpiritum exalavit.

* Poren.

15. Quid

---

a De pago Lomacenſi, *Lomage*, in Brabantia, actum eſt in actis ſancti Gerardi ſupra pag. 249. Calvus-mons, *Chaumont*, ſitus eſt Florinas inter ac Philippi-Villam.

Digitized by Google

15. Quid ergo! numquid, ut ait Apoſtolus, iniquitas eſt apud Deum, qui per ſuæ virtutem potentiæ cum præſenti vita iſti ſanitatem non reſtituit? Abſit. Verum quoniam occulta ſunt ejus judicia; iſtius deſinentes trutinare mortem, divino illius examinandam relinquamus judicio, &c. Quapropter ad divinæ virtutis enucleandas operationes, quas Chriſtus in eo dignatus eſt manifeſtare, aliud noſtræ narrationi congruum non prætermittam miraculum: nam dum ſub ferula ſubjacere præceptoris, ipſum proprio intuitu accidere animadverti.

AN.CHR. 982 30. April.

16. In hujus videlicet eccleſiæ cnnventu quidam Monachus, noſtrarum ſcholarum didaſcalus, vocatuſque nomine Lambertus erat, qui frequenter capitis patiens dolorem, dum ab ipſo graviter fatigaretur, quadam nocte, ad ſuum converſus Patronum, cœpit remedium flagitare; ſed quatenus ejus miræ ſimplicitatis manifeſtaretur intentio, per totam ſequentis noctis quietudinem eſt vexatus ex ipſo: ſimplex enim valde in moribus, ſed in litterali ſcientia exſtitit efficaciſſimus; cumque matutinale Fratres nocturnali ſollicitudine perciperent ſignum, mutuo ſe cohorantes ad peragendum ſolitum penſum ſe paravere, atque in trinæ Deitatis nomine more ſolito ternas ad orationes pariter concurrere. His peractis, dum a fratre memorato priſtina chori præoccuparetur ſtatio, ipſius repente caput memoratus graviter circumdedit dolor; chorique deſerens ſtationem, ſacramque poſtponens debitæ ſervitutis ſollicitudinem, ante Sancti adveniens iterum ſe projecit mentionem *a*. Dum vero diutina præſtolatione quo ſui doloris affore finis, flagitaret intente; a memorato fatigatus dolore, nimiam per ſimplicitatem, Chriſti Confeſſorem talibus cum verbis cœpit exprobrare: Mortuus dum jaces in pulvere, quali tu nobis poſſes remedio ſubvenire? Verum multis quoniam opem videris ferre, illorum ductus exemplo, tuas, ſurde ſenex, ad obturatas clamitans aures, adveni, ſubſidiumque quæſivi, aliis ſubvenire qui conſueviſti; & hactenus per te nullum, pro dolor! ſenſi levamen. Hæc horumque ſimilia capitis erecta cervice proferens, tumbam ſacram ſuper almiflui oſſa corporis aptatam ingenti cum ſonitu percutiens, ſurrexit; atque ita cum ictu memorato concupitæ remedium ſanitatis gaudens ſuſcepit, quatenus nullam ulterius aſſereret ſentire ruinam poſterioris doloris. Iſque cum contubernalibus junctus iterum foret vocibus fratrum, divinis præoccupatorum in meditationibus, quis propter Sancti ſepulchrum fuerit ſonus auditus, qui eorum voces compeſcuit, ab eo inveſtigare cœpere nonnulli: ipſeque quid acciderit, & erga Confeſſorem memoratum qualia protulerit, qualiterve, quam diutina præſtolatione popoſcerat ſanitatem, obtinuerit, ſuis inveſtigatoribus evidenter patefecit.

Monachus dolore capitis levatur.

17. Quædam oppidanea gravem cum capite dentium patiens dolorem, jugiter crebra vexatione pulſabatur: quæ cum ſitu terrarum a ſuis confinibus foret disjuncta (illa ut pote ex Bovinienſi * oppidulo in magnam *Goſtarath b* civitatem fuerat adventata, quo ſui remigium quæreret doloris) ab omni eſt conſolatione privata. Tandem quoniam auditu, memoratis in finibus, famam glorioſi Confeſſoris perceperat, votum illi vovens candelam ſpopondit quod in propria dum repatriata fuit, recepta ſanitate libenti animo tribuit. Ea itaque grandi cum candela adveniente, ingentem eam intuens ejuſdem cuſtos eccleſiæ, Theodericus nomine, concupivit; matureque concupitam, arripuit, arreptamque more ſolito, ſolitum carpens iter, ſolito in loculo reponere diſpoſuit. Verum quoniam promiſſum fuerat ab ejuſdem ſubminiſtratrice, ſe præfatam candelam non ablaturam; ipſe talis conſcius ſponſionis hanc accipiens, binoſque in gradiendo dirigens paſſus, repente a capitali dolore graviter corripitur. Nam in memoratæ preſentia adoptavit evenire ſuo capiti ſimilem dolorem, ſi quis hanc niteretur auferre. Quapropter ingenti

Mulier item capite, dentibuſque laborans ſanatur
* Bovines.

a Id eſt ſepulchrum, alii *memoriam* appellant. Similia huic facto exempla ſæpius retulimus, ut in miraculis S. Benedicti Sæculo 2.

b Quæ ſit illa urbs *Goſtarath*, incertum. Papebrochius hic errorem putat irrepſiſſe, & Conſtantiam ad Rhenum intelligendam eſſe ſuſpicatur.

Digitized by Google

AN.CHR. 982 30. April. cum feſtinatione accito clientulo, jam dictam candelam iterum accendit, accenſamque repoſuit, repoſitamque a ſe iterum proclamavit; & quam uſu temerario ſuam per violentiam perdidit, ſanitatem, ipſo opitulante, confeſtim ſuſcipere meruit.

Alium monachum caput dolentem ſanat, 18. Diebus Lotharii Imperatoris ex Saxonia nati, Alexando a Præſule cathedram Leodicenſium gubernante, fuit quidam frater Goſelinus nomine, qui annos intrabat pubertatis, officium gerens Levitici ordinis, a pueritia in hac domo nutritus ſub protectione Dei Genitricis, & poſtea Dei gratia Sacerdos factus, iſta retulit, quod ſingulis annis ex multo tempore in menſe Majo, gravem infirmitatem & dolorem dentium & capitis patiebatur, itaut noctes duceret inſomnes. Hic admonitus eſt a præceptore & magiſtro ſuo Richero, & a ceteris fratribus & dominis, qui ejus compatiebantur doloribus, & quibus datum erat videre miracula ſtupenda, quæ per beatum pontificem & confeſſorem Forannanum operata ſunt divinitus, ut miſericordiam ipſius rogaret, quatenus de inſtanti malo & infirmitate, ejus ſanctiſſima interceſſione ab omnipotente Deo, veluti quamplures, liberaretur. Aſt ille nihil dubitans, ſed fideliter credens omnia poſſibilia eſſe credentibus, ad ſepulchrum egregii Confeſſoris concite cucurrit cum lacrymis & precibus; apprehendenſque linteamen, quo tegebatur lipſanum venerabile, circa ſuum caput & faciem cum amore & reverentia cœpit adſtringere, talia orans. O beate pater Forannane! o amice Dei dilectiſſime, columna & proviſor hujus eccleſiæ, mihi ultimo ſervo tuo miſerere, & laboranti in ardore & anxietate digneris ſubvenire: nam, ut ſentio & ut ait quidam, *Sane dolor capitis dure coquit omnia membra*. Glorioſe, ſi me ſanum reddideris, votum voveo, quod amodo reddam tibi candelam tantæ longitudinis nocte tuæ depoſitionis, ut caput meum in circuitu præcingere poſſit. Oratione completa, nullum dolorem vel ardorem in ſeipſo recognovit: & ſic ſurgens eadem hora, laudans & glorificans Deum, in conventu fratrum incolumis rediit, referens quomodo ſanatus fuerit. Illi hæc audientes, Dominum benedixerunt, & ſanctum Confeſſorem magnis laudibus honoraverunt. *poſt votam candelam,*

quam ſemel oblitus offerre. 19. Sic ſanus effectus, per annos quatuor votum quemadmodum voverat Deo, ſanctoque perſolvit; & ſemper in ſanitate priſtina permanſit. Quinto vero anno contigit ut nocte denominata, oblitus ſuæ ſponſionis, gratia cujuſdam feſtivitatis profectus in quamdam villam ſuæ nativitatis, quæ a monaſterio duobus milliaribus aberat, non interfuerit. Qui cum adveniente hora veſpertinali ſtaret in eccleſia ante altare Dei Genitricis, ſubito eum dolor maximus, & cruciatus capitis & dentium arripuit, ita ut jam non valeret ſuper pedes ſtare; ſed incurvatus præ nimia anxietate, agnoſcens reatum ſuum, & ſe eſſe coram Sancto mendaciſſimum, hujuſmodi prece oravit ad Dominum: Domine Jeſu-Chriſte, ſuccurre mihi per famulum tuum beatum Forannanum, glorioſiſſime Deus, ea quæ in eo deliqui fideliter ulterius corrigam, & ut ad locum noſtrum regreſſus fuero, te largiente votum meum reddam. Et cum fletu caput ſuum adſtringens, & ſanctum Confeſſorem invocans de terra ſurrexit; & confeſtim dolor omnis & cruciatus aufugit. In craſtinum ad monaſterium reverſus, cuncta quæ ei acciderant fratribus enarravit, gaudium gaudio cumulavit, votum perſolvit, ſoſpes permanſit, Dominum in omnibus & ſuper omnia magnifice operantem benedixit. Hæc ita eſſe nemo dubitet: nam ab eo qui iſta paſſus eſt, ad laudem Dei & Confeſſoris iſtud veriſſimum digeſtum eſt. *denuo cruciatur, ac tandem ſanus efficitur.*

20. Eſt quoddam oppidum in Saxoniæ partibus trans Rhenum, quod barbarico ſermone illius gentis *Rhees* b habet vocabulum, in quo loco memoria iſtius ſancti venerantur a multis, talibus manifeſtata indiciis. Quædam recluſa nomine Walburgis, apud nos unicum habens filium monachum,

a Bartholomæus Fizen Alexandri regimen epiſcopale per ſeptem annos ab anno 1127. ad 1135. deducit: quo tempore Lotharius imperabat.
b Idem nomen hactenus retinet Rheſa Cliviæ oppidum, ſitum inter Weſaliam & Embricam.

Digitized by Google

chum, inibi ſolitariam vitam ducit: quæ quondam amore ſui filii aliquantis diebus nobiſcum manens, multa & ſtupenda miracula fieri vidit a Sancto & audivit. Quæ regreſſa ad propria & vitam amplectens contemplativam, quæ viderat & audierat, & quantæ virtutis eſſet ſanctus Forannanus, amicis & propinquis & ceteris, ad locum in quo recluſa erat confluentibus, denuntiavit, & ut ipſum invocarent in periculis, fidelis mulier admonuit. Inter quos quidam nepos ejus mercator loquentem eam audivit, qui veno & empto inſudabat & curis hujus ſæculi. Hic ſumptis opibus & diverſorum ornamentorum varietatibus, mercandi gratia mare Anglicum cum aliis eſt ingreſſus. Continuo mare conturbatur, & navis conteri periclitatur, at illi in timore, & anxietate, & auguſtia mortis quæ imminebat conſtituti, clamare cœperunt vocibus magnis, & unuſquiſque peccata quæ fecerat, confiteri. Illis vociferantibus ſubito navis demergitur, & non tantum pereunt navis & onus, ſed etiam homines quotquot erant, præter hunc ſolum de quo ſermo eſt habitus.

AN.CHR. 982 30. April.

21. Quomodo autem evaſerit, vel cujus adjutorio ab illa dira morte ereptus fuerit, ipſe reverſus ad patriam, hoc ordine poſtea retulit. Cum, inquit, navis periclitaretur, & nos omnes, qui intus eramus, timore vicinæ mortis æſtuaremus; ego tandem memor verborum ancillæ Dei, quæ audieram de virtutibus & miraculis beati Forannani eccleſiæ Walciodorenſis, coram omnibus lacrymatus exclamavi, o beate Forannane, ſi vera ſunt ea quæ de te audivi, te deprecor, ut ab hac morte me liberare digneris, & ego votum pro ſalute mea dabo tibi, candelam videlicet ſecundum longitudinem corporis mei, in loco ubi requieſcis. Adhuc me talia per plurima orante, navis demergitur, & cum aliis in profundo maris triſtis & gemens ſum dilapſus. Deinde ut fuit voluntas Dei, ſuper aquas confeſtim reſiliens, & ea, quæ cœperam, clamans, S. Forannane ſuccurre mihi, tunc ecce onus proprium, in quo omnia mea colligaveram quæ habueram in navi, inter brachia mea devenit: quod cum tenuiſſem meum eſſe cognoſcens, & adjutorium Dei, & Sancti ſuper me ſentiens, ex inſperato ad ſpem redii, & ſic natando pedibus, tenens onus inter manus, ad littus uſque perveni, laudans Deum, & Sanctum benedicens in ſalvatione mea in mirabilibus maximis. Talia ille homo de ſeipſo referens, votum quod voverat ad locum noſtrum non multo poſt per fidelium manus tranſmiſit, a quibus ea quæ narravimus ita eſſe facta a Sancto, audivimus.

Mercatorem a naufragio liberat.

22. Hæc ſunt divinæ operationis prodigia, quæ Chriſtus nobis per dilectum famulum ſuum Forannanum, condecorando ſuæ manſionis habitaculum indeſinenter manifeſtat: quæ ſi omnia ſcriptoris articulus exararet, dies antequam ſermo clauderetur. Igitur venerabilis cultor Dei Forannanus digne venerandus eſt ab omnibus, quoniam ſicut cujuſdam idonei didaſcali narratione fideli percepimus, terra ſuæ nativitatis eximiis per eum decoratur miraculis & honoribus. Retulit enim ille nobis, quemadmodum habitator loci, quod maximæ honorificæque in Chriſti, ejuſque nomine in ipſius provinciæ confinio, de qua egrediens ad nos pervenit, conditæ ſint baſilicæ, in quibus fidelis Chriſto deſervit monachorum clericorumque chorus quotidie.

in Hibernia colitur.

23. Veneremur igitur, dilectiſſimi, noſtrum venerabilem patronum, totaque mentis intentione amplectendum Forannanum: quoniam hujus mundi ſpernens appetitus, lucernam accendit, non ſub modio ut in præfato compendioſe prælibavi procemio, ſed ſuper candelabrum figens, & ſpargens in domo radios ſui ſplendoris, toto innotuit mundo &c.

Digitized by Google

AN. CHR. 982
30. April.

FRAGMENTA

Ex Chronico Vvalciodorenſi.

Monaſterii S. Michaelis inſtauratio.

1. Comes EILBERTUS, nobilium actuum ſuper omnes ſui generis coævos aggrediens conamina, induſtrius, ſtrenuus, & vir bellicoſus effectus eſt, in tantum, ut ex ſuo proprio, ad evitandos caſus incertos, adhuc primævus ſeptem exſtrueret caſtra.... Poſt hæc variis pulſatus infortuniis, reminiſcenſque juvenilis converſationis exceſſus, ſuæ intentionis actionem ad Dominum ſuppliciter convertit; & in ſtudio iſtius bonæ voluntatis, ex ſui juris proprietario, una cum ſua clariſſima conjuge HERINSINDE, Archangeli Michaelis ob honorem in Tiraſce baſilicam *a* condidit, eoque in loco ſub tramite beati BENEDICII Deo militantibus coadunatis fratribus, ipſis Abbatem præficiens, ad uſus quotidiani victus ſtipendia conſtituit non modica, locumque illum ſub ditione & ordinatione Laudunenſis eccleſiæ Antiſtitis conſtituit. Venerabilis autem Herinſindis conjux ejus Chriſto in eodem loco famulantibus ſe ſubjiciens, pietatis gratia ipſum frequantare cœpit, & non ſegniter ſecundum

ac Bucilii conſtructio ab Eilberto, ejuſque conjuge.

ſuæ probitatis ſublimitatem eidem ſtuduit res neceſſarias providere. Et quia præconabatur manſiunculam proprii corporis ſibi ibidem fieri, haud procul ab eodem loco virginum monialium monaſterium conſtrui a præfato Comite ſumma ſollicitudine curavit: quatenus ipſe, qui principali præpoſito cæli ductorique animarum ſancto archangelo Michaeli ſacræ ædis erexerat faſtigium; beato Petro paradiſi clavigero, ſuo adniſu proprioque labore componeret venerabile templum, quo Chriſti famulæ ſuarum orationum frequentia, piacula ſuorum præteritorum facinorum expiarent. Coactus itaque ejus deprecatione, nec non beati Petri veneratione, a monaſterio recenter ab hoc conſtructo, in ſpatio duorum milliarium in loco dicto *Bocileis b* fundamenta jecit; erigenſque, ſtructuram peracto opere ſtatuit templum in quo ab eodem coſtituitur virginum monialium congregatio, & quidquid talium ordo exigit. Conſtructis autem per ordinem manſionibus plurimis, eiſdem dato paſtorali baculo Abbatiſſam præfecit, eumdemque locum, veluti ſuperiorem, ſub regimine Laudunenſis eccleſiæ

**id eſt* Præſulis

Præceſſoris * conſtituit. Igitur veluti ſacra profert ſententia, Juſtus quo magis juſtificetur de virtute in virtutem creſcere ſtudet, ad opera miſericordiæ iſte venerandus Comes totum ſe contulit, patrimoniumque ſuum tuto in loco conſtituere nitens; locupletis honoris digni-

Beneficia eorumdem in Humolarium. *Humblieres ſupra pag. 213.

tate miſericordiæ matri, beatæ videlicet Mariæ, egregiam conſtruxit baſilicam, villamque *Humblires* *, quo fundata fore videbatur, eidem monaſterio ſubjiciens, magnis illud ditavit prædiorum honoribus. Ex prædicto ſane patrimonio ſuo eodem tempore tria cum ſuperioribus monaſteria conſtruxit quibus tantum de prædiorum redditibus delegavit, quantum ad uſus neceſſitudinem ſufficienter ſufficere videbatur, in eiſdem penſum ſui famulatus Deo exhibentibus.

tria alia condita cœnobia quibus præficiuntur Abbates.

2. Ordinatis tandem monaſteriis atque regulariter ſecundum inſtitutionem divi Benedicti vivere paratis, in eiſdem coadunatus fratribus; ut in rigore ſui tenoris norma juſtitiæ magis convaleſceret, eadem loca ſub ordinatione & protectione Abbatum juris dans definitiva privilegia fore conſtituit; ſicque idoneis ſucceſſoribus & filiis ſpiritualibus, qui ſua valerent metere carnalia & ſibi ſerere ſpiritualia, dereliquit copias hereditatum. His ſecundum quantitatis ſuæ dominium, & magnificæ auctoritatis principatum, ac honorem (ſicut decebat ſuæ nobilitati) congrue & prudenter omnibus compoſitis horum operum finem fecit, & ſe totum divinæ contemplationi ſerviens Deo ſubdidit. Tempore illo dum die quadam in caſtro quod

* Florenes

Florinis * conſtruxerat reſideret, ſuæ actionis tranſactum tempus rememorari cœpit, & tacitus intra ſe revolvens, quid ex Remenſi ſanctæ Mariæ *c* baſilica actum ſit, illud temerarium facinus non parum horreſcere cœpit. Enim vero rememorando cœpit meditari, ob ſeptem caſtrorum propugnacula, ſempiterna ſibi fieri municipia maledictionum. Deliberavit quoque ut hæc maledictionis ſtructio per benedictionis antidotum remediaretur: conſtruxerat enim ſeptem maledictionis domicilia, ex quibus ſeptem benedictionis & Spiritus-ſancti habitacula facere deliberavit. Et quia plerumque in ſacro eloquio deſignatur univerſitas ſeptenario numero, ut non particulariter, ſed plenarie legem divinam videretur implere, & ex rivulo ſeptiformis Spiritus ſtillicidium ſpiritualis innovationis, gratia ejuſdem Spiritus-ſancti, mereretur in ſe multiplicare; ſenario numero conſtructarum eccleſiarum, ſeptimam, ob honorem Genitricis Dei, & in recompenſam deſtructæ Remenſis eccleſiæ adjecit.

3. De-

---

a De reparato ab Herſinde ſancti Michaelis in Teraſcia cœnobio, egimus ſupra ad Vitam ſancti Maccalani ejuſdem monaſterii Abbatis.

b Hic Bucilienſis parthenon, quem modo occupant Præmonſtratenſes, jam ſæculo duodecimo ad Cluniacenſes ſancti Martini de Campis monachos tranſierat, ut fidem facit R. Viromandorum Comitis ad Bartholomæum Laudunenſem Epiſcopum epiſtola, cujus exemplar in chartario S. Martini a Campis reperitur.

c Miſerum Remenſis eccleſiæ ſtatum poſt intruſum Hugonem Heriberti Comitis (qui Eilberti frater erat) filium puerum quinquennem deplorat Frodoardus tum in Hiſtoria ſua, tum in Chronico; quippe *Epiſcopatus Remenſis*, inquit ad annum 925. *Heriberto Comiti commiſſus eſt ſub obtentu filii ſui.*

Digitized by Google

AN.CHR. 982 30. April. Vvalciodorenſis monaſterii conſtructio.

3. Deſcripturi vero loci qualitatem, in quo ſtructura eſſe dignoſcitur, primo videamus ex ſilveſtri & nemoroſo qualis factus fuerit, & ex informi & obliquo in quantam venuſtatem tranſierit. Tempore autem illo locus iſte erat inhabitabilis, excepto quod domus Comitis inter denſitatem nemoris paulo minus conſtabat inviſibilis, quo ſecundum diſcretionem ſui corporis remotis a ſe plebibus frequenter morabatur ſolitarius. Habitatio enim generalis in loco dicto Prireriis *, tunc erat, ubi eccleſia habebatur, & communes habitantium neceſſariæ res prudenter & congrue more oppidi erant compoſitæ cultu honorabili. Caſtrum autem ejuſdem oppidi non longe ab eodem loco erat circumſæptum congruis munitionibus, quibus cuneus adverſæ partis procul pelleretur plenarie, ſi ejus habitatores infeſtatione alicujus moverentur, ſicut municipatus ejus, quo ſtetiſſe dignoſcitur, uſque in præſens tempus monſtrans veſtigia. Congregatis itaque manualium operum artificibus, nemus propter domum ejus ſuo præcepto eo tempore ſucciditur, & paulatim ex obliquo & inhabitabili, decoratus locus redditur atque ſalubris. Hinc ut res exigebat, omibus prudenter acquiſitis quæ neceſſitudinibus forent apta ſuccedentis operis, coadunatiſque lapidum atque lignorum gnaris artificibus, juxta domum ſuam templum conſtruxit, circa quod commodæ habitationes artificum induſtria componuntur, & ſpiritualium Fratrum habitaculum clauſtrale compaginatur.

* al. Prieperiis.

Anno 944. jacta fundamenta.

4. Anno ſiquidem ab Incarnatione Domini nongenteſimo quadrageſimo quarto, anno regni OTTONIS primi nono, a Comite Eilberto jacta ſunt ſupradicti templi fundamenta, & in ſpatio trium annorum venuſto opere conſummata ſunt omnia. Cumque regulariter omnia per ordinem conſummaſſet, quo nunc cœmeterium fratrum eſſe videtur, eccleſiam in S. Patricii honore conſtruxit, & ſic prudenter & honeſte cum opere memorato cetera conſummavit. Conſtructo tandem ſecundum nobilitatis ſuæ quantitatem templo, utilitati ſuccedentium Fratrum prodeſſe deſiderans, caſtrum ſuperius memoratum diruit, & villam quæ in ſuo confinio erat ſita, & ſibi ſubjacere videbatur, exinde juſſit auferri, & juxta monaſterii habitationem iterum reparari. Tempore autem illo ſollicite meditari cœpit, qualibus incrementis Eccleſia per eum & quomodo multiplicaretur, & religionis cultus in ea dilataretur, & ſui juris libertatem retineret, & ſempiternæ benedictionis ſibi nomen acquireret. Tandem ſalubri inito conſilio, Regem memoratum adjit & ei conſilii ſui ſecreta pandens, & totam ſuæ actionis intimans intentionem, gratiæ ſuæ auxilium in præſeuti negocio affore precatus eſt ſibi. Itaque mutua ordinatione Regis pariter & Comitis decretum eſt, ut quidquid ab utriſque partibus donationis & muneris ſupradictæ eccleſiæ conferretur, Regis protectione & auxilio tueretur a die illa & deinceps; & non ſolum rerum præſentium donativum, verum etiam quicquid ei ſuccederet oblatione fidelium.

Ottone approbante.

Dotatio monaſterii.

5. Conſtituta autem eccleſia ſub Romanæ Majeſtatis imperio, ab eodem Romano Rege donum inveſtituræ ipſius loci & Abbatiam præfatus Comes accepit: & deſignatis rebus quæ ab eodem eccleſiæ conferebantur (ſequens enim ſermo hæc omnia declarabit) providentiam ejus, urgente Regis cenſura per viginti tres annos ſuſtinuit *a*. Deinde ordinatione mutua, quicquid in Antina & Heidra pater ſuus Comes Ebroinus a rege LUDOVICO feodali dote acquiſierat poſuit in præſentia ipſius Regis, prædictorum feodorum ſe ſpolians dignitate, ea conditione, quatenus uterque conſenſus Regis & Comitis, hoc eſt Regis conceſſio & Comitis datio, regali decreto firmaretur, & hæc liberalis commutatio ſine ſcrupulo tranſiret in legitimam poteſtatem, perpetuamque poſſeſſionem eccleſiæ Vvalciodorenſis. Ipſe vero Comes quæ eidem Abbatiæ ab eodem conferebantur ibidem replicavit, & deſignatis nonaginta quinque terræ manſis, culturis decem & novem *, & pratis plurimis, & villis decem cum magnis redditibus & eccleſiis earum, & cum ingenti familia, & ea quæ propter difficultatem computandi (quoniam alias pleniter annumerata continentur) referre diſtulimus, oſtendit, & omnia ſub Regalibus Teſtamentis aſſignavit. Deinde non mediocriter circa locum curioſitatem ſuæ actionis appoſuit, ſed & monile *b* ſuperius memoratum, quod ſeditionis & controverſiæ quondam cauſa fuit, & pro quo multa incongrua acciderunt, dedit eidem eccleſiæ, & inter alia ornamenta, ipſum in ea præcipuum & excellentius præcepit in perpetuum per ſuccedentia tempora non ſegniter cuſtodiri.....

* al. decem.

Herſinde conjuge mortua.

6. In *c* tempore illo Comitiſſa Herinſindis, piis operibus inſiſtens, & in ſancta conver-

Oo iiiij ſatio-

a Graviter hic errat auctor, qui rejecto priorum Vvalciodorenſium Abbatum, Maccalani videlicet ac Cadroæ, poſt Forannani obitum regimine, Eilbertum laicum & uxoratum huic cœnobio per viginti & tres annos quaſi præfuiſſe finxit. Et ſi non negaverim hunc Eilbertum, pro conditoris hujus monaſterii jure, illius curam omnino non dimiſiſſe, quod fortaſſe tantum hic Chronographus voluerit.

b Theſaurum appellat Chronographus Vvalciodorenſis apud Acherium noſtrum tomo 7. Spicilegii pag. 516. eumque ita deſcribit. „ Theſaurus autem iſte deſiderabilis compoſitus eſt in ſimilitudinem inſignis „ monilis, quem S Eligius venerabilis Epiſcopus.... præcepto nutuque incliti Lotharii regis Francorum „ manibus propriis operatus eſt. Lapis ſiquidem Beryllus in medio poſitus ſculptum retinet, qualiter in „ Daniele Suſanna a ſenibus judicibus male criminata ſit, qui varietate ſui operis diligentiam oſtendit „ artis, & diligentia venuſtatem locupletat honoris.

Egregiæ gentis rex Anglicus hunc dedit illi
Quem fore ſperavit gratum dans plurima gratis
Inter quæ dantis proſit ſibi portio talis.

c Totum hunc numerum 10. qui in editis apud Acherium poſt ſubſequentes locum ſuum habet, ideo præmittendum cum Bollando duximus, quod Herſindis mortem, quæ ante Forannani adventum contigit, referat.

Digitized by Google

AN.CHR. 982 30. April.

ſatione de die in diem proficiens, memoratæ baſilicæ B. Michaelis Archangeli aſſidue frequentando adhæſit, in qua haud multo poſt carne depoſita ſepulturæ conditorium ſuſcepit. Poſt mortem vero ejus venerandus Comes, die & nocte in lege Divina meditans, & pretioſas baſilicas ſapientia ſua Deo dicatas frequentando circumiens, & ex conſilio ſuo adminiculationem & ſolatium illis impendendo adminiſtrans, adhærere Deo ipſique ſervire toto mentis affectu diſpoſuit, & agonizando certamen contra inviſibilis hoſtis verſutiam arripuit, ſibique propugnacula, quibus fraus & deceptio tentatoris invidi demoliretur, compoſuit, charitatem videlicet & quæ ex ejus radice prodeunt virtutum inſignia. Cum vero talibus hoſtiis diuturna meditatione ſeipſum mactando, ſacrificaret Deo, ſurrexit adverſus eum proximorum multitudo, qui impetu uno ſimul congregati ei ſuggeſſerunt terras ejus nulla eos

aliam ducit Eilbertus.

ratione pati poſſe exheredari. Cum igitur importunitati eorum quodammodo cedere cogeretur, competentem genere & dignitate illi quæſierunt uxorem cui iterum conjugali contubernio adhæſit. Verum deliberatio humani moliminis, nil valet contra decretum conſiliumque divinæ majeſtatis: eademque conjuge ſterili permanente, vixit abſque liberis.....

Forannani adventus in Galliam.

7. Tranſacto *a* viginti trium annorum curriculo, ex Scotiæ partibus angelica juſſione admonitus venerabilis Archiepiſcopus FORANNANUS proprium relinquens ſolum, locum Decoræ vallis ab Angelo ſibi deſignatum quærens, cum duodecim comitibus advenit, adveniensque venerabili Comiti obviavit; a quo requiſitus, quo tenderet, ei mox angelica deſignavit indicia, & ſic cum maximo honore ab eodem Comite in jam prædictum deducitur habitaculum. Ejus ſane adventum ſuſceptioniſque obſequium in quanta veneratione a Comite & ab omnibus patriotis *b* habitum ſit, qui pleniter ambit cognoſcere, librum geſtorum ejus legat, ibi enim ſufficienter hujus rei indaginem reperiet.

ſit Abbas, Comite inveſtituram deponente.

Ingreſſus enim habitaculum haud multo poſt uterque, Comes & vir Dei, præſentiam Regis adiere, quo Comes donum & inveſtituram Abbatiæ depoſuit, & precibus apud Regem obtinuit quatenus ex jam dicto dono, Dei cultor ab eodem Rege inveſtiretur. Cognita autem ſanctitate vitæ ipſius & morum integritate comperta Rex libens annuit Comitis petitionem, & ſuppliciter devoteque ſancto viro præſidium ſui obſequii & conſilii affore pronuntians, necnon & ſe in orationibus ejus undique commendans, Palatinorum donum & Abbatiam ex procerum decreto tibuit *c*, & decretis regalibus ſtatuit ut eadem Abbatia abſque ſcrupulo alicujus controverſiæ omni deinceps tempore regali & imperiali protectione tueretur. Et ut hæc conſtitutio fixa & inconvulſa & immobilis permaneret in ſempiternum, de villa ſcilicet Heidra & ex indominicatis beneficiis nonam ſibi retinuit, & in monumentum regalis decreti, ne per ſuccedentia tempora Abbatiæ deeſſet imperialis protectio, in Aquenſi eccleſia quotannis juſſit perſolvi. Qua propter decretum ibi eſt judicio procerum de curia, in ejuſdem Regis præſentia, quatenus Major domus videlicet Præpoſitus de eccleſia S. Mariæ quæ eſt Aquiſgrani cum ceteris valentioribus Canonicis, pro eadem Abbatia tempore tribulationis ejuſdem Abbatiæ cauſidici aſſurgant; & importunitatem ejus, ſicut & ſuam, in præſentia Regis & Principum, ubicumque præfatus Rex fuerit, perferant. Tandem regreſſus a Rege Dei cultor, cum ſuis comitibus locum cœpit incolere, & ſecundum angelicum reſponſum Vallem decoram nominare quod nomen ſicut uſque nunc vulgariter permanet, quidam male opinantur tractum a quodam Tiſiodoro, qui (ut ajunt) ipſam vallem inhabitaverit. Sane non ex Tiſiodori nomine Valciodorus dictus eſt, ſed ex angelico præconio, qui eum Vallem decoram appellavit, Vvalciodorus ſcilicet quaſi vallis decora nominatur, quippe quæ olim inculta arborumque & veprium denſitate obruta erat, præfati Comitis Eilberti induſtria ſic ſpecioſo decore donata. Ab ipſis enim Scottis, ſecundum idioma linguæ ſuæ & noſtræ, ipſum nomen non potuit aptari; ſed, ſicut dictum eſt, ipſum Vvalciodorum, ideſt, quaſi Vallem decoram nominaverunt, ſecundum proprietatem utriuſque linguæ.

Diedericus Mettenſis Epiſcopus.

8. In diebus illis in Mettenſi eccleſia pontificatus infulam quidam DEODERICUS, vir honeſtæ vitæ & morum elegantia egregius, regebat. Regibus patri & filio, patri ſcilicet HENRICO, & filio OTTONI ob ſui nominis religionem, & ſanctitatis excellentiam ita charus eſſe videbatur, ut conſilio, diſcretione, prudentia in omnibus rerum ſuarum negotiis uterentur. Hic autem propinquitatis conſanguinitate Comiti adhærebat Eilberto, & plerumque uterque fruebatur mutuæ partis alloquio. Cum autem ad invicem ſermocinarentur, & inter utroſque ex pluribus verba ſererentur, ex eventu contigit habere ſermonem Comiti ex Vvalciodorenſi eccleſia in qua, ut ipſe ajebat, curæ paſtorali inſerviebat quidam Religioſus, qui ob Chriſti famulatus amorem cum proprio ſolo dignitatem

---

a Hos viginti & tres annos a perfecto Vvalciodori monaſterio, hoc eſt ab anno 947. numerandos eſſe conſtat, eo ſiquidem tempore quo Forannanus Abbas conſtitutus eſt, Maccalanus ac Cadroe Vvalciodoro, jam præfuerant.

b Qui ſint hi patriotæ a quibus gratanter Forannanus ſuſceptus eſt, cum non dicat Chronographus, non ſine fundamento de Maccalano ejuſque ſociis, qui tum apud ſanctum Michaelem, tum apud Valciodorum degebant, poſſumus interpretari.

c Si vera ſunt quæ hic auctor narrat, dicendum eſt hæc contigiſſe eo tempore quo Godefridus ſancti Remigii Monachus ac ſancti Cadroæ ſucceſſor, ob pravos mores a Valciodorenſibus abbatiali regimine cedere coactus eſt. Quamquam facilius crediderim hæc a Chronographo excogitata fuiſſe, incerto quonam modo res ſeſe habuiſſent per illud 23. Annorum ſpatium, quo nullum Vvalciodorenſibus Abbatem præfuiſſe male opinatus eſt.

Digitized by Google

AN.CHR. 982

30. April.

cum Forannano init amicitiam.

tatem ſui honoris reliquit, & ibi recenter cum nobilibus comitibus ductu angelico advenit. Venerabilis autem Pontifex ſanctitatis & juſtitiæ normam egregii præſulis Forannani cognoſcens relatione illuſtrium virorum, & ipſe ei adhærere toto animo deſiderans, ſupplex Comitem rogavit ut hunc ſecum adduceret ad Palatium. Cum vero ibi veniens alterutrum ſe viderent, mutuo ſe ſalutaverunt, & benedictionis donum alter ab altero humiliter petiit, in hoc officii genere ſe invicem prævenire renuentes. Sed quia B. Forannanus, ob duplicem cæleſtis gratiæ honorem, Archiepiſcopus erat & Abbas & idcirco in hac parte ſuperior cognitus eſt; venerabili viro religioſoque Epiſcopo acquievit, & manu elevata, ex triumphali vexillo ſanctæ crucis prædicti Antiſtitis cum capite totum corpus munivit. Deinde reſidentes atque ſacrarum paginarum revolventes myſteria, mutuo potiti ſunt alloquio; & poſt multimoda ſacrorum proverbiorum colloquia, ad orationum ſuffragia ſe contulerunt. Factum eſt autem cum hæc tractarentur, quatenus ex Vvalciodorenſi loco verbum ab utriſque partibus communiter fieret, & Epiſcopus ex Haſterienſi *a* Villa in medium proferret ſermonem, accepta occaſione ratiocinandi ex prædicto verbo.

cui Haſterienſe monaſterium ſubdit.

9. Cum igitur Comes prædicti Antiſtitis voluntatem cognoſceret, quod per Haſterienſem, Vvalciodorenſem domum vel Abbatiam ad Mettenſem eccleſiam vellet transferre; cœpit mente revolvere quomodo ſalvo honore Eccleſiæ, ſecundum quod factum fuerat, ex manu regia poſſet erui. Haſteria enim quia prope in confinio Vvalciodorenſis cœnobii ſita eſt, Comiti viſa eſt fore congrua & proficua Vvalciodorenſi eccleſiæ. Sed quia ea eccleſia eſſe conſtructa cognoſcebatur a domino ADALBERONE Mettenſium Præſule prædeceſſore ſuo, & ab eodem data S. Glodeſindi & monialibus ibidem Deo ſervientibus, & teſtamento confirmata; hæſitare cœpit Comes; & ab eodem quærens conſilium interrogavit quomodo hæc fierent, ſalva dignitate utriuſque partis. Cumque Comitis hæſitationem Epiſcopus intelligeret, hanc illico ab ejus pectore removere ſtuduit, & ſeriem ſubſequentis rationis, quomodo poſſet fieri, aperuit. Deliberata namque commutatione quæ pro Haſteria monialibus S. Glodeſindis aſſignaretur, propoſitum ſuum illi inſinuavit, & ſic titubationis obſtaculo ab eodem remoto, procedere Comitem in propoſita ratione ſuaſit. Inito tandem conſilio pari conſenſu Regalem magnificentiam adierunt, & conſilii ſui B. Forannano intimantes actionem, concordis voluntatis deliberatione ad curiam pervenerunt. Deinde mutua voluntate decretum eſt, ut ſanioris conſilii Capitales Curiæ, ſui propoſiti fautores haberent, & ſic mota ratione, fretique adminiculatione Principum, Regalis auctoritatis conſilium & aſſenſum ex prædicto negotio inveſtigarent.

Rege concedente.

10. Audiens autem Rex venerabilis Deoderici Mettenſium Pontificis petitionem & beati Forannani nihilominus perpendens devotionem, Comitis necnon animadvertens bonæ voluntatis ſagacitatem ob profectum eccleſiarum, rei utriuſque cauſam ſciſcitatus eſt. Unde & ab eodem Pontifice, & a ceteris regalis curiæ Principibus plane edoctus eſt, quomodo ſalva dignitate regalis cenſuræ, tranſmutatio fieret regalis decreti, & donum curiæ legitimo jure aſſignatum avelli poſſet. Qua propter decretum eſt cum conſilio quatenus profectus eccleſiarum ſub Imperialis auctoritatis protectione maneret, & commodum Curiæ Regalis haberetur, ita dumtaxat ut *b* ad nutum ipſius cuncta penderent. Ut autem iſtius conſtitutionis edictum a Principibus Rex intellexit, continuo voluntati religioſi viri Forannani & petitioni venerabilis Pontificis Deoderici, & Comitis Eilberti acquievit, & a ſupradicto dono prædictæ Abbatiæ ſe conditionaliter ſpolians, ſecundum anterioris conditionis ſponſionem legali decreto ſub poteſtate Mettenſis eccleſiæ donum & Abbatiam Vvalciodorenſis eccleſiæ conſtituit. Conſtitutio autem hæc quomodo auctoriſata fuerit in ſubſequentibus aperiemus. Venerabilis enim Pontifex commutationem quam monialibus ſanctæ Glodeſindis pro Haſteria aſſignaverat in præſentia principum, Regi oſtendit, ſicque ſupradictam Haſteriam cum omnibus appendiciis, conſenſu & deliberatione conventus S. Glodeſindis, & Majorum Mettenſis Eccleſiæ, ad uſus Vvalciodorenſis eccleſiæ in Regis poteſtate & manu poſuit, & liberaliter decreto principum ab eodem Rege & Pontifice ac Majoribus eccleſiarum Mettenſium B. Forannano aſſignata eſt; quatenus ipſe, quemadmodum Abbas ejuſdem Vvalciodorenſis eccleſiæ, ſine ſcrupulo & controverſia, & motione contraria eam teneat, & ſucceſſores ſui, qui regimen ejuſdem Eccleſiæ tenuerint in ſempiternum per ſuccedentia tempora, & ipſa ſub regimine ejuſdem Vvalciodorenſis eccleſiæ in perpetuum permanens tueatur. Ne autem iſtius Regalis & Imperialis decreti compoſitio, & majeſtatis ejuſdem deliberatio molimine aliquo nefarii auſus, ab aliquo clerico vel laico, nobili vel ignobili violando irritetur, auctoritate & judicio principum, teſtamento Imperialis munificentiæ confirmatur; ſicque Haſteria juri & dominationi Vvalciodorenſis Eccleſiæ famulatura ſupponitur, anno ab

ac Valciodoro in jus Epiſcopi Mettenſis transeunte.

a Duplex eſt Haſteria, *Haſtieres*, altera cis, altera trans Moſam fluvium; quæ trans Moſam, Abbatia eſt uno milliari a Vvalciodoro diſtans, cujus originem ad Vvidericum Comitem tempore S. Sigeberti Regis refert Bollandus in notis ſuis ad huncce locum. Unde inferas Haſterienſis cœnobii conditorem non niſi improprie, melius reparatorem dici debuiſſe Adalberonem, qui anno 928. electus Mettenſis Epiſcopus, 20. & 6 annis eccleſiam ſuam adminiſtravit.

b Acherius has duas voces habet, ut *en reſpectu* id eſt *par reſpect*, ut ipſe interpretatur, nutu illius cuncta &c.

AN.CHR. 982

ab Incarnatione Domini nongenteſimo ſexageſimo nono, Indictione 13. regnante Ottone primo, anno regni ſui 34.

30. April.

11. Sed ne aliquando Vvalciodorenſis Eccleſia motione alicujus hominis vexaretur, ob protectionem, advocatiam, & defenſionem prædictæ Vvalciodorenſis Abbatiæ*, donum ſuperius memoratum, conditione retinuit ſupradicta, & hoc ordine definito conceſſit, quatenus Mettenſis eccleſia contra Vvalciodorenſem *a* recto tramite incedens, ab omni eccleſiaſtico jure illi juſtitiam faciat; & ne recedens ab eadem juſtitia, contra eam enormiter, ſanxit, ut ſi ab eadem Mettenſi eccleſia vel ejus Epiſcopo ſcrupulus alicujus controverſiæ ex eadem Haſteria Vvalciodorenſi eccleſiæ oriretur, ad priſtinum Vvalciodorenſis eccleſia reverteretur gradum, & de manu Regis prædictum iterum ſumeret donum. Iſtius autem emancipationis utilitas & utriuſque rei deliberatio, ex dono Vvalciodorenſis Abbatiæ, ex regia manu ſubtracto, & ex villa Haſterienſi cum omnibus rebus inſtantibus & ſuccedentibus, & omnibus appendiciis ſuis, Vvalciodorenſi cœnobio ſubjugata, decreto curialium principum ſub regalibus teſtamentis auctoriſata legitur, & D. Deoderici ac B. Forannani & Comitis Eilberti & capitalium virorum de curia teſtimonio confirmatur. Tempore ſane illo Haſterienſem villam moniales ſanctæ Glodeſindis tenebant, & in eccleſia ejuſdem villæ, ſub imperio & regimine Decanæ, quædam earum in eadem cella Deo ſervientes vivebant, & ſub jugo & obedientia Abbatiſſæ S. Glodeſindis, omnes pariter incedentes regebantur. Nutu deinde Abbatiſſæ ſuæ regreſſæ ad monaſterium ſuum, locum reliquerunt; & ſic poſtea unuſquiſque quod ſui juris fuit detinens, ex eo ſecundum arbitrium proprium diſpoſuit. Itaque inito conſilio, in eadem Haſterienſi Eccleſia a B. Forannano & Comite, nutu Imperatoris, & ejus conſilio, Sacerdotes quatuor conſtituti ſunt, qui eamdem eccleſiam, ex officio divini famulatus, ſecundum ſuum ordinem, multis diebus rexerunt.

* al. Eccleſiæ.

Haſterienſe puellarum cœnobium, a S. Glodeſindis cœnobio pendens. Aliud in eodem loco virorum conſtituitur.

12. Interea decretum eſt ab utriſque partibus a B. Forannano & Comite, nutu *b* Imperatoris & ejus conſilio, ut pondus rationis per* ordinem, & præteriti negotii actionem Romano Pontifici innoteſcerent, & ex ſupradictis rebus auxilium conſilii ſui, & munimentum ſuæ protectionis quærerent. Huic definitioni actionem apponentes, laborem aſſumpſerunt, & ſtatutis comitibus & quæ itineris neceſſitudinibus forent apta paratis, accelerato itinere Romam pervenerunt. Venientes namque ibi honorifice ab eodem Papa & viris eccleſiaſticis ſuſcepti ſunt, qui cauſam itineris ſciſcitantes, & qui eſſent, & cur tanti itineris vexationem aſſumpſiſſent percunctantes, cognoverunt eos eſſe viros morum probitate pollentes; unde & morigeratæ converſationis vultus intuentes, majoris dignitatis veneratione ſunt habiti, & cultu digniori promoti. Tandem revelato ſui animi propoſito, & cauſam ſui itineris declarantes domino BENEDICTO Papæ *c*, qui ſeptimus in agnitione iſtius nominis pontificatum Romanæ eccleſiæ eodem tempore gubernabat, ſuæ auctoritatis tutelam & munimentum quæſierunt. Cumque probitas vitæ & laudabilis converſatio B. Forannani illi innotuiſſet atque edoctus fuiſſet, qualiter proprium relinquendo ſolum honorem Archiepiſcopatus deſeruiſſet angelico juſſu, & ad denominatam ſibi ab Angelo habitationem perveniſſet, maximo honore a præfato domino Papa, & etiam univerſo clero affectus eſt. Audito tandem eo, voluntati & petitioni ipſius aſſenſum præbuit, non ſolum propter regiæ auctoritatis interventionem & inclyti Comitis deprecationem, verum etiam ob ſuæ ſanctitatis ac religionis venerationem.

Forannanus Romam profectus. * al. & ordinem. & a Benedicto VII. ſuſceptus.

13. Itaque declaratis rebus pro quibus negotium agebatur, cenſura Romanæ curiæ, omnia quæ ſunt in præſenti & in futuro ſuccedere poſſunt Vvalciodorenſi eccleſiæ, in protectione ejuſdem Romanæ majeſtatis conſtituuntur. Et ut hæc conſtitutio per ſuccedentia tempora firmiter conſervetur, & Apoſtolica auctoritas cum regali & imperiali firmitate validius convaleſcat, ſtatuit in Haſterienſis villa, cum omnibus rebus & appendiciis ſuis inſtantibus & ſubſequentibus, eccleſiæ Vvalciodorenſi famuletur, & ei ſine ſcrupulo, ſicut una de ſuis ceteris curiis, ſubjaceat in perpetuum. Ne igitur iſtius inſtitutionis Romanæ majeſtatis firmitas, & apoſtolici decreti munimentum aliquando ab aliquo hodie in quocumque ordine conſtituto laico vel clerico, rege vel Epiſcopo, vel alia qualicumque perſona, temerario auſu violetur, religioſorum virorum de curia decreto ſtatutum eſt, ut a die illa & deinceps, quicumque definitum conſtitutionis prædictæ munimentum auſus fuerit infringere, perpetuæ excommunicationis vinculo ſubjaceat, nec ab aliquo ſacerdote vel Epiſcopo pro qualicumque conditione abſolutionem accipiat, excepto Romano Pontifice, qui reatus illius ea conditione faciet abſolutionem, ſi ſatisfactione condigna pœnituerit, & quod male uſurpavit reſtituens, a detrimento eccleſiæ ceſſaverit. Deinde utriuſque deliberatio-

privilegium obtinet.

---

a Codex Acherii qui in multis a Bollandiano aliquando recedit, pro *contra Vvalciodorenſem*, *Vvalciorenſi*, & pro *contra eam enormiter*, legit *cum ea enormiter*.

b Deeſt apud Acherium *nutu Imperatoris*.

c Ea eſt horum Actorum ac præcedentium ſæpe diverſitas, ut ex eorum collatione vacillet potius aliquando rerum fides, quam ſtabiliatur. Prioris vitæ auctor Romanum Forannani iter monaſticæ profeſſioni præmittit, Chronographus e contra eum jam pluribus annis Abbatiali munere functum iter ſuſcepiſſe ſcribit. Sic turbato primorum Abbatum Vvalciodorenſium ordine, cuncta quæ ſequuntur dubia ſunt & incerta. Crediderim tamen Forannanum aliquanto poſt ſuſceptam Vvalciodori adminiſtrationem, & quidem ſedente Benedicto VII. Romam petiiſſe, cum S. Cadroe anno 975. mortuus, ac Gerbertus non molto poſt expulſus, jam ipſi locum feciſſent.

Digitized by Google

rationis decreto, videlicet domini Papæ & Religioſorum de curia ſancitum eſt, ut recedens ab eis B. Forannanus privilegium ſui Archiepiſcopatus in omni officio & actione, cultuque divino retineret; necnon ut regimen curamque animarum ſibi injunctarum curamque paſtoralem in monaſterio ſuo ſollicitus exerceret, & idem monaſterium ſub protectione apoſtolicæ auctoritatis in æternum firma ſtabilitate tueretur. Ut autem teſtamentum tantis teſtimoniis auctorizatum fixum & inconvulſum rationabiliter conſervetur in perpetuum, privilegium Romanæ eccleſiæ, per B. Forannanum remittitur *a*. AN.CHR. 982 30. April.

Eilbertus alteram conjugem ducit.

14. *Cum ſicuti prænotatum eſt ſuperius, poſt Herinſendis Comitiſſæ mortem, Eilbertus Comes, proximorum* ſuaſione & conſilio, *rurſus eſſet* vinctus carnali connubio, *ſecunda hac* conjuge ſterili permanente vixit abſque liberis. Nihilominus tamen vivens legaliter cum ea, divinæ ſervitutis obſequiis ſe ſubdidit, prout ſibi licebat per exigentiam ſuæ conditionis & vocationis. Hæc autem nobilis mulier ex alio anteriore marito, binos bonæ indolis adoleſcentulos pariens nutrierat: qui Comiti more filiorum & non privignorum familiariter adhærentes, per ſtudium diuturnæ ſervitutis miniſterialiter ei ſe ſubjecerunt: deinde per obſequium ſui famulatus filialem quodammodo ei dilectionem oſtendentes, non ſicut vitrico, ſed ſicut proprio patri miniſtrabant. Factum eſt autem tempore illo, quatenus ex eventu curiæ regali cum his juvenibus Comes intereſſet; qui cum pedibus æger eſſet, adeo ut abſque ſuſtentatoribus incedere nequiret, quocumque pergere volebat horum auxilio adminiculoque, uti ſolebat, ſuper utriuſque humeros innitendo. Cumque in conſpectu Regis *b* & Principum tali miniſterio ei ſe ſubjicerent; cœpit rex ſedulitatem ſervitutis juvenum intueri ac multipliciter collaudare: præterea eorum morigerata converſatione inveſtigata, voce omnium Principum extolluntur. Cum autem ante Regem ſtans, ſuper utrumque adoleſcentem Comes inniteretur; ex quantitate juvenum Rex cauſam cognoſcere volens, nomina, ſeriem progeniei, qui eſſent, & quanam de cauſa ei tam familiariter adhærerent, inveſtigando percontatus eſt. Ille vero ex ordine Regi puerorum proſapiam aperiens nomina deſignavit. Et ideo eorum conſtantiam benigni famulatus Rex conſiderans, dixit; Vere, Comes, merentur a te digno remunerari præmio: quippe qui hactenus deſerviunt tibi fideliter tali famulatus obſequio.

Florinenſem pagum Vvalciodorenſibus tradit.

20. Animatus igitur comes, ex hoc regali conſilio in conſpectu ejus & principum, ambos privignos de dextera lævaque ſua ſemovens, & ante Regem ſtatuens, inquit: „ Rectori ſæculorum & tibi, domine Rex, gratias ago, quod ſenſus veſtræ diſcretionis in hac actione conjungitur ſenſui meo, & dignitas veſtræ benignæ moderationis hæc agere ſuadet noſtræ humanitati. „ Quapropter tibi GODEFRIDO & fratri tuo ARNULFO, ob gratiam „ domini mei Regis, quam benigne vobis demonſtrando aperuit, & etiam remunerationem veſtræ ſervitutis, quam mihi fideliter diuturno labore exhibuiſtis, in teſtimonio ejus „ & nobilium de curia, pagum Forinenſem cum integro ſuo banno, & indominicatum beneficium ex eodem banno liberaliter trado. Et ut hæc libere & legaliter, & ſine adverſa motione cuncta poſſideatis; caſtrum ibidem a me conſtructum cum ſuis municipatibus, & oppidum concedo vobis, & etiam quotquot paterna ſucceſſione in eo, jure & „ nobiliter mihi ſubjacuerunt, vobis ſubjacere conſtituo; excepto quod jura Vvalciodorenſi eccleſiæ a me deſignata ex Florinenſi banno, a vobis & ſucceſſoribus veſtris, „ ſine ſcrupulo & motione contraria conſervabuntur. Sepulturam autem veſtram vos & „ ſucceſſores veſtri eidem loco benefacientes perpetualiter in eodem monaſterio a me conſtitutam vobis eſſe cognoſcentes, hancque conſtitutionem ob Genitricis Chriſti honorem & noſtram memoriam, quicumque dominus fuerit Florinenſis domus, inconvulſam „ reſervabit per omne ſuccedens tempus, ne ſubjaceat perpetuæ maledictioni, cui ſubjacebunt qui fraudem fecerint eidem eccleſiæ de redditibus ſuis, a Chriſti fidelibus ibi conſtitutis.

ac jus ſepulturæ.

21. Decrevit autem ibi in præſentia Regis & principum, & in conſpectu prædicti Godefridi & fratris ejus Arnulfi, in teſtimonio eorum, quatenus Major de Vvalciodoro, Abbas videlicet vel Præpoſitus cum fratribus ſuis ſpiritualibus, a die illa & deinceps, ſecundum ſuam voluntatem quando ei placuerit, pro ſuo jure in Florinenſi caſtro reſideat, & cum miniſterialibus ejuſdem caſtri, villico ſcilicet atque ſcabinis, rationem ſuam judicialiter ventilando producat; & ſine alicujus violentia uſque ad rebellionem & contradictionem ruſticorum, libere cum ſuis, & cum miniſterialibus ſupradictis, judicia ſua exerceat, de rebus ſuis. Conſtituit præterea quatenus ex his duabus partibus & poteſtatibus, quaſi gens una & populus unus, ſibi invicem familiæ hærerent, & ſine exactione contraria, & bathinodii quæſtu, Florinenſis homo ex Vvalciodorenſi poteſtate mulierem ſumens legitime, ſicut ſibi parem ducat; ſicut verſa vice ſimiliter Vvalciodorenſis de Florinenſi poteſtate mulierem ſumendo, faciet. Si vero quis homo vel mulier Florinenſis ad Vvalciodorenſem, vel Vval-

a Poſt hæc verba ſequitur in Chronico Hiſtoria Translationis ſancti Eloquii, quam exhibuimus in Sæculo 2. ad annum 675.

b Ottonis ſcilicet, qui fortaſse necdum Imperator coronatus fuerat. Attamen ſi aliquem in concinnando ſuo Chronico ordinem auctor ſervavit, dicendum eſt *Regis* nomen pro *Imperatoris* nomine, quod non raro evenit, uſurpatum fuiſse, cum aliqua retulerit quæ longe ante acciderunt quam Otto Auguſtus ſalutaretur, quod anno tantum 963. actum eſt.

Digitized by Google

AN.CHR. 982 30. April.

Vvalciodorenſis ad Florinenſem tranſierit poteſtatem, protegetur a rectore poteſtatis illius in qua elegerit habitare; ita plane ut capitalia jura, & ſecundum decreta ſuarum legum, quod cuique debent poteſtati, certis temporibus & aſſignatis non negligant reddere. Ut autem iſtius conſtitutionis decretum fixum permaneat, regalis auctoritatis & palatinorum Procerum judicio, teſtamentis regalibus confirmatur, & nobiliumjuvenum aſſenſu, & conceſſione propoſitæ actionis definitio, ſacramento etiam regalis diſpoſitionis & honore ſui juris, hereditatis & nobilitatis, & a ſe & a ſucceſſoribus ſuis conſervanda, terminatur. Ex immenſitate autem tanti beneficii fratres prædicti dignas gratias, juxta modulum ſuæ facundiæ, Comiti reddiderunt, & ſuæ ſervituti toto vitæ ſuæ curſu fideliter adhæſerunt, ob magnitudinem honoris, quo ſublimiter ab eo ſunt promoti.

ſepulchrum pro tota familia Eilbertus ædificat. in quod parentum corpora tranſfert.

22. Deinde regreſſus a Rege, Vvalciodorenſi eccleſiæ, frequentando adhæſit, & ſepulturam in ea ſuorum familiarium, & fidelium amicorum maximo ſtudio præparavit. Ipſe namque ab ingreſſu chori uſque ad altare turris terram aperiens eamque effodiens, duos in ea muros conſtruxit, & altitudinem utrorumque ad menſuram duorum cubitorum, & latitudinem in menſura unius & dimidii cubiti compoſuit. Ibi ergo nobilium corpora virorum ex proſapia ſua cum patre, & matre, *a* & filio BERNERO & fratre BOSONE iterum honorifice ſepelivit. Ipſa ſiquidem corpora præfata a locis ipſis in quibus antea fuerant ſepulta, ſua ſolertia tranſlata ſunt ob dilectionis fervorem & mutuæ conſanguinitatis propinquitatem. Exhinc cum divini famulatus meditationi aſſidue inhæreret, & divinæ contemplationis eloquium libenter perciperet, non parum proficiebat in via Domini: unde fiebat ut nonnumquam oculus eſſet cæco, & pes claudo, & oſtium ejus viatori pateret: reddebat ſane quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo: & ita ex induſtria ſua mundanas artes deludendo conculcabat, ut non oblivіſceretur qualem Creatori ſuo deberet ſubjectionem: ſicque in dextera ſua fidei lumen accendebat, ut lucerna ſimplicis oculi ejus, opacitate

ac totus Deo vacans.

ſiniſtræ cogitationis non extingueretur: Itaque reſiduum ſuæ vitæ curſum in ſancta converſatione de die in diem proficiendo, peragens, tamquam ſtrenuus Agonotheta ad certamen ſe indefeſſe præparabat, & per hoc callidi tentatoris inſidias repellebat: unde & in agone iſtius certaminis viriliter decertabat, ut non veluti dormitans inveniretur in occurſu Domini ſui. Proinde pulſanti Judici & Domino ſuo introitum nitebatur præparare, ut non in porta inimici ſui confuſionem ei facerent. Intendens igitur votis præcordialibus in Creatorem ſuum, diſſolutionem ſuam per continuas orationum victimas illi commendabat, precabaturque quotidie divinæ miſerationis & conſolationis affore ſibi ſubſidium, ut cum fidelibus ſuis mereretur audire: Veni, dilecte mi ad me: inſtat enim tempus ut ex tuo labore mercedem recipias perpetuæ retributionis & inæſtimabilis gloriæ: gloriam itaque ſuam, Chriſtum videlicet, amplectendo ſequebatur, & in mandatis ejus juxta modulum ſuæ converſationis meditando currebat. Nactus ſiquidem ex legitimo certamine & ex curſu felicis conſummationis ſuæ coronam immarceſſibilem, more ſolito loca ſancta circuibat, & ſibi commiſſum margaritum Chriſto jugiter commendabat.

pie moritur.

23. Contigit igitur dum die quadam uſque ab baſilicam beatæ Mariæ in *Humblires* gratia viſitationis diſponeret properare, ut a Vvalciodoro exiens uſque ad vicum qui dicitur Flerus *b* perveniret, ibique ſicut in proprio cauſa hoſpitii ingrederetur. Ingreſſo autem eo, gravi morbo correptus eſt, & invaleſcente in dies ægritudine, ad mortem uſque pervenit. Cumque vocationis ſuæ tempus proximum affore cerneret, e veſtigio a ſe nuntio directo in Vvalciodorenſi cœnobio, B. Forannanum ad ſe accerſivit: & per eum diſſolutionem ſuam, expletis divinorum myſteriis quæ huic congruunt vocationi, Domino commendavit. Sic itaque curſu fideliter peracto, ex hoc mundo migravit ad Chriſtum, recepturus perfecto opere, ſuæ mercedis denarium. Igitur B. Forannanus, directis undique vernaculis, ex cœnobiis ab eo conſtructis, Abbates ad hoc funerale obſequium convocavit. Ex auditu quoque iſtius rumoris congregata eſt non minima multitudo Monachorum cum clericis & Monialibus: innumerabiles etiam catervæ proximorum & nobilium virorum, cognita ipſius morte conveniunt, planctum & gemitum emittentes; adeo ut eorum mæroris affectus dolorem faceret ceterarum gentium nationibus. B. igitur Forannanus, cum turbis

honorifice tumulatus a Forannano.

monachorum, clericorum & nobilium virorum, & cum innumerabilis ſexus utriuſque multitudine, venerabile corpus egregii Comitis, a loco illo transferens, uſque ad baſilicam Vvalciodorenſis cœnobii deduxit, & ibi eum in condigno loco honorifice ſepelivit: in eo videlicet quo ſe diſpoſuerat ſepeliri.

qui monaſterii bona auget.

24. Itaque B. Forannanus, anno ab Incarnatione Domini nongenteſimo ſexageſimo nono, ordine ſupradicto de terra ſua exiens, in iſtius habitationis ingreſſus eſt monaſterium: quod ſecundum eccleſiaſtica jura cum Comite regulariter ordinans, magnifice decoravit in omnibus, ut noſtri ingenioli inertia manifeſtando conſcripſit. Septimo autem anno poſt ejus

a Eilberti patrem EBROINUM, matrem ZUNERTAM appellat Chronographus initio ſui operis, ubi Eilberti genus recenſet, quod unde hauſerit, mihi incompertum. De Boſone fratre idem Chronographus aſſerit eum in Vvalciodorenſi eccleſia ſuam elegiſſe ſepulturam, ac Calvum-montem Eilberto in gratiam Vvalciodorenſium ceſſiſſe.

b *Flerus* quoque hodie vocant quinque leucis a Florinis, a Bavaco duodecim diſtans.

Digitized by Google

ejus adventum, ordine memorato Comes venerandus hominem exuens, ex hoc mundo tranſivit anno ab Incarnatione Domini nongenteſimo ſeptuageſimo ſeptimo, indictione quinta, anno domini Ottonis Imperatoris ſecundi tertio, quinto Kalendas Aprilis. Dehinc poſt hæc accidit ut in Mettenſis Epiſcopatus confinio villam unam *Gruthen* beatus Forannanus induſtria ſua eccleſiæ Vvalciodorenſi acquireret, & ne vini penuriam ejuſdem eccleſiæ habitatores paterentur, eam eidem eccleſiæ ad uſus vini aſſignavit: domum vero in eadem civitate cum duabus vineis acquiſivit; & unam ex his, in memoriam Vvalciodorenſis eccleſiæ Vvalciodorum appellavit: ex eo enim tempore uſque nunc ipſa illud nomen ſibi retinens eadem vinea, Vvalciodorus appellatur. Et quia a die qua Vvalciodorenſis eccleſia Mettenſi ſuppoſita eſt, ordinatione regalis cenſuræ & principum, definitum fuerat, ut Abbas ejuſdem Mettis conveniret ſingulis annis in inventione B. Stephani, ob honoris cultum præſtandum eidem eccleſiæ, & debitam ſubjectionem reddendam, quam eadem Vvalciodorenſis cognitione ſui dominii exhibere debebat; ne in ipſa præfatus Abbas penuriam hoſpitii pateretur, domum ei præparavit, & ſufficienter ad uſus advenientium redditus eidem domui aſſignavit. Nullam enim exactionem contrariam aliam, nullumque aliud ſervitium Mettenſis eccleſia a Vvalciodorenſi exigere debet, nec Vvalciodorenſis Mettenſi reddere, niſi præfati diei præſentiam, quo domino ſuo, Epiſcopo videlicet, prædictus Abbas ſuos proſperos ſucceſſus fateri, & amfractus periculoſos motioneſque contrarias conqueri debet. Et ſi Epiſcopus abſens fuerit, die eodem in eadem Metenſi eccleſia vices ejus agere debet, ſerviendus per omnia more Epiſcopali, exceptis epiſcopalibus inſigniis. His vero ex more completis, de ſtatu eccleſiæ ſuæ Abbas requirendus eſt ab Epiſcopo, perceptaque reſponſione ejus, ex ſua felicitate gratias reddere Deo; de tribulatione autem ejus dolere debet, & idoneum procuratorem illi committere. Nam pro eadem tribulatione, ſicut pro ſua, cauſidicus aſſurgere debet, & pro quacumque neceſſitatis occaſione, ſicut pro ſua, eſſe ſollicitus. AN.CHR. 982 30. April.

25. Deinde egregius Antiſtes Forannanus, feliciter in ſancta converſatione præſentis certaminis ſtudens curſum conſummare, talentumque ſibi creditum cupiens multiplicare, armis juſtitiæ ſe præcingendo, inviſibilis hoſtis verſutias deludebat; atque ut verus & fidelis ratiocinator non tantum ſibi ſtudebat prodeſſe; verum de ſua aliorumque ſalute ſollicitus, pro ſibi creditis ovibus divinæ miſericordiæ ſubſidium implorabat. His & hujuſmodi meditationibus inhærens, Domino ſe ſubdebat; & toto mentis deſiderio divina contemplando, totam mentis ſuæ intentionem in Deum jactabat, cupiens cum Paulo Apoſtolo diſſolvi, & eſſe cum Chriſto. Cumque violentia tali introitum regni cœleſtis appeteret, exemplo & operatione, & pia egentium miſeratione per cordis ſinceritatem quærebat, quem tota aviditate dilexerat. Igitur, ſicut dictum eſt, per quotidianam compunctionem, in lecto ſuo omni tempore eum quem ita dilexerat requirens, diuturna ſupplicatione vocavit: ſicque quærendo atque vocando, adeptus hæreditatem felicitatis æternæ jungitur cæleſtibus choris, exutus humanæ fragilitatis tegumentis. Attamen vitam ejus qui evidentius cupit agnoſcere, codicem geſtorum ejus & depoſitionis ſtudeat legere. Ibi namque inſignia miraculorum ejus quæ in eo Chriſtus ante depoſitionem & poſt ejus tranſitum dignatus eſt operari; tempus etiam illius exitus, quo ex hoc carnis ergaſtulo exivit, reperiet. ac poſt ſancto fine quieſcit.

DE V. HARTVVICO ABBATE

TEGERNSENSI IN BAJOARIA,

ejuſdemque loci reſtitutore.

AN.CHR. 982 8. Aug.

1. INter viros illuſtres complures, qui hoc ſæculo ex Trevirenſi ſancti Maximini monaſterio prodierunt, non inferiorem locum obtinere debet HARTVVICUS, *qui ad ſarciendam in Tegernſenſi apud Bajoarios cœnobio regularem diſciplinam inde eductus eſt. Hujus cœnobii primordia retulimus in Sæculi 3. parte 1. ubi de ſancti Quirini martyris qui ibidem colitur, translatione: ſed locum ipſum in itinere noſtro Germanico nobis coram inſpicere licuit. Situs eſt in ſuperiori Bajoaria inter Iſaram & Oenum fluvios, in faucibus Alpium, quæ Tirolenſem regionem a Bajoaria dirimunt. In ipſo Alpium aditu occurit in convalle anguſta lacus Tegernſenſis, qui unius horæ longus intervallo, nomen dedit monaſterio, quod in capite lacus, inter ardua montium juga poſitum, non inamœnum in loco horrido ſeceſſum præbet. In eccleſia viſuntur circum altare majus tres locu-*

AN.CHR. 982 8. Aug.

loculi, ex marmore ad parietem ordinati, quorum unus eſt ſancti Quirini, alter ſancti Chryſogoni martyris, tertius ſancti Caſtorii, unius ex quatuor Coronatis martyribus. In media navi cernitur Otkarii & Adalberti tumulus, ſed ab annis tantum ducentis ex marmore compoſitus. In eadem navi ad altare ſancti Viti exſtat ſepulchrum Ellingeri Abbatis, quem beatum dicunt, tametſi nullo publico cultu honoratur. Is monaſterium Benedicto-puranum ad meliorem frugem revocavit ſæculo XI. *In medio choro eſt tumulus Caſparis Abbatis, qui auctor fuit reformationis Tegernſenſis ante annos ducentos. Ad Hartvvicum revertor.*

Tegernſenſis monaſterii ruina & reſtitutio.

2. *Poſtquam in primævo ſplendore Tegernſenſe monaſterium per unum alterumve ſæculum perſtitiſſet, venit porro in prædam Arnolfi Ducis, aliorumque laicorum, qui nedum prædia & poſſeſſiones, ſed etiam* clauſtrum & officinas monachorum *occuparunt*, & cum uxoribus *ſuis inſederunt, uti Otto ſecundus in ſubjecto diplomate conqueritur. Unde ſtipendiis monachorum ereptis, cum*, ſpurcitia & nefariis rebus invaleſcentibus, tota ibi religioſa vita deperiiſſet, mox cælesti vindicta monaſterium & omnia ejus ædificia cum libris & eccleſiaſtico cultu concremata *ſunt. Huic infortunio mederi volens Imperator hortatu* dilectiſſimi nepotis ac fratris *ſui* Ottonis Ducis, *locum reſtitui curavit, atque ejus rei gratia Hartvvicum monachum, Treveris accitum, eidem loco præfici curavit. Iſtius facti memoriam expreſſam invenimus in quodam folio, quod veteris Evangeliorum libri operculo affixum eſt, in quo hæc leguntur.* Anno 978. 4. Nonas Martii, cœpta eſt regularis converſatio in hoc monaſterio a venerabili monacho Hartvvico de ſancto Maximino. *Tum*, anno 979. ab Ottone Imperatore ſecundo idem Hartvvicus baculum & privilegium recepit, & a venerando Epiſcopo Abraham Friſingenſi benedicitur, & Monachi Regulam profeſſi ſunt. *Ottonis hac de re diploma huc referre juvat ex Hundii Metropoli Salisburgenſi tomo 3. pag. 395.*

Hartvvicus Abbas.

IN nomine ſanctæ & individuæ Trinitatis, Otto divina favente clementia Imperator Auguſtus. Quia Regum vel Imperatorum pia conſuetudo ſemper fuerat eccleſias Dei, ob æternæ retributionis præmium, ſuis condonationibus exaltare vel renovare; idcirco & nos prædeceſſorum noſtrorum religioſam devotionem ſectari ſtudentes, propter ſalutis æternæ mercedem & ſtatum regni ac imperii noſtri, eccleſias & ſumptus Deo militantium libenter præaugmentare cogitamus. Unde & notum eſſe volumus univerſitati fidelium noſtrorum, tam præſentium quam futurorum, qualiter chariſſimus frater noſter Otto, Allemanorum ac Bavarorum Dux, ſerenitatis *noſtræ* intulit auribus, eſſe quoddam in Bavaria ſui Ducatus provincia cœnobium Tegarinſee dictum, quod duo germani fratres & illuſtres Comites, in ſuo & de ſuo patrimonio, temporibus Pipini Regis Francorum, ipſius permiſſu condiderunt, & regio mundiburdio commendaverunt, & a ſancto Papa Zacharia ipſi germani fratres Adalbertus & Otgarius, quos ſupra delibavimus, corpore beati Quirini martyris impetrato, venerabile reddiderunt: ubi omni patrimonio ſuo contradito, ipſe coma capitis depoſita, monachico habitu ſuſcepto, unus de duobus fratribus, Adalbertus nomine, in eodem loco centum quinquaginta Monachorum primordialis exſtiterit Abbas. Hæc nempe principalis & regia exſtitit Abbatia & religioſis Abbatibus quam pluribus inſignis, privilegiis anteceſſorum Regum, Pipini videlicet & Caroli Magni, Ludovici, Carolomanni, roborata & ab omnium dictrictione perſonarum immunis: donec laicorum tradita dominio, clauſtrum & officinas Monachorum cum uxoribus habitare cœperunt, & ſordebant canibus clauſtra ſacrata domus, ex quo Monachis ſtipendiis ſuis ereptis, tota ibi religioſa deperiit vita, & ſpurcitia atque nefariis rebus invaleſcentibus, mox celeſti vindicta monaſterium & omnia ejus ædificia, cum libris & eccleſiaſtico cultu igni concremantur. Nos ergo imperiali miſeratione huic loco hactenus prolapſo ſuccurrere volentes, per interventum dilectiſſimi nepotis

potis ac fratris noſtri Ottonis Ducis, ſupradictorum Regum & Imperatorum authoritatem ſequentes, ipſi cœnobio, Tegarinſee dicto, in pago Sundergoe, & in Comitatu Liutpoldi Comitis ſito, & in honore Apoſtolorum Petri & Pauli atque Quirini Martyris dedicato, ſecundum regularem vitam, Hartvicum nomine præfecimus Abbatem, quem etiam cum loco illi a nobis commiſſo in munderburdium noſtræ deffenſionis ſuſcipientes, ſibi & omnibus huic loco ſuccedentibus Abbatibus ſub regia & imperatoria tuitione manere, hac noſtra auctoritate conceſſimus; ita ut ipſe præfatus Abbas ſuique ſucceſſores, ſub regia & imperiali defenſione, rectitudinem illius monaſterii deinceps habeant, omneſque res ad prædictum monaſterium jure modo aſpicientes, vel quas Deus illuc in futuris amplificare voluerit, in pratis & alpinis, paſcuis, ſilvis, aquis, aquarumve decurſibus, piſcationibus, molendinis, viis ac inviis, cum decimatione totius Abbatiæ, & præſenti ac futura ſilvarum exſtirpatione, ſub Abbatis ejuſdem loci poteſtate, abſque ullius perſonæ contradictione, perenniter ſubſiſtant. Inſuper etiam Monachis præſentibus ac futuris inter ſe eligendi Abbatem, noſtræ Majeſtatis imperio, poteſtatem conceſſimus, & ubicumque eorum naves, ſive carri, vel ſammari advenerint, abſque telonei exactione pertranſeant. Et ut hæc noſtræ conceſſionis auctoritas firma in futuris temporibus & inconvulſa permaneat, hoc noſtræ Majeſtatis præceptum inde conſcribi, & manu propria ſubtus notatum ſigilli noſtri impreſſione juſſimus inſigniri. AN.CHR. 982 8. Auguſt.

Signum domini Ottonis inviciſſimi Imperatoris.

Hildeboldus Epiſcopus & Cancellarius ad vicem Willegiſi Archicapellani recognovi.

Data 4. Idus Junii, anno Dominicæ Incarnat. 979. Indict. 6. anno vero regni ſecundi Ottonis 14. imperii autem 2. Actum Bruomadæ feliciter.

3. *Non diu poſt hoc privilegium ſupervixit Hartvvicus, quem anno* 982. *ad ſuperos abiiſſe intelligimus ex præmiſſo folio, ubi hæc verba*. Anno 982. bonæ memoriæ idem Hartvvicus Abbas obiit 6. Idus Auguſti. *Quædam ejus epiſtolæ, non magni momenti, cum aliis aliorum Abbatum epiſtolis habentur in codice Tegernſenſi, num.* 1008. *ubi etiam exſtat ejuſdem Hartvvici epitaphium, quale hic apponimus*. Ejus obitus

Hic lapis eximium corpus tegit ecce puſillus
    Hartvvici monachi, qui fuit Abba loci.
Cujus & officium geſſit Paſtoris opimum
    Perplacitum Domino, Fratribus, & populo.
Defecit cultus monachilis mœnibus iſtis
    Annos tam plures, quod ſumus immemores.
Poſt hæc commiſerans divina potentia regnans,
    Treveris hunc noſtris miſerat auxiliis.
Hinc etenim Fratres docuit perdiſcere mores,
    Quos Benedictinam conſtat habere viam.
Omnibus acceptus, cui nullus amore ſecundus,
    Corripuit monachos, ut decuit, placidos.
Moribus & duros facit ipſe benigne benignos,
    Paulus & ut monuit, omnibus omne fuit.
Heu vix pervixit quinquennia, moxque receſſit,
    Nos dedit orbatos, & petit ille polos.
Sexta Idus rapit hunc Auguſti, atque æthre locavit.
    Hanc animam petimus ſuſcipiat Dominus.

4. *Hartvvico ſucceſſit* Gozpertus *ex monacho Ratiſponenſi, cujus varias epiſtolas ex ſuperiori codice deſcripſimus, aliquando Deo dante edendas. Gozpertum*

Digitized by Google

tum anno 1050. mortuum excepit Godehardus ſeu Gothardus, & ipſe Abbas Altabenſis atque Herſfeldenſis, ac demum Hildeſzeimenſis Epiſcopus ſanctus, cujus Acta in Sæculo ſequenti referenda.

VITA

AN.CHR. 984 1. Aug.

S. ETHELWOLDI EPISCOPI WINTONIENSIS.

Auctore (ut videtur) VVOLSTANO monacho, ejus diſcipulo.

Ex mſ. codice cœnobii Uticenſis in Gallia.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Vitæ ſcriptores.

1. Quod priſcam eccleſiaſticæ ac monaſticæ rei diſciplinam reſtituere ſæculo 10. conata eſt Anglicana eccleſia, id maxime debet pietati ac ſtudio trium illuſtrium Epiſcoporum, ſcilicet Ethelvvolvvoldi, Oſvvaldi, & Dunſtani, qui, cooperante in primis Eadgaro Rege, abuſus in Eccleſiam invectos ſuſtulerunt, & Monachos vitæ ſtrictioris in priſtinas ſedes poſtliminio revocarunt. Ita his tribus viris agentibus, quaſi triformi lumine Eccleſiam ſerenante, denſæ vitiorum tenebræ evanuere, ait Vvillelmus Malmesburienſis in lib. 2. de Regibus cap. 8. De Oſvvaldo ſuperius actum eſt, de Ethelvvoldo hic agendum, & inferius ſuo loco de Dunſtano. ATHELVVOLDUM, qui & Athelvvoldus, plures auctores celebrarunt, quorum primus videtur ALFRICUS Abandonienſis, qui anno ab Edelvvoldi obitu vigeſimo res ab eo geſtas litteris breviter mandavit. Ejus lucubrationem invenimus in mſ. codice Fiſcamnenſi. Proxime poſt eum idem præſtitit ſcriptor alter anonymus, quem hic damus: cujus ætas ex prologo & ex cap. 39. intelligitur. Teſtatur quippe ſe ea referre, quæ præſens viderit, & quæ fideli ſeniorum relatione didicerit. Hæc ſcriptio abſque auctoris nomine habetur in codice Uticenſi ſeu ſancti Ebrulfi, ea ætate ſcripto: ſed ejus auctor non alius mihi videtur quam VVOLSTANUS Monachus Vvintonienſis, de quo hæc Vvillelmus Malmesburienſis in l. 2. de Regibus Anglorum c. 8. ubi de Ethevvoldo. Hujus vitam Vvlſtanus quidam Cantor Vvintonienſis, diſcipulus ejus ſcilicet & alumnus, compoſuit ſtilo mediocri. Ut vero hanc eſſe putem Vvolſtani lucubrationem, hæc fere me movent, nempe quod ætas apprime conveniat, Geniuſque auctoris poetæ, qui nonnullos verſus huic vitæ inſeruit: deinde relata quædam a Villelmo in lib. 2. de Pontificibus Anglorum, ubi de Ethelvvoldo, quæ non ab Alfrico, (qui ea prætermiſit, nec ſcio an Vvillelmo notus fuit tamquam Vitæ S. Ethelvvoldi primus auctor) ſed ab auctore noſtro accepit, haud dubie Vvoſtano, quem unum laudat vitæ ſancti Ethelvvoldi ſcriptorem. Porro Alfrico Vvolſtanum idcirco prætulimus, quod hic eadem omnino, & quidem iiſdem ſæpe verbis referat, quædam vero adjiciat, quæ apud Alfricum deſiderantur, referunturque (ut dixi) a Vvillelmo, ut ſuo loco notabimus. Alfrici prologum huc referre juvat. Alfricus Abbas, Vvintonienſis alumnus honorabili Epiſcopo Kenulfo & Fratribus Vvintonienſibus ſalutem in Chriſto. Dignum ducens denique aliqua de geſtis Patris noſtri & magnifici Doctoris Athelvvoldi memoriæ modo commendare, tranſactis videlicet viginti annis poſt ejus migrationem, brevi quidem narratione mea, ſed & ruſtica, quæ apud vos, vel alias a fidelibus didici, huic ſtilo inſero, ne forte penitus propter inopiam ſcriptorum oblivioni tradantur. Valete. Alfricum ſeu Elfricum laudat Pitſeus ad annum 1016. ubi ait, eum ad Epiſcopatum primo Vviltunenſem, dein ad metropolim Cantuarienſem promotum fuiſſe. Alios auctores, qui de Ethelvvoldo egerunt, Rogerium Hovedenum, Henricum Huntindonienſem, Matthæum Vveſtmonaſterienſem, Joannem Bromtonum, Harpsfeldium, Thomam Maibeuvium indicaſſe ſufficiat: quibus adde auctores, qui facta ſanctorum Oſvvaldi & Dunſtani ſcripſerunt. Fallitur in his Bromtonus, qui Ethelvvolfi geſta confundit cum factis Alfvvolfi Epiſcopi Schireburnenſis, de quo ſuperius ad annum 958. dictum eſt, ubi de beato Vvlfſino.

Ethelvvoldi merita de re monaſtica.

2. Quid in rem monaſticam præſtiterit Ethelvvoldus, probant monaſteria Abandonienſe, præſertim duo Vvintonienſia, Vetus ac Novum: in quorum altero Monachi ejectis clericis ſuffecti,

ſecti, in altero inſtituti ſunt, ut pluribus dicitur non ſolum in ſequenti Vita, ſed etiam in actis Oſvvaldi & Dunſtani, apud Vvillelmum Malmeſburienſem, in Monaſtico Anglicano, & alibi. Audiendus hac de re Vvillelmus Malmeſburienſis in lib. 2. *de Regibus Anglorum cap.* 8. Quantum efficax fuerit ſanctitas & probitas diſcipulorum ſuorum, *nempe Dunſtani*, indicio eſt Athelvvoldus ex monacho Glaſtonienſi Abbas Abendonienſis, idemque poſt hæc Epiſcopus Vvintonienſis, qui tot & tanta Monaſteria fecit, quod vix modo credibile videatur, ut talia fecerit Epiſcopus urbis unius, qualia vix poſſet Rex Angliæ totius. Fallor, & præcipiti ſententia pecco, ſi non palam ſit quod dico. Quantula ſunt cœnobia Elienſe, Burchenſe, Tornienſe, quæ ille a fundamentis ſuſcitavit, & ſua induſtria perfecit? quæ cum ſemper exactorum vellicet nequitia, ſunt nihilo minus habitatoribus ſuis ſufficientia. *Tum laudato Vvolſtano ejus vitæ ſcriptore, ac deinde Oſvvaldo qui Vvigorniæ monachos pro clericis poſuit, hæc ſubdit Vvillelmus.* Expulerat antea regali juſſione Ethelvvoldus Epiſcopus clericos de Vvintonia, qui cum data a Rege ſibi optione, ut aut regulariter viverent, aut loco cederent; magis vitam mollem elegiſſent. *Vvillelmo ſuffragatur Ordericus Vitalis in hiſtoria ſua lib.* 4. *p.* 517. *ubi hæc verba.* Tunc cœnobium Medeshamſtede, quod pridem tempore Vulferi Regis Merciorum Sexvulfus Pontifex conſtruxit. Adelvvoldus Præſul ſub Edgaro Rege, in vico qui Burg dicitur, reſtauravit; & baſilicam in honore ſancti Petri Apoſtolorum principis editam magnis opibus ditavit. Deinde Tornejenſe, Eligenſe & alia multa monaſteria pluribus in locis fabricata ſunt: & conventus in illis Monachorum, aut Clericorum, aut Sanctimonialium ſollerter locata ſunt. Copia redditūum ſingulis monaſteriis largiter impartiebatur, unde ſufficiens victus & veſtitus theoricis adminiſtraretur ne pro penuria rerum neceſſariarum in divino cultu aliquatenus vacillantes frangerentur. Sic in Anglia monaſticus Ordo renovatus eſt, &c. *Quid in Vvintonienſibus monaſteriis Veteri ac Novo actum ſit per Ethelvvoldum, carmine perſecutus eſt Vvolſtanus, jam ſuperius laudatus, in epiſtola ad Elſegum Vvintonienſem Epiſcopum, præfixa duobus libris metricis ab eodem Vvolſtano ſcriptis de vita & miraculis ſancti Svvithuni Antiſtitis itidem Vvintonienſis, de quo in ſuperiori tomo egimus. Hanc epiſtolam poſt hanc Vitam referemus. Hoc Vvolſtani carmen non laudat in ſuperiori loco Vvillelmus, qui præter librum de vita Ethelvvoldi aliud opus de harmonia ei tribuit his verbis.* Fecit & aliud opus de tonorum harmonia valde utile, eruditi Anglici indicium, homo vitæ bonæ & eloquentiæ caſtigatæ. *Eam eloquentiam negligere viſus eſt in Vita S. Ethelvvoldi, quæ* mediocri ſtilo *re vera ſcripta eſt. De novo monaſterio lege quæ diximus ſupra in elogio S. Grimbaldi.*

AN.CHR. 984

1. Auguſt.

3. *Pulchra ſunt quæ de Tornejenſi monaſterio per Ethelvvoldum exculto ſcribit Vvillelmus in fine libri* 4. *de Pontificibus Anglorum. Ibi* ſolitudo ingens ad quietem data Monachis, ut eo tenacius hæreant ſuperius, quo caſtigatius mortales conſpicantur. Femina ibi ſi viſitur, monſtro habetur: maribus advenientibus quaſi Angelis plauditur: ceterum ibi nullus niſi momentanee converſatur. *Ethelvvoldus* jam a principio epiſcopatus eremiticam ibi exercere vitam *cœpit*, libabatque ut poterat futuræ quetis primitias diebus quadraginta in remotiſſima, quam ipſe conſtruxerat, eccleſia ſolus Deo vacans. Idcircoque non tantum terrarum illic, quantum alibi congeſſit: ſed quantum ſibi & duodecim Monachis ſatis eſſet. Corpora ſanctorum, qui olim in illa eremo diverſati fuiſſent, necnon & aliorum per Angliam tot advexit, ut omnes pæne anguli eccleſiæ pleni ſint. *Ceteris propter nominum ſtridorem omiſſis, Vvillelmus unum memorat Benedictum Abbatem Vviremuthenſem, venerabilis Bedæ nutricium, cujus* Benedicti corpus magno coemptum pretio Adelvvoldus Thornejam advexit, & obſcurioribus ſanctis luciſluum jubar invexit. *Torneja inſula,* Thornig *hic in cap.* 24 *appellatur, ſita prope urbem Elienſem, in Comitatu Cantabrigienſi. De eo lege Monaſticum Anglicanum a pag.* 242. *ubi eccleſiæ pars aquilonaris S. Benedicto ſacrata fuiſſe dicitur pag.* 243.

Thornejenſe monaſterium.

4. *Ethelvvoldi memoriam in rebus ſacris jam inde ab ejus obitu celebravit Anglicana eccleſia, ut præ aliis teſtatum facit Miſſa hic edita, qualis in mſ. codice Uticenſi pervetuſto habetur. Ejus mortis diem Alfricus aſſignat tertio Kalendas Auguſti, (ſi non fallit apographum noſtrum) Vvolſtanus aliique poſt eum Kalendis ipſis. Sic enim legitur non ſolum in cap.* 41. *ſed etiam in ipſo Vitæ ejus titulo, qualem mox referemus.*

Ethelvoldi cultus.

5. *Pitſeus in libro de illuſtribus Angliæ ſcriptoribus Ethelvvoldum noſtrum commendat, eique tribuit opuſcula nonnulla, nempe* de ſua in Presbyteros poteſtate ad Joannem Papam XIV. l. 1. Contra Presbyteros fornicarios & eorum concubinas lib. 1. De Abbatibus Lindisfarnenſibus lib. 1. De Regibus, regnis, & epiſcopatibus totius Angliæ lib. 1. De tempore Regum Britannorum lib. 1. De ſuis viſitationibus lib. 1. De planetis & mundi climatibus lib. 1. & alia non pauca. *Sed an & quæ vere ipſius ſint, non facile eſt definire, cum ea opera non ſint in promptu. Non tamen dubitem librum* de Abbatibus Lindisfarnenſibus *haud alium eſſe quam carmen Ethelvvlſi monachi Lindisfarnenſis de iſto argumento, a nobis editum in tomo ſuperiori. Addit Pitſeus librum* de viſitationibus *opus eſſe Ethelvvoldi monachi Vvintonienſis. Cetera, forſan præter duos primos, aliena etiam videntur.*

Scripta.

AN.CHR. 984 1. Auguſt.

INCIPIT PRÆFATIO

De vita glorioſi Patris Athelvvoldi Epiſcopi, cujus ſacra memoria celebratur in Kalendis Auguſti, qua die feliciter ad regna migravit cæleſtia.

POſtquam mundi Salvator Chriſtus humano generi per aulam virginalis uteri incarnatus apparuit, & expleta ſuæ pietatis ac noſtræ ſalutis ineffabili diſpenſatione, ad paternæ majeſtatis ſedem cum triumpho gloriæ eſt regreſſus, multa per univerſum orbem diffudit apoſtolicorum luminaria Doctorum, qui evangelicæ fidei illuſtratione perfuſi, cæcas ignorantiæ tenebras ab humanis cordibus effugarent, & ut credentium mentes igne ſuperni amoris iuflammarent, & elongata diuturnæ mendicitatis eſurie, populorum turbas æternæ vitæ epulis ſatiarent. Ex quorum collegio beatus pater & electus Dei Pontifex Adelvvoldus, velut lucifer inter aſtra coruſcans, ſuis temporibus apparuit, multorumque cœnobiorum fundator & eccleſiaſticorum dogmatum inſtitutor, inter omnes Anglorum Pontifices ſolus ſingulariter effulſit. De cujus ortu geſtis & obitu ſcire cupientibus, aliqua narrare dignum duximus, & ne tanti patris memoria penitus oblivioni traderetur, ea quæ præſentes ipſi vidimus, & quæ fideli ſeniorum relatione didicimus, in his ſcedulis ſummatim perſtrinximus, illius ſanctis confiſi ſuffragiis, hoc & nobis qui ſcripſimus, & eis qui lecturi vel audituri ſunt profuturum.

INCIPIUNT CAPITULA

Sequentis libelli.

I. *De ortu & temporibus beati* ADELVVOLDI *Epiſcopi.*

II. *De viſione ſomniorum matris ejus.*

III. *De interpretatione ſomniorum eorumdem.*

IV. *Quomodo mater ſenſit animam pueri naſcituri veniſſe, & in eum intraſſe.*

V. *Quomodo puer natus & in Chriſto renatus, quadam die ſubito in eccleſia cum nutrice ſua eſt inventus.*

VI. *Quam ſtudioſe & diligenter in ipſa pueritia ſatris litterarum ſtudiis animum dederit.*

VII. *Quomodo adoleſcens* ADELSTANO *Regi notus effectus, ad Clericatum & Sacerdotium pervenerit.*

VIII. *De prophetia quam prædixit ſanctus* ÆLFEGUS *Vvintonienſis Epiſcopus de tribus ſacerdotibus.*

IX. *Quomodo Adelvvoldus Gleſtoniam pervenit, & Monachus factus, qualiter ibi vixerit.*

X. *De obitu Regis Ædelſtani, & de ſucceſſione fratrum ejus in reguum gentis Anglorum.*

XI. *Quomodo rege* EADREDO *favente, ſanctus vir Abbandunenſis monaſterii curam ſuſcepit, ejuſque loci Abbas ordinatus fuerit.*

XII. *Quod Rex Eadredus ad Monaſterium venerit, & hoſpitibus tota die convivantibus liquor exhauriri nequiverit.*

XIII. *Quod regnante* EADGARO *templum prædicti cœnobii conſtructum & dedicatum fuerat.*

XIV. *De ordinatione* DUNSTANI, *& quod Abbas Adelvvoldus* OSGARUM *Monachum trans mare direxerit; & de quodam fratre* ÆLSTANI *ſimplici & magnæ obedientiæ viro.*

XV. *Quomodo hoſtis antiquus ſanctum virum per caſum cujuſdam poſtis extinguere conatus ſit.*

XVI. *Quod Rex Eadgarus ad Epiſcopatum Vvintonienſis eccleſiæ ſanctum virum elegerit.*

XVII. *De communione quam Clerici cantaverunt, quando Monachi de Abbandunia venientes ad ingreſſum eccleſiæ ſteterunt.*

XVIII. *De expulſione Clericorum de Veteri monaſterio.*

XIX. *Quomodo vir ſanctus venenum biberit, & fidei calore ſuccenſus, potum mortis exſtinxerit.*

XX. *De expulſione Clericorum de Novo monaſterio.*

XXI.

Digitized by Google

XXI. *Quod in Abbandonia Oſgarum conſtituerit Abbatem.* AN.CHR.
XXII. *Quod in cœnobia Nonnarum Sanctimoniales ordinaverit.* 984
XXIII. *Quomodo in provincia Orientalium Anglorum Fligenſe cœnobium regulariter Monachis inſtituerit.* 1. Auguſt.
XXIV. *Quod in provincia quoque Girviorum duo Monaſteria Burgh atque Thornig appellata, ſimili modo Monachis dilegaverit.*
XXV. *De familiaritate ſancti viri cum Rege Eadgaro.*
XXVI. *De revelatione ſancti Antiſtititis Suvithuni, quem ſanctus pater Adelvvoldus ſub die Idus Julii cum omni gloria tranſtulit, & inde in eccleſia collocavit.*
XXVII. *Quod & alia multa per Dunſtanum, & Adelvvoldum conſtructa & conſtituta ſint Monachorum Monialiumque cœnobia in gente Anglorum,*
XXVIII. *Quomodo ſanctus Adelvvoldus lenitatis blandimento ſeveritatem diſciplinæ temperaverit.*
XXIX. *Quomodo famis tempore multitudinem pauperum ab ipſis faucibus mortis eripuerit.*
XXX. *Quod inter hæc vir ſanctus infirmitates ſæpe viſcerum & tumorem crurium perpeſſus fuerit.*
XXXI. *Quod juvenes docere ſemper dulce habuerit.*
XXXII. *De Chriſmatis ampulla pene vacua, & in itinere oleo plena inventa.*
XXXIII. *De Monacho, qui furtum perpetravit, & ſolo ſermone viri Dei quid perpeſſus fuerit.*
XXXIV. *De Monacho, qui de ſummo templi culmine cecidit, & nil mali paſſus incolumis ſurrexit.*
XXXV. *De Monacho, qui ſe viro Dei in legendo aſſimilare præſumpſit, quid perpeſſus fuerit.*
XXXVI. *De candela quæ Epiſcopo obdormiente ſuper folium libri ardens jacuit, & tamen paginam minime læſit.*
XXXVII. *Quod non omnia virtutum ſancti viri opera valeant explicari.*
XXXVIII. *De arbore quadam magna cucullis innumeris onuſta, & de ejus interpretatione, quæ in ſomnis ſancto Dunſtano olim fuerat oſtenſa.*
XXXIX. *De viſione viri Dei in qua apparuit ei navis quædam maxima piſcibus & anguillis ab imo uſque ad ſummum plena, qui excitati homines ſunt effecti, & rationi priſtinæ reſtituti.*
XL. *De veteris eccleſiæ nova dedicatione, quæ facta eſt in die* 13. *Kal. Novembris.*
XLI. *De obitu ſancti Patris in Kal. Auguſti, & de ſepultura ejus die tertio Nonarum ejuſdem menſis.*
XLII. *Quomodo ſanctus vir antequam levaretur e tumulo, manifeſtavit ſe viro urbano cuidam, nomine* ELTHELMO, *plurima cæcitate mulctato.*
XLIII. *De ſancti viri translatione, quæ facta eſt ſub die quarta Iduum Septembrium, & de miraculis ad ejus ſepulchrum patratis.*
XLIV. *De infirma puella, quæ ibi ſanitatem recepit.*
XLV. *De cæco puero, qui & ipſe ibidem illuminatus eſt.*
XLVI. *De ligato quodam fure & in cippo extenſo, qui ſolo ſermone viri Dei abſolutus eſt.*

INCIPIT VITA SANCTI ADELVVOLDI
Vvintonienſis Epiſcopi & Confeſſoris.

ERant igitur parentes ſancti Pontificis Adelvvoldi ex ingenua Chriſtianorum propaginæ oriundi, Wentanæ civitatis, urbani, temporibus ſenioris Eaduardi Regis Anglorum florentes, in mandatis & juſtificationibus Domini ſine querela fideliter incedentes. Qui dum quotidianis bonorum operum pollerent incrementis, eximio Dei munere decorati ſunt, quo talem mererentur gignere ſobolem, cujus eruditione & exemplis non ſolum populi præſentis ævi, ſed etiam futuri pervenirent ad notitiam veri luminis: ut exuti caligine tenebroſi erroris, gloria fruerentur æternæ claritatis. CAPUT. I.

Itaque felix ejus genitrix cum eum in utero conceptum gereret, vidit hujuſcemodi intempeſta nocte ſomnium, quod erat certum futuri effectus præſagium. Viſum namque ſibi eſt, ſe pro foribus ſuæ domus ſedere, & obtutibus ſuis adeſſe quoddam ſublime vexillum, cujus ſummitas cælum tangere videbatur: quod ſe inclinando honeſte ad terram, fimbriarum ſuarum velamine circumdedit impræguatam, ruruſumque procera altitudine erectum, & inflexibili ſtabilitate robuſtum, ipſum unde inclinabatur repetiit cælum. Expergefacta autem mulier rurſus ſopore deprimitur, & ecce repente vidit II.

Digitized by Google

AN.CHR. 984 1. Auguſt. ex ore ſuo proſilire & avolare quaſi auream miræ magnitudinis aquilam, quæ volando cuncta Wentanæ civitatis ædificia, auratis pennarum remigiis obumbravit, & in alta cælorum ſe elevando diſparuit. Cumque mulier evigilans ſecum miraretur attonita, & ſomniorum viſionem mente volveret tacita, nec per ſemetipſam conjicere poſſet eorum interpretationem; perrexit ad quamdam Chriſti famulam, nomine Edeldridam, moribus & ætate maturam, quæ in præfata urbe nutrix erat Deo devotarum Virginum, cui narravit ex ordine, quod ſibi oſtenſum fuerat in nocturna viſione. At illa, ſicut erat ſagaci animo prudentiſſima, & interdum etiam futurorum Domino revelante præſcia, de naſcituro infante multa prædixit, quæ vera eſſe rerum exitus indicavit.

III. Nos quoque eorumdem ſomniorum conjectores eſſe poſſumus, in ſublimi vexillo intelligentes Sanctum virum, qui tunc in utero portabatur quandoque futurum militiæ Dei ſigniferum, ſicut & erat, quem multimoda reluctatione contra antiquum hoſtem pro defenſione ſanctæ matris Eccleſiæ congredientem vidimus, ipſoque bellante, immo per ipſum Deo vincente, pravorum machinamenta ad nihilum redacta conſpeximus. Et quia aquila ab acumine oculorum vocatur, & teſtante ſacro eloquio theſaurus deſiderabilis requieſcit in ore ſapientis; recte per auream aquilam, quæ totam urbem alarum velamento obumbrare viſa eſt, idem præclarus vir totius ſapientiæ decoratus exprimitur: qui perſpicaci & irreverberata cordis acie divina meditando, ſemper ad cæleſtia per contemplationem volavit, & ſuper Eccleſiam magni Regis civitatem, quam contrariæ poteſtates impugnare nitebantur, umbraculum paternæ protectionis longe lateque expandit, & conſummato boni certaminis curſu, ad viſionem Dei in Sanctorum comitatu pervenit, ſicut in Evangelio voce Dominica dicitur: *Ubicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur aquilæ*. Quia ubi ipſe Redemptor noſter eſt corpore, illuc procul dubio nunc colliguntur electorum animæ, & in futuræ reſurrectionis gloria illuc quoque eorum colligentur & corpora. Hæc de ſomniorum interpretatione breviter diximus: nunc ad narrationis ordinem redeamus.

(margin: theſauro.)

IV. Quadam namque die cum mater ejus ſtipata civibus ſtaret in eccleſia, ſacræ Miſſæ celebrationi intereſſe deſiderans, ſenſit animam pueri quem gerebat in utero, veniſſe, & in eum Dei nutu cuncta moderantis intraſſe, ſicut poſtea ipſe Sanctus qui naſciturus erat, jam Epiſcopus nobis gaudendo referebat. Ex quo oſtenditur, eum a Deo electum exſtitiſſe, etiam antequam naſceretur, & animam procreati hominis non, ut quidam æſtimant, a patre vel a matre exſiſtendi initium ſumere, ſed, ut vere & abſque omni dubietate creditur, a ſolo Creatore vitalem ſpiritum vivificari, & ſingillatim unicuique dari. Naſcitur ergo futurus Dei Pontifex, & fonte baptiſmatis in Chriſto renatus, Adelvvold a parentibus eſt appellatus, ſanctique chriſmatis unctione confirmatus gratiæ Dei in omnibus commendatus.

V. Accidit enim quadam ſollemni die, cum more ſolito nutrix illius ad eccleſiam pergere, & orationi incumbere decreviſſet, tam validam inundantis pluviæ tempeſtatem erumpere, ut extra loci limen, ubi in gremio tenens eumdem infantem ſederat, pedem movere non poſſet: quæ dum mærens amariſſime fleret, eo quod votum piæ devotionis ſolvere nequiret; caput humiliter omnipotentem Dominum rogatura declinavit, & confeſtim divina miſeratione conſolari promeruit. Nam nullam moleſtiam procelloſæ tempeſtatis ſentiens, ſubito cum infantulo inventa eſt ſedens in eccleſia quam adire diſponebat, ubi ſollemnia Miſſarum Presbyter celebrabat: & quod nulla ratione credere potuiſſet ut fieret, factum vehementer expavit; & omnes hujus rei cognoſcentes miraculum magnæ admirationis ſtupor invaſit. Sicut enim Propheta quondam ex Judæa repente ſublatus, & in Chaldæa cum prandio depoſitus; ſic beatus puer Adelvvoldus ſub momento eum nutrice in templo eſt præſentatus; ut ſicut ille refecit congruo tempore Danielem prophetam in lacu leonum, ſic iſte millia populorum paſceret in Eccleſia Sanctorum.

Igi-

Digitized by Google

Igitur quotidiano profectu crevit puer bonæ indolis, & in ipſa mox pueritia ſacris litterarum ſtudiis traditus: ut qui aliis viam ſalutis erat oſtenſurus, ipſe cum Maria ſecus pedes Domini humiliter ſederet, & verbum ex ore illius ſalubriter audiret. Erat enim agilis natura atque acutus ingenio, ita ut quidquid majorum traditione didicerat, non ſegniter oblivioni traderet, ſed tenaci potius memoriæ commendaret. Studebat etiam teneros pueritiæ annos morum honeſtate & virtutum maturitate vincere, divinis ſemper obſequiis omnia membra ſua mancipare, & ad Dei implendam voluntatem totam mentis ſuæ intentionem dirigere: ſicque præceptis Chriſti muneribus recte vivendo gratias exhibere, ut ad majora percipienda dignus mereretur exſiſtere. AN.CHR. 984 I. Auguſt. VI.

Cumque florentis adoleſcentiæ contigeret ætatem, præconium ſanctæ converſationis ejus Ædelſtano Regi, filio prædicti Regis Eadvvardi, fama vulgante nuntiatum eſt, juvenemque feſtinanter accerſſiri præcepit: qui cum adductus ſtaret in præſentia Regis, invenit gratiam in conſpectu ejus, & in oculis optimatum ejus: ibique individuo comitatu multum temporis agens in palatio, plura a Sapientibus Regis utilia ac proficua ſibi didicit. Et demum jubente Rege ab Ælfego Wintonienſi Epiſcopo ſecundum morem eccleſiaſticum prius ad Clericatus officium tonſoratus, ac deinde paucis labentibus annorum curriculis in gradum ſacerdotalem conſecratus eſt. VII.

Ipſe enim beatæ recordationis pater Elfegus, inter cetera ſibi collata ſpiritualium chariſmatum dona, prophetiæ ſpiritu pollebat, & contigit eum ordinaſſe in ipſo tempore ſimul Dunſtanum & Adelvvoldum, & quemdam, Edelſtanum vocabulo, qui poſtmodum monachilem habitum deſerens apoſtata fine tenus perduravit. Completa autem Miſſarum celebratione ſanctus Antiſtes Elfegus ſibi adhærentes ita alloquitur: Hodie coram Deo tribus viris manus impoſui, eoſque in ſacerdotii ordinem conſecravi: quorum duo ad epiſcopalem pertingent apicem, unus quidem primum in civitate Wigornenſi, deinde in Cantia, quæ eſt metropolis eccleſiæ gentis Anglorum: alter vero mihi quandoque ſucceſſurus eſt in pontificii dignitatem: tertius autem per lubrica voluptatum blandimenta miſerabili fine tabeſcet. Tunc Edelſtanus interrogavit ſanctum Antiſtitem propinquum ſuum dicens: Num mihi continget eſſe unum ex duobus, qui epiſcopali cathedra ſublimandi ſunt? Cui reſpondit Antiſtes: Non erit tibi pars neque ſors in eo quem præfatus ſum ordine; ſed neque in ea ſanctitate, quam in hominum conſpectu videbaris inchoaſſe permanſurus es. Cujus prophetiæ verba quam veraciter eſſent prolata, rei probavit eventus. Nam duo (ſicut dicit Scriptura, *Juſtus juſtificetur adhuc, & ſanctus ſanctificetur adhuc*) ad pontificatus honorem pervenerunt, tertius vero juxta terribilem prioris ſententiæ comminationem quæ dicit, *Qui in ſordibus eſt ſordeſcat adhuc*, in fætore luxuriæ vitam finivit. VIII.

Adelvvoldus autem Chriſti famulus, nomine, mente & opere benivolus, arctam viam quæ ducit ad vitam recto itinere gradiens, quotidiana Deo cooperante ſtuduit melioratione ſuccreſcere, dans operam diligenter doctrinis & exemplis Elfegi ſuſceptoris & ordinatoris ſui. Nam apud eum præcipiente Rege, quo melius imbueretur, aliquamdiu commoratus eſt, ac poſtmodum Gleſtoniam perveniens, magnifici viri Dunſtani Abbatis ejuſdem monaſterii diſcipulatui ſe tradidit: cujus magiſterio multum proficiens, tandem monaſtici ordinis habitum ab ipſo ſuſcepit, humilique devotione ejus regimini deditus eſt. Didicit namque inibi liberalem grammaticæ artis peritiam, atque mellifluam metricæ rationis dulcedinem: & more apis prudentiſſimæ, quæ ſolet boni odoris arbores circumvolando requirere, & jocundi ſaporis oleribus incumbere, divinorum carpebat voluminum flores. Catholicos quoque & nominatos ſtudioſe legebat auctores, inſuper vigiliis & orationibus perſeveranter inſiſtens, & abſtinentia ſemetipſum edomans, & Fratres ſemper ad ardua exhortans. Qui cum pro merito ſanctitatis ab omnibus ama- IX.

AN CHR. 984 1. Auguſt.

amaretur, & monaſterii Decanus ab Abbate ſuo conſtitueretur; nullum elationis incurrit periculum, ſed tantæ ſubjectis præbuit humilitatis exemplum, ut quotidiano manuum opere hortum excolendo laboraret, & Fratribus ad prandium poma, ac diverſi generis legumina præpararet: ut poſt ſpiritualem animarum refectionem, corporum quoque neceſſaria miniſtraret, præ oculis ſemper retinens illud Dominicum: *Quicumque voluerit inter vos major fieri, ſit veſter miniſter; & qui voluerit inter vos primus eſſe, erit veſter ſervus*, & illud: *Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo invenies gratiam*. Hæc & alia memoriæ commendans Scripturæ teſtimonia, per diſciplinam ſubditos, & per humilitatem cuſtodiebat ſemetipſum.

X. Contigit interea victorioſiſſimum Regem Ædelſtanum, quarto anno poſtquam hoſtilem paganorum exercitum maxima ſtrage peremit, obiiſſe, & fratrem ejus Eadmundum pro eo regni gubernacula ſuſcepiſſe. Cui poſt annos ſex & dimidium crudeliter interempto, ſucceſſit in Regnum frater ejus Eadredus, qui erat Veteris cœnobii in Wintonia ſpecialis amator atque defenſor, ut teſtantur ea quæ ipſo jubente fabricata ſunt ornamenta, magna ſcilicet aurea crux, altare aureum, & cetera quæ larga manu benignus illuc ad honorem beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli direxit, ibique æternaliter ad Dei laudem & gloriam conſervari præcepit: qui etiam, ſi vita comes fieret, orientalem porticum ejuſdem Wintonienſis eccleſiæ deauratis imbricibus adornare diſpoſuit. Cujus regni tempore vir Domini Adelwoldus adhuc cupiens ampliori Scripturarum ſcientia doceri, & monaſtica religione perfectius informari, decrevit ultra marinas adire partes. Sed venerabilis regina Eadgivv, mater Regis memorati prævenit ejus conamina, dans conſilium Regi, ne talem virum ſineret egredi de regno ſuo, inſuper aſſerens tantam in eo fuiſſe Dei ſapientiam, quæ & ſibi & aliis ſufficere poſſet, quamvis ad alienæ patriæ fines ob hanc cauſam minime tenderet.

XI. Quibus auditis delectatus Rex, magnam circa Dei famulum cœpit habere dilectionem, placuitque ei ſuadente matre ſua, dare ſancto viro quemdam locum vocabulo *Abbandum*, in quo modicum antiquitus monaſteriolum, ſed erat tunc neglectum ac deſtitutum, vilibus ædificiis conſiſtens, & quadraginta tantum manſos poſſidens: reliquam vero præfati loci terram, quæ centum caſſatorum luſtris hinc inde gyratur, regali dominio ſubjectam Rex ipſe poſſidebat. Factumque eſt conſentiente Dunſtano Abbate ſecundum Regis voluntatem, ut vir Deo Adelvvoldus prænotati loci ſuſciperet *a* curam, quatinus in eo Monachos ordinaret regulariter Deo ſervientes. Venit ergo ſervus Dei ac locum ſibi commiſſum: quem protinus ſecuti ſunt quidam Clerici de Gleſtonia, ſcilicet Oſgarus, Foldbirhtus Frivvegarus, & Ordbirhtus de Wintonia, & Eadricus de Lundonia, ejus diſcipulatui ſe ſubdentes. Congregavitque ſibi in brevi ſpatio gregem Monachorum, quibus ipſe Abbas jubente Rege ordinatus eſt. Dedit etiam Rex poſſeſſionem regalem, quam in Abandonia poſſederat; hoc eſt centum caſſatos cum optimis ædificiis, Abbati & Fratribus ad augmentum quotidiani victus, & de regio theſauro ſuo multum eos in pecuniis juvit: ſed mater ejus largius ſolatia munerum eis direxit. Tantamque gratiam Dominus ſibi ſervientibus contulit, ut ad præfatum cœnobium, quod antea rebus erat pauperrimum, omnes ſimul divitiæ putarentur affluere, & ſic cuncta proſperis ſucceſſibus occurrere, ut palam ſententiæ dominicæ promiſſio impleri videretur, qua dicitur: *Primum quærite regnum Dei & juſtitiam ejus, & omnia adjicientur vobis*.

XII. Venit ergo Rex quadam die ad Monaſterium, ut ædificiorum ſtructuram per ſe ipſum ordinaret: menſuſque omnia fundamenta Monaſterii propria manu;

---

a Is Abbas Abandonenſis Edredi privilegio pro monaſterio Crulandenſi ſubſcripſit anno 948. apud Ingulſum. Et tamen in Monaſtici Anglicani tomo 1. pag. 16. col. Abbandoniæ Abbas dicitur, ordinatus anno 954. an legendum 44.? *Viros monaſticæ diſciplinæ exquiſite callentes, ex Corbejenſi Galliæ cœnobio* accerſiſſe dicitur Ethelvvoldus apud Harsfeldium Sæculi 10. cap. 9. conſule Monaſtici tomum 1 pag. 97.

manu, quemadmodum muros erigere decreverat, rogavitque eum Abbas in hoſpitio cum ſuis prandere. Annuit Rex illico, & contigit adeſſe ſibi non paucos Optimatum ſuorum venientes ex gente Nordamhimbrorum, qui omnes cum Rege adierunt convivium. Lætatuſque Rex & juſſit abunde propinare hoſpitibus hydromellum * clauſis diligenter foribus, ne quis fugiendo potationem regalis convivii deſerere videretur. Quid multa? hauſerunt miniſtri liquorem tota die ad omnem ſufficientiam convivantibus: ſed nequivit ipſe liquor exhauriri de vaſe, niſi ad menſuram palmi, in ebrietate ſuatim Nordanhimbris & veſperi cum lætitia recedentibus. AN. CHR. 984 1. Auguſt. *al. medonem.

XIII. Non tamen cœpit Adelvvoldus Abbas deſignatum ſibi opus ædificare in diebus Eadredi regis, quia Rex idem celeriter ex hac vita migravit die 9. kal. Decembris. Sed regnante glorioſo Rege Eadgaro, inſigni & clementiſſimo, præpotente ac invictiſſimo Regis Eadmundi filio, honorabile templum in honore ſanctæ Dei genitricis ſemperque Virginis Mariæ in eodem conſtruxit loco, & conſummavit, quod uſque in hunc diem viſu melius quam ſermone oſtenditur.

XIV. Circa hæc tempore eligitur Abbas Dunſtanus ad epiſcopatum Vvigornenſis eccleſiæ, juxta prophetiam ſancti Elfegi Epiſcopi, ſicut ſupra tetigimus. Et poſt aliquot annorum curricula factus Archiepiſcopus, manſit in Cantia triginta & ſeptem annis, quaſi columna immobilis, doctrina & actione præcipuus, angelico vultu decorus, eleemoſynis & prophetia præpollens: ad cujus tumbam cæleſtia ſepe fieri miracula audivimus. Adelvvoldus autem miſit Oſgarum, monachum trans mare ad Monaſterium ſancti Patris Benedicti Floriacenſe, ut regularis obſervantiæ mores illic diſceret, ac domi Fratribus docendo oſtenderet: quatinus ipſe normam monaſticæ religionis ſecutus, & una cum ſibi ſubjectis devia quæque declinans, gregem ſibi commiſſum ad promiſſam cæleſtis regni patriam perduceret. In qua congregatione erat quidam frater Elfſtanus nomine ſimplex & magnæ obedientiæ vir, quem Abbas juſſit prævidere cibaria artificum monaſterii, cui ſervitio ipſe devotiſſime ſe ſubdens, coxit carnes quotidie, & operariis ſedulus miniſtrabat, focum accendens & aquam apportans, & vaſa denuo ſponte emundans, exiſtimante Abbate hoc illum cum ſolatio & juvamine alterius miniſtri peragere. Accidit namque quadam die, dum Abbas more ſolito peragraret monaſterium, ut aſpiceret illum fratrem juxta fervens caldarium, in quo victualia præparabat artificibus, & intrans vidit omnia vaſa mundiſſima, ac pavimentum ſcopatum, dixitque ad eum hilari vultu: O mi frater Elfſtane, hanc obedientiam mihi furatus es, quam me ignorante exerces. Sed ſi talis miles Chriſti es, qualem te oſtendis, mitte manum tuam in bullientem aquam, & unum fruſtum de imis mihi impiger adtrahe, qui ſtatim ſine mora mittens manum ſuam ad imum lebetis, abſtraxit fruſtum fervidum, non ſentiens calorem ferventis aquæ, quo viſo Abbas juſſit fruſtum deponi, & nemini hoc indicare viventi. Illum vero fratrem poſtmodum Abbatem vidimus ordinatum, qui etiam deinde pontificali honore ſublimatus, eccleſiæ Vviltunienſi eſt prælatus, & beato fine *a* in Domino conſummatus.

XV. Erat namque ſanctus Adelvvoldus eccleſiarum ac diverſorum operum magnus ædificator, & dum eſſet Abbas, & dum eſſet Epiſcopus. Unde tetendit ei communis adverſarius ſolitas ſuæ malignitatis inſidias, ut eum, ſi ullo modo poſſet, exſtingueret. Nam quadam die dum vir Dei in ſtructura laboraret, ingens poſtis ſuper eum cecidit, & in quamdam foveam dejecit, confregitque pæne omnes coſtas ejus ex uno latere, ita ut niſi fovea illum ſuſciperet, totus quaſſaretur.

XVI. Convaluit tamen vir ſanctus de hac moleſtia, Dei omnipotentis adju-

Pp iiiij van-

a Eadem totidem verbis, nec plura refert Vvillelmus Malmesburienſis in lib. 2. de Pontificibus Anglorum cap. 4.

UNIVERSIDAD CENTRAL BIBLIOTECA DERECHO

Digitized by Google

AN.CHR. 984 1. Auguſt. Anno 963. ordinatio Adelvvoldi.

vante gratia, & elegit eum Eadgarus feliciſſimus Anglorum Baſileus ad epiſcopatum Vvintonienſis eccleſiæ, antequam eccleſia præfati cœnobii dedicaretur. Et jubente Rege conſecravit illam Dunſtanus Archiepiſcopus Dorobernenſis eccleſiæ, anno Dominicæ Incarnationis nongenteſimo ſexageſimo tertio, ſub die tertio kalendarum Decembrium, in vigilia ſancti Andreæ Apoſtoli, quæ tunc habebatur in Dominica prima Adventus Domini & Salvatoris noſtri Jeſu-Chriſti. Erant autem tunc in Veteri monaſterio, ubi cathedra pontificalis habetur, Canonici nefandis ſcelerum moribus implicati, elatione & inſolentia atque luxuria præventi, adeo ut nonnulli eorum dedignarentur Miſſas ſuo ordine celebrare, repudiantes uxores quas illicite duxerant, & alias accipientes, gulæ & ebrietati jugiter dediti. Quod minime ferens ſanctus vir Adelvvoldus, data licentia a Rege Eadgaro, expulit citiſſime deteſtandos blaſphematores Dei de monaſterio; & adducens Monachos de Abbandonia locavit illic, quibus ipſe Abbas & Epiſcopus exſtitit.

XVII. Accidit autem ſabbato in capite *a* Quadrageſimæ, dum Monachi venientes de Abbandonia ſtarent ad ingreſſum eccleſiæ, clericos Miſſam finire Communionem canendo: *Servite domino in timore, & exſultate ei cum tremore: apprehendite diſciplinam ne pereatis de via juſta*: quaſi dicerent: Nos noluimus Deo ſervire, nec diſciplinam ejus ſervare, vos ſaltim facite, ne ſicut nos pereatis de via, quæ cuſtodientibus juſtitiam regna facit aperiri cæleſtia. Quo audito fratres gaviſi ſunt, intelligentes a Domino ſuum iter eſſe proſperatum, & Dei nutu hunc pſalmum propter illorum præſentiam fuiſſe decantatum, moxque Davidicum ad ſe traxerunt imperium, Oſgaro exhortante eos atque dicente: Cur foris moramur? faciamus ſicut hortantur nos Canonici, ingrediamur, & per viam juſtitiæ gradientes, Domino Deo noſtro cum timore & exſultatione famulemur, ut cum exarſerit in brevi ira ejus, mereamur eſſe participes illorum de quibus ſubjungitur: *Beati omnes qui confidunt in eo.*

XVIII. Miſit quoque Rex illuc cum Epiſcopo quemdam miniſtrorum ſuorum famoſiſſimum, cui nomen erat Vulfſtan Ætdelham *b*, qui regia auctoritate mandavit Canonicis, ut unum de duobus eligerent, aut ſine mora dare locum Monachis, aut ſuſcipere habitum monachilis Ordinis. At illi nimio pavore conterriti, & vitam exſecrantes monaſticam, intrantibus Monachis illico exierunt: ſed tamen poſtmodum tres ex illis ad converſionem venerunt, ſcilicet Eadſinus, Vulſinus, & Vvilſtanus Presbyter, qui cœnobium quod expulſi reliquerant, humili corde repetentes, Chriſti jugo colla ſubdiderunt. Nam hactenus ea tempeſtate non habebantur Monachi *c* in gente Anglorum, niſi tantum qui in Gleſtonia morabantur & Abbandonia.

XIX. Deinde cum prædicti Fratres in Veteri cœnobio regularis vitæ normam ſervare cœpiſſent, & illuc multi ad Dei famulatum ſenes converſi, juvenes adducti, & parvuli oblati confluerent; ex invidia Clericorum datum eſt Epiſcopo venenum bibere in aula ſua cum hoſpitibus prandenti, omnemque eis humanitatem exhibenti, quatinus illo exſtincto ſervos Dei expellerent, rurſumque in unum congregati priſtinis libere frui flagitiis potuiſſent. Erat namque ei moris ſtatim poſt tres aut quatuor offulas modicum quid bibere: bibitque neſciens apportatum ſibi venenum totum quod erat in calice, & ſtatim in pallorem facies ejus immutata eſt, & viſcera illius nimium vi graſſantis veneni cruciabantur. Surrexit autem vix a menſa exiens ad lectulum, ſerpſitque venenum per omnia membra ejus,

a Vides caput Quadrageſimæ etiam tunc initum a Quadrageſimæ Dominica prima, in qua hæc Antiphona ad Miſſæ communionem legitur.

b Ælfrico, *Miſit quoque Rex quemdam miniſtrorum ſuorum famoſiſſimum, Vvolfſtanum vocabulo, cum Epiſcopo qui regia auctoritate, &c.*

c Spelmannus in tomo 1. Conciliorum pag. 434. ubi ſimilia refert, id interpretatur de Monachis regularibus, non de ſæcularibus ſeu vitæ ſolutioris, quos in aliis locis exſtitiſſe, & pro Canonicis ſæcularibus habitos fuiſſe conſtat, ut de Gallicanis in monaſterio S. Dionyſii & de Martiniano alibi obſervavimus.

Digitized by Google

jus, jam inſtantem minitans ſibi mortem. At ille tandem recogitans, cœ- AN.CHR.
pit exprobrare ſemetipſum, dixitque ad animum ſuum: Ubi eſt modo fides 984
tua? Ubi ſunt cogitationes ſenſus tui? nonne verba Chriſti vera ſunt & fi- 1. Auguſt.
delia, quibus in Evangelio pollicetur dicens: *Et ſi mortiferum quid biberint credentes, non eis nocebit?* Nonne ipſe qui hæc loquitur præſens eſt divinitate, licet abſens ſit corpore? Ipſe procul dubio, ipſe hoc veneni virus in te evacuare poteſt, qui ſemper omnia poteſt. His & hujuſcemodi verbis accenſa fides in eo, omnem letiferum hauſtum quem biberat exſtinxit, furentiſque veneni dolore fugato ſurrexit, abiens ad aulam hilari vultu, nulla penitus ſigna palloris ſe intuentibus oſtendens, nec quidquam mali ſuo venefico reddens, ſed ei quod deliquit ignoſcens. Sicque Dei virtute diſſipatum eſt malignum conſilium Clericorum, qui videntes ſuam nihil prævalere nequitiam, tamdiu per diverſas gentis Anglorum provincias huc illucque diſperſi ſunt, quouſque vitam finierunt.

Exinde Chriſti aquila Antiſtes Adelvvoldus expandit aureas alas ſuas, XX.
& annuente rege Eadgaro Canonicos expulit de Novo monaſterio, illucque Monachos introduxit regulariter converſantes. Edelgarum autem diſcipulum ſuum ordinavit illis Abbatem, qui poſtmodum provinciæ auſtralium Saxonum Epiſcopus, ac deinde ſancto Dunſtano ad cæleſtia regna tranſlato Cantuariorum Archipræſul effectus eſt.

In Abbandonia vero Oſgarum pro ſe conſtituit Abbatem, ditatuſque XXI.
eſt locus ille ſexcentis & eo amplius caſſatis, inſuper & æternæ libertatis ſuffultus privilegiis, divina ſimul & regia auctoritate conſcriptis: quæ laminis aureis ſigillata, inibi uſque hodie conſervantur.

In tertio quoque Vvintonienſi Cœnobio, quod anglice *Nunnamenſter* XXII.
appellatur, in honore ſemper Virginis Mariæ Deo conſecratum, mandras ſanctimonialum ordinavit, quibus Matrem, de qua ſuperius paullulum tetigimus, Etheldridam præfecit, ubi regularis vitæ norma hactenus obſervatur.

Nec ſolum in finibus occidentalium Saxonum, verum etiam in remo- XXIII.
tis partibus Britanniæ, ſanctus Antiſtes Adelvvoldus ad Dei omnipotentis ſervitium Monachos aggregare curavit. Eſt enim quædam regio famoſa in provincia orientalium Anglorum ſita, paludibus & aquis in modum inſulæ circumdata, unde & a copia anguillarum quæ in eiſdem paludibus capiuntur, *Elige* nomen accepit, in qua regione locus omni veneratione dignus habetur, magnificatus nimirum reliquiis & miraculis ſanctæ Etheldridæ *b* Reginæ & perpetuæ Virginis ac ſororum ejus: ſed in ipſo tempore erat deſtitutus & regali fiſco deditus. Hunc ergo locum famulus Chriſti pro dilectione tantarum Virginum magnopere venerari cœpit, datoque pretio non modicæ pecuniæ emit eum a Rege Eadgaro, conſtituens in eo Monachorum gregem non minimum. Quibus ordinavit Abbatem Brithnodum Præpoſitum ſuum, & ejuſdem loci ſitum monaſterialibus ædificiis decentiſſime renovavit, eumque terrarum poſſeſſionibus affluentiſſime locupletatum & æternæ libertatis privilegio confirmatum omnipotenti Domino commendavit.

Alterum quoque locum in regione Girviorum pretio obtinuit a Rege & XXIV.
nobilibus terræ, poſitum in ripa fluminis *Nen*, cui lingua Anglorum quondam *Medeshamſtede c* nomen impoſuit, nunc autem conſuete *Burh* appellatur, cujus loci baſilicam congruis domorum ſtructuris ornatam & terris adjacentibus copioſe ditatam, in honore beati Petri principis Apoſtolorum conſecravit, ibique ſimili modo catervam Monachorum coadunavit. Ealdulfum *d* vero Monachum ſuum eis præfecit Abbatem; qui poſt exceſſum do-

mi-

a S. Eadburgæ filiæ Eduardi Regis corpus ſacrum ibi requieſcere legitur in Monaſtici Anglicani t. 1. p. 32.

b S. Etheldritæ acta dedimus in Sæculo 2. ad annum 679. ubi de Elienſi monaſterio actum eſt.

c De hoc monaſterio agri Huntindonienſis lege Vvillelmum Malmesburienſem in lib. 4. de Pontificibus, ubi de Epiſcopis Dorceſtrenſibus, & Sæculum 2. Benedictinum pag. 756.

d De eo vide Obſervationes prævias ad acta S. Oſvvaldi Epiſcopi infra.

Digitized by Google

AN. CHR. 984 1. Auguſt. mini Oſvvaldi Pontificis eccleſiæ Eburacenſis archiepiſcopatum ſuſcepit. Tertium nihilominus adquiſivit pretio locum, juxta crepidinem prædicti fluminis ſitum, qui propter ſpineta circumquaque ſuccreſcentia *Thornig* *a* ſolito nuncupatum anglice vocabulo, quem pari conditione Monachis aptiſſimum delegavit. Rectorem quoque illis & Abbatem Godemannum præpoſuit, conſtructumque monaſterium in honore Dei genitricis & virginis Mariæ dedicavit, & bonorum omnium poſſeſſione gratulanter ditavit.

XXV. Erat autem vir Dei Adelvvoldus ad ſecreta Eadgari incliti Regis ſermone & opere magnifice pollens, in pleriſque locis eccleſias dedicans, & ubique Evangelium Chriſti prædicans, juxta admonitionem Eſaiæ Prophetæ dicentis: *Clama, ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam, & adnuncia populo meo ſcelera eorum, & domui Jacob peccata eorum.*

XXVI. Cujus prædicationem maxime juvit ſanctus Antiſtes Suvithunus, eodem tempore cæleſtibus ſignis declaratus, & infra templi regia glorioſiſſime translatus, ac decentiſſime collocatus. Ideoque gemina ſimul in domo Dei fulſere luminaria, candelabris aureis ſuperpoſita: quia quod Adelvvoldus ſalubri verborum exhortatione prædicavit, hoc Suvithunus glorioſa miraculorum exhibitione ad laudem nominis Chriſti mirifice decoravit.

XXVII. Sicque factum conſentiente Rege, ut partim Dunſtani conſilio & actione, partim Adelvvoldi ſedula cooperatione, monaſteria ubique in gente Anglorum quædam Monachis, quædam ſanctimonialibus conſtituerentur ſub Abbatibus & Abbatiſſis regulariter viventibus. Circumivitque famulus Chriſti Adelvvoldus ſingula monaſteria, mores inſtituens, obedientes ut in bono proficerent verbis admonendo, & ſtultos ut a malo diſcederent verberibus acriter corrigendo.

XXVIII. Erat namque terribilis ut leo diſcolis & perverſis; humilibus vero & obedientibus ſe quaſi agnum mitiſſimum exhibebat, ita ſerpentinæ prudentiæ temperans ſeveritatem, ut columbinæ ſimplicitatis non amitteret lenitatem. Quem ſi quando zelus rectitudinis cogeret, ut jura diſciplinæ ſubjectis imponeret; furor ipſe non de crudelitate, ſed de amore proceſſit; & intus paterna pietate dilexit, quos foris quaſi inſequens caſtigavit. Pater erat & paſtor Monachorum, pervigil procurator Sanctimonialium & protector virginum; Viduarum conſolator, peregrinorum ſuſceptor, eccleſiarum defenſor, errantium corrector, pauperum recreator, pupillorum & orphanorum adjutor, quod plus implevit opere, quam noſtra parvitas ſermone poſſit evolvere *b*.

XXIX. Accidit enim quodam tempore, ut acerba fames univerſam Brittanniæ regionem vehementer premeret, & inopiæ magnitudo pleroſque dira clade exſtingueret. Vir autem Domini miſertus ſuper turbam fame valida pereuntium, omnem pecuniæ portionem quam habebat, in uſus pauperum

NOTA. expendit. Cumque pecunia deficeret, tolli juſſit ornamenta quæque & argentea vaſa perplurima de theſauris eccleſiæ, eaque præcepit minutatim confringi, & in pecunias redigi. Intimo cordis ſuſpirio ſic proteſtabatur, ſe æquanimiter ferre non poſſe, multa metalla integra perdurare, hominem vero ad imaginem Dei creatum, & pretioſo Chriſti ſanguine redemptum mendicitate & inedia perire. Emptis ergo cibis ſuſtentavit innumerabilem multitudinem egenorum, qui periculum famis evadere cupientes, ad eum undique confugerant: & eos qui ſemineces in plateis & compitis omni ſolatio deſtituti jacebant, refocillando ſublevavit, ab ipſis faucibus mortis eripiens miſeros, præbens quoque cibaria quotidiana ſingulis: donec miſericordia Dei de cælo in terram proſpiceret, & humano generi ſolita pietate ſubveniens malum inopiæ temperaret. In cujus pietatis opere ſectatus imitabile

a De Thornejenſi monaſterio actum eſt ſupra in Obſervationibus præviis.

b Poſt hæc Ælfricus, omiſſo ſequenti capitulo, ita ſubdit. „ Infirmabatur ſæpe in viſceribus & „ cruribus, inſomnes noctes ex dolore ducens; & in die, licet pallidus, tamen quaſi ſanus ambulans. „ Minime tamen eſu carnium quadrupedum aut avium uſus eſt niſi ſemel, &c. ut infra in capite 30. At hujus capitis 29. ſummam refert Willelmus Malmesburienſis, qui proinde hoc auctore uſus eſt.

Digitized by Google

bile exemplum beati Laurentii Levitæ & martyris, qui inſtante perſecutionis tempore theſauros & facultates Eccleſiæ diſperſit deditque pauperibus, ut juſtitia ejus maneret in ſæculum ſæculi, & cornu ejus exaltaretur in gloria. AN.CHR. 984 1. Auguſt.

XXX. Verum quia Dominus, ſicut Scriptura dicit, quem diligit corripit, & omnem filium quem recipit flagellat; vir Dei infirmabatur frequenter in viſceribus, morbumque tumoris ſuſtinebat in cruribus. Noctes plerumque ducebat inſomnes præ dolore; & in die, licet pallidus, tamen quaſi ſanus & nil moleſtiæ ſentiret ambulabat, memor apoſtolicæ conſolationis qua dicitur, quia *virtus in infirmitate perficitur*, & rurſum: *Quando enim infirmor, tunc fortior ſum & potens*, & iterum: *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Chriſti*. Et quamvis acri pulſaretur moleſtia, minime tamen eſu carnium quadrupedum aut avium uſus eſt, niſi ſemel, cogente maxima infirmitate per tres menſes: (quod & fecit juſſu Dunſtani Archiepiſcopi) & iterum in infirmitate qua obiit.

XXXI. Dulce namque erat ei adoleſcentes & juvenes ſemper docere, & latinos libros anglice ei ſolvere, & regulas grammaticæ artis ac metricæ rationis tradere, & jocundis alloquiis ad meliora hortari. Unde factum eſt, ut perplures ex diſcipulis ejus fierent Sacerdotes, atque Abbates, & honorabiles Epiſcopi, quidam etiam Archiepiſcopi in gente Anglorum.

XXXII. Placuit inter hæc omnipotenti Deo, ut cæleſti etiam monſtraretur indicio, quod ei beneplacitum eſſet habitare in ſancto ſuo. Nam cum iter quoddam ſacer Antiſtes ageret, ut in agro dominico ſemen verbi Dei ſpargeret; contigit *a* clericum ejus, cui ſanctum chriſma fuerat deſignatum, minus olei quam neceſſitas poſcebat accepiſſe, & hoc parum quod acceperat in ipſo itinere perdidiſſe. Cumque Chriſti famulus ad deſtinatum perveniſſet locum, poſt Miſſæ celebrationem, poſtque dulcia ſanctæ prædicationis alloquia, juſſit ex more ad confirmandos pueros oleum ſibi exhibere. Sed clericus qui ampullam ſe ſecum ferre æſtimabat, repente quod eam perdidiſſet agnovit. Turbatus ergo celerrime repetiit iter unde venerat, & diligenter huc illucque circumſpiciens, invenit ampullam chriſmatis in via jacentem oleo plenam, cujus medietas quidem paullo ante quidquam liquoris habuerat. Qua aſſumpta, cum timore & gaudio magno reverſus eſt ſancto Antiſtiti ſatisfaciens, & cæleſtis ſtillicidii miraculum veraci relatione pandens. Quod Dei nutu geſtum eſſe probatur, ut qui Spiritus-ſancti gratia perfundebatur, ejuſque unctione corda & facies multorum exhilarabat; ipſe non ſolum interius, ſed etiam exterius oleo ſupernæ lætitiæ remuneraretur.

XXXIII. Quidam Monachus *b* ſub ejus magiſterio degebat, qui dæmonico inſtinctu furti reatum perpetravit. Unde & omnem congregationem magna triſtitia dolor invaſit, dum quiſque ſubjectus ab altero fratre geri putaret, quod ſe nequaquam feciſſe procul dubio ſcivit: pro qua re ſanctus Antiſtes in conventu Fratrum modeſtam correptionem mandavit, ut ſi quis furti illius ſibi conſcius eſſet, rem quam abſtulerat quantocius cum Dei benedictione redderet, aut in tali loco eam projiceret, ubi inveniri potuiſſet. Ille vero frater obſtinato corde ſeipſum induravit, & mandatum viri Dei ſervare neglexit. Tranſactis itaque tribus diebus & tribus noctibus, cum res furata minime eſſet inventa, locutus eſt vir Sanctus in Capitulo coram omni multitudine Fratrum, terribili indignatione & comminatione inquiens: „ Noluit ſacrilegus ille pecuniam quam furatus eſt reddere cum benedictione „ ſicut juſſimus; reddat eam modo cum Dei omnipotentis maledictione, & „ ſit ipſe ligatus non ſolum in anima, ſed etiam in corpore noſtra auctoritate. Quid

a Ælfrico, Contigit aliquando clericum ejus, cui deſignatum erat ampullam ejus ferre, minus olei accipere &c. quæ nec medietatem antea habuerat. Mos erat quondam Epiſcopis, ut numquam ſine chriſmate proficiſcerentur. Concilium Arauſicanum 1. can. 2. „ Nullus miniſtrorum, qui baptizandi recitit officium ſine chriſmate uſquam debet progredi. Lege Præfationem Sæculi 1. num. 101.

b Ælfricus. „ Quidam Monachus ſub eo degens, Eadvvinus nomine, marſupium cujuſdam hominis inſtinctu dæmonico furatus eſt &c.

AN.CHR. 984 1. Auguſt. Quid multa? dixerunt fratres, Amen, & ecce Monachus ille ſedens inviſibiliter ligabatur, brachiis ſibi invicem adhærentibus ſub cuculla ſua, manſitque ſtupidus, cogitans quid agere deberet. Omnia tamen reliqua membra ſua mobilia & ad uſum apta habebat, exceptis brachiis, quæ vir Sanctus auctoritate ſibi a Deo collata ligavit, & inutilia reddidit. Tandem finito Capitulo ſurrexit miſer ille ſic ligatus, & exiens poſt ſanctum Epiſcopum confeſſus eſt ei ſecreto ſe fuiſſe reum, ſeque latrocinii perpetraſſe reatum; nihil tamen ei de ligatione, qua tenebatur adſtrictus, indicans. Epiſcopus autem videns eum nimio terrore correptum, ſicut ei moris erat pænitentibus & flentibus clementer ignoſcere, & miſericordiæ viſceribus condolere, blando ſermone reſpondit: „ Modo ſaltim bene feciſti, licet ſero „ confitendo peccatum tuum: habeas nunc noſtram benedictionem. Et ſtatim ſoluta ſunt brachia illius Epiſcopo neſciente. At ille exiens inde vehementer gaviſus eſt, narravitque per ordinem de ſua ligatione & ſolutione cuidam fratri nomine Vulfgaro *, qui admonuit hoc magis ſilentio eſſe celandum, & congruo poſtmodum tempore detegendum. Qua ex re datur intelligi, cujus meriti vir iſte fuerit ante Dominum, qui ſolo ſermone tantam virtutem, licet neſciens, oſtendit. Nam quia paſtoralem ſancti regiminis curam fide & moribus digne cuſtodivit, profecto beati Petri principis Apoſtolorum vicem, ligando atque ſolvendo obtinuit.

* al. Vulfaro.

XXXIV. Igitur cum vir Dei magno conamine veterem renovare decreviſſet eccleſiam, juſſit Fratres frequenter laboribus una cum artificibus & operariis inſiſtere, quibus certatim laborantibus, opus ædificii paullatim in ſublime excrevit, plurimis hinc inde ſuffultum Oratoriis, in quibus Sanctorum venerantur ſuffragia, cunctis fideliter accedentibus profutura. Contigit autem quadam die, dum Fratres ſtarent ad ſummum culmen templi cum cæmentariis, ut unus eorum, Godus nomine, caderet a ſummis uſque ad terram, qui mox ut terram attigit, incolumis ſurgens ſtetit, nil mali paſſus de tanta ruina: ſeque crucis ſignaculo benedixit, admirans quid ibi ageret, vel qualiter illuc venerit. Et cunctis qui aderant videntibus aſcendit ad locum ubi antea ſteterat; & accipiens trullam, operi quod inchoaverat, diligentius inſiſtebat. Cui ergo hoc miraculum adſcribendum eſt, niſi illi, cujus juſſu ad opus obedientiæ exivit? qui idcirco lædi non potuit, quia hunc in caſu ſuo viri Dei meritum portavit, & a periculo ruinæ incolumem protexit.

XXXV. Regulæ S. Bened. cap. 2. Tempore quodam hiemali cum Fratres ſecundum Regulæ edictum temporius ad vigilias ſurgerent, & nocturno intervallo pſalmodiæ & lectioni inſervirent; quidam Monachus, nomine Teodricus, ad Dei hominem perrexit, volens indiciis de quadam neceſſitate ei indicare, eumque luminis candelabrum manu tenentem reperit & legentem, & ſedula agilitate palpebrarum ſeniles obtutus acuentem: ibique diutius ſtetit, attendens quam ſtudioſe oculos paginæ infigeret. Surrexit tandem vir ſanctus a lectione, & ille frater reſidens accepit candelam, cœpitque legere, probans utrum & ipſe poſſet oculos ſuos ſanos ad legendum tam diligenter acuere, ſicut Epiſcopum ſuos caligantes feciſſe viderat. Sed illa temeritas non impune evenit illi. Nam ſequenti nocte cum membra ſopori dediſſet, apparuit ei quidam vultu incognitus, terribili comminatione dicens ad eum: Qua temeritate præſumpſiſti exprobrare Epiſcopum præterita nocte in legendo? Cumque tremefactus ſe hoc feciſſe negaret, ille torvis in eum intuens luminibus; Non potes, inquit, me fallendo ludere, ſicut æſtimas: ſed hoc ſignum præſumptionis habeas. Et hæc dicens incuſſit violenter ictum oculis ejus digito ſuo, ſtatimque dolor oculorum validus ſecutus eſt, qui eum multis diebus vehementer affligebat, donec ſatisfactione culpam deleret, quam in ſanctum virum incaute commiſit.

XXXVI. Item accidit cum famulus Chriſti nocturno tempore lectioni operam daret,

Digitized by Google

ret, eum ob nimiam vigilantiam obdormiſſe, & candelam ardentem de candelabro ſuper librum in quo legerat cecidiſſe: quæ tamdiu ardens ſuper folium jacebat, donec unus frater, nomine Leofredus, adveniret: qui feſtinus accepit candelam adhuc flammantem de libro, & intuitus aſpexit favillas ipſius candelæ per multas lineas jacentes, & exſufflans eas invenit paginam illæſam. Qua in re meritum ſancti viri patuit, quia ardentem candelam flamma conſumpſit, & tantum vim virtutis ſuæ ne paginam læderet amiſit. AN. CHR. 984 1. Auguſt.

XXXVII. Hæc Chriſto largiente breviter retulimus, ut & præſentes & futuros quoſque fideles ad amorem & reverentiam tanti Patris humili devotione incitaremus. Ceterum non facile nobis occurrit explicare, quanta vel qualia ſanctus Adelvvoldus ſuſtinuerit pro Monachorum defenſione pericula, aut quam benigno diligebat affectu ſtudioſos & obedientes Fratres, aut quantum in ſtructura Monaſterii elaboraret eccleſiam reparando, aliaſque domos ædificando; aut quam pervigil erat in orationibus, & quam devote hortabatur Fratres ad Confeſſionis remedium, aut quam multa millia animarum diabolo ſubtraxerit; eaſque Deo redditas cælo intulerit. Sed ex his paucis plura cognoſci poſſunt, quæ a nobis enarrari nequeunt *a*.

XXXVIII. Oportebat namque impleri ſomnium, quod ſacer Dunſtanus ille glorioſus & angelicus Anglorum gentis Archiepiſcopus olim de eo ſe vidiſſe perhibebat. Nam cum eſſet Abbas monaſterii Gleſtonienſis, & ſub ejus regimine militaret omnipotentis Dei famulus Adelvvoldus, ſicut ſupra narravimus, vidit in ſomnis extra dormitorium poſitus, quaſi quamdam miræ celſitudinis arborem, quæ ramos ſuos expandere viſa eſt ad orientem & occidentem, ſeptemtrionem & meridiem, ſuper univerſam Britanniæ regionem vaſta longitudine & latitudine extenſa: cujus arboris rami innumeris erant majoribus atque minoribus cucullis *b* onuſti, ipſa vero arbor in ſummo cacumine geſtabat unam prægrandem cucullam, quæ manicarum velamento ſupereminens protegebat ceteras, & ingenti proceritate ſupergrediens univerſas, ipſum contingebat cælum. Vir autem Domini Dunſtanus ſuper tali viſione vehementer attonitus, interrogabat hæc ſibi demonſtrantem canis angelicis decoratum Presbyterum dicens: Quæſo, venerande ſenior, quæ eſt hæc robuſta & ſublimis arbor, cujus rami longe lateque expanſi tam innumerabiles cucullas ſuſtinere cernuntur? Cui ille reſpondit: Arbor hæc quam vides, Abba Dunſtane, ſitum deſignat hujus inſulæ: magna autem cuculla, quæ in hujus arboris ſummitate erigitur, ipſa eſt monachi tui Adelvvoldi, qui in hoc monaſterio devote Chriſto famulatur; reliquæ vero cucullæ, quibus hi rami videntur onuſti, multitudinem deſignant Monachorum, qui ejus eruditione ſunt inſtruendi, & undique in hac regione ad omnipotentis Dei ſervitium congregandi; ejuſque ducatu perventuri ſunt ad gloriam regni cælorum, & ad ſocietatem cum Chriſto regnantium ſpirituum beatorum: quo accepto reſponſo vir ſanctus evigilat, viſionem tacitus ſecum conſiderans, eamque poſtmodum fideli relatione fidelibus indicans. Quæ ſuccedente tempore fama vulgante multis innotuit, & tandem ad noſtræ quoque parvitatis notitiam pervenit.

XXXIX. Nec minus & aliud oportebat impleri ſomnium, quod ipſe vir Dei ſanctus Adelvvoldus de ſe nobis quadam vice referebat, inquiens: Putabam me ſtare juxta littus maris, ubi mihi videbatur adeſſe quædam maxima navis, in qua multitudo copioſa piſcium, & maxime anguillarum concluſa tenebatur ab imo uſque ad ſummum. Cumque mecum tacitus cogitarem, quid ſibi vellet hoc ſomnium quod videbam; repente audivi vocem meo nomine me vocantem, mihique dicentem: Adelvvolde, Adelvvolde hoc tibi mandatum cælitus a Deo miſſum eſt. Excita hos piſces quibus hæc navis quam cernis impleta eſt, & orationibus tuis effice, ut ſint homines, ſicut antea fue-

a Id commemorat Willelmus Malmesburienſis in lib. 2. de Pontificibus Anglorum.

b Ælfricus inde ceteris omiſſis Sancti obitum ita præſtringit. „ Obiit autem vigeſimo ſecundo anno ſui epi„ ſcopatus, tertio Kalendas Auguſti, regnante Ælredo Rege Anglorum, ſepultuſque in eccleſia beatorum Petri „ & Pauli &c.

Digitized by Google

AN. CHR. 984. 1 Auguſt. fuerunt. Cujus juſſioni mox ego obtemperans, ſteti pro eis ad orationem, & lacrymarum imbre perfuſus, ingemiſcens dixi: Domine Jeſu, cui nihil eſt impoſſibile, reſpice propitius ad animas diabolica fraude deceptas, quæ a ſenſu humanæ rationis alienatæ ſunt, & more beſtiali in lubrico hujus ſæculi cæno miſerabiliter involvuntur. Ne quæſo, bone Jeſu, permittas, ut de eis triumphans glorietur humani generis inimicus, ſed per tui ſancti nominis omnipotentiam reſuſcitentur ad vitam, ut ſomnium æternæ mortis evadentes, te verum & unicum mundi ſalvatorem cognoſcant, & deinceps ſemper ad tranquillum ſalutis tuæ portum confugientes, ab omnibus mundi perturbationibus immunes exſiſtant, & ſub tua gubernatione ſecuræ permaneant. Tuum eſt enim, Chriſte, mortuos vivificare, & imaginem tuam quam creaſti, in decorem ſuum priſtinum reformare, qui veniſti in hunc mundum peccatores ſalvos facere; & dira mortis ſupplicia paſſus in cruce, dignatus es fundere ſanguinem tuum pretioſum pro ſalute omnium noſtrum. Cum hæc & his ſimilia orationis verba compuncto corde & ſpiritu humilitatis effunderem, ecce quos antea piſces in luto fæcis & in lacu miſeriæ videram involutos, ſubito homines effectos & a morte reſuſcitatos video: ſurrexitque de navi & perrexit feſtinanter ad terram copioſa hominum multitudo, quorum multos ſpecialialiter agnoveram: inter quos unus retrorſum cadens, iterum in anguillam verſus eſt, ille videlicet Adelſtanus, qui mecum Presbyter quondam fuerat ordinatus, quem deinceps nullo modo excitare, nec ut homo fieret poteram efficere. Reliqui vero omnes unanimiter levaverunt vocem in cælum, manibus plaudentes, & gratias omnipotenti Deo referentes, quia per ejus ineffabilem clementiam & per meæ parvitatis adventum meruerunt a morte ad vitam revocari, & humanæ rationi quam amiſerant reſtaurari. Ego autem gaudens in Domino, & congratulans illis evigilo, hancque viſionem vobis, o filioli mei, idcirco refero, ut & vos cum bonorum operum cultu perſeveretis in ſancto propoſito, quo per gratiam Dei poſſitis in eorum numero computari, qui mihi licet indigno commiſſi ſunt, ut de ſæculi hujus cænulenta voragine libenter & in æterna beatitudine ſine fine ſalventur. Hæc quæ notavimus ſomnia tunc quidem viſa ſunt: ſed ex eo tempore uſque hodie impleri non ceſſant, dum quique divino ferventes amore, feſtinant mundum relinquere, & cœnobialem vitam ducere; & dum populares quique ſatagunt a malo declinare, & bonum facere, & humiliter Regi regum Chriſto colla ſubdere: quatinus & Monachi ſimul & laici ſequentes ſancti patris Adelvvoldi veſtigia, cæleſtis regni ſempiterna mereantur adipiſci gaudia.

XL. Anno 980. renovatum vetus monaſterium. Anno dominicæ Incarnationis nongenteſimo octogeſimo, renovata & constructa eſt eccleſia Veteris cænobii, novem Pontificibus eam ſolemniter & cum magna gloria dedicantibus: quorum primi & præcipui arcem tenebant Dunſtanus Archiepiſcopus, & ipſe ſanctus Adelvvoldus Epiſcopus, ſub die 13. kalendarum Novembrium, in præſentia Regis Adelredi, & in conventu omnium pæne Ducum, Abbatum, Comitum primorumque Optimatum univerſæ gentis Anglorum, qui eamdem biduo cum omni gaudio celebraverunt dedicationem: de qua & nos in Domino congratulantes, hoc carmen cecinimus.

Præſul Adelvvoldus ſacro ſpiramine plenus.
  Fecit ovans opera multa Deo placita.
Iſtius antiqui reparavit & atria templi
  Mœnibus excelſis culminibuſque novis.
Partibus hoc Auſtri firmans & partibus Arcti,
  Porticibus ſolidis arcubus & variis.
Addidit & plures ſacris altaribus ædes,
  Quæ retinent dubium liminis introitum.

Quiſ-

Quiſquis ut ignotis hæc deambulat atria plantis,
Neſciat unde meat, quove pedem referat.
Omni parte fores quia conſpiciuntur apertæ,
Nec patet ulla ſibi ſemita certa viæ.
Huc illucque vagos ſtans circumducit ocellos,
Attica Dedalei tecta ſtupetque ſoli.
Certior adveniat donec ſibi ductor, & ipſum
Ducat ad extremi limina veſtibuli.
Hic ſecum mirans, cruce ſe conſignat, & unde
Exeat attonito pectore ſcire nequit.
Sic conſtructa micat, ſic & variata coruſcat
Machina, quæ veterem ſuſtinet eccleſiam.
Quam Pater ille pius ſumma pietate refertus,
Nominis ad laudem celſitonantis Heri
Fulcivit, texit, dotavit, eamque ſacravit,
Et meruit templi ſolvere vota ſui,
Regis Edelredi facie præſente modeſti,
In regni ſolio qui ſupereſt hodie.
Illic Pontifices aderant terni ter ovanter,
Complentes ſanctum rite miniſterium.
Quorum primus erat, vultu maturus & actu,
Canicie niveus Dunſtan & angelicus.
Hunc comitatus ovans Anglorum lucifer adſtat,
Domnus Adelvvoldus corde benignivolus.
Poſt alii ſeptem, quorum hic ſunt nomina ſcripta
Carmine verſifico cum pede dactylico.
Elfſtan, Edelgarus, rurſumque Elfſtanus & Eſvvig
Ælfeh, Edelſinus, hic & Athulfus erat.
Et tandem decimus Poca venit Epiſcopus illuc,
Nulla laboris agens, pocula multa bibens.
Poſt alii plures aderat Proceresque Duceſque,
Gentis & Anglorum maxima pars Comitum.
Quos e concilio pariter collegerat illo,
Quod fuerat vico Regis in *Andeveran*,
Idem Paſtor ovans ac ſæpe canendus Adelvvold,
Sicut ei Domini gratia contulerat.
Et celebrant cuncti ſollemnia maxima templi,
Plaudentes Domino pectore laudifluo.
Lætanturque bonis ſuper omnibus ille benignus,
Quæ ſtatuit cunctis Præſul opima dari,
Fercula ſunt admixta epulis, cibus omnis abundat,
Nullus adeſt triſtis, omnis adeſt hilaris.
Nulla fames, ubi ſunt cunctis obſonia plenis,
Et remanet vario menſa referta cibo.
Pincernæque vagi cellaria ſæpe frequentant,
Convivaſque rogant ut bibere incipiant.
Crateras ſtatuunt, & dulcia vina coronant,
Miſcentes potus potibus innumeris.
Sicque dies alterque dies proceſſit in hymnis,
Et benedixerunt omnia corda Deum.
Omnibus expletis tandem ſollemniter hymnis,
Quos in honore Dei vox ſonuit populi.
Unuſquiſque ſuas alacer remeavit ad oras,
In Domino guadens pectore & ore canens.
Numquam tanta fuit taliſque dicatio templi,
In tota Anglorum gente patrata reor,

AN. CHR. 984. 1. Auguſt.

Qualis erat Vventa celebrata potenter in urbe
In ſancti Petri cœnobio Veteri.
Quod Deus omnipotens ſic protegat immaculatum,
Hoc ut eo dignum juge ſit hoſpitium.
Et quicumque humiles hoc ingrediuntur aſilum
Exſultent plenæ participes veniæ.

Hæc de renovatione & dedicatione veteris eccleſiæ edita, hic inſerere opportunum duximus. Exinde ſuperna pietas ſancto Pontifici tantam contulit gratiam, ut ſublimes illi ſæcularium poteſtatum principes, Duces Tyranni, atque judices, & omnes qui ei hactenus contrarii & in via Dei reſiſtere videbantur, ſubito velut oves ex lupis efficerentur, & cum miro affectu venerarentur; ejuſque genibus colla ſummittentes, ac dexteram illius humiliter exoſculantes, orationibus ſe viri Dei in omnibus commendarent.

XLI. Eodem vero tempore quo ſanctus Antiſtes Adelvvoldus de hac mortali vita erat exiturus, & laborum ſuorum præmia a Deo percepturus, venit ad villam quæ conſueto nomine *Beaddingtun* appellatu, ſexaginta millibus ab urbe Vvintonia diſtans. Ibi ergo cum aliquamdiu moraretur, acri cœpit infirmitate gravari; & ſacrati olei liquore perunctus, Dominici corporis & ſanguinis perceptione exitum ſuum munivit. Sicque valefaciens, & dans pacem filiis ſuis, inter verba orationis ſpiritum cælo reddidit in Kalendis Auguſti, anno Dominicæ incarnationis nongenteſimo octogeſimo quarto, epiſcopatus autem ſui viceſimo ſecundo, regni moderamina gubernante Ædelredo rege Anglorum. Teſtati vero nobis ſunt qui ibi præſentes aderant, exanime corpus ſancti Viri ſubita immutatione fuiſſe renovatum, lacteo candore perfuſum, roſeoque rubore venuſtum, ita ut quodam modo ſeptennis pueri vultum prætendere videretur, in quo jam quædam reſurrectionis gloria per oſtenſionem mutatæ carnis apparuit. Jam vero dici non poteſt, quanta ad exſequias ejus hominum multitudo convenerit. Undique certatim ex vicinis oppidis & caſtellis ſimul in unum divites & pauperes, ultimum vale Paſtori ſuo dicturi confluxerant. Omnes cum dolore & amaro animo ſequebantur feretrum, incomparabili theſauro pretioſum, ſacroſanctis Evangeliis & crucibus armatum, palliorum velamentis ornatum, accenſis luminaribus & hymnis cæleſtibus atque pſalmorum concentibus hinc inde vallatum: quibus ſequenti die Wintoniam ingredientibus obviam corpori tota ſimul civitas unanimiter occurrit. Hinc ejulantes turbas conſpiceres Monachorum, inde pallida agmina virginum; hinc audires in excelſo voces pſallentium clericorum; inde gemitum flentium pauperum, & ululatum vociferantium egenorum, qui paſtoris ſui præſentia ſe privari non ſuſtinentes, dabant infinitos lachrymarum clamores ad cælum. Perductus eſt ergo vir Dei cum cæleſtibus exſequiis in eccleſiam beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli ad ſedem ſuam epiſcopalem, & expletis vigiliarum miſſarumque ſollemniis ſepultus eſt in crypta ad auſtralem plagam ſancti altaris, ubi eum requieſcere debere, ſicut ipſe vobis retulit, olim ſibi cælitus oſtenſum eſt.

Obiit anno 984.

XLII. Anno duodecimo poſt obitum glorioſi Pontificis Adelvvoldi, placuit ſupernæ diſpenſationi illum per cæleſtia ſigna revelari, ejuſque oſſa de ſepulchri munimine levari: ut lucerna quæ ad tempus ſub modio latebat, ſuper candelabrum poneretur, quatinus luceret omnibus qui in domo ſunt. Eſt enim civitas quædam modica, commerciis abunde referta, quæ ſolito *Vveallingaford* appellatur, in qua vir ſtrenuus quidam morabatur, cui nomen erat Elfhelmus qui caſu lumen amittens oculorum, cæcitatem multis perpeſſus eſt annis. Huic in ſomnis tempore gallicinii ſanctus Adelvvoldus Antiſtes adſtitit, eumque ut maturius Vvintoniam pergeret, & ad ejus tumbam gratia recipiendi viſus accederet admonuit, dicens: Idcirco te in ſtratu tuo recubantem viſito, & quæ tibi ventura ſunt prænuntio, ut per tuæ ſalutis ſignum manifeſtetur, quia me oportet levari de tumulo in quo jaceo. Qui

hæc

hæc audiens, & vocem ſecum loquentis agnoſcens, ſancto Patri gratias egit, quod eum viſitare dignaretur; & quia ubi ſepultus eſſet, penitus ignoravit, qualiter ſepulchrum ejus ſcire & adire potuiſſet diligenter inquiſivit: cui protinus vir Dei nomen alumni & Monachi ſui innotuit, cujus hactenus homo ille neſcius exſtitit, eique dixit: Cum feſtinus Wintoniam perveneris, & Veteris cœnobii eccleſiam intraveris, accerſiri fac ad te monachum quemdam Vvlfſtanum, cognomento Cantorem. Hic cum ex ore tuo verba meæ legationis audierit, te mox indubitanter ad meum perducet tumulum, ibique recipies lumen oculorum tuorum. Quid multa? credulus vir ille verbis & promiſſionibus ſacri Pontificis, Wintoniam citius adiit, eccleſiam intravit, Fratrem prædictum accerſivit, accerſitumque poſtulavit, ut miſſatica beati patris impleret, narrans ei & cunctis adſtantibus ordinem viſionis. Erat enim veſpera, in qua Nativitas ſacratiſſimæ Dei genitricis & perpetuæ virginis Mariæ, per totum mundum ſollemniter & digniſſime celebratur. Ille vero frater admirans, inter ſpem & timorem ſe medium poſuit, & vicino obedientiæ pede juſſis ſancti Pontificis humiliter obtemperans, ad antrum ſarcophagi perduxit cæcum: qui pernox ibidem in oratione permanſit, & mane facto jam amplius ductore non indigens, ad propria cum gaudio reverſus eſt videns, corde & animo Dominum benedicens. AN. CHR. 984 1. Auguſt.

Hæc revelatio longe lateque divulgata eſt, quæ tam evidenti miraculo fuerat comprobata. Exinde famulus Chriſti prædicto fratri Vvlfſtano, & pleriſque aliis per nocturnam viſionem manifeſtus apparuit, illiſque per hæc & hæc indicia aperuit, quia ſupernæ complaceret voluntati eum de tumulo transferri, & digne in eccleſia collocari. Venerandus ergo pontifex Elfeagus ſucceſſor ejus animo ſagaci talia ſecum pertractans, humillimas alacri corde omnipotenti Chriſto gratias reddidit, eo quod ſuo tempore dignaretur cæleſtibus ſignis Sanctum ſuum mirificare. Nec mora Fratrum cleri, plebiſque multitudine congregata, reliquias ſancti Præſulis Adelvvoldi ſub die quarta Iduum Septembrium honorifice tranſtulit, eaſque in choro eccleſiæ collocavit: ubi in magna veneratione habentur uſque in præſentem diem: ubi etiam nobis intuentibus cæleſtia ſunt perpetrata miracula, e quibus duo breviter ad firmitatis indicium perſtrinximus. XLIII.

Erat eo tempore in Vventana urbe puella quædam parvula, cujuſdam Adelvvardi domeſtici filia, quæ nimis infirmabatur, & uſque ad mortem pæne torquebatur. Hæc a matre deducta ad Viri Dei tumulum, obdormivit paullulum. Protinus evigilans ſana ſurrexit, & gaudens cum genitrice domum rediit. XLIV.

Puer etiam quidam parvulus, Ælffini cujuſdam manſueti & modeſti viri filius, in ipſa infantia lumine eſt privatus, & maternis ulnis ad venerandi patris Adelvvoldi ſepulchrum perductus. Mirum dictu, mox caligo cæcitatis abſceſſit, & oculos pueri veniens ſplendor lucis aperuit, omni populo congaudente, & tota devotione Chriſto, qui cuncta poteſt fideliter gratias agente. XLV.

Nec ſilentio prætereundum eſt, quod prædictus ſancti Viri ſucceſſor Elfagus Antiſtes: quemdam furem pro multiplici reatu flagellis cæſum, mitti juſſit in cippum acrioribus ſuppliciis cruciandum. Cumque diu ſic in pœnis jacuiſſet damnatus, quadam nocte venit ad eum in viſione ſanctus Dei pontifex Adelvvoldus, & ait illi: Miſer, cur tanto tempore ſic in trunco jaces extenſus? At ille recognoſcens ſanctum Virum, quem ſæpe viderat in vita mortali, reſpondit: Dignas, domine mi, ſuſtineo pœnas, & juſto judicio Epiſcopi ſic torqueor, quia frequenter in furtis deprehenſus ſum, & ab eis non ceſſavi; ſed mala quæ feci, iterum atque iterum repetivi. Tum ſanctus; Ceſſa, inquit, vel modo miſer a furtis, ceſſa, & ſis ſolutus a nexu compedis hujus: Surrexit illico miſer ille abſolutus, & exiens inde venit, & procidit ante pedes Ælfeagi Epiſcopi, narravitque ei rem geſtam circa ſe per ordinem, XLVI.

AN.CHR. 984 1. Auguſt. nem, & ille pro honore tanti Patris ſivit eum abire indemnem. Conſtat ergo Sanctum hunc æternæ vitæ conjunctum virtute meritorum ſuorum, poſſe nos a peccatorum noſtrorum vinculis ſolvere, & ad cæleſtia regna perducere, cui adhuc in carne degenti cælitus conceſſa eſt poteſtas ligandi atque ſolvendi, præſtante Domino noſtro Ieſu-Chriſto, qui cum Deo coæterno Patre & Spiritu-ſancto vivit & regnat Deus per infinita ſæcula ſæculorum, Amen.

INCIPIT HYMNUS IN HONORE S. ADELVVOLDI præſulis editus elegiaco & paraeterico carmine per alphabetum compoſitus.

ALma lucerna micat, lumen populoque miniſtrat
Præſul Adelvvoldus, alma lucerna micat.
Belliger iſte Dei victricia bella peregit,
Acer in arma ruit Belliger iſte Dei.
Cujus ab ore ſacro fluxerunt dogmata vitæ,
Hauſimus omne bonum cujus ab ore ſacro.
Dulcia corde pio reſonemus cantica patri,
Carmina cantemus dulcia corde pio.
Ecce coruſcat apex tibi pontificalis abunde,
Hinc illincque tuus ecce coruſcat apex.
Fons & origo boni te verba ſerente cucurrit,
In te manavit fons & origo boni.
Gloria perpes erit tibi nunc ideoque per ævum
Quam merito retines, gloria perpes erit.
Hujus amore gregis ſprevisti ſpicula mortis,
Pellens hinc fortes hujus amore gregis.
Inclitus atque potens te Rex adamavit Eadgar,
Te monitore vigens inclitus atque potens.
Caſtra Dei reboant te conſtituente celeuma,
Davidicumque melos caſtra Dei reboant.
Laudibus innumeris tibi turba monaſtica plaudit,
Conjubilatque tibi laudibus innumeris.
Mœnia celſa domus tua cura levaverat hujus,
Hæcque dicavit ovans mœnia celſa domus.
Nocte dieque ſacrum celebraſti pectoris hymnum,
Solvens officium nocte dieque ſacrum.
Omnibus inque locis ſparſiſti ſemina lucis,
Expuleras tenebras omnibus inque locis.
Pervigil eſto tuis, petimus, defenſor alumnis,
Protector famulis pervigil eſto tuis.
Quæque nocent reſeca, quæ ſunt & commoda præſta:
Quæ bona ſunt revoca, quæque nocent reſeca:
Rector Apoſtolicæ felix & janitor aulæ
Hujus & eccleſiæ rector Apoſtolicæ,
Solve tuos famulos Petri vice, ſolve ligatos,
Nos a peccatis ſolve tuos famulos.
Te duce ſtelliferi ſcandamus ut atria cæli,
Participes regni te duce ſtelliferi.
Verſibus hymnidicis hæc carmina pangimus, & te
Patronum colimus verſibus hymnidicis.
Chriſticolas animas quia multiplicare ſolebas,
Ad cœlos revocans Chriſticolas animas.
Ydra nocens fugiat, ne nos per devia ludat:
Nos tua dextra tegat Ydra nocens fugiat.
Zelus obeſſe nequit, Chriſto ſuperante malignum
Chriſtus adeſt victor, zelus obeſſe nequit.
Aſpice ſancte Pater quæ nos adverſa fatigant:
Quæ mala nos lacerant, aſpice ſancte Pater.
Mitis adeſto tuis tibi qui famulantur alumnis,
Qui te collaudant, mitis adeſto tuis.
Eripe paſtor oves, animo quas ſemper amaſti,
Et quas nutrieras eripe paſtor oves.
Nomina noſtra notet quo Chriſtus in arce polorum
Cum ſanctiſque ſuis nomina noſtra notet. Amen.

Digitized by Google

HYMNUS VESPERTINALIS SAPHICO METRO endecaſyllabo editus, Adonium quarto continens in loco.

INclitus paſtor populique rector,
Cujus inſignem colimus triumphum:
Nunc Adelvvoldus ſine fine lætus
Regnat in aſtris.
Qui pater noſter fuit & magiſter,
Exhibens ſacræ documenta vitæ,
Et Deo ſemper ſatagens placere
Corde benigno.
O diem ſanctum, celebrem, coruſcum,
Quem Dei nobis pietas ſacravit,
Ut Patri tanto mereremur almum
Promere cantum.
Nunc eum niſu rogitemus omni,
Abluat noſtrum pius ut reatum,
Et ſua ſancta prece nos ad altum
Ducat olympum.
Sit Deo ſoli decus & poteſtas,
Laus in excelſis, honor ac perennis,
Qui ſuis totum moderans gubernat
Legibus orbem. Amen.

CÆli ſenator inclite, ſancte pater eccleſiæ
Adelvvolde ſupplices, tuos exaudi ſervulos.
Jam ſidus inter ſidera, reſplendes ſuper Æthera,
Nobis benignus impetra Paracliti chariſmata.
Pronis rogamus mentibus hic coram tuis artubus,
Noſtris adeſto precibus ſerenus ac propitius.
Ut tuis neceſſariis protecti patrociniis,
Ad cœlorum perpetua perveniamus gaudia,
Præſtet nobis Ingenitus hoc atque Unigenitus
Sanctus amborum Spiritus, trinus & unus Dominus,
Amen.

Oremus.

DEus qui præclari ſideris ſancti Pontificis Adelvvoldi illuſtratione, novam populis Anglorum tribuiſti lucem hodierna die clareſcere: ſuppliciter imploramus clementiam, ut cujus magiſterio totius religionis documenta cognovimus, illius & exemplis informemur, & patrociniis adjuvemur. Per.

Ad Miſſam.

DEus qui hodiernam diem beati confeſſoris tui Adelvvoldi Epiſcopi tranſitu nobis honorabilem dedicaſti: concede propitius, ut cujus eruditione veritatis tuæ luce perfundimur, ejus interceſſione cæleſtis vitæ gaudia conſequamur. Per.

Secreta.

OBlata ſervitutis noſtræ munera tibi Domine quæſumus annua ſancti Patris noſtri Adelvvoldi Epiſcopi ſollemnitas commendet accepta; ut ejus pia ſupplicatione muniti, cunctorum noſtrorum remiſſionem peccaminum & beatitudinis ſempiternæ mereamur obtinere conſortium. Per.

Præfatio.

V D. Æterne Deus, quoniam adeſt nobis jocunda & votiva præſentis diei lætitia: quam . Apoſtolici culminis honore ſublimem, roſeoque martyrii cruore ſollemnem, glorioſi pontificis Adelvvoldi moderna celebritate conſecraſti, & ſpem nobis tantæ fiduciæ contuliſti, ut nos paternis ejus ſuffragiis, & a peccatorum noſtrorum nexibus ſolvas & ad cæleſtia regna perducas. Per Chriſtum.

Poſtcommunio.

REfectos Domine vitalis alimoniæ ſacramentis, ſancti Confeſſoris tui Adelvvoldi interceſſione glorioſa nos protege, & ad æternum cæleſtis menſæ convivium pervenire concede. Per.

Alia.

GRegem tuum, Paſtor æterne, pii ſuffragatoris Adelvvoldi patris noſtri defenſione guberna, quæſumus Domine: ut cujus benivolentia provocati ſuperni amoris dulcedine paſcimur, ejus interveniente patrocinio, & a temporalis vitæ perturbationibus eruamur, & manſuris ſupernorum civium gaudiis inſeramur. Per.

Digitized by Google

AN. CHR. 984 1. Auguſt.

IV. Idus Septembris.

In translatione Sancti Adelvvoldi.

DEus qui nobis ſanctum pontificem tuum Adelvvoldum ſalutis æternæ doctorem tribuiſti: concede propitius, ut cujus annuæ translationis ſolemnia colimus, ejus ſemper meritis adjuvemur & precibus. Per.

Super oblatam.

SAcrificium noſtrum tibi Domine quæſumus ſancti patris noſtri Adelvvoldi Epiſcopi commendet oratio: ut nobis eo ſuffragante fiat ſanctæ majeſtatis tuæ propitiatio, & peccatorum noſtrorum exoptata remiſſio. Per.

Præfatio.

VOtivam beati pontificis Adelvvoldi translationem pia veneratione celebrantes, teque cernua devotione exorantes, ut ipſum nos apud clementiam tuam ſentiamus habere patronum, quem tua gratia largienre ſalutis æternæ meruimus ſuſcipere magiſtrum. Per Chriſtum.

Poſt-Communio.

UT hæc communio nos Domine tibi dignos efficiat, beatus pater noſter Adelvvoldus ſuffragio, quæſumus, piæ interceſſionis obtineat. Per.

De horis peculiaribus.

PRæterea beatus pater Adelvvoldus Horas regulares & peculiares ſibi ad ſingulare ſervitium inſtituit, quas in tribus curſibus ordinavit: humilima diligentia quoſque ſubjectos admonens, ut hoc ſecreto famulatu ignitis ſatanæ tentamentis vigilanter reſiſterent, & ea per Dei gratiam reſiſtendo ſuperarent, ut fides quæ per noſtri Ceatoris & piiſſimi Redemptoris incarnationem luce clarius enituit, inſtante futuræ perſecutionis tempore quæ jam vicinis antichriſti temporibus ingruit, nullo modo (quod abſit) titubando vacillet, ſed his divinis roborata præconiis integra jugiter & inviolata permaneat. Eſt enim primæ pſalmodiæ cantilena ad laudem beatæ Dei genitricis ſemperque virginis Mariæ procurata, Secunda autem ad honorem beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli omniumque noſtri Salvatoris humanitati præſentialiter famulantium. Tertia vero ad ſuffragia omnium ſanctorum poſtulanda, ut eorum pia interceſſione protecti, multiformem verſipellis antichriſti & membrorum ejus fallaciam expugnare, & Chriſto remunerante cæleſtium præmiorum palmam mereamur accipere: quæ videlicet Horæ pieriſque in locis habentur adſcriptæ, & ideo in hoc codicello ſunt prætermiſſæ.

Torpi.

PAtris adeſt votiva dies, cantemus ovantes. *Statuit ei*:
Pontificem templo ſibi quem ſacravit in iſto: *& principem.*
Inter Apoſtolicos ſtola ſplendente Hierarchos. *Ut ſit illi.*
Adelvvolde pie prece nos defende miſellos: *in æternum.*
Præſul Adelvvoldus quia fulſit in ordine magnus: *ſtatuit ei.*
Conſtituens illum hodie ſuper æthra polorum: *& principem.*
Gloria, ſplendor, honor, decus & veneratio perpes: *in æternum.*

WOLSTANI MONACHI VENTANI

LIBER DE VITA S. SWITHUNI.

Incipit ad dominum ſpecialis epiſtola Patrem,
ELFEGUM, Wenta reſidet qui Præſul in urbe.
De ſancti Patris Svvithuni inſignibus, & de
Baſilica Petri, reſerat qui limen Olympi.

Vates Elfego ſe commendat.

DOmino Pontifici, Vventanam Principe Chriſto
Qui regit eccleſiam, proſpera cuncta canam:
Conferat ÆLFHEGO regni cæleſtis honorem,
Qui dedit hunc omni Pontificem populo.
Ipſe tibi pacem tribuat ſine fine perennem,
Eſt qui Sanctorum gloria pax & honor.

Hoc

AN.CHR. 984 1. Auguſt.

Hoc cupit ore pio, cupit hoc animoque benigno.
Ultimus Anglorum ſervulus hymnicinum *.
Sit licet ægra mihi ſine dogmatis igne loquela,
Nec valeam tanto ſcribere digna viro.
Hoc tamen exiguum quod defero munus amoris,
Commendare tibi, magne Pater, ſtudui:
In quo perſtrinxi quæ fecit Rector Olympi
Svvithuni meritis cælica ſigna patris:
Per quem magna ſuis miracula præbuit Anglis,
Millia languentum corpora ſacrificans.
Hæc etenim cecini magnalia paupere cantu,
Præſumendo boni de bonitate Dei,
Grandia de minimis eſt qui penſare ſuetus,
Suſcipiens viduæ bina minuta libens.
Quà non paupertas, ſed erat penſata voluntas,
Quæ victum ſprevit & ſua cuncta dedit.
Hæc igitur commendo tibi munuſcula Patri,
Quæ vovi Domino reddere corde pio:
Ut tua dignetur hæc corroborare poteſtas,
Hæc & ab infeſtis protegere inſidiis:
Dignus apoſtolica reſides qui Præſul in aula,
Inſtruis & populum dogmate catholicum.
Hocque monaſterium variis ornatibus ornas,
Intus & exterius illud ubique levans.
Quod quondam renovavit ovans Antiſtes Adelvvold,
Sollicitudo cui nocte dieque fuit
Chriſticolas augere greges, atque ore paterno
Hos cum lacte ſoli lacte nutrire poli.
Qui ſtruxit firmis hæc cuncta habitacula muris,
Ille etiam tectis texit & ipſa novis.
Et cunctis decoravit ovans id honoribus, hucque
Dulcia piſcoſæ flumina traxit aquæ:
Seceſſuſque laci penetrant ſecreta domorum,
Mundantes totum murmure cœnobium.
Iſtius antiqui reparavit & atria templi,
Mœnibus excelſis culminibuſque novis:
Partibus hoc Auſtri firmans & partibus Arcti.
Porticibus ſolidis, arcubus & variis,
Addidit & plures ſacris altaribus ædes,
Quæ retinent dubium liminis introitum.
Quiſquis ut ignotis deambulat atria plantis,
Neſciat unde meat, quove pedem referat.
Omni parte fores quia conſpiciuntur apertæ,
Nec patet ulla ſibi ſemita certa viæ.
Huc illucque vagos ſtans circumducit ocellos,
Attica Dedalei tecta ſtupetque ſoli:
Certior adveniat donec ſibi ductor, & ipſum
Ducat ad extremi limina veſtibuli.
Hic ſecum mirans cruce ſe conſignat; & unde
Exeat, attonito pectore ſcire nequit.
Sic conſtructa micat, ſic & variata coruſcat
Machina, quæ hanc matrem ſuſtinet eccleſiam,
Quam Pater ille pius, ſumma pietate refertus,
Nominis ad laudem celſitonantis Heri
Fundavit, ſtruxit, & dotavit, & inde ſacravit,
Et meruit templi ſolvere vota ſui,

*idest Cantorum.

Ethelvoldum laudat veteris Monaſterii inſtauratorem.

Eccleſiam deſcribit.

cujus dedicatio facta coram Alredo Rege.

Digitized by Google

AN.CHR. 984 1. Auguſt.

Regis Ædelredi viſu cernente modeſti,
In regni ſolio qui ſupereſt hodie.
Illum Pontifices ſequebantur in ordine plures,
Complentes ſanctum rite miniſterium.
Quorum ſummus erat vultu maturus & actu, (per Epiſcopos octo.)
Canicie niveus Dunſtan & angelicus.
Hunc ſequebatur ovans Anglorum lucifer idem
Præſul Adelvvoldus, corde benignivolus.
Poſt alii ſeptem, quos nunc addicere promptum eſt.
Carmine verſifico cum pede dactylico,
Ælfſtan Æthelgarus, rurſumque Ælfſtanus & Æſcvvig,
Ælfheah, Æthilſinus, hic & Adulfus erant.
Poſt alii plures aderant Proceresque Duceſque
Gentis & Anglorum maxima pars Comitum:
Quos e concilio pariter collegerat illo,
Quod fuerat vici Regis in Andeferan,
Idem paſtor ovans & ſæpe notandus Adelvvold,
Sicut ei Domini gratia contulerat.
Et celebrant cuncti ſollemnia maxima templi,
Plaudentes Domino pectore laudifluo.
Lætanturque bonis ſuper omnibus ille benignus
Quæ ſtatuit cunctis Præſul opima dari.
Fercula ſunt admixta epulis, cibus omnis abundat.
Nullus adeſt triſtis, omnis adeſt hilaris.
Nulla fames, ubi ſunt cunctis obſonia plenis,
Et remanet vario menſa referta cibo;
Pincernæqne vagi cellaria ſæpe frequentant,
Convivaſque rogant, ut bibere incipiant.
Crateras magnos ſtatuunt, & vina coronant,
Miſcentes potus potibus innumeris.
Fœcundi calices, ubi ruſticus impiger hauſit
Spumantem pateram gurgite mellifluam:
Et tandem pleno ſe totum proluit auro,
Setigerum mentum concutiendo ſuum.
Sicque dies alterque dies proceſſit in hymnis, (Convivio ſubſequente.)
Et benedixerunt omnia corda Deum.
Omnibus expletis tandem ſollemniter hymnis
Quos in honore Dei vox ſonuit populi:
Unuſquiſque ſuas alacer repedavit ad oras,
In Domino gaudens pectore & ore canens.
Numquam tanta fuit taliſque dicatio templi
In tota Anglorum gente patrata reor:
Qualis erat Wenta celebrata potenter in urbe,
In ſancti Petri cœnobio Veteri.
Quod Deus omnipotens ſic protegat immaculatum,
Ut juge dignetur ipſe habitare in eo:
Et quicumque humiles hoc ingrediuntur aſylum, (Ethelvvoldus Novum cœnobium inchoat,)
Exſultent plenæ participes veniæ.
His ſuper Antiſtes ſacro ſpiramine plenus
Adhibuit Domino plurima vota ſuo.
Nam fundamen ovans a cardine jecit eorum,
Porticus ut ſtaret ædificata Deo.
Erexitque novum *a* jacto fundamine templum: (non perficit.)
Ne tamen expleret raptus ab orbe fuit,

Pro

a Hæc tam clare atque indubitanter a Vvolſtano referuntur de conditione Novi cœnobii Vvintonienſis, ut ea Ælfredo Regi tribui non poſſit, uti expendimus ſupra ad annum 903. ubi de S. Grimbaldo egimus.

1. Auguſt.

Pro meritis ſuperam digne tranſlatus in aulam,
Quorum multiplices nec numerantur opes:
Altithronum primo quibus exhilaravit ab ævo,
Donec Chriſto animam redderet ipſe ſuam.

Sed Elfegus ſucceſſor.

Veſtra cui ſtatim ſucceſſit in arce poteſtas,
Et cœptum vigili pectore ſtruxit opus:
Inſuper occultas ſtuduiſtis & addere cryptas,
Quas ſic Dædaleum ſtruxerat ingenium:

Cryptarum deſcriptio.

Quiſquis ut ignotus veniens intraverit illas,
Neſciat unde meat, quove pedem referat.
Sunt quibus occultæ latitant quæ hinc inde latebræ,
Quarum tecta patent, intus & antra latent,
Introitus quarum ſtat apertus & exitus harum:
Quas homo qui ignorat luce carere putat.
Nocte ſub obſcura quæ ſtare videntur & umbræ:
Sed tamen occulti lumina ſolis habent.
Cujus in exortu cum ſpicula prima reſultant,
Lucifer ingrediens ſpargit ubique jubar:
Et penetrat cunctas lucis ſplendore cavernas,
Donec in Heſperium ſol ruat Oceanum.

Ara ſuperior.

Machina ſtat quarum, ſacram ſubportat & aram,
Sanctorumque pias ordine reliquias,
Multiplicique modo manet utile culmen earum,
Exteriora gerens, interiora tegens.

Organa muſica.

Talia & auxiſtis hic Organa, qualia nuſquam
Cernuntur, gemino conſtabilita ſolo.
Biſſeni ſupra ſociantur in ordine folles,
Inferiuſque jacent quatuor atque decem.
Flatibus alternis ſpiracula maxima reddunt,
Quos agitant validi ſeptuaginta viri,
Brachia verſantes multo & ſudore madentes,
Certatimque ſuos quique monent ſocios:
Viribus ut totis impellant flamina ſurſum,
Et rugiat pleno capſa referta ſinu:
Sola quadringentas quæ ſuſtinet ordine muſas,
Quas manus organici temperat ingenii.
Has aperit clauſas, iterumque has claudit apertas,
Exigit ut varii certa camœna ſoni.
Conſiduntque duo concordi pectore fratres,
Et regit Alphabetum rector uterque ſuum.
Suntque quater denis occulta foramina linguis,
Inque ſuo retinet ordine quæque decem.
Huc aliæ currunt, illuc aliæque recurrunt;
Servantes modulis ſingula puncta ſuis.
Et feriunt jubilum ſeptem diſcrimina vocum,
Permixto lyrici carmine ſemitoni:
Inque modum tonitrus vox ferrea verberat aures,
Præter ut hunc ſolum nil capiat ſonitum.
Concrepat in tantum ſonus hinc, illincque reſultans,
Quiſque manu patulas claudat ut auriculas,
Haud quaquam ſufferre valens propiando rugitum,
Quem reddunt varii concrepitando ſoni:
Muſarumque melos auditur ubique per urbem,
Et peragrat totam fama volans patriam.

S. Petrus patronus.

Hoc decus eccleſiæ vovit tua cura Tonanti,
Clavigeri inque ſacri ſtruxit honore Petri.

Digitized by Google

AN.CHR. 984 1. Auguſt. Templi deſcriptio.

Inſuper excelſum feciſtis & addere templum,
Quo ſine nocte manet continuata dies.
Turris ab axe micat, quo ſol oriendo coruſcat,
Et ſpargit lucis ſpicula prima ſuæ.
Quinque tenet patulis ſegmenta oculata feneſtris,
Per quadraſque plagas pandit ubique vias.
Stant excelſa tholis roſtrata cacumina turris,
Fornicibus variis & ſinuata micant.
Quæ ſic ingenium docuit curvare peritum:
Quod ſolet in pulchris addere pulchra locis.
Stat ſuper auratis virgæ fabricatio bullis.
Aureus & totum ſplendor adornat opus.
Luna coronato quoties, radiaverit ortu,
Alterum ab æde ſacra ſurgit ad aſtra jubar:
Si nocte inſpiciat hunc prætereundo viator,
Et terram ſtellas credit habere ſuas.

Gallus in turre.

Additur ad ſpecimen ſtat ei quod vertice gallus
Aureus ornatu grandis & intuitu.
Deſpicit omne ſolum, cunctis ſupereminet arvis,
Signiferi & Boreæ ſidera pulchra videns.
Imperii Sceptrum pedibus tenet ille ſuperbis,
Stat ſuper & cunctum Wintoniæ populum.
Imperat & cunctis evectus in aera gallis,
Et regit occiduum nobilis imperium.
Impiger imbriferos qui ſuſcipit undique ventos,
Seque rotando ſuam præbet eis faciem.
Turbinis horriſonos ſuffertque viriliter ictus.
Intrepidus perſtans; flabra, nives tolerans.
Oceano ſolem ſolus vidit ipſe ruentem:
Auroræ primum cernit & hic radium.
A longe adveniens oculo vicinus adhæret,
Figit & adſpectum diſſociante loco.
Quo feſſus rapitur viſu mirante viator,
Et pede disjunctus lumine junctus adeſt.
Plura quid his addam? tota virtute laboras
Ut decores totum undique cœnobium.

Dedicatio per Epiſcopos.

Cujus nuper erat encænia rite peracta,
Et celebrata ſatis ordine mirifico:
Octo quod egregii Domino ſanxere Hierarchi,
Quos ſimul hic pietas fecit adeſſe Dei.
Primus erat quorum Sigericus onomate pulchro,
Victor honore potens, victor in arce nitens:
Ante retroque micans, habitu venerandus & actu.
Cujus ab eloquio dulcia mella fluunt.
Quem Deus e cælis tueatur ubique ſupernis:
Anglorum populis ſervet & incolumem.
Hunc Ælfſtanus ovans, alter comitatur & Elfſtan:
Pontifices ambo, plenus uterque Deo.
Ælfheah adeſt, Ordbirhtus adeſt, Wilfſinus & Ælfric
Splendentes cuncti jure ſacerdotii.
Incipiuntque omnes modulata voce canentes,
Pax ſit huic domui, pax ſit & hic fidei:
Pax fiat intranti, pax & fiat egredienti:
Sempre in hocque loco, laus ſit honorque Deo.
Sic in laude Dei reſonant nova mœnia templi,
Omnis & in Domino lingua reſultat ovans.

Hinc

Digitized by Google

Hinc adſtant Proceres, pueri hinc, juveneſque, ſeneſque, AN.CHR. 984
Et celebrant ſancti gaudia cœnobii. 1. Augu ſt.
Sic optata diu data nunc memoranda per ævum,
Votis plena piis fulſit in urbe dies;
In qua promeruit ſua gaudia cernere Paſtor,
Officioque ſacro reddere vota Deo.
Hinc te Pontifices circumdant, inde miniſtri.
Te totum cinxit, hinc honor, inde favor.
Et ſimul hymniſona fratrum coeunte corona:
Quiſque tuum votum, qua valet arte canit.
Cimbalicæ voces calamis miſcentur acutis,
Diſparibuſque tropis dulce camœna ſonat.
Inſuper & Cleri jubilat plebs omnis & infans:
Et Deitatis opem machina trina tonat.
Lætitiæ augmentum quoniam cumulatur in omni
Iſtius antiqui parte monaſterii.
Lætanturque cibis omnes epuliſque refecti, Convivium
Potibus & variis omnibus atque bonis.
Sic hujus ſancti nituit celebratio templi,
Nomine apoſtolico ſanctificata Deo.
Hæc eſt aula pii fulgens in onomate Petri,
Qui ſolet excelſos clave ligare polos: SS. Petrus & Paulus patroni.
Qui præſtante Deo ſolvitque ligamina mundo,
Et reſerat cunctis cælica regna piis.
Hæc quoque Paule tibi committitur aula tuenda,
Qui mundi cunctos ore domas populos.
Exſiſtatis ut hic ſpeciales ambo Patroni:
Eſt quibus unus apex, gloria parque polo.
Exaudire Deum rogitetis & omnipotentem,
Dignetur populi vota preceſque ſui.
Quiſquis ut hoc templum beneficia poſcere quærit,
Impetret a Domino gaudia plena pio.
Qua vir apoſtolicus jacet almus & ille Birinus Sancti quorum ibi reliquiæ.
Has lavacro gentes qui lavit occiduas.
Signipotens in ea pauſat quoque demate * Svvithun * l. corpore.
Qui precibus cunctum ſublevat hunc populum.
In medio templi fulgent Byrnſtanus & Ælfheah,
Jure Sacerdotii cultor uterque Dei.
Summus & Antiſtes, patriæ decus, altor egentum,
Spes peregrinorum, ſplendor honorque Patrum;
Noſter Adelvvoldus paſtor, pater atque magiſter, S. Adelvvoldi elogium.
Cujus in æterna luce coruſcat apex.
Cujus in Anglorum micat omni limine nomen,
Inque monaſteriis, pluribus inque locis.
Quæ vovens Domino conſtruxit, eique ſacravit,
Centenos in eis accumulando greges;
Qui inter Pontifices minimus nullatenus exſtat,
Cujus doctrinæ ſplendet ubique jubar:
Inter apoſtolicos ſed lucet in axe Hierarchos;
Per quem ſigna facit jam manifeſta Deus,
Illuſtrans oculos tetria caligine merſos,
Et revocans nervis languida membra ſuis.
Ad cujus ſacrum veniunt quicumque ſepulchrum,
Cum precibus plenam percipiunt veniam.
Quique fide pleni quærunt beneficia Chriſti,
Munera quæ cupiunt cælitus inveniunt.

Com-

Digitized by Google

AN.CHR. 984 1. Auguſt.

Comperit hoc nuper quidam vir nobili Ælfelm,
Inſomnis tumbam juſſus adire ſacram;
Cujus erant oculi nimio glaucomate clauſi,
Nec valuit phæbum cernere nec radium.
Qui mox huc veniens, Sanctus mandavit ut idem
Percepit clarum luminis intuitum,
Et nullo ducente redit, miratur & in ſe
Qualis erat veniens, qualis & hinc rediens.
Sic etiam quædam nimis infirmata puella:
Ducitur ad tumulum matre gemente ſacrum.
Protinus obdormit, vigilans ſaniſſima ſurgit,
Incolumiſque domum cum genetrice redit.
Talia quid mirum rutilant quod ſigna per illum,
Et quod poſt mortem clarus in æthre micat?
Cujus vita fuit virtutibus undique plena:
Qui jugiter ſtuduit corde placere Deo;
Temporibuſque ſuis clara atque exempla futuris
Præbuit[1], altithronum ſemper amando Deum,
Multiplici jubilo gaudens feliciter: unde
Exſultat Chriſti nobilis Eccleſia.
Eſt quoniam Dominus mirabilis & metuendus,
Qui facit in ſanctis ſigna ſtupenda ſuis.
Sunt alii plures etiam hinc atque inde locati,
De quibus eſt ſcriptum quod canit Eccleſia:
Corpora Sanctorum ſunt hic in pace ſepulta,
Et vivunt eorum nomina in æternum.
Quorum facta ſequens & dicta fideliter implens,
Sedulus injunctum perficis officium.
Lumen apoſtolicum populis tua lingua miniſtrat,
Et verbum Domini te reſerante patet.
Pauperibus victum, nudis largiris amictum,
Dividis & miſeris munera larga pius:
Ut commiſſa tibi duplicata talenta reportans,
Introeas Domini gaudia vera tui.
Suſcipe, quæſo, tibi quæ defero munera patri,
Atque ea quæ meritis debita ſolvo tuis.
Hæc tibi vita diu rogo proſpera cuncta miniſtret,
Luxque futura tibi proſperiora ferat.
Hic Domino multos ſolvas pia vota per annos,
Ut tibi commiſſæ multiplicentur oves.
Et ſubeas regnum grege te comitante ſupernum
Cum ſanctis ſemper lætus in arce poli.
Quod tibi concedat qui cuncta elementa gubernat,
Unus ubique potens in Trinitate Deus. Amen.

EXPLICIT *ad dominum ſpecialis epiſtola Patrem*
ÆLFÆGUM *Wentam qui regit eccleſiam.*

INCIPIT *ad cunctos generalis epiſtola Fratres,*
Qui bajolant inibi ſuave jugum Domini.

FRatribus æternæ creſcant augmenta ſalutis
Omnibus, in Chriſto magna famulantibus urbe,
Nomine quæ proprio Wintonia dicitur, & quæ
Conluſtrat turrita ſuos hinc inde colonos;

Omni-

Digitized by Google

Omnibus Occiduis caput & Saxonibus exſtat, AN.CHR. 984 1. Auguſt.
Clavigeri in Petri degunt qui principe Chriſto
Cœnobio Veteri, vitam ſectando beatam.
Quam pius ille pater ſanctiſſimus atque magiſter
Iuſtituit, toto Benedictus in orbe coruſcans.
Vita, ſalus, pietas, ſplendor, pax, gloria, virtus,
Multiplicetur eis, per eum qui trinus & unus,
Continet imperium ſuper omnia regna per ævum.
  Magna, pii Patres, miracula cælitus acta,
Finibus in cunctis Europæ nota pateſcunt.
Quæ Deus omnipotens, hominum ſator, atque redemptor,
Gentibus Anglorum direxit ab arce polorum,
Mirificare ſuum voluit quo tempore ſanctum
Swithunum, innumeras ſanans a clade catervas.
Sed reor indignum, beneficia tanta latere
Ætatem, ventura foret quæ in margine ſæcli.
Unde, mihi quantum Dominus conceſſerit, ipſe
Eloquar, & modico percurram magna relatu.
Et licet extremus hominum atque abjectio plebis
Sim, quia ſermonis me nulla ſcientia fulſit,
Nec miſero meritum probitas mihi conferat ullum:
De Chriſti pietate tamen confiſus, & almis
Sanctorum nitens precibus, parendoque vobis,
Hinc canere incipiam, velut & de gurgite ſtillam
Marmoris exiguam ſic iſta canendo reſtringam.
  Qua propter Dominum prius invoco mente ſupernum,
Quatenus ad meritum miſeri non tendat iniqui:
Sed magis affectum, velit ut penſare jubentum.
Vos quoque vos ſervo precibus ſuccurrite veſtro
Ne flatus per falſa queat me fallere fallax.
Inretitus enim curis & deditus imis
Haud animus quicquam poterit dignoſcere veri:
Ni prius errorem terræ caliginis omnem
Expulerit ſanctus donorum Spiritus auctor.
Et quia per modicum ſapit hæc quæ volvitur ætas:
De variis ſignis & de virtutibus illis
Quæ ſacer hic precibus vivens in corpore geſſit, Svvithuni Vita ignota.
Scribendi ſtudio quamvis neglecta fuiſſent:
Articulum revocemus ad hæc cæleſtia, quæ ſunt
Ejus poſt obitum miracula ſæpius acta;
Non ſolum quo ſacra jacent ſua buſta ſepulchro,
Verum etiam multis Anglorum gentis in oris:
Idcircoque pias acceſſimus edere cauſas,
Hujus & inſignis laudes evolvere Patris,
Eſt quoniam laudare Dei beneficia dignum,
Iſque ea qui ignorant laudando edicere juſtum,
Et reticere eadem contra atque ſilendo negare eſt
Impium & indignum, mutilatoque ordine ſtultum.
Quin etiam natura animi ſic condita conſtat,
Ut ſi ſanctiloquos peragraverit ordine libros,
Auditu ſacros patrumque didicerit actus;
Inſpirante Deo cordis perverſa relinquat,
Execret & rabiem, lacerat quæ vulnere mentem,
Ex flexus vitam ducat pietatis amicam,
Secteturque humilem virtutum mente magiſtram,
Quæ per deſcenſum ſolet altum ſcandere cælum.

Poſt

Digitized by Google

AN.CHR. 984 1. Auguſt.

Poſt hac ſequitur prolixa Præfatio hic omiſſa, in qua nihil notatu dignum, præter annum tran-
Ex ſequentibus quadam obſervavimus in to-
ſlationis S. Svvithuni 971. qui inferius etiam notatur. Tria hic addere ſatis fuerit. Primo in lib. 1. cap. 3. Volſtanus
mo ſuperiori, ubi de S. Svvithuno. Sic enim filium patri ſuo, civi Vvintonienſi
ait corpus S. Judoci requieviſſe in monaſterio Novo.
loquentem inducit.

Viſne, o chare parens, quo te portemus ad almum
Cœnobium, quod quiſque Novum modo nuncupat, in quo
Sacra Sacerdotis requieſcunt oſſa Judoci?
Quem Deus innumeris quondam clareſcere ſignis
Fecit, &c.

Secundum eſt in lib. 2. cap. 11. de Præpoſito Abbandunenſis monaſterii, cæco,
qui nomine Birferth,
Dictus erat proprio, perviderat hicque fidelis
Rura monaſterii pulchro quod onomate quique
Abbandum vocitare ſolent, quod jure paterno
Rexerat Oſgarus, jam tunc venerabilis Abbas:
Nunc etiam pietate Dei moderante ſuperni
Moribus egregiis eſt cui prælatus & almis,
Qui noto cunctis Niger eſt agnomine dictus,
Mente ſed irradiat Vvlſgarus & ore coruſcat,
Commiſſumque gregem monitis precibuſque tueretur.

Tertium eſt in cap. 19. de Elgiſva Regina, matre Eadgari Regis,
Ad cujus capiunt ægrota ſepulchrum
Corpora cæleſtem Chriſto medicante ſalutem.
Hæc in Sceptonienſi parthenone ſepulta fuerat, de quo vide Monaſtici Anglicani tomum 1.

AN.CHR. 984 16. Sept.

VITA SANCTÆ EADGITHÆ
SEU EDITHÆ EADGARI ANGLORUM REGIS FILIÆ
& Sanctimonialis Vviltonienſis.

Auctore (ut videtur) GOTSELINO monacho Cantuarienſi.

Ex tomo 9. Surii, qui ſtilum nonnihil mutavit.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Gotſelinus vitæ ſcriptor.

1. G*otſelinus ſeu* Goſcelinus *Monachus, cujus de ſancto Auguſtino Anglorum Apoſtolo lu-*
cubrationem in Sæculo 1. retulimus, inter plures alias Sanctorum Vitas, acta ſanctæ
Eadgathæ *Virginis ſcripſiſſe dicitur in catalogo ſcriptorum Britanniæ, & apud Vvio-*
nem, & Poſſevinum. Hanc non dubito eſſe Eadgitham *ſeu* Edgitham Edithamve,
Eadgari Anglorum Regis filiam, cujus Vitam ſtilo nonnihil mutato Surius in lucem protulit. Eam-
dem hic exhibemus, adſcribendo loca ſeu teſtimonia Vvillelmi Malmesburienſi, qui eamdem vir-
ginem laudavit non ſemel, tum in lib. 2. de Regibus Anglorum, cap. 13. tum in lib. 2. de Pontifici-
bus Anglorum, cap. 4. Eamdem celebrat Harpsfeldius in ſeculi 10. cap. 10. præter Johannem Bromto-
nem, Maiheuvium, & alios rerum Anglicarum ſcriptores.

Vvil. unen- monaſterium.

2. *Eadgitha monaſticem profeſſa eſt in cœnobio Vviltunenſi apud occidentales Saxones.* Vvltuna,
teſte Vvillelmo Malmesburienſi de Pontificibus Anglorum lib. 2. cap. 4. eſt vicus non exiguus ſupra
Vvile fluvium poſitus, tantæ celebritatis, ut totus pagus ab eo vocetur, *olim epiſcopalis ſedes.*
Aſſerus in libro de vita Alfredi nominat montem Vviltun, qui eſt in meridiana ripa fluminis Guilou.
Ibi Eadgitha vixit piiſſime inter Sanctimoniales, & ſepulturam accepit. Jacet in eadem eccleſia, *in-*
quit idem Vvillelmus, mater ejus Vvilfrith, quam non Sanctimonialem, ſicut opinio vulgaris
delegat*, ſed ſubito timore Regis ſuo tantum conſilio velatam conſtat, abrepto velo regio cu-
bili ſubactam. Unde ille, quod feminam attigiſſet, quæ vel umbratice ſanctimonialis fuiſſet, a
ſancto Dunſtano redargutus, ſeptennem exegit pænitentiam. Illa quoque partu explicito vo-
luptati frequentandæ non inhæſit: ſed doluit potius & ſprevit, ſanctaque pro vero aſſeritur &
creditur. *Hanc poſt vim ſibi a Rege illatam Vviltoniæ monasticum habitum ſuſcepiſſe legitur in Vita ſe-*
quenti.

Vvilfrith Eadgithæ mater. *al. delirat.

Eadgithæ cultus.

3. *De Eadgithæ ſanctitate dubitare non ſinit nos Vvillelmi in prælaudato loco teſtimonium.* Habe-
tur ergo, *ait*, in plurimus locis Angliæ feſtum ejus venerabile, quod nemo impune temera-
re præſumat. *Cnuto Rex apud Anglos Danus, quod per jocum ſanctam non reverens, ejus ſepul-*
chrum reſerari juſſiſſet, vix mortem evaſit, ut idem Auctor ibidem tradit cum Vitæ ſcriptore.

Ad

Digitized by Google

Ad ejus ſepulcrum Theodericus, qui ob Natalis Domini religionem ſtupro & choreis violatam cum aliis cælitus punitus fuerat, ad ſanctæ Vi ginis tumulum ſanitati reſtitutus eſt. Harpsfeldius factum fuſe commemorat ex Brunone Tullenſi Epiſcopo, qui poſtea ſummus Pontifex, Leo IX. dictus eſt. AN. CHR. 984 16. Sept.

4. *Eodem ævo tres aliæ Edithæ regiæ virgines in Anglia vixiſſe dicuntur præter Editham Ottonis M. uxorem: una Ethelvvlfi Regis filia. Alfredi Regis ſoror, quæ ſanctæ Modvvennæ Abbatiſſæ (de qua in ſanctis prætermiſſis Sæculi 4.) tradita eſt: altera Editha, Eadvvardi ſenioris filia, Æthelſtani ſoror: tertia Edmundi Regis filia, Eadgari ſoror; omnes ſanctæ, & quidem Sanctimoniales in cœnobio Polleſvvortenſi, quod juxta ſilvam Ardenniam in Ceſtrenſi diœceſi eſt. Prima laudatur in actis ſanctæ Oſithæ apud Surium die 7. Octob. & ſanctæ Modvvennæ Abbatiſſæ Streneshalenſis apud Capgravium, qua Modvvenna Pollevvortenſi monaſterio a ſe condito Editham, Alfridi Regis ſororem, præfeciſſe perhibetur. Locus poſtea dictus eſt ſanctæ* Edithæ Pollesvvorth *ſeu* de Pollesvvorda, *ut fidem faciunt vetera monumenta in Monaſtici Anglicani tomo I. pag. 179. Altera Edita, Eadvvardi filia, Sithrico Northumbrorum Regi ab Æthelſtano fratre in conjugem data, ſed ab eodem poſtmodum repudiata, Polleſvvortum ſeceſſit, ibique reliquum vitæ religioſe exegit, teſtante Matthæo Vveſtmonaſterienſi ad annum 925. Tertia eſt Editha, Eadmundi Regis filia, Eadgari ſoror, neptis Edvvardi ſenioris, cujus filiam fuiſſe Editham ſecundam diximus. Thomas Majehenvius ad diem 15. Julii, ubi de his tribus ſimul agit, ſuſpicatur ſecundam & tertiam non eſſe diverſas, nec aliam quam Edvvardi ſenioris filiam: nam nullam Editham Eadmundi filiam, Eadgari Regis ſororem inveniri. Verum in Vita ſequentis cap. I. laudatur Editha, Edgari Regis ſoror.* Edithæ aliæ tres.

5. *Hujus tamen difficultatis ſolutio non ita pendet ex ſequenti Vita, ut nullum inde dubium relinquatur. Nam ſi ejus auctor Gotſelinus, qui ineunte ſæculo II. florebat, ex ejus ſententia rem certo definire non poſſumus. Fuit is, teſte Vvillelmo Malmesburienſi in lib. 4. de Regibus Anglorum cap.* I. Monachus de ſancto Bertino, qui cum Hermano Epiſcopo Salisberiam venerat, inſignis litterarum & cantuum peritia. Is multo Epiſcopatus & Abbatias perluſtrans tempore, præclaræ ſcientiæ multis locis monumenta dedit in laudibus Sanctorum Angliæ poſt Bedam ſecundus. Muſicæ porro palmam poſt Obernum adeptus. Denique innumeras Sanctorum recentium vitas ſtilo extulit: veterum vel hoſtilitate amiſſas, vel informiter editas comptius renovavit. Felix lingua, quæ tot Sanctis ſervierit: felix pectus, quod tot vocales melodias emiſerit, præſertim cum in ejus converſatione certaret honeſtas doctrinæ. *Hactenus Vvillelmus.* Gotſelini elogium.

I. BEata virgo Editha, filia Edgari Regis, & Wlſtrudis regii Ducis filiæ: quam quidem Wlſtrudem Rex ſibi perpetuo regni conſortio conjugere ſtatuerat, ſed illa a partu abſoluta deinceps continenter vivere, quam illecebris ſervire maluit, Chriſti amore eam invitante. Itaque monacharum habitum apud Wiltoniam e manibus ſancti Ethelvvoldi Epiſcopi accepit, exempliſque & virtutibus proficiens, virginibus mater ſpiritalis præfecta eſt. Porro beata Editha ſub matris cura relicta, tandem Rege aſſentiente, in eodem monaſterio monaſticam veſtem induit. Eam vero mater non auro, non monilibus, non multivario ornatu, ſed litterarum ac virtutum ſplendore inſtruxit. Inter multa autem ſanctorum hominum exempla, quæ tum in codicibus lectitabat, tum cora mincuebatur, aut auditione diſcebat, cognatorum præſertim & propinquorum ſuorum vehementius accendebatur virgineæ integritatis palma ſanctiſſimæ amitæ ſuæ Edithæ, quæ Edgari Regis & patris ejus germana ſoror erat, & in monaſterio Pollevvortenſi provinciæ Wervvici, meritorum ſignis, perinde ut ipſa Wiltoniæ, clarebat. Edithæ parentes. monaſticæ vitæ inſtitutio ſub matre.

2. Sororibus quidem Martham, Chriſto vero ſe Mariam exhibebat, erga omnes officioſam ſe miniſteriis impendendis præbebat. Hoſpites omnes in Chriſti viſceribus complectebatur, ita abſtinentiæ dedita, ac ſi epulis intereſſet: ita ad epulas accedens, ut a frugalitatis ſtudio non deflecteret. Terrenos favores prorſus devitans, morbidis ac humana ope deſtitutis ſeſe impendebat, liberiſque regiis leproſos anteferebat: & quanto quiſque videbatur morbis deformior, tanto illa propenſiori animi commiſeratione erga illum humanior & ad inſerviendum promptior erat. Recte ea dici poterat cæcorum oculus, debilium adminiculus, indigentium veſtis & alimonia, deſolatorum omnium ſolamen. Virtutes ejus.

3. Cilicio aſperrimo ad nudam carnem utebatur, interim nitidis veſtibus extrinſecus induta. Cumque beatus Ethelvvoldus quandoque vidiſſet eam „ ornatiori habitu ingredientem, ait ad eam: Non his, filia mea, indumentis Cilicium ac veſtes.

AN. CHR. 984 16. Sept.

„ mentis itur ad Chriſti thalamum, nec externo cultu corporis delectatur „ ſponſus cæleſtis. Illa vero interni conſcia habitatoris, ita reſpondit: Cre- „ de mihi, Pater, nequaquam deterior mens, Deo adſpirante, ſub hoc teg- „ mine [a] deget, quam ſub pelle caprina. Habeo Dominum meum, qui non „ tam veſtem quam mentem attendit. Senſit ergo vir Dei in virgine gratiæ auctoritatem, nec auſus fuit in ea contriſtare ſummum judicem Deum. Lætabatur potius Dominum in ſanctis ſuis omnia pro ſua voluntate moderari, puramque mentem & in purpura, & in ſacco placere Deo.

Crucis amor.

4. Ubicumque Editha ingrediebatur, crux Chriſti illi comes aderat: crucem in fronte, in pectore, in itinere, omni opere ſuo præferebat. Cum aliquando eſcas ſuo more in diſco offerret, in ſinu pauperis condendas, a latere puer accurrit eleemoſynam petens. Porrexit ea cum ſolito crucis ſigno: mox ille puer diſparuit, ita ut prorſus ab illa non videretur.

Abbatiſſæ dignitas recuſata.

Quindecim annos natam pater ejus Rex Edgarus tribus monialium monaſteriis Wintonienſi, Berckingenſi, & tertio cuidam Abbatiſſam præfecit: ſed ea ab illa domo, in qua Deo ſervire cœperat, avelli non potuit. Effecit autem ut ſingulis illis monaſteriis ſpiritales Matres tamquam magis idoneæ præponerentur, mallens matri ſubeſſe, quam aliis præeſſe; potiuſque timere Matrem, quam aliis imperare.

Mors fratris prævíſa.

Defuncto autem patre Edgaro, & ſuccedente ei filio Edvvardo adhuc infantulo, in ſomnis vidit ſancta oculum ſuum dextrum ſibi excidiſſe, idque ſororibus referens ſimulque exponens: Videre, inquit, mihi videor hanc viſionem fratris mei Edvvardi portendere caſum. Nec diu poſt Edvvardus, dum cupit inviſere fratrem ſuum Ethelredum, a filiis iniquitatis, ut in ejus hiſtoria videre licet, occiſus eſt. Cumque regni Proceres virginem ſanctam e monaſterio extrahere, & in paterno ſolio, uti pleriſque nationibus feminæ dominantur, collocare vellent, & tandem etiam vim intentarent; adeo illa non aſſenſit, ut facilius ſaxa in plumbum verti, quam virgo Chriſti a ſuo propoſito & Dei ſervitio abduci poſſe videretur.

Mors ejus a Dunſtano prædicta.

5. Cum autem in honorem beati Dionyſii eccleſiam condidiſſet, & ſanctum Dunſtanum [b] ad ejus dedicationem invitaſſet, vidit is ſanctus Pontifex ſacram virginem crebro pollicem dextrum extendere, & eo ſignum crucis pingere in fronte ſua. Quo ille delectatus, apprehenſa dextra manu virginis dixit: Numquam putreſcat hic dignus. Paullo poſt inter Miſſarum ſollemnia in lachrymas vir ſanctiſſimus prorupit, rogantique Diacono ſuo, cur fleret; ſuſpirans, & ab imo pectore trahens vocem: Hæc, inquit, Deo dilecta anima, hæc gemma ſiderea, ad patriam Sanctorum ab illuvie terrena & hac ærumnoſa vita rapietur: neque enim flagitioſus hic mundus, tantæ lucis præſentia dignus eſt, tertio & quadrageſimo ab hinc die occidet nobis hæc ſtella luculenta. Ecce autem ex ergaſtulo noſtro ſanctorum lumina, & nos in tenebris & umbra mortis ſedemus. Nos pigros ſenes damnat ætas immatura, dum nobis dormitantibus, illa cælos penetrat.

Edithæ obitus.

6. Appropinquante vero hora, qua de mundo erat migratura ad Dominum, adeſt ſanctus Dunſtanus, & exhortationibus atque precibus animam ejus communiens, a corpore excedentem manibus Domini commendavit. Interim ſoror quædam trepida, e ſancti Dionyſii eccleſia, ubi ſancta virgo obiit, ad monaſterium currit, auditque in choro tamquam pſallentium magnam frequentiam. Itaque hærenti ei occurrit quidam eleganti vultu & habitui inſigni, aitque ad eam: Noli huc propius accedere, Angeli enim ſancti Godam puellam (ita enim majori gratia eam appellabat, quæ patria voce Bona cognominabatur) hinc ſecum adſportaturi ſunt ad gaudia ſempterna, ut cum hac melodia cæleſtis exercitus in aulam perpetuæ jucunditatis ingrediatur.

anno 984.

Sicque anno viceſimo tertio ætatis ſuæ, decimo ſexto Kalendas Octobris, migravit ad Chriſtum, circa annum Domini nongenteſimum octogeſimum

[a] Recte hic notat Surius id ab Editha factum & dictum, ut veſtis ſuæ, interioris, ideſt cilicii aſperitatem diſſimularet. Ethelvvoldi Acta ſupra, in quibus prætermittitur hoc factum, quod Vſtillelmus Malmesburienſis memorat tum in lib. 2. de Regibus Anglorum cap 13. tum in lib. 2. de Pontificibus cap. 4.

[b] Et hoc ipſum refert in duobus præmiſſis locis Vvillelmus, quod omittunt Acta Dunſtani inferius.

Digitized by Google

mum quartum : ſepelivitque eam beatus Dunſtanus in eccleſia ſanᴄti Dionyſii quam ipſa exſtruxerat. Hunc autem locum præſaga mente virgo ſanᴄta crebro inviſerat, dicens : Hic locus eſt requietis meæ : eumque aſſiduo lachrymarum imbre irrigans. In ipſo autem atrio monaſterii xenodochium, in quo hodieque tredecim pauperes reficiuntur, inſtituit. AN.CHR. 984 16. Sept. Xenodochium.

7. Porro triceſimo ab obitu ſuo die, apparuit virgo ſanᴄta matri ſuæ Wlſtrudi, formoſa valde & hilaris, atque lumine ſicut veſtimento amiᴄta & ſplendida, dixitque illi ſe Regi ſuo bene charam in gloria ſempiterna : ſatanamque ipſam coram illo accuſaſſe, ſed ſanᴄtorum Apoſtolorum patrociniis ſe contriviſſe caput ejus, & cruce Domini Jeſu eum ſe proſtraviſſe, atque ex illo triumphaſſe. Eodem triceſimo die nata eſt ex illuſtriſſimis parentulis infantula, de qua ante ejus obitum rogata beata Editha, ut eam e ſacro fonte ſuſciperet, reſpondit ſe ſuſcepturam, quemadmodum Domino viſum foret. Sed cum ipſa prius nata eſſet cælo, quam puella mundo : allata eſt puella ad eccleſiam, & ſanᴄto Elfego illam baptizante, & cereum ei „ offerente atque dicente, Accipe puella lampadem, cum qua introeas ad „ nuptias Domini : ſubito quaſi ſanᴄta Editha illam puellam tenente, palmulam tenerrimam porrigens, cereum ſuſcepit ac tenuit. Mox vero ſanᴄtus Epiſcopus Elfegus intellexit admirandum hoc eſſe divinæ eleᴄtionis præſagium, aitque parentibus puellæ : Hanc infantulam ſoli Deo deſponſandam nutrite, & poſt ablaᴄtationem, monaſterio eam tradite. Ea puella Brithgina [a] appellata eſt, & apud Wilthoniam poſtea Abbatiſſa effeᴄta, in ſanᴄtitate vitam ſuam finivit. Apparitio ejus. Brithginæ baptiſmus.

8. Poſt deceſſum ſanᴄtæ Edithæ tredecim elapſis annis, illa beato Dunſtano Archiepiſcopo apparuit, dicens : Reminiſcens Dominus miſerationum ſuarum, aſſumpſit, me, placetque ineffabili bonitati illius, ut apud homines in ſalutem fidelium ejus honore afficiar, cum ille me apud angelicos cives in cælis honorarit. Ito ergo Wiltoniam, divinaque juſſa capeſſens, corpus meum e terra elevato. Ne dubites, nec ullo te phantaſmate deludi putes, hoc enim veritatis erit ſignum, quod præter officia membrorum, quibus in puellari levitate abuſa ſum, puta oculorum, manuum, pedum; reliquum corpus meum uti illibatum, ita & incorruptum invenies. Libidinis enim & crapulæ expers ſemper fui. Pollicem quoque dextræ manus, quo mihi aſſidue ſanᴄtæ Crucis ſignum impreſſi, illæſum videbis, ut appareat clementia Domini in parte ſervata; & paterna caſtigatio in parte aſſumpta. Dunſtanus ergo cum apud Sarum prope Wiltoniam pernoᴄtaret, per viſum transfertur in eccleſiam Wiltoniæ uſque ad tumulum ſanᴄtæ virginis : & ecce videt angelica claritate ſanᴄtum Dionyſium altari aſſiſtere, & virginem Editham luce & candore conſpicuam, dileᴄtum patronum hiſce compellare verbis : Scis, Pater, quid de me divinæ gratiæ placeat : tu ergo ſummi conſilii interpres, & divinæ voluntatis legate, huic advenæ, qua fide & auᴄtoritate ipſum huc invitaverim expone. Sanᴄtus Dionyſius ait : Animadverte, Frater, viſionem quam nuper vidiſti, veram eſſe de hujus dileᴄtæ dominæ declaratione. Digna eſt enim quam terrigenæ venerentur, quæ inter cælicolas meruit coronari; dignum eſt honore hoc corpus, hoc templum virginalis pudicitiæ, in quo amator virginitatis regnavit Dominus Rex gloriæ. Ejus etiam Chriſto gratiſſima ſuffragia mortalibus ſunt neceſſaria. Ita ergo tertio nonas Novembris corpus ſanᴄtum e terra levatur, & omnia, ſicut prædiᴄtum erat, inveniuntur. Edithæ corporis elevatio.

9. Monachus quidam Glaſconiæ, Edulfus nomine, colleᴄtam temere in rugam a corpore ſanᴄto tunica præſcidit, ſimulque ſanᴄtum corpus ferro percuſſit; confeſtim ſanguis inde copioſus, perinde ut ſolet ex vena inciſa, prorupuit, atque in veſtes & pavimentum manavit. Territus frater temerarius, ferrum cum ſacra rapina projiciens, in faciem ruit, admiſſum faci-

[a] Brithina vocatur ab Harpsfeldio in Sæculi 10. cap. 10 ubi Theoderici cujuſdam curationem ad S. Edithæ tumulum ſub hac Abbatiſſa factam commemorat ex Brunone Tullenſi Epiſcopo, qui poſtea Leo Papa IX.

AN. CHR. 984 16. Sept. nus lacrymis expiare contendit; ſurgens inde, nullum prorſus cruorem vidit. Itemque Soror quædam, ut conata eſt de vitta ſacri capitis partem abſcindere, miro modo impedita eſt, vitali capite ſe attollente, & temerariam minaci indignatione deterrente.

10. Clerici Pictorum in capſa circumferebant ſanctum confeſſorem Juvium, atque in ſanctæ virginis cœnobio honorifice ſuſcepti, in altari beatæ Edithæ ſacras reliquias depoſuerunt. Cumque inde recedere vellent, tanto pondere reliquiæ illæ altari inhæſere, ut nulla ratione poſſent amoveri. Plorant igitur advenæ, ejulant, veſtes ſcindunt, capillos vellicant; tandem re deſperata, receptis duobus millibus ſolidorum a Vulſtrude Abbatiſſa, in ſua triſtes abiere.

Cnutonis Regis cachinnus punitus. 11. Canutus Rex in ſacra Pentecoſte apud Vvultoniam inter edendum crebro cachinnum ſuſtollens; numquam ſe crediturum ajebat, Editham filiam Regis Edgari ſanctam eſſe, cujus pater libidini ſemper ac tyrannidi addictus fuiſſet. Contradixit autem illi Ednotus Archiepiſcopus qui tum aderat, ſtatimque virginis tumulum aperuit. Illa vero cingulo tenus ſe erigens, in contumelioſum Regem impetum facere viſa eſt. Tum ille præ metu conſternatus animo, humi ceu exanimis corruit. Tandem autem reſpirans, lætus erubuit, ſuæque temeritatis veniam poſcens, ſanctam virginem deinceps in multo honore habuit: ortaque quandoque in mari tempeſtate, eam invocavit, & ſerenitate reddita ad portum optatum appulit. Aldredi invocatio. Aldredus quoque Eboracenſis [a] Archiepiſcopus, in mari Adriatico in magnum conjectus diſcrimen, ſanctam virginem invocavit, eaque mox viſibiliter ei apparens; Ego ſum, inquit, Editha, & quam primum tranquillitas reſtituta eſt.

Prædo dat pœnas. Uſurpaverat quidam terram ſanctæ Edithæ, & morte obrutus ſine pœnitentia deceſſerat e vita. Paullo poſt autem ſurgens dixit: ſuccurrite amici, ſubvenite omnes fideles Dei. Ecce ſanctæ Edithæ indignatio intolerabilis, ab omni plaga cæli & terræ hanc infelicem animam excludit, ſuique juris invaſorem nuſquam conſiſtere permittit, & neque in hoc corpore durare, neque mori me ſinit. Reddita autem terra quam abſtulerat, confeſtim animam exſpiravit.

CIRCA AN. 985

DE SANCTIS EADBURGA

SANCTIMONIALI WINTONIENSI,

& MEREVVINNA Rumeſienſi Abbatiſſa.

1. *Eadgithæ has virgines, utpote tempore proximas, ſubjungimus, tametſi diverſis in cœnobiis vixerint. Eadburga quidem in parthenone Wintonienſi, Merevvinna in Rumeſienſi: quod paucis exponendum.*

Eadburga regia filia & monacha. 2. *Albſvvida ſeu Albſvvita, Alfredi Regis uxor, ineunte ſæculo decimo Wintoniæ monaſterium Sanctimonialium, cui præfecit Etheldridam, conſtruere cœpit, quod Edvvardus Alfredi filius tandem abſolvit. Id patet ex Rogerio Hovedeno aliiſque monumentis in Monaſtici Anglicani tomo 1. relatis pag. 212. De eodem Alfredo, ejuſdemque monaſterii conditione apud Vvillelmum Malmesburienſem hæc leguntur in lib. de Pontificibus Anglorum cap. 4. ſub finem.* Præterea conſtruxit ſupradictus Rex in eadem urbe Vvintonia Sanctimonialium cœnobium: ſed poſterioribus annis per beatum Ethelvvoldum ampliatus eſt locus ille: quibus præpoſuit Ethelritham virginem anum, quæ ad conjecturam ſomnii, quod mater ejus de aquila viderat aurea, multa de ipſo prophetavit. Fuerat ibi ante hunc monaſteriolum, in quo Edburga, Regis Edvvardi ſenioris filia,

[a] Ex monacho Wintonienſis Antiſtes, idemque ſimul Eboracenſis, teſte Vvillelmo in lib. 3. de Pontificibus Anglorum. Floruit medio ſæculo XI.

Digitized by Google

filia, converſata & defuncta fuerat, ſed tunc pæne deſtructum. Edburga vix dum trima eſſet, ſpectabile futuræ ſanctitatis dedit periculum. Explorare volebat pater, utrum ad Deum an ad ſæculum declinatura eſſet puſiola: poſueratque in triclinio diverſarum profeſſionum ornamenta; hinc calicem & Evangelia, inde armillas & monilia. Illuc virguncula a nutrice allata, genibus parentis aſſedit; juſſaque utrum vellet eligere, torvo aſpectu ſæcularia deſpuens, prompte manibus repens Evangelia & calicem puellari adornavit innocentia. Exclamat cœtus aſſidentium, auſpicia futuræ ſanctitatis exoſculatus in puella. Pater ipſe arctioribus baſiis dignatus ſobolem, Vade, inquit, quo te vocat Divinitas, ſequere fauſto pede quem elegiſti ſponſum. Ita Sanctimonialium habitum induta, cunctas ſodales ad amorem ſui ſedulitate obſequii invitavit. Nec reſupinabat eam proſapiæ celſitudo, quod generoſum putaret in Chriſti inclinari ſervitio. Creſcebat cum ætate ſanctitas, adoleſcebat cum adulta humilitas, in tantum, ut ſingularum ſoccos furtim noctu ſurriperet, & diligenter lotos & inunctos lectis rurſus apponeret. Devotionem ergo pectoris ejus & integritatem corporis miracula in vita & poſt mortem commendant plurima, quæ cuſtodes templorum viva voce melius pronunciant. *Hæc Vuillelmus.* CIRCA AN. 985

3. *Eadem iiſdem omnino verbis ſcribit in lib. 2. de Regibus Anglorum, ubi Eadburgæ matrem nominat his verbis.* Edvvardus ſenior, de quo ſuperius multa retuli, ſuſcepit ex uxore Elfgiva, *aliis* Ethelſvvita, filias multas, inter quas & Edburgam: quæ dum trima eſſet, ſpectabile futuræ ſanctitatis dedit periculum, &c. *Et in fine:* Denique devotionem pectoris & integritatem corporis ejus miracula in vita, & poſt mortem commendant plurima, quæ templorum ejus æditui Vvintoniæ & Perſcore neſcientibus viva voce pronuntiant. *Idem Vuillelmus in lib 4. de Pontificibus Anglorum cap. 1. ubi de cœnobio Perſcorenſi diæceſis Vvigornienſis:* Perſcore fundavit & perfecit cœnobium tempore Regis Edgari Egelvvardus Dux Dorſatenſis, minime parcus animo, ſed effuſo in largitatem ſtudio, *&c. Ejus monaſterii hiſtoria legitur in Monaſtici Anglicani tomo 1. a pag. 203. ubi Magelgerus Epiſcopus Vvigornienſis* feſtum ſanctæ Eadburgæ *ibidem celebraſſe dicitur.* Habentur hic aliqua felicis Edburgæ oſſa, celebranturque inſtanti reverentia, quod frequentiori, quam alias, miraculorum meruit gloria. *Sunt qui ſororem ei* Elfredam *itidem Sanctimonialem adjungunt. De Edburga mentionem facit Petrus Equilinus in lib. 2. cap. 69. inter eos ſcilicet, quorum certus dies ignoratur. At Molanus in Additionibus ad Uſuardum die 15. Junii eam reponit. Ejus vitam Osbertus Clarentius, aliis de* Stoc-Clare, *Monachus Vveſtmonaſterienſis, circiter annum 1136. ſcripſiſſe a Pitſeo dicitur ſub hoc initio:* Fidelibus in Chriſto ſororibus.

4. *De* Merevvinna *hæc habet Vuillelmus Malmesburienſis in lib. 2. de Pontificibus Anglorum ſub finem cap. 3.* Apud Rumeſejam, quod cœnobium præcellentiſſimus Rex Edgarus inſtituit, novi jacere duarum virginum corpora, Merevvinnæ & Elfædæ: quarum geſta, quod neſcio non tam prætereo, quam ad majorem ſcribendi diligentiam reſervo, ſi forte cognovero. *Nec plura Simeon Dunelmenſis.* Anno 967. Rex Anglorum pacificus Eadgarus in monaſterio Rumeſige, quod avus ſuus Rex Anglorum Eadvvardus ſenior conſtruxerat, Sanctimoniales collocavit, ſanctamque Merevvinnam ſuper eas Abbatiſſam conſtituit. Merevvinna.

CIRCA AN. 985 24. Auguſt.

DE B. SANDRADO ABBATE GLADBACENSI.

I. *Præter tria illa Coloniæ monaſteria, quæ ſuperius in Obſervationibus ad hiſtoriam translationis ſancti Maurini Abbatis commemoravimus, celebria duo per id tempus conſtructa ſunt a duobus Colonienſibus Archiepiſcopis, unum Gladbacenſe primitus in diœceſi Leodicenſi a Gerone; alterum Sigebergenſe in Colonienſi ab Annone Archiepiſcopo ſæculo* 11. *inſtitutum. De priori hic agendum, de poſteriori in Sæculo ſequenti. Anno* 965. *mortuo Brunoni Archiepiſcopo, quem ſancti Pantaleonis monaſterii auctorem diximus, ſuffectus eſt Folcmarus, huic autem Gero anno* 970. *cujus Geronis obitus contigit poſt annos quatuor, id eſt anno* 974. *Is avunculos habuit duos*, Geronem *Marchionem*, Sigefridum; *matrem* Hiddam *nomine, eorum ſororem. Fratrem vero Thietmarum Marchionem, cum quo* partem hereditatis ſuæ contulit monaſterio ſanctæ Dei Genitricis *in Thancmaresfelden, quod poſtea alio translatum eſt. Gero* morte unici filii ſui Sigefridi Romam pergens emeritus jam ſenex, coram altari principis Apoſtolorum Petri arma victricia depoſuit; & apud Domnum Apoſtolicum brachium ſancti Cyriaci impetrans, ad Deum cum omni hereditate ſua confugit, conſtruens monaſterium in ſaltu, quod ſuo ſignatur nomine: & nati ſui viduam prius velatam a Bernardo Epiſcopo *Halberſtadenſi* ſtatuit ibi Abbatiſſam, & firmatis omnibus 13. kal. Junii feliciter migravit ad Dominum *anno* 965. Hujus frater Sigefridus partem hereditatis ſuæ tradidit ſancto Vito, conſtruens ei monaſterium in loco, qui dicitur Gronigge. Soror eorum Hidda nomine, ſancta mulier, quæ cauſa orationis Jeroſolymam petens, ibidem obiit, genuit Thietmarum Marchionem & Geronem Colonienſem Archiepiſcopum, qui in prædio ſuo juxta Salam fluvium Abbatiam conſtruxerunt in honore ſanctæ Dei Genitricis, & ſancti Cypriani martyris, imperante ſecundo Ottone.

Geronis Comitis pietas.

2. *Sic hoc loco agitur de monaſterio Gladbacenſi, quod quidem in honorem beatæ Mariæ & ſancti Cypriani (ut mox dicemus) conditum eſt, pro fluvio Sala ſcribendus eſt Nerſa *, a quo non longe diſtat Gladbacum, ſitum in pago Attuariorum diœceſis tunc Leodicenſis: poſtea Colonienſis, inter Moſam & Rhenum; in quem Nerſa fluvius influit, Vvachtendunum, Gelram caput comitatus cognominis, Goch, aliaque Clivenſium oppida prætergreſſus. Gladbacenſis cœnobii originem litteris mandavit anonymus ejuſdem loci Monachus, in Spicilegii tomo* 12. *editus, ex quo* Sandradi *Abbatis primi geſta præcipua deſumemus, poſtquam de Gladbacenſibus primordiis tractaverimus. Tradit itaque Anonymus, Geroni Folcmari in Colonienſi eccleſia ſucceſſori, cum de conſtruendo monaſterio cogitaret, divinitus revelatum fuiſſe*, quod in colle conſito nemoribus, rivulo præterfluente, Deo & ſancto Vito monaſterium conſtruere deberet. *Ideoque* virum conſciviſſe ſtrenuum prælibato operi præponendum, diſciplinis regularibus apprime eruditum, nomine Sandradum; *& placuiſſe in commune, ut locum aptum deligerent. Dein* multis Saxoniæ locis curioſa indagine circumſpectis, *exploratores* Leigelingen *deveniſſe*, ad fluvium Vviſſeram * prope fluentem. *Porro locum eis arriſiſſe, adeo ut incunctanter* monaſterii officinarumque ſpatium vallo cinxerint. *Subdit Auctor, portento conditionem impeditam, alioque translatam cœnobii conſtruendi ſententiam. Nec prætereunda eſt temporis nota, quo id accidiſſe dicitur, nimirum interveniente obitu Ottonis Magni Imperatoris, quæ obſervatio neceſſaria eſt ad annum conditi cœnobii Gladbacenſis aſſignandum. Dum vero ſcrutatores locum aptum diſquirerent* citra Rhenum, & multa prætereuntes ultra ter-

Gladbacenſis monaſterii initia.

* Neers.

* le Vezer.

Digitized by Google

CIRCA AN. 985 24. Aug.

terminum diœceſis, appropiaverunt Molenſium fines: *ubi* mons erat incultus, nemorum denſitate opacus, eccleſiæ veteris oſtentans ruinas, *quam a* Balderico *quodam ex regni primoribus tempore Caroli M. fabricatam tradebant*, *& Sanctorum reliquiis dotatam*, *quæ ob Huugarorum incurſiones* in grandi cavato lapide *repoſitæ ſint*. *Hunc itaque locum* vir religioſus Sandradus *explorans*, dum rivulum cerneret præterfluentem ad radices montis, vallemque fontibus undique ſcaturientibus habilem piſcinis, *ibidem conſiſtendum eſſe intellexit*. *Rivulo indubie nomen erat* Glad. *unde compoſitum vocabulum* Gladbac, *quod* hac *rivulum ſignificat*. *Triduano demum præmiſſo jejunio*, *repertæ reliquiæ ſanctorum martyrum Viti*, *Cornelii*, *Cypriani*, *Chryſanti & Barbaræ*: *coadunati* undique Fratres ſpiritu ferventes, *quibus Gero* jam pridem probatum Abbatem ordinavit Sandradum: *conſecrata eccleſia* in honore Salvatoris mundi, ſanctæ Mariæ, ac Sanctorum Viti, Stephani protomartyris, Georgii, Gangolfi, Cornelii, Cypriani, Chryſanti & Barbaræ. *Hæc contigere (ut mox notabam) ſtatim poſt obitum Ottonis M. quem anno 973. accidiſſe conſtat. Nec vero diutius differri poteſt Gladbacenſis cœnobii origo: cum anno ſequenti Gero ejus auctor e vivis exceſſerit. Nunc ad Sandradum, cujus gratia hæc præmiſſa ſunt, veniamus.*

Sandradus monachus S. Maximini Trevirenſis.

3. *Gladbacenſis Hiſtoriographus cap. 2. ſcribit*, *Sandradum a Gerone accitum fuiſſe* de cœnobio ſancti Maximini, unde tunc temporis monaſticæ vineæ, botros virtutum germinantis, odor longe lateque ſargebatur floridus. *Eo in loco reſtituta anno 934. monaſtica diſciplina, ut ſuperius diximus in Elogio Vviggeri Abbatis, ubi multos viros illuſtres, qui ex illo ſeminario tunc prodierunt bene multi, recenſuimus. Hos inter merito cenſendus eſt Sandcradus, de quo hic agere inſtituimus.*

Sandradus Gladbaco pulſus.

4. *Geroni in ſedem Colonienſem ſucceſſit anno 974. Vvarinus, cujus aures cum detractorum linguæ aſſidue pulſarent*, prædictum Abbatem Sandradum vehementi odio inſectari *cœpit*, *quaſi ab eo* plus ſervitii Epiſcopo Leodienſi, quam ſibi *impenderetur*. Locus enim tunc temporis Leodienſis exſtitit diœceſis. Abbas autem venerandus, utpote quem virtutum omnium mater erudierat diſcretio, utrique ſine querela jure ſubdebatur proprio. *Sed tandem prævaluit* æmulorum obtrectatio, perſuaſitque Epiſcopo, ut ejus in loco non æque dignum quemdam ſine conſecratione ſubrogaret Maginhardum.

Adelheidhæ favore Weiſſemburgo præficitur.

5. Venerabilis itaque Sandradus non victus a malo, ſed vincens malum patientiæ bono, invidiæ ceſſit, & ad Imperatricem Adelheidam, cui etiam conjunctus erat confeſſionis familiaritate, ſeceſſit: a qua benigne ſuſceptus, monaſterio eſt Weiſſembergenſi promotus. *Poſtquam vero huic loco per aliquod tempus fideliter ac prudenter præfuiſſet, prioris cœnobii deſiderio teneri cœpit: atque ejuſdem Imperatricis favore atque auctoritate* honorabiliter ab Agrippinenſi Metropolitano revocatus, in locum & gradum eſt priſtinum reſtitutus. *Verum eo abſente, dum mercenarius loco præſideret*, ovium Domini facta fuerat luctuoſa diſperſio, rei familiaris, librorum, reliquiarum, prædiorumque diſtractio: *ſed* Abbate reverſo coadunataque congregatione, in maxima licet penuria, ſervierunt Domino ſine murmuratione. *Sic itaque* vir ille devotus in mundi hujus incolatu preſſuris variis & tribulationibus in fornace probatus, cœlo reddidit ſpiritum cum ſanctis æternaliter gaviſurum. *Hæc de Sandrado vetus auctor Gladbacenſis, qui in Fulrado Abbate ejus ſucceſſore deſinit*. Vvarino *mortuo ſuffectus eſt in eccleſia Colonienſi Evergerus, qui Gladbacenſe monaſterium a præceſſore ſuo Gerone in Leodicenſi diœceſi conſtructum eſſe indignum ratus, monachos inde cum Fulrado Abbate* in monaſterium ſancti Martini, quod eſt Coloniæ, *transferre conſtituit, & Gladbacenſium* prædia ſuis militibus diſtribuere *cœpit*. *At viſo deterritus*, *locum* in priſtinum ſtatum *revocavit*, *& ad ſuam diœceſim*, *facta cum Epiſcopo Leodicenſi pactione*, *reduxit*. *Gladbacenſis monaſterii originem Trithemius Geroni tribuit, referens ad annum 974. in Hiſtoria Hirſaugienſi*, *aitque Gladbacum* uno dumtaxat milliari *diſtare ab oppido Nuiſſia* *, *quod* Nuiſſenſe *vocat*. *Gladbacum diſtat a Nuiſſia milliaribus amplius quinque*. *De Sandrado* vero *hæc habet*

reſtituitur.

* Nuits

Digitized by Google

CIRCA AN. 985 24. Auguſt.

Tritbemius. Primus ejuſdem cœnobii Abbas fuit Sandradus, vir ſanctiſſimæ vitæ, & regularis diſciplinæ tam in ſe, quam in ſubditis ſuis maximus cultor: qui multis virtutibus & ſignis clarus in vita, & poſt mortem Sanctorum catalogo inſertus eſt: cujus dies feſtus 9. Kal. Septembris agitur. *Et quidem ipſa die laudatur in Martyrologio Benedictino, ut ſanctus, atque apud Fiſenum in Floribus Leodicenſibus ex Molano.*

Sanctus colitur.

6. *Hunc facile crederem eſſe Sanderatum, cujus meminit Ekkebardus Junior in libro de caſibus S. Galli cap. 16. niſi Sanderatus ipſe ſe* Coloniæ Abbatem *reliquiſſe diceret apud Ekkebardum: quibus verbis ſe potius ſancti Pantaleonis monachum fuiſſe innuit, quam S. Maximini apud Treviros, unde Sandradus Gladbacenſis aſſumptus eſt. Verum illud me movet, quod hic Ottoni M. notiſſimus, ille Adelbeidæ ejus uxori fuit, ut unus idemque eſſe videatur. Lector ex ſequentibus capiet conjecturam.*

Sanderatus Ottoni Aug. familiaris S. Galli monaſterium luſtrat.

7. *Sanderatus Ottoni M. in primis familiaris & charus, ejus auctoritate multa monaſteria ad meliorem frugem revocavit. Id colligere licet ex Ekkebardo Juniori, qui tamen in Sandratum iniquior, eum* deſpectibilem *vocat. Judicii hujus cauſa pendet ex eo, quod Sandratus ab Ottone miſſus ad reſtitutndam ſancti Galli diſciplinam, quædam ibi animadvertit: quæ cenſura monachis baud accepta fuit Ruodmannus Abbas Augienſis, ſeu invidia in ſancti-Gallenſes, ut tradit Ekkebardus, ſeu recti recti ordinis ſtudio Ottonem adduxit, ut Sandratum dirigeret ad S. Gallum. Et erant quidem non pauca eo loci correctione digna, ut vel ex actis viſitationis ab Epiſcopis & Abbatibus paullo ante factæ (de qua in* Elogio Notkeri *ſupra) intelligimus: tametſi monachorum diſciplinam Viſitatores probaſſe videantur. Eo venit ille in pervigilio ſancti Galli, & quidem* Notkero *(uti babet Ekkebardus) Abbate, qui anno 972. Abbas effectus eſt, teſte* Hepidanno, *eodemque anno Ruodmannus apud Augiam. Sandratus Ottonis litteras Abbati reſignat. Abbas* Sandratum ad inſtituendam Regulam miſſum gratanter jubet recipi, *non ſine dolo. Egregium vero hominem, inquiunt, qui ſe* Epiſcopis & Abbatibus prudentiorem *putet. Quippe ſancti-Gallenſes* nuperrime in Regula ſancti Benedicti ſtabilitos reliquerant. *Reponit Sanderatus, ſe neque ſponte ſua, neque precario iſtuc acceſſiſſe, ſed juſſu Ottonis. Illi Sandrato,* Angelo *(ut vocant)* Imperii, *improperant, quod viveret ſine Abbate & Decano.* Coloniæ, *inquit ille* Abbatem meum chariſſimum reliqui. *Tum demum* in Capitulo conſidens, plura ſibi diſplicere, maxime autem in eccleſia exaltationes vocum glorioſas, & nequaquam monachicas, & alia quæ poſt dicere vellet: porcini autem liquaminis odorem nares ſuas ferre non poſſe, carneſque ſe omnibus & liquamen infirmis & ſanis edicto Regis interminari. *Sancti-Gallenſes ipſum meri bibacem, clanculum carnium manduconem dicunt. Sic ventum ad verba, ac demum ad verbera. Querelæ de eo ad Ottonem delatæ: qui, ſi Ekkebardo bis in rebus omnimodam fidem adhibemus, præconceptam de Sandrati meritis opinionem abjecit, Adelbeide Regina atque Ottone filio conſpirantibus. In bac narratione, quam ex Ekkebardo in pauca contuli, quædam falſa veris partium ſtudio permiſta non dubitem: nec facile credendum putem eis qui Sandratum criminantur. Hunc (ut jam dixi) ipſum eſſe Sandratum Abbatem Gladbacenſem exiſtimo, tametſi Abbatem ſuum* Coloniæ *ſe reliquiſſe dicit. Neque enim bic unus locus ita rem evincit, ut cum nomen, tempus, diſciplinæ zelus, Principum familiaritas, ceteraque omnia in unum utrobique conveniant, duos Sandrados diſtinguere nos cogat: quorum unus ex Trevirenſi, alter ex Colonienſi monaſterio eductus ſit. Et forſan Sandradus Abbatem ſuum Trevirenſem ad inſtruendum Coloniæ novum ſancti Pantaleonis monaſterium reliquerit: immo ipſe unus ſit ex illa colonia, id eſt ex illo agmine Monachorum, qui ad incolendum ipſum ſancti Pantaleonis cœnobium miſſi fuerint ſub Chriſtiano Abbate primo, quem ex ſancti Maximini aſceterio a Brunone Colonienſi Archiepiſcopo accitum fuiſſe ſuperius * conjiciebam. Adde Sandradum ab Ekkebardo* Galliæ *accenſeri: quod Trevirenſibus Galliæ Belgicæ primæ incolis convenit, non Colonienſibus.*

* pag. 333.

DE

indigebant, cum univerſis eorum familiis habitaturos induxit: placito tam cum eis quos ibi invenerat, quam cum eis quos ipſe conduxerat, libellari ſtatuto, ut de tribus totius ejuſdem terræ redditibus, hoc eſt tritici & ordei ac milii, partem ſeptimam; de vino autem tertiam annualiter monaſterio darent, cetera in ſuis ſuorumque uſibus poſſiderent: quod uſque hodie ſtabiliter ac perenniter obſervatur. Tali ergo modo habitatoribus diverſarum partium hujus monaſterii terra ex maxima parte repleta atque diſpoſitâ, ad reparandas ſive meliorandas monaſterii officinas, quemadmodum a prædeceſſoribus ſuis Leone atque Joanne jamdudum inchoatum fuerat, animum poſuit; eccleſiamque primitus totam, quam prædictus Johannes conſtruxerat, novis trabibus ac lignis cypreſſinis contignans, tegulis cooperuit; parietes vero illius undique ſatis pulchre depinxit, pavimentum etiam ante altare beati Benedicti multimoda lapidum varietate conſtravit. Ipſum quoque altarium argenteis tabulis in circuitu decoravit, necnon & anteriorem faciem altaris beati Joannis argenteam fecit. Fecit etiam & crucem argenteam deauratam non modicam, & textum Evangelii undique contextum argento inaurato, & ſmaltis ac gemmis; coronas argenteas tres, calices quoque & thuribula & varia eccleſiaſtica ornamenta, necnon & codices plurimos ac diverſos. Interea & habitacula nonnulla ejuſdem loci reſtaurans, ac ſi alter Petronax cœpit juxta tenorem Regulæ, & priſcam monaſterii conſuetudinem cum Fratribus converſari. Apud Capuanum vero monaſterium cum ornamenta eccleſiaſtica nonnulla, & campanas, atque codices aliquot effeciſſet, in eccleſia etiam titulum cum confeſſione ſua a parte occidentali ſatis decorum adauxit atque depinxit. *Omitto varia Ottonum Imperatorum præcepta, quæ hortatu Aligerni Abbatis in Caſinenſis monaſterii gratiam conceſſa refert Leo Marſicanus capite* 4. *Multas item donationes ſeu bonorum commutationes aut recuperationes miſſas facio, quas idem auctor cap.* 6. *& ſequentibus enumerat.* AN.CHR. 986 23.Nov.

7. *Eodem Aligerno Caſinatibus præſidente, Nilus junior eximiæ ſanctitatis Hegumenus; quamquam græcanicis addictus ritibus, Caſinum venit: ubi perhumaniter acceptus & vicino Vallis-lucii donatus monaſterio, ibi quindecim exegit annos, ut teſtantur ejus acta a contubernali ejus diſcipulo græce ſcripta, quæ Io. Matthæus Caryophilus Archiepiſcopus Iconienſis latinitate donavit: ſic autem ille pag.* 124. *& ſequentibus.* Nilum juniorem excipit.

Cum veniſſet Capuam (Nilus) acceptuſque eſſet a Pandulfo tunc temporis Principe, & nobilibus viris, ita ut de eo in Epiſcopum ſibi eligendo cœpiſſent conſilium, (quod etiam ſucceſſiſſet niſi Princeps morte præventus eſſet:) tunc vocato ad ſeſe S. Benedicti Præpoſito Montis Caſſini (ſanctiſſimus hic erat Haligernus) injunxerunt, ut beato viro concederet monaſterium, quodcumque ipſe vellet, e monaſteriolis ſancti Patris noſtri Benedicti. Cum vero profectus eſſet ſanctus Pater ad viſendum inclitum illud monaſterium, proceſſit illi obviam uſque ad radices montis tota Monachorum caterva, Sacerdotibus & Diaconis eorum ſacro habitu indutis, ut fit diebus feſtis, cereos & thuribula manu ferentibus: & hujuſmodi pompa beatum virum ad monaſterium duxerunt; nihil aliud ſe putantes audire & videre, quam advenientem Alexandria magnum Antonium, vel excitatum a mortuis magnum patrem Benedictum, ſacrum legiſlatorem & magiſtrum eorum. Et ſane recte judicabant, nec fefellit eos opinio. Nam quotquot inter ipſos aut corporis aut animi morbo laborabant, omnes curati ſunt; & congruentia omnes accipiebant ab eo, ſtudioſi doctrinam, actuoſi ducatum, peccatores emendationem, virtute prædit adhortationem, incolumes continentiam, ægrotantes medelam; atque ut uno verbo dicam, ſicut olim manna Iſraelitis ad corporis cujuſque habitudinem & appetitum tranſmutabatur, quapropter in eorum tribubus non erat infirmus; ita his etiam vir admirabilis ſe accomodabat. Nilus infirmis ſanitatem, omnibus dat monita.

8. Itaque illis a Deo miſſa ſua præſentia perfecte ſanatis, ſpiritalique læ-

Digitized by Google

AN.CHR. 986 23. Nov. Caſini græco more peragit rem ſacram. lætitia repletis, cum & ipſe viciſſim admiratus eſſet egregiam illorum diſciplinam, & bene ordinatam vivendi normam, collaudaſſetque inſtituta eorum pluſquam noſtra; deducebatur rurſus ab Abbate præcipuiſque fratribus ad monaſterium, in quo cum ſuis filiis commoraturus erat. S. Michaelis id erat, nomine Vallelucium. Tum Præpoſitus & fratres rogarunt, ut una cum ſuis fratribus univerſis aſcenderet in maximum monaſterium, & græco ſermone officium caneret in eccleſia eorum; ut fiat, „ inquit, Deus omnia in omnibus. De quo etiam Propheta vaticinatus „ erat; *Leo & bos ſimul paſcentur, & catuli leonum ſimul erunt*. At vene„ rabilis Nilus primo quidem abnuere præ humilitate dicens: *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena*, qui nunc humiles ſumus in univerſa terra propter peccata noſtra? Ut ſimul tamen conſolatio ſuſciperetur per eam, quæ communis eſt, fidem, & magnum Chriſti nomen glorificaretur, tandem aſſenſus eſt; & compoſitis hymnis de fructu labiorum ſuorum in ſanctum Patrem noſtrum Benedictum, quibus cuncta vitæ ejus admiranda opera comprehendebantur, & convocatis univerſis fratribus (erant autem ſupra ſexaginta) in monaſterium Caſſini aſcendit, & pernoctavit egregie modulando. Habebat enim apud ſe fratres acris ingenii, apte legentes & canentes, quos ad utrumque ipſe ſatis inſtruxerat.

S. Benedicto hymnos dicit.

Monachis dat reſponſa ſpiritalia. 8. Peracto officio convenerunt ad ipſum omnes Monachi Abbate ſuo permittente (nam ad hoc uſque diſciplinam ſervant) & admirantes fulgorem ſpiritus de vultu ejus emicantem, cupiebant verba quoque audire de ore ejus. Exinde illi quæſita hujuſmodi continuata ſerie proponebant: Dicito nobis, Pater ſancte, quod eſt opus Monachi; & quomodo miſericordiam „ conſequemur? Aperiens autem beatus pater os ſuum, latine dixit. Mo„ nachus eſt Angelus: opus autem ejus eſt miſericordia, pax, ſacrificium „ laudis. Nam quemadmodum ſancti Angeli Deo quidem perpetuum of„ ferunt ſacrificium laudis; inter ſe vero mutua charitatis pace conjuncti „ ſunt, & miſerantur homines, opemqne illis ferunt quaſi minoribus fra„ tribus: ita & verus Monachus debet in minores & advenas fratres eſſe „ miſericors, amare æquales in pace, proficientibus non invidere, fidem„ que minime fictam & ſpem habere in Deum & in ſpiritalem Patrem. „ Hæc tria qui poſſidet, vitam agit in terris angelicam: contraria qui „ habet, hoc eſt incredulitatem, odium & inhumanitatem, omnium ma„ lorum fit habitaculum, & plane in dæmonem tranſit. Nam ubi quis „ Monachi habitum induerit, non amplius in eo eſt ut ſit homo: ſed „ duorum alterum, aut Angelus aut dæmon videbitur. De vobis autem „ fratres confido meliora & viciniora ſaluti.

Hebr. 6. 9. 9. Hæc & alia, quæ ſcriptis mandare nimium eſſet, cum vir ſanctus diſſeruiſſet, compuncti ſunt corde. Reſpondens autem quidam ex iis:
Pſalm. 17. Cur, inquit, dictum a Davide eſt: Cum ſancto ſanctus eris, & cum electo electus eris, & cum perverſo perverteris? Et magnus Pater. Hoc dixit Propheta cum Deo loquens, non cum homine: nam quod ſequitur, „ Deo convenit, non homini: Quoniam tu populum humilem ſalvum fa„ cies, & oculos ſuperborum humiliabis. Audiverat enim David dicentem
Levit. 2. 6. „ Deum: Vivo ego Dominus: ſi recte mecum ambulaveris, & ego recte „ ambulabo tecum: & rurſus ſcriptum eſt ad obliquos, perinde enim eſt „ ac dicere perverſos: Obliquas vias mittet Dominus, & non homo. „ Ceterum hominibus præceptum eſt, ut inimicos diligant, benefaciant „ eis qui oderunt eos, & malum pro malo non reddant. Deinde interro„ gavit alius; quid ſibi velint illa Habacuc Prophetæ verba: Requieſcam in die tribulationis meæ, ut aſcendam ad populum peregrinationis meæ. „ Reſpondit vir ſanctus. Hæc autem omnia in figura contingebant illis; „ ſcripta ſunt autem ad correptionem noſtram: ego totam ſcripturam in „ me ipſum interpretor. Audiens quippe Adam, & Cain, & Lamech, „ & omnes qui peccando Deum offenderunt, exiſtimo illum me eſſe &

„ non

DE V. ALIGERNO ABBATE

AN.CHR. 986 23. Nov.

CASINENSI, ET MANSONE EJUS SUCCESSORE.

Ubi de S. Nilo juniore græcanici ritus Hegumeno.

1. *Inter ſæculi* 10. *nebulas, ortum eſt Caſinenſibus lumen Aligernus Abbas, qui & violatum a Saracenis montem ſacrum divino cultui poſtliminio revocaret, & collapſas Archiſterii ſui res ædeſque invicta conſtantia reſarciret. Qualem is ſe geſſerit, ex Leone potiſſimum Marſicano, & reliquis ejus ævi monumentis referendum eſt.* Poſt tranſitum, *inquit Leo in Chronici lib.* 1. *cap.* 60. *editionis poſtremæ*, ſupradicti Abbatis *Majelpoti*, cum conveniſſent in capitulo monaſterii Capuani domnus Adelpertus egregius Præſul eccleſiæ Capuanæ, & Domnus Ardericus Epiſcopus, Leo quoque venerabilis Abbas ſancti Martyris Chriſti Vincentii, necnon & nobiliſſimi Judices prædictæ civitatis, Arechis & Saldefrid & Atenulfus Caſtaldeus 8. Kal. Novembris, omnibus unanimiter annuentibus atque laudantibus, electus eſt ab univerſis fratribus, cum maximo gaudio atque lætitia in Abbatem domnus Aligernus, Præpoſitus tunc monaſterii hujus, vir venerabilis, & valde honeſtus, & tam divina, quam ſæculari prudentia præditus. *Ejus electionis annum Leo reticuit, ſed* 949. *ſtatuendum eſſe, ducta rerum ab anteceſſore Majelpoto geſtarum ratione Camillus Peregrinius & Angelus de Nuce conſentiunt. Pergit Leo initio libri* 2. Aligernus Abbas ſeptimo ac viceſimo loco a beato Benedicto in hoc monaſterio feliciter ordinatus, ſedit annis triginta & ſeptem. Fuit autem temporibus primi & magni Ottonis Imperatoris, de quo ſupra diximus, & filii ejus ſecundi. Principum vero Capuanorum Landulfi & Pandulfi filii ejus, cui cognomen *Caput ferreum* fuit, & fratris ejus Landulfi & item filii Landulfi: Romanorum quoque Pontificum a Joanne XII. uſque ad Joannem XV. A quibus fere omnibus diverſis temporibus nihil negligens, tam privilegia, quam præcepta recepit. Inter quæ XV. Papa Joannes ad honorem & reverentiam hujus loci hoc in ſuo privilegio ſuper ceteros auctoritate apoſtolica addidit; interdicens omnibus Epiſcopis ut nulli liceret ab univerſis populis huic monaſterio ſubjectis, vel ab omnibus ubique terrarum ſibi pertinentibus eccleſiis decimas, vivorum aut defunctorum oblationes per quamlibet occaſionem auferre.

Aligernus ex Præpoſito Abbas.

2. Hic itaque Neapolitanus genere, in monaſterio S. Pauli apud Romam ſub prædicto Abbate Baldoino Monachus factus eſt: poſtmodum autem ab eodem Abbate huc tranſlatus, atque poſt tranſitum Majelpoti (ut ſupra dictum eſt) de Præpoſitura hujus loci Abbas effectus, ſuper id quod Leo atque Joannes monaſterii hujus Abbates olim incœperant, reſtaurare cœpit hunc locum; qui nimirum a tempore Abbatis Bertharii, quo a Saracenis incenſus eſt, per ſeptem & ſeptuaginta circiter annos uſque ad ſe neglectus ac deſtitutus, & quaſi deſolatus penitus fuerat. Jam tamen paullo ante, ſub Baldoino ſcilicet Abbate, monachi noſtri, qui eatenus primo ad Teanum, poſtmodum vero apud Capuam commorati fuerant, præcepto Agapiti Papæ II. ex parte reverſi erant, ſicut jam ſupra relatum eſt. Non tantum autem monaſterium, ſed & cuncta in circuitu ipſius planities ita tunc erat Saracenorum infeſtatione deſtituta, ut rarus, immo fere nullus inveniretur, qui ſervis Dei ibi degentibus aliquod obſequium exhibere deberet.

antea Monachus Romæ,

Caſinum inſtaurat.

3. Super hæc præterea Teanenſes Comites uſque ad monticulum monaſterio proximum, qui Torocelus dicitur, res ejuſdem monaſterii invadendo pervenerant. Aquinenſes vero a quibus Adenulfus quidam, cognomento Megalu *, in Caſtaldeum præerat, ab ipſo fere Caſino, qui non integris duo-

Monaſterii res vindicat

* al. Megalii.

AN.CHR. 986 23. Nov.

duobus millibus a civitate S. Germani abeſt, totam (ut vulgo loquar) Flumeticam cum univerſis adjacentiis retinebant. Cœpit igitur prudens Abbas monaſterii poſſeſſiones, quas antiquitus poſſederat, ubique terrarum, & maxime contiguas quaſque & in vicinia poſitas ſollerter exquirere, & ab his, qui bellicis eas temporibus diripuerant, inventis atque oſtenſis conceſſionibus ac præceptis eorum, qui hic illas dudum tradiderant, conamine toto repetere. Sed cum videret ſe nullis precibus, nullis rationibus irrationabilium latronum poſſe ad ea reſtituenda animos inclinare, Capuano Principi Landulfo ſuper iſta conqueritur: quo cognito adverſarii, & ejus ſtudio ac diligentia vehementer offenſi, cernentes ſe cum illius ſollicitudine non poſſe quieſcere, meditabantur in dies qualiter vel eum caperent, vel certe illi moleſtias, quas poſſent, inferrent. Agebantur autem hæc omnia nutu ac diſpoſitione Dei, qui ejus captionem ac dedecorationem ad loci ejus providebat fieri reſtaurationem.

Male tractatus ab Adenulfo.

4. Cum igitur quadam die in conſtruenda Rocca, quæ Janula nuncupatur, & eccleſiæ B. Germani deſuper imminet, operam daret; ſubito præfatus Adenulfus, qui & Megalu, cum militibus aliquot ſuperveniens, eumdem Abbatem vi cepit, atque Aquinum veluti prædam maximam aſportavit. Ibi vero in ſpectaculo publico urſino illum tergore veſtiens, canes ei undique ſicuti revera urſo ad circum latrandum immiſit, & injuriis plurimis virum honorabilem vir nequiſſimus dehoneſtavit. His prædictus Princeps auditis, & plurimum ſuper tanti viri tanto dedecore indignatus, mandat protinus Adenulfo, ut Capuam vadat, coramque ſe legali judicio Abbati juſtitiam faciat. Ille vero proſpiciens ſe legaliter ob hoc morti debere ſuccumbere, rebellare magis elegit; & de Aquinenſi ſatis munitione confidens, ad Principis curiam ire contempſit. *Ita Leo libri 2. caput 1. abſolvit; qui & capite 2. deinceps perſequitur.*

Princeps Capuanus de injuria pœnas repoſcit.

5. Princeps itaque tum ſuam & Abbatis ultum ire injuriam ſtatuens, Aquinum venit, ejuſque prætorium, in quo præfatus rebellio ſe muniverat, obſidione ac machinis circumdedit. Videns igitur Adenulfus, ſe non poſſe Principis manus evadere, funem in collum miſit, & per manus conjugis ſuæ ad Principis pedes ſe trahi præcepit: quo facto ſtatim eum Princeps, ita ut erat ligatum, Abbati cum omnibus ſuis deliberavit, ut tam de ipſo, quam & de omnibus rebus ipſius quidquid vellet efficeret. Ita Adenulfus cernens ſe captivum in poteſtatem captivi ſui juſto judicio Dei veniſſe, mox cartulam renuntiationis de univerſis, quas retinuerat, monaſterii poſſeſſionibus ſponte ſatis ac libentiſſime faciens, in manibus Abbatis remiſit. Sicque poſt hæc cum omnibus ſuis libertati propriæ ab eodem Abbate gratuito reſtitutus eſt: atque tali occaſione res ſuas dudum invaſas Pater Benedictus paullatim recuperare ac recipere cœpit. Namque non multo poſt Teanenſes quoque Comites divinitus acti, ſimilia de his quæ retinebant, renuntiationis ſcripta eidem Abbati fecerunt. Nihil itaque moratus idem Abbas, & tempus acceptabile minime negligendum ducens, ſtatim a prædicto Principe Landulfo necnon & Pandulfo filio ejus, præceptum libertatis, ac confirmationis totius ex integro Abbatiæ expetiit, & accepit, ſecundum terminos ſcilicet ſuperius ſcriptos, quos Giſulfus Dux tempore Petronacis primo ſtatuerat; & poſtmodum Carolus Imperator tempore Theodemar imperiali præcepto firmaverat........ Non tamen ſuper omnia hæc, quoties dabatur occaſio, quieſcere valebant veritatis adverſarii; ſed nunc quidam de Aquino, nunc de Pontecurvo, necnon & de Teano, de finibus hujus monaſterii contendere nitebantur...... Eo quoque tempore idem Abbas ad Princeps jam dictos accedens, rogavit ut darent Cellæ noſtræ Cinglenſi locum foris portas S. Angeli, ad monaſterium conſtruendum Ancillis Dei ibi manentibus, &c. *Deinde caput tertium ejuſdem libri Leo ſic aggreditur.*

Aligerni alia facta.

6. Porro demum prudens Abbas a vicinis terris, quæ vaſtatæ non fuerant, agricolis mox evocatis, in poſſeſſiones illos monaſterii quotquot cultoribus indi-

Digitized by Google

,, non alium. Hoc igitur Prophetæ dictum viro cordato congruit, ſedenti in AN.CHR.
,, his inferioribus, in ſæculi fæce, ſecumque cogitanti, ac dicenti : Quo uſ- 986
,, que Deum oro, nec intelligo quæ loquor? tumque infert. Obſervavi & con- 23.Nov.
,, turbatum eſt cor meum, hoc eſt, conſideravi & meditatus ſum orationem
,, labiorum meorum, oro autem hoc pacto : Si reddidi retribuentibus mihi
,, mala, hæc & patiar : &, Judica me Domine ſecundum juſtitiam meam,
,, & ſecundum innocentiam meam Deus. Et, Deus manifeſte veniet & non
,, ſilebit, ignis in conſpectu ejus exardeſcet, & inflammabit in circuitu ini-
,, micos ejus. Hæc & ſimilia dum proferri per os meum conſidero, & a me
,, fieri contraria video, timuit cor meum, & contremuerunt oſſa mea, &
,, robur genuum meorum ſubter conturbatum eſt, ita ut ſtare non queam.
,, In hac igitur afflictionis meæ die video, non alia ratione me poſſe quieſce-
,, re tremoreque ac timore liberari, niſi aſcendendo illuc, ubi eſt populus pe-
,, grinationis meæ, ubi ſunt omnes advenæ & peregrini, quorum converſa-
,, tio in cælis eſt, & qui proprii nihil habent, & omnia poſſident : nam ficus
,, mea, olea mea, & vinea, & jumenta mea nihil mihi proderunt in die af-
,, flictionis, neque poſt mortem mihi fructum afferent. Porro ſi faciam quod
,, cogitavi, tunc in Domino gaudebo & exſultabo in Deo ſalutari meo.

10. Hac morali & tropologica explanatione data, ſanctum virum interro-
gavit alius : Si me mittat, venerande pater, Abbas ad miniſterium, ex quo
non mediocri læſione afficior, jubente Regula parendum eſt nihil dijudicando,
neſcio utrum mihi præferendum ſit. Reſpondit Pater : Obedite, inquit Apo-
,, ſtolus, Præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis : ipſi enim pervigilant, quaſi ra-
,, tionem pro animabus veſtris reddituri. Vos igitur ubi veſtro Abbati ape-
,, rueritis omnia cordis veſtri arcana, judicio ejus totum permittatis. Poſt
,, hæc alius dixit : Si ſemel per totum anni curriculum indulſero corpori De carnium eſu.
,, meo, & carnem comedero, quid tandem hoc erit? Et ſanctus Pater : Etſi
,, per totum tempus bona utens valetudine, una hora præceps cadas, & crus
,, frangas, quid mali erit? Hæc & plura de Scripturis cum quæſiviſſent, in- De ſabbati jejunio.
,, terrogarunt etiam de jejunio ſabbati. Ille vero brevi reſponſione conten-
,, tus, hoc modo ſe expedivit. Qui manducat, non manducantem non ſper-
,, nat; & qui non manducat, manducantem non judicet; Deus enim utroſ-
,, que aſſumpſit. Tu autem quare judicas fratrem tuum? Sive igitur comedi-
,, mus nos, ſive jejunatis vos, omnia in Dei gloriam agimus. Quod ſi adhuc
,, reprehenditis, quod Sabbato non jejunamus, cavete, ne ſanctis Patribus
,, adverſari videamini, Eccleſiæ columnis, Athanaſio, Baſilio, Gregorio,
,, & Joanni Chryſoſtomo, aliiſque innumeris, & ſacris Conciliis; a quibus
,, quod non obſervatum, nec etiam lege cautum eſt. Quin etiam Ambroſio
,, Doctori veſtro, de quo legitur in ejus vita, tota hebdomada jejunare ſoli-
,, tum excepiſſe ſabbatum ac diem Dominicum. Ego vero nec ipſum S. Sil-
,, veſtrum arbitror jejunium hoc ſanxiſſe præter conſuetudinem ſanctorum Pa-
,, trum. Nec enim poteſtis de hoc proferre rationem, aut canonem, niſi tan-
,, tum ejus vitæ ſcriptorem; cui facile nemo crediderit, quia nihil affert un-
,, de demonſtret. At nos omiſſa verboſitate (jejunare enim malum non eſt)
,, dicamus illud Apoſtolicum, quod eſca nos Deo non commendat, & quæ
,, ſequuntur. Utinam vero miſeri quoque Judæi crucifixum Dominum adora-
,, rent, & vel ipſis diebus Dominicis jejunarent : nihil mihi curæ de hoc eſ-
,, ſet. Dixerunt illi : Et die Dominico jejunare non eſt peccatum? Reſpon-
,, dit; Et ſi peccatum eſt, quomodo S. Benedictus diebus quoque Dominicis
,, & feſtis jejunans, ignorabat etiam quo die Paſcha eſſet; Unde pro certo
,, habendum, omne quod fit propter Deum, bonum eſſe & non improban-
,, dum, nec ipſam occiſionem hominis, ut Phinees & Samuel oſtenderunt.
,, Et nos igitur bene facimus ſabbato non jejunantes in deteſtationem abo-
,, minabilium Manichæorum eo die lugentium, & calumniantium vetus
,, Teſtamentum, quaſi a Deo non datum : non tamen abſtinemus ab ope-
,, ribus, ne fiamus ſimiles Dei interfectoribus impiis Judæis. Et vos ne-
,, ceſ-

Digitized by Google

AN.CHR. 986 23. Nov. „ ceſſario jejunatis, præpurgantes vos ad ſanctum reſurrectionis diem. His & pluribus aliis Monachi utilitatem & voluptatem capientes, omnes ſtupebant, & mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ejus. *Hactenus Nili vitæ ſcriptor cujus iterum mentio recurret. Ad Aligernum revertor, de quo Leo caput* 11. *libri* 2. *abſolvit in hunc modum.*

Aligerni frater Leo. 11. Eiſdem ferme temporibus, frater hujus Aligerni Abbatis, Leo nomine, Monachus profeſſione, portionem ligni Dominicæ crucis non parvam, auro, gemmiſque pretioſis ac margaritis circumdatam revertens a Jeroſolyma detulit, & huic ſancto cœnobio devotiſſimus obtulit die Nonarum Novembrium. Depoſitus eſt autem prædictus Abbas nono Kal. Decembris, & ſepultus juxta eccleſiam S. Benedicti. *Id anno* 986. *contigiſſe probat Camillus Peregrinius, eumque ſecutus Angelus de Nuce, qui ejuſdem Aligerni Abbatis epitaphium ex codice Caſinenſi num.* 153. *publicavit in hunc modum.*

Epitaphium.

Hic pater egregius Aligernus pauſat humatus,
Pignere vivifico reſiliturus item.
Nativa bonitate cluens, ſed & inclitus orbi,
Urbe Neapoleos ſatus & altus erat.
Aſt Domini præcepta librans, patriam quoque linquens,
Quo caput orbis habet, pervolitabat ovans.
Eccleſiæ Doctoris enim delegit aſylum,
Sub Patre Balthvvino ſubdere colla Deo
Dogmate normali virtutum culmina poſtquam
Attigit, hoc ſacrum regere gymnaſium
Promeruit, quo cuncta micant ſpiramina lucis,
Per mare, per terras, per juga, perque chaos.
Quod quia fruſtratum fuerat tum temporis, ille
Niſibus omnigenis enceniarat hians.
Tigna novans, tegulaſque locans, diſſepta reſarcit,
Picturamque ibidem fecit habere domum.
Quid valeat, quid non, quo virtus, quo ferat error,
Noverat ipſe ſagax, propoſitique tenax.
Non perſona potens fuerat, quæ temneret illum,
Quæ placeantque regat, quo dare cuncta queat.
Gravis erat moribus, monachorum ſpecula exſtans,
Cuncta gerens placido ingenioque pio
Jam meritis Pater ille pius talibuſque refertus:
Lætus ab æthereis ſumitur ecce choris.
Conditur his ſæptis ter ternis rite Kalendis
Romulei menſis ipſe December adeſt.
Hoc pie cœnobium ter denos rexerat annos,
Septenoſque ſimul: ſic adiitque polum.
Nunc monachile decus titulum cum legeris iſtum,
Dic, & in æternum nunc habeat requiem.

Sanctitas. 12. *Aligerni nomen in Martyrologio Benedictino locum non habet: quamquam inter ſanctos Caſinenſes a nonnullis recenſetur. Hunc etſi ſanctitate præditum, rebuſque pie geſtis ex vita Nili ſuperius delibata commendabilem, beatum dicere verebor, Venerabilem appellare contentus, dum publica Eccleſiæ accedat auctoritas.*

Manſonis ejus ſucceſſoris mores. 13. *Aligernum excepit Manſo longe diſſimilis animi Anbas, quem Vitæ Nili ſcriptor æqualis carpit in hunc modum.* Defuncto celeberrimo Aligerno, qui bene ſancteque adminiſtraverat monaſterium S. Benedicti, ſucceſſit in eo Hegumenus, qui beatum Nilum, qui vir eſſet, ignorabat, immo vero dici poteſt, & Deum ipſum. Planum id fiet per hoc, quod paucis narrabo. Cum beatus vir profectus eſſet ad ipſum aliquando, forte illum invenit in inferiori monaſterio, ubi ſanctiſſimo Germano ſitum eſt templum, aqua-

Digitized by Google

aquarum circumfluentium copia & amœnitate pulcherrimum. Invenit autem eumdem Hegumenum cum primariis monaſterii lotum, & prandentem in cœnaculo. Cum igitur vir ſanctus illum exſpectaret in eccleſia una cum ſociis fratribus, audit ingreſſum eſſe cithariſtam fidibus canentem in cœnaculo, tum ad ſocios beatus Nilus: Mementote, inquit, verbi mei fratres: non tarda in hos homines veniet ira Domini. Surgite abeamus hinc. Et hoc dicto diſceſſit. Nondum elapſus erat annus, & Hegumenus a Principe detentus, ut conjurationis ſocius, oculorum orbatione mulctatus eſt: Monachi gravi morbo oppreſſi uſque ad mortem afflictati ſunt; quidam etiam e vita ceſſerunt: cithariſta vero ille cum iſſet furandi cauſa, captus eſt; & poſt multa tormenta tandem ipſi quoque oculi effoſſi ſunt: & omnes juxta ſenis vaticinium calicem iræ Domini biberunt. Verum hæc poſtea. AN CHR. 986 23. Nov.

14. Ceterum B. Nilus commoratus in monaſterio Vallelucii titulo ad quindecim annos, poſtea quam creviſſet numerus fratrum, & neceſſaria ſuperabundarent, & monaſterium eſſet amplum, & ejus opera celebre factum, cum antea tale non eſſet; videbat fratres remiſſius affectos erga ſpiritale miniſterium, & exactam Regulæ diſciplinam, quam ab initio ſuſceperant, & lata via gaudentes, concertanteſque quis eorum eſſet major. Ad hoc etiam contulit illis memorati Hegumeni levitas, quippe qui muneribus oblectabatur, & exoſa illi erat pietas. Hæc poſtquam perſpexit beatus vir, ſciens rerum copiam pleriſque cauſam eſſe diſſolutionis, plenæque in tuenda religione relaxationis, ſurgens, inde abſceſſit, pervagabaturque locum quærens anguſtum, & cum labore ſuppeditantem neceſſaria corpori; ut ſaltem penuria victus tamquam frœno ad monaſticæ vitæ ſtudium pertraherentur idiotæ .... Hanc viri juſti prudentiam quidam fratres non percipientes, immo late patentem viam anguſtæ præferentes, perſtiterunt in dicto monaſterio, alligati commodis loci, & ſancti Patris ſeveritatem ægre ferentes. Nec tamen frui quiete potuerunt cunctis diebus, quibus illud inhabitarunt; nec defuit ibi inordinatio & confuſio, angor & futilitas; donec tandem omnino ejecti extruſique ſunt. Nili diſceſſus a Caſinatibus. ob rerum copiam.

15. *Hæc quidem Nili junioris encomiaſtes, quæ nonnullis acriori calamo perſtricta videbuntur, immo deteriorem in partem detorta, quatenus Manſonis orbationem afficiunt, quæ ex invidorum ejus non proprio ſcelere patrata eſt, ut in Chronici lib. 2. cap. 16. exponit Leo Marſicanus, ex quo Manſonis geſta delibare juvat. Sic igitur ille cap.* 12. Manſo viceſimus octavus Abbas ſedit annis undecim. Iſte fuit conſobrinus Pandulfi Principis, qui cum eo tempore quo Aligernus Abbas defunctus eſt, monaſterio S. Magni juxta Fundanam civitatem poſito præeſſet, propinquorum Principum fretus ſolatio, non autem omnium hujus loci monachorum conſenſu, cœnobii hujus Abbatiam indeptus eſt: unde factum eſt ut nonnulli de prioribus hujus monaſterii fratribus potius hinc egredi, quam manere ſub illo elegerint. E quibus Joannes Beneventanus, qui poſtmodum Abbas exiſtit, unus fuit: alter vero Theobaldus nihilominus poſtmodum Abbas effectus; domnus etiam Liutius de religioſis hujus loci monachis ac prioribus unus; necnon & quinque alii, quorum nomina non recoluntur, ex quibus omnibus tres priores Jeroſolymam profecti ſunt. Quinque vero alii in Lombardiam: quos cum ob maximam hujus loci devotionem Hugo Marchio nimis reverenter ſuſcepiſſet, ex ejus largitione atque conceſſione quinque monaſteria in illis partibus conſtruxerunt, ibique juxta traditionem hujus monaſterii omnem ordinem poſuerunt. Ex cujus etiam Marchionis dono duæ hic argenteæ coronæ habentur. *Tribus proxime ſequentibus capitibus Leo oblationes ſeu libellos ab Ottone tertio, Romano Pontifice, aliiſque primatibus in Monaſterii ſui gratiam acceptos commemorat, quæ omnia ſagacem Manſonis in ordinanda re familiari curam ſtudiumque commendant. Verum is cum in Capuanorum odium incurriſſet, deceptus ab eis, atque oculorum acie deſtitutus eſt. Facinus iſtud Leo capite* 16. *deſcribit in hunc modum.* Manſonis cenſura expenditur.

16. Præ-

Digitized by Google

AN.CHR. 986 23. Nov. 16. Præter multa igitur illius ſtrenue, & quodammodo, ut ſuppreſſius de tanti loci Patre loquar, ſeculariter geſta, cum & equites ſibi plurimos, & non paucos ſericis indumentis indutos famulos paraviſſet, & ultramontani Imperatoris curiam nihilo ſegniter frequentaret, præcipue ob ſupradictæ arcis conſtructionem, maximum ſibi invidiæ atque odii fomitem in univerſo Principatu accendit: adeo ut non multo poſt, fraude invitatus a Capuanis, captus atque cæcatus ſit, quod quaſi non ſolum Abbatiam, ſed etiam Principatum ſibi vendicare ſatageret. Acceſſit ad hanc invidentiam etiam Alberici Marſorum Epiſcopi nequitia, qui videlicet dum filio ſuo, quem de quadam meretrice ſuſceperat, tradidiſſet Epiſcopatum, ad hujus loci Abbatiam adipiſcendam, ſi quo modo poſſet, animum dederat. Comperiens itaque prædictum Abbatem ob ea, quæ ſupra diximus, valde Capuanis infeſtum, locutus primo cum quibuſdam nequiſſimis Monachis, poſtmodum vero cum aliquibus Deum ignorantibus civibus Capuanis, pactus tandem eſt, centum ſe libras Papienſis monetæ illis daturum, ſi illi, cæcato prius Abbate, Caſinenſe ſibi monaſterium contraderent, quod deinceps eorum fultus auxilio, ſine alicujus contradictionis obſtaculo poſſideret: ita videlicet, ut medietatem ipſius pretii ad præſens illis per ſuos neceſſarios mitteret; medietatem vero alteram tunc deſtinaret, cum Abbatis oculos in manu ſua conſpiceret. Quod cum ita inter eos firmatum fuiſſet, cœperunt utrique, hic de pecunia, illi de nequitia pro poſſe ſtudere. Congeſta igitur pſeudoepiſcopus ille undecumque pecunia, miſit quemadmodum pollicitus fuerat: quam illi ſuſcipientes, illos quidem qui detulerant in quibuſdam abditis abſconderunt. Ad Abbatem vero venientes doloſe precantur, ut Capuam adeat, & ſi quam adverſus illorum aliquem querelam haberet, legalem inde juſtitiam ſumat. Abbas autem, quoniam illorum invidiam jam dudum compertam & malitiam ſuſpectam habebat, negat illuc poſſe ſe aliquatenus ire. Tunc illi Deum negare parum quid æſtimantes, & eum qui univerſorum inſpector eſt, fallere ſe poſſe credentes, mox adhibitis Evangeliis jurant, quod ſalvum illum & incolumem Capuam ducant, & incolumem ad ſanctum Benedictum reducant. Hoc illi jurantes, fraudulenter in mente ſua ſtatuerant, ut poſtea quam Capuam illum duxiſſent, ad Eccleſiam S. Benedicti, quæ in eadem civitate eſt, eum deducerent, ut quaſi hoc fraudis ingenio perjurium devitarent. Deceptus itaque hujuſmodi fraudibus Abbas credidit, & Capuam una cum illis, nihil ſuſpicans mali perrexit. At illi, qui jamdudum conceperant dolorem, pepererunt tandem iniquitatem: moxque ut in Capuanum monaſterium illum introduxerunt, quemadmodum diſpoſuerant, capiunt, ejuſque oculos ſine mora evellunt, atque diligenter linteolo involutos, clam, ut dominio ſuo ferrent, Epiſcopi nuntiis mittunt. Quos illi ſuſcipientes, & valde hilares effecti, feſtinantes ad dominum ſuum reverti cœperunt. Sed o numquam dormitans divini judicii oculus! Jam illi prope Marſiam in campo Mezio pervenerant, ibique jam ſecuri ſubſiſtentes, cibos ab itinere fatigati percipiebant; cum ecce ſubito peregrinus quidam ſuperveniens, ac perquiſitus ab eis, juxta quod viantibus conſuetudo eſt, aliquid novi: Epiſcopus, ait, hujus terræ defunctus eſt. Qua illi voce vehementer attoniti, eumque fallacem atque impoſtorem cum aſpernatione nimia eſſe dicentes, prorſus credere dubitabant. Sed cum ille rem certo certius atque inſtantius affirmaret, & diem horamque illius obitus diligenter notatam eis referret; confeſtim illi in eodem loco defoſſis oculis, quos jam fruſtra ferebant ad domum Epiſcopi, quæ non longius aberat, conſcenſis equis perniciter advolant, atque reperiunt eadem hora vita privatum Epiſcopum qua prædictus Abbas lumine privatus fuerat oculorum, quæ videlicet dies 18. Kal. Decembris exſtitit .... Huic porro Abbati ſucceſſor ejus Joannes eccleſiam ſancti Martini juxta Vulturnum .... contradidit, ut ibidem ſuo arbitrio, quamdiu adviveret, honorifice converſari valeret. *Dum ad*

eccle-

eccleſiam S. Secundini orbitatem ſuam lugeret Manſo Abbas, Caſinenſe Monaſterium adiere clariſſimi viri Adalbertus Sclavorum Epiſcopus, Romualdus Abbas, & Oliba Comes, cujus ſeceſſum & monaſticæ vitæ occaſionem in Petri Urſeoli elogio mox referemus. Cladi ſuæ haud diu ſuperſtes vixit Manſo, quem anno 996. *ceſſiſſe e vita perſpicuum eſt.* Depoſitus eſt autem prædictus Abbas, *inquit Leo cap.* 19. 8. Idus Martii, & in clauſtro hujus monaſterii *Caſinenſis* reverenter reconditus. AN.CHR 986 23. Nov.

16. *Hactenus de Aligerno & Manſone. In ſuperiori Sæculo prætermiſſa eſt memoria ſancti Salvii monachi Caſinenſis, de quo Leo Marſicanus in lib.* 1. *cap.* 45. *ubi* eccleſia ſancti Clementis in Plumbata, & ſancti Salvii ibidem *memoratur*. Qui videlicet Salvius ex Campania natus, hujus monaſterii exſtitit monachus, & tenuit prædictam eccleſiam ſancti Clementis in obedientiam: ubi cum defunctus fuiſſet, multa mirabilia Deus ad ſepulchrum illius eſt operatus. *Hæc tantum.*

VITA SANCTI DUNSTANI

AN.CHR. 988 19. Maii.

ARCHIEPISCOPI CANTUARIENSIS.

Auctore OSBERNO Cantuarienſi monacho Sæculo XI.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. I*Nter eximios Anglicanæ Eccleſiæ per ſeculum* 10. *Pontifices neſcio an primum locum mereatur S. Dunſtanus, quem egregia vitæ ſanctitas, ait Baronius, ſacerdotalis immota conſtantia, claritudo miraculorum, & omnia Spiritus-ſancti chariſmata illuſtrarunt, quibus etiam adde ſplendorem natalium. Inde in ejus laudes quaſi certatim excurrunt Britanniæ inſulæ ſcriptores, æquales, ſuppares, ſubſequentes, ac recentiores. Ex æqualibus* alii, *teſte Oſberno,* etſi ſatis eleganter, non tamen ſatis diligenter, ſed quantum ad nocturnum feſtivitatis officium ſatis eſſe judicantes, ſermocinandi ad populum modo ſcripſere. Alii autem dum nimis diligenter, quemadmodum quæque res acta ſit, explicare conarentur, elegantiam perdiderunt, atque in illud dicendi genus, quod ſuſſultum Romanæ Princeps eloquentiæ vocat, inciderunt. Qui vero in utraque parte dicendi elaboraverunt, ut eſſent feſtivi pariter atque ſecundum geſtas res bene ordinati; horum ſcripta in illo incendio conſumpta ſunt, quod ante hos annos ſancta Dorobernenſis eccleſia cum magno ſuarum rerum detrimento perpeſſa fuiſſe dignoſcitur. *Triplex iſtius eccleſiæ incendium commemorat Gervaſius. Primum,* quando beatus martyr Elfegus a Danis captus eſt & martyrio coronatus, *nempe anno* 1020. Secundum, cum Lanfrancus Cadomenſis Abbas archiepiſcopatum Cantuarienſis eccleſiæ ſuſcepit regendum, *id eſt anno* 1070. Tertium vero tempore Richardi archiepiſcopi & Odonis Prioris, *ſcilicet anno* 1174. *quod poſtremum Gervaſius Dorobernenſis monachus graphice depingit. De ſecundo intelligendus eſt Oſbernus, quem ſub Lanfranco floruiſſe conſtat. Subdit Oſbernus poſt præmiſſa:* Sed ab his, inquiunt, aliqua in patrium, id eſt Anglicum, ſermonem tranſlata ſuperſunt: ex quibus vel id petimus elicere, & in latinam denuo linguam transferre. Dunſtani laudatores.

2. *Ex omnibus ergo ſcriptis, quæ de Dunſtano ſtatim poſt ejus mortem condita ſunt, ſupererant tantum Oſberno ſcribente primi ac ſecundi generis lucubrationes, quæ vel ad nocturnum officium* ſermocinandi modo; *vel ineleganter, tametſi accurate, facta fuerant: quæ vero accurate ſimul & eleganter ſcripta, eas ſecundum illud Dorobernenſis eccleſiæ incendium conſumpſerat. Secundi generis auctorem reperi in mſ. codice monaſterii Vedaſtini apud Atrabates, cujus auctoris ſcriptio adeo ſalebris ſcatet, ut mihi luce indigna videatur: maxime cum non integra, ſed mutila ſit in codice Vedaſtino, qui in obitu Dunſtani deficit. Ejus orationis ſpecimen eſto Prologus, Albrico ſeu Alfrico Elfricove altero poſt Dunſtanum Cantuarienſi Archiepiſcopo nuncupatus in hunc modum.* Perprudenti domino Arconti ALBRICO, omnium extimus Sacerdotum B. viliſque Saxonum indigena, alta polorum gaudia. Te quidem, Paſtor præcelſe, ob enormitatem divulgatæ peritiæ, perque magnificam placidam privilegii dignitatem, ad inſuperabilem mihi tutionem ceteros quoque, quamvis ſint doctrina perſpicui, excipiendam ſecernam, qui quodam luculento competentis facundiæ calamo, decentis Æditui, almi ſcilicet Dunſtani, merita monumenta protelare conarer, in incœpta glorioſæ vitæ ipſius procemia omnem hujus opuſculi diffinitionem degeneri vitiorum ſtilo, ut cernis, attaminando fœdarem. Quapropter primus præ ceteris hujuſcemodi dedecus patula proteſtatione tuæ ſerenitati profiteor, meque Primus B.

adeo

Digitized by Google

AN.CHR. 988 19. Maji.

adeo more aligerorum, qui ſe priuſquam profeſſionis vocem emittant, alatum plauſibus flagellare videntur, propriis verborum verberibus, tuis provolutus genibus, exonerans affligo, *&c. Hic ille ſtilus boni Oratoris, quem eſſe Bridfertbum cœnobii Rameſienſis Monachum conjicio, tum ex B. littera nominis initiali, quam præfert Vedaſtinus codex, tum ex ætate Bridferthi, quem Abbonis diſcipulum fuiſſe Pitſeus tradit, atque ſub annum* 980. *vixiſſe. Certe quiſquis ille eſt B. hujus ſtribiliginis auctor, Dunſtano æqualem fuiſſe intelligitur ex his verbis, quæ ſub finem vitæ leguntur.* Æquum tamen eſſe arbitror, ut ea ſaltim quæ vel egomet vidi, vel audivi, juſta Dei admonitione ſtimulatus pro poſſe charitatis enodem. *Denique ſcripſit ſub Ælfrico Archiepiſcopo, qui anno a Dunſtani obitu ſecundo Cantuarienſi eccleſiæ praeſſe cœpit. Unde non eſt contemnenda ejus auctoritas in ſingularibus factis exponendis, quæ ab eo identidem mutuabimur, & in Notulas referemus. Redeo ad Ælfricum Archiepiſcopum, quem Gervaſius tertium a Dunſtano conſtituit, nempe poſt Athelgarum & Siricium: Vvillelmus Malmesburienſis Ethelgaro, quem* anno uno *ſediſſe dicit, proxime ſubſtituit. Unde mirari ſubit, Godvvinum ita fuiſſe hallucinatum, ut dicat Alfricum a Vvillelmo prætermiſſum in ſuo Archiepiſcoporum Cantuarienſium catalogo. Vvillelmi hæc verba ſunt.* Hoc de medio facto, *ſcilicet Ethelgaro*, ſedit annis II. Vviltunenſium prius Epiſcopus ÆLFRICUS, qui & ante Abbas Abendonenſis fuerat: de quo quod quidam dicunt, eum Cantuariæ Monachos proturbatis clericis poſuiſſe, veri ſimile non videtur. Conſtat enim Monachos in eccleſia ſancti Salvatoris fuiſſe a tempore Laurentii Archiepiſcopi, qui primus beatiſſimo Auguſtino ſucceſſit, *&c.* Poſt eum Siricius, *&c.*

Osbernus.

3. *Poſt B. vitæ S. Dunſtani primarium ſcriptorem, nullum reperio ante Osbernum Cantuarienſem Monachum, de quo ita Vvillelmus in lib. de Regibus Anglorum cap. 8. ubi de Dunſtano.* Plura & non contemnenda de viro volentem dicere revocat Cantuariæ Cantor Osbernus, qui ejus vitam Romana elegantia compoſuit, nulli noſtro tempore ſtilo ſecundus, muſica certe omnium ſine controverſia primus. *Osberni lucubrationem, non eam eſſe, quæ a Surio edita eſt, tametſi a Baronio aliiſque ſub Osberni nomine laudata, ſed eam eſſe conſtat quam nunc primum damus ex mſ. codice Thuano Colbertino, in quo exſtant Osberni libelli duo, unus de vita, alter de miraculis S. Dunſtani. Horum libellorum ſtilus apprime reſpondet elogio, quod Vvillelmus auctori tribuit. Osbernum porro ſub Lanfranco Archiepiſcopo floruiſſe intelligitur ex libro miraculorum, ubi jubente Lanfranco prædicationis officium etiam obiiſſe dicitur. Hunc* ſcriptorem vitæ venerabilis *appellat Vvillelmus in lib.* 2. *de Pontificibus Anglorum cap.* 2. *ubi totidem ejus verba de Algaro refert, qualia hic habet in ſequentis libri num.* 41.

Osbertus.

4. *Alium rerum a S. Dunſtano geſtarum præconem Surius exhibuit ſub nomine* OSBERTI *Monachi Cantuarienſis. Sed vereor ne (ut Trithemius) pro Osberno ingeſſerit nomen Osberti, eique tribuerit Vitam ab ſe editam, quoniam Vitæ S. Dunſtani ſcriptorem Osbernum ex Vvillelmo aliiſque forſan didicerat. Osbertum tamen appellabimus hunc auctorem, non Osbernum, ut Majheuvius, & plerique alii perperam, exiſtimantes eum non alium eſſe ab Osberno, quem apud Vvillelmum legerant. Osbertum vero, ſeu quiſquis eſt Vitæ Surianæ auctor, non anno* 1020. *ut apud Surium legitur, ſed potius anno* 1120. *ſcripſiſſe intelligimus ex libro miraculorum ab eodem condito, & a Surio multis omiſſis in compendium redacto, quem integrum ex mſ. codice Compendienſi habuimus. In eo ſiquidem libro mentio fit de nonnullis rebus tempore S. Anſelmi patratis, quas ſuo loco referemus, contenti ea proferre, quæ apud Osbernum aut non ita explicata habentur, aut penitus deſiderantur. Hunc autem librum ejuſdem eſſe auctoris perſuadet brevis prologus, quem ei præfixum in conſequentibus leges.*

Auctores alii.

5. *Præter hos Auctores, qui data ſingulari opera de S. Dunſtano ſcripſere, inveniuntur etiam alii qui ſatis prolixe de eo egerunt. Hos inter præcipui ſunt ex antiquis Vvillelmus Malmesburienſis in libris tum de Regibus, tum de Pontificibus Anglorum, Gervaſius Dorobernenſis Monachus in libro de actibus Pontificum Cantuarienſium, Rogerius Hovedenus in parte priori Annalium, Ælredus Abbas Rievallenſis, Joannes Brontonus; ex Chronologis, Saxonicus poſt Bedam, Matthæus Vveſtmonaſterienſis, Trithemius in lib.* 3. *&* 4. *de viris illuſtribus Ord. S. Benedicti: ex recentioribus ſcriptoribus Baronius, Harpsfeldius, Thomas Majheuvius, & plerique omnes Hiſtorici Anglicani. Falſus eſt Ditmarus, qui Dunſtanum cum Elfego ejus ſucceſſore quarto confudit in Chronici lib.* 7.

Dunſtani dignitates.

6. Dunſtanus, *teſte Vvillelmo in lib.* 2. *de Regibus Anglorum cap.* 8. prius Abbas Glaſtoniæ, poſtea Epiſcopus Vvigorniæ, *tum ſimul Londinenſis*, mox Archiepiſcopus Cantuariæ, multæ in ſæculo potentiæ, magnæ apud Deum gratiæ, illic Martham, iſtic exhibebat Mariam. *Quod præter ſcita canonum de ſede in ſedem translatus, quod ſimul Vvigornienſem & Londinenſem cathedram occupavit, id non viri optimi cupiditati aut ambitioni, ſed eximiæ ejus ſanctitati, Regum urgentiſſimæ voluntati, atque adeo Eccleſiæ Anglicanæ neceſſitati tribuendum eſt, factumque repugnante ſemper Dunſtano.* Ipſe, *addit Vvillelmus*, artium liberalium in tota inſula poſt Regem Alfredum excitator mirificus; ipſe regalium locorum reparator munificus: in Reges & delinquentes inſonare terribile; pauperes & mediocres juſte ſuſtentare, in tantum & in frivolis pacis ſequax: ut quia compatriotæ in tabernis convenientes, jamque temulenti pro modo bibendi contenderent, ipſe clavos argenteos vel aureos vaſis affigi juſſerit, ut dum metam ſuam quiſque cognoſceret, non plus ſubſerviente verecundia vel ipſe appeteret, vel alium appetere cogeret. *Hoc poſtremum in Dunſtani actis non legitur, ſed zelus ejus contra delinquentes inde maxime illuſtra-*

Digitized by Google

luſtratur. Hic quid regalibus locis, id eſt monaſteriis, quid artibus reparandis contulerit, paucis inveſtigandum. AN.CHR 988

7. *Cum Dunſtanus in Angliæ lucem prodiit, uſque adeo monachiſmus defecerat a tempore Danorum, ut vix in pauciſſimis cœnobiis vita monaſtica reliqua eſſet.* Nondum in Anglia, *inquit Osbernus num. 6.* communis vitæ ratio colebatur, non uſus deſerendi proprias voluntates hominibus affectabatur. Abbatis nomen vix quiſquam audierat, conventus Monachorum vix quiſquam ſatis noverat: ſed cui forte id voluntatis erat, vi peregrinam vellet tranſigere vitam, is modo ſolus, modo paucis ejuſdem propoſiti comitatus, patrios fines egrediebatur. *Id ita explicat Osbernus ipſe in ſuperiori Vita Sancti Odonis Archiepiſcopi, ut dicat,* ſtudium religionis ob multiplices diverſorum eventuum caſus uſquequaque cœpiſſe defervere, *ob idque Odonem a Floriacenſibus poſtulaſſe ſancta* religionis habitum. *Perſeverabat tamen quibuſdam in locis monaſtici ſtatus nomen, nempe (ut Crulandenſe monaſterium aliaque omittam) Cantuariæ in eccleſia cathedrali, quod diſerte atteſtatur Gervaſius ejus loci Monachus, qui relatis Osberni verbis Cantuarienſem eccleſiam excipit. Sed ita eo in loco deformata erat religio, ut Monachi* more Comitum potius, quam Monachorum *ibi viverent, teſte Osberto in Miraculis Sancti Dunſtani. Cetera fere loca occupabant Clerici vitæ ſolutioris: quæ clades non ſolum Danis tribuenda eſt, ſed etiam Edvvio flagitioſiſſimo Regi, qui in Dunſtani odium Monachos e cœnobiis deturbavit. De Malmesburienſi auctorem habemus Vvillelmum loci Monachum in lib. 2. de Regibus cap. 7.* Ipſum Dunſtanum Monachorum principem in Flandriam propellit. Ea tempeſtate facies Monachorum fœda & miſerabilis erat. Nam & Malmesburienſe cœnobium, pluſquam ducentis ſeptuaginta annis a Monachis inhabitatum, Clericorum ſtabulum fecit. *Non tulit hanc cladem Dunſtanus, quin ab exſilio revocatus fugientem religionem in clauſtra revocavit; qua de re ita Osbernus.* Aucta eſt religio per Angliam in tantum, ut quadraginta & octo Monaſteria Monachis vel Sanctimonialibus inſtituerentur, cooperantibus beato Dunſtano in hoc viris venerabilibus, Oſvvaldo videlicet, qui primo Vvigornienſis, poſtea fuit Epiſcopus Eboracenſis, & Athelvvoldo Epiſcopo Vvintonienſi. *Quorum acta hic conſule. Ejus rei gratia edita eſt Eadgari Regis nomine, Dunſtano haud dubie procurante, immo & dictante, Concordia de uniformi ritu ſervando in Monaſteriis omnibus Anglicanis, quæ ad quinquagenarium numerum adaugere pius Rex volebat, cujus rei præcipuus incentor fuit Dunſtanus. Hæc Concordia integra exſtat apud Clementem Rainerum in Appendicis pag. 77. & apud Seldenum imperfecta.* 19. Maji. Monaſteria per ipſum reſtituta.

8. *Et quidem in primis Glaſtonienſe ſeu Gleſtonienſe monaſterium, ubi prius ſolitariam vitam duxerat vir ſanctus, poſtliminio reſtituit Monachis: nam antea Gleſtonia* regalibus ſtipendiis addicta, monaſticæ religionis prorſus erat ignara, *teſte Osberno num. 6. Locus eſt apud Vveſtſaxones in Epiſcopatu Vvellenſi, pago Somerſetenſi, qui tres virorum Abbatias habebat, Glaſtonienſem, Adelingenſem, & Miclanienſem. De his agit Vvillelmus in lib. 2. de Pontificibus Anglorum cap. 5. & de Glaſtonienſi quidem in hunc modum.* Glaſtonia eſt villa, in quodam receſſu paluſtri poſita, quæ tamen & æquo pede aditur, nec ſitu, nec amœnitate delectabilis. Ibi primo Rex Ina conſilio beatiſſimi Aldelmi monaſterium ædificavit, multa illuc prædia, quæ hodieque nominantur, largitus. Et varia quidem viciſſitudine temporum, ſed indeficientibus ſucceſſionibus, congregationibus Monachorum ſplenduit locus uſque ad Danorum ſub Elfredo Rege adventum. Tunc enim, ut cetera, deſolatus, aliquantis annis notos deſideravit incolas. Porro quicquid turbo bellorum obtriverat, reparavit egregie Dunſtanus, qui prius eo loci vitam ſolitariam Monachus actitarat. Poſtmodo vero liberalitate Regis Edmundi omnia quondam appendicia, & iis multo plura nactus, Abbatiam compoſuit, qualis numquam in Anglia ſit, fueritve, *&c. Mitto quæ de Glaſtonia dicuntur in Monaſtico Anglicano: ſed vitæ Dunſtani ſcriptor B. nonnulla addit hoc loco minime prætermittenda.* Erat autem quædam regalis in confinio ejuſdem præfati viri, *Heorſtani Dunſtani patris*, inſula, antiquo vicinorum vocabulo Gleſtonia nuncupata, latis locorum dimenſa finibus, piſcoſis aquis ſtagnans, atque circumdata fluminibus, & plurimis humanæ indigentiæ apta uſibus, atque ſacris (quod maximum eſt) dicata muneribus. In ea ſiquidem ipſius loci primi catholicæ legis neophytæ antiquam Deo dictante repererunt eccleſiam, nulla hominum arte conſtructam, immo humanæ ſaluti cælitus paratam: quam poſtmodum ipſe cælorum fabricator multis miraculorum geſtis multiſque myſteriorum virtutibus hanc ſibi ſanctæque genitrici ſuæ Mariæ conſecratam fore * demonſtravit. Huic etiam aliud addiderunt Oratorium, quod Chriſto ejuſque ſancto Apoſtolo dedicaverunt.... Contigit ergo hujuſcemodi cauſis prædictum virum Heorſtanum, comitante ſecum beato puero Dunſtano, tranſire Gleſtoniam: & cum inibi cauſa orationis pernoctarent, ecce ſuaviſſimi ſoporis felicem obtexit pauſatio puerum, viditque mentis exceſſu quemdam ſenem niveo candore veſtitum, per amœna ſe ſacri templi atria ducentem, ac monaſtica ædificia, quæ poſt per ejus paſtoratum ædificanda fuerant, demonſtrantem, eo ordine quo nunc ſtatuta referuntur fuiſſe. *Confer ſequentem Vitam, & ea quæ de Ina Rege in Sæculi tertii parte 1. diximus.* Glaſtonienſe. * id eſt eſſe.

9. *Præter ea, quinque alia Monaſteria Dunſtanus erexit ex rebus, quæ ſibi ex hæreditate obvenerant, apud Osbernum num. 16. Ad hæc Monachos in Novo monaſterio Vvintonienſis inſtituendi auctor fuit Dunſtanus, ut dictum eſt ſuperius in actis S. Æthelvvoldi, quæ tu conſule. Atque ad Dunſtanum pertinet id quod de cujuſdam Vvintonienſis eccleſiæ dedicatione legimus apud B.* In- Vvintonienſe & alia.

Digitized by Google

AN.CHR. 988 19. Maji. Interea religioſi Vvintonienſium cives invitaverunt eumdem Dei Pontificem ad quamdam novæ eccleſiæ dedicationem, quam in ſua civitate Vvintonia, qua regimen præſulatus ipſe tenebat, pro ſummi Numinis reverentia condiderant in parte meridiana popularis plateæ, quæ nunc eccleſia occidentali parte omnibus eccleſiis vicinior perhibetur eſſe. In cujus conſe- Omiſſa quædam ab aliis auctoribus. cratione affuit inter alios plures cum Pontifice etiam Dunſtanus cum præcipuis unus: qua dedicata, coegerunt more humanitatis virum venerandum cum ſuis ad parata charitatis convivia lætum diem pro tanti viri veneratione proque conſecrationis ducentes celebritate. Pontifex autem poſt gratiarum actionem, cum ſuis imminente jam nocte ſurrexit, & data benedictione ad propria remeavit. Et venerunt incedentes per viam ad eccleſiam beato Papæ Gregorio conſecratam: ibique ſubſiſtens Epiſcopus dixit B. Dunſtano: Compleamus hic apud Oratorium ſancti Patris noſtri Gregorii noſtram Completorii horam. Et acceſſerunt poſt voces orationum, jungentes capita ſua in unum, quo confeſſiones ſuas ſolita conſuetudine viciſſim proderent. *Notandus hic locus de confeſſione ad Completorium.* Qua peracta, dum daretur ab Epiſcopo delictorum remiſſio, lapis permagnus ab alto aere irruit, & parcente Domino inter utriuſque capita vehementi lapſu in terram corruit: tantumque tangens capillos utriuſque capitis, nullum eorum læſit: quem, ni fallor, ille malignus cujuſque juſti operis inimicus ex improbitatis ſuæ jaculis furiendo dejecit, quaſi geminam iram in utriſque foret ulturus. *Hæc referenda duxi hoc loco, quod apud Osbernum & Osbertum deſiderentur.*

Vvlfvvinus Dunſtani frater, Præpoſitus monaſterii ſæcularis. 10. *Simile quiddam ipſi Dunſtano item accidit in funere cujuſdam fratris ſui germani, cui curam Gleſtonienſis rei familiaris ipſe Abbas commiſerat.* Erat namque (*ſic narrat B.*) huic eidem viro Dei ex humana parentum propagatione quidam germanus frater, nomine Vvlfvvinus, quem ſibi foriníecus in villarum ſuarum negotiis potentem Præpoſitum, ne vel ipſe, vel quiſpiam ex monaſtica profeſſione foris vagaretur inepta rei ſæcularis diſcurſione, conſtituit. Hic nempe poſt emenſum temporis ſui ſpatium lætali conditione præventus, temporalem necem obeundo ſubibat. Hac de cauſa contigit omnes præſcripti templi Monachos ad funus ipſius exiſſe, nullumque, excepto Abbate ſolo parvoque ſcholaſtico, qui poſtea Pontifex effectus hæc nobis intimavit, domi remanſiſſe, ut cum ſacris ex- In monaſterio ſepultus. ſequiis exanime corpus ad Monaſterium, quo tumulaturum erat, perducerent. Interea Abbas cum eodem ſcholaſtico ambulabat ad videndum, ut autumo, ſi jam Fratres cum defuncti corpuſculo propinquaſſent: & dum ſemper ex more pſallentes incederent, venit ex improviſo ultra antiquam eccleſiam quoddam miſſile ſaxum vehementi volatu conans beati Patris caput collidere: ſed Deo defendente nequibat. Verumtamen pileum, quo caput velabat, procul quaſi perticam unam a capite decuſſum projecit: qui converſus dixit ſecum incedenti ſcholaſtico: Accelera ergo, & cape quantocius hoc rotabile ſaxum, ut deferas eum conſpiciendum ad me: quod cum ille nimis ponderoſum ex juſſu Patris vix elevando reveheret, ait venerandus pater Dunſtanus: O adverſans inimice, jam diu ex induſtria maligna hujus mihi lapidis ictum inſidians præparabas. Non enim erat teſtimonium multorum hujuſmodi lapides admodum magnos vel modicos in his Sumerſetenſium finibus (reperiri) niſi forte in quibuslibet lapideis operibus. Et idcirco palam patuit, de cujus improba manu emiſſus proſiluit. Verumtamen poſt hæc juſſit ipſum ſaxum, licet in ſui Dunſtani genus. detrimentum miſſum fuiſſet, cuſtodiæ invectum quaſi pro teſtimonio reſervari. *Hæc referre quoddam operæ pretium duxi, tum ut Dunſtani cautio pro Monachis appareat, quos a ſæcularibus negotiis liberos curabat: tum ut notus fiat ejus frater Vvlfvvinus, de quo nulla alibi mentio. Habemus itaque regale Dunſtani genus, patrem Herſtanum, matrem Kynedridam; fratrem Vvlfvvinum, patruum Athelmum Pontificem Cantuarienſem, & conſanguineum Cynevvium Epiſcopum: de quibus agetur in Vita ſequente, uno excepto Vvlfvvino, quem ex uno B. auctore diſcimus.*

Vveſtmonaſterium. 11. *His omnibus monaſteriis addendum occidentale S. Petri apud Lundoniam. Dunſtanus quippe cum ibi Archiepiſcopus eſſet*, Abbatem apud Vveſtmonaſterium fecerat Vvlſinum *teſte Vvillelmo Malmesburienſi in lib. 2. ubi de Epiſcopis Schireburnenſibus*, inſtructo ad duodecim monachos cœnobiolo, ubi quondam Mellitus eccleſiam *S. Petro fecerat. Lege quæ inferius ſuo loco dicturi ſumus de Vvlſino Epiſcopo Schireburnenſi.*

Litterarum reſtitutio per ipſum. 12. *Non ſolum porro rem monaſticam, ſed etiam litterariam in Anglia reſtituit Dunſtanus, conteſtante non ſolum Vvillelmo, ſed etiam Ælfrico apud Spelmannum in tomo 1. Conciliorum pag. 618. ubi legitur a tempore Ælfridi Regis uſque adeo litterarum ſtudium defeciſſe*, ut Sacerdos nullus Anglicus epiſtolam noſſet vel latine edere, vel e latino interpretari, uſque dum Archiepiſcopus Cantuariæ Dunſtanus & Epiſcopus Æthelvoldus hanc in Monaſteriis reſuſcitarent cognitionem. *Plura & Dunſtanus ipſe ſcripſiſſe dicitur apud Pitſeum, nempe* formulas benedictionum Archiepiſcopalium, tractatum parvum in Regulam Sancti Benedicti, item de regula vitæ monaſticæ librum unum: *ad hæc* contra malos Sacerdotes, de Euchariſtia, de Decimis, de occulta Philoſophia, de ordinatione cleri, epiſtolas varias, *quarum nonnullæ adverſus Edvvinum, quæ omnia ut pro veris habeantur, imperare nolim: ſed tamen* Feſtum. *quædam vera eſſe fatendum eſt. Et primo quidem ipſius fetus eſt Decretum pro concordia ſeu uniformi vivendi ratione monachorum, ſub nomine Eadgari Regis conditum, de quo ſuperius num. 7. & forſan is eſt* liber de regula vitæ monaſticæ *a Pitſeo laudatus. Deinde certum eſt quod de eo legitur in ſequentis Vitæ num. 34. nempe ipſum vacaſſe non ſolum lectioni, ſed etiam codi-*

cibus

Digitized by Google

cibus emendandis : quo in genere ſancti Benedicti Regulæ operam impendit . Ex ejus epiſtolis unam inveninus Vulſſino Vvigornienſi Epiſcopo ſcriptam , quam ſuperius in ipſius Vulſſini Elogio retulimus ex mſ. Pontificali ante annos ſexcentos ſcripto , quod modo penes eruditiſſimum Antonium Faurum Doctorem ac ſocium Sorbonicum ſervatur . Eidem Pontificali præmiſſa eſt Joannis Papæ XIII. epiſtola Dunſtano inſcripta pro pallio : cujus titulus in mſ. codice obſervandus eſt . Sic autem habet. Incipit epiſtola privilegii , quam jubente Joanne Papa ſuſcepta benedictione ab eo Dunſtan Archiepiſcopus a ſuis manibus accepit , ſed pallium a ſuis manibus non accepit , ſed eo jubente ab altare ſancti Petri Apoſtoli . *Hanc epiſtolam Baronius partim edidit ex Vvillelmi Malmesburienſis libro (uti ad marginem notat) de Pontificibus : quam tamen apud Vvillelmum non reperio . Quidquid ſit , eam integram hic referimus ex membraneo codice , maxime cum nec in nova Conciliorum editione integra reperiatur .*

AN.CHR. 988 19. Maji.

JOANNES Epiſcopus ſervus ſervorum Dei , confratri DUNSTANO Dorobernenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo vitæ tuæ tantummodo permanendam in Chriſto ſalutem . Si paſtores ovium ſolem geluque pro gregis ſui cuſtodia die ac nocte ferre contenti ſunt , & oculis conſpectant vigilantibus , ut ne alia quidem ex ovibus aut errando pereat , aut ferinis laniata morſibus rapiatur : quanto ſudore , quantaque cura debemus eſſe pervigiles ob ſalutem animarum , qui dicimur Paſtores earum ? Adtendamus igitur nos officium exhibere erga cuſtodiam dominicarum ovium , & ne quaſi lupo veniente territi fugiamus : ne in die divini examinis pro deſidia noſtra ante ſummum Paſtorem pro negligentia noſtra excruciemur , unde modo honoris reverentia in ſublimiori arce ceteris dijudicamur. (* Primatum itaque tuum , in quo tibi ex more anteceſſorum tuorum vices apoſtolicæ Sedis exercere convenit , ita tibi ad plenum confirmamus , ſicut beatum Auguſtinum ejuſque ſucceſſores præfatæ eccleſiæ Pontifices habuiſſe dignoſcitur.) Pallium autem , fraternitati tuæ ex more ad Miſſarum ſollemnia celebranda commendamus , quod tibi non aliter , eccleſiæ tuæ privilegiis in ſuo ſtatu manentibus , uti concedimus , niſi ſolummodo in Nativitate Domini , & in Epiphania , atque in Reſurrectione , & Aſcenſione Domini , ac Pentecoſten , pariterque in Aſſumptione Dei genitricis Mariæ , ſeu in nataliciis Apoſtolorum ; verum etiam in conſecratione Epiſcoporum atque in natalis tui die , nec non & in die conſecrationis eccleſiæ , quem uſum anteceſſores noſtri prodiderunt . Neque tuus * uſus hoc incognitum habet vel cujuſque , quoniam * indumenti honor moderatione actuum tremendus erit. Honeſtati morum tuorum hæc ornamenta conveniunt , quatinus auctore Deo poſſis eſſe conſpicuus , ita ut vita tua filiis tuis ſit regula ; & in ipſa , ſi qua fortitudo illis ineſt , dirigatur , dum in ea quod imitentur aſpiciant ; in ipſa ſemper conſiderando proficiant , ut tecum Deum per hoc quod bene vixerint videre mereantur . Cor ergo tuum neque proſperis quæ temporaliter blandiuntur extollatur , neque adverſis dejiciatur . Quicquid illud fuerit adverſi , virtute in Chriſto patientiæ a te devincatur . Nullum apud te locum favor indiſcretus inveniat , in omnibus diſcretionem alii in te cognoſcant . Inſontem apud te culpabilem ſuggeſtio mala non faciat , nocentem gratia non excuſet , remiſſum te delinquentibus non oſtendas , nec quod illis non profuerit hos perpetrare permittas . Sit in te & boni paſtoris dulcedo , ſit & judicis ſevera diſtrictio ; unum ſcilicet quod innocentes foveas, aliud quod inquietos feriendo a pravitate compeſcas . Sed quoniam nonnumquam Præpoſitorum zelus , dum diſtrictius malorum vindex eſt , tranſit in crudelitatem , correctionem in judicio refræna , & cenſuram diſciplinæ diſcute , ut & culpas ferias , & a dilectione perverſorum quos corrigis non recedas . Miſericordiam prout virtus patitur pauperibus exhibe , oppreſſis defenſio tua ſubveniat , opprimentibus modeſta ratione contradicas. Nullius faciem contra juſtitiam accipias , nullum querentem juſta deſpicias . In cuſtodia æquitatis excellas , ut nec divitem potentia ſua apud vos aliquid extra viam ſuam de accuſatione audias , nec pauperem faciat humilitas tua deſperare quatinus Deo miſerante talis poſſis exſiſtere , qualem ſacra lectio præcipit dicens : Oportet Epiſcopum inreprehenſibilem eſſe . Sed his omnibus uti ſalubriter poteris , ſi magiſtram charitatem habueris , quam qui ſecutus fuerit , a recto aliquando tramite non recedit . Ecce , frater chariſſime , inter multa alia iſta ſunt ſacerdotum , iſta ſunt pallii jura , quæ ſi ſtudioſe ſervaveris , quod foris accepiſſe oſtenderis , intus habes . Sancta Trinitas fraternitatem veſtram gratiæ ſuæ protectione circumdet , atque ita in timoris ſui viam te dirigat , ut poſt vitæ hujus amaritudinem , ad æternam ſimul pervenire dulcedinem mereamur . Et hoc ſcriptum eſt per manus LEONIS ſcrinialis ſedis apoſtolicæ in menſe Octobri , Indictione quarta , datarum die II. Kalendarum Octobris , anno duodecimo ſummi Pontificis Joanni.

* Hæc deſunt in mſ.

* al. tua prudentia.

* al. quantum.

Apud Baronium iidem chronici characteres leguntur , niſi quod non II. *Kal. Octobris , ſed primo Kal. datum diploma legitur . Baronius recte mendum advertit in anno Pontificis , legendumque putat ,* anno 6. Joannis duodecimi *quæ ſane reſtitutio cum Indictione 4. optime quadrat . Si legendum eſt* II. Kal. Octob. *tantumdem erit atque die undecimo a Kalendis : nam diploma* in menſe Octobri *datum eſt . Huc ſpectat quod apud Rogerum Hovedenum in parte priori legitur .* Anno 940. ſanctus Dunſtanus ad Romuleam urbem profectus , Indictione tertia pallium a Joanne Papa ſuſcepit , ſicque per pacis itinera ad patriam remeavit.

Digitized by Google

AN.CHR. 988 19. Maji. Festum & reliquiæ.

13. *Poſtremo in legibus eccleſiaſticis Canuti Regis anno 1032. editis feſtum ſancti Dunſtani 14. Kalend. Junii præcipitur cap. 24. Ejuſdem memoria eſt in Martyrologiis exinde editis. Hic ex Harpsfeldio monendus lector, ut ſi forte incidat in commenticia (ſic ipſe vocat) illa ſcripta, quibus ſignificatur reliquias beati Dunſtani a Cantuaria Glaſconiam delatas ad annum Domini 1012. ut ne facile circumveniatur. Eadmerum quippe in Vita ſancti Anſelmi commentum illud prorſus explodere, ſcribentem ſe puero corpus ſancti Dunſtani inventum cum tiara, annulo, pallio, & aliis pontificiis ornamentis, & lamina plumbea, quæ declarabat illius eſſe corpus: illudque in novam a Lanfranco exſtructam baſilicam illatum. Denique anno 1508. Guilielmum Vvarahamum Archiepiſcopum curaſſe aperiri ſepulchrum, in quo caput cum omnibus oſſibus & prædicta lamina repertum eſt. Anſelmus piam de ſancto Dunſtano orationem compoſuit cum recordatione miraculorum ejus, quæ exſtat in nova editione pag. 297. Nunc tempus eſt ut Osbernum audiamus.*

OSBERNI EPISTOLA SEU PRÆFATIO.

Occaſio ſcribendi poſt alios.

1. UNiverſis catholicæ matris Eccleſiæ filiis confrater eorum, per eam quæ in Chriſto eſt regenerationem Osbernus pacem bonam ac perpetuam ſalutem. Multorum ſæpe ac venerabilium Patrum veneranda mihi auctoritas imminuit, ut vitam magnifici Patris Dunſtani Litterarum monimentis tradere; atque ad Dei laudem hominumque utilitatem eccleſiæ deberem auribus inſinuare. Quibus dum ego pro facienda excuſatione illud & verum obtenderem eſſe, plura a pleriſque non ignobilis uſquequaque ſcientiæ viris de hac re conſcripta, vererique me hominum reprehenſiones, qui forte mimos nos aut certe temerarios vocare poſſent, dum non tam nihil ſatis nos habere, quam nihil nobis ſatis eſſe poſſe contenderent: contra illi magis nihil ſatis ſe habere, quam nihil ſatis eſſe poſſe retulerunt, & hoc probabilibus rationum firmamentis velle ſe adſtruere dixerunt. Nam eorum inquiunt quorum præcipuam interfuit hujus rei diligentiam habere: alii, etſi ſatis eleganter, non tamen ſatis diligenter, ſed quantum ad nocturnum feſtivitatis officium ſatis eſſe judicavere, ſermocinandi ad populum modo ſcripſere: alii autem dum nimis diligenter, quemadmodum quæque res acta ſit explicare conarentur, elegantiam perdiderunt, atque in illud dicendi genus, quod ſufflultum Romanæ princeps eloquentiæ vocat, inciderunt, quod facilius tædium legentibus quam aliquod audientibus emolumentnm gignere conſuevit. Qui vero in utraque parte dicendi elaboraverunt, ut eſſent feſtivi pariter atque ſecundum geſtas res bene ordinati, horum ſcripta in illo incendio conſumpta ſunt, quod ante hos annos ſancta Dorobernenſis eccleſia cum magno ſuarum rerum detrimento perpeſſa fuiſſe dignoſcitur. Sed ab his inquiunt aliqua in patrium, id eſt Anglicum ſermonem, tranſlata ſuperſunt: ex quibus vel id petimns elicere, & in Latinam denuo poteris linguam Deo ſuffragante transferre.

Auctoris modeſtia.

2. Itaque his ſive rationibus, ſive rationum auctoribus ad ſcribendum traductus, malebam alienæ voluntati bene dicendo obtemperare; quam propriæ ſerviens voluntati a bene dicendo temperare. Verum ad hoc audiendum non ſine quadam pudoris ſuffuſione accedo, propterea quod omnium ora in me eſſe exiſtimo, veluti in hominem more Lælii novas dicendi victorias pollicentem, & quaſi ea quæ ab aliis commode dicta ſunt commodius ſe dicturum præſumentem. Sed ego neque illos minus commode dixiſſe reprehendo, neque me commodius dicturum promitto: ſed ſive id dignum fuerit, ſive pro tanta rerum materia digno contrarium; quod intendo illorum meritis aut culpæ adſcribo, quorum imperio atque importunitate victus hæc ſcribo. Quamvis & mea voluntas tantum devotionis erga eumdem patrem & dominum noſtrum obtinere debeat, ut ſi nulli vellent iſta a me expetere, ego pro perſona mea non dubitarem ingerere. Ita namque cum in alios me vidente, tum in meipſum me ſentiente ejus merita valuere. Sed non fuit conſilium quid vel in alios me vidente, vel in meipſum me ſentiente hoc in libello dicere: in alio vero qui de ſignis ad ſepulchrum ejus perpetratis ſcribetur, dicere conſilium fuit. Nunc autem primordia nativitatis ejus, pro-

Operis diviſio.

Digitized by Google

proceſſum ætatis cum augmento gratiæ cæleſtis, commutationem mortalis ſæculi pro immortalitate æterni ſæculi quam veriſſime conabor abſolvere, omiſſis omnibus his quæ ita fuere mirabilia, ut infidelibus videantur incredibilia. Ac me quidem his enarrandis imparem ſcio, ſed in ejus nomine in quem ipſe fideliter credidit, & cui ipſe fidele operis miniſterium exhibuit, iſta aggredi tentabo.

INCIPIT VITA SANCTI DUNSTANI

Cantuarienſis Archiepiſcopi & Confeſſoris 14. Kal. Junii.

Dunſtani parentes nobiles ac pii.

REgnante magnifico Anglorum Rege ETHELSTANO, anno *a* quidem imperii ejus primo, adventus vero Anglorum in Britanniam quadringenteſimo nonageſimo ſeptimo, cum idem Rex hoſtibus circumquaque ſubactis, pace & concordia regnum tueretur, natus eſt puer Dei Dunſtanus Weſſaxonicis Angliæ partibus, magnis quidem pro ſæculi *b* dignitate parentibus, ſed ad religionem quæ Chriſtianos decet longe majoribus. Tanta ſiquidem virtutis ratione viventes animum colebant, tot piis operibus laborantes inſudabant, ut communem mortalibus viam ingreſſi, angelicis ſpiritibus mererentur aſſociari, ſicut eidem filio ſuo poſtmodum divina revelatione innotuit. Quod non alienum eſt divinitatis conſilio factum conjicere, ut videlicet tantus infans tales parentes haberet, qui cum ipſi bene viverent, tum bene vivendi formam naſcituro ex ſe filio tradere poſſent. Magnum quippe Deus illum futurum prævidebat, quem ibi dulcedinis ſuæ benedictionibus prævenerat, ubi omnes filii Adam nativæ maledictionis ſententiam excipiunt, ſi non per aſſumptam a Filio Dei humani habitus formam ad priſtinam reformentur beatitudinem. Magnum inquam Deus illum futurum prævidebat, cui tantum muneris donatum eſt, ut ante mundo ſignis innoteſceret, quam hunc in mundi hujus lucem mater fudiſſet. Atque ut cetera dilucide & ordinate procedant, hinc dicendi initia conſtituam.

Cereis lux cælitus reddita.

4. Maternis igitur finibus ſacro puerperio intumeſcentibus dies Purificationis ſanctæ ac perpetuæ Virginis Mariæ illuxit feſtivus. Cumque vicinus undique populus ad eccleſiam eidem Virgini in Gleſtoniam dicatam conflueret ut devotionis ſuæ miniſterium in tanta ſolemnitate Regi regum Chriſto perſolveret, contigit patrem pueri Herſtanum cum conjuge ſua Kynedrida adveniſſe, accenſiſque lampadibus ſacris Miſſarum ſollemniis interfuiſſe. Jamque plurimam diurni ſervitii partem clerus abſolverat, jam quemadmodum puerum Jeſum in templum parentes inducerent recitari cœperat, cum repente majeſtas Domini in templo apparuit, quæ omnia omnium luminaria exſtinxit totamque domum tenebroſa caligine obtexit. Hinc gelidus ombium membra pavor perſerpit, rigent comæ, genua colliduntur. Stabant quippe ſenſu hærentes, & alternis obtutibus ſtuporem indicantes. Sed ut omnibus clarum fieret quid hac in re ea quæ apparuit majeſtas intenderet; exemplo lux cælitus emiſſa in templo reſplenduit, & eum quem puerpera manu tenebat cereum accendit. Si ante populus de amiſſo lumine miratus eſt, nunc majori admiratione ſimul & exſultatione detinebatur. Exſultabat namque præſentem ſe Dei gratiam vidiſſe, ſed mirabatur hanc ſibi per feminam proveniſse. Huc itaque ab omnibus perrectum, & hinc lumen omnibus porrectum. Habemus ergo novum de nova Elizabeth Joannem, habemus noſtri temporis Jeremiam: quorum alterum Deus, alterum Archangelus Dei in matris utero ſanctificatum aſſeruit. Atque ut excellentiorem gratiam advertas, qua die filius Dei a matre Virgine in templo

eſt

a Ethelſtani annus primus componitur cum anno Chriſti 925. in Chronologia Saxonica, eodemque anno Dunſtanus ibidem natus dicitur. At iſte annus eſt tantum octingenteſimus ſeptuageſimus ſeptimus ab adventu Anglorum in Britanniam inſulam, quem adventum ad annum 449. refert Beda in lib. 1. cap. 15. Idem erratum erravit Oſbernus in fine hujus Vitæ, ubi de morte Dunſtani.

b *Regiæ ſtirpi conſanguinitatis jure devincti*, infra num. 6.

Digitized by Google

AN.CHR. 988 19. Maji.

eſt præſentatus, ea nimirum puer Dei in matris utero ad templum eſt deportatus. Lumen ad revelationem Gentium, & gloriam Iſrael ſanctus Simeon exultando proclamabat: lumen nihilominus in terra Anglorum exortum Chriſtus qui verum lumen eſt lumine declarabat.

Dunſtani nativitas & baptiſmus.

5. Poſtquam autem edendi partus tempus advenit, mulier genuit *a* filium quantitate quidem corporis parvulum, ſed ea qua præventus fuerat gratia Dei immenſum. Inde ſtatim ſecundæ generationis honore potitus, futuram fidei illius ſoliditatem jam tunc divinitus præfiguratam in nomine ſortitur Dunſtanus, quod petræ firmitatem ſonat, parentum ſuorum annotatione vocitatus. Deinde dum teneros annos infantiæ ſequens ætas excluſiſſet, & in apertos ſonos linguam jam formare cœpiſſet, ad templum naſcentiæ illius miraculo quondam inſigne cum oblationibus hiſtoriam defertur, immo ipſe hoſtia viva ſancta Deo placens offertur. Ibi illis in oratione pernoctantibus apparuit vir æthereos habens vultus, & locum dixit non multo poſt tempore ſublimandum, puerum ibidem Deo relinquendum, & beatum illum per ſæcula prædicandum. Tum menſoris funiculum per plana atrii extendens: Sic, inquit, ædificabitur locus iſte ad præparanda corda illorum Domino qui in loco per hunc puerum Deo credituri ſunt. Qua illi revelatione vehementer gaviſi, immenſas omnipotenti Deo laudes perſolvunt, commendantes puerum in templo, ut eſſet Levis Domino, & portio illius Dominus exſiſteret, quemadmodum Moyſi dictum eſt, cum divideret Judæorum per tribus ſingulas incolatus. *Non erit Levi ſors inter fratres ſuos dicit Dominus, quia Dominus Deus, pars illorum eſt.* Unde Petrus oſtendens ſe portionem in Deo habere, non in ſæculo, *Argentum*, inquit, *& aurum non habeo, ſed quod habeo hoc tibi do: In nomine Jeſu Nazareni ſurge & ambula.* Hoc eſt, Aurum non eſt portio mea, argentum non eſt portio mea: portio mea Chriſtus eſt. Hoc nomen munificum, hoc nomen mihi eſt fructuoſum. Talis ergo portionis fructum tirunculus Chriſti in timore ſancto aſſecutus, aſſidua miniſtratione Domino ſerviebat, proficiens quotidie tam in ſcientia pietatis, quam in virtute ſanctitatis.

6. Ea tempeſtate Gleſtonia regalibus ſtipendiis addicta monaſticæ religionis penitus erat ignara. Nondum enim in Anglia *b* communis vitæ ratio colebatur, non uſus deſerendi proprias voluntates hominibus affectabatur. Abbatis nomen vix quiſquam audierat: conventus Monachorum non ſatis quiſpiam viderat: ſed cui forte id voluntatis erat, in peregrinam vellet transigere vitam, is modo ſolus, modo paucis ejuſdem propoſiti comitatus patrios fines egrediebatur, & qua opportunitas vivendi licentiam dabat, illic alienigena vitam agebat. Hicque mos cum pleroſque, tum vehementer adhuc manet Hibernos: quia quod aliis bona voluntas in conſuetudinem, hoc illis conſuetudo vertit in naturam: quorum multi atque illuſtres viri divinis ac ſæcularibus litteris nobiliter eruditi, dum relicta Hibernia in terram Anglorum peregrinaturi veniſſent; locumque habitationis ſuæ Gleſtoniam delegiſſent, propterea quod eſſet, & a civili multitudine ſequeſtratus, & humanis uſibus accommodus, & (quod maxime affectabant) peregrini Patricii *c* religioſa veneratione glorioſus, qui olim evangelizando regnum Dei illuc perveniens, vita, doctrina, ſignis & mirabilibus multipliciter claruiſſe, & poſt omnia hæc ibidem in Domino quieviſſe perhibetur. Cum ergo hi tales viri talibus de cauſis Gleſtoniam veniſſent, nec tamen quicquid ſibi neceſſarium

a Dunſtanus prope Glaſtoniam natus eſt, ut patet tum ex Oſberno, tum ex B. in octava obſervatione prævia.

b Iiſdem verbis loquitur Gervaſius monachus Dorobernenſis, niſi quod poſt hæc verba interponit, præter-„ quam in Cantuarienſi eccleſia, Diceres nuſquam fuiſſe antea *Monachos* in Anglia. *Sed ita loquuntur iſti Auctores* habita ratione illius temporis, quo Monaſteria fere omnia ad Clericorum ſortem tranſierant. Eodem modo locuti ſunt quidam tunc temporis ſcriptores Gallicani.

c „ Et maxime ob beati Patricii junioris honorem qui fauſtus ibidem in Domino quieviſſe narratur. Non ergo magnus ille Patricius, B. Germani Autiſſiodorenſis Epiſcopi diſcipulus, ut opinatus eſt *Willelmus Malmesburienſis* in lib. 2. de Pontificibus cap. 5. Patricius iſte junior videtur eſſe ſenioris filiolus, qui ejus vitam ſcripſiſſe dicitur a Jocelino, qui item Benignum (cujus oſsa Glaſtoniæ ſervata dicit Vvillelmus) alioſque duos ejuſdem vitæ ſcriptores laudat.

Digitized by Google

ſarium erat, ſufficientiſſime in loco reperiſſent; ſuſcipiunt filios nobilium liberalibus ſtudiis imbuendos, ut quod minus ad uſum loci ubertas exhiberet, eorum quos docebant liberalitate redundaret.

AN.CHR. 988 19. Maii.

7. Adeſt ergo nobiliſſimus in Chriſto puer Dunſtanus inter alios unus, immo præ aliis ſolus ubi paullo diligentius quam imbecilla ætas ferre poſſet, litterarum ſtudio intentus acerrimo in tenello corpore languore fatigatur, adeo ut per aliquot dies nec quid ageret, nec quid ab aliis ageretur intenderet. Flebat autem ſcholaſticorum coætanea turba, flebat tota domus, familia ipſa, Doctores recordantes modeſtiam pueri, ingenium, nobilitatem, educationem. Cumque jam in limine mors adeſſe putaretur, nihilque aliud quam funeris obſequium meditaretur, ecce intempeſta nocte cæleſtis illum medicina reviſit, quam ei per angelicum miniſterium Chriſtus exhibuit. At ne qua ſalutis innecteretur mora, ubi divina provenerat medicina; confeſtim de lectulo ſurgens doloris, ad templum Deo gratias acturus moderata velocitate currit, habens illum in itinere ductorem, quem in ægritudine habuit ſalvatorem. Stupefacti de magnitudine facti qui in domo erant, qui ægrotantis illius curam gerebant, lento pede pereuntis veſtigia terunt, finem rei curioſa agilitate explorantes. Necdum itineris medium confecerat, cum malignus ſpiritus ſive ejus ſaluti invidens, ſeu futuram religionem ſuſpectam habens, latrantium canum multitudine ſtipatus occurrit, viamque eunti intercludere contendit. Exclamat itaque puer Chriſtum pavore conterritus, ſed ductoris ſui præſidio vallatus, virgam arripit, quam in faciem obſiſtentis ſimulacri vibrans, ipſum cum omni comitatu in fugam compellit. O ſanctum & terribile Chriſti nomen, ſapientibus abſconditum, parvulis revelatum! ecce draco quem initium figmenti ſui finxit Deus ad illudendum ei, non ſolum ab Angelis Dei illuditur, verum etiam a puero parvulo ſuperatur. Vere detracta eſt ad inferos ſuperbia ejus, in profundum laci concidit cadaver illius. Sed in quo iſta noſter potuit parvulus, niſi in illo qui cum ſit Deus ſuper omnia benedictus in ſæcula, parvulus de Virgine natus eſt nobis, filius a patre datus eſt nobis. Dunſtaaus igitur ad portam templi veniens, ſed eamdem repagulis obſeratam inveniens, ſcalam cui inniti ſolebant, qui ſuperiora templi ſarciebant, ignoranter & quaſi per exceſſum menti aſcendit. Inde ad alteram tecti partem, qua nullus erat deſcenſus, progrediens, angelicis manibus ad ſolum deponitur, & in interiora templi non patentibus clauſtris inducitur. Orta autem luce, dum per vicinas domos quæſtio de puero facta fuiſſet, repertus eſt in templo cum his qui nocturnas cuſtodias agebant leni ſopore offuſus. Rogatus ut tam mirabilis eventus modum exponeret; non eſſe hoc in ſua conſcientia reſpondit, & ignorantium mentes majori ambiguo deduxit. Sed hi quos explorandi gratia puerum ſecutos fuiſſe prædiximus, de omnibus quæ uſque ad ſuprema templi faſtigia contigerant, claro & probato ſermone teſtificantur: cetera vero, quoniam illos & puerum latuerunt, ſolius Dei potentia mirabiliter patrata fuiſſe claruerunt. Magno igitur timore concuſſi omnes qui audierunt, cogitabant quidnam eſſet quod puero contigiſſet, dicentes ad alterutrum: Quid ſibi vult puer iſte, cui tot & tam ſancta præconia atteſtantur? qui ante beatus quam natus, ante virtus prodidit glorioſum quam ætas probaret adultum. Singulari hunc gratia præditum videmus, quem Angelus ægrotum ſanavit, diabolus ſanatum contremuit, eccleſia ſignata excepit. Et denuo orantes, Augeat, inquiunt, Deus meritum pueri ad gloriam ſui. At ille regentis ſe Chriſti ſpiritu repletus, aures quidem corporis a ſuis laudibus avertebat, ſed in ſecreto pectuſculi Deum benedicebat. Ab illo itaque die in tanta admiratione habitus eſt, ut plurima illum utriuſque ſexus multitudo, quamvis adhuc delicatum, videre cuperet. Ipſe vero quanto excellentiora audiebat, tanto de ſe minora ſentire.

Morbo correptus mira facit Angelo duce.

8. Jamque vernans ætas adoleſcentiæ decus induerat, cum eum parentes ſui ſacros ordines rogarent ſuſcipere: ut qui fuerat a primæva ætate Domino

Ordines minores ſuſcipit.

Digitized by Google

AN. CHR. 988 19. Maii.

no electus, per hujuſmodi gratiam eidem conjunctus adhæreret: quorum ille voluntati humiliter parens minores gradus *a* & habitu ſuſcepit & vitæ honeſtate ſervavit. Tum vero quod illi ætati non parvo ornamento eſt, certabat omnes officio ſuperare, gratia & affabilitate omnes anteire; ſervare pudicitiam, fugere laſciviam; appetitor honeſti, turpitudinis exſecrator, majorum natu colloquiis adeſſe, juvenum ludicra declinare; ciborum abſtinens, ſomno temperans, inceſſu gravis; neque facile moveri loco, neque abrupte loqui; magnæ fidentiæ ad incipiendum bonum, conſtantiæ ad perficiendum; principium bene agendi Deum ſemper habere, finem vero eidem commendare. Moribus quoque bonis acceſſit ſtudium ſacræ lectionis, cujus exercitio & vitiorum importunitates evitabat & virtutum augmenta nutriebat. Et quoniam ſtudium parvam habet efficaciam, ubi naturale ingenium non ſuggerit intelligentiam: auctore Deo ſic utraque præditus erat, ut & facilitate ingenii quamlibet rem acutiſſime intelligeret, & occupatione ſtudii quodcumque intellectum fuiſſet firmiſſime retineret. Ex quo brevi factum eſt, ut neque præceptoribus ſuis imperitior, & condiſcipulorum peritiſſimis multo eſſet ipſe peritior. Philoſophorum ſcientias, quas earum rerum quæ ſunt, & quæ aliter eſſe non poſſunt, cognitionem veritatis vetuſtas eſſe diffinit, ut ſunt magnitudines, & earum aliæ manentes motuque carentes, aliæ vero quæ mobili ſemper ratione vertuntur, nec ullis temporibus adquieſcunt, multitudines quoque, & earum nihilominus aliæ per ſe, aliæ in relatione poſitæ. Horum inquam ſcientias diligenti excoluit ratione, magnam in his & conſtantem perſpiciens eſſe perfectionem: & quamvis omnibus his artibus magnifice polleret, ejus tamen multitudinis quæ Muſicam inſtruit, eam videlicet quæ inſtrumentis agitatur, ſpeciali quadam affectione ſcientiam vindicabat, ſicut David pſalterium ſumens, citharam percutiens, modificans organa, cymbala tangens, ſed non ſicut hi quorum inertiam & luxurioſum otium noſter Propheticus increpat armentarius: *Qui dormitis*, inquit, *in lectis eburneis, & laſcivitis in ſtratis veſtris, qui comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti, qui canitis ad vocem pſalterii ſicut David, putaverunt ſe vaſa cantici habere bibentes in phialis vinum*. Nec eo iſta commemoramus, quo his opus eſſe ad perfectionem tendenti arbitremur: ſed ut multiplices Dei gratias in juvene commendemus. Nam omnibus ſæcularibus ſtudiis præferebat ſcientiam pietatis, quæ in evangelicis & apoſtolicis continetur litteris, dum ſua ſemper ingenia ſanctorum Patrum auctoritati contradens, & ambas res ad eaſdem litteras conferens, fidem veram, morum diſciplinam, & (quod unum ac ſolum præ omnibus rebus quærendum eſt) vitam æternam ſe inveniſſe gaudebat. Sicut David ergo noſter ſymphoniſta vaſa cantici habuit: quia uſum illorum non niſi in divinis laudibus expendit. Præterea manu aptus ad omnia, poſſe facere picturam, litteras formare, ſcalpello imprimere, ex auro, ex argento, ære & ferro quicquid liberet operari.

Lectioni & ſcientiis dat operam.

9. Tunc audita fama venerabilis viri Cantuariorum Archiepiſcopi Athelmi *b* cujus ipſe erat nepos & filius fratris, permiſſu parentum ſuorum proficiſcitur ad eumdem, quatinus tanti parentis & cognitionem haberet, & vitæ illius exemplo juveniles mores informaret. Lætabatur itaque Epiſcopus nimis in adventu nepotis, conſiderans in illo venuſtatem corporis, animi vigorem, ac totius honeſtatis eminentiam. Unde eo quo afflatus eſt Dei ſpiritu vas illum electionis futurum prænoſcens, potiori gradu decorare, & Regi ETHELSTANO familiari conteſtatione eum ſtuduit commendare. Hunc, ait, juvenem mihi quidem plurimum, regiæ vero ſtirpi nonnullo conſanguinitatis jure devinctum, veſtræ excellentiæ commendo, ut ſtet jugiter in conſpectu veſtro, audiatque verbum ex ore domini mei Regis

Ab Athelmo traditur Regi Ethelſtano.

a „ B. Videntes itaque parentes prænominati tantam ſui excellentiam filii, dignam ſui clericatus impoſuere tonſuram officii, inque famoſo Gleſtonienſis eccleſiæ ſociaverunt cœnobio, quatenus ibidem die noctuque „ Deo Deique genitrici deſerviret Mariæ, &c.

b De eo actum eſt ſuperius ad Elogium Plegmundi Archiepiſcopi Cantuarienſis.

Digitized by Google

Regis. Experiar in illo gratiam veſtram, quam multiplicem in maximis ſæpe rebus expertus ſum, & deinceps amplius experturum me confido. Quod Rex prompta cordis alacritate accipiens, oblatum juvenem gratiſſime excepit, unice dilexit, poſt hæc neceſſariis quoque rebus regia vice præeſſe conſtituit. Dunſtanus igitur terreno degens in palatio, egrediebatur & ingrediebatur ad imperium Regis, & proſperatum eſt in manibus ipſius quicquid operis ipſe cœpiſſet. Et nunc quidem ſurgens ad orandum Deum, nunc ſedens ad dijudicandas cauſas hominum, ita ſe ſapienter ac circumſpecte agebat, ut & Deo per omnia placeret, nec aliquem pie viventium ſua culpa offenderet, Dominus enim cum illo erat, & omnia opera ejus dirigebat. Iterum cum videret dominum Regem ſæcularibus curis fatigatum, pſallebat in tympano ſive in cithara, ſive aliquo quolibet muſici generis inſtrumento: quo facto tam Regis quam omnium corda Principum exhilarabat. AN.CHR. 988 19. Maii.

10. Tunc cujuſdam matronæ *a* frequenti ac religioſo rogatu compellatus eſt, ut ei ſtolam ſacerdotalem artificioſa operatione perpingeret, quam poſtea ad divinos cultus aurifactoria imitatione figuraret: qui aſſumpta in manibus cithara in pariete ſuſpendit, opus ad quod venerat diligenter inſtituit. Cumque manum operi, cor autem atque labia Deo præpararet, apparuit in domo gloria Domini, quæ illum jucunda ſuavitate reficiebat, ceteros vero inſolita admiratione exterritos reddebat. Nam cithara *b* illius quam parieti affixam fuiſſe diximus, ita ut erat pendens in paxillo, abſque ullo moventis dumtaxat hominis impulſu, conſuetam omnibus hujus antiphonæ melodiam acutiſſima ſimul ac diſcretiſſima modulatione perſonuit: *Gaudent in cælis animæ ſanctorum qui Chriſti veſtigia ſunt ſecuti: & quia pro ejus amore ſanguinem ſuum fuderunt, ideo cum Chriſto gaudebunt in æternum.* Exſiliunt itaque obſtrepentes puellulæ, materfamilias, omniſque domus clientela vociferans hominem nimium eſſe ſapientem, amplius eum quam quod expediat ſcire. At ille mundiſſimo mundiſſimi cordis intuitu cæleſtem muſicam illam intendens, admoneri ſe intelligit ut vias duriores arripiat ut Chriſti veſtigia propius ſequatur, ut ſanguinis ſui effuſionem non metuat, ſi Dei regnum & vitam delectat habere æternam. Audivimus olim rudentem aſinam verba ediđiſſe, citharam vero ſine humano pulſu ſenſualiter ceciniſſe numquam audivimus. Illa inſidentem ne moreretur retinuit: iſta ne mors timeretur admonuit. Illa angelicos vultus pertimeſcens ſubſedit: iſta ad aſpectum Dei & Angelorum illius omnes audientes invitavit. Sed hæc tua ſunt, Chriſte, magnalia, quæ in tuo Dunſtano operari & per noſtrum miniſterium prædicari hominibus voluiſti. Cithara cælitus dat ſonum.

11. Accenſus igitur furore diabolus quod tam ſanctis principiis juvenem niti conſpiceret, in invidiam aliquorum eum conatus eſt adducere, ignorans malam voluntatem ſuam Deo famulari ad perficiendam Dei bonam voluntatem in homine, quem ad congaudendum & conregnandum ipſe prædeſtinaverat. Inflammat itaque invidiæ ſtimulis operarios iniquitatis, qui conficto mendacio opinionem juvenis apud Regem lædant, aſſerentes illum malis artibus imbutum, nec quicquam divino auxilio, ſed pleraque dæmonum præſtigio operari. Advertens autem Dunſtanus faciem Regis non eſſe ſicut heri & nudiuſtertius, palatio diſcedere parat, malens Regem ſponte *c* ſua deſerere, quam ipſe a Rege invitus derelinqui. Quod ubi compertum eſt ab his qui probitatis illius improbiſſimi æmulatores exſtiterant, inſidiis iter obſident, ſocios diſturbant, illum equo dejiciunt, ſuppliciis affligunt, poſtremo vinculis irretitum in ciſternam quæ juxta erat, depellunt. Cum interim horrendo molóſſorum agmine defenſus, a quibuſdam hominibus invenitur, quorum ſtudio ac pietate ad vicum fovendus transfertur. Tum ille ex Dunſtanus Aulicorum invidiam fugit.

 pro-

a Ethelvvinam appellat B. qui hoc factum refert proxime ante mortem Ethelſtani.

b B. *Quam lingua paterna hearpam vocamus.*

c B. ait Dunſtani æmulos falſa quadam objectione a Rege impetraſſe, *ut ab eorum conſortio pelleretur*; eumque ejectum *in lutulenta paluſtrium loca* ab ipſis projectum fuiſſe: occaſionem criminandi ex citharæ miraculo accidiſſe ait tertius Auctor.

AN.CHR. 988 19. Maii.

profundo cordis ſuſpirio ingemiſcens ait. O ſæva propinquorum meorum veſania in caninam ſævitiam ex dilectionis humanitate mutata, nam irrationalis canum natura dilectionem mihi humanitatis blandiendo exhibuit: propinquitas vero humanitatem oblita, infeſtantium me canum ſeveritatem oſtendit. Intellexit ergo hoc eſſe principium certaminis, ad quod illum divinus Ciharœdus præmonuit.

Elfego Epiſcopo hortante.

12. Profectus autem inde cognatum Pontificem adiit Elfegum *a*, qui tunc temporis Vventanæ præſidens eccleſiæ vitam virtutibus decorabat, a quo frequenti ſupplicatione rogatus, ut Monachum indueret: quatinus qui angelicæ converſationis initia haberet, perſeverantiam in habitu demonſtraret. Reſpondit ille, excellentioris gratiæ eſſe qui in ſæculo conſenuit, & tamen quæ Monacho digna ſunt fecit, eo qui ſe monaſterio dedit, nec quicquam aliud præter quam quod ſibi ſtatutum eſt poſt hæc facere potuit. Alterum, inquit, neceſſitatis eſt, alterum vero libertatis. Ad hæc „ Epiſcopus. Omnibus, ait, in commune ſumma neceſſitas eſt, ut qui „ ignem gehennæ voluerit effugere, ignem concupiſcentiæ ſtudeat extin- „ guere. Ignis vero concupiſcentiæ non multum exſtinguitur, ſi fomenta „ illius humanis ſenſibus non ſubtrahuntur. Sicut enim ligna ad ignem, „ ſic ea quæ ſenſibus ſubjacent ad concupiſcentiam. Sed nulla erit fo- „ mentorum ſubtractio, ſi ſæcularium negotiorum non fuerit renuntiatio. „ Ex quibus omnibus id elicitur, ut ſi ignem gehennæ volueris effugere, „ ſæculo ſtudeas renuntiare. Ad hæc quod præcipue in mundo appetitur, „ libertas eſt hominis. Hac enim omiſſa, cetera poſſideri nequeunt: quod „ ſi poſſidentur, illa non deſinit habere. Quapropter quamdiu illam re- „ tinueris, illud Deo non dediſti quod maxime dilexiſti. Ut ergo des „ quod maxime diligis, illa deſinat habere. Cum igitur his & hujuſce- „ modi verbis per ſingulos dies Epiſcopus inſiſteret, & Dunſtanus aut veris, aut veriſimillimis rationibus inſiſtentem differret; quadam vehementer die hoc cogitationis ambiguo pulſatus eſt, ut quid in vita quam maxime appetendum fuiſſet, virtus an voluptas, uxor an virginitas, magnopere deliberaret, quem ſub tali ambiguo poſitum graviſſima febris *b* invaſit, atque ad deſperationem vitæ perduxit. Jacebat itaque ſine exſpectatione ſalutis ægrotans, nec ullum intuentibus viventis ſenſum præbens. Tunc ex inſperato revaleſcens, hic, ait, legibus voluptatis renuntio, hic me ſempiternum ſibi adverſarium promitto. Nil cum uxore federis paciſcat: ſola me virtus militem habebit. Inſanum quippe eſt illam animi mei dominatricem ſuſtinere, quæ nec viventes reddit ſanatos, & morientes relinquit deſperatos. Virginem me Virginis Filius huc uſque ſervavit, virginem me virginum regina Maria habebit. Confeſtim accito ad ſe Epiſcopo, poſtulat ſibi dilatæ religionis benedictionem dari. Epiſcopus immenſa lætitia pro ſalute ſimul & converſione juvenis perfuſus, celeriter illum *c* monachali & ſacerdotali gratia promovit, attitulans *d* eccleſiæ beatæ Mariæ virginis, cui eum ab initio parentum ſuorum ſponſio dicavit.

[Ind]icin morbo accedente,

ſit Monachus & Presbyter.

Glaſtoniæ in anguſtam cellam incluſus.

13. Conſummatis autem primis incœptæ converſationis diebus, cum eum Epiſcopus adverſus inſidias diaboli & ſermone inſtruxiſſet, & auctoritate roboraſſet; dimiſit illum proficiſcentem ad locum ſuæ generationis principium, ibique in eccleſia præfatæ Virginis manſitabat, operans ea quæ

a Idem B. Elphegum cognomine Calvum, atque Dunſtani propinquum vocat; additque Dunſtanum conjugii deſiderio a vita religioſa primum fuiſse abſtractum.

b B. *Turgentium veſicarum dolor intolerabilis omne corpus ipſius obtexit, ut elephantinum morbum ſe pati putaret.*

c B. *emendatum Domino Monachum conſecravit*, ſine ulla ſacerdotii mentione. Auctor tertius id ait factum *legitimo tempore per canonicas ſacrorum Ordinum ſucceſſiones.*

d Ergo monachi non ſine titulis ordinabantur, id quod diſcimus ex Concilio Chalcedonenſi tit. 6. apud Criſconium in cap. 196. ubi prohibetur Presbyterum, Diaconum, aut quemlibet in gradu eccleſiaſtico ordinari *abſolute*, id eſt ſine titulo: niſi ſpecialiter eccleſiæ civitatis, aut *poſſeſſionis*, *aut martyrii*, *aut* MONASTERII *qui ordinandus eſt pronuntietur*. Itaque monaſteria inter titulos computabantur. Titulum paupertatis Mendicantes invexere: Legi in Archivo Moſomenſis cœnobii litteras dimiſſorias ad titulum Monaſterii, datas ante annos quingentos.

Digitized by Google

quæ piæ religionis norma exigebat. Cui etiam adhærentem cellam, ſive deſtinam *a*, ſive ſpeleum, ſive alio quolibet nomine rectius nominari poteſt (non enim invenio qua id appellatione quam proxime vocem) cum non tam humani habitaculi, quam formam gerat ſepulchri propriis laboribus fabricavit. Ut enim de re quam ipſe vidi teſtimonium feram, quantum mea fert æſtimatio, longitudo ejuſdem cellæ non amplius quinque *b*, latitudo vero duos ſemis pedes habet: porro altitudo ſtaturam exprimit hominis, ſi quis in defoſſa terra conſtiterit. Aliter enim neque ſatis ad pectus porrigitur: ut ſicut dixi, magis mortui videatur ſepulchrum, quam viventis habitaculum. Unde manifeſtum eſt illum neque jacendo ſomnos cepiſſe, & ſtando ſemper Deum oraſſe. Oſtiolum autem idem eſt quod paries. Quod enim ingredienti oſtium, idem ingreſſo paries fiebat. Neque verò in tantillo opere oſtium niſi in toto fieri valebat. Medium oſtioli feneſtrellas aperit, per quam lumen operanti irradiavit. Miſerum me ac peccatorem fateor inſpexiſſe ſanctum ſeſſionis ipſius locum, vidiſſe quædam etiam manuum illius opera, peccatricibus manibus contrectaſſe, oculis appoſuiſſe, rigaſſe lacrymis, & flexis genibus adoraſſe. Recordatus namque ſum, quam ſæpe clamantem me in periculis exaudierit, quam miſericorditer anxiatus fuerit: & idcirco neque lacrymis temperare, neque (ſi fieri potuiſſet) inde recedere volebam. Hæc juveni domus, hic lectus, hoc de toto mundo ſpectaculum. Sed his anguſtiis ampla & ſpatioſa urbium mœnia comparari non poſſunt, cum per eaſdem anguſtias hodie & febricitantes ſalutem obtineant, & dæmonum furores quieſcant, & plurima invalitudo convaleſcat.

AN. CHR. 988 19. Maii.

14. Verum ne paupertatem illius diabolus miſerari videretur, quem ante non ſinebat habitare in palatio, eum nunc nititur depellere tugurio. Fallax ergo fallacem hominis adopertus imaginem, ſub obſcuro veſpere cellam petit adoleſcentis, immiſſo capite feneſtræ incumbit, cernit illum fabrili opere occupatum, poſtulat ſibi quippiam operis fabricari. Dunſtanus autem neque ejus calliditatem advertens, neque importunitatem ferens, operi quod poſtulabatur animum intendit. Interim ille perverſa compoſitione verba facere, mulierum nomina inſerere, luxurias commemorare; deinde religionem oſtendere *, & denuo eadem repetere. Tum vero Athleta Chriſti quis eſſet intelligens, tenacula quibus ferra tenebat fortiter ignire, ſuppreſſis labiis Chriſtum invocare. Cumque per ſummos fines eadem tenacula candentia videret, ſancto actus furore celeriter ea de igne rapit, larvalem faciem tenaculis includit, & totis viribus renitens monſtrum introrſum trahit. Jam ſtando vires ſumebat Dunſtanus, cum is qui tenebatur a nullo pariete, tenentis ſe manibus aufugerat, tales immani rugitu fremens ululatus: O quid fecit calvus iſte, o quid fecit calvus iſte. Tenui namque ſed formoſa cæſarie erat, & ea re talia de homine clamitabat. Mane autem facto congregata eſt ad eum non parva propinqui populi multitudo, ſciſcitans quiſnam ille clamor fuiſſet, qui tanta eos „ vehementia dormientes terruiſſet. Dæmonis, ait, fuit ille furor, qui „ nuſquam me vivere ſinit. E cella quoque tentat ejicere. Caute vos a- „ gite ab illo, quia ſi vocem irati ferre non potuiſtis, ſocietatem damna- „ ti quo pacto ſuſtinebitis? Poſt hunc diem Dunſtanus quaſi in procinctu belli manere, virtutibus diabolum ad certamen laceſſere, corpus inedia macerare, animam orationibus decorare, ſciens in nulla re magis diabolum ſuperari poſſe, quam in ea quam Dominus dicebat jejunio & oratione. Unde cum pudicitia corporis tantam cordis munditiam obtinuit, ut vix eum latere poſſet, quicquid ſiniſter ſpiritus molitus fuiſſet. Fama itaque nominis ejus univerſam percurrit regionem, quæ ad viſendum hominem Dei omnium corda

Diabolum egregie excipit.

* f. offendere.

a Deſtina appellatur ſuffulcimentum ædificii ſeu eccleſiæ, apud Bedam in lib. 3. cap. 17.
b Osbertus etiam ſibi viſam dicit, eamque *nihil ultra quatuor pedes in longitudine, nec plus quam duos ac ſemis in latitudine*, altitudine *ſtaturam hominis* habuiſse.

Digitized by Google

AN.CHR. 988 19. Maii.

da accendit. Omnis ætas, uterque ſexus, clarus, ignobilis, tenuis & pecunioſus, privatus & cum poteſtate, omnes omnino Dunſtanum loquuntur, ſapientiam prædicant, virtutem magnificant.

Matrona regia ad Dunſtanum accedit,

15. Mulier quædam, nomine Elgifu *a*, regali exorta progenie, magnarum divitiarum, quæ omne ſemen regium materno ſemper affectu dilexerat, foverat, nutrierat; innixa manibus ſuorum ad hominem Dei acceſſit, ſanctiſſimo illius colloquio perfrui deſiderans: quæ cum ex ore illius verbum audiſſet, adeo delectata eſt dulcedine vitæ æternæ, ut ulterius neque domum repetere, neque loco diſcedere, ſed cum beato Dunſtano manere, vivere, mori deligeret. Proinde habitationem ſibi in affinitate ſacri templi conſtituens, audiendo verbo Dei ſedulo adeſſe, famelicis ſtipem dare, veſtem algentibus, ipſa multæ continentiæ operam dare, prorſus ad omne opus juſtitiæ promptiſſima exſiſtere. Circa venerationem beatæ Virginis MARIÆ ita fervens erat, ut in templo illius quam plures ſacri Ordinis viros locaret, quibus ipſa quæcumque neceſſaria forent ſua liberalitate exhiberet. Qua de re in tantum apud eamdem Virginem ejus merita valuere, ut ſi quando neceſſitate coacta quippiam poſtularet, vix aliqua intercedente morula ab eadem ſuſciperet. Ut enim ſine tædio legentium aliquantulam ab incœpto digreſſionem faciam, (neque enim a re quam tenemus multum deviat) dum quodam tempore præfatus Rex propter loci religionem Gleſtoniam veniſſet, illa veterem ſervare volens conſuetudinem, qua Regibus miniſtrare ſolebat; orat eumdem, ut ad ſe divertat, prandium quod ſibi paraverat dignanter ſuſcipiat: quod Rex non ſine verecundia annuens, (non enim ignorabat quid in pauperes Chriſti ipſa expenderet) præcepit regiæ miniſtrationis proviſoribus, ut ſcirent ſi omnia commode ac moderate parata fuiſſent. Illi autem circumſpectis omnibus abunde omnia eſſe renuntiant, ſi ejus tantummodo potus, qui mellis *b* ac myrti aſpergine conficitur, ſufficientiam haberent. Quibus illa: Non patietur, inquit, domina mea mater Domini mei Jeſu-Chriſti Maria, ut in omnibus rebus quæ regiam decent magnificentiam, deeſſe quippiam valeat. Et accurrens in templum beatiſſimæ Virginis, rogat per ejus largifluam bonitatem augeri quod in regali miniſterio minus videbatur haberi. Sedit itaque Rex *c* multo ſtipatus ſatellite, hauriunt miniſtri modicum illud confecti liquoris: ita vaſculum permanſit imminutum, ut mulieris Sareptenæ, vel hydriam farinæ, vel lecytum olei putares. Denique tota die de vaſculo hauriunt, tota nihilominus die inexhauſtum reperiunt. Ad quod factum Rex mente immutatus: Peccavimus, ait, nimis in famulam Dei, multitudinis noſtræ ſuperfluitate eam aggravantes. Ita dixit, poſt dictum faciem avertit, via qua cœpit profectus eſt.

B. Mariæ devota.

Regem recreat ope Deiparæ.

16. Sed jam ut id quod inſtituimus attingamus, tranſacto laborum ſuorum glorioſo certamine, gravi corporis infirmitate cœpit hæc eadem laborare: ad quam dum mærens Pater Dunſtanus intraret, poſt uberrimas alterutrarum lacrymarum inundationes, poſt humillimam piæ confeſſionis devotionem, poſt dulciſſimam de beata ſpe & adventu Domini ſalvatoris conſolationem, hortatur illam ut nudam ſe ab omni mundana ſpecie faciat, ne in tranſeunte quicquam ſuum princeps mundi inveniat. Cui illa: Neminem, inquit, in mundo ſicut te chariſſimum habeo, propterea quod te præcipuum ſalutis meæ ſcio auctorem, ſalvo eo quod Deum omnipotentem totius bonitatis principatum tenere credo. Illum ergo rerum mearum heredem facio, te vero hereditatis tutorem conſtituo, ut quicquid illum cognoveris velle, tui arbitrii ſit effectui mancipare. Quod beatus Dunſtanus audiens, & quamvis invitus ejus

Ægrotans res ſuas diſponit in manus Dunſtani,

a B. appellatur *Cevvelſleda*, Osberto *Elſgiva*, aliis Ælfleda. Hæc *ad occidentalem templi partem* in caſula habitaſſe dicitur apud B. qui eamdem Ethelſtani Regis *neptem* vocat.

b B. uno vocabulo medonem appellat hunc potum itemque Osbertus, qui addit, *quo Angli quam maxime uti ſolebant*.

c B. ait id factum *poſt precum Miſſarumque celebrationes*.

Digitized by Google

AN.CHR. 988

19. Maii. qui mobilia dat pauperibus.

ejus voluntati morem gerere volens, univerſas gazas ejus, quæ in rebus mobilibus ſupereſſe poterant, extemplo pauperibus erogabat: cetera autem ad eccleſiarum ſublevationem reſervabat. Jam ſol vergebat ad occaſum, & Dunſtanus nocturnas fugiens tenebras ad ſuum remeat ergaſtulum: & ecce dum oſtium eccleſiæ pſallendo præteriret, erectis ad cælum oculis omnipotentis Dei Patris, & Filii coæternum Spiritum in columbæ ſpecie videt deſcendentem, cujus corpus omni candore nitidus, alarum vero remigia ſcintillantis ignis ſplendorem per aera ſpargebant: quam ille tunc vere beatus pia mentis aviditate contemplatus, penetrale illud morientis matronæ ſubintrantem conſpicit. Concite igitur unde venerat regreſſus, videt domum divini ſplendoris fulgore ſplendeſcere, audit feminam infra ſæpta oppanſi veli gratias agentem. Miratur colloquium, ac dicendi finem patiens auditor exſpectat. Deinde levato velo penetrale ſubintrat, ſtelliferi illius nomen requirit, nuntium interrogat. Illa excellenti quadam gratia vultus perfuſa, modeſte arridens ait: Tu ſtelliferum antequam huc venires vidiſti, & nunc cui ſum locuta interrogas? Ipſe eſt qui tibi ad oſtium eccleſiæ pſallenti apparuit, qui & me de pavore imminentis mortis conterritam viſitationis ſuæ gratia conſolari dignatus eſt. Annuntio itaque omnibus amicis meis triſtandum de morte mea non eſſe, quoniam morientem me æternæ vitæ claritas ſuſcipiet. Tibi autem clariſſimo ac ſingulari amico uberes gratias refero, propterea quod tuis ſemper inſtructa admonitionibus, & adjuta orationibus ecce ad Deum vado. Unum tibi & ultimum (ſi auſim dicere) facio præceptum, ut ſummo diluculo ſacri unguinis *a* ac Dominici corporis participem me facias; quatinus his vivificis munita myſteriis, non confundar in porta, dum ibi fuero inimicis meis locuta. Cujus imperio venerabilis pater Dunſtanus annuens abiit, mane juxta condictum rediit; itaque omnia peregit, ut finita fere Miſſa, cum ipſa corpus & ſanguinem Chriſti ſuſcepiſſet, animam pariter Chriſto tradidiſſet. Qua honorifice in eccleſia beatæ Mariæ ſepulta, Dunſtanum cum de illius, cum etiam de ſui ipſius *b* patrimonio ſollicitus, (nam uterque parens objerant, nec præter eum alium heredem reliquerant) primo quidem eamdem eccleſiam vicinioribus atque uberioribus terris, quæ in omni patrimonio erant, muneravit: ceteras vero fundandis quinque Monaſteriis pro ſitu terrarum ab invicem ſejunctis reſervavit. Quæ Monaſteria ſequentium Regum temporibus in tantum per ejus induſtriam aucta ſunt, ut ſingulis complurium Monachorum turbæ ineſſent, qui omnes ſecundum Regulam ab eodem patre inſtitutam viverent.

Illa Spiritus ſancti adventu recreata,

Unctione ac Viatico munita obit.

Dunſtanus hereditatem convertit in eccleſias & monaſteria.

Arcana cælitus diſcit

17. Exinde ſanctus vir majoribus ſeſe virtutum profectibus dedens, deprecatus eſt Dominum oſtendi ſibi gloriam juſtorum: ut qui eam per fidem bene creditam haberet, per manifeſtationem cognitam dulcius amaret. Talia ex corde meditanti, aſſiſtit juvenis *c* decore inſignis, quem puerum olim in corpore ipſe puer agnoverat, & ſancta ſemper familiaritate dilexerat, referens ea quæ ſunt æternæ vitæ gaudia. Illum vero in hoc ſæculo plura paſſurum, dœmonum inſidias, malignitates hominum; poſt hæc omnia ad ſummos gradus perventurum, multa hominum millia Deo lucraturum; cumque his cæli regna ſcanſurum. Sed cum ille propter cautelam dicenti aſſenſum non dediſſet, apprehenſum illum juvenis atrium templi induxit, oſtendenſque locum eatenus inconvulſum, ait: Ut nulla te credendis his quæ audiſti dubie-

---

a Sic olim Unctionem infirmorum Viatico præponi mos erat, ut dictum eſt in Præfatione Sæculi primi. B. ſolius communionis meminit, ſed ante Miſſam & communionem ait præmiſſum a matrona balneum ad corporis lavationem. Osbertus cum Osberno convenit, & „ cum Sacramenro ſacræ inunctionis Viaticum Dominici Corpo„ ris ab ea poſtulatum ſcribit.

b Idem tradit Osbertus. Hinc patet Monachis in Anglia tunc temporis relictam fuiſſe poteſtatem hereditates adeundi, ut aliis in locis.

c „ Osberto, ad nutum Patris Dunſtani ſub regularis vitæ cuſtodia militarent. B. rem explicat his verbis. „ Oſculatus eſt illum Rex, ducenſque ad ſacerdotalem cathedram, & imponens illum in eam dixit: Eſto ſedis „ iſtius princeps potenſque inſeſſor, & præſentis eccleſiæ fideliſſimus Abbas; & quicquid tibi ad divini cultus aug„ mentum vel ad ſacræ Regulæ ſupplementum de propria adminiculatione defuerit, ego illud regia largitate devo„ te ſupplebo. Igitur poſt hæc ſervus Dei Dunſtanus jam dictam dignitatem juſſu Regis regendi gratia ſuſcepit, & „ hoc prædicto modo ſaluberrimam S. Benedicti ſequens inſtitutionem primus Abbas Angliæ nationis enituit &c.

Digitized by Google

AN.CHR. 988 19. Maii.

dubietas attingat, ante triduum Presbyter quidam hic ſepelitur qui nondum infirmatur. Exſurgens autem mane ab oratione Dunſtanus, convocatis in unum clericis, ad locum venit, poſitoque ſigno ait: Si vera ſunt quæ mihi nocturno tempore oſtenſa ſunt, ante tres dies Presbyter quidam hic ſepelietur, & nondum infirmatur. Vix illi ab invicem digreſſis, ſupervenit ejus feminæ, quam proxime laudavimus, curialis quondam Presbyter, qui facta cum clericis conventione præfatum locum in ſepulturam obtinuit, dicens: Cum me Deus e corpore migrare juſſerit, hoc in loco meas precor reliquias ſepelite. Receſſit igitur Presbyter veſpera ſanus, noctu rediit ægrotus, decubuit, agonizatus eſt, defungitur, & in loco beato Patri ſignato ſepelitur. Stupor ingens circumdedit omnes, propterea quod idem vir tam mira de loco, tempore ac perſona prædixiſſet, quæ omnia poſthæc vera ipſi & manifeſta vidiſſent. Ipſe autem de oſtenſa ac promiſſa ſibi vitæ æternæ gloria lætiſſimus efficitur: de ceteris vero non parum triſtis atque ſollicitus redditur.

ab Eadmundo in palatium accitus.

18. Defuncto autem Rege Ethelſtano, *a* frater ejus Eadmundus imperii monarchiam ſuſcepit: qui cum ſciret quanta olim virtute venerandus pater Dunſtanus in palatio fulſiſſet, quam juſtis operibus & rectis conſiliis præditus fuiſſet, ac per hoc fraterno ſemper amore illum dilexiſſet; directis ad eum nuntiis orat dignetur ad ſe venire, ut quem omnipotenti Deo noverat acceptum, eum inter regios proceres & palatinos principes *b* ſummum faceret tenere principatum. At Dunſtanus ſive præceptis apoſtolicis obedire volens, quibus omnis anima poteſtati ſublimiori ſubdita eſſe debere præcipitur; ſive regnum juſtitiæ, quod ex magna parte obſoleverat in terra

iterum inde protruditur.

Anglorum exaltare cupiens, regiis petitionibus aſſenſum tribuit, conſiſtens pro temporum viciſſitudine in palatio, & tam ipſum Regem, quam omnes Anglorum principes juſtitiæ legibus ſummittens. Sed cum fere fiat, ut ex aliorum induſtria aliorum creſcat invidia; cumque ad quam virtutem peſſimus *c* quiſque non valet aſſurgere, eam in aſſurgente conetur expugnare: iterum ſicut olim a pleriſque nobilium, in proſperos Dunſtani ſucceſſus eſt offenſum, & Regi, ut a conſortio illorum pelleretur falſa criminatione ſuggeſtum. Rex autem plus honeſto falſis favorem attribuens, Dunſtanum &

Sed Rege ex præcipitio erepto, * B. Ceodrum.

rebus & regia gratia privatum, curia proturbari jubet *c*. Sic primo, ſic ſecundo die tranſitum. Jamque tertia lux advenerat, & Rex cum ſuis venatum ibat. Nemus autem quod venandi gratia intraverat, mons Cedrorum * perexcelſus concipit, qui medio ſui interruptus, ingens baratrum & immane præcipitium de ſummo ſpectantibus oſtendit. Igitur Rex per devexa montis frœna laxare, & per devia quæque fugientem cervum inſectari. Fatigantur utrique Rex pro cervo, cervus pro ſeipſo. Omni tandem fugiendi libertate negata, beſtia præcipitium petit, ruit, ac in partes minutiſſimas conſciſſa deperit. Sequentium canum ſimilis interitus, ultimum Regem ſonipes advexit, qui viſo cominus quod præ ſe fortuna pararat, retraxit habenas, vectorem quoque reflectere niſus, cum repente ruptis frœnis, & de manu porro rejectis, volucri curſu ſeſſorem Regem equus aſportat. Quid plura? omnino de ſe diffidens, de Dei vero miſericordia nonnihil confidens, cæleſte auxilium implorat, ſicque confitendo orat. Deus Rex omnipotens, qui cum ſis ſuper omnia excelſus, humilia reſpicis, & alta ſemper a longe co-

a „ Apud B. Contigit autem iiſdem temporibus quemdam Gleſtonienſis eccleſiæ Diaconem, nomine Wlfredum, mortem ſubiiſſe temporalem, qui B. Dunſtano tempore dum viveret præclarus pariter exſtitit & familiaris amator. Hic ergo non admodum longo tempore poſt diſceſſum apparuit ei, pandens multa de cæleſtibus incognita &c.

b Nempe anno 940. teſte Vvillelmo Malmesburienſi.

c Edgarus Rex in oratione, quam ad Epiſcopos habuiſſe dicitur apud Avlredum & Harpsfeldium, ita loquentem inducit patrem ſuum Edmundum. Tu mihi, Pater Dunſtane, de conſtruendis Monaſteriis, de eccleſiis ædificandis conſilium ſalubre dediſti: tu mihi adjutor in omnibus & cooperator exſtitiſti &c.

d „ B hæc interponit. Erant autem apud Ceoderum, ubi hæc facta fuerant, viri venerabiles, regni videlicet Orientis nuntii, cum Rege tunc hoſpitantes: quos ille quaſi jam exſilio deputatus, aliud ſibi ignorans conſilium, adgreſſus eſt, id orans, ne ſe relictum a Rege ipſi deſererent, ſed ſecum ad patriam, quamvis ad incolatum, perducerent. At illi mæſtitiæ ipſius compatientes, ſpoponderunt ei quæque regni ſui commoda ſi ſecum comitatu adiret.

Digitized by Google

AN.CHR. 988 19. Maii.

cognoſcis, adeſto nunc non Regi, ſed homini ceteris mortalibus ſimili, inque ſupremo mortis periculo conſiſtenti; nec reminiſcaris injuriarum fideli tuo Dunſtano per me illatarum: quoniam ſi me ipſius meritis a præſenti morte eripueris, quoad vivam devotum me tui nominis & illius laudatorem habebis. Nec dum plene verba finierat, & (quod dictu eſt incredibile, ſed Deo nihil impoſſibile) quaſi divina manu retentum animal in ſummo voraginis fixum manebat. At ille corde pariter & ore excelſas Deo gratias referens, Dunſtanum ſuæ liberationis auctorem accerſiri jubet, & quæ per illum divinitas operata ſit, coram omni Principe exponit: & apprehenſa dextera viri oſculatus eſt eam & dixit: Agnoſco virorum ſanctiſſime, quid in te commiſerim mali, non per fidem meam quod ego voluerim, ſed quod a peſſimis hominibus coactus id fecerim. Gratias ergo clementiæ Dei, quæ non modo debitum mihi ſupplicium non inferre, verum etiam indebitum voluit beneficium prærogare, dum me a præcipitio mortis eripiens, longioris vitæ ſpatia in tuis nominibus conceſſit. Sit ergo deinceps inter nos perfectæ familiaritatis perpetua integritas, ſit diſponendis in palatio rebus libera ſemper tibi facultas, ſit in toto Anglorum imperio judicandi inter virum & proximum ejus ſumma poteſtas. Atque ut animi mei affectum circa te cognitum habeas, illum tibi locum in quo te genitum, educatum, converſatum accepi, perpetuo jure poſſidendum trado, ut quodcumque de illo velis ſtatuere, tui arbitrii ſit conſiderare. Quod ſi id cordi tuo potiſſimum ſederit, ut ejus Ordinis viros, cujus tu habitum geris, ibidem aggregare placuerit; quicquid eis in quacumque re defuerit, ego ob gratiam tui regia liberalitate ſupplebo *a*.

honorifice revocatur,

conceſſo ipſi ſolo natali.

19. Igitur Dunſtanus accepta poteſtate ſuper regiam manſionem quæ Gleſtonia vocabatur, poſt paucos dies auguſtioris eccleſiæ fundamenta jacere, officinas ſecundum exemplar olim ſibi oſtenſum conſtruere, & conſummatis omnibus magnum pariter atque egregium Monachorum agmen ibidem coadunare: quibus ipſe primus Abbas effectus, ad tantam perfectionem juſtitiæ omnes cohabitantes adduxit, ut quaſi cæli luminaria ad effugandas totius erroris nebulas, & peccatorum tenebras viderentur. Tunc ad omnes circumquaque eccleſias ex eiſdem Monachis Pontifices eligi, tunc Abbates aſſumi, tunc denique diverſorum officiorum præpoſiti inſtitui: propterea quod eſſent & religionis merito præcipui, & doctrinæ ſapientia clariſſimi, & ad catholicæ Fidei defenſionem præſtantiſſimi *b*. Sed tantæ religionis ſpiritus dæmonis malus impatiens, quo pacto virum a ſtatu rectitudinis dejiciat, quantis valet inſidiis elaborat, cujus oculis in cubiculo quadam nocte orantis immanem ſe lupum ingerit, iterumque poſt paullum vulpem blandientem confingit, quam ille ſpecierum varietatem ſubridens, O te, inquit, per omnia ſimilem tibi! o formas tuæ actioni congruas! dum in altero cruentum, in altero te comprobes fraudulentum. Vade jam inimice, quoniam in ejus nomine te vincam in lupo & vulpe, qui te in leone & dracone ſuperavit. Cernens autem ſe magnam a dæmonibus invidiam pati, nec ſuis aut filiorum ſuorum viribus ſatis confidens, adhibuit vitæ ſuæ patronum Andream Apoſtolum, ut eſſet fidus interpres apud Deum, aſſiduus in terra comes, atque in omnibus hujus mundi turbinibus cuſtos indeficiens. Hujus ipſe aſſidua protectione quaſi muro vallatus, ſecurus infra cellam agebat ætatem, excelſa mente univerſa mundi tranſſcendens, & in amore divinitatis jugi meditatione requieſcens. Unde ſuaviſſimis ſupernorum ſpirituum concentibus ſæpe intereſſe promeruit, bonam futuræ mercedis ſpem Deo tribuente: ut qui Angelorum converſationem agebat in terra, illorum ſocietatem agnoſceret in cælo. Denique cum præfato Regi Eadmundo filius naſceretur, nomine Edgarus, puer videlicet pacis ac juſtitiæ bajulus futurus, audivit idem beatus bea-

Gleſtoniæ monaſterium celebre reddit.

Dæmonis eludit terriculas.

S. Andreæ ſe committit.

Angelis familiaris.

Edgari ſortem diſcit.

a Vvillelmus in lib. 2. de Regibus cap. 7. integrum privilegium refert datum anno 944. *litteris aureis in libro Evangeliorum ſcriptum*, quem Rex ipſe dedit.

b „ Huic loco aptat Osbertus portentum de cereo illuminato, ſupra num. 4 ut ſicut ex cereo matris Dunſtani totus eccleſiæ conventus lumen amiſſum recuperavit: ita ex hoc loco, ipſius Dunſtani doctrina & inſtituto omnes eccleſias Angliæ conſtat veræ religionis lumen ſumpſiſſe.

AN.CHR. 988 19. Maii.

beatos in cælo Angelos gratulantes, & cum magna gratulatione pſallentes *a*: Sit pax, ſit magna Anglorum eccleſiæ lætitia, quamdiu puer natus regnum tenuerit, & noſter Dunſtanus mortalis vitæ metas tranſegerit. Quod dictum quanta ſit rerum veritate ſubnixum, congruus ordo præſentis lectionis faciet manifeſtum.

Abſentia videt.

20. Ea etiam tempeſtate Vir Dei precibus regiis devinctus, Bathenſem eccleſiam divinis cultibus inſtituendam inviſere pergit: ubi dum facta refectione ſolitarius oraret, repente ad ſuperna raptus, cujuſdam diſcipuli nobiliter a ſe apud Gleſtoniam educati animam innumera Angelorum frequentia hinc inde ſtipatam, atque immenſi luminis fulgore perfuſam ad cæli palatium provehi conſpicit. Moxque in manus divinæ pietatis eam commendans, dominos quoque loci ad commendandum invitat. Stupentibus quidem omnibus, & vix fidem dictis exhibentibus, velocis curſoris *b* teſtimonio, & mors & mortis hora ſecundum viri teſtificationem vera probatur.

Regis mortem prænoſcit.

21. Regreſſus autem a loco ut Regem loquendi ſibi cupidiſſimum adiret, diabolum ſcurræ ſimillimum coram equitantibus deprehendit ſaltantem, & quaſi de futuro aliquo lucro gloriantem: cujus præſentiam dum coeſſenti populo *c* indicaſſet, formamque omnium conſpectibus horribilem ex imperio denudaſſet; requiſitus poſtea quid ejuſdem monſtri tam petulans lætitia portenderet, illo mortem Regis regnique mutationem proximam eſſe denuntiat, cui mox prophetiæ rerum veritas conteſtata reſpondit. Nondum enim ſol ſepties diem creaverat, & Rex occiditur, & regnum mutatur. Ex quo ſatis eſt advertere, quanta hujus viri pectus gratia Dei regebat, qui inviſibilem hoſtem tam facile deprehendere, & ejus præſtigias tam veraciter poſſet denudare. Tranſlatæ autem ſunt exſequiæ Regis Gleſtoniam, ibique a beato Dunſtano ſub magna lugentis populi frequentia terræ commendatæ.

cujus Corpus Glaſtoniæ ſepelit. Edredo ſucceſſori charus.

22. Succeſſit in regnum jure fratris Edredus, egregius vir, homo cultor juſtitiæ ac pietatis, Deum valde diligens, & ipſe a Deo multum dilectus, ac per hoc paterno verbere quaſi bonus filius crebro ab illo flagellatus. In hujus conſpectu venerabilis Pater Dunſtanus adeo erat pretioſus, ut eum omni generi humano præferret, Principem teſtamentorum *d* ſtatueret, theſauros ei delegaret, animam, corpus, & regnum committeret: nec quiſquam in toto Regno Anglorum eſſet, qui abſque ejus imperio manum vel pedem moveret. Proinde Dunſtanus quaſi Rex & Regis Imperator effectus, virgam æquitatis, virgam regni Dei per omnes Anglorum fines extendere, eccleſias quas aut ipſe fundaverat, aut ab aliis fundatas egeſtas oppreſſerat, amplis hereditatibus munerare, prorſus magnam populis lætitiam in ſua potentia facere, dum pax & juſtitia in mutuos amplexus converterent, & oſculandi munus pro invicem libarent.

Elfego mortuo ſedem Wintonienſem recuſat.

23. Dum hæc ita geruntur, Elfegus *e* apud quem illum olim converſatum fuiſſe prædiximus, ad vitam ſpiritualis ſæculi diſpoſitus eſt. Exiſtimans autem Rex tempus ſe opportunum accepiſſe, quo majoris honoris Dunſtanum compotem faceret; aggreditur rogare illum, ut eccleſiam paſtorali ſolatio deſtitutam ipſe Paſtor ſuſcipiat. Sed cum videret ſe quod perſuadebat perſuadere non poſſe, Reginæ matri Eadivæ * verbum impoſuit ſuadelæ. Scio, inquit, chariſſima mater ac totius Imperii Anglorum Regina, quod te communis noſter amicus Dunſtanus præcipue inter homines diligat, in

* B. Ælpvvolduy.

---

a Hæc apud Vvillelmum in lib. 2. de Regibus cap 8.

b B. ait Ceolvvium Præpoſitum, qui res monaſterii cum Dunſtano tractaturus advenerat, rem comprobaſſe.

c B. unum memorat Ælſtanum, Dunſtani itineris comitem, qui cum dæmonis præſtigias non videret, orante Dunſtano cernere meruerit Eadmundi Regis cædes accidit anno 946 a latrunculo perpetrata, nomine Leof, apud Vvillelmus in lib 2. de Regibus cap. 7. Sub idem tempus, id eſt anno 948. Dunſtanus Abbas *ſubſcribit* diplomati pro Crulandenſibus apud Ingulfum.

d „ B rem explicat. Commiſit illi Rex optima quæque ſuppellectilium, quam plures ſcilicet rurales „ chartulas, etiam veteres præcedentium Regum theſauros, necnon & diverſas propriæ adeptionis ſuæ gazas „ ſub munimine monaſterii ſui fideliter cuſtodiendum.

e *Eatbel .... Chyrdionenſis eccleſiæ Præſul dicitur* apud B. Vvintonienſem fuiſſe patet ex ſuperiori num. 12. idemque probat hoc loco Osbertus, qui Elſanum pro Dunſtano ordinatum addit.

Digitized by Google

in tuis quam maxime operibus delectetur, dum quicquid pro conſilio vitæ æternæ ipſe tibi præceperit, ſive id eſſet ſuſtentatione pauperum, ſive in muneratione eccleſiarum, tu ſedula ſemper exſecutione implere non ceſſaveris. Qua de re magna animus meus ſpe detinetur, ut ſi quid ab eo quod me atque illum deceat poſtulaveris, nulla tibi ratione denegare velit. Decere autem utrumque noſtrum, ut ſummum ipſe attingat ſacerdotium omnibus manifeſtum eſt, qui omnes honores vita & ſapientia illius ſcimus eſſe inferiores, & Regem Anglorum multis ceterarum terrarum Regibus noſcimus potentiorem. Aggredere igitur mi dulciſſima, hominem feminali facundia, & hortare ea qua apud illum niteris gratia, ut tibi conſentiat, quatinus ex hoc Deo familiarius adhærere, & nos potentius valeat a peccatorum vinculis abſolvere. Paret itaque Regi filio mater Regina, Dunſtanum adſciſcit convivio, demulcet alloquio. Sed ille juxta etymologiam nominis „ ſui ut mons perſiſtens, immobilis, Nolo, ait, domina, illud a me expeti, „ quod vel conceſſum meos animos perturbet, vel non conceſſum tuos offen- „ dat. Neque enim neſcio quam difficulter ſuam quiſque ante tribunal Chri- „ ſti cauſam agat, nedum alienæ cauſæ cognitor aut judex exſiſtat. Quod „ ſi iſta rationum maxima non eſſet, illa nimirum a ſuſcipiendo Epiſcopatu „ multum me cohiberet, quod dominum Regem conſtanti video languore peri- „ clitari, nec multum me ab eo ſeparari poſſe, cum me tam ſui patrem, quam „ totius regni dominum ipſe ſtatuerit. Cumque illa reſtitantem ſuis adhuc rationibus tenere voluiſſet, motus ille aliquantiſper, Certiſſimum, inquit, habeto in diebus filii tui pontificali infula me non eſſe ſublimandum. Inde fluctuantes animos gerens cubiculo ſe dedit, ibique ſecum multa volventi ſomnus obrepſit; & ecce adſunt principes regni Dei & judices ſæculi, venerabiles Chriſti Apoſtoli Petrus & Paulus cum ſancto Andrea, quaſi de urbe Roma eidem egredienti occurrentes, & ad Montem-gaudii ſibi ſe adjungentes, a quibus gratioſiſſime ſalutatus, videbat ſingulos in ſingulorum manibus gladios enitere, quos omnes officioſa benignitate ſibi obtulere. Cumque viſum per extenſos ante ſe gladios duceret, hanc in gladio beati Petri legebat ſcripturam aureis litteris intextam: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Ceterorum vero gladii propria tenentium illos nomina habebant inſcripta, Pauli Paulus, Andreæ Andreas. Interea Andream exhilarato vultu adſpicit conniventem & evangelicis verbis audit præcinentem: *Tollite jugum meum ſuper vos, & diſcite a me quia mitis ſum & humilis corde, & invenietis requiem animabus veſtris.* Tunc a beato Petro juſſus lævam extendere, modicum crepitantis ferulæ ictum excepit, hoc ab illo audiens: Hoc tibi ſit & pœna abjecti & ſignum ulterius non abjiciendi pontificatus. Ad cujus virgulæ tactum a ſomno evigilans, divinitus ſe intelligit viſitatum: agit gratias Deo cujus munere ita ſe conſpicit honoratum. Cumque die illuceſcente Regi quæ viderat enarraſſet, miratus ille tali enodatione viſionem abſolvit. Quoniam per arma apoſtolicæ benedictionis poteſtas exprimitur pontificalis, noveris te, pro eo quod heſterno die jugum Domini contempſeris, increpatum, ac divina electione futurum Pontificem deſignatum. Porro quod in principio erat Verbum gladio beati Petri Apoſtoli inſcriptum vidiſti, cum Verbum Dei ſit unigenitus filius Dei, Deus, apud Deum ſemper, homo autem pro hominibus inter homines factus; profecto ſcias te ejus ſedis principem futurum, quæ Chriſti nomine in urbe Cantuariorum ceteris eccleſiis inſignior celebratur. Hoc ſigno divinæ prænuntiationis Dunſtanus eſt glorificatus, & hac regiæ interpretationis conjectura pontifex deſignatus. O ſignum inſigne! O gratiam gratis homini datam! O cordis ejus ſinceram puritatem! Adhuc ſummus Anglorum pontifex Odo in humanis rebus vitam agebat, & Dunſtanus in oculis ſuperni inſpectoris ſummus pontifex erat. Mirandum valde quod ipſe adhuc terrigena angelicis concentibus admiſceretur in cælis, mirandum nihilominus quod eum cæli cives frequentabant in terris. Quid cui præponam hominem cælicolis

AN.CHR. 988 19. Maii.

Viſo arguitur.

Digitized by Google

AN.CHR. 988 19. Maii, colis adjunctum, an cælicolas homini deſtinatos, non ſatis comperio: niſi quod in altero felicior, in altero erat ille ſecurior. Stupeant alii diverſas diverſarum virtutum donationes quibuſdam hominibus divinitus collatas: ego nihil ita magnipendo, quomodo hominem in hujus mundi turbinibus conſiſtentem, univerſa mundi animo tranſcendentem, & in amore Conditoris quieſcentem, Martham videre miniſterio, Mariam deſiderio, fidem operantem, charitatem ardentem. Sed nihil diximus, niſi ea quæ reliqua ſunt dixerimus.

Edredi Confeſſor. 24. At Rex Edredus letali morbo *a* correptus decidit in lectum, nec ullam evadendæ mortis ſpem medici promittebant. Celeriter itaque nuntios legat, qui patrem vitæ ſuæ Dunſtanum accerſiant, ut ſit ultimi arbitrii teſtis, confeſſionum ſuſceptor, & fidelis apud Deum interceſſor. Contriſtatus ergo ad animam Dunſtanus quanta velocitate potuit, amicum Regem inviſere pergit. Videns autem Deus illum & cordis dolore affligi, & corporis laborem pati, non eſt paſſus ut ultra illum afflictio tangeret, quin & dolorem lenivit, & laborem imminuit. Nam cum eſſet in itinere tendens ad palatium, & membra jejuniis confecta infatigabiliter fatigaret, vox de ſummo mortui funus curat. æthere delapſa inſonuit: Ecce Rex Edredus obdormivit in Domino: cujus vocis emiſſione equus cui inſidebat percuſſus interiit, comites tremuerunt, audientes quidem fragorem tonantis, ſed quid tonaret non intelligentes. Quibus ipſe rem aperiets, commendat animam defuncti Regis in manus æterni Regis, ſtatimque deferentibus nuntiis audit quod ante ſibi de cælo Angelus abſolvit. Ingreſſus ergo palatium Dunſtanus, contemplatur dilecti hominis cadaver jacere, comitum turbas, qui aurati olim ſolebant aſſiſtere, procul recedere: miratur commutationem, miſeratur conditionem. Deinde fidem qua viventem dilexerat, defuncto quoque impendere ſtudens, corporis involucrum in ſua ſuſcepit, debitumque ſepeliendi officium debito illi honore perſolvit.

EdvviiRegis ob malos mores, 25. Poſt hunc ſurrexit Edvvi filius Edmundi Regis, ætate quidem juvenis, & nulla regnandi gratia pollens, qui neque ipſe ſapiens, neque ſapientium conſilio acquieſcens, ſed alter Roboam deſpectis majoribus natu puerorum conſilia ſectabatur. Hos ille pernicioſiſſimos ſatellites nanctus, & eorum non tam conſiliis quam inſaniis fretus, optimum quemque rebus exſpoliare, locupletes proſcribere, exheredare eccleſias, detrahere religioni, multiplices in civitatibus exactiones exercere. Nec ſolum alienis ab ejus cognatione illius obfuit crudelitas, verum etiam Neronis more in homines ſua ſtirpe oriundos, in ipſam quoque Regum matrem Reginam *Eadivam*, ſua dementia debacchari. Præter hæc libidine ardens, ſine intermiſſione æſtuabat ad coitum. Quibus rebus venerabilis pater Dunſtanus graviter ab eo recedit. offenſus, frequenter eum ſimul & acriter in locis opportunis increpare: Ille increpantem ridere, ſimulque illi multa mala minari. Poſtquam autem induſtriam ſuam nihil videt prævalere, omnino decernit ejus colloquio abſtinendum.

26. Itaque relicto illo, Monaſterio recipitur, ibique in tanta celſitudine Glaſtoniæ pie degit. religionis deguit, ut menſuram ſancta excederet devotio *b*. Hoc in loco turris exſtructa erat, quam necdum ulla in ſupremo cacumine tectura claudebat. Cumque populus trabem totius operis ſuſtentatricem ſummis muris applicare contenderet, repente ruptis funibus eadem trabes deorſum ruere cœpit. Clamor ingens totius populi Dunſtanum iteratis vocibus perſtrepentis. Advolat itaque ocior ſanctus, elatam dexteram machinæ opponit, e re-

a „ B. ita ut refectionis tempore cibum rejiceret præ ſtomachi debilitate. Ejus mors incidit in annum 955. „ Willelmus Malmesburienſis in lib. 2. de Regibus cap. 7. ita de eo. Ipſe interea Sanctorum pedibus acclivus, „ Deo & Dunſtano vitam devoverat: cujus monitis tortiones crebras corporis patienter ferre, orationes continuare, prorſus palatium ſuum gymnaſium virtutum facere. Deceſſit magno luctu hominum &c.

b Osbertus hic inſerit mortem Elfii monachi, qui cum Dunſtano monaſterii officinas circumiens, ter de cælo vocatus eſt, tum ſubdit Osbertus. In ipſo itaque loco, in quo Dunſtanus vocem audivit, oratorium in modum turris ædificavit ſub patrocinio B. Joannis Bapt.

Digitized by Google

regione crucem depingit. Necdum ſancta manus ſanctos contraxerat digitos, cum ea quæ vergere cœperat trabes, non vinculis adſtricta, non machinis levata, non denique ullo humani ingenii apparatu ſuſtentata ad locum de quo ruere cœperat revehi videbatur. Si tantæ gloriæ malignus ſpiritus non invideret, cui invideret? ſi tunc virus malignitatis ſuæ non effunderet, quando effunderet? Nihil ergo dubietatis ulterius de viro Dei habens, ſemel atque ſimul omnes inſidiarum ſuarum laqueos illi intendere ſtatuit. Tranſlatus itaque in ſpeciem urſi, conſimilem hianti rictu orantem *a* aggreditur, injectiſque ungulis paſtoralem, quam manu tenebat virgam, complectitur, atque ad ſe trahere conatur. At divinus Dunſtanus divinitatis ſpiritu fortiter roboratus, retractum ad ſe baculum erigit in ſublime, fugientem belluam ditiſſime cædit; nec prius monſtrum cædendo deſiſtit, quam flagellum in tergo illius tribus in partibus comminutum apparuit *b*. AN. CHR. 988 19. Maji.

27. Victus ergo in ſe diabolus, in aliis victorem ſuum vincere quærit. Neque enim rerum occaſiones longe abfuerant, quibus id quod perverſe moliebatur, in uſus malignos transferret. Nam Rege præfato eodem quo conſecratus fuerat die in turpes concubitus publice devoluto, ac per hoc omni ſenatorio ordine offenſo, nemine tamen ejus laſciviam redarguere auſo, pari ac communi omnium voto Dunſtanus *c* compellatus qui Regem conſtanter adeat, regium ſtuprum divina umanaque ratione compeſcat, mulieris adulteræ meretricium ſuſpendii comminatione percellat. Fecit hoc ille, & parum eſt hoc. Repertum inſuper cum adultera ſimul & filia illius Principem a mæchali thoro violenter abſtraxit, poſitaque in capite corona ejus ante ſummum pontificem Odonem adduxit. At ganea ſanguineos intorquens oculos, Tu, inquit, mortis me ſuſpendio addixiſti, ego te membrorum decore privatum ſempiterno exſilio damnabo: cujus invectionis tenore ſpiritus nequam arreptus, ultionem de viro Dei nefandæ meretricis impulſu exſpectat. Itaque mulieris animum diabolus inſtigat, Regis iram mulier *d* exaltat, ambo exilium Dunſtano intentant. Et primo quidem urgente Regis edicto omnes monaſticæ religionis eccleſiæ ſuis rebus ſpoliabantur; ut quæ præcipuæ ſemper viro fuere lætitiæ, nunc eidem quam maximo fierent mœrori: Deinde cum ventum fuiſſet Gleſtoniam, & deſcriptis omnibus ipſe proſcriptus fuiſſet, inter lacrymas Monachorum ejus manu nutritorum, inter lamenta venientium ad ſe ex omnibus locis amicorum, inter gemitus pauperum, conſuetis ſtipendiis per ſingulos dies ab illo recreatorum, audita eſt in atrio templi vox plaudentis diaboli, quaſi vox juvenculæ acriter atque minute cachinnantis: quem Sanctus ſevera fronte ſuſpiciens, Nihil, ait, ſuper exſilio meo gratuleris, quoniam plus eſt quod me redeunte doleas, quam quicquid me exſultante lætari valeas. Ad quod dictum pallidi regni pallidus miniſter abſceſſit. Dunſtanus autem non immemor quid ſibi divinus olim Citharœdus præcinuerit, immo Dominicæ memor promiſſionis, qua beatos fore qui pro juſtitia perſecutionem patiuntur, Chriſtus aſſeruit, marinis ſe fluctibus tradit, contrarium littus in gente Flandritarum attingens ubi eminenti coram Principe terræ illius gratia inventa, manebat in monaſterio ſancti Petri quod ſitum eſt Gandavi, propterea quod illud ceteris illius regionis Monaſteriis & profeſſione virtutis, & Philoſophiæ documentis excellere videbatur. Nec tamen ceſſat veſana furentis mulieris inſania, quæ omnibus qui virum Dei tempore ſuæ receſſionis hoſpitio foverant, perſcrutatis, proſcriptis, damnatis, ipſius quoque oculis eruendis malignos tranſmitteret miniſtros. Verum, miſerante

Regis amores inſectatus.

in exilium agitur.

apud Gandavum degit.

 divina

a B Scribit id accidiſſe oranti *ante altare martyris Chriſti Georgii*.

b Osbertus addit Dunſtanum feciſse ſibi alium ſcipionem *craſſum & fortem*, ac illius ſummitatem argento circumpoſito decoraſſe, quod in modum concavæ ſphæræ ſuperne formatum, dentem beati Andreæ Apoſtoli geſtabat incluſum, tum ad munimen contra dæmones, tum ob amorem in Apoſtolum.

c „ B. Et cum vidiſſet ſummus Pontificum Odo Regis petulantiam maxime in conſecrationis ſuæ die, ... ait „ Coepiſcopis ſuis, & Principibus ſuis: Eant oro quilibet ex vobis ad educendum Regem ... ad extremum vero „ elegerunt duos, quos animo conſtantiſſimos noverant. Dunſtanum ſcilicet Abbatem, & Cynevvium Epiſcopum ejuſdem Dunſtani conſanguineum. Osbertus Kinſvinum vocat.

d „ B. Æthelyum. Sic erat nomen ignominioſum mulieris. Chronologia Saxonica hoc Dunſtani exſilium refert ad annum 955.

Digitized by Google

AN.CHR. 988 19. Maii.

divina clementia cujus numquam auxilio deſtituebatur, ante illum Gallia ſuſceperat, quam æquoreos ſervi Jezabelis fluctus attigiſſent. Exſulat itaque ſanctus nulla exſilii per gratiam Dei damna deplorans; dum ſuis meritis ita ſibi omnes devinciret, ut patriam eſſe exſilium putaret. Super hæc illum amici Apoſtoli conſolatio fovet, qui nullius rei quam ipſe expeteret eum indigere permiſit, *a*.

Edvvio Rege fugato,

28. Reſpiciens ergo Chriſti clementia Anglorum populum tanto patrono deſtitutum, ſuſcitavit corda virorum ab Humbre fluvio uſque ad flumen Tamiſium, ſupra quod urbs Lundonia eſt fundata, adverſus impium Regem Edvvium: qui omnes quaſi in unum hominem tranſlati, non modo regnum ipſius abjicere, verum etiam ipſum regno expellere moliti ſunt, propterea quod in commiſſo regimine inſipienter egiſſet, ſapientes diſperderet, ignaros boni ſuis conſiliis adſciſceret, prorſus libidine atque arrogantia præceps abiret. Coacti itaque in turbam Regem cum adultera fugitantem, atque in inviis ſeſe occultantem armis perſequi non deſiſtunt. Et ipſam quidem juxta Claudium *b* civitatem repertam ſubnervavere. Deinde qua digna fuerat morte mulctavere. Porro Regem per diverſa locorum ſemetra deviantem ultra flumen Tamiſium compulere. Deinde accito fratre illius optimæ indolis adoleſcente, nomine Edgaro, quem futurum Regem cæleſti quondam oraculo deſignatum fuiſſe prædiximus, dum pacem regnique ſalutem ſuis ac Dunſtani temporibus Angeli prædicarent, ſtatuunt illum Regem ſuper omnes provincias ab Humbre magno flumine uſque ad flumen Tamiſium: quo flumine amborum regnum ab invicem dirimebatur. Ita regnum quod unum fuerat, in duos Reges diviſum gravibus aliquantiſper conflictibus bellorum ſudabat, impleta tunc veridica illa Salvatoris ſententia, qua omne regnum in ſeipſum diviſum aſſerit deſtruendum, & domum ſuper domum eſſe caſuram. Edgarus quotidie erat proficiens, ut David, pietate ac fortitudine, atque, ut Salomon, ſapientia, divitiis & gloria: domus autem Edvvii in dies decreſcere, cum ipſe in flagitiis creſcere non deſiverit.

Edgarus regnat.

Dunſtanum ab exſilio revocat.

29. Poſt paucos autem electionis ſuæ dies præcepit Edgarus diarcha totius regni ſui conſilium celebrari, in quo annihilatis omnibus quæ a fratre ejus iniquis fuerant legibus decreta, ac reſtitutis omnibus quæ violenta illius fuerant damnatione ablata; Dunſtanum quoque venerabilem Abbatem in magna gloria de exſilio *c* revocavit, & majore, quam ab omnibus ante Regibus honoratus fuiſſet, gloria ſublimavit. Cui etiam ut Pontificale decus ſuſciperet vehementi petitione imminuit: nec antea precibus quieſcere voluit, quam illum a ſententia ad conſentiendum retraheret, & eccleſiæ Wigornienſi, quæ ſub honore beatæ Virginis Mariæ pollebat, Pontificem præficeret: qui dum Doroberniam ſacrandus adveniret, & recitata petitione cleri ac populi ſummus Dei ſacerdos Odo gaudenter annuiſſet; mirabile dictu! ceterum conſecrationis miniſterium, non quaſi ſuper Antiſtitem Wicciorum, ſed ſicut ſuper Archiepiſcopum Cantuariorum mirabiliter atque hilariter abſolvit. Qua de re a circumſtante clero reprehenſus, quod contra Patrum decreta ageret, qui unius eccleſiæ duos prohibent eſſe Sacerdotes, nec per jus hereditatis fieri electionem ſucceſſionis; tale fertur reſponſum dediſſe: Si divinis humana non cederent, jure mihi hominum auctoritas prætendi poſſet. Nunc vero

Wigornienſis eccleſiæ Epiſcopus ordinatur ſub titulo Archiepiſcopi Cantuar.

---

a B. addit quoſdam perſecutores fruſtra conatos eum avellere a Monaſterio, idque viſo ſignificatum Dunſtano. Osbertus rem explicat, aitque fuiſſe quoſdam e Fratribus Gleſtonienſibus, qui eum ab iſtius cœnobii prælatione deponere volebant, quod Deus averterit.

b „ Osberto, juxta civitatem Glavvornienſem, vulgo Glocester.

c Nempe anno 957. ex Chronologia Saxonica non anno 959. ut apud Spelmannum & alios. Quod vero de Dunſtani ordinatione ſubditur, eodem fere modo legitur ſupra in Vita S. Odonis Archiepiſcopi Cantuarienſis. Id „ factum in conventu apud Bradanford ex B. ubi Dunſtanum ait prius ordinatum fuiſſe ad Epiſcopum, ut Regi „ eſſet a conſiliis, dein admotum Vvigornienſi eccleſiæ mortuo Cynevvaldo. Poſtea factus magnus ſapientium „ conventus in Brandanford, & eo in loco omnium ex electione ordinatus eſt Dunſtanus ad Epiſcopum, eotenus „ maxime, quo regali præſentiæ propter provida prudentiarum ſuarum conſilia jugiter adfuiſſet.... Deinde paſtor Vvigornienſis eccleſiæ, utpote Cynevvaldus morte mortalium curſuque vitæ temporalis educto ſuccubuit, „ & ſuſcepit beatus Pontifex Dunſtanus conſtitutus a Rege hanc eamdem eccleſiam &c. Ita B. qui Regis ataviam ab exſilio cum Dunſtano revocatam dicit. De Kenevvaldo ſuperius.

Digitized by Google

vero quoniam auctor omnium Deus eſt, non poſſum illud non facere quod faciendum Spiritus Dei dignatus eſt præcipere. Erit namque beatus iſte proximus poſt mortem meam hujus ſedis Archiepiſcopus, & adverſus mundi principem fortiſſimus præliator. Hac ille ſummi Pontificis ratione defenſus procedit ad populum, ſummus & ille pontifex Cantuariorum prætitulatus, geſtans inſignia Aaron, non legis velamine adumbrata, ſed divinæ propitiationis munere per gratiam Chriſti inſignita. Inde ad eccleſiam quæ ſibi fuerat conſignata reverſus, atque in cathedra Pontificali ſublimatus, recordatus eſt quid olim exſultanti diabolo promiſiſſet, cum illum regalis impietas exſilio adſcripſiſſet. Itaque obviis in illum manibus inſurgere, membra ejus Evangelico gladio dividere, & oves quæ circumquaque errabundæ ferebantur, ad Dominicum ovile revocare. AN.CHR. 988 19. Maji.

30. Interea mortuo impiiſſimo Rege *a* Edvvio, atque in ſortem malignorum ſpirituum translato, Dunſtanus in eccleſia cui præerat Deividis meditationibus inſerviebat, nihil ſciens quid de Rege actum fuiſſet: & ecce tartarea cohors ſub ejus aſpectu exſultando quaſi chorum ducere, & veluti de capta præda lætas victorias agere. Perſcrutatur itaque ſanctus cauſam lætitiæ, audit Regem obiiſſe, animam illius gehennalibus ſtatim incendiis tradendam: ſed prius hoc Dnnſtano ex divino imperio nuntiandum. Motus itaque pietate Dunſtanus ſolo tenus proſternitur, largifluus ex oculis lacrymarum imber producitur; pulſat Deum precibus, nec ab illo orando quieſcit, quouſque ſpiritum Regis liberatum agnoſcit. Brevi autem morula peracta redit triſtis legio infernalis, magnoque clamore in has voces erumpit: O te hominem hominum, o fidei alienum, o noſtris beneficiis ſemper ingratum! nos detulimus obſequium, tu nobis retuliſti ſupplicium, ad ulciſcendas injurias tuas de regione tenebrarum venimus, & ecce adverſis imprecationibus tuis confuſi redimus. Cumque ille depromendæ veritatis præceptum dæmonibus indiceret, agnoſcit animam Regis angelica virtute illi ſublatam ad ſtatutum terminum ſub ſignaculo ſervatam: nihil juris in illam dæmones habere, ſed in ſortem pænitentium animarum eamdem cedere. Tum ille exſultans in Domino, furores illorum tali ratiocinatione compeſcuit. Quid, inquit, injuſti actum eſt vobis? Si peccavit homo iſte, in Chriſtum & in me peccavit. Sed quoniam meas propter Chriſtum dimiſi injurias, dimiſit & ſuas Chriſtus, cum ejus ego clementiam deprecatus ſum. Quod ergo Chriſtus & ego dignati ſumus clementer indulgere, eos qua temeritate audetis improbe reprehendere? Qua ſententia tetri ſpiritus quaſi parthica percuſſi ſagitta, muſcarum modo a vento raptarum diſſiliunt.

Edvvii animam a pœnis liberat. * liberat.

31. At Edgarus totius imperii monarcha effectus, cogitabat beatum virum ſuper omne regnum conſtituere, nolens in regno ſine illo creſcere, quem ante regnum præ ceteris ſtuduerat familiarius diligere. Unde appoſito patribus ſuis Lundonienſi Epiſcopo, rogatu Regis ac Principum Dunſtanus ſucceſſione donatur, annuentibus quoque omnibus ejuſdem urbis habitatoribus, & importunis vocibus illius nomen acclamantibus. Audierant namque quam fuerat a primæva ætate Deo acceptiſſimus, quam in illa cui præerat eccleſia ſollicitus, quam denique in omni re bona & optima probatiſſimus: & ea re noluerunt habere alium cum poſſint habere lectiſſimum. Neque illum juvit excuſatio Canonum auctoritate prætenſa, qui ſicut eccleſiam unam duobus eſſe Epiſcopis contradicunt, ita duas eccleſias uni Epiſcopo fieri poſſe non permittunt: Cum Joannes, inquiunt, dilectus Domini ſeptem eccleſiis atque Epiſcopis earum præfuerit, & beatus Paulus omnium eccleſiarum ſollicitudinem ſimul & magiſterium habuerit. Talibus beatus Pontifex rationum teſtimoniis victus, Lundanæ urbis Antiſtes inthronizatur, non relinquens eam quam ante habuerat eccleſiam, ſed utrique præſidens, utramque regens, utriuſque verus ac proprius pontifex exſiſtens. Habes

Londoniæ ſedem accipit.

a Ejus mortem revocant ad annum 959. *Vvintoniæ* in novo Monaſterio tumulatus eſt, teſte Vvillelmo in lib. 2. de Regibus Anglorum cap. 7.

AN.CHR. 988 19. Maji.

bes ergo, ſanctiſſime pater, gladium Pauli, quem tibi cælitus deſtinatum olim ipſe detulerat, & ad dividendos Eccleſiæ inimicos habendum tradiderat. Et quamvis prior tua pontificalis poteſtas non abſque vigore evangelicæ diſciplinæ adminiſtrata ſit; non tamen eam aut gladio, aut perſona præſidentis præmonſtrari oportuit, propterea quod neque virginem gladius decet, viros autem decet: neque mutando locum mutaſti obſequium; cum a Virgine Matre Domini tranſires ad Apoſtolum Domini, a Vvigraciſtra ad Lundoniam. Accingere ergo, bellator fortiſſime, accingere gladio potentiæ Dei, factus potens per eum qui ſupra femur quoque eſt potentiſſimus, ad dimicandum adverſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus. Divide illos qui per nefarium ſcelus illicito abutuntur matrimonio, nec te revocet ab inferenda ultione aut regalis poteſtas, aut Romani Pontificis ſingularis ſublimitas. Da ſententiam in populi ſeductores argentarios, & non prius ad ſacrum altare die Pentecoſtes oblaturus procedas, quam & illos vindicta feriat, & populo Dei juſtitia proveniat. Ubique tuarum ſigna virtutum relinque, ubique Dominicæ crucis trophæa erige: promereberis etenim poſt modicum gladium Petri, in quo innumera, ſicut Petrus, omnium generum animalia occides, & in corpus Eccleſiæ manducando trajicies. Promereberis, inquam, gladium Petri, inſignitum nomine omnipotentis Filii Dei, ut in omni Anglorum latitudine ligandi ſolvendique poteſtas per illum tibi augeatur, nec valeat in ovile intrare ovium, qui te ductore non aſcenderit per oſtium. Quam merito oſtium horrei Dorobernia ſonat, ut horreum ſit amplitudo imperii Anglorum, oſtium vero principatus Eccleſiæ Cantuariorum.

Odone mortuo, 32. Exceſſit ergo humanis rebus, deductus Angelorum manibus ad paradiſum princeps Sacerdotum Odo, vir clarus ſapientia, & virtute laudabilis, & niſi Dunſtanus ſuccederet, ab omni Anglorum orbe *a* ſemper deflendus. Poſt cujus obitum, cum Rex Dunſtanum adjuraret, ut princiceps fieret ſacerdotum, nec ille adjuranti ulla ratione aſſenſum accommodaret; aſſiſtunt quidam, itemque Elfſino, quorum manus Vventoniæ Epiſcopus Elfsinus impleverat, poſtulantes confirmari illi ſummum ſacerdotium. Hic enim & ante Odonem ſummum ſacerdotium ambierat: ſed cuſtos eccleſiæ ſuæ Chriſtus ambitionem illius impediebat. Itaque Rex eos qui muneribus Pontificis corrupti fuerant, nihil ſuſpiciens, & ob hoc ſimplici eos animo exaudiens, orbatam paſtore eccleſiam eidem tradidit gubernandam. Sed cum Romam profectus fuiſſet, ut pallium a ſede apoſtolica ſuſciperet; gravi inter Alpes frigore correptus miſere interiit, digna ſibi ultione divinitus recompenſata: ut qui ab amore cæleſtium friguiſſet in corde, per frigoris aſperitatem periret in corpore, & qui alienos honores ambire præſumpſiſſet, ipſe in aliena regione mortuus, honorem pariter & vitam amitteret. Iterum preces de archiepiſcopatu Dunſtano funduntur, nec quicquam in animo illius confeſſionis operantur. Quapropter deligitur ad patriarchatum Cantuarienſis eccleſiæ Berthelinus Dorſacenſium Epiſcopus, (Berthelino ejecto.) homo manſuetior quam induſtrior, & qui ſuæ magis quam alienæ vitæ noſſet conſulere. Is poſt paucos ſuſcepti pontificatus dies, cognitus quod ad tantam rem minus eſſet idoneus, juſſus a Rege & omni populo, Cantuaria diſcedit, atque ad relictam nuper eccleſiam ſuam non ſine verecundia redit. (Cantuariam transfertur.) Dominus namque agebat pro Dunſtano, ut impleret verbum ſuum, quod promiſerat in manu principum regni ſui. Advertens autem Rex Edgarus horum reprobationem, melioris eſſe vocationem, ſolumque in omnibus hominibus eſſe Dunſtanum, cui nemo conferri, immo omnibus poſſet præferri: tertio illum precibus fatigatum, tandemque cum ſui ipſius, tum omnium Epiſcoporum importunitate ſuperatum, primæ metropolis Anglorum primatem ac Patriarcham *b* inſtituit, quem ſtatim ob robur apo-

a Huc pertinent Vvillelmi verba in Odone. *Quantulum autem eſt teſtimonium quod ei perbibet Oſbernus, qui eum dicit pro ſanctitate ſua & induſtria ab omni Anglorum orbe ſemper deflendum niſi Dunſtanus ſucceſſiſſet.*

b Anno 961. Odonem mortuum, & Dunſtanum ei ſubrogatum fuiſſe docet Chronologia Saxonica, quam aliis auctoribus in Odonis actis prætulimus. De pallio actum ſupra in Obſervatione 12.

Digitized by Google

apoſtolicæ fidei vel auctoritatis ad Romuleam urbem profectum, Romanus Pontifex *a* videre promeruit, eumque ſacris pontificalibus decoratum, quaſi Angelum Domini exercituum, ad exhibendam divinæ Legis ſcientiam, aut quaſi columnam lucis ad illuminandam faciem terræ, genti Anglorum transmiſit. Ecce quemadmodum impleta ſunt, quæ per gladium verbo Dei inſcriptum, ac beata principis Apoſtolorum Petri legatione exhibitum, tanto ante prænuntiata fuerunt. Sed quid ſibi vult quod de manu tertii Apoſtoli tertium gladium acceperit, cum in eccleſia quæ ſub ejus nomine apud Roveciſtram venerabilis habetur, pontifex nequaquam ſederit? Sedit plane poteſtate, etſi non corporali ſeſſione: ſedit, inquam poteſtate, imperio ſedit, defenſione ſedit, beneficiis ſedit. AN.CHR. 988 19. Maii.

33. Sed ne virtutum illius gratia urbs Cantuaria eſſet privata, aut augmentum ſuſcepti honoris diminutio præteritæ videretur fuiſſe virtutis; dignatus eſt Spiritus-ſanctus novis quibuſdam gratiæ ſuæ principiis ita virum in eccleſia Salvatoris clarificare, ut mirabilis ipſe extra hominis naturam videretur eſſe. Nam cum die adventus ſui primo ſacris altaribus aſſiſteret, & populo Dei vivificum panem diſtribuendo porrigeret; repente contecta nube domo, columba in Jordane a Joanne olim viſa iterum apparuit, quæ quo uſque ſacrificium eſſet conſumptum ſuper illum manſit. Cumque conſumptum eſſet ſacrificium, requievit ſupra memoriam beati Odonis, quæ ad auſtralem partem altaris in modum pyramidis exſtructa fuit: ex qua die ita pontifex meritum ejuſdem hominis Dei reveritus eſt, ut numquam pertranſiret niſi genua flecteret, bonumque illum vocaret, ita dicens: Hic requieſcit Odo bonus. Columba inter ſacra illuſtratur.

34. Per idem tempus quidam magnus videlicet & potens Salvatori ædiculam inſtituit, ad quam ſacrandam, & jure proprio poſſidendam venerabilis pontifex Dunſtanus invitatus acceſſit: ubi cum ad miniſterium dedicationis aqua defuiſſet, ac per hoc invitatori verecundia acceſſiſſet, ad vocem viri, quam per naturam non habuit, per gratiam Dei arida rupes aquam profudit quæ de eadem rupe uſque hodie manans *b*, ac ſalutiferum fidelibus poculum præbens, Dunſtani nomen celebre facit. Aquam ex rupe elicit.

Dunſtanus igitur candida apoſtolatus ſui ſtola a Romano (ut diximus) Pontifice infulatus, & univerſæ Anglorum genti, necnon & aliis regionibus Anglorum regno ſuppoſitis Patriarcha deſtinatus, feſtinabat ſingulas regionis digredi civitates, ut ſi quibus nomen fidei incognitum fuiſſet prædicaret, & domeſticos fidei Apoſtolica traditione ad bonum opus inſtrueret. Nec facile erat quempiam auditorum ejus non eſſe docibilem, propterea quod tanta illi rerum ſubtilitas inerat, tanta dicendi facultas, ut nihil eſſet aut inventu ſapientius, aut dictu ornatius, aut auditu jocundius. Cum autem a forinſecis rebus requies data fuiſſet, tunc conjunctius cum Deo manere, ſacris vigiliis inſiſtendo, divinas Scripturas legendo, aut earum codices emendado: ſummumque ſtudium erat ut numquam a divinis operibus vacaret. Sed nunc verum judicium inter virum & virum diſcernere, nunc impacatas hominum mentes placido ſermone tranquillare, horum inepta diſſolvere *c* conjungia, illorum hæreticam refutare opinionem; hic neglecta renovare, illic nova conſtruere: neque ſuperfluas ædificationes aut aggredi, aut neceſſarias prætermittere; viduis, orphanis ac peregrinis ex juſtis eccleſiæ redditibus ſubvenire; pecuniam non lucri æſtimatione, ſed pietatis acquiſitione habere: totam operam ſuam patriæ impendere, & magis repellere ejus excidia, quam propria pericula. Proinde Rex conſilio ejus, ut vitæ ſuæ credens, & omne quod ab eo diceretur, quaſi ab Omnipotentis ore prolatum fuiſſet ſuſcipiens, quæcumque ſtatuenda erant ſtatuit, quæcumque damnanda damnavit. Hoc conſiliario omnes diabolicæ malignitatis miniſtros, fures, ſacrilegos, perjuros, fidei violatores, veneficii compoſitores, libidinis

Angliæ ſtatum reformat.

Codices emendat.

a B. addit Dunſtano commeatum ob nimiam victualium erogationem, in itinere defeciſſe, ſed murmurante procuratore, Abbatem quemdam ſubveniſse.
b Idem aſserit Vvillelmus Malmesburienſis, *perennes rivos deducit ad hanc diem*.
c Quid in Comitem egerit, qni illicito conjugio addictus erat, vide Osberti fragmenta infra.

AN.CHR. 988 19. Maii.

nis appetitores; ad hoc quicumque contra patriam conſpiraſſent, qui in parentes manus extendiſſent, mulieres etiam quæ adulterina fraude viros ſuos interfeciſſent, poſtremo omnes quos irato Deo vivere ſciebat, ex omnibus regni ſui finibus proturbatos, diuturno aut perpetuo relegavit exſilio. *Hujus* quoque conſilio omnes eccleſiarum miniſtros, qui ſpreto profeſſionis *ſuæ* miniſterio, aut venandi ſtudio *a* intenti, aut quæſtuoſis negotiis dediti, ſeu concumbendi inſolentia deturpati, ætatem agere ſolebant; omnes hos aut diſtricta animadverſione decrevit coercendos, aut cita ſubverſione de eccleſiis expellendos. Ex quo factum eſt, ut quarumdam clariſſimarum miniſtri eccleſiarum, dum in eligendo quodcumque deliberarent, voluptatem honeſtati præferrent, regali ſanctione de eiſdem eccleſiis *b* expulſi, melioribus ſe & alterius Ordinis hominibus ſua loca relinquerent. Propter hæc igitur ſanctiſſimæ inſtituta diſciplinæ tantus in regno Anglorum divinitatis cultus excrevit, ut & nobiliſſimi quique, atque in ſæculo potentiſſimi, ſpretis omnibus mundi pompis, ad divina confugerent ſervitia; & hi quos eccleſiaſticus Ordo admiſerat, de virtute contenderent, ſcientes neminem ad honorem poſſe pertingere, quem non virtutum merita juvarent. Ob hujus quoque diſciplinæ excellentiam, tanta pacis conſtantia, tanta rerum exſtitit opulentia, ut omnia mundi elementa, ipſum quoque elementorum creatorem Deum regiis temporibus arridere putares. Sic pontificis ſapientia dictabat Regis juſtitiam, Regis juſtitia obtinuit Dei miſericordiam, Dei autem miſericordia omnium rerum præſtitit abundantiam.

Regem ob violatam virginem ſeptenni pænitentiæ addicit.

35. Sed hæc communia totius Eccleſiæ gaudia cupiens diſturbare malignus, accendit animum chriſtianiſſimi Regis in amorem Deo devotæ virginis *c*, ut quem a tramite juſtitiæ Dunſtanum dejicere non potuiſſet, eum quem præcipue Dunſtanus diligebat, & ſuper quem totius religionis vigor incumbebat, dejicere tentaret. Perpetrato itaque in virginem velatam peccato, atque ad publicam populi audientiam perlato, Dunſtanus tam pro culpa, quam pro infamia Regis, graviſſimo dolore affectus, mox illum veluti alterum David cum Bethſabee dormientem, alter ille, ſed longe ſeverior Nathan, intrepidus adiit, furibundus ad eum introiit. Aſſurgens autem Rex venienti obviam Pontifici extendit manum, ut eum ad regium deduceret thronum: qui renuens manum dare, oculos cum quadam animi indignatione in illum torſit, „ & ait, Tu pontificis manum audes contingere, qui virginem Deitatis mu„ nere arratam non timuiſti præripere? Sponſam Conditoris tui adulteraſti, & „ amicum ſponſi aliquo tuo obſequio exiſtimas poſſe placari? Nolo amicus eſ„ ſe cui Chriſtus fuerit inimicus. Territus ergo verborum tonitruo Rex, *objurgantis* ſe pedibus pontificis proſternitur, extemplo ſcelus *flebiliter fatetur*, veniam humiliter precatur: quod ut vidit pontifex expavit, *perfuſumque* Regem lacrymis, lacrymis & ipſe madens, tellure levavit. Deinde cum magnitudinem peccati per amplificationem expoſuiſſet, & paratum illum ad omnem ſatisfactionem reddidiſſet, ſeptennem ei pænitentiam indixit, ut in toto hoc ſpatio coronam regni non geſtaret, jejunium in hebdomada biduale tranſigeret, avitos pauperibus theſauros large diſpergeret. Super hæc ſacrandis Deo virginibus Monaſterium aliquod fundaret, quatinus qui unam per peccatum Deo virginem abſtuliſſet, plures ei per plura ſæculi volumina aggregaret. Clericos etiam male actionales de eccleſiis propelleret, Monachorum agmina introduceret, juſtas Deoque acceptas legum rationes ſanciret, ſanctas conſcriberet, conſcriptas per omnes fines imperii ſui populis cuſtodiendas mandaret. Nihil ergo reſiduum erat quod minus aut ſegnius Rex impleret, quam a rectore vitæ ſuæ præceptum fuiſſet. Septimo autem anno, cum

a Venationem die Dominica etiam Regi interdixit Dunſtanus ex Osberto infra.

b Chronologia Saxonica anno 964. Hic *Eadgarus Rex ſacerdotes civitatis*, ſcilicet Wintonienſis,, expulit de „ veteri & novo Monaſterio, & de Chaterica, & de Middeltuna, & cum Monachis conſtituit: & Ethelgarum „ Abbatem in Abbatem novi monaſterii conſtituit, & Ordbyrhtum Chatericæ, & Cynevvardum Middeltunæ. Lege acta S. Ethelvvoldi Epiſcopi Wintonienſis ſupra.

c De hac virgine lege Osbertum in Appendice hujus vitæ.

Digitized by Google

cum redeunte quaſi Jubileo termino, pænitentiæ tempus exactum fuiſſet, ſacer Pontifex, accitis omnibus imperii Anglorum principibus, Epiſcopis, Abbatibus & univerſis Eccleſiæ dignitatis Ordinibus, impoſuit Regi coronam coram omni multitudine populi Anglorum, lætantibus cunctis, & ineffabilibus jubilationis vocibus Deum in Dunſtano laudantibus. AN.CHR 988 19. Maji.

36. Interea tanta clericalis Ordo quibuſdam in locis confuſione agebatur, ut non ſolum a vita ſæcularium excellentius nihil haberet, verum etiam improbis actibus longe inferior jaceret. Qua de re Paſtores eccleſiarum turbati, Dunſtanum ut proprium Primatem adeunt, res male geſtas exponunt, correctionis conſilia perquirunt. At ille in homines nefandos „ ſuæ auctoritatis proferens ſententiam: Aut canonice, inquit, eſt vivendum, aut eccleſiis exeundum. Ex quo factum eſt ut complurium eccleſiarum clerici, dum contemnerent propoſita conditione corrigi, auctoritate Pontificis ſint expulſi, qui Rege *a* adito, vel quos Regis gratia proximos effecerat, Dunſtanum injuriarum accuſant, ſe virtutis amatores pronuntiant, ut in præſentia Regis conveniatur orant. Dunſtanus itaque his quæ quaſi rationabiliter poſtulabantur contraire nolens, coacto Concilio Vventoniam venit, ubi ex ſententia totius Concilii de adverſariis victoriam cepit. Cumque ex jure nihil ſibi ſupereſſe conſpicerent, uſi auxilio Regis & Principum, ad preces ſe vertunt, quibus Epiſcopum flagitant, quatinus intromiſſæ perſonæ de eccleſiis expellantur, expulſæ reſtituantur. Dubitante igitur viro Dei, nullumque ad rogata reſponſum porrigente, res mira & ſæculis inaudita, ecce Dominici corporis forma vexillo crucis infixa, atque in editiore domus parte locata, humanos exprimens modos, omnium compeſcuit voces dicens: Abſit hoc ut fiat, abſit hoc ut fiat. Ad quam vocem Rex, omneſque majores natu fere uſque ad exhalationem perterriti, clamore pariter & Dei laudatione aream complent. Et his quidem adverſariis viventibus ceſſatum eſt a contentionibus, quouſque per ſucceſſionem filiorum prior diſcordia renovata eſt, qui abeuntes, & iniquitatis ſuæ defenſorem Heornelinum Scotorum Pontificem aſſumentes, hominem videlicet tam ingenio, quam loquacitate fere inſuperabilem, ad hominem Dei in villam, quæ vocatur Kalne, tendunt, turgenti ſpiritu ſcandalum proponunt. Dunſtanus autem longo quidem ſenio & magnis Eccleſiæ laboribus effractus, jam præter orationem poſt tergum omnia poſuerat. Attamen ne pars iniqua divino quondam miraculo victa, nunc de adipiſcenda gloriaretur victoria, hoc in hoſtes reſponſionis jaculum vibrat. Quoniam, inquit, tanto tempore elapſo calumniæ anſam non prætendiſtis, nunc autem ſeneſcentem me ac taciturnitati operam dantem, antiquis querelis deſervire contenditis; fateor, vincere vos nolo, Eccleſiæ ſuæ cauſam Chriſto judici committo. Dixit, & quod dixit, irati Dei cenſura firmavit. Mox etenim concuſſa domus, cænaculum ſub pedibus ſolutum, hoſtes ſolo præcipitati, ac ruentium trabium pondere oppreſſi: ubi vero cum ſuis ſanctus accubitabat, ibi nulla ruinæ ſuffuſio fiebat. Clericorum ejectorum querelas refringit.

37. At Rex Edgarus immatura morte præreptus, Edvvardum filium ſuum & regni, & morum heredem reliquit: in cujus electione dum quidam principes palatini adquieſcere nollent, Dunſtanus arrepto crucis vexillo, quod præ ſe ex more * ferebatur, in medio conſtitit, Edvvardum illis oſtendit, elegit, ſacravit, patriſque ac magiſtri affectum quoad vixit, ei impendit: verſumque in gaudium eſt omnibus quod paullo ante triſte putaverant, exiſtimantes juvenem Regem inhumanum futurum, conſilia ſapientum non curaturum, ſed pro libidine omnia acturum: ſed poſtquam ſe- Regum obitus. *NOTA.

a Vvintonienſibus Canonicis quid hac in cauſa acciderit, lege Osbertum. Vvillelmus rem deſcribit in lib. 2 de Regibus Anglorum cap. 9. ubi ait, Elferium quemdam *omnia pæne Monaſteria, quæ reverentiſſimus Æthelvvoldus monachus & Vventanus Epiſcopus conſtruxerat in provincia Merciorum*, inſolenter evertiſſe ut Dunſtano inſultaret. Concilium Vvintonienſe ad annum 970. revocat Baronius, idque generale totius Angliæ dicit, & quidem juſſu Joannis Papæ XIII. convocatum; id quod ex actis S. Oſvvaldi probat, de quo infra. Circa idem tempus Dunſtanus variis diplomatibus pro cœnobio Crulandenſi ſubſcribit apud Ingulfum.

Digitized by Google

AN.CHR. 988 19. Maii. ſecus eſſe cognovere, ſecus & ipſi rem tenuere, & diſplicuiſſe ſibi Regem vehementer diſplicuit. Sed illo poſt triennii tempus novercali fraude *a* occiſo, Ethelredus frater ejus regnandi ſceptra obtinuit. Quæ res quamvis infeſto fieret Dunſtano, vel quia per effuſionem ſanguinis innocentis ad regnum perveniret, vel quia parum prudentiæ ac fortitudinis illi ineſſet, non erat tamen conſilium reſiſtere, propterea quod filius Regis, & proximus tunc heres videretur eſſe. Attamen in die conſecrationis ſuæ, poſt impoſitam coronam, fertur Dunſtanus hoc illi prædixiſſe: Quoniam adſpiraſti

Regni mutatio prædicta.

„ tam coronam, fertur Dunſtanus hoc illi prædixiſſe: Quoniam adſpiraſti
„ ad regnum per mortem fratris tui, quem occidit ignominioſa mater tua,
„ non dificiet gladius de domo tua ſæviens in te omnibus diebus vitæ tuæ,
„ interficiens de ſemine tuo, quouſque regnum tuum transferatur in regnum
„ *b* alienum, cujus ritum & linguam gens cui præſides non novit. Nec ex-
„ piabitur niſi longa vindicta peccatum tuum, & peccatum matris tuæ,
„ & peccatum virorum qui interfuere conſilio illius nequam.

Athelvvoldi & aliorum mortes prænuntiatæ.

38. His temporibus contigit Athelvvoldum *c* Wentanæ Eccleſiæ Antiſtitem cum alio quodam Roſenſi Epiſcopo Cantuariam venire, magnumque Dunſtano de adventu ſuo gaudium præſtare, propterea quod ejus cura alti, docti, ac per varias virtutum diſciplinas ad ſummos Eccleſiæ honores fuiſſent provecti. Pleriſque ergo diebus in mutua ſermocinatione ſimul & exſultatione peractis, egreditur Archiepiſcopus de civitate volens ad locum Chriſti eccleſiæ Manſionarium proficiſci. Illi vero comitabantur deducentes eum, quouſque illos via dirimeret, quæ unumquemque ab altero ſeparatum ad locum quo ire diſponebat dirigeret. Cumque imminente jam veſpera procul adhuc a loco jam diſtarent, (tardiuſcule enim quam hora poſtulabat de urbe exierant) deprecatur Archiepiſcopum Roſenſis Antiſtes, ut ad vicinum eccleſiæ ſuæ patrimonium divertat, nocturnum tempus ſecum tranſigat, mane vero, ſi ita placuerit, migrationem faciat: cui ille poſtulationi dignanter annuens ait: Si confrater noſter Athelvvoldus mecum venire voluerit, in me nulla veniendi mora erit. Aſſentiunt ergo Pontifices in eodem, pariterque paratum ſibi habitaculum ſubeunt. Jam aurea lux noctis fugaverat umbras, cum beati illi in viam progreſſi collem aſcendunt, inde ab invicem vicaria pacis relatione dividendi. Extendens autem manum ſummus Dei ſacerdos, ut coeſſentes ſecum minores pontifices benediceret, atque dimitteret; extemplo erupit in fletum, fletum adeo magnum, ut vix de ſancto pectore vocem valeret efferre. Expaveſcunt ad factum Pontifices inſolitum, fletuum cauſas ſolliciti perquirunt, & poſt modicum hoc ad quæſita reſponſum accipiunt. Ea, inquit, re fleo, quoniam vos in proximo morituros ſcio. Cumque illi referrent, Noli, ſanctiſſime pater, tam dira nobis prophetia occurrere: non enim moriemur, ſed iterum atque interum pariter nos incolumes videbimus. Tali quod dixerat reſponſione firmabat: Quod dixi neceſſe eſt fieri. Moriemini namque huic ſæculo, ſed vivetis Deo: moriemini in hac vita diutius non manſuri, ſed ad Deum vadetis æternaliter cum illo victuri. Divertunt ergo Pontifices ab invicem mærentes pro invicem, magis tamen pro ſe quiſque pio timore ſollicitus. Sed Roſenſis Epiſcopus abiens in civitatem ſuam, mox ut intravit vehementer ægrotavit, poſtque paucos dies, prout veriloquus prædixerat vates, e ſæculo migravit. Athelvvoldus vero priuſquam ad propriæ ſedis urbem veniret, ultimo corporis languore correptus, cæleſtis ſedis habitationem ſuſcepit. Super cujus morte venerabilis pater admodum contriſtatus, ſive quod ſanctiſſimæ ſemper religio-

---

a Elfreda vocatur a Vvillelmo qui in lib. 2. de Pontificibus cap. 8. ait Elfridam uxorem Regis Edgari ædi-
„ ficaſſe monaſterium Varevellæ in honore ſanctæ Crucis, compunctam privigni ſui Edvvardi nece indigna, cu-
„ cujus ipſa conſcia & auctor fuit. Joannes Bromtonus tradit Dunſtanum ante deceſſum ſuum abſolviſſe Alfri-
„ dam Reginam, quæ poſtea, inquit, cunctis diebus vitæ ſuæ in caſtitate vivens, vitam in Domino feli-
„ citer finivit.

b Id factum tempore Danorum paullo poſt obitum Dunſtani, ex ejus translatione infra.

c Ejus vitam retulimus ſupra ad annum 984. quo ejus obtum reponit Chronologia Saxonica.

Digitized by Google

ligionis fuerit, ſeu quod magnam de ſubſtituendo ſacerdote litis occaſionem viventibus dereliquerit, deprecatus eſt Dominum deſertæ eccleſiæ benignum fore proviſorem. Cui mox deprecanti adſiſtit familiaris ſuus Andreas Apoſtolus, precibus ejus Deum dicit annuere. Bathenſem Abbatem, nomine Elfegum, monet adducendum, & ex Divinitatis conſilio Vventanæ eccleſiæ Antiſtitem præficiendum. Ita quicquid rerum ipſe deſideraſſet, per interpretem Apoſtolum confeſtim a Deo conſequebatur. Sed & ille vicem honoris Apoſtolo perſolvens, in omni obſequio illi ſtudebat deferre, baſilicas in ejus nomine fabricare, fabricatas muneribus decorare. AN.CHR. 988 19. Maii.

39. Dum ergo quodam tempore præfatus Rex propter quaſdam diſſentiones civitatem obſideret Roſenſem, & facta capiendi illam difficultate, patrimonium beati Apoſtoli devaſtando invaderet; mandavit eidem beatiſſimus Pontifex ab ſtultitia quieſcere: Andream ſicut ad præſtandum facilem, ſic ad ulciſcendum virilem in promptu eſſe, ut potentiam illius ipſe experiatur, ſi hereditatem illius vexare non deſtiterit. Contemptus a Rege Dunſtanus iterum currentibus nuntiis eadem ſuggerit, inſuper argenti pondo centum tranſmittit, qui accipiens receſſit ab obſidione. Quod ſimul atque Pontifici renuntiatum fuiſſet, miratus cupiditatem hominis, hoc illi ſcribere curavit. „Quoniam prætuliſti pecuniam Deo, argentum „Apoſtolo, meæ voluntati tuam cupiditatem, velociter venient ſuper te „quæ locutus eſt Dominus mala, qualia non fuerunt, ex quo gens Anglorum „regnare cœpit uſque ad tempus illud: attamen vivente me iſta „non erunt, quoniam & hoc locutus eſt Dominus. Quæ omnia ita contigiſſe: & in annalibus legere, & noſtris temporibus eſt videre. Roſenſis obſidio. Regis avaritia punita.

40. Sed ut jam beatum illum, de quo loquimur, fidentius pro obſequio alloquamur, & ſic ad felicem ejus tranſitum madentibus oculis tranſeamus; quantæ illud contemplationis eſt, pater mirabilis, pater inæſtimabilis, quantæ illud contemplationis eſt, quam excedens omnium mortalium mentes, quod vel Dei Genitricem in hac mortali vita, vel tuam genitricem in æterna videbas vita! In cælum namque deducebaris, intereras beatis agminibus, illis oblectabaris modulationibus Angelorum eamdem genitricem tuam quaſi nuptiali thalamo æterno Regi copulantium, & ſuave *Kyrie eleiſon* [a] modulantibus organis reſonantium. Cumque de tuæ taciturnitatis ſilentio argueretis, quod inter tanta vitæ æternæ gaudia ſolus tu a divinis laudibus ceſſares, cum præcipue tibi pro honore parentis gaudendum fuiſſet; referreſque hujus tantæ ſuavitatis inſcium te eſſe; quam breviter, quamque dulciter a civibus civitatis illius edoctus in has voces cantando erupiſti. *O Rex Dominator gentium, ſalva genus Chriſtianorum in terra adhuc peregrinantium, ut & ipſi poſt inimicitias ad gratiam revertantur, & angelicæ ruinæ per illos damna reparentur.* Jam vero quibus exſultationis labiis edicam, quod Matrem Domini Salvatoris, Reginam mundi, Dominam Angelorum, virgineis oculis vidiſti, non veſtali choro circumdatam, ſed virginali corona circumfuſam! Felices oculi tui qui illam videre potuerunt, cujus caſtiſſima viſcera cæli & terræ opificem portare meruerunt! felices oculi tui, quibus datum eſt illam videre, quam ſpecioſam ſuper filias Jeruſalem Angeli venerantur, homines deſiderant, paveſcit tartarus, & omnis creatura heram miratur. Nec inde ſolummodo felix, quod illud ſingulare totius orbis decus videre potuiſti: potuiſti etiam mellifluas ejus voces audire, quibus ſocias virgines ad collaudandum Regem ſæculorum ex ſua carne temporaliter procreatum hortabatur, concinens illud viri ſapientis ac Senatoris Sedulii: Matrem ſuam in cælis videt, & B. Mariam.

Cantemus Domino ſociæ, cantemus honorem.
Dulcis amor Chriſti perſonet ore pio.

Cumque ab aliis virginibus hoc fuiſſet exceptum, aliæ qui ſequuntur verſus pronunciabant.

Pri-

[a] Id accidiſſe *in ædicula almi Patris Auguſtini* ſcribit B. Vide Osberti fragmenta infra.

AN. CHR. 988 19. Maji.

Primus ad ima ruit magna de luce ſuperbus:
Sic homo cum tumuit, primus ad ima ruit.
Unius ob meritum cuncti periere minores:
Cuncti ſalvantur unius ob meritum.
Sola fuit mulier, patuit qua janua leti:
Ex qua vita redit, ſola fuit mulier.

Atque in hunc modum totius carminis bini ac bini verſus procurrebant, illis ſemper repetitis qui primi a Matre Domini dicebantur.

Cantemus Domino ſociæ, cantemus honorem
Dulcis amor Chriſti perſonet ore pio.

Auctoris apoſtrophe. Hæc tu, Pontificum digniſſime, acutiſſima vi corporalium oculorum in ſpiritualem potentiam translatorum videre potuiſti: hæc tu intime cæleſtium arcanorum perſcrutator audire potuiſti: his tantis tamque ſtupendis rebus intereſſe potuiſti. O ſancta animi tui puritas, & pura ſanctitas, quam ſic honorat ſupernæ civitatis ſuprema dignitas! o decus ac præmium virginitatis, qui ſic aggaudet naturæ virgineæ ſimul atque angelicæ dignitati. Sed ecce ſupra vires viventium eſt viventis tui in corpore laudibus immorari: quanto minus tranſeuntis tui, & cum Chriſto æternaliter regnantis condignas laudes valebimus effari. Præſtet omnipotens Deus per potentiſſima merita tua, ut vel finem vitæ tuæ, quantulumcumque laudabili valeamus ſermone deſcribere: quatinus quem ſemper nobiſcum corporaliter viventem non licuit habere, liceat ſaltem ex conſideratione pretioſiſſimæ mortis ſempiternam tui vitam agnoſcere, agnoſcendo diligere, & diligendo beatæ mercedis aliquid per te piiſſimum patrem a Deo obtinere. Diſcant interim devoti tantorum mirabilium auditores exemplo tui ſobrie vivere, ſacras frequenter excubias celebrare, caſtis orationibus inſervire: quoniam & tu idcirco talibus tantiſque gaudiis intereſſe meruiſti, quod aliis dormientibus ipſe in ſanctis deſideriis vigilaſti, oraſti, horamque ultimam ſine intermiſſione cogitaſti. Nec tamen ſufficiens erat in ſecreto cubiculi tui iſta operari, niſi etiam nocturnis frigoribus ædem beati Patris Auguſtini *a* frequentares, & inde ad vicinum præfatæ Virginis templum hanc gloriam Dei viſurus procederes.

Anno 988. 41. Anno igitur Verbi incarnati duodecim minus a milleſimo, adventus Anglorum in Britanniam quingenteſimo ſexageſimo tertio, ſanctiſſimus, Deoque dilectiſſimus Dunſtanus tranſitoriam præſentis vitæ deſerens lucem, ad lucem beata atque æterna jocunditate præditam pervenit, ubi ſicut ſol ex claritate Dei reſplendet, & diem æternum æternaliter poſſidet, anno patriarchatus ſui triceſimo tertio *b*, nativitatis autem circiter ſeptuageſimo, cum jam eſſet omni virtutum chariſmate plenus, & Deum videndi deſiderio fatigatus. Cujus venerabilis tranſitus tam a ſe, quam ab aliis multiplici revelatione præſcitus, ſibi gaudium, aliis gravem ingeſſit mærorem. Sibi gaudium, quoniam quod per ſpem in vita jocundius habebat, id per rem ſe viſurum, & eo perpetuo fruiturum gaudebat: ceteris mærorem, quoniam qui ſimiliter divinis & humanis rationibus excelleret, neminem deinceps in terra appariturum exiſtimabant. Sed nos multiplicium revelationum multimoda relatione poſtpoſita, eorum quæ propoſuimus ſingula ſingulis tantum rationibus demonſtrabimus. Dies ergo Aſcenſione *c* Chriſti feſtivus diem clarificationis beati Dunſtani præceſſit tertius. Tantæ itaque diei ſurgente aurora, ſacerdos quidam, nomine Algarus *, doctrinæ & actionis merito præcipuus, quem poſtea nobilem in Helmeham Epiſcopum claruiſſe accepimus, dum ſacros dominicæ Aſcenſioni honores in eccleſia

præ nuntia dantur de morte Dunſtani.

* al. Elfgarus.

a Recte annum Dunſtani obitus ſignat Osbernus, nempe 988. ſed falſus eſt hic, ut initio Vitæ, in aſſignando anno adventus Anglorum in Britanniam, qui non anno 428. ut ipſe putavit, ſed anno 448. accidit, teſte Beda. Concordat dies Aſcenſionis hic notatus.

b Immo vigeſimo ſeptimo, ut legitur tum apud Vvillelmum, tum in hiſtoria ejus translationis infra. Odoni quippe Dunſtanus ſucceſſit anno 841. ex Chronologia Saxonica.

c Hæc verbatim refert Vvillelmus in lib. 2. de Pontificibus Anglorum cap. 2. ubi de Epiſcopis Helmonenſibus, inter quos quintum recenſet Algarum, cujus ſanctitatem ex hoc loco infert.

Digitized by Google

ſia Salvatoris pervigil impenderet, & mentem ad cæleſtia contemplanda extenderet, ſeipſo & omnibus hujus mundi rebus tranſcenſis, Dunſtanum pontificali throno conſpicit præſidentem, & clero jura canonica dictantem: & ecce per omnes eccleſiæ januas irruentium Angelorum infinita ingrediuntur agmina, ſtolis candidiſſimis fulgentia, coronis aureis rutilantia, Cherubim atque Seraphim *Sanctus* proclamantia, & quaſi divinum nuntium deferentia, qui dum coactis Ordinibus ſedenti adſtarent Pontifici, hoc illi ſalutationis alloquium perſolvunt. Salve, inquiunt, Dunſtane noſter, ſi paratus es veni, & gratioſus noſtro utere contubernio. Dunſtanus reſpondit: Scitis, o ſancti Spiritus, hodie Chriſtum cælos conſcendiſſe, noſtrique officii eſſe tam verbo, quam ſacramento populum Dei reficere, ideoque venire hodie nequeo. Dixerant itaque ſancti Spiritus: Paratus eſto die ſabbati hinc nobiſcum Romam tranſire, & ante ſummum Pontificem *Sanctus* æternaliter canere.

AN.CHR. 988 19. Maii.

41. Poſtquam ergo dies æternæ retributionis eſt indictus, & Dunſtanus divina fide ad conſentiendum inductus, confeſtim qui apparuerunt Angeli diſparuerunt. At ſacerdos qui rerum tam evidens contemplator exſtiterat, exitum earum ſtupidus ſimul & tacitus explorator obſervabat. Cumque inter ſacroſancta ejuſdem diei gaudia illa Evangelii lectio recitaretur, in qua Dominus noſter Jeſus-Chriſtus poſt reſurrectionem ſuam diſcipulis apparuiſſe, & exprobata incredulitate illorum atque duritia cordis, mandatum legitur dediſſe, ut in toto mundo Evangelium regni prædicarent, fidem ac baptiſmum annunciarent, ſalutem proponerent credentibus, non credentibus minarentur condemnationem; cumque ad hæc confirmanda ſignorum illis faciendorum poteſtatem delegaret, dæmonum ejectionem, linguarum novitatem, tollere ſerpentes, mortiferæ potionis virus exſtinguere, & ſuper omnem ægritudinem ſalutiferam manuum impoſitionem. Cum ergo iſta Evangelii lectio pronuntiaretur, & poſt hæc, quemadmodum videntibus illis quibus hæc poteſtas delegata eſt Chriſtus in cælum aſcenderet, ſubjiceretur: proceſſit Pontifex de ſacrario latius hæc eadem in populo tractaturus, & memoriam miſericordiarum Dei cordibus eorum arctius impreſſurus. Locutus eſt ergo qualiter numquam fuerat antea locutus, oſtendens qua ratione Filius Dei carnem induerit, cur humani generis ſalvationem non niſi moriendo compleverit, quemadmodum reſurgens a mortuis mortis principem ſuperaverit, & famulantibus Angelis cælum ingreſſus fuerit. Deinde ſanguinem Chriſti incomparabiliter omnibus creaturis docuit eſſe præſtantiorem: tantamque fiduciam in effuſione ſanguinis illius mundum habere poſſe, ut ſi unus aliquis totius mundi peccata haberet, neque de multitudine, neque de magnitudine criminum illi eſſet deſperandum, ſi mediatorem Dei & hominum haberet Advocatum. Inter hæc felicia felicis ſponſionis gaudia Pontifex ad aram reducitur, transferens omnipotentiſſimis Domini verbis ſpeciem panis & vini in veram ſubſtantiam carnis & ſanguinis Chriſti. Jamque hora benedicendi populum advenerat, & iterata vice beatus ille ad populum procedebat, volens illis abſceſſum ſuum denuntiare, ſed amore dulcedinis filiorum revocabatur. Proinde exhortatus eſt omnes, ut illuc tota mentis intentione tendant, quo caput noſtrum principiumque Jeſus-Chriſtus eadem die præceſſerat: dataque ſuper illos ſuæ auctoritatis benedictione, orabat Spiritum-ſanctum illis adeſſe quemadmodum Filius Dei promiſerat, cum redeuntem illum ad Patrem cæleſtis nubes ſuſcipiebat. *Ego*, inquit, *mittam vobis Spiritum veritatis, ut maneat vobiſcum in æternum.* Cum his igitur differendis beatiſſimus Pontifex diutius immoratus fuiſſet, videbant faciem ejus tamquam faciem Angeli Dei, ut vere ac viſibiliter eſſet agnoſcere, quod is quem invocabat Spiritus-ſanctus majeſtatis ſuæ præſentiam dignatus fuerit demonſtrare. Volente autem illo ad altare converti, ſuſpirabat populus poſt eum deſiderans adhuc deſiderabiles vultus ejus videre, & colloquio perfrui, perinde quaſi ejuſdem Spiritus-ſancti magiſterio edo-

Aſcenſionis die feſto verba facit ad populum vir ſanctus.

Chriſti Corpus conſecrat.

AN.CHR. 988 19. Maji. Mortem ſuam ſuis edicit.

edocti, quod illum ulterius in carne non eſſent viſuri. Quibus in amore æternæ Trinitatis tertio confirmatis, poſt libatum pacis & charitatis ſuæ oſculum, non valuit imminentem ſibi gloriam diutius contegere: ſed rogat ut ſui memores exſiſtant, dicit vocationis ſuæ diem inſtare, nec ſe ulterius in hoc mundo cum illis manere. Tunc tantam lugentis populi videres confuſionem, tam permiſtam lacrymis cleri conclamationem, viduarum ac pupillorum miſerabilem perturbationem, ut diem judicii adeſſe, & omnia ſæcula in ſupremam horam coiſſe putares. Sacerdos etiam qui tam mirabilem in eccleſia ecſtaſim viderat, cognito quod non in imagine, ſed in rerum veritate eamdem ſuſtinuiſſet, palam omnibus, & cum magnis gemitibus quæ viderat abſolvit, quorum mæſtitiam pater pretioſiſſimus, prout potuit, benigne conſolatus ad altare rediit, ſuſceptoque vitæ æternæ epulo, tam ſe quam omnes ſibi commiſſos æterno Paſtori conſignavit.

Cibo reficitur,

43. Inde refectionis domum lætabundus ingrediens, omnes ad ſe confluentes & cibo corporis & ſpiritualis vitæ alimonia ſaginavit. Poſt prandium vero vel magis ultimam cænam, denuo cum fratribus, eccleſiam Chriſti ingreditur, ſignatoque ſepulchri ſui loco, omnibus ad altare Chriſti aſcendentibus conſpicuo cænaculum pro modo æſtivi temporis requieturus aſcendit. Circumdat pauſantem luctifica eccleſiæ familia, quæ ſive metu ſui, ſeu morte illius turbata, horrendos lacrymando queſtus inſonuit: quos illo ſanctiſſimis ut ſemper rationibus fovente, atque ad ſpem futuri ſæculi diligentius informante, conſpiciunt virum inviſibili quadam Dei virtute e terra moveri motum ad ſuprema domui faſtigia tolli. Hi autem qui paullo ante propinquiores adſtiterant, miraculi inſolentia territi, relictis ſedibus devolant omnes. Stant tamen innixi parietibus, & maceriarum liminibus de longe ſurſum aſpicientes, exitum rei videre cupientes. Exiſtimabant namque aut ſicut Heliam cum carne eum transferendum, aut alio quovis & inſolito modo ab eis tollendum. Sed mox ea qua ſubvectus fuerat ſuavitate depoſitus, convocat omnes qui fugam inierant, tali eos allocutione demulcens. Vidiſtis, ait, filii, vidiſtis chariſſimi, quo me Deus vocat, quo Dei ineffabilis miſericordia invitat. Semita itineris mei præ oculis oſtenſa eſt vobis, ut nullus veſtrum de præmio capiendi cæli diffidat, qui vitæ meæ diligens ſectator exſtiterit. Non erebi ſedes animam meam tenebit, non fæda facies profunditatis animam meam tenebit, non ignis inexſtinguibilis, & vermis non moriens animam meam tenebit. Surſum eſt quod amplector, ſurſum quo gradior. Eſtote ergo vitæ imitatores, ſi itineris mei cupitis eſſe ſectatores. Diſcite voluntatem Dei ſemper noſſe, & cum eam noveritis nihil ei velitis præferre. Quod ſi ab ejus voluntate facienda quantulumcunque vos exorbitaſſe cognoveritis, ſtatim ad deprecandam ejus clementiam convertimini, ne dum minorem quam oporteat reverentiam exhibueritis, non ſolum prævaricatores, verum etiam infideles judicemini. Nolite boni videri, ſed eſſe, nec tam mali non videri, quam non eſſe. Hoc enim maximum inter homines malum eſt, quod omnes cupiunt boni videri & eſſe nolunt; nulli volunt mali videri, & nolunt non eſſe mali. Pacem ſemper ſectamini, nec prius ab illa ſectanda deficiatis, quam illam in cælo apprehendatis. Atque ut hanc efficaciter attingere valeatis; illum ſemper in animo dulciſſimum habete, illi continuo gratias agite, illius præceptis humiliter obedite, qui ſingulare pro omnibus ſacrificium immolari voluit, in quo complacuit omnem plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliari omnia, in ipſo pacificans per ſanguinem crucis ejus, ſive quæ in terris ſunt, ſive quæ in cælis. Prædico etiam vobis Anglorum gentem dira ac diuturna mala ab exteris gentibus eſſe paſſuram, ſed in fine dierum miſerationem Dei ſuper eam ſtillaturam. Vobis autem commodum erit horum verborum reminiſci, ut ſive hæc ad peccatorum emendationem, ſeu ad perficiendam virtutem contigerint, animas veſtras divinæ ſemper diſpoſitioni ſubjiciatis, ne ſicut mali filii diligatis blan-

rapitur e terra.

Orationem habet ad ſuos.

„ dien-

Digitized by Google

„ dientem ; erudientem (quod a vobis remotum ſit) contemnatis. Profe- AN.CHR.
„ cto nullius hominum vel tam grave ſupplicium, vel tam excellens eſt 988
„ meritum, quo Dei omnipotentis viſio, viſio beatæ æternitatis, viſio æ- 19. Maii.
„ ternæ veritatis, Patris, & Filii, & Spiritus-ſancti valeat promereri.
„ Magis autem ſi naturalem clementiæ ſuæ bonitatem Deus non attenderit,
„ nihil homo patitur quod ſibi juſto Dei judicio ex ſua culpa non debeatur.

44. In his verbis ſentit beatiſſimus Pater vires corporis paulatim deficere, cum ſpiritus ab integritate ſui deficere neſciret. Ita namque facie ſerenus, ſenſu ſobrius, docendi locutione aſſiduus toto illo die ac ſequenti feria ſexta permanebat, ut quicumque ſe commendaturi, & benedictionem tanti Patris poſtulaturi advenissent, recreatos ſe, & multipliciter in amore divinitatis confirmatos aſſererent. Et jam promiſſæ beatitudinis ſabbatum illuxerat, jam tempus requieſcendi ab omnibus laboribus ſuis Dunſtano inſtabat, cum ecce multiplex filiorum caterva currit, filiorum quos ipſe infra gremium matris Eccleſiæ tenerius nutrierat, atque ad excellentiorem ſpiritualis gratiæ perfectionem adduxerat, clamoribus, & nimiis ejulatibus queritans, quod ſe derelictis recederet, nec illis liceret commori. At ille in manus Dei omnipotentis eos commendans, & gratioſa benedictione confirmans, jubet ſanctæ Communionis myſterium ante ſe celebrari: quod cum protenſis manibus de cœleſti menſa porrectum ſuſcepiſſet, hac oratione Deo ſupplicare cœpit. Gloria tibi, omnipotens Pater, qui timentibus te Panem vitæ de cælo dediſti, ut memores ſimus mirabilium tuorum, quæ in medio terræ operatus es, mittendo nobis Unigenitum tuum, verum hominem de vera Virgine natum. Tibi ſancte Pater meritas referimus grates, qui & nos dum non eramus creaſti; & dum peccatores eſſemus, hujus gratiæ participes effeciſti per eumdem Filium tuum Deum, & Dominum noſtrum, omnia tecum & Spiritu-ſancto facientem, gubernantem, & per infinita ſæcuculorum ſæcula regnantem. Inter quæ verba ex omnibus animæ medullis ad Deum quem ſemper deſideraverat effuſa, videt illos qui ſe ad cœleſte convivium invitaverant beatos Angelos aſſiſtentes, & cæleſte illi obſequium præparantes. Quorum venerando cœtui felix anima illius gratulata, læta egreditur de habitaculo ſanctiſſimi corporis, proficiſcens cum illis ad contemplandam claritatem æterni conditoris. Ecce quomodo honoratus eſt, quem Deus honore dignum judicavit! ecce quomodo in gaudium Domini ſui intravit, qui in commiſſa ſibi doctrinæ pecunia fidelis erogator exſtitit! O viſcera miſericordiæ Dei, quæ ſic ſemper dulcia expertus fuerat iſte homo Dei! o cor viri ad voluntatem Dei ſemper parati; qui potuit dicere, Paratum cor meum Deus, paratum cor meum! Ecce nunc pſallit in gloria ſua illuſtratus lumine viſionis gloriæ Dei.

Viaticum accipit.

ab Angelis in cælum deducitur.

45. Suſcipiunt autem venerabiles Domini ſacerdotes venerabile corpus ſummi ſacerdotis, deferentes illud in baſilicam magni baſilei Domini Salvatoris, ſub immenſo murmure lugentium populorum feretrum denſiſſime ambientium, facies ſuas diſſecantium, palmis ſe ſe ferientium, atque amaris vocibus, Heu, heu chariſſime pater, clamantium. Ibi in loco *a* quem ante biduum dictaverat, cum omni diligentia ſepultus, & poſt hæc eminentioris operis ſtructura decenter opertus, flebilem ſimul & amabilem cunctis, ſive in choro pſallentibus, ſive per gradus ad altare aſcendentibus ſui memoriam dereliquit. Flebilem ideo dixerim, quod ejus quotidie monumentum præ oculis haberent, cujus venerandos aſpectus videre non poſſent. Amabilem, propterea quod licet ejus viſibili præſentia carerent, inviſibilem tamen & incorporeum ejus ſpiritum in cæleſti fide gaudere, & pro eis apud Deum miſericordiam enixius orare ſciebant.

Sepelitur.

46. Poſt cujus mortem, ſi mors dicenda eſt cui vita æterna ſucceſſit, ita omnes res contrarium motum ſumpſere, ut Dunſtani mortem omnia deflere, nec ejus abſentiam ſe ferre poſſe viderentur. A ſumma quippe pace fit commu-

Eventa poſt ejus mortem.

a „ Oſberto, qui fuit ante gradus, quibus ad altare Domini Chriſti aſcendebatur.

AN.CHR. 988 19. Maji. mutatio ad bellum intolerabile, ab immenſa lætitia ad enormem triſtitiam, ab omnium rerum abundantia ad omnium rerum indigentiam. Denique aer ipſe immutatus eſt, naturales temporum viciſſitudines diſſidebant invicem: cælum non exaudivit tellurem, nec tellus ea quæ ſeminabantur in ea *hoſtilis* incurſio fœdam ubique faciem dereliquit, dum eorum irruptione urbes diruerentur, eccleſiæ ſpoliarentur, ſuffoderentur altaria, & ſacerdotes Domini interficerentur. Ex quibus vir virtutum Elſegus, qui quartus erat a magno Dunſtano Cantuariorum Archiepiſcopus, cum multam hoſtium multitudinem ad Chriſtianam religionem convertiſſet, & eos quos ab infidelitatis errore convertere non poſſet, quotidiana invectione reprehenderet, tentus ab eiſdem, poſt dirutam illius urbem, poſt cruentam innocentis populi cædem, poſt templi ſacri exſpoliationem ſimul & combuſtionem, vinctus adductus eſt, & per ſeptem menſes variis tormentorum cruciatibus vexatus, & poſt hæc omnia, eorumdem manibus lapidatus ſpiritum cum triumpho direxit ad cælum. Sic ergo impleta ſunt, quæ vel de rerum proſperitate Angeli Dunſtano, vel de adverſitate earum Dunſtanus Regi Athelredo prædixerunt, ſed in his tam gravibus tumultuantis populi anguſtiis non defuit ſupernæ miſeratio pietatis, quæ tanta coruſcantis gratiæ prodigia ad memoriam illius oſtendit, ut & reprobis terrori, & afflictis eſſent conſolationi. Neque enim aliter cæleſtis ejus ſpiritus operatus eſt, quam ſi in terram redivivo corpore ſuo quotidie veniret. Verum nos non omnia quæ de illo ſunt propter infinitatem dicere poterimus: nec ab omnibus abſtinendum putamus, ne nulla eſſe videantur quæ dicamus. Et quidam quidem de libris miraculorum ejus qui nunc minime ſuper ſunt excerpſimus, quædam vero noſtra ætate, aut in alios facta vidimus, aut in nos patrata ipſi experti ſumus. Sed hic libelli hujus ſit finis, ut quod intendimus ab alio principio ſumi poſſit.

Juſtus homo, nudus vitio, ſedes ſubit almas,
 Ex quibus expulſam ſe dolet atra cohors.
Iſte polum petit, illa rogum ſtygis ardua moles
 Deſerit, atque levis gleba natare ſolet.
Manſio diverſa, diverſaque præmia, quantum
 Ortus ſolaris diſtat ab occiduis.
Imperat huic Agnus circumdatus agmine læto:
 Illi cum prava pluto cohorte præeſt.
Uritur illa gelu, nive, grandine perpetuali:
 Vernos iſta dies manſio ſemper habet.
Hæc generoſa duce jocundo cive decora,
 Carmine feſtiva, pace quieta jugi.
Tu venerande piis mixtus, Dunſtane, catervis,
 Exerces hilares hac regione jocos.
Quanti ſis meriti, plebs indicat aſtricolarum,
 Quæ famulata tuam vexit ad aſtra animam.

INCIPIT LIBER MIRACULORUM EJUSDEM.

Auctore eodem OSBERNO Monacho.

Auctor fidem a lectoribus exigit.

1. DIximus in ſuperiori Libello, quibus parentibus venerabilis pater Dunſtanus ortus claruerit, quorum Regum tempora nobilitaverit, quos proceſſus virtutum habuerit, & quemadmodum ad cæleſtia regna glorioſus migraverit. Nunc autem propoſitum habemus ea narrare, quæ poſt depoſitionem corporalis ſarcinæ felix ſpiritus ejus in hoc ſæculo dignatus eſt operari: ut omnes futuri temporis Angligenæ populi agnoſcant, quid tanti nominis viro honoris ac reverentiæ debeant. Verum quoniam eorum quæ ſcribenda ſunt, pleraque ac fere omnia noſtris temporibus facta

Digitized by Google

ɛ̃ta cognovimus; pauca vero aliis quidem temporibus facta, ſed novis veriſſima veriſſimorum virorum relatione expoſita accepimus: hac ratione omnes qui hæc dignabuntur legere, ad credendum invitamus: ut ſicuti ſibi credi volent, ſi forte aliqua ſuis temporibus facta ſcribere voluerint, ita nobis credant, cum audierint ea narrari, quæ a nobis potuere videri. Quam enim de ſe veri æſtimationem a ſequentibus haberi velint, eam recte præcedentibus concedere debent. Quod ſi nulla quæ ſcribi debeant, ſuis temporibus fieri contingant, non ideo nos ſtatim falſitatis arguant, quaſi quod alio tempore occulta Dei providentia non fit, alio tempore pro corrigendis vel corripiendis hominibus fieri non poſſit: cum ſemper opportunitatem rerum & temporum exigat gratia miraculorum. Num enim iccirco minus credendum eſt principem Apoſtolorum Petrum ad portam templi ſpecioſam claudum ſanaſſe, quod noſtris temporibus iſtud non fecerit: aut ideo beatus Evangeliſta Joannes venenum ſine læſione non bibit, & qui veneno deperierant non reſuſcitavit, quod iſta neſcio quis impoſtor & calumniator non viderit; quaſi ſi quis nauclerum, vel aurigam laudari audierit, quod hic navim in procella gnaviter regere, ille equos artificio ſciat in curſum ducere: ſupra humanam naturam hoc eſſe contendat, ideo quod ille fieri non poſſe credat. Non itaque hoc admittendum, ſed quod una quæque res tempus & ordinem ſpectet credendum. Dignentur ergo credere qui hæc dignabuntur legere, ut quemadmodum merito fidei noſtræ qua credebamus, vera eſſe quæ non videramus, actum eſt ut aliqua videre poſſemus: ita illi præmium fidei habeant quandoque videre poſſe, quod narrantibus nobis indubitata fide potuerunt credere. Jam ad propoſita tranſibimus, & quo ordine quæque res acta, quantum poſſumus, breviter ac dilucide narrabimus. AN.CHR. 988. 19. Maji.

2. Vicus eſt urbi Cantuariæ vicinus, *Leobam* ab incolis dictus. Hunc quidam vir inhabitabat, quem longa oculorum cæcitas gravabat. Admonitus ergo in ſomnis eſt, ut patrem patriæ Dunſtanum adeat, commiſſa mala deplangat, futurum eſſe ut amiſſum lumen per eum recipiat. Narrat ſuis homo quæ viderat: favebant, & auctores illi itineris procurabant. Ingreditur itaque cæcus eccleſiam Chriſti, orat ſibi pernoctandi ibidem licentiam dari, Tale, inquiens, præceptum ſuſcepi: ſequenti vero & media nocte cœpit de tumulo viri Dei omne genus odoramentorum ſentiri, & ſecus interim graviſſimis oculorum punctionibus graviſſime torqueri. Clamavit itaque fortiter, ſanatus eſt mirabiliter, laudavit Deum, & Dunſtanum hilariter. Cæcus videt.

3. Tres etiam mulieres in una domo commanebant, ſimili ex longo tempore cæcitate percuſſæ, & onere paupertatis oppreſſæ. Has magnus ille Dunſtanus, dum in corpore vixiſſet, inter ceteros eccleſiæ ſtipendiarios pauperes alere ſolebat: quæ accepto rumore patrati miraculi alternis ſe hortabantur ſermonibus. Quid hinc, inquiunt, ſedimus, quæ patrem vitæ noſtræ reviviſcere audimus? eamus ad illum, calamitatem deploremus, auxilium flagitemus. Qui noſtram ſuevit depellere paupertatem, dignabitur corporis noſtri profligare cæcitatem: compatietur fame morituris, ut reddita luce gratiam præſtet pauperculis, operibus manuum ſuarum deinceps victuris. Dixerunt, & rectore baculo viam quæ ducit ad civitatem pergere cœperunt. Cumque ad portam eccleſiæ veniſſent, junctis ad invicem manibus ingreſſæ ſunt, procidenteſque ante memoriam viri, hac mærorem ſupplicatione depromunt. Pater ſancte, pater ſerene, ad has tuæ miſericordiæ ſtipendiarias intende, ut aut ſolito more victum eis tribuas, aut lumen oculorum per quod vitam tranſigere poſſint reſtituas. Et iterum dixerunt: Piiſſime, potentiſſime, his tuis miſellulis miſerere. Sic oraverunt, & inter orandum clare viderunt, magnumque gaudium populo præſtiterunt. Item tres cæcæ.

4. Sacerdos quidam Folcanenſium Præpoſitus, nomine Ceovvlfus, vir locuples valde erat, multaque nobilitate inter ſuos pollebat. Hic per multos annos ita omnium membrorum paralyſi diſſolutus fuerat, ut neque vicinas poſſeſſiones adire, neque eccleſiæ limina contingere, niſi in grabato depor- Sacerdos paralyticus curatur.

AN.CHR. 988 19. Maii. tatus, valeret. Suaſus itaque ab intimis ſuis, ut ad memoriam domni Dunſtani miſerum cadaver ſineret transferri, primo quidem verecundia diſtulit homo dives, dedignans conſortium paupertatis, ex omnibus locis propter ſpem recuperandæ ſalutis illuc confluentis. Sed cum jam præ doloris magnitudine ſibi ipſi eſſet, intolerabilis, juſſit feretralem equorum lateribus machinam coaptari, ſeque in ea poſitum ad eccleſiæ januas, ubi memoratus ſanctus requieſcit, pertrahi. Ibi clientium ſuorum humeris ſuſtentatus intro illatus eſt, proſequente illum non parva multitudine agnatorum, flebilibus vocibus Dunſtani nomen invocantium. Secunda autem die factus in agonia ægrotus ſenſit quaſi manum hominis per totum corpus diſcurrentem, omneſque totius corporis nervos diſtinguentem. Inde vociferans e terra exſiliit, in pedibus ſuis conſtitit, & reſtituta ad integrum ſanitate exclamare cœpit: Benedictus Filius Dei viventis in bono ſervo ſuo Dunſtano, & benedictus bonus ſervus ejus Dunſtanus in illo. Vere pius, vere omnipotens Chriſtus, qui ſervos tam potentes tantaque pietate præditos habet. Mox hymnis & laudibus devotiſſime Domino perſolutis, qui alienis manibus fuerat deportatus, ſuis pedibus cucurrit, equum aſcendit, & cum omni comitatu gaudens & hilaris receſſit. Sed poſt paucos dies facto convivio in domo ſua, convocavit omnes amicos & notos, ut ſibi de adepta ſanitate congauderent, & congratularentur. Cumque in magno gaudio convivarentur, cœperunt Deum laudare & glorificare, qui cum ſit potens, potentem non abjecerit, ſed cum pauperibus ſuis pænitentiæ ei ſpatia conceſſerit. Super quo ille indignatus reſpondit: Num me inter ceteros pauperes computatis, quia inter eos ſanctum aſſeritis? Non ita eſt, quoniam etſi Dunſtanus non fuiſſet, ita mihi contigiſſet. Ad hanc vocem toto corpore intremuit, itaque uno momento eadem, quæ illum dimiſerat, infirmitate percuſſus eſt, ut nihil in omnibus membris eſſet, quod ab hac percuſſione intactum remaneret. Vociferabatur ergo miſerabiliter, & poſt paullum expirabat infeliciter.

Ingratus recidit in morbum & exſpirat.

5. Ex illo die multus timor, multaque circa ſanctum Dei veneratio excrevit, reſtitutis ad integram ſanitatis perfectionem nunc unis, nunc pluribus per ſingulos dies ægrotis, ex diverſarum regionum longinquitate porro adductis. Inter hæc multorum cervicibus impendens juvenis ferebatur, formoſa quidem facie, ſed a nativitate fandi impotens, ut quindenis annorum temporibus nec caput ſurſum erexerit, nec deorſum greſſum direxerit: Quem ſuper capita illorum celſius elevatum his precibus fletu permixtis ſancto obtulerunt. O Chriſte, inquiunt, ſalus & creator omnium, qui homines hac etiam in parte ceteris animantibus excellere voluiſti, quod loqui poſſint, & erecto capite incedere; reforma in hoc filio noſtro vel quod natura informatum reliquit, vel quod formatum inimica ſaluti ægritudo corrupit. Solius enim tui eſt ex eo quod non eſt in id quod eſt perducere, & quod eſt in quaſcumque volueris formas mutare. Exaudi ergo preces ſupplicantium propter temetipſum, & propter Dunſtanum dilectum tuum. Tunc demiſſus ex humeris bajulantium ſe ægrotus, ut ad memoriam ſancti vicinius applicari deberet, mox ut tumbam tetigit, in pedibus ſuis conſtitit, caput cum ſcapulis ſurſum erexit, & reſoluta lingua quæ numquam antea fuerat locuta, excelſa voce clamare cœpit, *Gloria in excelſis Deo, alleluja*. Sicque perſeveravit in integritate ſuſceptæ locutionis, ut uſque ad finem vitæ non ſolum expedite, verum etiam diſerte omnia loqueretur.

Invalido ſanitas redditur.

6. Paupercula etiam cum cetera multitudine advenit ferens in ulnis triennem natam ex utero ſuo ſine lumine natam: quæ cum per aliquot dies orationi pro ſalute filiæ ſuæ ſollicita incubuiſſet, nec exauditam ſe aliquatenus ſentiret, deprecata eſt omnem clerum auxilio ſibi apud Dei ſanctum fore, confidens eos tanto citius impetraturos quod vellent, quanto ei præ ceteris hominibus familiarius ſervirent. Affecti itaque pietate Monachi *a* pro dolore

Cæca nata lumine donatur.

a Ergo Monachi etiam tunc Clerum eccleſiæ Cantuarienſis conſtituebant. Vide num. 26. & 21. & fragmenta libri miraculorum ex Anonymo.

Digitized by Google

re matris & languore puellæ, cœperunt inſtantiſſima prece ſanctum depoſcere, ut earum afflictioni ſolita bonitate dignaretur ſubvenire. Decima autem die dum forte materno gremio puella incumberet, ſubito apertis oculis clare omnia videbat, & præ gaudio exſiliens dicebat: Mater mi, quæ ſunt hæc pulchra quæ video? Cui illa: Videſne, inquit, mi chara? Quæ dixit pulcher homo ille juſſit me hæc pulchra videre. Clamatum eſt itaque per totam eccleſiam puellam a nativitate cæcam a magno pontifice Dunſtano illuminatam. Fit concurſus omnium matrem cum filia conſtipantium. Sed cum aliqui ex clero credere non poſſent, quod patentibus oculis acumen viſionis ineſſet, volentes indagandæ veritatis ſignum videre, jactant poma, ſicut pueris alludi ſolet, per pavimentum eccleſiæ, ut experirentur ſi abſque errore infantula poſſet ea ſequendo comprehendere. Quæ confeſtim de ſinu matris exſiliens, rotantia poma per diverſos anfractus inſectabatur, eiſque apprehenſis celeri curſu ad matrem revertebatur. Tunc deprehenſum eſt puellam patentibus oculis poſſe videre, qui antea ſine lumine videbantur patere. AN. CHR. 988 19. Maji.

7. Item anus quædam ad memoriam ſancti Pontificis perducta eſt, ut quod in juventute perdiderat, in extrema ætate lumen oculorum reciperet. Vacans ergo orationi, nec ulla ſalutis remedia conſequens, egreditur de civitate, volens ad locum unde venerat remeare. Jamque pontem fluminis Sturæ aſcendere cœperat, cum forte ductoris ſui auxilio deſtituta clamabat: Dunſtane, Dunſtane, nec ſperatum a te lumen obtinui, & ductorem nunc perdidi. Mirabile dictu, & malefidis difficile creditu, protinus illa juvenes per medium pontis ligna ferentes clariſſime vidit, quibuſcum in civitatem rediit, & quid factum ſit omnibus indicavit. Item anus cæca.

8. Quid de Clemente Teutone dicam, cui magis aptum nomen eſt demens, quam Clemens, quem ſacerdos pro culpa voluptatis & contumaciæ, in interitum carnis ſatanæ tradiderat, & ita maledictionis ſententia ſeptem annis devinxerat, ut non ſolum in eodem loco toto corpore tremendo, verum etiam de loco ad locum curſitando inſtabili ferretur motu. In baſilica vero Salvatoris ante memoriam magni Dunſtani præſentatus, cum forte ad nocturnas vigilias reſponſorium, *Videte miraculum*, inciperetur, ſaltum in ſublime dedit, dæmonium cum ſanguine evomuit, & poſt hæc omni tempore ſecundum omnimodam ſenſatorum qualitatem quietus & loco & corpore manſit. Excommunicati pœna & ſalus.

9. Aut quo modo factum in te miraculum, Elvvarde, narrabo; hominem giganteæ magnitudinis, ſi repentem te in tota terra mole corporis per triginta annos pondus non premeret graviſſimæ infirmitatis: poſtea vero charo patri Dunſtano oblatus, atque ab eo mirabiliter ſanatus, non ſolum cunctis factus es amabilis propter adeptæ ſanitatis miraculum, verum etiam admirabilis propter corporeæ quantitatis ſpectaculum. Tu muſicus in conviviis didiciſti poſt hæc convivantium animos carmine demulcere, & inter cantandum tibiis carmen modificare. Sed inde tibi excelſi honoris inſigne acceſſit, quod univerſitas hominum concordi voce Dunſtani te hominem ſervulumque vocavit. Repens erigitur.

10. Sed & illud non parva dignum eſt admiratione, quod quodam venerabili ſene, & in omni religione probato referente agnovimus. Ait namque eumdem patrem & dominum noſtrum cuidam loripedi in ſomnis apparuiſſe, atque ut ad requiem corporis ſui ſanandus veniret præcepiſſe. Qui ad locum veniens, nec quicquam per multos dies orando ſalutis inveniens, tædio ſive deſperatione fractus receſſit, itinere quo venerat redire tentavit. Jamque mediam pæne viam peregerat, cum is qui dudum dormienti apparuerat, vultu ſeverus, veſte decorus occurrit, ſciſcitans unde veniret, vel quo pergendo tenderet. Recuperandæ, inquit, ſalutis gratia juſſus ad ſanctum Dei Dunſtanum perrexi, ſed nihil proficiens ad domum meam redeundum putavi. Tum ille. Ego, inquit, ſum Dunſtanus, omnium ſervorum Dei conſervus, neceſſariis quibuſdam cauſis occupatus, non poteram his diebus re- Loripes tandem rectum inceſſum recuperat.

AN.CHR. 988 19. Maii. requiem corporis mei viſitare, nec præſentiam meam filiis ibidem manentibus exhibere. Nam eccleſiam Dei Elfricus, cognomento Bata, exheredare tentavit, ſed me tutore nihil efficere potuit. Nunc autem confecto negotio ad locum requietionis meæ vado. Vide ergo ut illa die & hora ibi te inveniam, quatinus per te gratiam meam meis civibus oſtendam. Regreſſus eſt itaque languidus in civitatem, narravit omnibus quæ audierat, indictum diem patienter exſpectabat. Stupendum valde, die & hora qua ſanctus ſeſe venturum prædixerat, de ſuſcepta ſanitate loripes gaudebat, & ineffabili totam urbem lætitia replebat. Hactenus ea quæ aliorum teſtimoniis ad noſtram notitiam perlata ſunt enarravimus: nunc his quæ noſtra ætate facta ſunt enarrandis operam dabimus.

Auctor jam viſa narrat.

Virgo lucis expers lucem aſpicit.

11. Virgo quædam Deo devota orationis gratia in civitatem venit, inde miſera, quod ex quo nata eſt hujus mundi lucem non viderat, ſed ex hoc beata quod æternam lucem ardenti ſemper deſiderio quæſiverat. Et cum forte natalitius dies ſancti Confeſſoris Chriſti Audoeni Epiſcopi inſtaret, in quo pariter & aliorum omnium, quorum reliquiæ in eccleſia Salvatoris continentur, præcipua veneratione memoria celebrabatur; poſtulabat illa a cuſtodibus eccleſiæ, ut ſibi liceret eadem nocte vigilias ibidem celebrare: quod dum facile propter vitæ religionem obtinuiſſet, remanſit in eccleſia juxta requiem beati patris Dunſtani ſtans, totaque nocte vigiliis & orationibus vacans. Jam nocturnas laudes incœperamus, jam octavum reſponſorium *Sint lumbi veſtri præcincti*, modulatis vocibus concinabamus, cum virgo Dei vehementem in facie ſuſtinens pruritum, arctiſſima digitorum impreſſione cœpit oculos perfricare. Inde ſtatim ſanguis ubertim exiens, in ſuppoſitum capitis ſui velamen defluxit, modeſteque illa circumſtantibus innuens: Præbete, inquit, mihi vas ſanguinis ſuſceptorium, ne terra ſancta ejus colluvione maculetur: quod poſtquam illi feciſſent, lympham quoque lavandis oculorum orbibus præbuerunt. Interim nos pueri vultus illuc dirigere, oculis ſubaſpicere, iterumque ad invicem mutuis *a* aſpectibus ſimul ac nutibus lætitiam ſignificare: Suſpicati namque ſumus (quod res erat) bonum patrem noſtrum boni aliquid operatum fuiſſe. Jam cantus de præcinctione lumborum, & ardentium lucernarum geſtatione ſecundo terminabatur; jam a Cantoribus gloria ſanctæ & individuæ Trinitati reddebatur, & ecce illa quæ lumbos ſuos caſtitate ſemper præcinctos habuerat, ad gloriam Dei lucernas in eccleſia ardentes in magna cordis lætitia videbat. Mirata eſt ergo de omnibus quæ videbat. Oſtendebantur ei laminæ aureæ, cruces, baccilia, claves eccleſiæ, omnia mirata videbat. Ipſas quoque hominum figuras cum ingenti ſtupore conſiderabat. Videres ergo omnes in eccleſia lacrymas exprimere, & cum vocis modulatione cordis jubilatione Deum laudare. Orto autem mane forte ad magiſtros intravimus, vapulaturi pro culpis quas commiſeramus. Et ecce de tranſverſo vir bonus Godricus furibundus irrupit, ita clamitans. Vos hic homines crudelitatem in innocentiam evomitis, & dulciſſimus pater noſter Dunſtanus ſuavitatem miſericordiæ ſuæ in nos peccatores oſtendit. Exite. Prærogativam miraculi quondam a Salvatore in cæco nato celebratam iterum celebrari videtis, & aliquid crudeliter facere audetis? Exite. Ita impias manus evaſimus, & poſt hæc eccleſiam ingreſſi ſumus. Tunc pulſato ſigno beatiſſimi patris noſtri, quod ipſe manibus ſuis olim feciſſe dicebatur, quo nullum dulcius, neque ad commovendos hominum animos flebilius, concurrit univerſa civitas, volens oculis videre quod fama referante audierat. Cœpimus itaque excelſis vocibus ſimul & lacrymabilibus Dominum Deum noſtrum laudare, qui per beatum ſervum ſuum Dunſtanum tantis lætitiis noſtra tempora dignatus eſt beatificare. Et cum multa populorum millia in eccleſia ſtarent, neminem inter omnes videres qui non præ gaudio pie ac dulciter fleret.

12. Vi-

a Hic ſilentium innuitur, tum ob temporis nocturni cauſam, tum ob loci ſacri religionem. Nam in eccleſia loqui nefas erat, ex Osberti fragmentis num. 2. Vide infra num. 13.

AN.CHR. 988

19. Maji.

Auctor teſtis miraculi de puella curata.

12. Vigilia beatorum Chriſti Apoſtolorum Petri & Pauli erat, & inclinata jam die veſpertinas orationes clerus in eccleſia agebat. Forte ego cum alio puerulo coætaneo meo ad altare Chriſti miniſtraveram, conſummatoque miniſterio per gradus deſcendere incipiebam: & ecce in occurſum noſtrum vetula quædam cum filia bene adulta obviam ſe dedit, procumbens gradibus ſimul & clamitans: Miſeremini mei pueri Dei, ut Deus omnipotens miſereatur noſtri, profectum virtutis concedens, & ætatem puerilem ad maturos annos feliciter perducens. Nos autem, ut id ætatis pueri, factum feminæ expaveſcentes, hæſimus loco, miſeriæ cauſas flebiliter ſciſcitantes. Tum illa, hanc, inquit, quam videtis filiam meam, a ſummis humeris uſque ad extremos manuum articulos colliſam, obſtetricis ſuæ neſcio aut furor, aut negligentia fœdam atque inutilem reddidit. Audivi magnam quamdam in hoc loco Dei virtutem eſſe, & ideo ad ſupplicandum ei longo itinere tentavimus huc venire: vos nobis quid agendum ſit edicite. Aſpiciebamus interim manus ſine forma manus, juncturæ juncturis non cohærebant, ſed quædam diſcors deformitas informem quamdam oſſium concretionem faciebat, pollices retrorſum deflexi immobilem gerebant ſenſibilitatem. Ceterorum namque digitorum figura nulla, ſed radices quædam de palma prominentes introrſum curvabantur, quæ in vola confixæ unguibus eam perforabant: quæ res intolerabiles patienti anguſtias inferebat. Avertimus ergo oculos hoc ſolum dicentes: Non nos, bona mulier, non nos quid agendum ſit conſulere velis: juxta eſt qui & tibi conſulere, & filiæ tuæ ſalutem valet procurare; ſolet namque ſecundum fidem ſuam omnibus illum invocantibus ſubvenire. Tum illa comprehenſa lacinia veſtis filiæ ſuæ traxit eam ad locum, moxque toto corpore in terram proſtratæ adorant ſanctum ambæ, fletibus & ejulatibus illius bonitatem pulſantes. Et vere pulſabant, quibus tam cito miſericordiæ illius viſcera patebant. Necdum enim phœbus marinis fluctibus caput intulerat, & illa quæ morbo contracta fuerat, ruptis venis brachia extollebat, manuum articulos omnes extendebat; & quæ ab annis puerilibus digitos movere non poterat, expedite jam omnia contrectabat. Itaque accurrimus, vidimus, flevimus, & facto mane cum exſultatione totius urbis Dominum Deum noſtrum laudavimus.

Contractus erectus.

13. Epheborum aliquis prope civitatem manebat ita a puero debilitatus, ut a lumbis ac deorſum per totum emortuus duobus bacillis inniteretur, totius corporis poſt ſe trahens medietatem. Hic ea die in qua Filius Dei in aſſumpta carne dignatus eſt mori, ejus eccleſiam ingreſſus, vexillum crucis, in qua moriens mortem noſtram deſtruxit, cum cetera multitudine adorabat, & futuræ feſtivitatis gaudia juxta corpus venerandi Patris Dunſtani manens exſpectabat. Adveniente autem hora in qua Dominus noſter Jeſus-Chriſtus triumphato diabolo a mortuis reſurrexiſſe creditur, clamor in eccleſia factus eſt magnus tumultuans adoleſcentem rectum toto corpore ſtare, qui a multis annis inferiores corporis partes poſt ſe conſueverat trahere: quod quamvis clerus ſciebat, patienter tamen ſimul & lætanter ſolis ortum exſpectabat. Mane vero Dominicæ reſurrectionis convenit infinita totius urbis multitudo in eccleſiam, videre quid in hominem divina potentia operata fuiſſet, quem antea in infirmitate bene cognitum habuiſſent. Viderunt itaque, & Deo gloriam dederunt clamantes bono Domino Dunſtanum in vita ſerviſſe, cui poſt mortem non ſolum contigit beatius vivere, verum etiam beneficiorum ſuorum gratiam hominibus præſtare.

Alia miracula.

14. Puerum quoque omnibus membris contractum per eumdem Dei ſanctum vidimus ſanatum.

Novitiis pœna remiſſa.

15. Quadam etiam die *a* dum plus ſolito Magiſtrorum furor in pueros deſæviret, nec ſpes interceſſionis uſpiam ulla ſuppeteret; hoc unum & ſolum ſu-

a „ Osbertus. Inſtabat dies feſta Nativitatis Chriſti. Moris autem antiquitus fuerat in Monaſterio ipſo, „ quinto die ante feſtum pueros, qui in ſcholis ſub diſciplina exercebantur, gravibus & immoderatis verberibus „ cruciari: qui cruciatu miſeris non pro commiſſis culpis, ſed pro uſu inferebatur, &c.

Digitized by Google

AN.CHR. 988 19. Maii. ſupereſſe remedium crediderunt, ut ad memoriam dulciſſimi Patris Dunſtani confugium facerent, illumque non tam interceſſorem, quam adverſus impietatis miniſtros defenſorem exhiberent. Conferunt itaque ſe ſummo diluculo ad illum, multis lacrymis ejus clementiam poſtulantes, ſedentibus per diverſa loca Magiſtris, qua tranſitus puerorum eſſe deberet, exitumque illorum de eccleſia multiplici diligentia aucupantibus: & ecce lacrymantibus illis apparuit pius vultus gerens pius pater Dunſtanus, tangenſque virga quam manu geſtabat unum illorum apertis oculis videntem, ſed movendi ſe omnino impotentem, ita adorſus eſt fari. Jam deſitum ſit, pueri, a fletu, quoniam nullum vobis hodie moleſtum eſſe permitto. Idcirco enim veni invitatus lacrymis doloris veſtri: ecce nunc ibo, & Magiſtros egreſſum veſtrum explorantes graviſſimo ſomno ſoporabo. Tu vero puer qui me loquentem cernis & audis, cum vos meo munere liberatos eſſe cognoveris, in hoc mihi gratiam præſtabis, ſi hujus eccleſiæ Præpoſito ex meo nomine præcipias, ut initiatum infantulum hunc, qui juxta me nuper conditus eſt, filium Comitis Haroldi *a* foras projici faciat. Indecens namque valde eſt, ut ibi paganorum corpora ſepeliantur, ubi divina quotidie myſteria celebrantur. Quod ſi ipſe aut metu aut incredulitate præceptum meum neglexerit, noverit in hac eccleſia nihil proſperum proceſſurum, quamdiu hoc meum præceptum opere non fuerit impletum. Hæc dicens ſepulchro receptus eſt. Is autem qui hæc viderat, tum quidem puer, nunc vero reverendæ ætatis ſenior, quique ut iſta ſublato nomine illius ſcriberentur, ſollicite nos ammonuit, ſtatim ſui compos effectus, innuit ſodalibus dicens: Num patrem Dunſtanum vidiſtis? num quid loquutus fuerit audiſtis? narravitque omnia ſeriatim, hæc inquiens: Hæc & hæc loquutus eſt. Surgentes ergo pueri ut intrarent domum Martyrii *b*, tranſierunt ante primos Magiſtros, dormierunt; tranſierunt ante ſecundos, dormierunt; tranſierunt ante tertios & quartos, dormierunt. Poſt paulo vero evigilantes, & deriſos ſe graviter dolentes, verſi in furorem ſtatuunt ſæviſſimam tertia diei hora de pueris ultionem ſumere, quos protegente Dunſtano mane non potuerunt contingere. Talis enim mos in Eccleſia tunc temporis erat, ut quos prima diei hora ſine vindicta ſervaret, eos hora tertia durius puniret: ſed Dunſtanus, ſemper & ubique fidelis, ita præfatos eadem hora a ſe magiſtros diviſit, ut non tam de puerorum læſione cogitare, quam de ſua liberet confuſione tractare. Ita pueri periculum diei illius evaſere, atque in craſtino vigilias Dominicæ Nativitatis gaudenti animo videre. At is qui legatione patris fungebatur, quæ audierat Præpoſito fideliter nuntiabat, ſed ille infideli mente nuntiata parvi pendebat.

Pagani cadaver ex eccleſia projici jubetur.

16. Quoties etiam in nocturna viſione viſus eſt fratribus de eccleſia exire? Quem cum exeuntem retinere vellent: Non poſſum, inquit, ibi manere propter fœtorem pagani pueri licet initiati in hac eccleſia ſepulti. Nec multo poſt eccleſia Salvatoris igni combuſta eſt, parietes ceciderunt, nec quicquam ex omnibus Monaſterii officinis incombuſtum remanſit, præter duas domos ſine quibus Monachi remanere non poſſent, dormitorium ſcilicet & refectorium, tantamque clauſtri partem ſub quanta abſque imbrium infuſione ab una domo in aliam poſſent introire. Ex quo ſatis videre fuit, quantam noſtri curam Pater Dunſtanus habuerit. Sed horum ruina in melius commutata eſt veniente venerabili viro Lanfranco *c* Archiepiſcopo, &

Ea re neglecta quid ſecutum.

---

a Martyrii hæc domus ea ſine dubio vocatur, in qua pueri pro erratis pœnas dabant.

b Haroldus iſte Danorum Rex fuit, cujus filius Sueno ſeu Suennus in Angliam irrupit regnante Ethelredo ſeu Adelredo, ubi „ inter pios impius diu converſatus, morte tarda deprimitur, ibidem ſepelitur, ex Ditmari lib 7. pag. 94. Idem pag. 95. commemorat, Haraldum & Canutum Suconis filios anno 1016. demo in Angliam expeditionem feciſſe, de qua intelligendum Dunſtani vaticinium in fine Vitæ, ſupra. Ditmarus poſt hæc Elfegi Dunſtani quarti ſucceſſoris martyrium refert, quod Dunſtano falſo relatu aut memoria lapſus tribuit.

c „ Apud Oſbertum. Lanfrancus Cadomenſis cœnobii Abbas, vir præſtanti ſapientia pollens, Cantuarienſem pontificatum regendum ſuſcepit: qui more electi Antiſtitis Cantuariam 18. Kal. Septembris veniens, „ ſuſceptus eſt a clero & populo, ſicut Patrem tantæ ſedis & virum ingentis famæ ſuſcipi erat æquum. Hic adepta pontificali benedictione, quam 4. Kal. Septemb. Cantuariæ ſuſcepit, eccleſiam Salvatoris, quam tum præfatum incendium, tum vetuſtas inutilem fecerat, funditus deſtruere, & auguſtiorem facere cupiens &c. Lavata ſunt corpora pretioſorum Pontificum Chriſti, Dunſtani atque Elfegi.

Digitized by Google

& omnium qui noſtra ætate in terra fuerunt ſanctiſſimo ſimul ac ſapientiſſimo: qui cum fundamenta conſtruendæ novæ eccleſiæ ponere vellet, neque hoc abſque translatione corporum infra ambitum ejuſdem eccleſiæ quieſcentium facere poſſet, indixit jejunium omni populo, quatinus ſanctorum voluntas fieret, ut eorum corpora ad alia loca transferri deberent. Die vero huic negotio conſtituto, orante omni populo, clero cereis & aromatibus, omnique genere gaudiorum occurrente, paraverunt ſe ſacerdotes, ut thecam ſancti patris Dunſtani abſque contrectatione corporis illius e terra levarent, & ad locum cum omni diligentia præparatum deferrent. Quam cum in humeris accepiſſent, retinetur a quibuſdam eccleſiæ militibus, qui pacem Regis Willermi nuper infregerant, occiſis duobus equitibus, nepotibus videlicet Scollandi, qui erat Abbas monaſterii ſancti Auguſtini extra urbis muros conſtituti. Timebant autem ne mors occiſorum morte ſua ſolveretur, & ideo evitandi hujus mali cauſa neque a ſancto recedere, neque thecam ejus dimittere voluerunt. Vocati ſunt itaque tam Abbas, quam omnes hi quorum interfuit vindictam donare: negaverunt, nec mortem occiſorum ſine vindicta remittere voluerunt. Quid ergo? deductum eſt ſacrum corpus infecto negotio, atque in oratorio beatæ Virginis Mariæ collocatum. Summo autem diluculo, nobis adhuc in ſtratis quieſcentibus, irrupit in eccleſiam Abbas ſtipatus parentum catervis, poſtulat fratres celerius excitari, dicit ſe neceſſario illis loqui velle. Qui cum veniſſent, acceſſit ad corpus ſancti, genua flexit atque in hæc verba lacrymabiliter erupit: Peccavimus in te, ſancte Dei nolentes tibi in conſpectu populi exhibere honorem obſequii. Ecce nunc & injuriam donamus, & de mentis noſtræ obſtinatione veniam imploramus. Nos autem mirantes tam ſubitam rerum mutationem, cognovimus illos per viſionem a ſancto Dei fuiſſe perterritos, & vix noctem illam tranſegiſſe vivos, propterea quod presbyter quidam aſpectu terribilis, qui ex figuratis imaginibus Dunſtano viſus eſt ſimillimus, gravibus eos cruciatibus vexaſſet, diuque vexatos ardenti rogo concremandos violenter pertraxiſſet. Ita illi quam ſponte noluerunt, coacti injuriam donaverunt.

AN.CHR. 988

19. Maii.

S. Dunſtani translatio.

17. His temporibus conflictum iniit Lanfrancus Archiepiſcopus adverſus majores natu regni Anglorum, præcipue adverſus Epiſcopum Bajocenſem, nomine Odonem, qui erat frater Regis, & Comes Cantiæ, de jure eccleſiæ Chriſti, & quibuſdam terris inde ab antiquis temporibus injuſte ablatis. Sed nihil de viribus ſuis confidens (erat namque ſicut omnibus ſapientia imcomparabilis, ita in conſpectu Dei præ omnibus ſemper humilitate admirabilis) deprecatus eſt beatum Dunſtanum auxilio ſibi fore ad defendendam cauſam eccleſiæ ſuæ, & oblata pro exauditione hoſtia ſalutari, quietus ſedebat in loco, exſpectans advocationem cauſidicorum, ſimul ac meditans quid vel ipſe adverſariis objicere, vel qualiter ad objecta quæque poſſet reſpondere. Tunc interim exceſſum mentis patienti apparuit ſanctus Dei, ſtans in medio duorum aliquorum angelica dignitate præditorum, angelicos & ipſe vultus habens, atque in vultu quamdam frontis & oculorum conniventiam Lanfranco oſtendens. Ex qua viſione de capienda victoria ſecurus ille effectus, concilium malignantium intrepidus adiit, munitiones illorum torrente rationum funditus diſſipavit. Ita enim cunctos Chriſti ac ſuos devicit adverſarios, ut & quæ ſui juris erant, eccleſiæ Chriſti integerrime reſtituerentur, & hoc non humana ſapientia, ſed divina factum fuiſſe virtute idem Domini ſervus gloriaretur.

Lanfrancus faventem ſibi ſentit Dunſtanum in cauſa temporali.

18. Poſt aliquot dies Lanfrancus corporali infirmitate graviſſime tactus, omnino a medicis deſperabatur. Cumque finem vitæ jam jamque adeſſe putaret, miſſa legatione mandat fratribus eccleſiæ Chriſti quæ circa ſe agebantur: exoptat ſeniorum præſentiam, quatinus ſi in corpore diutius vivere non liceret, defuncti (ut verbis utar illius) cadaver ad urbem ſecum tranſveherent. Nam in quodam eccleſiæ patrimonio procul ab urbe diſtante, quod Ealditune * vocatur, idem Pater venerabilis ægrotabat. Veniunt itaque illi

& in gravi morbo.

*al. Ealdintune.

AN.CHR 988 19. Maji. illi ad locum : inveniunt omnia lacrymis repleta, plorant cum plorantibus, nolentes hominem morte videre finiendum, cui ſimilem poſt hæc ſciebant non eſſe inveniendum. At ille, ſive ſuas anguſtias, ſive filiorum ſuorum miſerias non ferens, (ſicut enim mater unicum filium, ita ſingulos nos unice diligebat,) convertit faciem ſuam ad parietem, divinam quantis poſſet ſuſpiriis clementiam deprecaturus. Confeſtim autem ſurſum raptus, videbat quaſi exercitum virorum candidatorum, lucifluas ſicut ſol facies habentium, albos equos cum phaleris aureis comptos inſidentium, & liberales jocos jocunda quadam ſuavitate ad invicem exhibentium: quos ille prætereuntes lætabundis oculis intuens, ſciſcitabatur cujuſnam iſta profectio eſſet. Dictum autem eſt hanc domni Dunſtani eſſe, illum vero non longe abeſſe. Expectabat itaque Lanfrancus explorans ſingulorum tranſeuntium vultus, cupiens illum præ ceteris agnoſcere, a quo præ ceteris remedia ſperabat ſalutis accipere: & ecce beatiſſimus Pater Dunſtanus venerabilium ſeniorum cuneis hinc inde ſtipatus veniebat, ſimilem per omnia ceteris habitum gerens, niſi quod ab humeris & ſurſum, celſior cunctis eminebat. In cujus occurſum Lanfrancus humiliter progrediens, jungenſque ſe ad latus equitantis, illius amplexatus eſt pedem ſimul cum aſcenſorio cui videbatur inniti, atque ad ſe oſculandi gratia trahere conatus eſt. At Dunſtanus quaſi ad factum expaveſcens, ſive Lanfranco honoris gratiam exhibens, conſtricto genu utraque manu pedem ad ſe videbatur retrahere. In hac beata certaminis lucta Lanfrancus ad id quod fuerat redit, & ita ſe ſanum reperit, ut nullum infirmitatis veſtigium in toto corpore remanſiſſet. Agit itaque gratias Deo, cujus dono & Dunſtanum videre, & cupitam ſalutem illo potuit donante ſuſcipere. Vocatis ergo his qui propius accumbebant, narrat ex ordine quæ viderat, ſimul ſe convaluiſſe aſſeverat. Illis vero exiſtimantibus quod alienata mente loqueretur: Præparetur, inquit, mihi altare: videbitis namque illum ſacrificium Deo offerentem, quem paulo ante videbatis vix labia moventem. Deinde accitis qui nuper advenerant ſenioribus, Hic dies, ait, erit vobis boni nuntii dies. Dominum & patrem noſtrum Dunſtanum hic fuiſſe, & me ab omni corporis moleſtia ſanaſſe ſcitote. Regredimini ergo ad eccleſiam, portas ejus ſuper vos obſerate, ad memoriam ſancti accedite, genua flectite, ac pro reddita mihi ſanitate uberes gratias referte. Nolo etenim per me ipſum modo venire, ne exiſtiment me homines aliquid eſſe, quaſi qui potuerim Dei ſanctos videre. Faciunt illi imperata, magnumque fratribus de morte Patris ſuſpectis gaudium præſtant.

& in morbo Capellani. 19. Quidam capellanus Presbyter Archiepiſcopi adeo gravi febrium vexatione per octonos menſes cruciatus fuerat, ut conſumptis carnibus vix infirmis oſſibus pellis hæreret. Hic eo momento quo Archiepiſcopus ſalvus effectus eſt, optatam a Deo ſalutem, & ipſe conſecutus eſt, & mane ad Archiepiſcopum lætabundus ingrediens, (didicerat namque illum convaluiſſe) requirebat modum receptæ ſanitatis, & audiebat. Rogatus etiam ipſe, ut quemadmodum ſeſe haberet ediceret, Plane, inquit, optime valeo, quoniam is qui te in mortis periculo miſerando reſpexit, mihi quoque ob gratiam tui in hac nocte ſalutem conferre dignatus eſt. Jacebam namque in ſtratu meo, quod ligneus ſolummodo a ſtratu tuo paries dirimit, videbamque in viſionem beatum Dunſtanum ſollemnes in eccleſia Salvatoris Miſſas agentem, meque illi in miniſterio ſubdiaconatus ſervientem. Cumque perlecta a me fuiſſet Epiſtola, ad pedes illius ex more deoſculandos acceſſi, benedictionem petii, & ita cum ejus benedictione recedens convalui. Audiens hæc venerabilis Pater Lanfrancus, erumpens in gaudium ſic ait, Non potuit quicquam infirmitatis in loco remanere, quem ſanctus Dei viſitationis ſuæ gratia dignatus eſt illuſtrare.

Catenato nodi ſoluti. 20. Ea quoque tempeſtate duæ quædam res apud nos contigerunt, quas non magis beato Dunſtano, quam ceteris ibidem quieſcentibus ſanctis adſcri-

Digitized by Google

ſcribendas putavimus. Ex præcepto ſiquidem Bajocenſis Epiſcopi quidam vir in vincula conjectus fuerat, propterea quod cervum in ſilva illius a canibus incitatum, ſeſeque in occurſum ejus præcipitem dantem, emiſſa ſagitta occidiſſet. Habitus ergo in vinculis in civitate Cantuaria, diebus ac noctibus eccleſiam frequentare, lacrymas pro peccatis effundere ſuis, magnumque populi affectum ex ſonitu ſtridentium catenarum circa ſe excitare. Cumque hoc per duos annos indeſinenter feciſſet, quadam die, cum ante altare dominicæ Crucis proſtratus jaceret, videntibus cunctis qui circumſtabant, catenæ diruptæ ſunt, boiæ in quatuor pates comminutæ, clavi in minutas partes confracti. Ipſe vero quid de eo divinitus agebatur penitus ignorabat. Surgente autem illo ab oratione, ceciderunt vincula de pedibus ſuis, quæ tollens in manibus ſuis, per medium fratrum omnipotentem Chriſtum pro miraculo laudantium perrexit, eaque ſuper altare Chriſti poſuit, offerens Deo pro munere quod ſibi fuerat pro onere. Poſt paucos dies dum rem iſtam Lanfrancus Archiepiſcopus cuidam præpotenti viro narraſſet, ille vicaria relatione, Et ego, inquit, tale aliquid veſtræ excellentiæ narrare valeo, quod non minoris admirationis apud te fore exiſtimo. Tertius namque dies eſt hodie, ex quo ſedecim naves piratarum validiſſimo vento actæ, ad ripam maris ſunt jactatæ: homines autem qui intus fuerant, partim maris fluctibus ſunt immerſi, partim a regiis exactoribus comprehenſi, cum principe ſuo nomine Baraba compedibus adſtricti ſunt, qui idcirco Baraban ſe appellari voluit, quoniam nimiæ ſemper crudelitatis fuiſſet, multamque hominum turbam manu ſua occidiſſet. Evadens autem de compedibus viam quæ ducit Cantuariam arripuit, ſciens ſe neque vita, neque membris cariturum, ſi eccleſiam Chriſti contingere poſſet aſylum. Sed cum jam prope civitatem fuiſſet, mox ut pinnam Eccleſiæ, & Cherubin aureum vidit, quaſi cæleſtis Cherubin virtute repulſus ultra progredi non potuit. Nititur itaque totis viribus contra vacuum aerem, & ſemper eum quaſi murum ferreum ſentiebat. Hæſit vero ſtupens, & iterum reſumptis viribus prioris luctæ certamen aſſumpſit; ſed ea qua ante virtute repulſus, majore quam ante ſpatio reſiliit. Tentabat ſi unde venerat regredi poſſet: currere poterat quantum volebat. Si vero quo diſponebat, progredi vellet, mox ut eccleſiam videbat, pedem movere non poterat. Deſperans ergo de ſalute ſua & de miſericordia Dei, Manifeſtum eſt, inquit, cum damnatis me ſortem habere, cui eccleſiam Chriſti non licet videre. Quid ergo prodeſt crudelem Chriſtum invocare, a quo non ſit miſericordiam impetrare? Ut fortuna volet, eat, ego deinceps fugam non inibo, ſed unde veni moriturus redibo. Hæc dicens, præcipiti curſu redit, quæ ſibi contigerant multis millibus hominum narravit. Poſt hæc condignas factis pœnas ſolvit. His acceptis Lanfrancus vocato me præcepit iſta in populo prædicari, adjungens ideo hunc ab eccleſia terribiliter repulſum, quod ficto corde ad eam acceſſerit: illum vero alium ea re in eccleſia mirabiliter liberatum, quod ad eamdem quotidie devoto animo tetenderit.

AN CHR. 988 19. Maji.

Factum contrarium

21. Sed & illud perpetua dignum eſt memoria *a*, quod circa Edvvardum urbis Lundoniæ Archidiaconum ejus clementia mirabili modo operata eſt, qui cum eſſet in ſæculo deliciis pollens, conſpiciens omnia ſæculi bona eſſe anguſta, contulit ſe ad unum incommutabile commune ſufficiens bonum Deum, ſuſcepta ſanctæ religionis veſte in eccleſia Cantuarienſi, ſub regimine præfati glorioſi viri Lanfranci Archiepiſcopi; ubi per aliquot annos honeſte converſatus, magnam apud omnes cohabitantes gratiam obtinuit. Sed poſt hæc malignus Spiritus ejus converſioni ſimul & converſationi invidens, occultis quibuſdam & importunis ſuggeſtionibus animo illius tædium religionis ingerebat, cupiens illum ad hanc mentis inſaniam perducere, ut ad ſæculum, unde venerat, repetito vomitu ſordium rediret.

Monachus recedere volens impeditur.

a Hoc miraculum diſtinctius refert Osbertus infra.

AN.CHR. 988 19. Maji. ret. Immittebat namq; diabolus in cor ejus ſæculi voluptates, amplexus feminarum, amplas domos, amicorum ſocietates; nec permittebat illum cogitare, quam dulcis eſt Dominus guſtantibus eum, quam magna domus Dei, & ingens locus habitationis ejus, quam beata ſocietas Angelorum Deum in ſæculum ſæculorum laudantium. Victus tandem importunitate tentatoris, exitum de eccleſia moliebatur, & paratis omnibus quæ ad hoc ſacrilegium explendum idonea videbantur, ingreditur eccleſiam *a*, a ſancto Dunſtano licentiam exeundi & ad ſæculum revertendi petiturus, ſciens procul dubio quod nihil ei proſpere procederet, ſi illo offenſo diſcedere non timeret. Et ſurgens ab oratione ut oſtium eccleſiæ egrederetur, reperit in oſtio Dunſtanum cum virga ſtantem, non talem tunc qualem illum viderat Lanfrancus, ſed terribilem vultu, oculis minacem, & mordacibus labiis hæc infrementem: Regredere miſer, regredere, omnipotenti Domino te proſterne, conceptumque diaboli venenum de corde tuo evome. Cumque ille pavens ac tremens hæreret, Dunſtanus elevata contra illum virga, ait: Non exibis, *ſed hic morieris*. Hoc dicto qui loquebatur diſparuit, & cui loquebatur graviter ægrotavit. Mox itaque lectulo receptus, duobus menſibus in magnis anguſtiis vixit & poſt hæc vitam conſummavit. Sed cum ad hoc ventum fuiſſet ut animam reddere deberet, accerſitis his quos primos in amore fraternitatis habuerat, univerſa per ordinem quæ vel male diſpoſuerat, vel bono ſuo viderat, in magna cordis contritione narrabat. Hæc eadem alius quidam frater bonæ indolis adoleſcens, nomine Adrianus, coram omnibus confeſſus eſt, dicens ſe & conſcium conſilii & conſentaneum operi.

Dunſtanus invocanti propitius. 22. Ante hos dies cum in inſula Tanatos eſſem, gradiebar juxta littus maris cum milite, qui me pro defenſione ſui invitaverat, conſiderans ea quæ ibi ſunt mirabilia Dei, & materiem boni ſermonis exinde eliciens. Inde ſermo ad patrem Dunſtanum potractus eſt, quoniam maximum ſemper lucrum reputo quoties loquendi de illo occaſionem reperio. Tum miles idem memorato hoc nomine totus expalluit, ac veluti dolorem ex intimo ſuſpirans, Væ, ait, mihi ingrato, qui tantorum beneficiorum huc uſque immemor exſiſto. Tum ego: Et quid, inquam, hi tam moleſti anhelitus. Noſti, ait, quantum mihi infeſtus Abbas ſancti Auguſtini, dum adviveret exſtiterit, dum diripere cuperet quæ ad me hereditate veniſſent. Novi, inquam. Num & illud noſti quod non modo nihil ejus immoderatio obfuit, verum etiam ad majoris mihi gloriæ cumulum excrevit? Nec hoc, inquam, latet: ſed quorſum iſta commemores ignoro, Scies, inquit: nocte ſiquidem, quæ diem ſtatuti inter me & illum placiti præcedebat, memorans cum eſſem in domo mea quæ prope eſt, quod frequenter patrem Dunſtanum tuis rationibus extollere conſueveris, Nunc, ajo, experiri habeo, ſi ut accepi, ita ille laudabilis exſiſtat. Flexus ergo in oratione, Deus, inquio, patris Dunſtani, fave hodie noſtræ parti. Inde corpuſculum requiei dedens, video in ſomnis urbem Cantuariam, baſilicam Salvatoris, memoriam Patris: cui quaſi imcumbens, aſpicio virum juxta ſtantem, decorum forma, veſte ſpecioſum, lampadem lucis manu tenentem: ad cujus imaginem perterrefactus, Quiſnam, inquam, es tu hominum pulcherrime. Idem, inquit, ille, cujus tu paullo ante auxilium precabare. Pape, inquam, quam citus es ad miſerandos miſeros! Noſti quid Dominus minatur? Nihil, ait, ejus minas pertimeſcas, nec magni eas omnino pendas. Ita miles ille oravit, poſt hoc verſus ad me ait: Jam cetera tu noſti, quemadmodum ego & tu convenerimus, contenderimus, convicerimus. Signum, inquam, grande in illa die dedit ſanctus, propterea quod dum illi plures, & elimato acumine fuerint, a paucis & minus acutis victi abierint. Tum ego reſpiciens ad eos qui præſentes erant oſtendi verbis, quod nunc prodo litteris.

23. Nunc

a „ Nempe dum Fratres meridiana hora in lectis pauſabant, apud Oſbertum: qui ait id factum eſſe inter „ duas feſtivitates Aſſumptionis & Nativitatis S. Mariæ.

23. Nunc ad ea quæ meam proprie attingunt perſonam, ut minus forٍtaſſe ſapiens, tranſibo, & ſic ori ſilentium ponam, manibus quoque otium indicam. Quodam tempore quidam homines gravi me odio infeſtabant, nec prius ab infeſtando quieſcere volebant, quam magnis injuriis affectum gravioribus minarentur afficiendum. Eorum vero qui agendæ cauſæ noſtræ judices dati fuerunt ita animus ſive gratia, ſive importunitate adverſariorum a me alienatus eſt, ut neque oratione inflecti, neque ulla poſſent ratione moveri. Deſperans ergo de ſubventione hominum, ſolius Dei ac beati iſtius auxilium duxi quærendum eſſe. Itaque nocturno tempore ſoporatis omnibus, ejus memoriam in magna confidentia adii, & multitudinem miſerationum illius gemebundis vocibus ac lacrymabilibus oculis pulſavi. Demum mente feſſus, luctu anxius receſſi, ſecretum petii, dolorem cordis requie corporis, ut interdum fit, lenire deſiderans. Necdum ſatis ad pauſandum compoſueram corpus, dum animo cuncta excedens, viderer mihi in atrio templi domum videre, cujus magnitudo mirabilis, pulchritudo inæſtimabilis, ad quam nemo niſi per quamdam aquarum colluvionem poterat tranſire. Verum iſta tranſeuntibus lex erat, ut quanto magis ad introitum domus appropinquarent, tanto minus eaſdem ſentirent aquas. Tranſibam ego cum tranſeuntibus, ac rareſcentibus aquis ad ulteriora alvei littora perveniebam: moxque domum ingrediens, videbam totam illam majori quam ſolari claritate fulgentem, cœtum quaſi ſanctorum ineffabili quadam ſuavitate lætantium circumſedentem; & quamdam decoris ſubtilitatem, quæ modo cryſtalli pervideri poſſet oculis intuentium, prætendentem. Conſiderabam diligentius, volens deprehendere, unde etiam immenſæ lucis claritas coruſcaret, & videbatur mihi quod non aliunde quam de corporibus ſanctorum idem ſplendor exiret. Interroganti autem mihi quæ hæc eſſent, edoctum eſt hunc eſſe clerum magni Dunſtani, illum vero paullo ante affuiſſe, divina Sacramenta celebraſſe, & necdum Communionis Antiphona decantata receſſiſſe, atque ut illum exſpectaret qui ad requiem illius decumbebat præcepiſſe. Cogitabam itaque ne forte ego ille eſſem. Cumque hoc in animo volverem, conſurgentes viri illi apprehenſum me ſtatuerunt in medio ſui, alterutris vocibus ſeſe cohortantes: Eja fratres, Miſſas terminemus, quoniam is adeſt, cujus gratia iſta dilatio facta eſt. Cœperunt itaque dulciſſimis ac modulatiſſimis vocibus pſallere, & me ad organizandum quod pſallebant invitare. *Dico autem vobis amicis meis, ne terreamini ab his qui vos perſequuntur.* Ad quas voces experrectus confeſtim, ad ſepulchrum ſancti cucurri, medium illud utriſque brachiis amplexatus ſum, vociferans ac nimia cordis exſultatione proloquens: Affuiſti, pater chariſſime, affuiſti, affuiſti in anguſtiis laboranti, & gratiam tui humiliter poſtulanti. Vere ſanctus Dei es, & quodcumque vis ab illo impetrare potes. Jam ſecurus judices adibo, nec minas cujuſpiam hodie formidabo. Venientibus ergo judicibus, quorum interfuit cauſam terminare, acceſſerunt hii qui me turbare moliti, acceſſi & ego calumniam de adverſariis movi. Itaque, Deo adjuvante & Dunſtano patrocinante, omnes mihi adverſantes devici, ut & ipſi propria ſua ratione caderent, & ego non ſolum factam mihi injuriam non effugerem, verum etiam in mea defenſione ſimul & exſultatione plurimum exultarem.

AN. CHR. 988 19. Maii.

Auctor de ſe narrat viſum.

24. Satis eſſe iſta exiſtimo domini & patres chariſſimi, vel ad inſinuandos temporales ſancti viri labores, vel ad ejus ſempiternam gloriam catholicæ Eccleſiæ fidelibus commendandam: non quo plura non ſint, & fortaſſe his majora, quæ ad hæc narrari valeant: ſed quod ea ſolummodo voluerim narrare, quæ fidem (ſicut proœmio dixi) non viderentur excedere. Quis namque ſtatim mihi credulitatem accommodaret, ſi dicerem aut veſtem illum in columna lucis ſuſpendiſſe, aut extremam cognati parentis egeſtatem ad ſummas divitias nummi dimidio perduxiſſe? Cujus animum horror non percelleret, ſi audiret Monachum Jeroſolymam pro-

Auctor multa prætermittit.

Digitized by Google

AN.CHR. 988 19. Maji. [a] properantem, ab exercitu Imperatoris Conſtantinopolim circumventum, ad ſolam ſancti illius invocationem ab eorum moleſtiſſima irruptione liberatum? Quem, inquam, ſtupor non apprehenderet conſiderantem, vel *furem* a ſancto perterrefactum res a requie illius exportatas in atrio templi *illibatas* reliquiſſe; vel civem Cantuariæ contra oppoſitam ſancti auctoritatem ſubſtantiam eccleſiæ Chriſti ſubripientem, poſt paucos dies pœnam ſuæ temeritatis ſolviſſe? Videtis quibus abſtineo, propterea quod æſtimationem audientium ſupergredi nolo, quæ tamen ſi commemorarem, incredibilis eſſe non deberem, propterea quod nihil eſt difficultatis, ubi Dominus Chriſtus auctor eſt operis. Deinde more cantorum in conviviis agentium fecimus, qui dum pulcherrimum eſt, medium carmen recidere aſſolent, quo & tædium audientibus tollatur, rurſumque audiendi oblectatio major excitetur. Ad poſtremum vero dicendi præceptis vel in fine hujus orationis parere voluimus, qui commotis animis auditorum finem ponunt officiis Oratorum. Nam lacryma, ut Tullius ait, nil citius areſcit. Quod ſi ego, ſicut oportuit, officium peregi, grates obſecro omnipotenti Deo mecum exſoluite, cujus ut peragi poſſet actum eſt miſeratione; ſin vero minus appoſite dixi, non ideo minus is de quo dixi debet appretiari, propterea quod nihil eſt indignius, quam propter vitium ſcribentis virtutem minuere bene promerentis. Potius in illo Deum magnificemus, nomenque illius certatim invicem exaltemus, agentes ei gratias, qui illum ante mundi conſtitutionem in æterna ſua ſapientia elegit, & Anglorum tempora per oſtenſionem corporalis præſentiæ illius beatificare voluit. Veneremur quoque illum in Deo, ejuſque merita ſummis honoribus attollamus, certi quod ad Dei gloriam pertineat, quicquid in ejus veneratione noſtra devotio informat. Amemus illum ex omnibus cordium noſtrorum medullis, ac per illum quicquid a Deo fideliter petierimus, nos recepturos ſperemus: propterea quod nihil nobis Dei clementia poterit denegare, ſi quem ille diligit, nos ſtuduerimus & animo diligere, & obſequio venerari. Gloria omnipotenti Deo Patri, qui illum fecit: gloria *Unigenito* Dei Filio qui illum redemit: gloria Spiritui-ſancto qui illum ſua gratia illuminavit; uni ſoli vivo & vero Deo laus & gratiarum actio per infinita ſæcula ſæculorum, amen.

Quem genus inſignit, virtus attollere certat,
    Huic dare noſtra cohors munera laudis habet.
Dunſtanus pater eximius venerandus in orbe,
    Poſt hyemem, veris tempora læta ſubit.

FRAGMENTA EX ALIA VITA

Auctore Osberto Monacho ſæculo 12.

XXVII. POſthæc Edgarus partem regni, quam diximus Eduino remanſiſſe, obtinuit, regnumque ſui unitatem recepit, bellis ac ſeditionibus, quæ ex ejus diviſione emerſerant, quaquaverſum ſedatis. Exin defuncto Epiſcopo Londonienſi, quæſitum eſt, quis in Epiſcopatum digne ſuccedere poſſet: Et cum in hoc aliquantulum temporis expenderetur, nec decens perſona & idonea reperiretur, tandem electio omnium ſuper Dunſtanum verſa eſt, & ipſe pontificatum prædictæ eccleſiæ ſuſcipere communi cunctorum conclamatione coactus eſt. Utraque igitur Eccleſia, Vvigornienſis videlicet & Londonienſis, eo præſule gloriabatur, quandoquidem ipſe ſumma neceſſitate compulſus, utriſque Pontifex per nonnullum temporis ſpatium erat, utrique ſollicitudinis ſuæ curam impendens, utramque intus & extra ſua defenſione contra omnes æmulos muniens, in utraque officium pontificale opportuno tempore ſedulus exſequens. En viſio, quam ſupra deſcripſimus in gladiis Apoſtolorum, partim impleta eſt, cum in Epiſcopatu Londonienſi, qui ex nomine beatiſſimi Pauli celebris habetur, confirmatus eſt. Profecto namque gladium ipſius Apoſtoli ipſi eccleſiæ prælatus accepit, quia verbum Dei, morem illius ſequutus, ſubditorum cordibus infudit excellenter; & pote-

[a] Hoc miraculum refert Osbertus, infra. Aliud ab aliis prætermiſſum memorat Vvillelmus de fure ſuſpenſo, quem Dunſtanus incolumem ſervavit.

Digitized by Google

poteſtate, qua ille in virtute Domini Chriſti gloriatus eſt, ipſe ad terrendum impios, ad demulcendum pios circumquaque uſus eſt. Quod & in Eccleſia Vvigornienſi ſtrenuus egit, quam in gladio beati Petri regendam ſuſcepit: ſiquidem Epiſcopatus idem per id temporis in honorem ipſius Apoſtoli glorioſi fundatus habebatur. Sed OSVVALDUS vir ſanctus & religioſus, quem in regimen ipſius eccleſiæ beatus Dunſtanus Cantuarienſis Antiſtes effectus, ſibi ſuccedere fecit, quia clericos ibi degentes nec a pravitate ſua convertere, nec inde, eo quod nobiles juxta ſæculum atque potentes erant, quibat eliminare; conſtruxit pæne contiguam ipſi eccleſiæ eccleſiam beatæ Dei Genitrici Mariæ, in qua ipſe cum Monachis, quos ſe propoſuerat adunaturum, Chriſto ſerviret: quod & factum eſt. Religio itaque Monachorum contemptum clericis peperit, & vulgi conventum ab eis alienatum, ſibi aſſiduum fecit. Quid plura? Numerus clericorum paſſim minuitur, monachorum conventus in dies augetur. Quidam inſuper ex ipſis clericis converſi, numero illorum additi ſunt. Hoc modo ſedes Pontificalis mutata eſt in eccleſiam beatæ Mariæ ſemper Virginis.

AN.CHR. 988 19. Maji. Vvigorniæ Monachi locati.

XXVIII. Memorato itaque Odone Archiepiſcopo Cantuariorum ad perennis vitæ gaudia tranſlato, immenſum omnibus Anglorum Eccleſiis luctum ſuus tranſitus intulit, & innumeros populos acerbo mærore percuſſit. Poſtulatus Dunſtanns Odoni in patriarchatum ſedis Anglorum ſuccedere, abnegat, ſuſcepti regiminis onus ſatis grave ſibi ad portandum, etiamſi majus non reddatur, proteſtans. Unde Belſsnus *, Vventanæ civitatis Antiſtes, per regni Principes, quorum alios re præſentium, alios ſpe munerum futurorum ad hoc ſibi fautores effecerat, Archiepiſcopatum, Rege annuente, obtinuit: qui poſt aliquot adeptæ dignitatis dies Romam pro Archiepiſcopatus ſtola petens, in Alpibus nimia frigoris aſperitate correptus, ultimum flatum ibidem emiſit. Poſt quem ſubſtitutus eſt in ſummam eccleſiæ Dorobernenſis pontificatum Bixtelinus * Dorſetenſis populi præſul, vir totus ex manſuetudine, humilitate & modeſtia factus. Verum ubi compertum eſt, nihil in corrigendis vitiis, nihil in exercendis eccleſiaſticis diſciplinis, neque virtutis ſeu conſtantiæ in eo eſſe ad tuendos bonos, vel coercendos malos, ad eccleſiam ſuam rediit: & ita ſedes Cantuarienſis a Pontifice aliquantis diebus vacua ſtetit. Itaque unanimis omnium electio Dunſtanum inclamitat, &c.

* l. Elſinus.

* l. Britzelmus

XXIX. Poſt hoc, temporis opportunitate accepta, beatiſſimorum Apoſtolorum Petri & Pauli limina petiit, & eum ſummæ ſedis Pontifex magno ſinceræ dilectionis affectu illo venientem excepit; ſecumque poſtea familiarius agens, & agendo templum ſancti Spiritus eſſe cognoſcens, magnifice illum honoravit, ac ſtola ſui Apoſtolatus, pro qua venerat, decentiſſime decoravit, &c.

XXX. Inter hæc viſionem, quam ſibi in Apoſtolicæ armaturæ oblatione dudum apparuiſſe deſcripſimus, mente revolvens, & eam jam in adminiſtratione regiminis duarum eccleſiarum, Vvigornienſis videlicet & Londinenſis, ferme impletam conſpiciens, dicendum exiſtimo, per quid Archiepiſcopatus Cantuarienſis, qui hos dignitate præcedit, & in quo ipſe excellentius ſedit, ei præſignatus, &c. Quis ergo in cunctis, quæ religioni competunt, Dunſtanus fuerit, videlicet cujus virtutis ad omnes omnium perſonarum injuſtitias deprimendas, atque bona opera fovenda & munienda exſtiterit, uſque hodie tota Anglia canit, nec opus eſſe arbitror, ut me illis ſcribendis fatiget grandis labor. Nonnulla tamen, quæ ab illis, qui ex ejus tempore uſque ad nos per ſucceſſus ætatum fluxere, accepimus, compendioſo relatu ſubjiciam quatenus inde percipiatur veritas verborum, quæ propoſuimus.

XXXI. Comes quidam præpotens cognatam ſuam illicito ſibi matrimonio copulaverat, & a Dunſtano ſemel, ſecundo & tertio redargutus, inceſtum ſuum divortio expiare nolebat. Quapropter gladio Spiritus ſancti a viro Dei percuſſus, a liminibus eſt ſanctæ Eccleſiæ ſeparatus: qui typho tactus ſuperbiæ, Regem adit, Dunſtanum immoderatæ & impiæ ſeveritatis accuſat, regia ſanctione ſe ab ejus tyrannide liberum conſtitui querula voce precatur & obſecrat. Cujus verbis Rex acquieſcens, Dunſtano mandat, ut hominem cum ea quam duxerat, in pace manere ſinat, & a quibus ipſum ſuſpenderat liminibus ſacris reſtituat. Miratur ille ad audita, & dolet religioſum Regem per mendacem hominis linguam, ante rei inquiſitionem & examinationem eſſe ſeductum. Ponit tamen hominem ad rationem, & tam pro commiſſo crimine, quam & propter injuſtam ſui criminationem, apud Principem terræ factam, paullo durius increpat, cupiens eo modo ad pænitentiam & correctionem cor illius emollire. At ubi vidit ipſum non ſolum verbis ſuis non conſentire, ſed inſuper contumaci ſpiritu contra ſe furere, minarique, ſupra id quod eum ab ingreſſu domus Dei ſuſpenderat, ut dixi, omnem ei communionem fidelium, donec a ſua pravitate diſcederet, interdixit. Tunc ille ſeipſo deterior effectus, immani eſt furore correptus, & nihil eorum, quæ poſſidebat, alicujus eſſe momenti reputans, ad hoc ſolum ſe totum ſtudebat impendere, ut Dunſtano excitaret ſcandalum, & Chriſtianæ legis jugum, quo a ſua libidine coercebatur, ſibi faceret alienum. Legatos itaque ſuos Romam deſtinat, & talibus aſſueta quorumdam Romanorum corda & ora in ſuam cauſam largo munere largiori ſponſione permutat. Quid deinde? Præſul apoſtolicæ ſedis Dunſtano, peccatori homini condeſcendere verbis ac litteris mandat, & eum Eccleſiæ gremio integre conciliare monet, hortatur, imperat. Ad quæ Dunſtanus ita reſpondet: „Equidem cum illum, de quo agitur, ſui delicti pænitudinem gerere videro, præceptis „domi-

Comes ob illicitum conjugium ab eccleſiæ aditu prohibitus, Rege repugnante excommunicatur.

Romanum Pontificem captat. Dunſtano in propoſito perſiſtente,

Digitized by Google

AN.CHR. 988 19. Maji.

„ domini Papæ libens parebo: ſed ut ipſe in peccato ſuo jaceat, & immunis ab eccleſiaſtica diſciplina nobis inſultet, & exinde gaudeat, nolit Deus. Avertat etiam Deus a me, „ ut ego cauſa alicujus mortalis hominis, vel pro redemptione capitis mei poſtponam legem quam ſervandam ſtatuit in ſua Eccleſia idem Dominus meus Jeſus-Chriſtus filius *Dei*. Hæc ſibi relata ille audiens, & Dunſtanum ab his quæ certo diceret & inflexibilem eſſe certiſſime ſciens, & excommunicationis ſuæ pœna cum pudore hominum conſtrictus, tum timore periculorum quæ talibus nonnumquam accidere ſolent, perterritus, obſtinationem ſuæ mentis depoſuit, & abdicato illicito conjugio, pænitentiæ ſibi cultum impoſuit. Dunſtano namque generale totius regni Concilium de obſervantia Chriſtianitatis celebrante, ipſe ſuimet oblitus, nudis pedibus, laneis indumentis corpus amictus, virgas manu ferens, Concilio ſeſe medium ingeſſit, & ante pedes Dunſtani gemebundus & ejulans corruit. Quo viſo, moti ſunt omnes qui aderant ad pietatem, & ipſe pater omnium, majori præ ceteris pietate motus eſt. In vultu tamen ſervato diſciplinæ rigore, ut pote hominem Deo reconciliare deſiderans, lacrymas ejus ad horam ſeverus ſuſtinuit; ac demum a toto Concilio poſtulatus, lacrymans & ipſe, culpam indulſit. Itaque ab excommunicationis vinculo abſolutum, communioni fidelium, gaudentibus cunctis, eum reſtituit.

tandem pænitentiam ſubit.

XXXII. *Monetarios falſos puniri jubet in die feſto.*

Alio tempore monetarii tres, qui in poteſtate viri erant, cum falſa moneta capti, ad ſubeundam pœnam, hominibus per totum regnum promulgatam ſunt adjudicati: quæ res Dunſtano abſcondi non potuit. Die ergo Pentecoſtes idem pater Miſſarum ſollemnia celebraturus, percontatur, utrum Dei populo ſtatuta juſtitia de ipſis monetariis facta fuerit, an non. Reſpondetur, eam, ob reverentiam tanti diei in alium diem eſſe dilatam. „ Nequaquam, „ inquit, ita fiet, Monetarii namque, qui falſos ex induſtria denarios faciunt, fures ſunt, „ & eorum furto nullum eſſe nocentius cognoſco; nam in falſa moneta quam faciunt, totam terram ſpoliant, ſeducunt, perturbant. Ipſi divites, ipſi mediocres, ipſi pauperes in „ commune lædunt, &, quantum ad eos pertinet, omnes aut in opprobrium, aut in egeſtatem, aut in nihilum redigunt. Qua propter noveritis, quia ego hodie ad ſacrificandum „ Deo non accedam, niſi primo illi qui deprehenſi ſunt, eam quam in ſeductione totius „ populi promeruerunt ſubirent pœnam. Si enim in ultione tanti mali, cum negotium me „ reſpiciat, Deum placare ſuperſedeo, quomodo illum de manibus meis ſacrificium ſuſcepturum ſperare queo? Sed hoc licet crudelitati poſſit adſcribi, Deo tamen patet intentio „ mea. Lacrymæ, gemitus, atque ſuſpiria viduarum ac pupillorum, clamor quoque vulgi „ totius mihi incumbit, & correctionem hujus mali depoſcit. Quorum afflictionem, ſi, „ quantum in me eſt, mitigare non intendo, & Deum qui gemitibus eorum compatitur nimis offendo, & alios ad idem malum exercendum promotiores & audaciores facio. Dixerat, & pro pœna illorum qui manus erant perdituri pietate motus lacrymas manat, ut ſatis eſſet videre, de quo fonte procedebat edictum quod nonnullis videbatur crudele. Ubi vero audivit præſtitutam juſtitiam factam ſurrexit, ac lota facie ad oratorium exhilarato vultu abiens ait: Quia Dominum obediendo ſtatutis, juſtitiæ, legibus audivi hodie, confido quod & ipſe per miſericordiam ſuam ſacrificium de manu mea ſuſcipiet hodie. Cujus confidentiæ effectu privatus non eſt. Eo quippe inter ſacroſancta Miſſarum ſollemnia ſacras manus extendente, & Deum Patrem omnipotentem, ut Eccleſiam ſuam catholicam pacificare, cuſtodire, adunare & regere dignaretur toto orbe terrarum interpellante, nivea columba multis intuentibus de cælo deſcendit, & donec ſacrificium conſumptum eſſet, ſuper caput ejus expanſis alis & quaſi immotis ſub ſilentio manſit. Inter hæc quid animi gereret ſervus Dei, quo amore, qua dulcedine, quo deſiderio putas in Deo paſcebatur, *qui ex præſenti* gratia Dei, tali viſitatione fovebatur? Conſumpto ſacrificio, columba *eadem in* auſtralem altaris partem declinavit, & ſuper tumulum beati Odonis, cujus *ſupra* mentionem fecimus, ſe reclinavit, alis ſuis hinc inde illum complexans, & quaſi roſtro deoſculans. Quod beatus Dunſtanus intuens, & exinde meritum jacentis appendens, in tanta eum deinceps reverentia habuit, ut quoties ſepulchrum ejus tranſiret, genua flecteret: cognomine quoque Boni in materna lingua poſt hæc ſemper eum nominare conſuevit; videlicet, *Ode ſe gode*, quod latine ſonat. Odo bonus. Quo cognomine ex eo tempore uſque ad hanc noſtram ætatem ſolet ab Anglis, maxime tamen in Cantuaritis, nuncupari. Percantata Miſſa, Dunſtanus ab altari digreditur: miniſtris autem eis pro ſigno quod acciderat, his & *illis* innuentibus, & alios ex fratribus miniſterio Pontificis aſſuturos ſuſpicantibus, ipſi ſe in diverſa tollunt, ac virum immenſis adhuc hæc præſentia gratiæ Dei lacrymarum imbribus madentem, ſolum relinquunt. Et ecce dum caſulam qua inter ſacra veſtiebatur deponeret, nec ullus adeſſet qui eam ſuſciperet, diſponente Deo, ſuſpenſa pependit in aere, ne cadens in terram ſervum Dei a ſua turbaret intentione.

Columba ſacrificanti adeſt.

XXXIII. *Fontem elicit e rupe.*

Per id ferme tempus rogatus a quodam viro nobili & religioſo, dedicavit ei eccleſiam unam, quam ipſe in fundo ſuo conſtruxerat: ubi ad miniſterium aqua deficiente, & ob hoc homini nonnulla mæſtitudine ſubripiente, famulus Dei præmiſſa prece terram baculo percuſſit, illicoque fons limpidiſſimus erumpens, omnes qui præſentes erant non modicum lætificavit: qui fons uſque hodie manans, Dunſtani nomen & meritum celebre facit. Idem Pater a Cantuaria in remotiores villas ſuas opportunis ſpatiis hoſpitia ſua diſponens, apud Magaveldam, ſicut & in aliis hoſpitiorum ſuorum locis, ligneam eccleſiam fabricavit: quam ipſemet dedicans, dum ex more circumiret, & eam ad æquinoctialem ſolis ortum minime verſam

Eccleſiam ad orientem vertit.

Digitized by Google

ſam perciperet, fertur quod tranſiens humero ſuo illam aliquantulum preſſit, moxque mutatam a proprio ſtatu in medium Orientis tramitem pro voto convertit: quod ipſum facile potuiſſe efficere nemo ambigit, niſi qui verbis Domini Chriſti quibus fidem ſicut granum ſinapis habentibus promittit, quod etiam montem dicto transferent, credulus exſiſtit. AN.CHR. 988 19. Maji.

XXXIV. Exercitia ejus.

Inter hujuſmodi opera Dunſtanus Deum ſemper in mente habere, Deo quicquid boni perficiebat non ſibi adſcribere, magnum humilitatis, minimum elationis cor per omnia & in omnibus poſſidere. Cum autem a ſæcularium negotiorum occupationibus ei quies arridebat, modo contemplationi divinæ & orationibus incumbebat, modo ſacrarum Scripturarum lectioni & earum expoſitionibus intendebat, modo fratrum exhortationi ſeu librorum emendationi ſedulus operam impendebat. In compunctione vero lacrymarum tanta gratia prædirus erat, ut quoties eum ſacris altaribus ſiſti, vel aliquo officio pontificali fungi conſpiceres, Spiritus ſancti fervore mentem ejus accendi, & quæ ipſe exterius adminiſtrabat, illum interius operari per indices ex oculis illius decurrentes lacrymas non dubitares. Hæc inter ſibi & ſucceſſoribus ſuis competentia, tam intra muros urbis quam & in quibuſque villis ad Archiepiſcopatum pertinentibus, ædificia conſtitui, vel conſtituta, ſi qua ex parte diruta eſſent, renovari faciebat, ſe ſcilicet in iſtis non modo ſibi, ſed & multorum utilitati natum vivereque perpendens. Præterea cunctarum eccleſiarum totius Britanniæ adjacentiumque inſularum ſollicitudinem ſtrenuus gerebat, & earum cauſas quæ ad eum ſicut ad primatem & patriarcham quotidie ferebantur diſponebat. Et quia vigilanti ſtudio Domino Chriſto per omnia famulabatur, ſæpe civium ſupernorum gaudiis atque concentibus Angelorum ad quos ſuſpirabat miſcebatur, aliquando corpore vigilans, aliquando ſancto ſopore quieſcens: quodque fortaſſis non minus ſtupeas, per viſum quædam a ſpiritibus didicit, quæ poſtea in ſervitio Dei canenda ſuos edocuit.

XXXV. Viſum de ejus matre

Quadam etenim nocte, cum membra quieti dediſſet, per viſum in ſuperna raptus eſt. Conſpexit itaque, & ecce mater ſua cuidam Regi potentiſſimo in conjugium ſub immenſa confluentium magnatum lætitia & exſultatione copulabatur, reſonantibus undique hymnis ac laudibus in gloriam ejuſdem Regis, organis quoque ac diverſis melodiis concrepantibus in his regalibus nuptiis. Quibus dum ipſe magnifice delectatus intenderet, atque ad ea totum ſui cordis affectum arrigeret; acceſſit ad eum juvenis quidam candidiſſimo tectus amictu dicens illi: Cum videas & audias iſtos lætantium ac jubilantium choros, cur te illis non copulas? cur laudibus eorum non commiſces laudes tuas? Et quidem ſi in deſponſatione matris tuæ a voce laudis & exſultationis cuncti ſilerent, tu ſilere non deberes, nedum illis non tacentibus ſolus tacere. Ad hæc verba, qui in laudem tanti Regis cantaret ignorare ſe reſpondet. Sciſcitatur ergo juvenis, an a ſe quod decenter canere poſſet, inſtrui vellet: quod cum ſibi acceptiſſimum fore profiteretur, docuit eum antiphonam iſtam. *O Rex gentium, dominator omnium, propter ſedem majeſtatis tuæ, da nobis indulgentiam, rex Chriſte, peccatorum, alleluja:* quam pater per viſum ſæpius repetens, & in laudem præfati Regis frequentius canens, mira jucunditate paſcebatur. Expergefactus autem a ſomno, ſurrexit gemens, eo quod a tantis gaudiis tam ſubito ſe in hujus mundi ærumnis invenit. Antiphonam vero ſtatim, ne oblivioni daretur, ſcribi præcepit, eamque a ſuis poſtmodum cantari ſæpius in ſua præſentia fecit. Ex qua etiam magnæ ſuavitatis fervor ob recordationem glorioſæ viſionis ipſi generabatur, & grande deſiderium pertingendi ad tantum bonum in animo illius multiplicabatur. Hanc viſionem, quæ præter illam qua olim patris ſui & matris animas inter choros angelicos vidit, ei apparuit, quidam qui ante me de iſtis *a* ſcripſit, vult myſtice referri ad matrem Eccleſiam, quæ Chriſto ſummo regi per bona opera deſponſatur, & ex qua Dunſtanus & quiſque fidelium per ſacri baptiſmatis undam renatus alimentis paſcitur atque nutritur. Quod autem Dunſtanum Angelus docuit a dominatore gentium petere indulgentiam peccatorum, oſtendit quid Pontifices agere debeant, quoties ad exorandam majeſtatem Dei pro ſuis populique delictis Sancta ſanctorum introeunt.

XXXVI.

Alio quodam tempore Rex in die Dominica mane venatum ivit, & Dunſtanum, qui tunc forte ſecum erat, Miſſam ſuam, donec veniret differre petivit. Appropinquante ergo hora tertia, vir Dei ad eccleſiam procedit, & indutus ſacris veſtibus Regem (ſicut ei promiſerat) exſpectabat. Stabat ergo cubitis innixus altari, orationi ac lacrymis deditus. Tum ſubito ſopore leviter preſſus in cælum rapitur, & beatis angelorum agminibus aſſociatus audit eos ſummæ Trinitati in laudem modulatis vocibus decantantes, *Kyrie eleiſon*, *Chriſte eleiſon*, *Kyrie eleiſon:* quorum melodiam cæleſtium contemplator edoctus, ad ſe reverſus eſt, & converſus ad ſuos interrogat, Rex ne venerit, an non? At ubi eum nondum veniſſe accepit, ad ſuas preces ſeſe convertit: factoque non grandi intervallo, iterum extra ſe ductus audivit in cælis altiſona voce dici: *Ite Miſſa eſt:* quod cum, *Deo gratias*, reſponderetur: accurrentes clerici regis regem adeſſe vociferantur, ſacerdotem ut feſtinantius Miſſam celebret, obſecrant. At ille verſus ab altari, Miſſam ſe habere pronuntiat, & aliam ſe ea die celebraturum abnegat. Depoſitiſque veſtibus ſacris, a ſuis de re inquiritur; quod latebat aperitur. Ex hoc itaque ſumpto ſermone, regem in diebus Dominicis deinceps a venatu prohibuit. *Kyrie eleiſon*, vero, quod in cæleſtibus didicit ſuos docuit, idque multis in locis hodie ſancta Eccleſia inter Miſſarum ſolemnia *b* canit.

Venationem Dominica interdicit.

Moris

a B. ſcilicet qui hanc viſionem explicat de Eccleſia univerſa, dein de propria Cantuarienſi eccleſia.

b Idem habet Vuillelmus, quod intelligendum de cantu, non de cantico ipſo, quod longe ante in uſu erat.

Digitized by Google

AN.CHR. 988. 19. Maji.

XXXVII. S. Auguſtini monaſterium adit de nocte.

Moris erat viro loca ſancta, quando Cantuariæ morabatur, uno tantum fideli ſocio comitatus, noctu peragrare, & ſe inibi per compunctionem & contritionem cordis Deo mactare. Quadam igitur vice ad monaſterium beatiſſimorum Apoſtolorum Petri & Pauli, in quo beatus Auguſtinus & alii nonnulli de patribus eccleſiæ Chriſti Cantuarienſis tumulati ſunt, ex more circa mediæ noctis ſilentium perrexit, ibique Deo ſe diutius in oratione proſtravit. Egreſſus vero, ad Oratorium beatæ Dei Genitricis & perpetuæ virginis Mariæ, quod in orientali ipſius monaſterii parte ſitum erat, eadem facturus divertit: cui appropinquans, audivit intus voces pſallentium atque dicentium: *Gaudent in cælis animæ Sanctorum, qui Chriſti veſtigia ſunt ſecuti: & quia pro ejus amore ſanguinem ſuum fuderunt, ideo cum Chriſto regnabunt in æternum.* Ad hæc ille obſtupefactus, adſtitit oſtio, ac per rimas illius introſpiciens, (erat enim obſeratum) intuetur Oratorium totum immenſa luce ſplendere, & quemdam cuneum candidatarum perſonarum ipſam antiphonam lætis concentibus reſonare. Alio item tempore præfata Paſtorum eccleſiæ limina ſimili hora pari voto requirens, ubi inde diſceſſit, memoratam ſacratiſſimæ Virginis ædem, preces Deo illic fuſurus, adire cœpit. Ecce autem ipſa beatiſſima virginum Virgo, comitata numeroſo virginum choro, venienti viro occurrit, & ſummo cum honore ſuſceptum ad ſuam Eccleſiam, quo tendebat, ducere cœpit, præcinentibus duabus de choro puellis illud Sedulii carmen, atque dicentibus:

Cantemus ſociæ Domino, cantemus honorem:
Dulcis amor Chriſti perſonet ore pio:

Quos verſus cum chorus virginum reſumendo percantaret, prædictæ binæ præcentrices binos, qui ſequuntur in ordine, verſus perſecutæ ſunt:

Primus ad ima ruit magna de luce ſuperbus:
Sic homo cum tumuit, primus ad ima ruit.

Sicque donec vir Dei in oratorium perductus eſſet, virgineus chorus primos, & virgines binæ binos, juxta quod ſeries hymni ſeſe habet, verſus modulatæ ſunt. Propter hæc & horum ſimilia inſignis Pater Dunſtanus quanti honoris, quantæ reverentiæ vel magnificentiæ apud omnes bonos exſtiterit, æſtimo, quod qui talia Dei dona amplecti novit, magna ex parte & me ſilente videbit. At his, qui potius in malitia, quam in bonitate vitam agere ſatagebant, horrorem atque terrorem vultus ejus incutiebat, ut ab eo fugere, quam ad eum accedere mallent. Omnes vero, qui perverſa acta ſua deſerere, & ad recta opera cupiebant tranſmigrare; veræ pietatis ac miſericordiæ viſceribus eum redundare ſentiebant, & ultra humanam æſtimationem conſilium ſimul & auxilium ſuæ ſalutis in eo reperiebant. A remotis itaque terrarum partibus ad eum paſſim currebatur, & quo illum præminere notum erat, Spiritus ſancti conſilium ab eo petebatur. Sed ad iſta ſi diaboli odium & invidia ſæviebat, nulli mirandum. Sed quia ſe in perturbatione viri nihil poſſe, niſi quod jam certo ignominiam ſibi, & illi majorem gloriam adferret, ſciebat, ab ea, qua illum ſæpe fatigare ſolebat, impugnatione ſeſe cohibuit. Verum, ut eum conturbatum redderet, Edgaro regi, quem multum pro ſua reverentia diligebat, laqueum miſerandæ deceptionis tetendit, & irretitum gravis peccati nævo involvit.

XXXVIII. Regem ob violatam virginem,

Quadam enim vice idem rex in monaſterium virginum, quod Vviltoniæ ſitum *a* habetur, venit, ibique captus ſpecie cujuſdam puellæ, quæ de nobilibus Anglorum nata, inter Sanctimoniales non velata nutriebatur & cuſtodiebatur, eam ſuo colloquio adduci ſecretius juſſit. Illa cum duceretur, timens pudori ſuo, raptum ab una Sanctimonialium capiti ſuo velum impoſuit, eo modo ſe protegi ſperans, ſi forte Rex quid inhoneſti a ſe exigere vellet: quam ipſe velatam intuens: Quam ſubito, inquit, Sanctimonialis effecta es? Arreptumque velum detraxit capiti ejus, illa conatu quo poterat, fruſtra obnitente. Abuſus ſiquidem ea eſt, & gravi ſcandalo, quippe per Angliam religioſi ex hoc mente vulnerati ſunt; quod ſcandalum eo vehementius fuit, quod Rex idem legitimam uxorem habebat, ELFLEDAM videlicet, cognomine Candidam, ORDINERI præpotentis orientalium Anglorum Ducis filiam, de qua & ſanctum EDUARDUM genuerat. Ubi vero res Dunſtano innotuit, acerbo mærore percuſſus eſt. Igitur cum in re non ſegnis ad Regem veniret, & ille venienti pro more occurreret, eumque per manum ad ſolium ſuum perducere vellet; manum Dunſtanus turbato vultu retraxit, nec eam ab homine contingi paſſus eſt. Ad quod ille attonitus (non enim illum ſcire putabat, quod clanculo a ſe factum exiſtimabat) cur manum ſibi non dimitteret, inquiſivit. Ait: Tu poſtpoſito omni pudore, adulterium commiſiſti; tu deſpecto Deo, ſignum caſtitatis non veritus, virgini ſuam integritatem præripuiſti: & cur manum, ſummo Patri Virginis Filium immolantem, impuris manibus non tradam, quæris? Lava prius per pænitentiam manus tuas a ſordibus ſuis, & tunc demum, quo gratiæ Dei reconcilieris, honora & amplectere manum Pontificis. Territus ille ad hæc, terræ procumbit, pedes antiſtitis petit, ſe peccaſſe, gemitu verba interrumpente, conteſtans. Quod Dunſtanus videns, tantum in Rege humilitatis exemplum vehementer amplectitur. Velocius ergo illum erexit, & pacato vultu cum eo familiariter, quæ ſalutem animæ ejus operarentur,

manus ſuæ tactu prohibet.

a De hoc parthenone agit Vvillelmus in lib. 2. de Pontificibus Anglorum, mihi fol. 143. verſo, eumque ſtatuit in pago Vviltenſi ſupra Vvillam fluvium. Virginem quæ inde a Rege abſtracta eſt, Vvilfrith appellat Vvillelmus, eamque ſanctam dicit, itidemque Editham, Regis Eadgari filiam, de qua in Sæculo ſequenti. *Jacet in eadem eccleſia*, inquit, *mater ejus* VVILFRITH, *quam non Sanctimonialem, ſicut opinio vulgaris delirat, ſed ſubito timore Regis ſuo tantum conſilio velatam conſtat, abrepto velo regio cubili ſubactam. Unde ille quod feminam attigiſſet, quæ vel umbratice Sanctimonialis fuiſſet, a S. Dunſtano redargutus, ſeptennem exegit pænitentiam. Illa quoque partu explicito voluptati frequentandæ non inhæſit; ſed doluit potius & flevit, ſanctaque pro vero aſſeritur & celebratur.*

Digitized by Google

AN.CHR. 988 19. Maji.

tur, loquens, ſeptennem ei pænitentiam injunxit. At ille pontificali abſolutione potitus, omni ſtudio injunctæ ſibi pænitentiæ operam dare, & multa, quibus Deum placaret, pietatis opera ipſi pænitentiæ, inſtinctu & conſilio patris ſui, ſollicitus cœpit ſuperaddere. Ipſe præterea omni ordini hominum in ſuo regno conſiſtentium legibus ſibi in Chriſtiana religione ſancitis uti præcipiebat: ipſe ſecus agentes indicta vindicta corripiebat: ipſe in pravitate perſiſtentes condigno examine puniebat. Exempli cauſa, Ordo clericalis ea tempeſtate plurimum erat corruptus; & Canonici cum presbyteris plebium, voluptatibus carnis plus æquo inſerviebant: quod malum Dunſtanus corrigere cupiens, auctoritate Joannis apoſtolicæ ſedis Antiſtitis apud Regem obtinuit, quatenus Canonici, qui caſte vivere nollent, eccleſiis quas tenebant, depellerentur, & monachi loco eorum intromitterentur.

Septenni pœnitentiæ addicit.

Monachi Canonicis ſubſtituti.

XXXIX. Athelvvoldus id in ſua eccleſia præſtat.

Præſidebat ea tempeſtate Vventanæ eccleſiæ præſul Athelvvoldus, vir eximiæ ſanctitatis, & educatione patris Dunſtani non parum inſignis. Hic cognita de Canonicis eccleſiæ ſuæ, qui nimium ſæculares exſiſtebant, voluntate Dunſtani, monuit eos ſemel & ſæpius mores & actus mutare, correctioris vitæ ſemitas, relictis feminis, arripere. At in præſentiarum quidem id ſibi poſſibile eſſe negantes, voce corvina ſemper in craſtinum correctionem ſui pollicebantur: quod ipſe gnarus non diu ſuſtinuit. Paratis namque quamplurimis Monachorum cucullis, die, quo Communio: *Servite Domino in timore*, cantabatur, chorum intravit, veſtes quas paraverat, ſecum deferri faciens: & projectis illis in medium, Canonicis ait: Animadvertiſtis, quid modo cantaveritis? Animadvertimus inquiunt. Igitur, inquit, ſi ſervire Domino in timore, & ei vultis exſultare cum tremore, apprehendite diſciplinam, veſtem videlicet monachalem, ne pereatis, ſicut cantaſtis, de via juſta. Ad quod illi obſtupefacti, more ſolito inducias petunt, id ſe facturos in futuro promittunt. Tunc ille: Mihi credite, amplius non credam huic veſtræ ſponſioni corvinæ; ſed aut diſciplinam in præſentia apprehendetis, aut loci iſtius beneficiis & converſationi, hinc eliminati, jamjamque cedetis. Itaque nonnulli ex illis ſtatim, abjecto clericali habitu, Monachi facti ſunt, ceteris verbo pontificis de eccleſia eliminatis. Ceterum quia iſti, qui ita noviter fuere converſi, regularis diſciplinæ normam ſine aliorum magiſterio docte ſervare nequibant, Monachi de Abendonia illuc ab eodem Pontifice adducti ſunt, qui monaſticæ inſtitutionis tramitem ibi docerent. Clerici vero, qui ejecti ſunt, citato greſſu Regem adeunt; judicium atque juſtitiam ſibi de expulſione ſui fieri poſtulant. Refertur negocium ad audientiam Dunſtani, & ipſe eos æqua poſtulare pronuntiat. Igitur ex præcepto Regis & Archiepiſcopi coit Vvintoniam nobilitas regni totius, & Rex cum ſua conjuge adeſt ad determinandas querelas negocii hujus. Surgunt hincinde lites, quas Dunſtanus propoſitis rationibus deſtruit omnes. Rationabiliter quippe cunctis oſtendit, clericos, qui a ſorte Dei incorrigibiliter per pravitatem vitæ ſuæ diffiliunt, nil per rectitudinem ſibi vindicare poſſe ex iis, quæ eccleſiis data ſunt ad ſubſidium eorum, qui in clericatu pura converſatione ſeſe cuſtodiunt. Quibus auditis, omiſſa omnis controverſia eſt, & Rex atque ex Principibus plerique, clericorum precibus ad pietatem uſque permoti, Dunſtanum interpellant, quatenus hac ſola vice parcat, & clericos jam, quid amodo, ſi ſe non correxerint, incurſuri ſint, re ipſa edoctos, de eccleſia ſua reveſtiat. Silet ille ad iſta, quidque potiſſimum de negocio ſit agendum, demiſſo capite, mente pertractat. Silentium ingens occupat omnes, & ſuſpenſi ad reſponſum Pontificis erigunt aures. Tunc ſubito crucifixi Dei imago, ſigno Crucis in edito domus affixa, audientibus cunctis, dixit: Non fiet, non fiet, judicaſtis bene, mutaretis non bene. Tremefacto in his ſimul univerſo conventu, intulit pater Dunſtanus, & ait: Quid amplius vultis fratres mei? Divina ſententia definitum audiſtis negotium præſens. Ajunt: Audivimus vere. Reſederunt ergo Monachi Vvintoniæ ſecuri, & quoad clerici ipſi vixerunt, qui eos ſuper cauſa iſta inquietaret, nemo fuit.

Canonici Regem appellant.

XL

Illis autem huic vitæ ſubtractis, filii eorum cupientes recuperare quæ perdiderant in parentibus ſuis, in Scotiam miſerunt, & inde quemdam prægrandis (ut fama ferebat) eloquentiæ virum, Bernelinum* nomine, magno conductum precio, in tuitionem ſuæ cauſæ contra Dunſtanum adduxerunt. Conglobati ergo ſub uno clericorum filii, Regem, atque Dunſtanum apud villam, quæ dicitur Calve, in quodam cænaculo conſiſtentes reperiunt, & armati rhetore illo, cui ſuæ victoriæ ſpes maxima erat, antiquæ calumniæ coram eis jurgia promunt. Ad quæ Dunſtanus his verbis brevi reſpondit: Calumniam iſtam, quam movetis, divino ore olim definitam novimus, nec eam novo conflictu amplius in medium revocandam exiſtimamus. Ego quoque grandævus ſum, & vitæ meæ reſiduum, quod pauci temporis eſſe non neſcio, in pace, ſi licuerit, tranſigere cupio. Laboravi dum potui, amodo totius laboris impatiens, Domino Deo cauſam eccleſiæ ſuæ contra inſurgentes hoſtes tuendam committo. Dixit, & ecce ſolarium ſub pedibus eorum, qui adverſus virum convenerant, e veſtigio cecidit, omneſque pariter præcipitatos, in ſuo caſu non modicum læſit: ubi vero Dunſtanus cum ſuis conſiſtebat, nulla ruina domus, nullus emerſerat caſus. Hoc ergo modo calumnia clericorum eſt ſopita, & uſque hodie Monachorum converſatio in ipſa eccleſia ſtabilita. Ejecti nihilominus per id temporis, & alii complures clerici horum ſimiles de ſuis eccleſiis ſunt, & Monachi in locum eorum ſub-

* al. Heorelinum.

AN.CHR. 988 19. Maji.

ſubſtituti. Aucta eſt igitur religio per Angliam in tantum, ut quadraginta & octo monaſteria Monachis vel Sanctimonialibus inſtituerentur, cooperantibus Beato Dunſtano in hoc viris venerabilibus, OSVVALDO videlicet, qui primo Vvigornienſis, poſtea fuit Epiſcopus Eboracenſis, & ATHELVVOLDO Epiſcopo Vvintonienſi, quorum ſupra meminimus. Vitam itaque Dunſtani & actus formidabant omnes, qui incedere volebant juxta vias adinventionum ſuarum.

XLI. Inter hæc ſopito negocio, quod regem Edgarum, ne regio more coronaretur, detinuerat, Dunſtanus adunatis Epiſcopis, Abbatibus, & ceteris Principibus cum tota regni ingenuitate, coram eis adſtante innumera populi multitudine, impoſuit illi coronam regni, gaudentibus cunctis & jubilantibus Deo in voce laudis & exſultationis. Ipſo autem poſt biennium, quo hæc facta ſunt, immatura morte prævento, Edvvardo filio ſuo totum regnum hereditario jure reliquit. Qui Edvardus cum in regem conſecrari deberet, nonnulli de principibus terræ contraire, ne Rex fieret, niſi ſunt: tum quia morum illius ſeveritatem, qua in ſuorum exceſſus acriter ſævire conſueverat: tum quia matrem ejus, licet legaliter nuptam, in regnum tamen non magis quam patrem ejus, dum eum genuit, ſacratam fuiſſe ſciebant. Sed Dunſtanus diſcretione & induſtria confiſus adoleſcentis, unum non metuens, & obſervato paternæ hereditatis & teſtamenti jure aliud contemnens, arrepto ſanctæ Crucis vexillo, medius conſtitit, & per rationem cunctis, quæ objiciebantur, eliſis, Edvvardum regem conſtitit, & conſtituto paternum affectum, conſilium & auxilium in omni negocio, dum vixit, exhibere curavit. Rex quoque ita mores ſuos in omnibus, & per omnia componebat, ita totum regnum ſanctis legibus diſponebat, & ut actus ejus Deo placerent, & eo, quod in ſuſcipiendo regno ei contradixerant, ſibimetipſis quoque diſplicerent. Sed illo poſt aliquot annos per fraudem novercæ ſuæ interfecto, Ethelredus filius illius malæ mulieris, in regnum ſubſtitutus eſt, matris ignominia magis, quam patris ſui ſolertia præditus. Cujus provectio non uſquequaque ſedit Dunſtano, ideo tamen, quod proximus regni heres exſiſtebat, complevit ei jus regium, ſciens ſe inoffenſis legibus terræ atque principibus id non poſſe transferre in quemquam alium. Attamen illum ſolio regali potitum ſevero quodam verborum tonitruo, quia per ſanguinem fratris ſui regnum obtinuerit, increpavit, & quod in ſanguine victurus, & poſteri illius crudeli Barbarorum incurſu devaſtandi, tota etiam terra per plurima ſæcula ſævo illorum dominatu foret depopulanda, prædixit. Quæ licet ſe vivente eventura negarit, eventura tamen, omnino eſſe, nimis veraci, ut & in Chronicis legimus, & hodie videmus, prophetia aſſeruit. Accelerabit, cum ſibi placuerit, omnipotens Deus quam ſubſecuturam promiſit liberationem per tanti vatis ſui merita & interceſſionem. Et quidem illum ſpiritu Prophetiæ claruiſſe, non tantum hinc, ſed & ex nonnullis aliis, quæ conſtat eum veraciter prædixiſſe confirmamus, & id ſubjecto exemplo probamus.

XLII. Quodam tempore venit Cantuariam ſupra memoratus Athelvvoldus Vventanus Epiſcopus, & aliquot diebus ibi detentus eſt. Detentus eſt etiam Roffenſis Epiſcopus, qui illo ſimul venerat, detinente utrumque patre Dunſtano charitativa affectione, dulciflua vitæ perennis contemplatione, divini verbi collatione, & ſacrorum morum exhortatione & inſtructione. Cum autem ipſe pontificum pater, comitatus ipſos duos Epiſcopos, Cantuaria decederet, & pariter longius remotos quemque ab altero deſtinati hoſpitii via dirimeret, ambo Pontifices a Dunſtano benedici petentes, ab eo divertere & ſuum iter cupiebant accelerare. Verum ipſo manum extendente ad benedicendum, ſubito in lacrymas acerbas erupit, cœptæque benedictionis verba ſingultus ſubſequens interrupit. Illis vero grandi ad rem ſtupore perterritis, quidnam haberet, quod tam anxie fleret ſciſcitati ſunt. Reſpondit: Fleo, quia vos, quos modo ſanos & alacres video, in hac vita non amplius me viſurum admodum doleo: nam in proximo eſtis morituri; & ad gaudia regni cæleſtis tranſeuntes, me in hujus vitæ miſeriis relicturi. Cui cum ipſi dicerent, Ne, Pater, oramus, de noſtra morte ita loquaris. Fixum, ait, quod dixi, tenete; quoniam ſic eſt, & non eſt mutabile. In his

Æthelvvoldo mortuo

dato altrinſecus oſculo pacis, ab invicem diviſi ſunt. Igitur Antiſtes Roffenſis mox, ubi ſui pontificatus civitatem ingreſſus eſt, elanguit, & evolutis in infirmitate diebus paucis, defunctus eſt. Vvintonienſis vero, priuſquam ad ſedem ſuam venire poſſet, languore corripitur, & juxta verbum viri Dei, non longa mora interveniente, finitur. Ex cujus obitu gravis mæror Dunſtanum corripuit, tum quia tanti viri ingens ſolatium amiſerat: tum quia cui potiſſimum teneræ adhuc ſtatum eccleſiæ gerendum committeret, dubius fluctuabat: quos fluctus ingerebant animo ejus, hinc Monachi nuper intromiſſi, hinc clerici ab eccleſia illa ejecti. Monachi quippe ſuæ profeſſionis virum habere Epiſcopum peroptabant, clerici vero ſui ordinis hominem ſibi præfici deſiderabant: illi videlicet per monachum in eccleſia ſibi collata cupientes ſolidari; iſti per clericum eccleſiæ ſibi ablata ſperantes informari. Sed

ſuccedit Elfegus Abbas.

hæc providens ſapientia & ſapiens providentia Dei citius determinavit. Nam per B. Andream Apoſtolum, cui ſpeciali quodam dilectionis affectu Dunſtanum adhærere Deus conceſſerat, Dunſtano mandavit, quatenus nil hæſitans ELFEGUM Abbatem Bathonienſem conſtitueret Vventanæ eccleſiæ ſummum ſacerdotem. Lætatus eſt Dunſtanus in iſtis, & reddita Deo gratiarum actione pro ſuis beneficiis, in Elfego perfecit, quod ei per Apoſtolum ſuum Deus ipſe præcepit.

Multa

Digitized by Google

Multa de hoc viro, juxta quod multorum non ſpernenda teſtimonia ferunt, ad hoc litterarum memoriæ veraci ſtilo commendare poſſemus: verum ne incultæ narrationis prolixitate quemquam gravemus, prætermiſſis illis ad ſacrum ejus obitum enarrandum cor & linguam præparemus, &c.

AN.CHR 988 19. Maji.

FRAGMENTA

EX LIBRO DE MIRACULIS S. DUNSTANI

Auctore OSBERTO Monacho Cantuarienſi.

Ex mſ. codice Compendienſi, in quo nomen Auctoris deeſt.

1. NOnnulla quæ de vita B. Dunſtani vitæque deceſſu aut ſcripto, aut ab hiis qui ab ejus tempore uſque ad nos per ſucceſſus ætatum fluxere accepimus, in quantum Deus illius intervenientibus meritis concedere dignatus eſt, ſuccinƈte digeſſimus. Nihilo ergo minus ſuccinƈte digerere placuit, quæ vel ad ſacratiſſimum corpus ejus, vel ad beatam memoriam beati nominis ejus partim ſcripto, partim veracium virorum relatu, partim proprio viſu geſta didicimus.

2. Cæcus quidam prope civitatem Cantuariam habitabat, &c.

16. Alio tempore idem Abbas (cœnobii S. Auguſtini Scollandus) in vigilia feſtivitatis ejuſdem nobiliſſimi Patris forte in viridiario ſuo veſpertina hora ſedebat. Dum itaque conſidentibus fabularetur in eccleſia Dei Salvatoris, in qua quieſcit venerabile corpus ipſius beati ſacerdotis, ad noƈturnas vigilias omnes campanæ pro uſu loci ſimul pulſari cœpere. Tunc Abbas ereƈtis ad cælum oculis vidit ingentem ſplendorem inde ſuper eccleſiam ipſam deſcendere, eamque de ſuperioribus penetrare. Quo viſo & ſuis qui hoc ſecum videre merebantur oſtenſo, pio affeƈtu ſuſpirans ait: Vere pius pater Dunſtanus jam ad ſuam feſtivitatem vadit, intereſſe volens obſequio, quod ſui filii hac in noƈte Deo & ſibi exhibituri ſunt. Quod ita, ſicut dixerat, aƈtum eſſe, experti ſunt fratres qui ipſi feſto meruerunt intereſſe: nam ex dulci ſanƈtoque affeƈtu quo in Deum & famulum ejus jocundati ſunt, ſanƈtam præſentiam ejus ſibi adeſſe perſenſerunt.

Scollando ſplendor apparet.

17. Quid vero circa juvenem quemdam, Egelvvordum nomine, in ipſo Monaſterio geſtum ſit, iſtis anneƈtere cordi fuit. Juvenis idem ejuſdem Monaſterii monachus erat, & una dierum vocatus ad Miſſam LANFRANCI Archiepiſcopi, Evangelium legerat. Hic cum diƈta oratione dominica patenam Pontifici ex more offerret, vidit coram ſe quoſdam teterrimos & horridos malignorum ſpirituum vultus: ad quorum aſpeƈtum nimio pavore perterritus, Antiſtitem inter manus ſacra tenentem, utriſque brachiis ſtriƈtim ampleƈtitur, horrido clamore vociferans ac dicens: Chriſtus vincit, Chriſtus regnat, Chriſtus imperat. Conterriti ſunt omnes qui aderant, & arreptum juvenem milites de eccleſia in pontificis cameram rapiunt; poſtque fratribus in capitulo adunatis Lanfrancus pater ingreditur, & juvenis jam dæmone plenus a pluribus fortiſſimis viris conſtriƈtus in medium ducitur. Prout petebat negotii tenor, conſeritur ſermo de illo, & fit oratio communis pro eo. Mox ſano ſenſui (ut dabatur intelligi) redditus, ac demum pro agendis gratiis ſepulchro patris Dunſtani ab Archiepiſcopo & conventu præſentatus, tota die illa inter fratres manſit, quaſi nihil veſaniæ paſſus. Lætantur fratres in hoc, & lætitia futuri mæroris prænuncia modum exceſſit. Jam dies in veſperam declinabat, & horam Completorii monachi in choro pſallebant. Tunc ille ſtationis ſuæ ſubito loco relicto, ad Priorem eccleſiæ, HENRICUM nomine, cucurrit, & impetu facto manus illi injicere voluit. At ille porreƈtis econtra brachiis patientis manus arripuit, ſtrinxit, ac in dormitorium duƈto, noƈtem illam ante leƈtum ejus reſidens inſomnem ſuper eo ſollicitus duxit. Tunc ſubito circa mediæ noƈtis ſilentia rupit ſilentium fratrum; ac in immoderatos clamores erumpens, confuſis vocibus omnia inquietabat. Turbati fratres, nec tam grave malum diu ferre valentes, leƈtis exſiliunt, furioſum arripiunt, & ad tumbam confeſſoris Chriſti Dunſtani omnimodo reluƈtantem coaƈtis viribus pertrahunt. Furit ibi ſicut primo, & in Chriſtum ac famulum ejus horrendas blaſphœmias jaƈtitat, nec ab eis deſtitit, donec ſequens dies illuxit. Nil ergo remedii conſecutus, mane fertur in domum infirmorum, ubi per multos dies adſtriƈtus loris & funibus miſerabili cruciatu torquebatur. Inter quæ contingebat quodam mirabili modo, ut cum quidam ad eum accederent, illico ſi quid gravis peccati, de quo necdum confeſſi erant, in cordis ſecreto habebant, detegeret; & illos ſibi in pœnis perpetuis ſocios fore futuros gaudens & hilaris pronunciaret. Ex hoc dum nonnulli gravem contume-

Diaconus inter ſacra a dæmone arreptus.

Henrico Priori inſultat.

Inconfeſſos denuntiat.

AN.CHR. 988 19. Maji.

liam incurriſſent, ipſi ſemetipſos graviter erubeſcentes, remedium ſibi puræ confeſſionis adhibuere. Confeſſi ergo, & pœnitentia cum abſolutione peccatorum a præſidente ſuſcepta, iterum ſe præſentaverunt dæmonioſo; quos ille ex transverſo intuens, nec eos ſicut primo cognoverat recognoſcens qui fuerint, unde venerint, quo lavacro loti tam ſubitam purgationem meruerint, quidve rei contigerit, quod ſuam ſocietatem ſic cito alterati *amiſerint*, furibundus ſpumans & ejulans mirabatur. Et hæc quidem, ut re ipſa clarum fuit, Chriſtus provida ſuæ miſerationis diſpenſatione faciebat propter Monachos ipſius eccleſiæ, in iſtis videlicet eos ad correctiorem a vitam erudiens, quos a tempore Danorum qui B. Elſegum occiderunt, ceſſante diſciplina in ſæculari videbat converſatione ultra quam debebant jacere. Inter hæc proficiente novo opere cœptæ eccleſiæ, resexegit reſiduum vetuſti operis, ubi memorata Sanctorum corpora erant locata, ſubverti. Parato igitur refectorio fratrum, ad divinum officium inibi celebrandum, omnes cum feſtiva proceſſione illuc a veteri eccleſia perreximus, præferentes cum honore & reverentia glorioſos ac dulciſſimos patres noſtros Dunſtanum atque Elfegum; & ecce dæmonioſus ille, toto corpore fortiſſimis funibus lecto ſtrictim colligatus, a multis delatus eſt, & e regione oſtii per quod ſancti inferri debebant, cum lecto depoſitus: quos ipſe eminus intuens, horrido clamore infremuit, & (quod dictu fortaſſis alicui incredibile videbitur) cum lecto exſiliens erexit ſe, fugere volens præſentiam Sanctorum quos horrebat. Sed illatis ſanctis intra domum, illatus eſt & ipſe, ac poſitus in medio eorum. Erat itaque infelicem miſeriam videre. Jacebat captivus in lecto ſupinus undique conſtrictus, nec in ſe ſui *juris* quicquam habens. Cernebatur dæmon, qui eum poſſidebat, in ventre ejus hac & illac diſcurrendo vagari: ut putares illum modo per os, modo per inferiores partes corporis fugam parare. Quibuſdam vero qui circumſtabant manus ad diſcurſum inimici protendentibus, & quod in modum parvuli cati diſcurreret Francigena lingua dicentibus, ille contra qui linguæ ipſius omnimodis inſcius erat, ſubridens, eadem lingua ſimiliter verbo diminutivo conſonanter reſpondebat dicens; Non ut catulus, ſed ut catellus. Interim hora refectionis advenit. Manducante ergo conventu remanſit unus ex ſenioribus, ELFEVVINUS nomine, cum patiente domum obſervans. Hic ab infantia ſua B. Dunſtano dulci quadam & officioſa dilectione ſemper ſolebat adhærere, ac pro poſſe ſuo in ejus obſequio aſſiduus exſiſtere: qui miſeratus jacentis infelicitatem, & non parum confiſus de B. Dunſtani pietate, conſtantior crucem quam ipſe pater in corpore degens coram ſe more ſummi pontificis ferri faciebat, accepit, eamque ſuper dæmoniacum poſuit, devota mente, lacrymoſa voce clamans & dicens: Chare domine ſancte Dunſtane, miſerere. Mirabile dictu! illico fugato dæmone æger levatis pie ſurſum oculis & perfuſus lacrymis ait; Gratias tibi ago piiſſime pater, gratias & tibi chariſſime frater, quia tuis meritis, ſanctiſſime domine, & tua frater charitativa interceſſione hoſtis qui me vexabat diſceſſit, perterritus diutius manere non potuit. Quod monachus audiens, gaudio gaviſus eſt magno, & perſolutis debitis gratiis pio Dunſtano, vincula quibus erat irretitus abſolvit. Cum itaque fratres poſt refectionem illo intraſſent, & quem furioſum reliquerant, leni ſopore quieſcentem reperiſſent; obſtupefacti immenſas Deo & ejus ſervo Dunſtano gratias intimo corde perſolverunt. Manſit ergo poſt hæc inter fratres per multos annos ab illa infirmitate ſanus & incolumis, expletoque curſu vitæ præſentis ſancto fine quievit. Quantum autem percuſſio iſtius valuerit ad correctionem eorum qui in ipſo Monaſterio monachi erant, facile eſt videre omnibus, qui unde ad quid Ordo monachicus ab eo tempore illic profecerit ſciunt. Sciunt quippe quia qui prius in omni gloria mundi, auro videlicet, argento, variis veſtibus ac decoris, cum pretioſis lectiſterniis, aut diverſa muſici generis inſtrumenta, quibus ſæpe oblectabantur, & equos & canes & *accipitres*, cum quibus nonnumquam ſpatiatum ibant, taceam, more Comitum potius quam *Monachorum* vitam agebant, hoc flagello cooperante miſericordia Chriſti & ſagacitate *boni patris Lanfranci* Archiepiſcopi ad id provecti ſunt, ut omnibus illis abrenuntiarent, ac *in veram Monachorum* religionem tranſeuntes, cuncta quaſi ſtercora reputarent. Et nos quidem qui qualiter ea tempeſtate res agebantur novimus, indubitanter fatemur, quia nequaquam proceſſiſſet tam ſubita & ſalubris rerum mutatio, ſi præ oculis non fuiſſet oſtenſa crudelis illa & quæ cunctos terruerat ſæva examinatio.

in tranſlatione S. Dunſtani liberatur.

Monachorum converſio inde ſecuta.

18. Circa hæc ferme tempora Comes Cantiæ, qui & Epiſcopus Bajocenſis, ODO nomine, promiſit fratri ſuo Regi VVILLELMO copioſam pecuniam eo pacto, ut ſibi liceret movere quaſdam calumnias ſuper terras & conſuetudines Eccleſiæ Cantuarienſis, & inde adverſus Lanfrancum Archiepiſcopum præ more ac legibus terræ placita inire: cui cum Rex acquieviſſet, ille de cunctis Comitatibus totius Angliæ prudentiores & juxta uſus ac leges regni doctiores viros Cantuariam ſtatuto die fecit venire, præcipiens eis ut nil hæſitantes ſe tutore armarentur ad impugnandum libertatem nominatæ eccleſiæ. Jam nox prævia ſtatuti placiti inſtabat, & LANFRANCUS quid regno ſuper ſe ruenti reſponderet, ſollicitus cogitabat, &c.

19. Poſt

a *Monachi Cantuarienſes*, inquit Vvillelmus in Lanfranco, *ſicut omnes tunc temporis in Anglia, ſæcularibus haud abſimiles erant, niſi quod pudicitiam non facile proderent*. Eos vero emendavit Lanfrancus, de quo in Sæculo ſequenti. Unde *ſunt hodie* (ſic Vvillelmus) *ampliori quam uſquam Anglia, ut decet, numero, religione Cluniacenſibus non impares*.

19. Poſt hæc idem Antiſtes graviſſima corporis infirmitate percuſſus deſperatus eſt. Mittens itaque præcepit majores fratrum perſonas ad ſe venire, nolens in abſentia eorum, quos paterno affectu diligebat, & in quibus magnam ſuæ liberationis fiduciam poſuerat, vitam finire. Decumbebat autem in villa ſua quæ Ealdintune appellatur, & nihil de eo niſi ultimam horam confluens multitudo præſtolabatur. Verum cum a ſuis videlicet monachis, clericis, & aliis hominibus hora qua decederet noctu obſervaretur, leni ſopore circa ortum auroræ feſſus opprimitur, &c. AN.CHR. 988 19. Maji.

20. Inter hæc jam monachica religione in eccleſia Salvatoris Chriſti quoque fundata, circumquaque boni clerici cœperunt illuc ad converſionem venire, & Monachi fieri: quos inter Eadvvardus quidem nomine, vir in ſcientia litterarum ſtrenuus, & Lundoniæ civitatis Archidiaconus, veniens honorifice ſuſceptus ad Ordinem eſt: qui novo converſionis ſuæ tempore religioſæ vitæ in ſuis moribus indicia præferens, poſt annum quo monachus factus eſt, ſecretarii *a* officio functus eſt: in quo officio conſtitutus, dum aliquantum majori libertate ceteris potiretur, cœpit a religione paullatim tepeſcere, & in quibuſdam negligentius agere. Cum igitur ab hiis qui eo ſcientia & ordine videbantur inferiores, modo privatim, modo publice corriperetur, moleſte ferebat; & quam prius amaverat religionem faſtidiebat. Quid plura? proponit animo de Monaſterio fugere. Quæ itaque fugitivis neceſſaria ſunt, ſibimet & cuidam juveni quem fugæ ſuæ ſocium adſciverat de rebus eccleſiæ parat. Jam noctem fugæ deſtinatam dies præibat, & fratres meridiana hora in lectis pauſabant. Ille vero in Oratorio quaſi pro ſuo officio vigilans, de hoc quod ſe facturum cogitarat, animo fluctuabat. Statuit tamen penes ſe præter licentiam patris Dunſtani ſe diſceſſurum minime fore. Itaque ad tumbam ejus ſe ſe confert, & ſtratus pavimento, querula voce illos & illos injuriarum ſibi illatarum accuſat, atque ut ſua benedictione propoſitum iter ejus comitetur obſecrat, pollicens quocumque pertingeret ipſius ſeſe futurum. Deinde eccleſiam exiturus poſt chorum venit, ibique Monachum quemdam reverendi vultus decore conſpicuum ſuper ſe vividos oculorum radios dirigentem, virga quam manu tenebat ſe ſuſtentantem, ſtantem invenit. Quo viſo, nec quis eſſet ullatenus agnito expavit, eoque relicto, quo diſpoſuerat pergere voluit. At ille oppoſita virga ſciſcitatus eſt: Quo vadis? Ille ſciens moris non eſſe Monachos in Oratorio loqui, digitis innuit, ipſum ibi nequaquam loqui debere. Cui Monachus: Si loquor, nihil ad te, ſed tu ad ea quæ interrogo mihi reſponde. Dic quo vadis? Dare, ait, operam hiis quæ mea interſunt. Reſpondit: Nihil eſt: redi magis ad ſepulchrum ubi modo fuiſti, & mutata voluntate tua intentius ora. Stupefactus ille reverſus eſt ad tumbam ſancti viri, modum primæ orationis oratione ſecunda non mutans. Inde rediens & Monachum ubi primo habuit obvium habens, ſecundo quo tenderet ab eo requiſitus eſt. Ille animoſior factus, quid hoc ad eum? paullulum dure interrogavit. Multum inquit ad me: quod & ſi tu te non correxeris, in proximo experiere: ſed nunc vel ſecundo admonitus redi, muta mentem, muta precem. Cumque ille potius tranſire, quam redire conaretur, is qui Monachus videbatur, virgam contra vibrando erexit, atque ad requiem ſancti illum reverti coegit. Grandi ergo pavore percuſſus incumbit precibus, quibus jam incubuerat duabus vicibus. Poſt hæc ad locum rediens, ſed virum minime reperiens, jam ſe bene feciſſe ratus eſt, & ad oſtium quo clauſtrum intratur properavit: ubi virum turbato vultu contra ſe ſtantem, & quo iret ſolito interrogantem offendens, turbato & ipſe ſpiritu quis ille, vel cujus poteſtatis eſſet, qui eum tanta auctoritate conſtringeret inquiſivit. Ait: Queris quis? audi. Ego, ego nimirum ſuum Dunſtanus proviſor & proprius Archiepiſcopus loci iſtius, amator atque adjutor omnium illorum, qui vere filii ſunt eccleſiæ iſtius. Sed tu voluntate perverſa vis contra morem filiorum bonorum deſerere eccleſiam matrem tuam, vis deſerere Deum patrem tuum, & ad id peragendum petis ſuffragium meum. Stulta cogitaſti, dum in hiis me tibi ſuffragaturum exiſtimaſti: nec enim tali via perveni ad Deum: at ſemel monui & ſecundo, quatinus te corrigeres, & noluiſti. Nunc igitur ſcias, quia mea licentia numquam hinc exibis, ſed velis nolis hic remanebis, hic morieris. Propterea tamen quod monentem exaudire contempſiſti, in pœna tua ecce probabis quod non bene feciſti. Quibus dictis virgam levavit, & eum tertio acriter percuſſum in terram proſtravit, & diſparuit. Remanſit igitur frater graviter debilitatus, & demum a fratribus in domum eſt infirmorum delatus: facta ſunt hæc inter duas feſtivitates Aſſumptionis & Nativitatis S. Mariæ. Fuit igitur in infirmitate quotidie proficiens, & ſemper ſequenti die præcedente deterius habens. Quæ infirmitas talis erat, ut qualitas ejus dinoſci a nemine poſſet, nec ipſe ulli volebat exponere unde proceſſiſſet. Tandem languor vitalia ſubit, & morti propinquus inunctionem & communionem corporis Chriſti ſuſcepit. Illuxit dies feſtivitatis S. Martini, & ille juxta quod putabatur, in ſuprema hora conſtitutus, ad terram ſuper cilicium poſitus eſt. Accurrentes fratres ſeptem pſalmos pænitentiales & letanias pro obitu ejus ex more decantabant. Igitur in letaniis cum dicerent, *S. Dunſtane intercede pro anima ejus*, & id ipſum pro ſpe ſubventionis, quam in ipſo dulcius habent, iterarent; cœpit æger pæne defunctus reſpirare, & in circumſtantes pio intuitu oculos dirigere. Incurvavimus nos qui propinquiores ſtabamus ad illum, volentes noſſe quid vellet. At ille: Ponite me quæſo, inquit, ſuper lectum noſtrum, quia modo mori non poſſum: quod & factum eſt. Deinde accerſito Henrico Priore, cujus ſupra meminimus, ei rem totam, ſicut eam retulimus, ex ordine pandit, ac pro mala voluntate quam habuerat diſcedendi a Monaſterio pænitentiam egit, abſolutionem ac veniam petiit. Aſſeruit quoque ſe nullatenus mori poſſe, donec & rem eatenus cun-

Monachus apoſtatare volens.

a B. Dunſtano impeditur. NOTA.

Moribundo unctio datur ante Viaticum.

Confeſſus & abſolutus obit.

a Æditum ſeu ſacriſtam vocamus. Lege Conſuetudines Cluniacenſes.

Digitized by Google

AN.CHR. 988 19. Maji. cunctis incognitam denudaſſet, & remedio pœnitentiæ reatus ſui potitus fuiſſet. Quod Prior audiens, admiratus miſericordiam Dei eſt, & pœnitentia morienti injuncta de peccato quod fuerat confeſſus eum abſolvit. Tunc ille mente exhilaratus, & quod nihil peccati unde confeſſionem pœnitentiamque non fecerit in ſe cognoſceret, Deo gratias agens, quatinus ſibi jam de corpore liceret egredi poſtulavit. Ad quod Prior ait: Proficiſcere cum benedictione Dei omnipotentis, comitetur iter tuum beatus & pius pater Dunſtanus, & ſuſcipiat te in regnum ſuum filius Dei Dominus noſter Jeſus-Chriſtus. In hiis verbis, antequam lecto deponi poſſet, emiſit ſpiritum. Cum igitur in conventu fratrum eccleſiæ ipſe Prior hæc omnia ſeriatim enarraſſet, juvenis quem fugæ (ut diximus) ſibi ſocium Eadvvardus delegerat, ſurrexit, & humi ſtratus, lacrymiſque perfuſus ſe in fuga quidem homini conſenſiſſe, ſed quod tali modo a patre Dunſtano retentus fuerit illuc uſque neſciſſe confeſſus eſt.

Alius in reditu e locis ſacris a militibus vindicatur.

21. Alius quidam ipſius eccleſiæ monachus, nomine Egelvvinus, cupiens ire Jeruſalem accepta licentia ab Archiepiſcopo & fratribus, profectus eſt, commendans ſe, & pollicens Beato Dunſtano quia ſi iter ſuum proſperaret, pallium unum quam melius poſſet rediens ei deferret. Hoc ſiquidem quod nunc ſcribo, factum fuit eo tempore quo monachi Cantuarienſes, ut habita ſuperius mentio eſt, magis more Comitum quam pauperum, & proprii nihil habentium Monachorum vitam agebant. Profectus ergo frater, ut dixi, proſperrimo itinere pervenit ad ſepulcrum Domini, & inde rediens per Conſtantinopolim emit ibi quod Beato Dunſtano deferret pallium unum pretioſum valde & pulchrum: qui ubi pertranſita Apulia & Roma venit in Longobardiam, obviavit expeditioni Imperatoris: quem plures honorati viri de exercitu cum honore & ſæculi pompa proficiſci conſpicientes, & magnum aliquem eſſe conjectantes, humiliter ſalutatum benedicere ſibi poſtulavere. Verum cum inter ultimos & ignavos multitudinis homines deveniſſet, ipſi conſiderantes mulam viri diverſis ſarcinis digniter oneratam rati ſunt eum magna & multa pretioſa portare. Monachum igitur cum ſociis viæ dimittentes, mulam invadunt, rapiunt, abducunt. At ille, utpote in aliena patria, metuens ne plura perderet, ſi eos inſequens ſua repeteret; ſubſtitit, & intuens beſtiam cum ſuis rebus longius abductam vehementer indoluit. Occurrit interim animo quid de eccleſia ſua exiens promiſerit S. Dunſtano. Deſcenſo igitur animali cui inſidebat, terræ procumbit, Dunſtanum ne pallium ſuum quod aſportabatur perderet, precatur & obſecrat. Mirabile dictu! necdum precem finierat, & ecce mula inter manus abducentium ſe cœpit quaſi inſanire, ore & pedibus in eos qui ſeſe tenebant mordendo & feriendo deſævire. Cumque illi eam exonerare, & ſic a ſe dimittere voluiſſent, illa rejectis pedibus hunc & illum graviter lædens, quæ credita ſuſceperat integra conſervabat, tandem de manibus illorum rupto frœno elapſa, rapidiſſimo curſu poſt dominum ſuum cucurrit, ſemper ſubſiliens, & ſe ab inſectantibus fortiter defendens: quod monachus eminus intuens exhilaratus eſt, receptoque animali cum omnibus rebus ſuis patriam lætus reviſit, ac patri Dunſtano *pallium* quod promiſerat obtulit.

Alia miracula.

22. Quid faciam, ſi cuncta quæ de iſto glorioſiſſimo patre hoc tempore mira narrantur deſcribere velim? prius mihi tempus quam materia ſcribendi deficiet. Omiſſis igitur multis in quorum ſilentio ſcio me nonnullos offenſurum, duo tantum quæ nuper acciderunt & celebri fama feruntur, brevi referam, ſicque cœpto operi finem imponam. Illud tamen quod homunculo cuidam, Lamberto nomine, qui in camera venerabilis Anselmi ſucceſſoris glorioſi Lanfranci Archiepiſcopi miniſtrare ſolebat, oculos quos ferme amiſerat reddidit, & item quod uni clerico Capellano ejuſdem Anſelmi; nomine & natione Normanno, equum quem peſtis, quam *camoriam* vocant, ad mortem fere afflixerat, incolumen reſtituit, & plura hujuſmodi in *numero miraculorum* tanti patris hac vice computare minimum judicavi. Unum igitur de *duobus quæ ſpopondi* me relaturum, hoc eſt.

S. Dunſtani planeta.

23. Planeta qua ipſe Pater Dunſtanus inter Miſſas frequenter fuerat uſus, *in Abbatia* B. Petri, quæ in occidentali parte Lundoniæ ſita eſt, abſque ullo auri apparatu exſiſtens habebatur. Matrona vero quædam Lundonienſis gravi infirmitate detenta, ſanitatem ſe amplius recuperatam nulla ratione credebat. Huic ſicut putabatur jam & extemplo morituræ per viſum vir Dei Dunſtanus apparuit, ſciſcitans utrum ab illa infirmitate convaleſcere vellet: qua & maxime quidem reſpondente, intulit: Tolle aurifrigium quod in arca tua reconditum habes, & pone illud in caſula mea quæ habetur apud Vveſt-monaſterium, & convaleſces. At illa mox facto mane miſit, & caſulam deferri fecit: quam deoſculans, & aurifrigio ſicut erat admonita perornans, illico integerrime convaluit, & deinde pluribus annis incolumis vixit. In quo illud quoque admirationi nonnullis fuit, quoniam idem aurifrigium planetæ appoſitum, nec majus, nec minus inventum eſt, quam veſtis ipſius menſura petebat.

Feſti ejus violator punitus.

24. Aliud ſponſionis meæ miraculum in Glavvornæ civitatis provincia ab eodem ſancto nuperrime factum accepimus. Inſtabat beata ſollemnitas ipſius beati famuli Dei, quæ pro depoſitione ejus colitur 14. Kalendas Junii. Eſt autem in præfata provincia villula quædam Sarprintune dicta, & in ea eccleſia non adeo magna in honorem B. Dunſtani antiquitus conſecrata. Dominico igitur die ipſam ſollemnitatem præcedente, indixit parrochianis ſuis plebejus presbyter imminens feſtum celebrare, & ab omni opere manuum ſicut in dominico die vacare: quod præceptum unus ruſticorum nihili pendens, junctis bobus ſummo mane feſtivitatis agrum ſuum colere cœpit. Arguentibus autem illum pro audacia notis ſuis, ſubſannando reſpondens ait: Quid pro Dunſtano de Sarprintune ego culturam meam intermitterem? ſtulta opinati eſtis, cum hoc vos mihi perſuaſuros æſtimatis. Adhuc verba ſub lingua

vol-

Digitized by Google

volvebat, & ecce unus oculus ei de capite in terram decidens, dedit ei intelligere, quod AN.CHR.
in laborando terram die illa non benefaciebat. Una quoque ex vaccis quæ juxta aratrum 988
vacua ibat, eodem momento veſania capta ſuper boves efferata eſt, ita ut eorum nonnul- 19. Maji.
los perderet, ſi concurrentis multitudinis manibus non ſtatim interfecta fuiſſet &c.

ADMONITIO

In ſequentem translationem Sancti Dunſtani.

Ex præmiſſis auctoribus Osberno & Osberto manifeſtum eſt, B. Dunſtani translationem factam eſſe a Lanfranco Archiepiſcopo ſub annum 1072. ac proinde ſacrum ejus corpus in eccleſia Cantuarienſi uſque ad id tempus reſediſſe. Et tamen Glaſtonienſes perſuadere conati ſunt, B. Dunſtani corpus in eccleſiam ſuam translatum fuiſſe anno 1020. Quæ tametſi dubiæ fidei videntur, hic tamen ad hiſtoriam Sancti illuſtrandam referendam viſa ſunt, permiſſo lectori judicio hac de lite, quæ ſane in hoc rerum Anglicarum ſtatu nullius momenti eſt.

TRANSLATIO SANCTI DUNSTANI in monaſterium Glaſtonienſe.

Ex mſ. hiſtoria monaſterii Glaſtonienſis.

1. Beatus Dunſtanus infirmitate attactus & ſacri olei liquore perunctus Dominici corporis & ſanguinis perceptione exitum munivit, & dans pacem filiis ſuis inter verba orationis ſpiritum reddidit Kalendis Auguſti, anno Domini 988. beatus vero Dunſtanus tranſiit ad patres ſuos anno ætatis ſuæ 64. ab ordinatione ſua in Archiepiſcopum 27. Incarnationis vero Domini 988. in eccleſia Chriſti Cantuariæ condigno honore conditus eſt. Sed qualiter Glaſtoniam translatus ſit poſtea, eſt ſubjungendum. Abbas autem Segegavus cum præfuiſſet 28. annis, obiit, & ſucceſſit ei Berthredus anno Domini milleſimo: huic Rex Egelred dedit Fiſenere & Eſtune 20. hidas, & Havandone.

2. Igitur Dunſtano mortuo ſupervenerunt Dani quaſi in quolibet Angliæ portu in multitudine maxima, ita ut neſciretur ubi illis poſſet occurri, quorum infeſtatione coactus eſt Rex Egelredus ad tributum ſexdecim millium librarum anno Domini 1020. conregnante ſimul cum patre ſuo Egelredo propter ejus impotentiam, immo potius propter ejus ignaviam illuſtri Edmundo, patria lingua Iſrocide nuncupato. Advenientes Dani in Orientales Angliæ plagas, totius Cantiæ fines in ſuam redigebant poteſtatem: a quibus multi propria dignitate privati, multi a patria eliminati, multi crudeliſſima ſunt morte trucidati: ſicque uſque ad civitatem Londonienſem, non gradui, non ætati, vel ſexui parcentes, homicidiis, rapinis, incendiis divina æque ut humana exterminabant. S. Elfegus Achiepiſcopus propriæ dignitatis ſede propulſus eſt ab eis martyrizatus, atque ejus prædia devaſtaverunt, & poſſeſſiones diripuerunt. Poſt hæc ingreſſi ſunt ſceleratiſſimi Metropolitanam Anglorum eccleſiam, in religioſos Chriſti famulos irruentes, & (quod dictu horrendum eſt) a domo Dei ſingulos eliminantes, omniaque incendio conſumentes. Contigit eiſdem temporibus præfatum Regem Edmundum Glaſtoniam adventare, commoratuſque illic aliquamdiu, Brithredo Abbati & fratribus ejuſdem loci tantæ calamitatis ex ordine retulit hiſtoriam, memorans eiſdem Cantuarienſem eccleſiam ſuccenſam, & habitatoribus ac religione penitus viduatam. Quibus auditis Abbas totaque congregatio ita ſunt contriſtati, ac ſi ſingulorum animas gladius pertranſiret. Inter cetera etiam eximii patris ſui Dunſtani virtutes præcelſas recitabant, qui dum viveret, amplis poſſeſſionibus, donis, libertatibuſque magnificis, & (quod pluris eſt) regularibus inſtitutis Glaſtoniam mirifice inſignivit. De his ſilere præter religionem æſtimantes, precibus uberrimis opem conſiliumque Regis ſimul implorant, quatenus reliquias glorioſi viri ad loca transferrent religioſa, ubi quondam religionis lacte nutritus ad tantas virtutes excreverat, ut non ſolum gre-

AN.CHR. 988 19. Maji. gem Glaſtonienſem, ſed & totius Angliæ provincias ſua poſſit doctrina illuſtrare. Quibus auditis Rex eorum deſideriis pio occurrens affectu, quod petierant celeri decrevit effectui mancipare.

3. Nec mora memoratus Abbas voti jam compos, quatuor ex ſuis commilitonibus hujus legationis injunxit officium, ut adjunctis ſibi ſociorum auxiliis Cantuariam properantes, ad Glaſtoniam oſſa ſanctiſſimi transferrent Dunſtani. Juſſionem patris ſuſcipiunt filii devotiſſimi, paratiſque tanto itineri neceſſariis, ac benedictione ſecundum regularem obſervantiam ſuſcepta, ſibi injuncta devotione alacri Dei miſericordia, ſimulque ope dicti ſancti plurimum confiſi proſequuntur. Ipſorum autem fratrum nomina hæc fuerunt: Sebritus, Ethelbritus, Burſius, Adelvvardus, cognomento Quadrans. Iidem autem monachi beato Dunſtano in carne degenti dudum adhæſerant, capellæ ſuæ complentes officium, qui etiam corpus ejus, anima in quietas ſedes translata, ſepulturæ tradiderant: poſtea etiam cum ſucceſſore ſuo, ſancto videlicet Elfego Archiepiſcopo, uſque ad ejuſdem remanebant martyrium. Complacuit namque præfatis Pontificibus de cœtu Glaſtonienſi collaterales individuos habere, tum propter prærogativam charitatis, qua nutriculam amplectebantur præcipue: tum ut eorum familiari conturbernio exemplariter inflammati, a priori vita, quam cum eis agere ſolebant in cœnobio, non deviarent. Igitur memorati fratres Cantuariam venientes, ſicut a Rege audierant, locum omni habitatore nudatum inveniunt, & continuo ſepulchrum ſanctiſſimi viri a ſe optime recognitum adeunt, utpote qui eumdem in mauſoleo locaverant. Quo aperto, oſſa ſancti Dunſtani ſuper aurum & topaſion pretioſa reperiunt, carne tamen diuturni temporis ſpatio reſoluta; eaque reverentia qua decebat non ſine lacrymis recolligunt. Anulum etiam digito ſancti cum ſepulturæ traderetur impoſitum, quem & ipſe ætate teneriori feciſſe dicitur, recognoſcunt. Oſtenditur autem dictus anulus in theſauraria Glaſtonienſi uſque in hodiernum diem.

4. Patratis ergo omnibus, pro quibus venerant, proſperatori itineris ſui gratias rependentes immenſas, Glaſtoniam revertuntur cum gaudio, pretioſiſſimas reliquias ſecum deportantes. Venientibus ergo prope Glaſtoniam tanti theſauri portitoribus ad locum dictum Lahavvete, contigit conventum pæne refectum ad menſam ſedere, & ecce (mirum dictu) campanellæ in refectorio pendentes, & aliæ etiam campanæ Monaſterii, omni humano ceſſante officio, ſonitum ſatis celebrem dederunt. Quo facto ſtupefacti ſinguli, Priore annuente, qui hoc divinitus fuiſſe patratum limpidius ceteris animadvertebat, in eccleſiam proceſſerunt, poſt refectionem Deo *a* gratias exhibituri: ubi nuntius feſtinus occurrens eos exhortatur, ut reliquiis eximii patris ſui Dunſtani obviam veniant loco ſuperius memorato. Quod audientes Monachi, præ gaudio fuſis ubertim lacrymis & effuſis in cælum laudibus cum debita reverentia & gratiarum actione ad locum proceſſerunt, ac glorioſiſſimum patrem ſuum Dunſtanum cum lætitia ineffabili devotiſſime ſuſceperunt.

5. Facta eſt autem hæc Translatio anno Domini 1012. poſt interfectionem ſancti Elfegi Archiepiſcopi ſecundo, poſt dormitionem ejuſdem ſancti Dunſtani vigeſimo quarto. His ita patratis, immenſis Dei beneficiis fratres refocillati, crebris inſiſtebant colloquiis, tractantes qualiter memoratum theſaurum tutiori cuſtodiæ mandarent, non immerito formidantes, ne hoſtili rabie ſedata, Cantuarienſique eccleſia in priſtinum ſtatum reformata, Archiepiſcopus auctoritate potentiaque præeminens, eaſdem ſibi ablatas revocaret reliquias; & ſic quanto beatiores fuerant ipſarum acquiſitione, tanto miſeriores fierent poſteriori privatione. Communicato demum conſilio decreverunt, ut duo ex fratribus ſenioribus in commiſſis ſibi

a Nempe olim in Monaſteriis noſtris poſt cibum Deo gratiæ in eccleſia perſolvebantur, uti alias notatum.

Digitized by Google

ſibi arcanis fideliores, loco ſecretiori oſſa ſancta abſconderent, nullique, quoad viverent, tanti ſecreti cognitionem participarent, ſed tantum in extremis laborantes locum alicui fratrum maturiori & ſapientiori deſignarent, qui ſimiliter in mortis articulo alicui, ſicut & ſibi fiebat, rem patefacerent, ita ut currente tempore propter varios eventus idem locus permaneret omnibus incognitus, uno dumtaxat conſcio veritatis, quouſque placeret altiſſimo, ut lux non lateret ſub modio, ſed ſuper candelabrum poſita luceret omnibus in domo Dei exſiſtentibus. Conſilium igitur ſic initum duo fratres ad hoc electi ducunt ad effectum. Locellum namque ligneum ad hoc ſatis decenter compoſitum interius depingunt, ac in dextero latere locelli S̄ cum titulo, in ſiniſtro vero D̄ cum titulo inſcribunt, quibus litteris nomen ſancti Dunſtani innuere volebant. Inferentes igitur præfatas reliquias in locellum, ſub lapide ad hoc exciſo recondunt in majori eccleſia ſecus aquam benedictam, in dextra parte introitus Monachorum, omnibus aliis locum penitus ignorantibus: ibidem vero centum & ſeptuaginta duobus annis latebat abſconditus, unius tantum cognitioni ſucceſſive modo præſcripto commiſſus. Sed qualiter hæ reliquiæ iterum reperiebantur, inferius declaratur.

AN. CHR. 988 19. Maji.

VITA SANCTI JOANNIS

ABBATIS PARMENSIS.

CIRCA AN. 990 20. Junii.

Auctore monacho anonymo ſubæquali.

Ex antiquo mſ. codice eccleſiæ Placentinæ.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. *Parma, civitas epiſcopalis in via Flaminia, Ravennati olim, nunc Bononienſi metropoli ſubdita, patronis ſuis Joannem accenſet, monaſterii S. Joannis Evangeliſtæ* juxta muros *Abbatem primum, cujus hic acta necdum edita publicamus. Eorum auctor Parmenſis monachus fuit, qui ætatem ſuam variis in locis deſignat: ut ſi Joannem minime vidit, ſaltem diſcipulis ejus atque convictoribus æqualis fuerit, a quibus Joannis ſe geſta didiciſſe conteſtatur. Cum enim num. 3. ejus ſanctitatem expertum ſe dixiſſet, num. 4. narrat Joannem* aliquantos illic optimos coadunaſſe clericos, quos non multum poſt tempus nimio confectos ſenio, *ibidem ipſe* religioſos viderit monachos. *Deinde poſtquam num. 6. Chriſtophori monachi digitum ab Joanne ſanatum retulit, hæc addit:* quem digitum longo poſt tempore idem ipſe frater prædicti monaſterii jam Præpoſitus, nobis demonſtravit, atque ea quæ retulimus narravit: *tum num. 7.* Hæc vero quæ retulimus, quodam ex ipſis Fratribus Gandulfo referente audivimus, qui ad menſam cum ceteris Fratribus & *Joanne* reſidebat. *Plura hanc in rem addere ſuperfluum fuerit. Joanni tamen haud parum ſuperſtes vixit anonymus iſte, qui non ante Hugonis Parmenſis Epiſcopi tempora ſcripſerit ex num. 17. qui Hugo anno 1027. Henrico ſucceſſit in annos decem & novem.* Scriptoris ætas.

2. *Idem anonymus monaſterii S. Joannis conditorem ingerit Sigefridum Epiſcopum, procul dubio nominis ejus ſecundum, quod hic paullo attentius diſquirendum eſt. Sigefridos duos ſæculo decimo tulit eccleſia Parmenſis, quorum alter, cum prius Hugonis Italiæ Regis Cancellarius fuiſſet ſub Beato Archicancellario, eidem eccleſiæ præfuit ab anno circiter 929. ad annum plus minus 950. Alter vero poſt Hubertum ſive Humbertum, rebus geſtis clariſſimum, ſub finem anni 978. pontificatum iniit, vitamque ſaltem ad annum 1003. perduxit, ut ex Henrici Regis litteris ab Ughello relatis diſcimus. Idem ipſe Ughellus ab auctore noſtro diſſentit in deſignando Parmenſis monaſterii conditore, quem Hubertum dicit, eam ſcilicet ob cauſam, quod Joannis obitum anonymus noſter ad annum 972. referre videatur: quo quidem tempore Parmenſibus Hubertus non Sigifredus præſidebat. Verum longe alia mens fuit vitæ hujus ſcriptori,* qui quidem quo tempore piiſſimus Otto ſecundus clementiſſime Romanum gubernabat imperium, fuiſſe *Joannem*, & ex optimo genere originem duxiſſe: *initio lucubrationis aſſeruit: quod etiam in fine repetit his verbis:* Fuit tempore piiſſimi Ottonis II.... qui Romanum gubernabat imperium anno 972. *ſed annus ille ad initium ab Ottone principatum referendus, non ad Joannis obitum, qui tum quidem vivebat, ſed necdum monachus, nedum Abbas erat, ut ex ſcriptionis contextu evidentiſſime comprobatur. Jam conditi monaſterii tempus ſtudioſe inveſtigandum eſt.*

Digitized by Google

CIRCA AN. 990 20. Junii.

Monaſterii origo & Joannis præfectura.

3. Conſtat ex infra referendis in vita num. 14. Joannem Parmenſi cœnobio annos dumtaxat ſeptem præfuiſſe, Sigifredumque Epiſcopum eidem loco Joannem alterum, ex Canonico Parmenſi Ticinenſem in Cælo-Aureo monachum, cum bona Azonis Abbatis venia præfeciſſe. Azo iſte deceſſor Uberti fuit, qui, referente Ughello, loci ejus præfecturam anno 1008. ſuſcepit: ſed quamdiu vixerit Azo, nullibi compertum. Reſtaldum quoque, Joannis noſtri diſcipulum mortiſque conſcium, Piſtorienſes Epiſcopum habuere; qui anno 1018. cum ſanctorum Barunti & Deſiderii translationi interfuiſſet, aut ſequenti vivere deſiit. At nil inde præſidii ad Joannis præfecturæ epocham ſtabiliendam. Rem propius afficit Joannis, ex Archidiacono Parmenſi translatio ad epiſcopalem Mutinæ cathedram, anno (ſecundum Ughellum) 993. facta. Cum enim ex ſubjectæ vitæ num. 9. Joannes tum Archidiaconus cum Abbate noſtro Romam petierit, id circiter annum 990. certe non ſerius anno 993. ineunte contigiſſe manifeſtum eſt. Ex his non incongrue Joannis præfecturam ſeptennem intra 980. & 990. annum concludimus. Aliud ejus rei argumentum ſuppeditat Anonymus vitæ ſcriptor, cum Synodi Ravennatis & privilegii ibidem obtenti, atque a S. Majolo confirmati meminit num. 4. Etſi enim in editis Conciliis Ravennatenſe nullum intermedium legatur inter illud quod anno 967. celebratum prodit Reginonis continuator, & aliud quod anno 997. Gerbertus ibidem tenuit; certe Honeſtus ex Monacho & Abbate Claſſenſi Ravennenſis Epiſcopus, referente Ughello, poſt Marzalienſem ſynodum anno 973. coactam, aliam quoque Ravennæ celebravit ante annum 983. qui vitæ ejus poſtremus fuit. Honeſtum vero paullo ante ſui ipſius obitum Synodum hanc, cui Sigifredus Parmenſis Antiſtes, Ravennæ ſuffraganeus interfuit, cujuſque decretum, de libera Abbatum S. Joannis Evangeliſtæ Parmenſium electione editum, Majolus Cluniaci Abbas roboravit, tenuiſſe docet Majoli ſeries Italicorum itinerum, inferius in ipſius Elogio referenda, quorum poſtremum huic anno recte convenit, cum ab eo cetera longo diſſentiant temporis intervallo.

Joannis dies feſti, & translatio.

4. Joannis natalem diem tabulæ Parmenſes, Arnoldus Vvion, & Martyrologium Benedictinum 11. Kal. Junii conſtituunt. Translatio ad diem 8. Idus Maji refertur ab iiſdem. „ Hæc anno 1588. in Comi-
„ tiis generalibus Caſinenſium monachorum, ſub Paulo Orio Veneto Præſide celebrata eſt. Ejus hiſto-
„ riam compoſuit domnus Andreas Leucci S. T. Doctor Meſſanenſis Siculus, inquit Vvion, ac hujus con-
„ gregationis monachus, Decanus, & tunc temporis in eodem monaſterio Lector. Elegiam de eadem decantavit Conſtantius Paſolinus, monachus ejuſdem Congregationis, qualem inter opera Proſperi Martinengii Franciſcus Zannetus Romæ anno 1588. typis edidit. Andreæ Leucii narrationem videre non licuit. Nonnulla deliberare juvat ex Paſolini poemate, quod ita incipit.

Quæ nova turritæ miramur gaudia Parmæ,
Atque alacres tota fundier urbe choros?

tum multis interpoſitis:

Hos inter claro ſe tollit nomine ſanctus
Paſtor Joannes, relligionis honor.
Qui quondam accenſus miro pietatis amore
Addixit trino ſe puer ipſe Deo.
Sanctaque Nurſini ſectans præcepta Magiſtri,
Sanctior evaſit fratribus ac melior.
Unde Abbas factus, divina mente regebat
Rite ſodalitium cœnobiumque ſuum,
Ceu probus œconomus, non quæ ſibi profore norat,
Sed Domini quærens emolumenta ſui.
Inſtituenſque piis commiſſum legibus agmen,
Complures celſi vexit ad aſtra poli;
Multiplici ornatos virtute, & moribus almis,
Queis mage pollebat dotibus ipſe pater.
Tandem confecto claudens ſua tempora curſu,
Mortales liquit corporis exuvias.
Sic ſuperis felix heroibus additus, aſtra
Accolit, & precibus rite vocatus adeſt.

Addit Paſolinus non pauca de ſanctis Martyribus Ferentino, Vitale, Miniate & Stephano, ſimul cum Joanne translatis, eoſque duplici hoc diſtycho ſimul complectitur.

Horum membra diu exigua jam ſede repoſta
Servavit pietas relligioſa patrum:
At modo ſqualenti rurſus translata ſepulchro,
Excipiet tumulo pulchrior urna novo.

Joannis Abbatis cum laude meminerunt Rerum Italicarum plerique ſcriptores, Antonius Maria Gorofalus in ſanctuario Parmenſi, Bugianus, Sanſovinus, & alii paſſim. Jam exhibenda eſt Vita piiſſimi Abbatis, quæ ex antiquiſſimo codice mſ. eccleſiæ Placentinæ eruta eſt per Domnum Alexandrum Parmenſem Monachum cœnobii S. Joannis Evangeliſtæ anno Domini 1537. atque ab eruditiſſimo Paſchaſio Queſnelio ex ſchedis Jacobi Morini nobis communicata ſub hoc titulo, quem vetus codex præfert.

INCI-

Digitized by Google

CIRCA AN. 990 20. Junii.

INCIPIT VITA ET OBITUS CUJUSDAM Sancti Viri religioſi nomine Joannis, qui primus fuit Abbas Monaſterii ſancti Joannis Evangeliſtæ Parmenſis, ſuper foveis Civitatis Palmæ fundati, qui poſt mortem matris prædictus ſanctus Joannes vivus fuit extractus de corpore ejus, & oriundus Parmenſis anno Dominicæ Incarnationis 972.

Joannis ortus & patria.

1. TEmpore quo piiſſimus Otto ſecundus clementiſſime Romanum gubernabat Imperium, fuit vir quidam venerabilis in civitate, quæ vocatur Parma, Joannes nomine, qui ex optimo genere originem duxit. Nobilitatem tamen illam mentis, quæ plus omnibus amanda eſt, coluit magis, quam carnis. Et merito iſte vir Joannes vocatus eſt: interpretatur enim gratia Dei, vel in quo eſt gratia. Vere quidem gratiam Dei in iſto viro eſſe cognovimus: quia ab infantia Deum timere cœpit, atque virginitatem ſuam mente & corpore, Dei cooperante gratia, pariter cuſtodivit. Hujus mater cum conceptu utero gravida teneretur, & tempus jam parturientis appropinquaret; exanima difficultate partus antequam filium enixa eſſet, de hac mortali vita ſublata eſt, quæ cum peracto ipſius obſequio, ſicut mos eſt defunctorum, in ſepulchro poneretur, a vicinis mulieribus uterus ejus cæſus, & inde vivus eleganſque puerulus evulſus eſt. Qui cum ablactatus eſſet, a ptennis eſſet, ſacris litteris imbuendus eſt traditus necnon poſt hæc in ſancta parentibus ſuis decenter, ut oportuerat, enutritus eſt; atque cum jam ſe-Parmenſi eccleſia ab ipſius ſedis Præſule Canonicus ordinatus eſt.

Matris defunctæ utero eductus.

Parmenſis eccleſiæ fit Canonicus. relicta patria,

2. Sed cum jam ibidem Deo deſervire adhuc puer inciperet, atque aliter quam illa ætas permitteret, in divinis rebus operam daret, factus juvenis cœpit mente pertractare, quomodo vel qualiter ſæculum cum ſuis oblectationibus derelinqueret, & Chriſto Domino, cujus ſe ſervitio ſubdiderat, perfecte placere potuiſſet. Cumque hoc diu tacite pertractaret, dedit operam ut patriam parenteſque velut Abraham Patriarcha, relinqueret, & orationis cauſa ſanctorum loca perquireret, atque ad ſepulchrum Domini uſque viſendum Ieroſolymis peragraret. Quod cum hoc vir Domini ſedule peregiſset, non eſt noſtræ facultatis evolvere, quantos ibi pro Chriſto labores ſuſtinuerit, vel quanta lacrymarum flumina in ſanctis ac venerabilibus locis ubertim fuderit.

Sexies tendit Jeroſolymam,

Monachum ibidem induit,

3. Cumque jam ſexta peracta vice idem venerabilis vir ſuum deſideratum feciſſet iter, & in monaſtico habitu, quem in ſancta Ieroſolymorum urbe a ſanctis viris acceperat, in ſuam urbem reverſus eſſet; vir reverendiſſimus ſupradictæ ſanctæ Parmenſis eccleſiæ Præſul, Sigifredus *a* nomine, cum cœnobium in ſancti Ioannis Apoſtoli & Evangeliſtæ eccleſia, quæ eſt juxta & foris ſupradictæ urbis muros, conſtruere jam decreviſſet; cœpit huc illucque diſcurrere, & ubi virum Deo dignum inveniret ſollicite perquirere, quem ſuæ Abbatiæ, quam jam Chriſto fundaverat, Abbatem conſtituere poſſet. Sed cum permulta, ut diximus, diſcurreret, & ſecundum ſuæ mentis inſitam qualitatem virum ad hoc opus ſtrenuum non inveniret; eligit hunc ſanctiſſimum virum ſibi & ſuis omnibus bene notum, caſtum, ſobrium, benignum, qui etiam ab ipſis (ut ita dicam) cunabulis Chriſti veſtigia eſt ſecutus: & cum conſilio Clericorum & populi, conſentientibus etiam aliquantis jam illic congregatis Fratribus, dignum, ſui cœnobii, ut experti ſumus, conſecravit Abbatem.

a Sigifredo Parmenſi Epiſcopo.

conſecratur Abbas.

4. Præſul itaque prælibatus tantum in ſui cœnobii exarſit amorem, ut non ſolum illic congregatos veneraretur ac diligeret Fratres; verum etiam ubicumque in ſua diœceſi religioſos reperiebat clericos, ſollicite ac diligentiſſime invitabat, ut ſacrum in ſuo cœnobio acciperent religionis habitum. Verum cum in hoc facto diu multumque laboraret, aliquantos illic optimos coadunavit clericos, quos non poſt multum tempus nimio confecti * ſenio in præfato cœnobio religioſos vidimus monachos, atque ab ipſis audivimus, quæ de ſancto viro

* l. confectos.

a Eo nomine ſecundus. Unde redarguas Ughellum, qui hanc loci conditionem Huberto ſeu Humberto adſcribere non debuit.

CIRCA AN. 990 20. Junii.

In Synodo Ravennenſi.

Abbatum electioni proſpicitur, adnitente Majolo Cluniaci Abbate.

viro ſcribere conamur. Inſuper etiam Ravennam perrexit, atque ibi in ſancta Synodo ſubter confirmante Archiepiſcopo cum ceteris Coepiſcopis, decretum in prænominato monaſterio tali ordine conſcripſit: ut ſi quis unquam ex deceſſoribus ſuis jam in dicto cœnobio per pecuniam aut aliunde Abbatem conſtitueret, anathematis jaculo feriretur, atque cum Simone mago & Juda proditore damnaretur. Quod decretum etiam ſanctiſſimo viro Majolo, ad confirmandum tradidit: cujus quidem mellifluis admonitionibus in prædicto cœnobio multa ad cœnobialem uſum apta conſtituit. Iis vero omiſſis, ad ea quæ de ſancto viro inchoavimus ſuccincte pergamus.

Joannis Abbatis virtutes.

5. Ordinatus autem iſte vir beatiſſimus, regiminis curam officio tenuit, moribus implevit, & in tantum amorem conditoris ſui exardeſcere cœpit, ut illum ultra humanum modum tranſſcendere crederes. Erat enim in ſermone verax, in judicio juſtus, in opere caſtus, fide catholicus, aſpectu angelicus: ſpe patientiſſimus, miſericordia plenus, humilitate præcipuus, atque ita in elemoſynis largus; ut in tota urbe prædicta vix inveniretur vidua, pauper, indigens, orphanus, cui ſanctus vir, miſericordia, ut diximus, plenus, de ſibi collatis bonis non ſubveniret. Cumque jam magna converſatione polleret, ſe ſeque a malis operibus funditus abſtineret, & carnem ſuam a vitiis abſtinendo domaret, atque oviculas ſibi commiſſas verbo ſimul & exemplo ad recti itineris tramitem perduceret; cœpit etiam miraculis coruſcare, ut lucerna ſuper candelabrum poſita, omnibus qui in domo ſunt luceret.

Monachi ſcriptoris digitum ſanat.

6. Igitur dum quodam tempore quidam ex ſuis diſcipulis, Chriſtophorus nomine, arte ſcriptoria peritus, ex ipſius viſu quemdam codice ſcriberet, atque membranam ob iſtiuſmodi gratiam incidere vellet: ita ſuum vulneravit digitum, ut os continuo ipſius denudatum eſſet: qui cum ab eo cur non ſcriberet requiſitus eſſet, dixit ſe non poſſe propter vulnerati digiti dolorem. Cumque ſancto viro vulnus oſtendiſſet, mox vir Dei ſaliva linivit, ac ita ſanum reddidit, ut mirum in modum vix ſignum vulneris unquam ibi appareret: qui illico reſedit, & magna cum exultatione cordis ſcribere cœpit. Quem digitum longo poſt tempore ipſe Frater, prædicti monaſterii jam Præpoſitus, nobis demonſtravit, atque ea quæ retulimus narravit.

Vinum miraculo auget.

7. Alio quoque tempore, dum a quodam venerabili viro Joannes nomine, ſanctæ predictæ eccleſiæ Archidiacono (qui poſtea in ſancta Mutinenſi eccleſia pontificalem cathedram rexit) vas unum permodicum, potionis plenum, quod nos monachi *juſtitiam a* vocamus, huic ſancto viro tranſmiſſum eſſet; atque refectionis hora, ipſo benedicente, omnes Fratres ex eo ſufficienter biberent; ita incredibili facto opus eſt ſubſecutum, ut quindecim & eo amplius ex eo biberent Fratres, & ita vas plenum ſemper repertum eſt, ac ſi intactum poſt primam permanſerit impletionem. Hæc vero quæ retulimus, quodam ex ipſis Fratribus, Gandulfo nomine, referente audivimus, qui ad menſam cum ceteris fratribus reſedit, atque potionis benedictionem cum aliis ſuſcepit. In quo facto Eliſeo eum ſimilem decrevimus æſtimandum, qui de paucis herbis plurimos in longum pavit artifices.

Tempeſtatem ſedat.

8. Sed neque ſilendum hoc prætereo, quod a ſupradicto domno Chriſtophoro Præpoſito narrante cognovi. Dum quadam die in quoddam cœnobium Brixili *b*, poſitum, pro quibuſdam cauſis idem vir beatus adveniſſet; tanta coruſcationis & fulguris atque tonitrui virtus, tantaque inundatio grandinis erupit, ut pæne omnes ſegetes vel vineæ atque arbores fructiferæ viderentur conſumi. Tunc vir ſanctus ſub axe cæli nudo, prout erat piiſſimus, exivit, palmas ad cælum tetendit, lacrymas fudit, totamque metuendam illam coruſcationis & grandinis inundationem mox orando in tranquillam ſerenitatem perduxit. Quo facto Domini Chriſti virtutem eſt

a De juſtitia, quæ vini portio eſt monachalis, vide Conſuetudines Cluniacenſes apud Acherium noſtrum in Spicilegii tomo 4. Dicitur alio nomine Juſta. Vide in utroque verbo Cangii Gloſſarium.

b Brixillum, inſigne caſtrum ad Padum amnem, Epiſcopo Parmenſi ſubditum, cujus caſtri vaſſallus eſt, inquit Ughellus, Dux Mutinæ: ibi olim ſedes epiſcopalis; jam pridem Parmæ reſtituta.

Digitized by Google

eſt ſecutus, qui in navi & ventis imperavit & mari, factaque eſt tranquillitas magna. Nec mirum, ſi Magiſtri virtutem iſte vir beatus eſt imitatus: quia ipſe Dominus noſter in Evangelio diſcipulis ſuis pollicitus eſt dicens: *Amen amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio & ipſe faciet, & majora horum faciet*. Vere quidem iſte vir ſanctus Veritatis diſcipulus factus, ita veri Magiſtri ſecutus eſt iter, ut quod ſibi commiſſos verbis docuit, opere ipſe prius impleverit. CIRCA AN. 990 20. Junii.

9. Neque illud taceam quod ejus prædictus diſcipulus Gandulfus nomine, narrare conſueverat. Huic ſancto viro conſuetudo erat, ut per ſingulos annos Romam pergeret, & ad limina Apoſtolorum ſuarum precum vota Domino redderet, atque ibi multa lacrymarum flumina contrito corde ubertim ex divina inſpiratione funderet. Romam quotannis petit, Cumque ex more quodam tempore hoc in itinere perambularet, in domum cujuſdam matronæ cum ſupradicto Joanne Archidiacono ſe hoſpitio recepit. Sed cum prædicta matrona a ſancto viro pro quodam inhoneſto opere humiliter reprehenderetur, & ne amplius illud flagitium committeret admoneretur, ita contra eumdem venerabilem virum in gravem iracundiam exarſit, ut multis etiam conviciis & opprobriis ſancto viro contraſiſtere non timeret. ab increpita muliere injuriis affectus, Vir autem Domini miræ humilitatis & patientiæ munere repletus, cum hanc nimium furentem conſpiceret, non ſolum illius probra patienter ſuſtinuit; verum etiam ſuos contra eam ob ſui vindictam furentes, ne ullam ei inferrent moleſtiam magna cum gravitate compeſcuit. Cumque prædicta mulier in ſanctum virum multum, ſicut diximus, nefanda verba injiceret, & quaſi jam a labore feſſa quieſcere vellet, mox magno cum clamore cœpit ſancto viro veniam poſtulare, atque ex gutturis dolore jam ſe morti propinquam eſſe anxie pronuntiare. Et cum diu ſe ream eſſe, & ob meritum ſancti viri hoc ſibi eveniſſe cum lacrymis clamitaret, illico ad ſancti viri veſtigia deducitur, atque lacrymis fuſa proſternitur. afflictam ſanat. Cumque diutiſſime ſocio jam dicto Archidiacono cum ipſius ſancti Viri fratribus ipſum ut ſibi miſereretur cum lacrymis exoraret, & ſanctus vir ſe indignum, ac tanti facti non eſſe idoneum pronuntiaret; tamen ob petitionem illorum illico eſt miſericordia motus, atque pro illa preces fundere non eſt dedignatus. Nam cum ſignaculum ſanctæ Crucis in ejus guttur imprimeret, & Domini pietatem pro ea enixius imploraret; ad ejus juſſum continuo ut excreavit, quoddam ſanguineum ac fœtidum in modum nucis ex ore projecit: moxque a terra ſana ſurrexit, Deum quoque cum magna cordis exſultatione laudare cœpit.

10. Fixum nunc paullulum teneamus ingreſſum, & ut in laudem tanti viri aliquantulum poſſumus, mente pervigili cogitemus. Stemus interim & videamus, ſi iſte vir beatus in hoc ſuo facto Domini præcepta ſit ſecutus. Dicit enim ipſe in Evangelio: *Orate pro perſequentibus & calumniantibus vos*. Vere iſte ſanctus pro hac muliere oravit, quando maledicenti ſe non remaledixit, ſed e contrario benedixit, atque ejus convitia patienter ſuſtinuit; & non ſolum patienter ſuſtinuit, verum etiam pro ea Domini miſericordiam imploravit, atque ad priſtinam uſque ſanitatem orando perduxit. In quo facto nos deſidioſi & male viventes confundimur, qui nec unum quidem verbum pro Chriſto ſuſtinere volumus: quando vero ab aliquo Fratre conviciamur, pro uno verbo mille convitia reddimus. Et ſi ad tempus poſt furorem vel vindictam Fratris aliquando tacemus; quaſi aliquid magnum nobis feciſſe videmur: cum iſte vir beatus mille ſuſtinuerit convitia, & non ſolum, ſicut diximus, vel ad modicum non eſt contriſtatus, ſed etiam pro ſibi convitiantis ſanitate preces fundere non eſt dedignatus. Nos quidem volumus præmia vitæ habere cum ſanctis, ſed nolumus pro Chriſto pati & ſuſtinere cum illis. Nunc ergo Fratres feſtinemus patientiæ virtutem acquirere, ut a Chriſto Domino præmia illius mereamur accipere dicentis, *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur*. Nunc iſta dicta ſufficiant. Aſt vero nunc ad ea, que de ſancto viro inchoavimus, revertamur.

UNIVERSIDAD CENTRAL BIBLIOTECA DERECHO

Digitized by Google

CIRCA AN. 990 22. Junii.

Exundantem fluvium ſicco veſtigio permeat.

11. Alio quoque tempore, ſicut idem frater prædictus referebat, cum iſte via beatus idipſum iter peragere vellet, pervenit ad quemdam fluvium nomine Arnum *a*. Cumque idem fluvius inundatione facta, curſus ſui alveum egreſſus eſſet, & omnibus tranſvadandi iter denegaret, ac multa populorum turba propter tranſvadandi difficultatem ibi turbata permaneret; vir Domini prædictus in Chriſto confiſus, ſigno ſe ſanctæ crucis armavit, & cum ſuis omnibus velut athleta per medium furentis fluvii alveum tranſire promeruit: Et cum ipſe fluvius in tantum creviſſet, ut vix ibi navigii curſus adeſſet; vir ſanctus ita cum ſuis recto tramite, adjutus Chriſti gratia ſecurus equitando tranſivit, ut nec etiam unda furens eorum pedes madefactaret. Sed cum gens equitatura, quæ ad hoc ſpectaculum cum alia populorum innumeroſitate ibi permanebat, præſumptuoſe ſimiliter equitando tranſvadare vellet, & vir ſanctus magno cum clamore illis ne hoc facerent prohiberet, atque ipſi e contra ſancto viro reſiſtendo in fluvium temere introirent; ita vim ſuam aqua contra illos extorſit, ut ſtatim in ipſo fluvio pæne necati eſſent, niſi vir ſanctus orationibus ſuis protegendo, & per ſemetipſum eos adjuvando cito ſuccurreret. Quo ſtupefacti miraculo univerſi qui affuere, magnificas laudes Chriſto reddiderunt, & manibus in cælum erectis, diutiſſime Deum glorificaverunt, qui ita quotidie ſuos magnificare non deſtitit ſanctos. O quam dulcis eſt Dominus ſperantibus in eum, animæ querenti illum! o quam ſunt mira Deus tua portenta! Iſte vir ſanctus fluctivagos ſæculi ornatus fortiter reſiſtendo atque dimicando illæſus calcavit, & contra ſe tumidum ſævientemque fluvium omni cum fiducia tranſire promeruit.

Idem tentantes alios periculo eximit.

Chriſtophorum præpoſitum a ſerpentis incurſu cavere præmonet.

12. Sed neque illud ſilendum æſtimo, quod a multis referentibus audivi. Dum quadam die jam dictus domnus Chriſtophorus, qui curam famulorum illo in tempore habebat, ſuos vellet diluculo inviſere famulos, eum quo tenderet vir Dei requiſivit? Cumque quo pergere deberet ipſi indicaſſet; vir ſanctus continuo adjecit dicens: Cave frater, ut locum illum juxta condenſa ſpinarum caute perambules: ne forte a ſerpente, quem ibi repereris, aliquam moleſtiam patiaris, quod cum Frater ille a ſancto viro audiſſet, & ſecum hæc tacite in via pertractaret; mox ut in prædemonſtratum ſibi pervenit locum, ibi miræ longitudinis ſerpentem invenit, quem mox ut vidit, nimium exhorruit: ſed ſignaculo ſanctæ crucis munitus, atque orationibus ſancti viri adjutus, illæſus in clauſtrum Monaſterii ad ſuos Fratres eſt reverſus. Nam cum prædictus frater hoc quod ſibi evenerat indicaret, prophetiæ hunc habere ſpiritum crediderunt.

Diabolum oranti ſibi infeſtum eludit.

13. Preterea cum idem vir beatus nocturno ſilentio in oratorio beati Columbani *b*, quod majori eccleſiæ contiguum fuit, ſuarum precum humilium vota Chriſto Ieſu aſſidue redderet, aliquando quinquagenos, ſæpe etiam centenos pſalmos, nonnumquam vero ex ordine pſalterium, ante nocturnalem conſummans ſynaxim, exceptis dumtaxat horarum ſpatiis; quibus orationum lacrymarumque ac creberrimorum fundebat preces ſingultuum: & cum diabolus, qui eſt noſtræ ſalutis invidus, cerneret hunc beatum virum in divinis laudibus (ſicut diximus) quotidie pernoctare, cœpit inquirere, qua arte poſſet eum a divinis laudibus inquietare. Nam cum vir beatus oraret, ipſe antiquus hoſtis qui mille aſſumit artes, ut Dei ſervos inquietet, modis omnibus quibus poterat, inquietare illum non deſiſtebat. Verum cum intempeſta noctis hora in eccleſia beati Columbani, ſicut præfati ſumus, ſolus ad Dominum, preces funderet, ſæpe diabolus in ſpecie pulcherrimæ mulieris ante eum ſaltando ludebat: aliquando etiam ſibi lucernam exſtinguebat, atque poſt hæc, ſicut ipſe Fratribus referebat, illic audiebatur rugitus leonum, murmur urſorum, hinnitus equorum, rugitus onagrorum, ſtridor porcorum & murium, latratus canum, maulatus cat-

a Arnus in confinio Romandiolę provincię ortus, in mare Tyrhenum delabitur. De eo Rutilius & alii plures

b Columbanus poſtquam in Gallia notiſſimus evaſit, a Brunichilde pulſus tranſiit ad Italos, ubi confutatis hæreticis, & diſſeminato Dei verbo clarus abiit ad ſuperos. Hinc apud Parmenſes etiam Sæculo 10. memoria ejus celebrata.

Digitized by Google

cattarum, ſibilus ſerpentium: ut vel ſic viri Dei animum ab orationis ſtudio removeri poſſet. Cumque Vir Dei ſentiret has dæmonum inſultationes, non ſolum immobilis permanebat, atque animum a Dei laudibus non revocabat, verum eiam ſigno ſanctæ crucis munitus, inimicum ſicut fumum evaneſcere faciebat. Sunt & alia multa laude digna quæ de ſancto viro ſcribere poſſumus: ſed jam nunc iſta dicta ſufficiant. Qualiter vero ad Dominum de hac vita migraverit, ſcire volentibus, Deo juvante ſcribere ſtudeamus. CIRCA AN. 990 20. Junii.

14. Igitur dum tempus appropinquaret, quo Dominus ac Salvator noſter hujus ſancti viri labores remunerare vellet, & gregem ſibi commiſſum per ſeptem irreprehenſibiliter regeret annos; traditus eſt infirmitati, & ad extremum uſque perductus. Cumque diem exitus ſui jam appropinquare ſentiret, & duo ex Fratribus monaſterii, Gandulfus, quem nuper præfati ſumus, & Reſtaldus *a* (quem ſanctæ Piſtorienſi eccleſiæ poſtea præſulem vidimus) ejus lectulo aſſiſterent, hoc illis locutus eſt dicens: Jam nunc Fratres pergite, & cum ceteris fratribus, qui nunc cœnaturi ſunt, cibum ſumite. Sed cum alios ibidem adeſſe non cernerent fratres, quos ibi relinquerent; & hoc quod juſſerat „ implere dubitarent; iterum dixit illis: Nolite de me, Filioli, nunc eſſe „ ſolliciti, ſed ſicut juſſi feſtinanter hinc abite, cellulæque oſtium poſt vos „ claudere curate. Cumque ſubito, ſicut dixerat, cella exiſſent, & oſtium cellæ poſt ſe clauderent, non ſicut præceperat ad cœnam perrexerunt, ſed ante cellæ oſtium tacite foras perſtiterunt. Et ecce ſubito lux emiſſa cum magna odoris fragrantia, omne illius cellæ ſpatium implevit, & ſplendor tantæ claritatis circa illos emicuit, ut corda eorum inæſtimabili pavore perſtringeret. Tunc ſanctus vir ſubito viribus receptis, magna cum exſultatione cordis cla- „ mare cœpit: Gratias non modicas ago vobis, pro eo quod me ſervum veſtrum „ viſitare dignati eſtis. Ipſe etenim ſcitis, quod ſemper vos multum dilexi, „ atque mente ſedula, pro ut potui, vobis fidelitatem ſervavi. Nunc autem „ veſtris dignis orationibus me adjuvate, atque ut ante tribunal tremendi exa- „ minis ſecurus aſſiſtere poſſim, ipſum judicem univerſitatis enixius pro me „ exorate. Cumque hoc crebrius ſupplex diceret, atque poſt hæc quaſi ſub ſilentio vocem comprimeret, paullatim lux quæ fuerat emiſſa, ſubtracta eſt: ſed is qui ſubſecutus fuerat odor remanſit. Nam cum fratres illi qui ante fores cellæ perſiſtebant, jam ſecum aliquibus ſociatis fratribus ad illum audacter introirent; eum ſine mora percontati ſunt, cum quibus nullo ibi remanente, locutus fuiſſet. Quibus ille ait: Domina mea Maria, quam ſemper dilexi, ſociatis ſecum aliis virginibus, me viſitare dignata eſt, atque ſubito me de hac vita migraturum manifeſtavit. Sed jam nunc Fratres omnes convocate, atque in hora exitus mei, quæ vicina eſt, Domini miſericordiam pro me peccatore enixius implorate. Cumque omnes fratres una cum præfato Præſule ſimul & Clero convenirent; pſallentibus omnibus & flentibus, accepto Viatico cum per ſeptem, ſicut diximus, honeſtiſſime cœnobium rexiſſet annos, menſes tres, dies octo, undecimo Kal. Junii ſuum conſummavit agonem, atque exutus carnis ergaſtulo animam cælo reddidit.

Morti proximus.

præſentes abire jubet.

cæleſti odore recreatur

Apparente Deipara Virgine.

Viatico munitus obit.

15. Quo defuncto ita ſubito tota urbs repleta eſt luctu, ut vix inveniretur in tota civitate domus, in qua lamentum non audiretur & planctus. Nam & venerabilis hujus ſancti cænobii præpoſitus nomine Reimprandus, ſæpe narrare nobis conſueverat dicens: In illis diebus cum adhuc in paterna domo manerem, quidam presbyter nobis vicinus, cum a ſupradicta urbe ipſa die regreſſus eſſet, & a vicinis noſtris quid boni in civitate vidiſſet vel audiſſet interrogaretur, tale nobis dedit reſponſum dicens: Certe ad multorum obſequia mortuorum Regum, Pontificum, Ducum & Marchionum, atque Abbatum interfui, & numquam tam grandem luctum, tamque grave lamentum audivi, ſicut hodie in tranſitu domni Joannis Abbatis in noſtra civitate proſpexi. Ubique luctus audiebatur & planctus: & vix inveniebatur in tota urbe domus, in qua lamentum non audiretur. Undique per plateas divites & pauperes, viduæ

Mortuum tota luget civitas.

a De Reſtaldo vide ſuperius notata in Obſervationibus prævîis.

CIRCA AN. 990 20. Junii.

duæ ſimul & orphani flendo concurrebant, ut ad obſequium ſancti Patris occurrere potuiſſent. Flebant igitur nimium Monachi, eo quod tantum ac talem amiſiſſent paſtorem: flebat etiam Pontifex ſimul cum populo, pro eo quod tali carerent patrono: lugebant inſuper & pauperes in deſtitutione tanti Patris, a quo quotidie eleemoſynis recreabantur. Sepultus eſt autem idem venerabilis pater a dicto Pontifice, & fratribus intra clauſtrum monaſterii, juxta majorem eccleſiam, in locello marmoreo. In quo loco ad oſtendendam ſancti viri virtutem multa Dominus beneficia inibi petentibus largiri eſt dignatus.

Sepultus eſt in clauſtro.

16. Igitur cum jam prænominatus Antiſtes de tranſitu talis viri ſimul & deſtitutione cœnobii triſtis mærenſque permanerent; divino tamen afflatus ſpiritu, cœpit cum magna ſollicitudine perquirere, ubi Monachum, quem dignum ſui monaſterii conſtitueret Abbatem, invenire potuiſſet. Cumque hæc devote perageret, interveniente beato Joanne Apoſtolo & Evangeliſta atque Prætextati viri ſancti meritis, invenit quemdam venerabilem Monachum in cœnobio ſancti Petri, quod cognominatur Cælum aureum, Joannem nomine, olim prædictæ ſuæ matris eccleſiæ ſtrenuiſſimum canonicum, quem Domini pietas de hac ſæculi voragine ad monaſticum tranſmeare fecit habitum; caſtum, ſobrium, humilem, & longa jejunii maceratione caſtigatum, eleemoſynis largum, atque a domno Azone prædicti monaſterii Abbate regulariter receptum, cum conſenſu & permiſſione ipſius Abbatis, atque a monachis electione facta, & ſubter confirmata, atque ab ipſo Epiſcopo roborata, omni cum honore dominum prædictum Joannem conſecravit Abbatem.

Joannis Succeſſor ex Cælo aureo.

cujus loci Azo tunc Abbas.

17. Sed neque hoc prætereundum dignum eſſe reor, quod Dominus ob hujus ſancti viri meritum noſtris temporibus oſtendere eſt dignatus. Temporibus namq; Hugonis Pontificis qui tertius poſt Sigifredum Præſulem in præfata eccleſia Epiſcopus fuit, cum hujus ſancti viri oſſa in nova eccleſia, ubi nunc ſepulchrum ejus cernitur, Fratres tranſmutarent, & accenſis luminaribus cum crucibus apparatis & thymiamatibus omnes in altum pſallerent; repente tintinabulum unum prægrande, quod cum ceteris tintinabulis ſonabat, cum ipſo trabe, in quo ſupra turrim pendebat, ab alto cecidit, atque unum laterem, ſuper quem corruit, in fruſta comminuit, ipſe autem illæſus ab omni fractura permanſit.

Translatio ſub Hugone Epiſcopo

Mira tunc facta.

18. Item ipſo die, cum quidam urbicus ultra fluvium qui juxta murum civitatis fluit, & ipſius vocatur præ nomine *a*, tranſire voluiſſet, dum ſuper pontem ipſius fluminis perambularet, repente cultellum, quod ſecum ferebat, in medium fluminis alveum cecidit. Cumque ſpes requirendi ferramentum nulla eſſet, jam talem ad Deum fudit orationem: Deus omnipotens, per merita & interceſſionem hujus ſancti viri cujus hodie oſſa tumulantur, redde mihi meum cultellum. Cum vero hanc orationem compleſſet, mox de ponte deſcendit, & juxta marginem alvei cultellum in aqua jacentem invenit.

19. Item cum in illis diebus alius quidam urbicus, ipſius ſancti viri propinquus, cum a quodam fure equus ſuus ſibi ablatus fuiſſet, ad ſepulchrum illius uſque pervenit. Nam cum viri ſancti ibi adjutorium diutius imploraret, nocte ſuperveniente apparuit illi idem vir Domini in viſione nocturna, eique locum in quo ſuus equus a fure cuſtodiebatur oſtendit, atque cum magna ſecuritate equum inde deducere præcepit. Cumque diluculo ſurrexiſſet, concite ſecundum viri Dei admonitionem orationis cauſa ad eccleſiam perrexit, atque mox ut ad præmonſtratum locum pervenit, equum cum fure, ſicut ſibi prædictum fuerat, invenit: quem cum audacter comprehendiſſet ſecundum viri admonitionem, abſque humano opere a compede ferri ſolutus eſt: & ſic intrepidus atque ſecurus latrone propius aſpiciente lætus de ſuo equo domum remeavit.

Tumbæ ſancti fruſtulum morbis medetur.

20. Genitrix inſuper mea cum quadam die ad me viſitandi gratia ad monaſterium perveniſſet, petiit, & accipere meruit particulam de hujus ſancti viri tumba, atque ita cum gaudio remeavit ad propria. Quæ cum infirmantibus

bus

a Parmæ civitati nomen ſuum Parma fluvius indidit, quam mediam interſecat, ubi Cingio amniculo, & Laganza flumine auctus eſt.

Digitized by Google

bus de ipſa tumbæ particula ad potandum tribueret, ita cooperante Chriſti gratia in ſua patria actum eſt, ut omnes ex ea potantes ſani & incolumes a quacumque detinebantur infirmitate redderentur. CIRCA AN. 990 20. Junii.

21. Noſtris quoque temporibus, quod obtutibus noſtris conſpeximus, ignavia quamvis preſſi, occultare non debemus. Ignaviæ namque decernitur eſſe, quod Dominus noſter Jeſus-Chriſtus per ſuos famulos non deſiſtit quotidie operari, ſi nos ſileamus. Verum ad cumulum laudis quotidie votis fidelium creſcit efficacia ſanitatum, gratia largitoris omnipotentis donorum: quia unde Deum mirabilem in ſanctis ſuis prædicamus, virtutum continuationem nobis examuſſim exageramus. Monachus quoque in noſtro cœnobio conſiſtens, Iſimprandus nuncupabatur, Levitæ miniſterio fungebatur, in dextera cujus manu cancri morbus crudeſcebat; ita ut nulli eſſet dubium, quin feſtinantius niſi opitulatio omnipotentis Dei cito affuiſſet, cito raperetur ad occaſum. Defecerat quoque archigenis cataplaſma, ceſſerat quoque omnis medicantis incaſſum induſtria; cum referente prætitulatus frater concito greſſu exſurgens a contubernio Monachorum, in refectorio veluti moris eſt, cibariis conſuetudinariis veſcentium; adiens mauſoleum quo ſanctiſſima Joannis Abbatis occulebantur oſſa, lacrymis perfuſus, beatiſſimi Joannis Abbatis auxilium in ſui adjutorium ſic devote invocans dicebat: O ſancte Joannes, qui omnibus aliis argumenta incolumitatis clementer impertiris; quæſo uberibus lacrymis, mihi miſerrimo ſalutiferum ſoſpitatis antidotum celerrime conferre digneris. Ad hanc vocem, ſubito conticuit, & ſomnus ejus artubus deſideratiſſimus celeriter ipſum occupavit, qui ſtatim obdormiſcens, & poſtmodum feſtinato exſpergiſcens, nactus eſt manum dexteram ita a cancro eruderatam, ut nullatenus priſtinæ incommoditatis pæne inveniretur veſtigium. Quo facto congaudens, omnipotenti Deo laudes rependit innumeras, & ſancti Joannis beneficium agnoſcens, piiſſimo ac benigniſſimo Salvatori omium devotiſſime cum exſultatione magnificas laudes & gratias aſſidue ſedulus miniſter lacrymans referebat. Accedens quoque ad confratrum colloquium, omnes unanimiter conglomeravit in unum, obſecrans tandem ut in cunctorum retributorem bonorum recenſerent tam ſalubris amminiculationis laudis ſuffragium. Nos quoque qui hæc obtutibus conſpeximus, tanti cœnobii miraculum ad poſterorum memoriam (ut cautiores Dei famulantes exſiſtant) intimare dignum duximus: ut ſciant omnes qui invocant nomen Domini orationes ipſorum minime ſperni. Iſimprandi monachi manus, cancro infecta ſanatur.

22. Sunt vero & alia multa commemoratione digna, quæ per eum a Chriſto cognoſcuntur operata, ut ſi litteris ſcriberentur, forſitan antea nobis tempus quam ſermo deficeret, maxime cum ad ſepulchrum ejus quotidie febricitantes aut aliquibus infirmitatibus laborantes nobis cernentibus perveniant, & hauſto oleo de locello marmoreo obliti, omni infirmitate ſani, ad propria cum gaudio revertantur. Nos itaque, Fratres chariſſimi, Domini omnipotentis collaudare ſtudeamus magnalia, qui talem nobis condonare dignatus eſt paſtorem, cujus exemplis informamur, miraculis coruſcamur, orationibus apud Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum adjuvamur: (Qui, ut ſupradiximus, beatiſſimus Joannes Parmenſis, & Abbas digniſſimus ſancti Joannis Evangeliſtæ de Parma fuit tempore piiſſimi Ottonis ſecundi clementiſſimi Imperatoris, qui Romanorum gubernabat imperium anno Domini nonagenteſimo ſeptuageſimo ſecundo) præſtante Domino noſtro Jeſu Chriſto, cujus & imperium ſine fine permaneat in ſæcula ſæculorum, amen. alia ejus miracula. Joannis ætas.

AN.CHR. 990 15. Aug.

DE VENERABILI LIUDOLFO

ABBATE CORBEJENSI IN SAXONIA.

Ubi de aliis ejuſdem ævi ibidem Abbatibus.

1. POST Vvarinum *Corbejæ novæ in Saxonia Abbatem, de quo in translatione ſancti Viti ad annum* 636. *actum eſt, eidem cœnobio præfuit* Adalgarius *ad annos* 20. *hoc eſt ab anno* 856. *ad* 76. *Hunc exceperunt* Thancmarus *per octo menſes*, Avo *ad triennium*, Bovo *hujus nomini primus in annos duos, ſub quo* Ludolfus Epiſcopus *vixit. Poſt Bovonem* Godeſcalcus *in annos decem: tum* Bovo *ſecundus per annos* 16. *ſub quo* Bovo *Epiſcopus. Bovo Abbas ſecundus res geſtas ſui temporis deſcripſit, teſte Adamo, qui ejus fragmentum refert in c.* 33. *quod eſt libri* 2. *caput* 35. *Hanc hiſtoriam intercidiſſe Letznerus ſcribit.*

Bovo 2. Abbas.

2. *Bovoni ſecundo ſuffectus eſt* Folcmarus, *qui annos* 25. *locum rexit, ſub quo* Brun Epiſcopus *memoratur. Hic eſt Bruno, conſanguineus Herimanni Saxoniæ Ducis*, novæ Corbejæ monachus, quem ob venerationem ſui Imperator Amulungo ſucceſſorem ſtatuit Epiſcopo: qui eccleſiam in Ferdun de lignis egregiam fecit, *ut legitur in Chronico Magdeburgenſi ad annum* 972. *& apud Ditmarum in l.* 2. *Folcmarus Abbas, ſub quo is apud Corbejam vixit, a Sigifrido Comite Saxonico poſſeſſiones quaſdam in pago Halberſtadenſi ſitas acquiſivit, ubi cœnobium condidit in loco* Vveſtergroningen *dicto ad Bodam fluvium, qui locus a cœnobio nomen accepit* Cloſtergroningen. *Litteræ hac de re exſtant apud Meibomium, datæ* 936.

Folcmarus.

3. *Folcmarum ſequitur* Bovo *tertius, quem laudat Vvitichindus, & ipſe Corbejæ novæ Monachus, in lib.* 2. *ubi agens de expeditione Ottonis M. contra Hugonem Francorum Ducem pro Ludovico Rege, Ottonis reſponſum refert ad ferocius Hugonis dictum in Saxones, nempe* ſibi eſſe tantam multitudinem pileorum fæninorum, quos ei præſentari oporteret, quantum nec ipſe, nec pater ejus videret. Et re vera, *ſubdit Vvitichindus*, cum magnus eſſet exercitus, triginta ſcilicet duarum legionum, non eſt inventus qui fœnino non uteretur pileo, niſi Corbejus Abbas, nomine Bovo, cum tribus ſequacibus. Hic erat vir ſapiens ac clarus, a Deo nobis oſtenſus, non conceſſus: *forte quod frequens eſſet in Ottonis comitatu.* Hujus Patris avus Bovo, græcas litteras coram Chuonrado Rege legendo, factus eſt clarus: & huic ejuſdem nominis avus erat, ut natu major, omni virtute ac ſapientia potior. Sed & ipſe nepos erat Vvarini, qui ex Milite factus eſt Monachus, & primus omnium apud novam Corbejam regulariter electus eſt in Patrem: qui cum eſſet admirandæ ſanctitatis, ad augmentum virtutum ſuarum, beatæque memoriæ, Saxoniæ pretioſum attulit theſaurum, reliquias videlicet pretioſi martyris Viti. *Eadem omnino in Chronico Magdeburgenſi leguntur ad annum* 948. *quo Bovonis tertii obitus collocatur: niſi quod pro* fæninis *pileis ſemel & iterum legitur* femininis, *neſcio an rectius ad ſenſum.*

Bovo 3.

Gerſumus. Liudolfus. 4. Gerſmus *ab anno* 948. *Abbas fuit in annos* 27. *quibus exactis ſucceſſit* Liudolfus, *qui uno minus anno eum locum adminiſtravit. Ita utriuſque annos regiminis aſſignat Chronicon Corbejenſe apud Meibomium: at in Chronico Magdeburgenſi, ubi Bovonis tertii obitus ponitur anno* 948. Gerbernus *(ita legitur, non* Gerſmus*) anno* 965. *obiiſſe memoratur, ac Liudolfus ſucceſſiſſe. Is anno* 968. *mortem Vvillehelmi Moguntini Antiſtis abſens didicit, tum poſtea Geronis item Colonienſis obitum, teſte*

Ditmar.lib. 2. pag. 19. *Ditmaro in hæc verba:* Apparuit autem mox Liudolfo Abbati dicens; *Requiem æternam* nobis cantate; & evanuit *ab oculis ejus. Eadem in Chronico Magdeburgenſi ad annum* 974. *Uterque auctor iiſdem omnino verbis, Geronis Comitis cum Waldone ſingulari certamine relato, de Liudolfo hæc ſubdit, Chronographus quidem ad annum* 979. *Ditmarus vero in l.* 3. *p.* 29. Libet paucis exponere Liudolfi novæ Corbejæ Abbatis meritum, cui multum vigiliis jejuniiſque laboranti plurima Deus dignatus eſt revelare. Hic in die præfati certaminis, cum diluculo Miſſam humiliter & timorate, ut ſemper ſolebat, celebraret; vidit ſuper altare caput Comitis Geronis: finitaque hac, aliam pro defunctis cantavit, exutiſque ſacerdo-

id lib.3.pag. 28.

doꝺalibus veſtimentis cum ſilentio exivit, & congregatis Fratribus obitum AN.CHR. ejus indicavit, orationemque communem pro eo fieri ſuppliciter exoravit. 990

5. *Anno* 990. *ex Chronico Magdeburgenſi*, Liudolfus Corbejenſis Abbas obiit, 15. Aug. vir venerabilis, cui multum vigiliis jejuniiſque laboranti plurima Deus dignatus eſt revelare: quorum unum proferam, quod frater meus Brun Epiſcopus, in nova Corbeja educatus, & ejuſdem altaris ſervus mihi indicavit. Erat quidam juvenis, germanus ejuſdem Abbatis, & regularis Monachus in eadem congregatione, qui cum in commiſſo ſibi officio moraretur, & reliquias pretioſiorum martyrum Criſpini & Criſpiniani ſolito more ſecum veheret, incurioſeque tractaret, perſenſit in pœna ſubſequenti celeriter quod peccavit in Martyres Chriſti: nam ſubito moritur corporaliter, qui ſanctis Dei neglexit ſervire ſpiritualiter; & ipſi Martyres ſancti ut hoc prædicto Abbati venerando innoteſcerent, nocte ante januas eccleſiæ exeunti obvii fuere. Quos ut vir clarus primum aſpexit, timore magno perculſus modeſte ſubſtitit, ſilentiumque ſervavit: cui illi dicunt: Cur venerande Pater, non interrogas qui ſimus, aut quare venerimus? auditoque ab illis nomine eorum & cauſa adventus, ob negligentiam fratris illius, & quod hæc noxa non relinqueretur inulta, mox abierunt. Diſcedentibus his, Abbas hæc Fratribus indicavit dicens: Mortuus eſt ille juvenis, qui in noſtra nunc erat Obedientia, ob incuſtoditam ſanctorum quos ſecum habuit reverentiam. Heu mihi talia unquam conſentienti! Nec longo poſt venit nuntius, qui hæc vera eſſe affirmaret, & corpus ejuſdem adduci intimaret. Venerabilis autem vir nec huc obviam exire voluit, nec fratres more ſolito illud ſuſcipere ſivit, ſed „ iratus ad truncum corrporis talia fatur. Quare tu proterve, eos, qui cum „ unigenito Dei vivi Filio in magno honore habentur, negligenter tecum du- „ cere, vel poſt tale facinus huc auſus es abſque ſupplici interventu ullate- „ nus venire? Decanus autem defunctum fratrem pro ſua poſſibilitate excuſans, „ tale a Patre reſponſum accepit. Mi frater amate, ſcis quæ hic ſervus ad „ oculum in tuo aſpectu egerit, quid vero abſentialiter fecerit ignoras. Ego au- „ tem optime perpendo & intime ingemiſco, quia hunc in tormentis gravibus „ cruciari intelligo. Nunc igitur pia interceſſione noſtrorum patronorum ſup- „ plex peto, ut per hoc divina pietas meæ humilitati innoteſcat, quando ei „ a ſe laxato liceat mihi peccatori abſolutionem facere, & communionem dare. „ Enimvero aſperum nimis aculeo recalcitrare, & hominibus indecens, qui- „ bus divina majeſtas irata eſt, indulgentiam exhibere. Poſt hanc vocem, pius Abbas ad oratorium, ſpeciale ſuum in rebus anxiis aſylum, nudis pedibus venit, & more ſolito in ſe & in aliis humanam fragilitatem deflens, placavit Deum, & ſolvit reum: & protinus cum multis gratiarum actionibus exſurgens, per divinam poteſtatem, coram Fratribus cunctis defuncto crimen remiſit, & Eccleſiæ communionem, & corpori ſepulturam dedit.

6. *Liudolfi mortalis dies in Chronico Corbejenſi notatur* Idibus Auguſti. *Succeſſores habuit Thietmarum, Hoſedum, Vualum, & Drutmarum: de quo in Sæculo ſequenti agemus. De Liudolfo & Drutmaro id mihi ſignificavit noſter Adolfus Overhamus, litteris Corbeja datis anno* 1670. Anno 1100. Liudolfus & Drutmarus Abbates tranſlati ſunt, & miraculis claruerunt. Marcvvardus Abbas Corbejenſis tranſlatis a ſe Divis hoc monumentum poſuit.

Iſtic tranſlatos Patres gaudete beatos
Iſtius eccleſiæ, quam congrue rexit uterque.
Tempore diſtincto dictis & cum bene facto.
Drutmarus dextra (Lector non negligat iſta)
Abbas præclarus jacet hac in parte Ludolfus.
Et ſic in ſanctis Deus aſpice cor reverentis.
Patris Marcvvardi, ſimul artificis Godefridi,
Quorum devota prece complaceat tibi vota.

Vidi egomet, *ait ille*, anno 1663. horum Sanctorum corpora levari, cum vetus templum hic dirueretur, reponenda in templum novum, quod modo felicibus auſpiciis conſurgit. *Hæc de Liudolfo habui quæ ſcriberem, utinam potiora.*

Digitized by Google

AN.CHR. 992 29. Feb.

VITA SANCTI OSWALDI

EPISCOPI WIGORNIENSIS ET ARCHIEPISCOPI Eboracenſis,

Auctore anonymo incertæ ætatis.

Ex Capgravio & Bollando.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. *Ex tribus illis, quos ſæpe laudavimus, eximiis Angliæ Epiſcopis, Dunſtano, Ethelvvoldo & Oſvvaldo, aliis duobus ſupervixit* Osvvaldus, *nempe* quinque annis Dunſtano, decem Ethelvvoldo, *inquit Vvillelmus Malmesburienſis in lib.* 3. *ubi de Pontificibus Eboracenſibus;* tantamque ſui admirationem Angliæ præbuit, ut ſolus eos exhibere videretur, auctoritate illum, efficacia iſtum, ambos ſanctimonia. *Ejus vitam ſcripſiſſe dicitur* Senatus *Bravonius, quem Vvigornienſium monachorum præfectum ſub annum* 1170. *floruiſſe ferunt. Sed alium quempiam auctorem antea id præſtitiſſe conſtat: quos inter Fulcardus* S. Bertini Sithienſis monachus, *quem Guillelmus Rex, teſte Orderico Vitali in hiſtoria eccleſiaſtica lib.* 11. *circa annum* 1108. Tornejæ præpoſuit. Hic affabilis & jocundus fuit, *addit Ordericus,* atque charitativus, grammaticæ artis ac muſicæ peritiſſimus: unde pretioſa peritiæ ſuæ monumenta reliquit in Anglia futuris generationibus. Nam plures tractatus memoria dignos edidit, & S. Oſvvaldi Guigornenſis Epiſcopi, aliorumque Sanctorum, quorum propago de Albione proceſſit, delectabiles ad canendum hiſtorias ſuaviter compoſuit. *Neſcio an ſit ejus hæc ſcriptio, quam primus typis vulgavit Capgravius, Surius expolivit, Henſchenius in nativum ſtilum reſtituit. Aliam ejuſdem Sancti Vitam nancti ſumus in mſ. Chronico Rameſienſi, a confratribus noſtris Anglicanis Patribus Benedictinis nobis communicato, ex quo ea quæ ad Oſvvaldum & ad Rameſienſis cœnobii primordia pertinent, huc referemus poſt fragmentum ex Orderico Vitali. Ejuſdem ſancti Vita Saxonice ſcripta reſidere dicitur in bibliotheca Vveſtmonaſterienſi.*

Vitæ ſcriptores.

2. *De monaſterio Rameſienſi*, cujus auctor Oſvvaldus, fundator Dux Ailvvinus, Aimoino Hebelguinus, multa leguntur in actis S. Abbonis Abbatis Floriacenſis inferius exhibendis, & apud Vvillelmum in lib.* 4. *de Pontificibus Anglorum, ubi de Epiſcopis Dorceſtrenſibus, atque in Monaſtico Anglicano a pag.* 231. *ubi Ailvini Ducis genealogia profertur. Ethelſtanus ejus pater,* Semirex dictus, *Glaſtoniæ monachus factus eſt. Monachorum duodecim colonia Rameſiam deducta eſt anno* 971. *ex Vveſtbirienſi monaſterio, quod itidem Oſvvaldo originem ſuam refert acceptam. Sed præ cæteris illuſtre fuit monaſterium ſanctæ Mariæ ab eodem conditum apud Vvigorniam prope eccleſiam cathedralem, quæ hac arte ad Monachos facile tranſiit. Hinc Vvillelmus Malmesburienſis in lib.* 2. *de Regibus cap.* 8. Sedem epiſcopalem Vvigorniæ, clericis non vi expulſis, ſed arte ſancta circumventis, replevit Monachis regularibus. Expulerat antea regali juſſione Ethelvvoldus Epiſcopus clericos de Vvintonia, &c. *Angliæ Reges tres una cum Dunſtano coronavit, Eadgarum anno* 973. *Edvvardum biennio poſt, atque Ethelredum anno* 978.

Rameſienſe monaſterium. * Ramſey. Vveſtbirienſe. Vvigornienſis cathedralis Monachorum.

3. *De morte S. Oſvvaldi iſta tradit Florentius Vvigornienſis.* Sanctus Oſvvaldus Archiepiſcopus Indict. 5. prid. Kal. Martii, feria ſecunda tranſiens ex hac vita, regni cæleſtis gaudia conſcendit, & Vvigorniæ in eccleſia ſanctæ Mariæ, quam ipſe a fundamentis conſtruxerat, conquieſcit. *Hæ notæ chronicæ coincidunt in annum* 992. *qui biſſextilis erat, ac proinde eo anno Februarius conſtabat diebus viginti novem, quorum extremus Oſvvaldi ſupremus fuit. Hunc annum ejus obitu inſignem tradunt Anglicani ſcriptores, ex quibus corrigendum Monaſticum, in quo refertur ad annum ſequentem. De ſancto Oſvvaldo fit mentio in recentioribus Martyrologiis* 7. Kal. Martii. *Molanus eumdem laudat ad diem* 15. *Octobris, & Thomas Maihcuvius, qui ea die de ſancto Oſvvaldo ſe acturum promiſerat, hunc diem ejus translationi attribuit. Verum prima ejus translatio facta eſt* prid. Id. Maii, *ut mox dicemus. Henſchenius alium ſanctum pro Oſvvaldo in diem* 15. *Octobris intruſum fuiſſe ſcribit.*

Oſvvaldi mors & memoria.

4. *Oſvvaldo in ſedem Eboracenſem ſucceſſit* venerabilis Abbas Medeshamſtedenſis, id eſt Burgh, Aldulfus, qui *& ipſe, ſicut prædeceſſor ejus ſanctus Oſvvaldus, concedente* Rege Adelredo, Vvigornenſem epiſcopatum in manu ſua habuit, *teſte Thoma Stubbio.* Ipſe duodecimo epiſcopatus ſui anno, congregatis coepiſcopis, Abbatibus, multiſque religioſis viris, ſancti Oſvvaldi Archiepiſcopi oſſa anno Regis Adelredi 25. Indict. 15. 7. (lege 17.) Kal. Maii, feria 4. e tumulo levavit, & in ſcrinio quod paraverat, honorifice collocavit: & non multo poſt, id eſt prid. Nonas Maji, ipſe defunctus eſt, & in eccleſia ſanctæ Mariæ Vvigorniæ ſepultus. *Florentius Vvigornienſis eadem habet ad annum* 1002. *quo hæc elevatio facta eſt. Uterque exſcripſit Simeonem Dunelmenſem in lib. de geſtis Regum Anglorum. Ejuſdem elevationis meminit Vvillelmus Malmesburienſis in Epiſcopis Eboracenſibus.* Tunc, *inquit,* in eccleſia Beatæ Mariæ ſepultus, poſt duodecim annos ſignis divinitus oſten-

Ejus elevatio.

Digitized by Google

AN.CHR. 992. 29 Feb.

oſtenſis a terra elatus eſt. Quid ſane miraculi ſit, quod toto corpore in pulverem aſſumpto, ſtola ſacerdotalis, qua fuerat amictus, corruptelæ uſque ad hanc diem damnum non ſentiat, Domini reſervetur examini: *tum de Aldulfo:* Succeſſit ei in utraque ſede Aldulfus ex Abbate Burchenſi, ſanctus (ut perhibent) vir, & reverendus. Ipſi pro ſanctitate ignoſcitur, quod contra regulas canonum duas ſedes tenuerit: quod ſcilicet non hoc ambitione, ſed neceſſitate fecerit. Vvlſtano non ita, qui ſanctitate diſcrepabat & habitu. *Hic in Malmesburienſem indignatur Godvvinus ſectæ Anglicanæ, quod Aldulfum duarum eccleſiarum Epiſcopum probet Vvillelmus, contra id Vvolſtano pro ſcelere imputet. At legitimam cauſam hujus diſcriminis affert, nempe in Aldulfo ſanctitatem ambitionis expertem: & neceſſitatem Eccleſiæ: quæ in Vvolſtano non inerant.* Jacet Aldulfus Vvigorniæ, *ſubdit Vvillelmus*, etiam Floriacenſi monaſterio pro copia xeniorum, quibus Oſvvaldi munificentiam æmulari ſategit, prædicandus. *Lege acta S. Abbonis. Oſvvaldi ſtolam ſacerdotalem* purpuream, auro & gemmis ornatam, ac priſca pulchritudine fulgidam, *in Beverlacenſi eccleſia ſervatam ſuo tempore fuiſſe Thomas Stubbius tradit.*

1. SAnctus Oſvvaldus Archiepiſcopus, nobiliſſima progenie ortus, eleganti forma enituit. Hic puer factus, pueriles ineptias devitare, & ad ſanctitatis opera ſemetipſum informare cœpit. Frater enim patris ſui erat ſanctus Odo Cantuarienſis Archiepiſcopus, diſcretione ſublimis, moribus gravis, juſtitiæ cultor, & omni actione ſua circumſpectus. Huic enim nepos ſuus Oſvvaldus doctrinis imbuendus, & bonis exemplis & moribus inſtruendus a parentibus commendatur. Sæculari demum ſcientia & ſcriptura ſacra ad plenum informatus, a S. Odone apud Wintoniam Canonicus effectus, cum ceteri ſpreta inſtitutione Ordinis ſui deſideria cordis ſui ſequerentur, inſtitutionem vitæ Canonicorum indefeſſus exſequebatur. Decanus itaque in brevi factus, maculatam ſenum vitam emendare, & pueriles eorum ſenſus ſtudio diſciplinæ cæleſtis evacuare adhuc ipſe juvenis curavit. Illi vero magis antiqua pravæ conſuetudinis itinera tenere volentes, nullo pacto illum in talibus ſe audituros affirmabant.

Oſvvaldus Wintoniæ Canonicus & Decanus. *alios fruſtra corripit.*

2. Quo intellecto, ſpreta ſæculari pompa necnon divitiis, Floriacum, ubi corpus ſancti Benedicti requieſcit, pergere decrevit. Miſſis enim a ſancto Odone commendatitiis litteris, & donis plurimis, juvenem dicto commendavit & facto. Idem vero ſanctus Odo in juventute conſtitutus, mari tranſito habitum monaſticum apud eumdem Floriacum ſuſceperat. Suſcepto itaque habitu *a* ſacro, qui ab aliis doceri venerat, talem ſe exhibuit, ut ſatis in eo quod docerent, quod imitarentur haberent. Erat enim ſomno parcus, cibo ſobrius, in loquendo diſcretus, in oratione aſſiduus. Quam patiens, humilis, benignus, manſuetus exſtiterit & benevolus, ex ſincera charitate, qua ſupra æſtimationem humanam enituit, perpendi poteſt. Secretum ab Abbate in eccleſia accepit locum, in quo Deo familiarius adhæreret. Illic enim orationi, meditationi, contemplationi vitæ perennis, ab aliorum inquietudine remotus, operam dare ſolitus, magnum humani generis hoſti fomitem livoris & odii miniſtrabat.

Floriacum ſecedit.

3. Una nocte quadam dum contemplationi & orationi vacaret, affuit ſpiritus malignus, & ſonos horrificos edens ut cœpto deſiſteret, & ſegnius aut nullatenus talia attentaret, hominem Dei terrere moliebatur. At ille fidei ſcuto protectus, non magis ad fremitum leonis, vel ſibilum ſerpentis, quam ad balatum ovis exterritus eſt. Harum & aliarum beſtiarum ei improbus ille voces ingeſſit: ſed imperterritus cuncta cum ſuo auctore deriſit. Quod dæmon advertens diſparuit: ſed in Angelum lucis e veſtigio transfiguratus, eidem ſancto apparuit; ſed vir Dei ſigno crucis ſe munivit, ſciens exinde Angelum lucis non irritandum; Angelum autem tenebrarum eminus effugandum. Et factum eſt ita: nam malignus tentator viſo crucis ſignaculo, velut fumus ab oculis ejus evanuit.

Dæmonis aſtus eludit.

a „ Willelmus, Apud Floriacum, inquit, alteratus eſt in Monachum, familiari per id tempus Anglis „ conſuetudine: ut ſi qui boni afflati eſſent deſiderio, in beatiſſimi Benedicti monaſterio cœnobialem ſuſciperent „ habitum, a quo religionis hujuſcemodi manavit exordium. In hoc ergo loco juventutis fregit lubrecum, mul- „ tis annis religionis & litteris ſerviendo. Oſvvaldus Floriaci habitum monaſticum ſuſcepit, non a Wlfaldo Abbate, qui iniit regimen anno 962. ſed ab ejus deceſſore Archembaldo, de quo lege Aimoini lib. 1. de miraculis S. Benedicti num. 13. & 14. & Notas ad Aimoinum in tomo ſuperiori.

AN. CHR. 992 29. Feb. Angliam repetit.

4. Audita tandem ſancta converſatione nepotis ſui Oſvvaldi, immenſas omnipotenti Deo gratias egit ſanctus Odo, & miſſis diverſis muneribus Abbati & monachis, pro ſuo nepote gratias exſolvit. Indicavit etiam illis ſe illius præſentia magnopere velle potiri: tum quia ſenio feſſus mortem ſibi propinquam ſciebat: tum quia regulari converſatione ſuæ gentis viros per eum inſtituere diſponebat. Quo audito, gravi mærore dejecti, non audentes tamen voluntati Antiſtitis obviare *a*, parent, & debito cum honore ad nutum Præſulis dirigunt. Antequam tamen Cantuariam venire potuit, ſanctus Odo debitum carnis humanæ exſolvit. Præſidebat illis diebus Dorceſtrenſi *b* eccleſiæ quidam Osketillus nomine, qui audito nepotis ſui Oſvvaldi adventu benigne ſuſcepit illum, & ſincere dilexit, & ſui ſecreti conſcium fecit. Aſſumpto tandem ad Archiepiſcopatum Eboracenſem Osketillo, ſanctus Dunſtanus Oſvvaldum Regi Edgaro commendatum familiarem effecit, & juſſu Regis Wigornienſi *c* eccleſiæ præfecit.

Vigornienſi eccleſiæ præficitur.

Monachos Vveſtbiri congregat.

5. Congregavit autem Oſvvaldus duodecim Monachos in villa, nomine Vveſtbyri *d*: quos frequenter viſitare, monita ſalutis æternæ miniſtrare & conſolari, & jejuniis, vigiliis & orationibus ſolebat operam dare.

Rameſienſe monaſterium conſtituitur.

6. Accidit etiam ut Ailvvinus Comes diurno ac laborioſo cruciatu podagræ pedum ſuorum multis laboraret annis: & cum piſcatorum quidam, nomine Vvalgit, cum navicula ſua aquam, Rameſmere nuncupatam, piſcandi gratia ad uſum domini ſui Comitis ingreſſus eſſet; & diu fruſtra laborans, nimio tædio fatigatus, tandem obdormire cœpit, cui ſanctus Benedictus apparens dixit: Aurora cum ſurrexerit, tuum ejice tragum, & multitudini copioſæ voti compos obviabis piſcium. Captorum quoque piſcium majorem, *Haket*, ideſt Lucium vocatum, Ailvvino domino tuo mea ex parte offerens, dices ei, ut meam donationem benigne ſuſcipiens, piæ matri miſericordiæ Mariæ, mihi, omnibuſque ſacris virginibus monaſterium in hac inſula Monachorum ſine dilatione ſtudeat fabricare: ſcruteturque quomodo nocte in inſula animalia ſua incumbunt, & ubi taurum ſurgentem dextro pede viderit, terram percutere, ibi aram erigere feſtinet: utque certius meis credat mandatis, hunc tuum tibi exteriorem incurvo digitum, quem & ipſe mox a nexu podagræ ſolutus, tibi erigat reparandum. Evigilans autem copioſam piſcium multitudinem concluſit, majoremque domino ſuo ex parte ſancti obtulit, quæ viderat & audierat replicans: ut digitum ſuum incurvatum erigat obnixe rogavit. Tunc Ailvvinus digitum viri manui hærentem erexit, & ad inſulam ut potuit properavit. Cumque in inſulam ingreſſus a ſuo morbo perfecte curatus fuiſſet, taurus de medio animalium exſurgens, terram pede percutiendo locum altaris conſtruendi divinitus ſignificavit. Comes ergo Deum laudans, confeſtim truncatis lignis capellam ibi conſtruxit. Non multo vero poſt Comite Ailvvino *e* amplas poſſeſſiones concedente, S. Oſvvaldus infra quinquennium ædificavit inſigne ibidem Monaſterium, & anno Domini nongenteſimo ſeptuageſimo quarto ſollemniter dedicavit, Ednothum monachum Abbatem conſtituit.

anno 934.

7. Per

a „ Vvillelmo. Et licet ab Archiepiſcopo invitaretur, crebris reſtitit epiſtolis, prætendens cauſam novitatis in veſte, teneritudinis in religione: nec niſi tarde venit, nuntio ægri jam diſcumbentis avunculi perculſus. Jam ergo Doſus appulſus, ut defunctum audivit, minimum abfuit, quin ſtatim Floriacum rediret. Sed admonitu ſociorum neceſſitates parentum non negligendas poſt juſta ſancto Archiepiſcopo ſoluta, ad Archiepiſcopum Eboracenſem Oskitellum, quem proximo conſanguinitatis gradu attingebat, venit: ejus dulcedine captus, non paucis annis religione & contubernio ejus fruitus eſt. Odo Archiepiſcopus Cantuarienſis mortuus eſt anno 961. quo proinde anno contigit Oſvvaldi reditus in Angliam, cum Archembaldus Abbas Floriaco præeſſet, ut mox notabam.

b Dorceſtrenſem etiam Epiſcopum vocat infra Chronogrophus Rameſienſis: Vvillelmus Eboracenſem. Utrique ſedi ſucceſſive præfuiſſe ex eodem Chronographo probatur.

c Infra ad annum 960. referunt. Simeon Dunelmenſis & Rogerius Hovedenus, qui Odonis mortem anno 958 conſignant, quæ triennio ſerius accidit, ut probatum eſt ad Vitam S. Odonis. Non ergo ante annum 962. promotus eſt Oſvvaldus in ſedem Vvigornienſem.

d De Vveſtburienſi monaſterio agri Vvigornienſis lege Monaſtici tomum 1. a pag. 125.

e De Ailvvino Comite in alia Vita. Oſvvaldus duodecim Monachos de Vveſtbiri Rameſiam miſiſſe dicitur in Monaſtico pag. 231.

AN.CHR. 992

29. Feb. Concilium pro cleri reformatione.

7. Per idem tempus auctoritate Joannis Papæ Dunſtanus Archiepiſcopus coacto generali Concilio *a* ſtatuit & decreto firmavit, ut omnes Canonici, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi aut caſte viverent, aut eccleſias quas tenebant dimitterent. Habebat autem Regem Edgarum in hoc negotio fidelem adjutorem & firmum defenſorem. Hujus enim decreti exſecutio Oſvvaldo Wigornienſi Epiſcopo & Ethelvvoldo Wintonienſi Epiſcopo commiſſa eſt. Beatus ergo Oſvvaldus ſeptem monaſteria in ſua diœceſi ejectis Clericis inſolenter viventibus conſtruxit, & Monachos introduxit, & Abbates eis præfecit.

Fudbertus Abbas reviviſcit

8. Interea Abbas Perſorenſis quem inſtituerat, nomine Fudbertus *b*, morigeratus & fervens religionis monaſticæ zelator, ſcilicet in ſubditos, quod valde in eo reprehendebatur, nimiæ & indiſcretæ ſeveritatis fuit. Is ad extrema perductus, & huic vitæ ſublatus, & in feretro locatus, recepto ſpiritu trepidantibus cunctis erexit ſe dicens, a beato Benedicto in viſionem Dei ſe perductum fuiſſe, & Deum ſua peccata meritis dilectoris ſui Oſvvaldi indulſiſſe, atque ad intimandam ſanctitatem ejus ſe revixiſſe aſſeruit. Quo dicto conticuit, & accepto Viatico Dominici corporis dimidium diem ſupervixit, & vitam obitu iterato finivit.

Viatico ſumpto obit.

Monachis datæ eccleſiæ.

9. In aliis enim Angliæ partibus inſignes eccleſias ob præfixam cauſam clericis evacuavit, & eas viris monaſticæ religionis ſublimavit, quorum hæc nomina ſunt; Eccleſia S. Albani, S. Etheldredæ virginis in Hely, & ea quæ apud Beamfledam conſtituta honorabilis habebatur. Inſtituit enim in eccleſia S. Albani Elfricum Abbatem *c*, qui ad Archiepiſcopatum Cantuarienſem poſtea ſublimatus fuit, in eccleſia Elyenſi Brithnotum Abbatem, Beamfledenſi eccleſiæ Godmannum conſtituit Abbatem. Monaſteria quæ ædificaverat circuire, verbo ſimul & opere, quæ ſalutis erant paterno quodam affectu miniſtrare curavit.

Abbo Rameſiæ prælatus.

10. Poſuit quoque in monaſterio Rameſeje Abbonem Floriacenſem monachum, morum ſanctitate præclarum, litterarum ſcientia excellenter inſtructum, qui Monachos doceret, ſcholas regeret, & in diſciplina regulari & ſcientia litterali prodeſſet. Dunſtani inſuper hortatu paſſionem B. Edmundi Regis & martyris idem Abbo laudabiliter ſcripſit. Poſtea Floriacum regreſſus & Abbas effectus, a Monachis *d* ſuis occiditur.

Wigorniæ conſtruitur B. Mariæ cœnobium.

11. Cum autem monaſterium in Vvigornia infra ipſam ſedem epiſcopalem conſtruere cœpiſſet, in quo cum Monachis converſaretur, non longe ab opere ipſo quidam lapis quadrus jacebat ad operis fabricam omnino neceſſarius: quem cum artifices levare vellent, quaſi radicitus terræ inhæſit, & nullo conatu moveri potuit. Stupor ingens omnes occupat, mandatur de negotio Patri Oſvvaldo: qui veniens, & multitudinem magnam circa lapidem caſſo labore ſudantem aſpiciens, miratus eſt & attonitus ſtans, Deumque ſilentio deprecans, aſpexit in lapide illo Æthiopem quemdam ſedere, & obſcœnis motibus laborantes ſubſannando deridere. Et ſtatim contra dæmonem ſignum crucis intorſit, & territum illum fuga ſibi conſulere compulit. At lapis quem octoginta movere nequibant, a paucis hominibus faciliime levatus in opere collocatur. Perfecta itaque eccleſia in honore B. Mariæ, & congregatis ibidem quibuſdam Monachis, clerici in ſede epiſcopali nonnulli, ſpreto ſæculo monaſticum habitum ſuſceperunt: & ab Eccleſia B. Petri ad eccleſiam B. Mariæ a Clericis ad monachos epiſcopalis ſedes translata eſt.

Canonici S. Petri in Monachos mutati.

Oſvvaldus ſimul cum Vvigornienſi regit eccleſiam Eboracenſem.

12. Mortuo Eboracenſi Archiepiſcopo *e*, cogentibus Rege Edgaro & ſan-

a De hoc Concilio vide acta S. Dunſtani ſupra.

b De eo apud Pitſeum ad annum 980. ubi eum Fuldebertum vocat. De eo & de Pershorenſi monaſterio lege dicta ſuperius pag. 641.

c Fuit & alius Alfricus ſeu Elfricus Abbas Abandonienſis poſt S. Ethelvvolſum, cujus Vitam Alfricus ipſe ſcripſit, ut ſuperius vidimus. Godmannus Thornejenſis Abbas fuit, ex ſecundæ Vitæ & ex actis S. Ethelvvoldi.

d Non a Monachis, ſed a ſervis monaſterii Regulæ tumultuantibus, infra ejus actis.

e Osketello ſcilicet, ſuperius laudato, cujus mortem anno 972. aſſignant Ingulfus, Simeon Dunelmenſis, Rogerius Hovedenus, Florentius Wigornienſis, & alii.

Digitized by Google

AN. CHR. 992 29. Feb.

ſancto Dunſtano, omniumque clericorum aſſenſu, ad Archiepiſcopatum aſſumptus eſt. Et ne Monachi quos inſtituerat, aliqua, ultra quam ferre valerent, tentatione concuterentur, ſi paſtorali cura deſtituti, non haberent quo niterentur; auctoritate S. Dunſtani Epiſcopatus Wigornienſis curam una cum Archiepiſcopatu [a] ſollicite rexit.

Naufragium avertit.

13. Cum autem monachi Rameſejæ Epiſcopo Oſwaldo in ripa ſtante, aquam navigio tranſire vellent; navis nimis onerata mergi cœpit. Turbati monachi, & mori metuentes opem ſancti Pontificis implorabant: quod videns ſanctus ſignum crucis edidit, & navis ab aquarum profunditate emergens, quaſi nihil oneris ferret, ad ripam proſpero lapſu evecta eſt.

Monacho defuncto propitius.

14. Cum enim nuntiaretur ei, quemdam Monachum Elienſem ab opere eccleſiæ præcipitatum ſubita morte occubuiſſe, vehementi mærore turbatur: noverat illum non uſquequaque vitam duxiſſe felicem. Convocatis autem Rameſejæ Monachis rei eventum retulit, & ut pro anima defuncti Dominum ſtudioſius orarent, admonuit. Vigiliis igitur vacant, pſalmis & lacrymis, & ad januam miſericordiæ Redemptoris pulſant: & ecce nocte quadam Epiſcopo orationibus inſiſtenti idem defunctus viſibiliter apparuit, & percontatus quis eſſet, illum ſe eſſe pro quo Deum rogaverat reſpondit. At ille reſpirans, Qualiter, inquit, frater tibi fuit, vel qualiter nunc eſt? Hactenus, ait, valde male, nunc autem valde bene. Tuis quippe meritis & precibus a pœnis quibus cruciabar per Angelum ſuum me die heſterna eripuit Dominus: quod & tibi inſinuando veni gratias agere, &, quoniam gratioſus pro hoc & aliis jure debeas Deo exſiſtere merito, inſinuare: quo dicto non comparuit.

S. Wilfridi & aliorum corpora detegit.

15. Diœceſim ſuam opportunis temporibus peragrans, quidquid elicere poterat in moribus ſuorum oculos ſummi Dei offendere, paterna caſtigatione corripere atque corrigere ſatagebat. Hæc agentem contigit vice quadam veniſſe Ripum, ubi beatus quondam Wilfridus [b] nobili conſtructo monaſterio meruit ſepeliri. Locus tamen ille a barbaris olim magna ex parte dirutus, latibulis tamen ferarum fuit accommodus. Illic enim pervigil in orationibus noctu perſiſtens, divina revelatione didicit ipſo loco ſanctorum corpora condita eſſe: quæ inveſtigans cum nominibus ſingulorum procul dubio inveniret. Facto autem mane cum terram foderent, ſanctorum corpora cum tabula hæc continente reperta ſunt. Hic requieſcit ſanctus Wlfridus Antiſtes Eboracenſis, & reverendi Abbates Tilbertus, Botvvinus, Albertus, Signedus atque Wildenus. Reliquias autem repertas interim loco apto collocavit. Poſtmodum vero corpus ſancti Wilfridi [c] in feretro decenter aptato cum reverentia condidit, ut pote quem magno *Wilfrido* illius loci fundatori conſanguinitate junctum noverat. Corpus namque majoris Wilfridi a S. Odone Cantuarienſi Archiepiſcopo dudum tranſlatum fuerat. Locatis itaque in feretro reliquiis, Wigorniam cum magno honore tranſmiſit.

Panem benedicit qua virtute.

16. Vir quidam potens valida febre correptus, per nuntium viro Dei ſe infirmari inſinuavit. At ille benedicens panem, eique tranſmittens, ut cum fide ſanitatis conſequendæ comederet juſſit: quod cum feciſſet perfecte ſaluti ſe reſtitutum ſenſit. Sedens autem ad menſam Epiſcopus & panem benedicens, & conſidentibus diſtribuens, forte micas decidentes ſorex ſuperveniens avido morſu colligere cœpit, & ſtatim ſuffocatus periit, & quod in ore voraverat, nullatenus evomere quibat. Et ne ſuæ laudi quivis hoc adſcriberet, exanimem beſtiam a conſpectu intuentium abjici vir ſanctus juſſit.

Locus ſeſſionis ejus ſacer.

17. Monachus quidam poſt balneum, in loco ubi Epiſcopus *frequentius* ſe-

---

a Hujus facti cauſam ſuggerit Radulſus de Diceto, *quia Dani Northanimbriam vaſtaverant.*

b Wilfridi ſenioris acta retulimus tum in prima parte Sæculi tertii, tum in Appendice Sæculi quarti, ubi de Ripenſi monaſterio actum eſt.

c De Wilfrido juniori lege carmen de Epiſcopis Eboracenſibus in Appendice Sæculi tertii, de hac vero translatione Gervaſium Monachum, & Chronicon Joannis Bromtoni.

Digitized by Google

ſedere conſueverat, ſomnum capere cœpit. Et ecce adſtant illic plures ſpiritus teterrimi, & ab eo diſtricta examinatione perquirunt, cur in loco tanti Pontificis quieſcere non timeret; ipſum invadunt, torquent, laniant, hac & illac trahunt; ab immo ſurſum rapientes, deſurſum ad ima dejicientes, horrido tandem clamore vociferans, quid ſibi contigerat, omnibus palam enarravit. AN.CHR. 988 29. Feb.

18. Singulis diebus, præter alios, quos quotidie innumeros alebat, duodecim pauperum pedes abluere, deoſculando crine & linteo tergere, manibus aquam fundere, denarios præbere, cibum & potum appoſita menſa miniſtrare, in Paſcha veſtibus novis indutos, per aliquot dies in curia ſua ſecum habere conſuevit. Nulla eum infirmitas corporis ab iſtis retardabat: ſed quo ſe corpore ſentiebat debiliorem, eo ſibi ad ſerviendum eis vim validiorem ingeſſit.

19. Die quadam cum ſuis oratorium egreſſus, & ſub aere ſtans, acies oculorum cælo intentiſſime fixit, Chriſtum ad quem anhelabat pio corde & ore intentius orans. Nec erecta lumina, ut fit, cito deflexit: ſed quaſi aliquid novi ac delectabile contemplaretur, ubi ea fixerat, diutiſſime fixa tenebat. Sciſcitatus autem quid vidiſſet, ait: conſidero quo tendo, & cras vobis & me tacente res ipſa notabit. Salus etenim æterna, pro qua huc uſque laboravi in terra, inſtat, nec ante tranſibit craſtina dies, quam me in eam Dominus meus, ſicut pollicitus eſt, introducat. Et regreſſus in Oratorium, convocatis fratribus, hortatur eos, impendere ſibi miniſterium ſacræ unctionis *a* cum viatico Dominici corporis. Mortem ſuam prædicit. Unctionem & Viaticum petit.

20. Nocte ſequenti, languoris ſui oblitus, eccleſiam intrans officium explevit, & reſiduum noctis ſpatium divinis laudibus expendit. Mane autem ſolito more, linteo præcinctus pedes pauperum lavit, & oſculans eos & tergens quindecim pſalmis, quos inter ipſum miniſterium pſallere ſolebat decantatis, ſubjunxit: *Gloria Patri & Filio & Spiritui ſancto*. Et cum pauperes ſolitas gratias aſſurgentes exſolviſſent; ipſe dicendo *& Spiritui Sancto*, ante pauperum pedes in manus Chriſti ſpiritum *b* emiſit. Cumque ad eccleſiam quam erexerat deferretur corpus ejus, nivea columba de cælo deſcendens, expanſis alis lento volatu protegere corpus Antiſtitis viſa eſt. Igneam quoque ſphæram inſtar ſcuti de cælo lapſam ſuper feretrum intuebantur. Depoſito autem coram altari corpore ſancto, viſio quæ apparuit quaſi locum deſignans ſæpulturæ, in auſtralem eccleſiæ plagam prope altare divertit, & ab oculis intuentium evanuit. Ailvvinus *c* vero Comes poſt obitum ſancti viri nimia cordis anguſtia & dolore preſſus, univerſæ carnis viam ingrediens Rameſejæ cœnobio ſepultus eſt. Obit.

21. Cum autem S. Oſwaldus in juventute ſua in cœnobio Floriacenſi vitam monaſticam in omni duceret ſanctitate, juxta locum in quo orare ſolebat, erat crypta quædam, præ foribus cujus duodecim pauperes converſantes, quotidianum victum a miniſterio percipiebant, de quibus viro Dei ſacras hoſtias offerenti unus miniſtrare ſolebat. Quadam enim die dum Sanctus poſt Evangelium oculis in cælum erectis orationem præmitteret, vidit miniſter ejus reverendi vultus perſonam candidiſſimum panem, ſed quantitate modicum, inter manus, quas uſque ad caput ſuum porrectas habebat, digno cum honore tenentem: & licet nimio terrore perterritus obſtupuiſſet, ſuſtinuit tamen, nec ſubitam arripere fugam voluit. Verum cum eumdem panem ſecundum ſacerdotis in miſſa proceſſum paullatim creſcere ac inſolitæ magnitudinis creſcendo fieri conſpexit; ultra reſidere non auſus, extra oſtium fuga lapſus eſt. Remanſit itaque presbyter ſolus, & qui videbatur in dextra ſtans Angelus ejus. Miniſter vero per vices oſtio caput ingerebat, & quid circa altare gereretur, trepidus explorabat. Cumque Dei ſervus, *Per omnia ſæcula ſæculorum*, & alia diceret, nec ullatenus reſpondere auderet; audivit Angelum ad ſingula reſpondentem & obſequium ei deferentem. Peracta au-

a Unctio infirmorum ubique per id tempus Viatico præmittitur, ut alias diximus.

b Dominica tertia Quadrageſimæ ejus obitum accidiſſe tradit infra Chronographus Rameſienſis: ſed feria ſecunda alii, & rectius, ut dictum eſt in Obſervationibus præviis.

c De Alvvini obitu atque rebus geſtis fuſius in libro ſequenti.

AN.CHR. 992 29. Feb.

autem miſſa miniſter introſpiciens, & Angelum non videns, trepidus ad virum Dei acceſſit, & cauſam fugæ ſuæ ei expoſuit, ſciſcitans ab eo utrum & ipſe Angelum vidiſſet. Et ille, Bene, inquit, vidi, & quæ dicis audivi: ſed benedictum ſit nomen Dei omnipotentis: quia licet a te ſim relictus, in ſacro tamen Dei myſterio non ſum ab eo deſertus. Interdixit enim ei modis quibus potuit, ne dum viveret cuiquam rem illam innoteſceret. Obiit autem S. Oſvvaldus anno gratiæ nongenteſimo nonageſimo ſecundo, & Epiſcopatus ſui trigeſimo *a*, pridie Kalendas Martii.

Obitus tempus.

22. Poſt obitum vero ejus anno duodecimo Aldulfus *b* Eboracenſis Archiepiſcopus revelatione divina admonitus Wigorniam, ubi S. Oſvvaldus ſepulturam elegerat, properans, oſſa ſancti Antiſtitis de terra levavit, & in ſcrinio cum maximo honore collocavit. Aqua vero cum qua oſſa lavata ſunt, cæcis viſum, ſurdis auditum, claudis greſſum, & quibuſcumque debilibus ſanitatem reſtituit. Veſtimenta enim omnia integra & illibata in ſepulchro odore ſuaviſſimo fragrantia reperta ſunt.

Cancer curatus.

23. Monachus quidam Rameſejæ cancri ulcere in maxilla ita percuſſus erat, ut conſumpta cute & carne nuda mandibula, nudi dentes cum gingivis apparerent. Hic in feſto S. Oſvvaldi de ſcypho, in quo idem ſanctus bibere ſolebat, eum magna devotione & fide bibens, & ſumpto potu vas vacuum tabeſcenti maxillæ ſtatim appoſuit, & ſtrictius junxit: & amoto poſt modicum a maxilla vaſculo ita totius morbi ſanies atque putredo vaſi adhæſit, ut redintegrata a languore maxilla nullum præteriti mali indicium deprehendi poſſet in illa. In teſtimonium autem tanti miraculi & virtutis Dei, maxilla illa paullo ſemper rubicundior erat altera.

Muto vox reſtituta.

24. Quidam mutus ab infantia in quadam S. Oſvvaldi feſtivitate vidit quemdam ſibi ignotum reverendi vultus hominem, decora canitie fulgidum, ſacerdotali veſte amictum, baculum manu geſtantem, quaſi a loco ſepulchri ſancti Epiſcopi ad ſe properantem: cui coram ſe tranſeunti dum caput humiliter inclinaret, ipſe levato baculo eum in collo percuſſit & diſparuit. Ad quem ictum ille territus, illico magna coagulati ſanguinis maſſa ex ore illius in terram cadente, clamare cœpit: ſuccurrite, quæſo, ſuccurrite, & ne ſanguine meo eccleſia Domini violetur, hinc me feſtinanter ejicite. Eductus extra eccleſiam ubertim ſanguinem emiſit, & modum ſuæ curationis circumſtantes edocuit.

Ignis repreſſus.

25. Voraci flamma urbem Wigorniæ vice quadam conflagrante, mox ut ad feretrum Sancti flamma acceſſit, ignis elanguit, nec ulterius aliquid aſſumpturus in ſe defecit. Stabat enim pauperis cujuſdam domus arundine tecta, a ſui medio integra & ſana altera ejus medietate, quaſi ad perpendiculum a ſummo uſque in terram conflagrata.

26. Alio in tempore memorata ardente urbe, cum monachi feretrum ſancti ad villam deferrent, occurrit quidam qui nuper domum pulchram ædificaverat, & exclamans dixit. O ſancte Pater & Paſtor Oſvvalde, ecce domum meam voracibus flammis obnoxiam tibi dono, & jure perpetuo poſſidendam ſub tuo dominio pono: tu eam ſi placet a præſenti periculo liberare digneris, introducto itaque in domum illam feretro ex domo vicina igne penitus conſumpta, aula patri Oſvvaldo commendata nec ab igne contingi potuit, nec ullum veſtigium ignis in ea reſedit.

Peſtis ſedata.

27. Sæva peſtilentia Wigornienſem provinciam vice quadam depopulans, viros ac mulieres, juvenes & parvulos interitu repentino involvit. Ambulantes quandoque aut ſtantes ſubito cadebant, & impænitentes inconfeſſi exſpirabant. Monachi vero cum feretro ſancti Antiſtitis per circuitum urbis litanias cantantes pro ſalute populi devote ſupplicabant; & ecce confeſtim peſtilentia tota non ſolum Wigorniam penitus reliquit, ſed & villas circumjacentem, de quibus incolæ opem ſancti implorantes advenerant.

FRA-

a Ergo anno 962. aut ſequenti ordinatus eſt Epiſcopus Vvigornienſis, ut ſuperius præſtriximus.
b Iſtius translationis ſeu elevationis mentio facta eſt ſupra in Obſervationibus prævijs.

Digitized by Google

FRAGMENTUM DE SANCTO OSWALDO

Ex lib. 4. Orderici Vitalis pag. 517.

DUM præfata itaque deſolatio perduraret, & Caſſinus mons cultoribus careret; Floriacenſis domus volente Deo ditata eſt pretioſo corpore præcipui Patris BENEDICTI: cujus tranſlationem Ciſalpini cœnobitæ ſingulis annis ſollemniter & devote celebrant 5. Idus Julii. Illuc Oſvvaldus reverendus adoleſcens acceſſit ut Monachus fieret, & monachilem normam ediſceret, ſuamque vitam ſecundum voluntatem Dei ſalubriter coerceret, aliosque hujus Ordinis amatores per Apoſtolorum veſtigia supernæ vocationis ad bravium pertraheret: quod ita factum eſt.

Poſt aliquot annos Oſvvaldus a Floriacenſe Archimandrita benigniter rogantibus Anglis redditus eſt. Et quia multiplici tam ſagacitate, quam bonitate pollebat, omnibus Angliæ cœnobiis præpoſitus eſt. Venerabiles quoque viri Dunſtanus atque Adelvoldus eum ſummopere adjuverunt, & Glaſtoniam ac Abendoniam primitus inſtitutis regularibus inſtruxerunt. His doctoribus fideliter obedierunt Reges Anglorum Adelſtanus, Ædredus, Edmundus, & præcipue Edgarus Edmundi filius: quo regnante Dunſtanus Dorobern iæ Metropolitanus factus eſt, ac Adelvoldus Guentonienſis Præſul inthronizatus eſt: Oſvvaldus autem prius Guigornenſem Epiſcopatum, ac poſtea rexit Eboracenſem Archipræſulatum. Horum precibus Floriacenſis Abbo, ſapiens atque religioſus cœnobita, miſſus eſt trans mare, & monaſticum uſum docuit Rameſiæ, *&c. ut in Vita S. Abbonis infra.*

ALIA VITA

Ex 1. parte chronici mſ. cœnobii Rameſienſis.

I. *Oſvvoldi parentes & educatio.*

1. BONÆ igitur indolis juvenis OSVVOLDUS, parentibus Danicis, tam nobilitate generis, quam opum cumulo ſplendidiſſimus, ſed in Anglia (ut dicitur) prius incognitam ſanctæ Trinitatis fidem profeſſis, procreatus, cuidam viro FRITHEGODO nomine, qui omnium ſui temporis putabatur in Anglia tam ſæculari, quam divina ſcientia peritiſſimus habebatur, traditus eſt inſtruendus: cujus cum ille acri animo & alacri ſtudio adprime diſciplinam attigiſſet, ſupradicto ſancto ODONI, cui eum fratrem ſanguinis vena conjunxit, commendatus eſt educandus: ad cujus inſtitutionem in anteriora libere ſemper ſtudia ſanctitatis extendens, vernantis juventæ florem tenerum diſtrictis maturæ moralitatis coloribus adornabat. Cernens ergo beatus Odo manifeſto futuræ veritatis auſpicio nepotem ſuum humani favoris fugaces auras & ſæcularis pompæ inanes ventos omnium ſtudio declinare, exſultationes Dei in gutture ejus ſonuerunt. Aures itaque divinæ pietatis continuis ſollicitabat precibus, ut novellæ plantationis ſuæ primordia in eo conſecrare dignaretur, quatenus conceptæ ſpei dignus fieret exſpectatione proventus.

II. *Oſvvoldus ſuper canonicos Vvintoniæ Decanatus magiſterium ſumpſit.*

2. Mittitur itaque floridæ ætatis adoleſcens cum auctoritate pontificali Vvintoniam, ſi quid diſciplinæ regularis inter Canonicos civitatis addiſcere poſſet probaturus: quorum ille inſtitutionem creſcente ſanctitatis merito tranſcendens & mores, Decanatus eis eſt prælatus officio: ut diſſolutioris converſationis eorum normam arctius innormans, ſenum canitiem vitiorum infectione puer ipſe defœcaret. Verum dum illi ad ſolita ſemper ſuſpirarent, & nil ab eis præter honeſtatem excludi, nulla præter virtutum vias poſſet præteriri; ne membrorum corruptio in caput commigraret, & in perniciem paſtoris ovium peſtilentia deveniret, relictis illis, patruum ſuum adiit, communicato ei cordis ſui propoſito perficiendi conſilium accepturus.

III. *Idem Floriacum miſſus ibidem religionis habitum accepit.*

3. Utrorumque ergo concurrente voto pariter & affectione, recens ille flos paradiſi floribus interferendus, Floriacum cum condecenti tam litterarum quam munerum commendatione deſtinatur, floridi loci floribus virtutum ſuarum flores admiſturus. Suſcipitur cum omnium alacritate & gaudio; & quem diu deſideraverat monaſticæ inſtitutionis habitu ſuſcepto, poſt paucorum intervalla temporum, per diſpoſitos ſacrorum Ordinum gradus, ſacerdotalis honoris culmen conſcendit. Quanta humilitate, honeſtate, & religione gradum ſuum decoraverit, quot crucibus corporeæ afflictionis carnis ſuæ incentiva edomaverit,

Digitized by Google

AN.CHR verit, quam crebras in Dei obſequela excubias protelaverit, quot denique virtutum ſignis ſanctitatis ſuæ opinionem circumquaque volens dilataverit, legenti vitam ejus clarius
992
29. Feb. conſtabit.

IV. *Beatus Oſvvoldus de Gallia revocatur.*

4. Emenſo denique aliquot annorum ſpatio, cum jam dictus ſanctus Odo longævæ cœpiſſet ſenectutis incommodo fatigari, & debilitas continua cum viciſſitudinaria ægritudine ſpem ei vitæ diuturnioris adimeret; dilecti nepotis ſui præſentia pariter & alloquio confractam laboribus ſenectam recreari, & ſuſceptum deſiderans ſuum exitum communiri, nuntium cum xeniis & litteris tranſmiſit: quibus ſuſceptis dominus Abbas cum fratribus tanti Viri mandato contraire indignum judicantes, venerabilem alumnum ſuum abire permittunt, iter ipſius dolore & lacrymis proſequentes: quibus & ipſe mæſtitiæ & fletuum viciſſitudinem rependens, cum Angliæ littora navigatione votiva attigiſſet, audiens beatum virum a quo totius ſolatium laboris erat accepturus, improba jam fatorum neceſſitate adventum ſuum præveniſſe ſperato gaudio dolorem inſperatum flebili commercio commutavit. Quibus & quantis mæroribus anxiabatur ſpiritus ejus, ex ipſo propriæ affectionis motu poterit quilibet æſtimare. Demum ergo ſalubri ſecum excogitato conſilio, venerabilem virum OsKetelum Dorcaſtreſinſi eccleſiæ tunc temporis Epiſcopi jure præſidentem expetiit, eum propinqui gratia ſanguinis propenſiorem ſui curam ſperans habiturum: qui cognatum ſuum cum multa alacritate excipiens, dolorem qui ei ſuper tam miſerabili ſperati proventus diſpendio accidiſſet, blandæ conſolationis impendio delinivit, fortunæ melioris gratiam ſpondens futuram. Deinde brevi tempore lapſo Eboracenſis eccleſiæ Pater VVLFSTANUS in fata conceſſit: ad cujus ſedem memoratus OsKetelus favente Rege & populo acclamante ſeſſor *a* acceſſit: qui poſtea Romani Pontificis præſentiam pro pallii adiens ſuſceptione, beati Oſvvoldi ſanctitatem contra maris injurias, intemperiem aeris, prædonum inſidias, & totius itineris ſuſpecta pericula ſibi ratus valituram, eum viæ ſocium habuit, conſortemque laboris. Cumque pacto ad votum negotio læti revertentes Galliarum fines attigiſſent, ad Floriacenſe cœnobium patres & coalumnos ſuos ſalutaturus ſanctus Oſvvaldus, licentia patris & benedictione percepta divertit, ubi dum aliquamdiu moraretur, e ſociis GERMANUS nomine, Vvintoniæ oriundus, loci pulchritudine & rigore Ordinis delectatus, ad ejus monitionem veteris hominis depoſitis exuviis, ovilis illius gregi ſociatus, viro Dei repatriante ibidem propter tenera adhuc novæ militiæ rudimenta eſt relictus. Proſpero igitur itinere B. Oſvvoldus in Angliam regreſſus, ad memorati propinqui ſui OſKeteli nota præſidia convolavit, penes eum latentem ſuper ſe divini conſilii altitudinem aperiens adimplendam.

V. *Quomodo ſancto Dunſtano ad ſedem Cantuariæ promoto, ſanctus Oſvvoldus ad Epiſcopatum Vvigorniæ, & ſanctus Æthelvvoldus ad Eccleſiam Vvintoniæ regendam ſunt aſſumpti.*

5. Igitur ſancto Odone (ut ſupra meminimus) de peregrinatione carnis ad patriam aſſumpto, ſanctus Dunſtanus de Abbate Glaſtoniæ, Vvigornienſis & Londonienſis Epiſcopus, Deo ordinante, & voto totius cleri & populi cum favore regio conſonante, metropolis Cantuariæ Archipræſul ſubrogatur: qui Romæ ab JOANNE Papa accepto pallio, Angliam reverſus eſt. Sancti Oſvvoldi quæ per univerſam jam regionem late percrebuit, opinione comperta, magnifico Regi ÆDGARO, ejus ſanctitatis inſignia ſuggeſſit, & ipſo favente ad pontificatum Vvigorniæ ipſum ſibi ſucceſſorem conſecravit. Eadem quoque tempeſtate vir notæ ſanctitatis Abbas Abbendoniæ ÆTHELVVOLDUS, ſancti Dunſtani alumnus. BRITHELMO Vvintonienſe Epiſcopo humanis rebus exempto, ejuſdem ſedis dignitatem volente Domino eſt adeptus. Hæ ergo tres lucernæ clariſſimæ, Dunſtanus, videlicet Oſvvoldus, atque Æthelvvoldus, per tria candelabra Doroberniæ, Vvigorniæ, atque Vvintoniæ Domino diſponente collocata, tria orbis Anglici climata, a vera luce mutuati luminis fulgoribus adeo irradiarunt, ut ipſis quoque firmamenti ſideribus contendere, & merito propter inſolitam quibuſque illius temporis tantæ ſanctitudinis eminentiam præſentibus miraculo fieri viderentur.

VI. *Quomodo Rex Eadgarus per S. Oſvvoldum & alios illius temporis celeberrimæ ſanctitatis viros Eccleſiam Anglorum ad priſtinam libertatem reduxit.*

6. Magnificus igitur Rex Eadgarus, regiæ ſtrenuitatis ſpecimen ſingulare, prudentiæ decus venerabile, & magis pro inſitivæ virtutis induſtria, quam pro ſucceſſivæ dignitate proſapiæ ſuo tempore admirandus, germano ſuo Eadvio, avitæ gloriæ abortivo, fatali ſorte ſublato, jus totius Anglici principatus (ut ſupra retulimus) eſt adeptus, qui nulli unquam locum

a Hinc patet, OſKetelum, ſeu OſKetillum duabus illis ſedibus, id eſt Dorcicaſtrenſi & Eboracenſi ſucceſſive præſediſſe. Succeſſive inquam, nam eo ſuperſtite Laſvvinus Dorcicaſtrenſem eccleſiam regebat ſub annum. 974. infra. De OſKetilli obitu Chronographus hic agit num. 2.

locum dans ignaviæ, plus prudentis animi ſagacitate, quam fremitu armorum vel ſtridore lituorum rempublicam pacifice gubernabat. Exteros namque regalis munificentiæ artificio, domeſticos vero qui vigorem regni non enervarent, innatæ benignitatis lenocinio ad amoris ſui & pacis inclinavit affectum; & hac calliditate fere uſque ad remota orientis terrorem virtutis ſuæ & amorem pariter liberalitatis dilatavit. Sub hoc itaque Rege præmemorati quatuor, EATHELVVINUS videlicet advocatus noſter, & tres fratres ejus, militabant, omnes glorioſi, omnes inſigni regio condigni, omnes tam exercitatione bellorum, quam vivacitate ſenſus, & conſiliorum acres & ex parte probati viri. Non eos ab agendis timor inertiæ cohibebat, nec ad temeritatem aliquam præceps audacia ſtimulabat. His igitur quatuor commanipularibus Rex Eadgarus glorioſus & felix forenſia quoque diſponebat, horum virtute hoſtium gladios terrebat, horum induſtri providentia, & provida induſtria amica jocundæ pacis tranquillitate patiebatur. Tres autem ſupradicti reverendæ ſanctitatis Pontifices ad eamdem monaſtici cultus infantiam, per memoratum Regem Eadvvinum jamdudum in tota fere regione palpitantem, animi regalis devotionem monitionum ſuarum ſtimulis ſollicitabant. Cumque piis ſtudiis pontificum & perſuaſionibus favor regius conſentiret, utrorumque triumphis cœpit Eccleſia Angliæ liberari, virtutibus adornari, magnificentia ſublimari: & quanto plus terroris pravitati intulerunt, tanto religioni plus exhibuerunt charitatis. Cœperunt clerici paſſim de Monaſteriis expelli, Monachi prius diſperſi denuo congregari, & caput æneum ſtatuæ aureæ malignorum opificio indecenter affixum conteri & deponi; antiquæ religionis cultus renovari, Hebræi ditari, Ægyptii ſpoliari. Tunc Ordo monaſticus caput paulo ante depreſſum erexit, & quaſi languore aliquo malorum gloria contabuit. Monachis orta eſt ſecuritas ex timore, & ad veri ſolis radios præcedentis adverſitatis nebula diſſoluta, toti jam Eccleſiæ Anglorum deſideratæ tranquillitatis ſerenitas arridebat. Dulce fuit nobis virorum iſtorum Dunſtani videlicet Cantuariæ, & Æthelvvoldi Vvintoniæ pontificum memoriæ diutius immorari, eorumque exemplis morum noſtrorum duritiem emollire. Sed quia apud ſuos eorum vita mirabilis, & virtutes quibus in provehendo ſanctæ religionis cultu multos piorum ſudores operum inſumpſerunt, luce clarius digeſtæ habentur; alias ire pergentes his ſuperſedendum duximus, ne perplexitate ipſa materiæ vel prolixitate lectionis lectori nauſeam generare videamur. AN.CHR. 992 29. Feb.

VII. *Quomodo S. Oſvvoldus apud Vveſtbiri viros religioſos congregavit, & eos regulariter ibi Deo ſervire perdocuit.*

7. In tempore illo eccleſia Vvigorniæ juxta veterum inſtitutionem pro Monachis Canonicos ſæculares habebat: inter quos Beatus Oſvvoldus Epiſcopus quaſi ſtella matutina refulgens in medio nebulæ, totam diœceſim ſuam pia ſollicitudine ſalutaris doctrinæ radiis illuſtrabat: cujus ſanctitudinis eminentiam quaſi ſummi jubar luminis ſuper ſe cælitus emiſſum, ambulantes in tenebris, conſpicientes, tamquam apes ad alvearis ſui foramina, ita ad eum certatim undique confluebant; & jam ſæculum nauſeantes, ipſius inſtitutionibus erudiri & exemplis cupiebant ad cæleſtia informari. Erat enim vir Dei alacer alloquio, acer ingenio, providus in conſilio, in divinis rebus ſollicitus, potens in opere & ſermone promptus ad omnia, quibus debet ſancti viri induſtria collaudari. Erat tam in eccleſiaſticis, quam in ſæcularibus negotiis efficax, & acceptus omnibus ſui temporis paſtoribus, neceſſarius ad omnem ab ovili Dei & gregibus lupinæ voracitatis ingluviem reprimendam: pluribus ex his qui ad eum confluxerunt ſanctæ religionis tradidit amictum, cæleſtibus eos prædicationibus informans, & monaſticis imbuens diſciplinis: inter quos affuit quidam ſacerdos venerandi vultus & habitus, qui tam propter vitæ honeſtatem, quam propter ætatis vel ſapientiæ maturitatem, EADNOTHUS ſenior ab omnibus dicebatur. Conſiderans itaque vir beatus, quia ad corroboranda novellæ plantationis ſuæ auſpicia prona favoris publici concurrerunt vota, miſſis nuntiis, venerabilem monachum GERMANUM, quem olim (ſicut ſuperior ſermo non tacuit) ipſe a Gallis Angliam rediens, apud Floriacum reliquerat, accerſivit: congregatiſque meſſionis ſuæ manipulis, in cellula apud diœceſis ſuæ vicum, Vveſtbiri nomine, ipſum ibidem priorem ad docendum ſubditos monaſticæ inſtitutionis normam, memoratum vero Eadnothum ad gerendam exteriorum ſollicitudinem præpoſitum inſtituit. Igitur exceptis pueris defœcatis moribus puris; qui inter eos ad regularis diſciplinæ obſervantiam informabantur duodenum numerum compleverunt: quibus ſanctus Epiſcopus ſufficientem victus & veſtitus corporalis providens alimoniam, ſpiritualem nihilominus verbi divini & ſacræ exhortationis ſtipem ex frequenti eis ſuæ viſitationis impartiebat acceſſu.

VIII. *Quomodo S. Oſvvoldus & dux Ailvvinus mutuas inter ſe amicitias contraxerunt.*

8. Inter ea Anglia placido tranquillæ pacis otio feriante, contigit ut in quadam ſollemnitate paſchali univerſi totius patriæ majores, tam clerici, quam laici utriuſque ordinis & profeſſionis, gratia feſtivitatis celebrandæ ad Regis curiam ab ipſo vocati convenirent, regiis ab eo muneribus honorandi. Divinis myſteriis cum omni alacritate & gau-

AN.CHR. 992. 19. Feb. gaudio celebratis, ad reficienda corpora palatio omnes acceſſerunt. Continuatis aliquot diebus perſonat regia plauſibus aula, fremit diſcurſibus platea, nullus omnino regali munificentiæ ſentit repulſam, omnes diverſi generis & pretii donariis in vaſis, veſtibus, vel equis optimis magnifice munerati. Jamque cœperat ſolvi conventus, cum ecce juxta quod ſcriptum commemorat, Extrema gaudii luctus occupat, quidam miles cui multum ſplendoris & gratiæ tam innata prudentia, quam probatiſſimus in rebus bellicis, corporis vigor cum generoſitate natalium apud Regem contulerat, corporeæ valitudinis gravedine tactus, & mox diem claudens extremum, gaudium mærore, citharam ploratione, organum voce planctus commutatur. Sicque quam nulla ſit, quam caduca, quam variabilis vitæ præſentis gloria, ejus caſus omnibus peroravit. Rex militis diſpendio admodum contriſtatus, corpus exanime Glaſtoniam ad tumulandum deportari, & quoſdam Epiſcoporum, Comitum & Baronum eo uſque feretrum proſequi cum honore imperavit. Interfuere igitur comitatui funereo præſul ſanctiſſimus Oſvvoldus, & dux inclytus Ailvvinus, nomine tantum ſibi eo uſque cogniti, occaſione funeris pignoratrices vitæ amicitias venaturi. Erat autem Dux memoratus domi religione, foris virium exercitatione & diſciplinæ militaris uſu percelebris, ſcilicet nobilitatem quam natales contulerant, morum venuſtate perornans, jocundi vultus & hilaris aſpectu, reverendus urbana facundia, comis ſermone, verax & blandus, communis officio, rarior affectu, vultu & moribus haud diſſimilis, nullo etiam cultu mundiſſimus, fide conſtans & gravis, devotione ſincerus, in conſilio ſuaſor recti cauſam rei & actoris ſententia dirimens æquitatis, amorem Dei in aliis perſuadens, quo pii pectoris ejus penetralia plena tumebant, in quo diſpendium veritatis non admittebat puritas voluntatis, prudenti animo modum in omnibus ſervans, ne præceps affectio præjudicium aliquando ingereret rationi. Tanta in viro ſæculari & illiterato apparebat congeries gratiarum, ut utrum laudanda magis ſit merito ambigeres, an miranda. Is igitur Epiſcopum ſanctum ad defuncti inferias jugi pſalmorum pſallentio cernens intentum, demiſſo vultu mature incedentem nonnullis faciem lacrymis irrorantem, ſtatim juxta id cujuſdam ſapientis, gaudent ſingula cum ſui ſimilibus, convenire complacuit ſibi in illo, anima ejus ſtatim imis pii cordis medullis ipſius concepit affectum. Hoc enim habet animus humanus moris & virium, ut alieni nidoris quo ſe conditum ſentit, inhalationes hauriens, perfacile ſui ſimilis capiat ſine indice notitiam, moxque gaudens ad talem alienum affectum inbibit, infundit ſuum.

Magnatis funus Glaſtoniæ.

Ailvvini cum Oſvvaldo colloquia.

9. Funeriis itaque officiis rite conſummatis, alter Cornelius ad Petrum alterum, non Angelo, ſed devotione mentis invitante, non tunc primo fidei rudimentis imbuendus, ſed monita ſalutis accepturus acceſſit: comiteque ſalutato dixit: Olim, pater ſancte, optaveram, ut aliqua impendendi tibi obſequii occaſio arrideret, unde novæ inter nos amicitiæ argumenta orirentur: optaveram jocundo ſacri ſermonis tui alloquio recreari, qui efficaciam habere dinoſcitur plurimam corda audientium rerum pura erudire, & eruditionis ſuæ ſuavitate aures demulcere. Ego enim homo ſum ſub alterius poteſtate, ſuper alios poteſtatem exercens, quem ingenuitas generis, quem opum copia terrenarum, quem peccatrix ſapientia mundi & gratia labiorum, quem demum indifferenter tam pauperum, quam divitum favor publicus attollit; & quia omnis poteſtas a Deo eſt, timeo ne poteſtate iſta in animæ meæ videar abuti perniciem, ſciens proculdubio, quanto mihi plus eſt commiſſum, tanto amplius a me exigendum.

10. Audiens ſanctus Antiſtes fidem viri, quam Dominus in illo Centurione evangelico tanta laude commendavit, admiratus eſt, & familiarem ſibi ſpiritum hauriens ſereno vultu ita reſpondit. Placet mihi admodum amicitiæ tuæ contractus, virorum nobiliſſime, placet animi devotio contrahentis, placet meræ liberalitatis affectio, qua omne meum præveniens meritum, antequam mihi acceſſiſſet petendi fiducia, charitatis intimæ exhibes affectum; gratior inſuper Deo; cujus in te ſationis ſemina fœcundos jam fructus promittentia conſpicio germinare. Unde & tua intereſt totis ſemper viribus conſtantiæ ſtudere, ut illam propheticæ vocis inſultationem caveas dicentis: Immatura perfectio germinavit. Laudabile principium ſpem ingerit futurorum, non ſecuritatem. Perpendat igitur prudentia tua, chariſſime, quia quanto altius aliis in poteſtate ſæculari præeminemus, tanto perſpicacius vitam noſtram & opera univerſi contemplantur: & licet aliis alii præferamur, omnes tamen æquale habemus vivendi principium, eamdem ſortimur legem moriendi. Omnes æque in dolore naſcimur, & in calore viventes, in dolore itidem vitam terminamus, eumdem omnibus occaſum & ortum prudens natura conſtituit, quos ſola vitii ac virtutis apud Deum diſtantia diſcernit. Quid enim prodeſt generoſitas natalis, cui vitia dominantur? Ille vere ingenuus eſt, qui virtute animi & morum claritate refulget: degener autem eſt, quantumlibet genere clarus, in cujus mente ratio ancillari, concupiſcentia laxa voluptatis frena regere comprobatur. Et in omni ſcriptura divina pauperies commendari, divitibus invenies derogari, his dico divitibus, quorum avidæ cupiditati nulla opum congeries ſatis eſt, nulla ſufficit eminentia poteſtatis. Utile quoque eſt & licitum habere divitias; ſed ut non ab eis habearis: licet aliis dominari, ſed ut animo ipſe tuo prius memineris dominandum: præeſſe inquam licitum, ſed tutius eſt ſubeſſe. Omnia enim ardua & alta caſui expoſita ſunt graviori. Cumque innatum arboribus robur validum ab imis radicibus enervet vis ventorum, & celſas turres

Digitized by Google

ab ipſis fundamentis ſubvertat machina bellatorum ; arundo flexibilis non frangitur, myrtus humilis non movetur. Auguſtum perpende Cæſarem, qui totum orbem virtute martia ſubjugarat, cujus fere ipſos mundi terminos poteſtas exceſſerat ; in pulverem jam ſolutus anguſto nunc tumulo continetur. Macedonem ſimiliter Alexandrum, qui univerſas nihilominus terras bellis detrivit, qui per loca ſerpentoſa & humanis greſſibus indetrita uſque ad ſecretiores ſuperioris Indiæ partes avidus gloriæ penetravit, duodecim annis, tantum illicita tyrannide fatigatum, alieni ſoli parviſſima urna inferiis excepit peregrinis. Ut autem quod dico notiore confirmetur exemplo, en illum qui in tota domo Regis clarus habebatur & inſignis, ad cujus nutum etiam animus regius inclinari videbatur, qui paullo ante ſericis veſtitus & oſtro, in curia nobiſcum regiis obſoniis veſcebatur, en inquam illum nunc intulimus in ſepulchrum : omnia ejus tranſierunt præter bonorum ſi quos collegit manipulos meritorum.

AN. CHR. 992. 29. Feb.

11. Ad hæc verba Dux in fletum erumpens ait : Quid igitur de me fiet Pater ſancte ? qui ſicut peroravit ſermo ſuperior, ſub poteſtate ſum, quem etſi bonis forte juvat aliquando ſtudiis implicari, improbus contrariæ neceſſitudinis non permittit acceſſus : ſiquidem frequenter me ſeu angariarum regalium, ſeu exercitationum bellicarum, ſeu diſtribuendorum militibus ſtipendiorum, ſeu cauſarum judicialium, ſeu exercendæ in reos animadverſionis, ſeu aliorum quorumlibet negotiorum forenſium, in quibus difficile, vel numquam poteſt offenſa declinari, importuna vexatio defatigat. Cui ſanctus Epiſcopus : Omnes, inquit, iſtæ quibus implicaris occupationes terreſtres, chariſſime, incrementum tibi præſtant juſtitiæ, ſi ſervaveris in omnibus æquitatem, ſi ſuperexaltaveris miſericordiam judicio, ſi oculum tuum ſimplicem, id eſt intentionem rectam, contigerit inveniri. Ceterum autem quia falſa rectitudinis ſpecie etiam bonæ intentionis nonnumquam acies adumbratur ; eleemoſynarum largitionibus & pauperum miſericordiis exceſſus hujuſmodi memineris redimendos. Ut autem evidentioris conſilii habeas incitamentum, animadvertat prudentia tua, quoniam qui ſæculo renunciaſſe, & voluntariam pro Chriſto paupertatem amplectari videntur, illi ſoli liberi, ſoli quieti ſunt, & ab eo cui nos expoſiti ſumus terrenæ ſollicitudinis periculo ſingulariter alieni. Horum meritis commota nonnumquam ſuperni Judicis compeſcitur ira, ſententia mutatur, ſalubris conceditur aer, provenit copia frugum, fames & peſtes refugæ cedunt, regnorum reſpublica gubernatur, pateſcunt carceres, ſolvuntur vincti, naufragi relevantur, curantur ægroti, debiles convaleſcunt, & (ut totum comprehendam) divina licentius, immo veſanius abutens patientia, tota univerſaliter per eos perdurat fabrica mundi. Si igitur, chariſſime, in aliquo juris tui territorio locum monaſticæ religionis profeſſoribus haberes idoneum, ibi ad honorem Dei Monaſterium conſtruendum, & ad obſequium divinum viros ſanctos laudarem congregandos, quorum precibus & defectus ſuppleri, & peccata tua poſſent expiari. Ego nempe & cooperationi vires impenderem, & impendio adjicerem facultates.

12. Comes ad hæc. Habeo ait, venerande pater, hereditarii juris mei fundum quemdam qui Rameſia a compatriotis primo nuncupatur, paluſtri uligine circumſeptum, talium quales memoras virorum habitationi (ut æſtimo) ſatis congruentem : nam & ab hominum frequentia alienus, & ſolitariæ conſcius eſt tranquillitatis. Eſt autem locus diverſarum arborum genere ſaltuoſus, in quodam ſinu ſuo fæcundæ cæſpitis gratam habens planitiem, denſo graminum paſtu, vellere pecorum detundendo veſtitum. Olim quidem nulla in eo habitatio, nullum ædificium habebatur, præter ſola ſtabula armentorum meorum, quæ ibidem craſſioris glebæ beneficio alenda conſtitui. Ante paucos vero annos cum graviſſimæ valetudinis ardore decoquerer, & nihil aliud niſi fati beneficium, quo languor ingraveſcens terminaretur, opperirer, ex inſperato per vicariam interpoſitæ perſonæ viſionem a B. Benedicto Monachorum patre promiſſionem ſperandæ ſanitatis accepi, adjuncto in mandatis, ut in honorem Dei & ejuſdem patris memoriam Monaſterium ibidem ſtatim recepto vigore corporis aggrederer fabricare. Cumque viſionis fidem promiſſæ ſanitatis probaſſet acceſſus, intra dies paucos cellulam * ibi de ſcemate ligneo interim feci compaginari, donec opportunitate & viribus receptis, ampliorem eccleſiam cum officinis valeam ædificare. In qua etiam jam nunc tres viri cunctis (ut videtur) ſpretis ſpurcæ carnis oblectationibus ſibi cohabitant, monaſticæ ſanctionis normam, ſi adeſſet qui oſtenderet, ardenter noſſe cupientes.

Conſilium de condendo cœnobio Rameſienſi.

* f. capellam.

13. Narravit igitur Dux illuſtris ſancto viro totam ſeriatim viſionem, ſicut in privilegio Eadgari Regis exarata continetur : quæ cum audiſſet, gaudens & Deo gratias agens, ait ſanctus Oſvvoldus : Si igitur, vir illuſtriſſime, cæleſti tibi, ut aſſeris, hæc oraculo imperata ſunt & oſtenſa, expedit ut quod juſtum eſt, devoto animo exequaris, ſciens proculdubio divinæ propoſitum voluntatis, utpote jam vicinum operi non poſſe immutari. Porro ſi conſilio, vel auxilio indiges alieno in alterutro, vires meas labori tuo & piæ ſollicitudini quicquid potuerint ſolaminis noveris præbituras. Hoc ipſum quippe mihi ſtudii fuit ſemper & voluntatis, loca ſcilicet religioni congrua quærere, viros ſanctos ad Dei ſervitium congregare, congregatos confovere, eorumque neceſſitatibus in omnibus pro poſſe providere. Unde & in quodam diœceſis meæ vico habeo hujuſmodi vitæ viros ad duodecim congregatos, incolatum iſtum faſtidientes, & cæleſtis deſiderii calore æſtuantes. Horum autem profectibus mundi malitiam me defuncto inviſuram, & ſucceſſoris mei gratiam timeo defuturam. Siquidem in alicujus perſonæ ſæcularis electionem amore & deſiderio ſæcularitatis

vota.

Digitized by Google

AN.CHR. vota fortaſſis & favor eligentium convenient, qui epiſcopalis hujus honoris culmen adeptus, novellam plantationem meam exſtirpare potius, quam propagare ſtudebit. Difficile namque
992 cuilibet & inſolitum ejus Regulæ habere diligentiam, cujus non novit diſciplinam. Quapro-
29. Feb. pter ad inſpiciendum ipſum de quo loqueris fundum tecum convenire mihi quoque non erit oneri: tuæ tantum placeat nobilitati; & ſi inter nos devotione mutua roboretur unitas voluntatum, & paritas ſtudiorum alterius laboribus, aderit profecto provectus pariter & profectus. Ad hæc Dux inclitus alacri voce, & fronte ſerena reſpondit: In omnibus quæ peroraſti, ſanctiſſime Antiſtes, votis meis quam maxime concordas, & affectum meum tua ſibi affectio conformavit. Id ipſum enim quod a ſanctitate tua petendum decreveram, votum meum ultro provide præveniens, deſidiamque reputans præveniri, humiliter expetiſti. Convenit itaque ut ſibi alterutro alterutrius conſcientia concurrat, & ad honorem Dei utriuſque propoſiti argumenta lucidius innoteſcant. Ad locum igitur arbitrio tuo exponendum pariter ſi placet accedamus, & ex his & illis, quas ambo memoravimus, omnibus unum unius curiæ paſtoris committendum ovile conſtituamus ex alterutris alternæ ſedulitatis impendiis, tam paſtori, quam gregi pabula providentes.

14. His dictis, ſociis Epiſcopis & Baronibus valedicentes, verſus Rameſiam iter pariter ambo accelerarunt: quo cum perveniſſent, Dux venerabili viro, Ecce, inquit, Pater mi, locus, in quo ſanctus Benedictus per vicariam (ſicut ſuperius retuli) fidelis viri manum domum ſibi monuit fabricari. Ingredere inſulam, inſpice loci ſitum, totius negotii curam tibi ſuſcipe in expedito collocatam. Tuum erit quod voles imperare: in me nulla obediendi mora reperietur. Videns ergo vir ſanctus locum mariſcorum paludibus undique cinctum, & multis commoditatibus opportunum, & ab acceſſu populari ſejunctum, futurorum præſcium attrahens ſpiritum, Hic eſt, inquit, alter Elyſius viris ſummo paradiſo deſtinatis ab æterno proviſus; in hoc loco fidei tuæ & devotionis ſpeculum, o amice, viventem æternæ memoriæ tuæ imaginem ſpeculantibus exhibens per ſucceſſiva futuræ generationis ſæcula reſultabit; hæc requies tua in ſæculum ſæculi, hoc fato functus habitabis, quoniam elegiſti eam; hujus loci ædificandi occaſio aucupata perpetuæ inter nos amicitiæ fœdus continebit; per temporalem ejuſdem ædificationem æternæ nihilo minus domus nobis, ſi fidei defectus non obſtiterit, præparabimus manſionem. Sicut ergo dum candet ferrum, crebris ictibus malleorum in quem voluerit malleator extenuatur uſum: ſic utique dum adhuc in nobis conceptæ calet igniculus devotionis, opus eſt propoſiti operis exordium maturetur, ne forte intercedente dilatione alicujus occaſionis, ex diaboli invidia tepor progrediens actioni, intentionis principium fini prohibeat adæquari. Ego itaque ſi tuæ placet celſitudini, ad propria cum feſtinatione revertar, quemdam virum fidelem & in talium exercitio negotiorum probatum tranſmiſſurus, cujus ordinatione & conſilio refectorium parvum cum dormitorio venturis fratribus interim præparetur, donec nos denuo convenientes ſuper conſtruendæ baſilicæ forma & quantitate conſilium ſimul accipiamus. Tuæ autem interdum ſollicitudinis & operæ erit, & ad laborem vires, & ad impendia colligere facultates. Cui placito Duce alacriter conniventе, unanimitatem ſuam humilitate mutua paciſcentes, & alterutrum devote ſalutantes, ab invicem diſceſſerunt.

15. Veniens ergo Vvigorniam vir beatus, venerabilem virum EADNOTHUM, cujus meminit ſermo ſuperior, ſuper injuncto negotio commonitum, & benedictione Patris communitum, fidem dictis ſocians Rameſiam tranſmiſit: quo perveniens vir probatæ experientiæ, multimoda loci commoditate delectatus, conductis ſtatim artificibus capellam quam invenit, in ampliorem ſtatum erexit, officinas quoque neceſſarias juxta modum & formam a ſancto viro ſibi præmonſtratam pulchro ſchemate conſtruxit. Omnibus igitur intra breve tempus ad votum actitatis, familiaris quoque ſilva, quam intra ambitum inſulæ denſa ſtipitum teſtudine conſertam diximus, vicino beneficio quicquid ligneæ materiæ artificum induſtria expetiit, conferebat. Tranſmiſſo ocius nuncio id Patri venerabili intimare maturavit: ad cujus nuncii fidem, Præſul ſanctiſſimus maximo exſultans gaudio, proſperatori ſtudiorum ſuorum Deo immenſas gratias egit, & tempus autumni quo fruges reconderentur utile ratus opperiri, quatinus ſcilicet horrea hinc recedens vacua non relinqueret, & huc veniens plena reperiret. Futuræ interim perfectioni neceſſarios componebat apparatus: at demum veniente tempore votivo, libros & ornamenta divino cultui congruentia manticis impoſuit, ac præmemoratos duodecim fratres de Vveſtbiri tamquam novellas duodecim plantationes, de territorio Vvigorniæ ubere humo Rameſiæ inſerendas ſecum emigrans, venerabili viro Germano pariter aſſumpto profectus eſt.

16. In die itaque decollationis B. Joannis, eximii illius eremiticæ profeſſionis viri proſequente ſe inclyto Duce Ailvino, qui ei ibidem juxta condictum vocatus gratanter occurrerat, eremum noſtram ingreſſus, in caulas noviter fabricatas, ſuæque viſitationis gratia ſanctificatas, puſillum gregem cum hymnis & laudibus introduxit: ubi cum lætitia ſollemni divinis myſteriis celebratis, ordine quo ſupra Germano interiorum, Eadnotho exteriorum adminiſtratio commiſſa eſt gerenda: quibus rite ordinatis, ſanctus Epiſcopus pariter & Dux illuſtris votis ſuis divinam clementiam publicum videntes præſtitiſſe favorem, publice eamdem laudis exhibitione proſecuti, filiis ſuis & fratribus ad ſolamen victus & veſtitus, quo uſque in prædiorum & poſſeſſionum redditibus utilius eis providerent, certum de communi utrorumque marſupio ſingulis menſibus numerandæ pecuniæ pondus ſtatuerunt.

17. Ini-

17. Inito deinde conſilio tota hieme ſequenti quicquid provida cæmentariorum ars, tam in ferreis, quam in ligneis inſtrumentis exquirebat, & omnia quæ futuro videbantur ædificio neceſſaria præparabant. Emenſa denique hieme, cum jam conſitum floribus ver caput exſereret, fit congeſtorum diſtractio theſaurorum, exquiſiti conducuntur artifices, conſtruendæ baſilicæ longitudo & latitudo menſuratur, fundamenta altius propter uliginem undique vicinam jaciuntur, & crebris arietum ictibus in ſolidam ſuperponendo oneri fortitudinem fortius contunduntur. Operariis igitur tam devotionis fervore, quam mercedis amore laborem continuantibus, dum alii lapides comportant, alii cæmentum conficiunt, atque alii hoc & illud totali machina in altum ſubminiſtrant, Domino incrementum præſtante opus in dies altius conſurgit. Duæ quoque turres ipſis tectorum culminibus eminebant, quarum minor verſus Occidentem in fronte baſilicæ, pulchrum intrantibus inſulam a longe ſpectaculum præbebat: major vero in quadrifidæ ſtructuræ medio columnas quatuor, porrectis de alia ad aliam arcubus ſibi invicem connexas, ne laxæ defluerent, deprimebat, juxta eam, qua vetus illa antiquitas utebatur ædificandi, formam, ſpectabile ſatis ædificium. Igitur eccleſia ad ſummam manum evecta, eo loci Deo devotorum virorum numerus paullatim augebatur, in quorum moribus amor divinus cum mundi odio, ipſa etiam ſidera æmulatione ſancta perſtringere videbatur.

AN.CHR. 992. 26. Feb.

18. Nec fuit ſanctus Dei famulus Oſvvoldus horum tantum contentus ſedulitate laborum, ſed etiam eccleſiam ſanctæ Mariæ Vvigorniæ ab ipſis fundamentis ad ſummum tecti faſtigium devotione ſancta aſperos fallens labores perduxit: ubi ex favore regio, & ſummi Pontificis Dunſtani auctoritate propoſita Canonicis, ſæcularibuſque civitatis illius deliberatione, ut aut præbendis ſuis renunciarent, vel habitum religionis alterius arbitrio militaturi ſuſciperent, quidam eorum uſitatæ converſationis vetuſtatem pluris habentes quam propoſitæ vitæ novitatem, cedendum elegerunt, & certas ſedes deinceps non habentes, vagi per patriam ferebantur: ceteri vero quibus & ſenſus inerat & ætas maturior, ſancti viri conſilio ſe dedentes omnipotentis Dei tirocinio ſunt addicti: quorum unus noviſſimus nomine, qui ceteris & dignitate generis & opum copia inſignior habebatur, ſæculo renuncians, & habitu monaſtico amictus Rameſiam miſſus eſt, regularis ordinis diſciplina inſtruendus ac inſtituendus: ac deinceps inde revocatus ad Vvigornenſem Prioratum eſt promotus. Et ibi ergo novello Deo famulantium grege congregato, utrique S. Oſvvoldus ovili viciſſitudinariæ viſitationis ſolatia impendens, & ſanctæ exhortationis pabula miniſtrans, illi quidem Pontificis, huic vero Abbatis jure præſidebat: in cujus argumentum veritatis ſchedæ quædam in Eccleſia noſtra hodieque reperiuntur, profeſſiones virorum temporis illius in præſentia ejus celebratas continentes.

Vvigorniæ Monachi inſtituti.

19. Per idem quoque tempus apud celebre monaſterium Vvinchecumbæ *a* clericos loci illius ſimiliter ſanctæ calliditatis arte circumventos cedere coegit, eorumque loco monaſticæ religionis profeſſoribus congregatis venerabilem virum GERMANUM Priorem Rameſiæ, EADNOTHO ſeniore ei in Prioratum ſubrogato, in Abbatem ordinavit.

& Vvinchecumbæ.

20. Deinde quoniam fere omnis litteraturæ ſtudium & ſcholarum uſus per Angliam in deſuetudinem venerat & ſoporem, tranſmiſſo S. Oſvvoldus ocius nuntio, quemdam virum nominatiſſimum ABBONEM, qui liberalium artium notitiam imis hauſerat medullis, de cœnobio Floriacenſi vocatum, apud Rameſiam ſcholas regere, & novellas recentis hortuli ſui inſitiones doctrinæ ſuæ rore rigare conſtituit. Is ex mandato ſummi Præſulis Dunſtani, apud quem tam prudentia litterarum, quam morum virtute plurimum contraxit & amoris, paſſionem S. Eadmundi Regis & martyris laudabili ſtylo proſecutus, totius orbis Anglici notitiæ commendavit. Deinceps vero aliquot annis elapſis, ad ſuam denuo eccleſiam Floriacenſem cum honore evocatus, Abbatis eidem officio eſt prælatus, ac poſt plurima adimpleta opera pietatis in Gaſconia, indomitæ gentis illius circumventum factione, pro juſtitia tandem interemptus, momentanea morte vitam interminabilem commutavit.

Abbo Rameſiam vocatus.

21. Poſt hæc igitur cum OSKETELUS Eboracenſis eccleſiæ Pater vitæ metas exceſſiſſet, Rege Eadgaro ad Archipræſulis Dunſtani admonitionem favente, & cleri voce votis populi conſonante, ad ſummum Archipræſulatus ejuſdem apicem inthronizatur Oſvvoldus: qui eodem anno Romam Pontificis JOANNIS *b* pro pallio adiens præſentiam, voti compos læto peregrinationis proventu ad ſedem ſuam remeavit. Sed cum ei tantæ gloriæ ad votum favor arrideret, nequaquam tamen veteres erga eccleſiam Rameſenſem affectiones novæ immutavit majeſtas dignitatis, nec labiles adepti faſtigii divitiæ ingenuæ detriverunt primitias liberalitatis: quinimmo communicato cum inclyto Duce Ailvvino conſilio, ambo de communium impendio facultatum aucupato tempore opportuno, eccleſiam ſollemniter dedicari ſtatuerunt. Competentibus itaque tam celebri negotio apparatibus procuratis, illius diœceſeos Epiſcopus ALFNOTHUS in adminiculum votivi laboris advocatur. Conveniunt populi, ſcopantur pavimenta, verruntur parietes, tota rerum ſuppellex-

Oſvvaldus Eboracenſis Epiſcopus.

Rameſienſis eccleſiæ dedicatio, anno 974.

a Monaſterium iſtud Kenulfus Rex Merciorum primitus conſtruxit in pago Vvigornienſi; idemque cum *tempore Regis Eadgari ſolo fere nomine* ſtaret, per beatum Oſvvaldum Archiepiſcopum nonnihil reſuſcitatum eſt, teſte Vvillelmo Malmesburienſi in lib. 4. de Pontificibus cap. 1. ubi de Germano Abbate agit: qui factus ibi Abbas, magno adjumento fuit.

b Simeon Dunelmenſis præfert Benedictum eo nomine VI qui anno 972. die 20. Decembris electus, anno 974. in carcere ſtrangulatus eſt. Sed fortaſſe retinendus Joannes 13. mortuus anno 972. Septembris die 6.

AN CHR 992 19 Feb. exportatur, altaria ſpoliantur; & quaſi recens baptizandus puer, eccleſia omni ornatu denudata, nongenteſimo ſeptuageſimo quarto dominicæ Incarnationis anno, ſexto Idus Novembris, ad Virginis virginum patrocinium & ſancti BENEDICTI nomen, & omnium virginum memoriam a beato Oſvvoldo ſollemniter Chriſto annuente dedicatur. Nec dubitum fidelium ſuorum ea die votis divinam gratiam affuiſſe, cum devotiſſimi elementum æris ſerenitate votiva in favorem eorum conſpirare, & ſol eorum devotioni ſolutis radiorum crinibus applaudere videretur. Igitur vir Domini Oſvvoldus & glorioſus Dux Ailvvinus dignationem divinam publica gratiarum actione proſecuti, quod pios exhibitæ ſedulitatis ſuæ labores ad felicem votum proventus finem perduxiſſet, novam nuptam utriuſque irrigui, hic inferioris, ille ſuperioris donario dotaverunt. Siquidem Dux venerabilis non de his quidem quæ ſibi in finibus hereditariæ ſortis cecidiſſe videbantur, ne ſucceſſoribus ſuis conquerendi adverſus eccleſiam præberet occaſionem, ſed de his, quæ veno expoſita ſeu publica cambitione, ſeu domeſtica marſupii familiaris emunctione libero juri ſuo acceſſerant in prædiis, redditibus, piſcariis, pratis & molendinis, multa & præclara contulit eccleſiæ beneficia. Sanctus quoque Oſvvoldus ejus fidei congratulans & devotioni, primo locum ipſum orationum ſuarum & meritorum patrocinio perpetuæ deinceps valituro ad ſuperioris irrigui felicitatem communivit. Deinde vero quaſdam terras, quas a Rege Eadgaro, vel prece adquiſierat, vel manifeſtæ commutationis ſuæ legitimæ emptionis quæſtu obtinuerat, munificentia liberali adjecit. Has donationes univerſas cum aliis aliarum venerabilium perſonarum donariis *a* poſtea collatis, ſuo loco ſingulas in chartis collatorum expreſſe & appoſite qui legerit, inveniet exaratas. Cum igitur omnia devotione celebri fuiſſent conſummata, pii Patris ſedula exhortatione in fide confortati, & benedictione confirmati, poſt refectionem corporalem, quæ omnibus univerſaliter illa die abunde ſatis & ſplendide miniſtrabatur, ſinguli in propria cum gaudio redière. His utrimque peroratis, quaſi denſitate dumeti & ſpinarum, non abſque difficultate penetrata, locum tandem reſpirandi adepti, primi hujus textrini operis hic telam ſuccidimus a donationibus benefactorum noſtrorum, cum competenti geſtorum relatione inliciatorio calami ſecundæ portionis fila compoſituri.

Donationes factæ ab Epiſcopo & Comite.

Ex Parte ſecunda ejuſdem Chronici.

22. Nunc igitur per planiorum quidem, ſed tamen difficiliorum anfractus & ſemitas viarum, ad declaranda diverſorum temporum diverſa a diverſis perſonis eccleſiæ Rameſienſi collata donaria ingreſſuri, ab eo qui via eſt veritas petimus dirigi greſſus noſtros, ut veſtigia relationis propoſitæ metas veritatis non excedant. Sæpe quidem contingit, ut poſſeſſiones & prædia, quæ viris eccleſiaſticis & religioſis a ſæcularibus in eleemoſynam conferuntur, per ſimplicitatem aut injuriam tam prælatorum, quam ſubditorum violentia calumniantium prævalente ab eccleſiis alienentur. Hujuſmodi autem mali enormitatem ne quid religioſorum patientiæ videretur deeſſe virtutis, præſentium maxime dierum malitia ſuſcitavit; cum paternæ devotionis calumniatores filii accedunt, & avitæ imprudentes derogantes pietati, viros foro judiciali inſuetos calliditate circumveniunt ſæculari, vocantes in jus, quicquid ſit hujuſmodi jus penitus ignorant. Impugnant qui debuerant oppugnare, calumnias inſtruunt, quorum erat potius calumniatoribus obviare. Plerumque igitur vincit poteſtas, & deprimitur paupertas, paucitas occumbit, & prævalet multitudo; juſtitia præteritur, innocentia condemnatur; ſicque religionem fatigatam his diebus ſæcularium affligit ambitio, ut ſingulare miſeriæ ſit remedium uſus ſufferendi. Ubi tamen Dei renitente clementia non prævalent filii penitus abripere quæ patres contulerunt, ibi nihilominus alterius utuntur genere infeſtationis, dum triplicata ſeu quadruplicata annui commeatus frequentatione, quaſi debitam ſibi ex patrum beneficiis hoſpitalitatis per ipſas eccleſias exigentes penſionem, per partes abſumunt, quod ſimul & ſemel totum nequeunt obtinere. Verumtamen quamlibet proficiat vel deficiat verſutia filiorum, patrum devotio meritum vel memoriam non amittit. Quapropter præſenti hujus operis diſtinctioni univerſa quæ memoratæ eccleſiæ a prima ejus fundatione collata ſunt beneficia, tam ſervata, quam amiſſa, vel publica cambitione commutata, cum benefactorum nominibus duximus inſerenda; quatinus licet ipſa nobis aliqua perierunt occaſione, memoria tamen cum juſtorum laudibus perſeveret.

I. *Inclyti Regis Eadgari donaria quibus eccleſiam Rameſienſem inſignivit.*

23. Cum igitur prima hujus baſilicæ jacerentur fundamenta, illuſtris Rex Eadgarus, prece & inſtantia ſancti Archipræſulis Oſvvoldi provocatus, in neceſſarios incœpti ædificii ſumptus quinque hidas apud Burevvelle liberalitate regali largitus, ſcripto ſuo eidem eccleſiæ perpetuo poſſidendas confirmavit. Itemque idem Rex ad petitionem ejuſdem ſancti Pon-

a Leſvvinum inſtaurando cœnobio Rameſienſi etiam operam contuliſſe tradit Ingulfus mihi fol. 506. ubi de Oſvvaldo, *qui adjutus*, inquit, *per Comitem Ailvvinum, & Epiſcopum Dorcaceſtrenſem Leſuvinum, Monaſterium Rameſejenſe refundaverat*. Ailvvinus vocatur infra num. 59. Ælfnothus Dorecenſis Epiſcopus ſubſcripſit litteris Eadgari Regis pro Rameſienſi cœnobio, in Monaſtico pag. 236.

Digitized by Google

Pontificis in devotionis ſuæ memoriale æternum dedit eccleſiæ Rameſenſi & fratribus ibidem Deo ſervientibus, & per ſucceſſiva tempora ſervitutis eccleſiam de Guthumnceſtria cum tribus hidis terræ, & regalis munificentiæ donum ſcripto, quod hodieque apud nos habetur, confirmavit. Qualiter autem hæc eccleſia cum memorata ruris portione a nobis alienata ſit, in ſequentibus noſſe cupienti curabimus indicare. Perpendens præterea jam dictus Rex chriſtianiſſimus ſæpe memoratam Rameſenſem eccleſiam in divina religione ſuccreſcere, & gregem ibidem Deo famulantium tam merito, quam numero adaugeri; ad devotionis ſuæ cumulum pro pace & firmitate regni ſui, dedit eis etiam unam hidam terræ, quæ fuerat cujuſdam viri, Tuttemanni nomine, in Stinecleja, & duas campanas viginti librarum pretio comparatas.

AN.CHR. 992 29. Feb.

II. *Donationes quædam S. Oſvvoldi.*

24. Deinde vir *a* Domini Oſvvoldus calliditatis & malitiæ, quam hac noſtra ætate contra ſimplicitatem veterum & fidem turgeſcere videmus, præſcius & judex, miſſis nuntiis ad JOANNEM Papam, qui tunc temporis Romani pontificatus arcem tenebat, privilegium ſuum in libertatem & munimentum eccleſiæ noviter conſtructæ & dedicatæ adquiſivit. Idem autem Præſul ſanctiſſimus, ne ſucceſſoribus ſuis calumniandi occaſio arrideret, nihil de Epiſcopii jure, ſed quæ familiaris loculi emunctione in jus ſuum tranſierant veno expoſita, ſeu quæ legitima cambitione fuerant adquiſita, hæc ſola eccleſiæ quorum vel fundator exſtiterat vel patronus, liberius & quietius poſſidenda conferre ſtuduit & confirmare. Emerat igitur a Rege Eadgaro villam, quæ Vviddingevvorthia, incompetentis pretii commutatione, multis ſcilicet & pretioſis reliquiis, quæ in duabus crucibus de ſexies viginti marcarum auri pondere fabricatis continebantur: pro qua itidem villam de Vviſtovve, quia eccleſia Rameſenſi vicinior acceſſu magis competens erat & receſſu, a memorato Rege in eſcambium accepit, acceptam Deo & ſancto Benedicto in perpetuam ſollemniter tradidit hereditatem. Provida autem anteceſſorum noſtrorum ſagacitas ſuſpecta prudenter præcavens pericula, prædictam villam de Vviddingvvorthia pro commutatione memoratæ eccleſiæ & trium hidarum de Guthmunceſtria Eccleſiæ Rameſenſi in funicularem hereditatis perpetuæ ſortem redemit. Sicque quemadmodum eadem eccleſia, & terra in alienæ jus poteſtatis uſque hodie conceſſit.

25. Dedit præterea vir ſanctiſſimus Oſvvoldus quinque hidas apud Burevvelle, alias ab illis, quas piiſſimum Regem Eadgarum ſuperius retulimus nobis contuliſſe. Hæc eſt illa terra quam (ſicut in vetuſtiſſimis ſchedulis Anglice ſcriptum reperimus) vir quidam EADVVINUS nomine, filius OTHULFI, venerabili antea conceſſerat Archiepiſcopo Odoni, pro mercede ſollicitudinis & laboris, quo Regem EADREDUM ad conſenſum inflixerat, ut ei liceret filiam cujuſdam viri VVLFI, quam concupiverat, maritali ſibi fœdere copulare. Hanc autem donationem cum presbyter quidam EATHELSTANUS prædicti Archipræſulis Odonis germanus inficiari conatus, ejuſdem terræ medietatem ſuo juri legitime competere allegaſſet; pacificus Chriſti vernula AILVVINUS Aldermannus *b*, facultatum ſuarum diſpendio ſemper Rameſenſis eccleſiæ obvians detrimento, datis ei in mutuam commutationem pro eodem agello octoginta marcis auri, ſub teſtimonio Regis EADGARI & DUNSTANI Archipræſulis, & ALFERI & OSTATI Comitum, omnem calumniæ viam obſtruxit, & jam dicto viro poſteriſque ejus perpetuum, ut putabatur, ſuper hoc ſilentium indixit. Poſtea vero quia in rebus humanis nil ſolidum, nil diu quietum; piiſſimo Rege Eadgaro vitæ præſenti exempto, quidam VVINSIGUS a præfato Othulfo longam conſanguinitatis lineam trahens, ex ſola ſucceſſionis hereditariæ fiducia, ſine ulla auctoritate judiciali, memoratas quinque hidas ſibi vindicavit, manſumque ſuum in eis conſtituit. Unde vir illuſtris Ailvvinus nobilis animi indignationem nobilis iræ ſtimulis urgens, tantæ temeritatis præſumptionem ferro vindice ulciſci ſpiravit: & profecto conceptum tumentis pectoris opus expleſſet, niſi cujuſdam fratris Rameſiæ, Eadnothi nomine, prudens & provida diſcretio obſtitiſſet: qui cum homicidium in damnum eccleſiæ Rameſenſis factioſa contrariæ partis terminatione redundare poſſe manifeſta affirmaret ratione; pacatum prudentis viri animum a propoſito revocavit: deinde communicato idem frater Eadnothus ſalubriori conſilio, majores & prudentiores de Comitatu Cantebriggiæ convocavit, quorum opera & induſtria ad hoc memoratum Vvinſigum induxit, ut quamdam terram de Selſingetona in mutuam jam dictæ terræ de Burevvelle cambitionem gratanter acciperet. Sicque eadem terra in jus Rameſenſis eccleſiæ rediit, ab omni tam ipſius Vvinſigi, quam totius poſteritatis ſuæ calumnia ſoluta penitus & quieta. Cujus laboris proventui quidam vir Altgarus nomine, Aldermanni familiaris & a ſecretis, congratulans, prædictæ terræ ab omni reclamatione jam liberæ, domos ſuas & curiam, tres quoque hidas cum quadraginta acris, & unam præterea virgatam & eccleſiam de Burevvelle, cujus fuit Advocatus, pro ſua prædeceſſorumque ſuorum animabus mera liberalitate adjecit.

a Hoc caput relatum eſt in Monaſtico Anglicano pag. 233.
b Id eſt Princeps. Ita magnates & principes aulici appellabantur apud Saxones.

AN.CHR 992 19. Feb.

III. *Donatio Æthelginæ.*

26. Quædam [a] quoque matrona, nomine Eathelgina, aliorum provocata devotione & exemplo, dedit Deo & S. Benedicto Rameſiæ in eadem villa quadraginta acras & unam virgatam terræ, quæ fuerat Guthredi; & octo hidas apud Exvinge. Fratres quoque Rameſiæ favorem divinum cum gratia ſibi temporis arridere cernentes, plurimas ibidem terras tam in campo arabili, quam in villæ manſis multi æris pretio comparaverunt.

IV. *Prædicti Vvinſigi donatio.*

27. Sæpe dictus etiam Vvinſigus læſam præcedentis temeritate facti Dei & eccleſiæ Rameſenſis gratiam plenius ſibi geſtiens reformare, dedit ſub teſtimonio Aldermanni & uxoris ſuæ & filiorum dimidiam hidam in Stivecle, cujus occaſione Fratres Rameſiæ poſtea dato cuidam filio ejuſdem Vvinſigi competenti pretio, aliam hidam integram in eadem villa juſto emptionis titulo poſſederunt.

V. *Hic annotantur donaria, quibus inclitus Dux Ailvvinus eccleſiam Rameſenſem dotavit.*

28. Hæc vero ſunt quæ piæ recordationis Dux Ailvvinus, tamquam pater filiæ maritatæ, dedit eccleſiæ Rameſenſi in jus patrimoniale perpetuo poſſidenda. Primo ſcilicet inſulam ipſam, ubi Xenodochium conſtructum eſt, cum adjacentibus maris & ſtagnis: Deinde terram de Opirode, quam a Rege Eadgaro regalis munificentiæ largitate, cum vicinorum gurgitum piſcariis ad eam pertinentibus fuerat aſſecutus. Ibi tamen aulam ſuam & curiam tanti viri nobilitati in vita ſua habuit congruentem. Quia enim locus & nemoribus conſitus & mariſcorum paludibus erat vicinus; frequenter ibi in venatu & aucupatione ſpatians morabatur. Dederat ei præterea idem Rex Rafleam illam, quæ propinquior prædictæ villæ de Vpvvode adhæret, quam ipſe itidem Deo & S. Benedicto cum dominio & debito hominum ſervitio in perpetuam hereditatem conceſſit.

29. Dedit etiam totum quod juri ſuo in Saltretha competebat: nam pater Eathelfledae uxoris ſuæ, cum adhuc viveret, & quamdam ejus ruris portionem legitimo patrimonii jure poſſideret, dedit eam cuidam viro, Eathelſtano nomine, Aldermanno, in mutuam alterius cujuſdam terræ, quæ ei erat acceptior, permutationem. Poſtea vero eadem Eathelfleda patre ſuo prædicto & eodem Eathelſtano alea fatali deluſis, ſuper terra memorata calumniam inſtruens ordine judiciario, eam in hereditariæ ſortis ſuæ jus revocavit, revocatam deinceps Deo & S. Benedicto Rameſiæ cum funere corporis ſui conferens in redemptionem peccatorum ſuorum & pretium ſepulturæ. Idem præterea verus Iſraelita Ailvvinus terram de Helingeja, quæ undique aquis accincta eſt & profunda uligine mariſcorum, dedit Rameſiæ cum Resbetev vico ſuo, quod foris inſulam habetur, & molendino adjacente. Medietatem quoque piſcariæ ejuſdem loci dedit eccleſiæ: alteram vero partem filiis ſuis. Dedit etiam quinque hidas apud Vvalſocne & dimidium piſcariæ ſuæ, quæ eum in Vvelles contingebat: poſtea vero terminum vitæ poſiturus, alteram medietatem reliquæ adjiciens portioni, totam ſimul piſcariam Rameſenſi eccleſiæ contulit, cum mancis & coſtis piſcatorum. Terram quoque de Briumtona, quæ poſt patris ſui obitum; & decem hidas, quæ poſt deceſſum matris in hereditariam ſibi ſortem ceciderunt, dedit Rameſiæ pro ſua & utriuſque parentis ſalute. Hæc eſt illa terra de Vveſtona, quam (ſicut ſupra in prima hujus opuſculi diſtinctione retulimus), Rex Eadgarus dederat eidem Ealfirennae matri Comitis, pro ea quam in cunabulis impenderat ſedulitate nutrituræ.

30. Dedit etiam idem vir Deo devotus Ailvvinus decem hidas apud Griddinge & Vvedetoum, quas ſub Regis & optimatum teſtimonio appenſo cuidam viro Othengaro non modici æris pretio juſto poſſederat titulo emptionis. Nec in his quoque fervori devotionis ſuæ terminum ponens dedit ſeptem hidas apud Stinecle, & quamdam partem decem hidarum quas habuit apud Teſte pro anima jam dictæ Eathelfledæ uxoris ſuæ, pro alia vero illarum hidarum parte, ut integræ omnes cederent eccleſiæ Rameſienſi in poſſeſſione, a fratribus ejuſdem loci accepit in eſcambium terram quamdam de Lintona, quam vir quidam, Vvlfhunus nomine in liberam eis contulerat eleemoſynam, quando ſæculo renuncians collegio eorum ſociatus eſt. Porro terram de Acleja prædictis donationibus ſuis vir fidelis adjecit, quam quidam presbyter, Lineraundus nomine, vivendi finem faciens, multis teſtibus ei in teſtamento reliquit. Dedit etiam ſex hidas in Vvammafordia, quas poſtea fratres Rameſiæ per poſterorum calumniam ſibi ablatas numerata pecunia redemerunt. Pratum præterea apud Honctonam, & molendinum quod a quodam cognato ſuo Sirico, dato ei non modico probatæ monetæ pretio, comparaverat, eidem eccleſiæ in jus perſeverabile conceſſit. Terram quoque de Hemmingſfordia, quæ opido Huntedunenſi ex oppoſita parte fluminis habetur vicinior eidem eccleſiæ, in fidei ſuæ & devotionis monumentum contulit ſempiternum. Hanc autem terram, quia acceſſu propiore ſibi erat acceptior, in publicam & le-

[a] Et hæc tria ſententia exſtant in Monaſtico 2 pag. 234.

& legitimam acceperat permutationem a ſancto EATHELVVOLDO Vvintonienſi Epiſcopo pro terra de Hatfeld, multis a præfato Epiſcopo precibus ſollicitatus, triginta ſcilicet hidas pro quadraginta, fertilitatis forte vel vicinitatis gratia pluris reputans pauciores. AN.CHR. 992 29. Feb.

V. *Quomodo duos martyres, Eathelredum atque Eathelbrictum, Rameſiam transferri fecit.*

31. Sub eadem tempeſtate duo gemelli fratres, EATHELREDUS atque EATHELBRICTUS *a*, ex ingenuo antiquorum Regum ſtemmate oriundi, & poſt obitum patris cum ad debitam ſibi aviti beneficio ſanguinis regni adoleſcerent dignitatem, Edati cujuſdam nebulonis livore innocenter jugulati, apud (ædes) venerabilis Aldermanni, VVACHERINGAE nomine, antiquitus habebantur in eccleſia conſepulti: quos cum pietas divina martyrii gloria ſublimatos nonnullis ſignorum indiciis declaraſſet, viſa eſt eidem Aldermanno minus eis ibidem honoris & reverentiæ quam deceret exhiberi, eorumque pignora fecit cum devotione condecenti Rameſiam transferri eccleſiam, ipſam & omnium donationum ſuarum conſummationem duarum pretioſarum gemmarum illuſtratione perornans.

VI. *Quarumdam perſonarum commendatio quæ plurima Rameſenſi eccleſiæ terrarum donaria in plena corporum ſoſpitate facto teſtamento cum chirographis ſuis provida diſpenſatione contulerunt.*

32. Dignitas conditionis humanæ a primæva ſuæ originis radice cupiditatis mundanæ obelo ſauciata, per traducem ſucceſſivæ generationis lineam eo uſque ſuæ corruptionis morbum transfudit, ut noſtri nunc noviſſimi temporis viri & mulieres, quibus divitiarum ad votum affluit copia terrenarum, etiam in extremis agentes vix earum pondus deponant & amorem. Unde nonnumquam contingit, ut plerique dum ſibi ſpatium vitæ diuturnioris promittunt, ægrotantes ſpei ſuæ augurio decepti, flebiliter decedant inteſtati. Sed non eſt ſalubris conſilii pro ſpe caduca & incerta, certa & æterna ſubire diſpendia. Proinde antiquorum plurimi quos meliora ſecula procrearunt, & quibus uberior inerat virtutum vigor & gratia; nulla adhuc valetudine tacti, ſed dum propenſius eis mundanæ proſperitatis cum plena corporum ſoſpitate favor arrideret, de rebus ſuis quid cuique religioſorum locorum poſt ſe pro animarum ſuarum ſalute cedere debuiſſet, incertæ vitæ certa fallentes diſpendia provide diſponebant: teſtamentum quoque ſuum contra futuræ generationis malitiam litteris commendabant, quatinus authentica ſcripta exquiſitam poſteris publicæ atteſtationis exhiberent veritatem. Nihilominus tamen eorum aliqui ea quæ alienis deputabant, propriis quoad viverent uſibus reſervabant, ſcientes juxta apoſtolicæ ſententiæ fidem, teſtamentum in morte ſolummodo teſtatoris confirmari, vivente vero teſtatore non valere. De qualium numero quarumdam hic perſonarum mentionem cum beneficiis, quæ nobis hoc modo contulerunt, & beneficiorum chirographis dignum duximus annotare.

33. Igitur VVILFGINA Comitiſſa, præfati Aldermanni legitima *b* uxor, viri fidem æmulans & devotionem, dedit Deo & S. Benedicto Rameſiæ regiam villam de Bramceſtria, quæ ſupra mare ſita eſt in Northfolchia, ad veſtimenta fratribus procuranda, & meræ liberalitatis ſuæ donum hoc chirographo ſuo quod de Anglico latinum fecimus ad poſterorum notitiam confirmavit.

VII. *Chirographum Vlſgiva Comitiſſæ, quæ dedit Bramceſtriam.*

„ 34. In nomine Domini ego Vlſgiva Comitiſſa omnibus notum facio hoc quod omnipotenti Deo concedere volo, poſt dies meos pro anima mea, villam ſcilicet de Bramceſtria, do Deo & S. Benedicto Rameſiæ, hoc volo ut firmiter ſtet, & a nullo hominum immutetur. Hoc ſcriptum fuit in tribus partibus diviſum, quarum una remanſit in manibus EATHELSTANI Epiſcopi, alteram mecum retinui, tertiam obtuli Rameſiam. Deus optimus cuſtodiat omnes quicumque hoc cuſtodire voluerint, & qui hoc immutare attentaverit, Deus illum ad juſtitiam & emendationem revocet, amen. NOTA.

VIII. *In hac ſcriptura continetur, quomodo Eathelgiva Comitiſſa pro anima ſua ſalute dedit eccleſiæ Rameſenſi Stovve, & alia quædam donaria in auro & argento, ſicut Anglice ſcriptum invenimus.*

„ 35. Ego EATHELGIVA *c* Comitiſſa do & concedo eccleſiæ Rameſienſi ad honorem Dei & S. Benedicti, & ad animæ meæ ſubſidium ſempiternum, terram meam de Stovve „ & de

a Vvillelmo Malmesburienſi *Egelredus & Egelbrithus, quos filios patrui ſui Egbertus Rex Cantuariorum in ſpem regni adoleſcere metuens, aliquamdiu circa ſe habitos, tandem ab aula frequentia removit, contuitum ſuum eis invidens. Acceſſit regiæ malignitati miniſter funeſtus nomine Thunre, quod tonitruum ſonat, qui eos quotidianis deceptos baſiis, inter amplexus ipſos pugione confodit.* Cetera legeſis apud eumdem Vvillelmum in lib. 4. de Pontificibus Anglorum cap. 5.

b Nempe tertia, ex Monaſtico pag. 231. ubi aliæ duæ priores Ailvvini uxores, Ethelfleda & Ethelgiva memorantur: de Ethelgiva in capite ſequenti

c Hæc ſecunda fuit uxor Ailvvini, ex mox dictis.

Digitized by Google

AN CHR „ & de Brunne, ita libere & quiete poſſidendam, ſicut ipſa eam unquam liberius & quie-
992 „ tius poſſedi; & novum molendinum, & unam marcam auri: cujus medietas in uſus Mo-
29. Feb. „ naſterii neceſſarios cedat, de altera vero medietate refectio fratribus procuretur: *& duos*
„ ſcyphos argenteos de duodecim marcis ad pondus huſtingiæ Londinenſis ad *ſerviendum*
„ fratribus in refectorio; quatinus dum in eis potius edentibus fratribus miniſtratur, memo-
„ ria mei eorum cordibus arctius inculcetur. Eſtote, fratres chariſſimi, memores mei erga
„ eum cujus gratia indigeo: Deus autem ſit nobis propitius, & ego vobis fida ſoror eró,
„ quamdiu duraverit tempus meum.

IX. *In hoc ſcripto quod de anglico latinum fecimus, declaratur, quomodo Eathelſtanus Manneſſune in vita ſua de poſſeſſionibus ſuis & terris diſpoſuit, & hoc Ailvvino Aldermanno & ceteris amicis ſuis notum fecit, & quid poſt ejus obitum inde factum ſit.*

36. In primis Eathelſtanus Manneſſune conceſſit ſancto Benedicto Rameſiæ terram de Cateriet pro animæ ſuæ ſalute, cum dominio & hominibus, cum gurgitibus & piſcariis, ſicut ipſe & pater ſuus ea unquam melius & plenius habuerunt: & terram de Vvalde ſanctæ Eathdritæ de Ely: & per omnes terras ſuas de triginta hominibus numeratis tredecim manumiſit, quemadmodum eum ſors docuit, ut in quadrivio poſiti pergerent quocumque voluiſſent. Uxori vero ſuæ dedit in dotem Olopham & Gravelle & Vverreſte & Eleſvvothe, quatuor ſcilicet has terras in vita ſua poſſidendas; poſt mortem vero ejus ut remanerent ſancto Benedicto pro ſua utriuſque ſalute. Medietatem quoque terræ de Cnapivelle dedit eidem uxori ſuæ, & alteram medietatem Leſio cognato ſuo. Conceſſit etiam memoratæ uxori ſuæ facere quod voluiſſet de terra de Ovvra & de Halivvella: filio autem ſuo conceſſit terram de Coteham, ſi amicorum conſilio adquieſcere voluiſſet; ſin autem in diſpoſitione Ailvvini Aldermanni eadem terra remaneret. Dedit præterea primogenitæ filiæ ſuæ terram de Grantadene, quam EATHELSNETHA mater ejus ſpiritualis, quæ eam de ſacro fonte levaverat, ei conceſſerat; & ſorori ejuſdem duas hidas apud Hettelejam, & Alſvvennæ juniori filiæ ſuæ quamdam terram de Slepe, & terram de Haggethonne: & poſt mortem puellæ decrevit eamdem terram eccleſiæ Rameſenſi venire in poſſeſſionem; ſi vero heredem haberet in vita ſua, eamdem terram heres teneret, poſtea Rameſienſi eccleſiæ pro ſua & anteceſſorum ſuorum animabus remanſuram. Dedit etiam Leſio reliquam terram de Hettenleja, & filio fratris ejus terram de Potune poſt mortem Affeſi erga eam dirationare poſſet, quod ipſa eam cuiquam dare non deberet. Itemque præfatæ uxori ſuæ dedit medietatem totius piſcariæ de Vvelles, & conſuetudinalium præſentationum; alteram medietatem filio ſuo & duabus filiabus.

37. Poſt obitum igitur ejuſdem Eathelſtani uxor ipſius, parentum inducta ſuggeſtione, huic teſtationi omnino contradixit, conventionem quamdam excogitatam prætendens, quam (ut dicebat) inter ſe habuerant ipſa & vir ejus dum adhuc viveret. Rogavit itaque mulier Fratres Rameſiæ, ut ei liceret libere poſſidere terram de Eleſvvorthe, ut quicquid de ea diſponeret ratum eſſet & ſtabile tam in vita, quam poſt mortem ipſius, & ipſa eo pacto totum reliquum ſtare permitteret, ſicut ſuperius ſcriptum eſt. Tunc Fratres communicato ad invicem conſilio, animam defuncti, fide quam viventi promiſerant nolentes defraudari, quia in eis ſpem habuerant, quod liberos ſuos poſt mortem ſuam adjuvarent, conceſſerunt mulieri terram quam petierat, ea tamen interpoſita conditione, quod terra de Slepe poſt dies prædictæ Alſvvennæ filiæ ejus tota ſimul Rameſienſi eccleſiæ remaneret, ſive haberet liberos, ſive non. Mulier igitur placito adquieſcens, hoc totum affidavit in manu S. Oſvvoldi Archiepiſcopi cognati ſui, fidejuſſoria inſuper præſtita cautione. Hoc totum factum fuit apud Slepe, in die qua præfati Æthelſtani anniverſaria commemoratio agebatur, ſub teſtimonio Eathelſii filii Eathelſtani Aldermanni, & Leofrici filii Eathelvvoldi Aldermanni, Eadrici, Leofrici, Leſvvini filii Eatholſi, Alſnothi de Aitricheſeja, Oſvvoldi presbyteri, & aliorum multorum, qui conventioni huic interfuerunt. Judicet altiſſimus eum qui hoc immutare præſumpſerit, quod ipſi cum vadio & fidejuſſoribus inter ſe confirmaverunt.

X. *Iſtud eſt chirographum Alfelmi & Affa uxoris ejus de terra de Pottune & de Hettenleja, quarum priorem (ſicut in ſuperiori ſcriptura continetur) Eathelſtanus Manueſſune dederat Leoſſio cuidam cognato ejuſdem Alfelmi; poſteriorem vero cuidam filio fratris ſui, ſi erga eamdem Affam eam dirationare poſſet: ſed quia non potuit, idcirco eadem Affa eam dedit Rameſiæ, ſicut inferius ſcriptum continetur.*

„ 38. In nomine Domini, ego Alfellmus & Affa uxor mea, notificamus præſentis ſcri-
„ pturæ indicio Ailvvino Aldermanno & multis amicorum noſtrorum, cum eo nos pro ani-
„ marum noſtrarum ſalute dediſſe & conceſſiſſe Deo & ſancto Benedicto Rameſiæ terram
„ de Hettenleja, & terram de Bottune cum omnibus ad eaſdem terras pertinentibus, in li-
„ beræ eleemoſynæ munus æternum. Et ut hoc apud generationem naſcituram ratum ha-
„ beatur & firmum, præſentis paginæ munimine ſub eorum omnium teſtimonio apud Vva-
„ thamſtede devotionis noſtræ donationem roboravimus.

39. Piæ

Digitized by Google

39. Piæ memoriæ ALFVVOLDUS, Ailvvini Aldermanni *a* germanus, qui celebribus quatuor cauſis prudentia, ſcilicet ſæculari, probitate militari, generis nobilitate & morum venuſtate apud omnes ſui temporis clarus habebatur & inſignis, fraternæ fidei æmulans devotionem, dedit Deo & ſancto Benedicto Rameſiæ Riptonam quoque cum Vveninſtona Bithernæ & Elintonam, Honctonam & Vvittonam, nobili ingenuæ mentis largitate, æternalis in eodem loco memoriæ fructum & decus ſibi egregium comparans ſepulturæ. Ipſo tamen rogante & fratribus Rameſiæ ejus placito convenientibus, ALFILD legitima ejus conjux omnes memoratas terras, præter Honctonam & Vvittonam, in vita ſua nomine eccleſiæ tamquam uſufructuaria poſſedit, poſt fata ipſius in poſſeſſionem ejuſdem eccleſiæ juſto præfatæ donationis titulo redituras. AN.CHR 992 29. Feb.

XI. *Iſtud eſt chirographum præfatæ Alfildæ Comitiſſæ uxoris ſupra memorati Alvvoldi Comitis, in quo continetur, quomodo in fata conceſſura reſignavit eccleſiæ Rameſenſi Riptonam, & Vvenintonam, & Elinthonam, & Bithernam.*

„ 40. In nomine Domini Dei ſummi, ego Alfild notum facio omnibus amicis meis, quo-
„ modo diſpoſui de rebus & poſſeſſionibus meis, quas vir meus Alfvvoldus Comes, frater
„ Ailvvini Aldermanni, mihi & liberis meis conceſſit. In primis igitur concedo Deo & ſan-
„ ctæ Mariæ & ſancto Benedicto Rameſiæ terram de Ryptona, & terram de Vvenintona, &
„ terram de Clintona, ſicut prædictus vir meus Alfvvoldus eas, adhuc vivens, viva voce ei-
„ dem eccleſiæ conceſſit. Concedo etiam EADNOTHO filio filiæ meæ, ut ſi Fratres Rame-
„ ſiæ eum in monachum ſuſcipere voluerint, terram de Bytherna ſimul cum eo cedat Ra-
„ meſiæ in poſſeſſionem; quod ſi noluerint, nihilominus concedo eamdem terram præfatæ
„ eccleſiæ pro animæ meæ ſalute. Concedo præterea Almaro capellano meo terram de
„ Cloptona in diebus ſuis libere tenendam: poſt dies vero ejus remaneat ſimul cum ceteris
„ terris eccleſiæ Rameſenſi. Rogo autem Deum omnipotentem, ut quicumque vel paren-
„ tum meorum, vel hominum ceterorum contra hoc venire præſumpſerit, vel quicquam
„ horum immutare, iram judicis æterni cum reprobis Angelis incurrat, niſi vivens delictum
„ ſuum digne emendaverit. Amen.

41. Iſte quem ſupra memoravimus Eadnothus, prædictæ Alfildæ ex filia nepos, ſicut a pleriſque conjicitur, fuit ille quondam Slepenſis prædii Præpoſitus, qui cum divinæ placuiſſet pietati ſancti Ivonis *b* ſociorumque ejus oſſa revelari, relatæ ſibi viſionis temere fidem irridens, ipſum ſanctum ſutorem vocavit, a quo etiam in temeritatis ultionem perſeverantis uſque in finem valetudinis, ocreas accepit, quatinus videlicet traditi hujuſmodi ſathanæ in interitum carnis in die Domini ſpiritus ſalvari mereretur.

42. Vir quidam dives, Godricus nomine, æternæ vitæ adipiſcendæ deſiderio tactus, dedit eccleſiæ Rameſenſi in pretium ſalutis æternæ totam terram ſui juris in Gretona, ſub teſtimonio BRITHNOTHI & GERMANI Abbatum, EATHNOTHI Præpoſiti & omnium fratrum Rameſiæ, & Vvlnothi de Stovve, Æſnothi filii Godingi, Leſſii filii Gode & aliorum proborum hominum plurimorum.

43. Sub eodem quoque tempore erat vir quidam in territorio Eboracenſi, EARULETEL nomine, cum uxore ſua VVLFROUN generis & patriæ notitiam nominis indicio declarans: qui ambo venuſtate morum natales ingenuos perornantes, & in incerto divitiarum nullam ſibi penitus fiduciam ſtatuentes, ex aſſenſu communi decreverunt, ut terra ſua de Hitelinge & de Rimildetune poſt obitum ſuum in redemptionem peccatorum ſuorum eccleſiæ Rameſenſi cederet in poſſeſſionem. Quod ut ratum apud poſteros haberetur ſub ſubſcripto chirographo ſuo hoc confirmaverunt, & eccleſiam exinde ſaiſierunt.

XII. *Chirographum Earuketeli & Vvlfroun uxoris ſuæ.*

„ 44. Ego Earuketel & Vvlfroum uxor mea Eathelredo Regi domino noſtro, & omni-
„ bus ſuis de Eboraco & de Notingeham, notum facimus nos conceſſiſſe & præſenti chiro-
„ grapho confirmaſſe Deo & ſanctæ Mariæ & ſancto Benedicto de Rameſia poſt dies noſtros
„ terram noſtram de Hitelinge, & terram de Riuldetune, cum firma & ſervitio, ſicut ha-
„ betur in dominio noſtro. Volumus autem ut poſt dies noſtros corpora noſtra ibidem (ſi
„ Deo placuerit) ſepulta requieſcant: & ubicumque alter noſtrum vitam finierit, Fratres
„ Rameſiæ venientes cum cuſtamento tam ſuo, quam amicorum noſtrorum, corpus defuncti
„ Rameſiam deferant tumulandum. Et ego Earuketel volo quod in pretium ſepulturæ meæ,
„ & animæ ſalutem, proveniant eccleſiæ Rameſenſi quindecim libræ de argento, & auro,
„ & catallis, quæ die defunctionis meæ apud me contigerit inveniri. Pro ſalute vero ani-
„ mæ præfatæ uxoris meæ, & corporis ſepultura remanebit eidem eccleſiæ terra de Locham-
„ tona, cum catallis omnibus quæ in ea invenientur. Ego autem Vvlfroun ſingulis annis

a Lege Ailvvini genealogiam in Monaſtico pag. 231.

b De hujus ſancti Ivonis inventione agit Vvillelmus Malmesburienſis in lib. 4. de Pontificibus Anglorum cap. 5. aitque *ex ipſis mauſolei Sinuoſis anfractibus*, ubi repertum Ivonis corpus, erupiſſe fontem *dulcem potui, accommodum omnium valetudini: adeo ut nullus ſit in Anglia ſanctus Ivone vel exoratu facilior, vel effectu efficacior.*

AN.CHR. 992. 10. Feb. „ vitæ meæ ad feſtum S. Benedicti, quod eſt in æſtate, decem mittas de braſio, & quinque „ de grut, & quinque mittas farinæ triticeæ, & octo pernas, & ſexdecim caſeos, & duas „ vaccas pingues de terra mea Hitelinge pro reſpectu decerno eidem eccleſiæ procurari; in „ capite vero quadrageſimæ octo iſicios. Quicumque ergo hanc donationem infringere præ„ ſumpſerit vel permutare, animadverſionis æternæ in die judicii coram Deo reus exſiſtat, „ niſi condigna pœnitentia temeritatem ſuam correxerit. Nec liceat cuiquam Epiſcopo, „ vel monacho has terras pro auro, vel argento permutare, ſed ſint ſemper in poſſeſſione „ eccleſiæ, cui eas per hoc chirographum ſtuduimus confirmare.

His patre & matre natus eſt bonæ indolis puer EATHELSTANUS, quartus poſtea Rameſienſis eccleſiæ Abbas.

XIII. *Quod non omnes donationes, quæ ſub eodem tempore eccleſiæ Rameſienſi ſunt collata, hic annumerata ſint.*

45. Hæc igitur quæ prætaxavimus in diebus illuſtriſſimi Regis Eadgari eccleſiæ noſtræ collata ſunt terrarum donaria, quæ vetuſtiſſimis ſchedulis, cartarum ſeu chirographorum formam prætendentibus, univerſa fere anglice ſcripta invenimus, inventa in latinum idioma transferre curavimus, translata huic libello ſeriatim cum rubricarum annotationibus ad noNOTA. titiam lectorum inſerentes. Notandum vero quod nullis eædem ſchedulæ ſigillorum impreſſionibus ſunt munitæ: quia videlicet univerſæ hujuſmodi figurarum facies, quæ creſcenti cum dierum malitia aſtutæ hominum calliditati noſtris nunc temporibus opponuntur, ſimplex illa antiquitas non habebat. Nonnullæ quippe aliæ donationes ab aliis eodem tempore memoratæ eccleſiæ donatæ ſunt, quarum cartæ, vel chirographa, quia vel vetuſtate conſumpta ſunt, vel per injuriam perierunt, noſtro eas ſtylo declarare ſuperſedimus, maxime quia in ſubſcripto præfati Regis Eadgari privilegio commemoratas & confirmatas, ad veterum fidem & devotionem commendandam & præſentis tempeſtatis malitiam refellendam, valere ſatis arbitramur.

XIV. *Quomodo viri Dei devoti, Sanctus Oſvvoldus, & dux Ailvvinus Regem Ælgarum de confirmandis per ſuum privilegium univerſis ſcriptis donationibus adeuntes convenerunt.*

46. Poſt hæc ergo ſanctiſſimus Archipræſul Oſvvoldus, & urbaniſſimus dux Ailvvinus, ante ſuſpecta hujus vitæ inſtabilis diſpendia, inſumptos piorum ſudores operum blanda conſummatæ perfectionis manu extergere geſtientes, communicato conſilio, ſæpedictum Regem Eadgarum adeunt, familiarique eum auſu taliter allocuti ſunt. Invictiſſime principum & Regum ſpecimen terrenorum, regiæ benevolentiæ tuæ favorem, quem nobis huc uſque ad votum arriſiſſe gaudemus, multarum proſequimur actionibus gratiarum. Porro numquam alicujus malignantis delatio ſerenitatem tuam nobis obduxit, nec mendacium aliquod lumen nobis gratiæ tuæ obfuſcavit: nec mirum, nam perſonas quas juſtitia & honeſtas videntur commendare, nullius objectione criminationis vileſcere, nullo apud excellentiam tuam patrocinio certum eſt indigere. His etenim duabus virtutibus facile favorem præſtans non rogatus, quarum altera te in decus admirationis, altera omnibus univerſorum undique Regibus regnorum in formam propoſuit imitationis, prudentia tua & probitate tota jam Anglia tranquilla pace lætatur, nulla bellorum ſuſpicione ſollicitatur, ærugine arma exterorum conſumuntur, ſilent litui, gladii hebeteſcunt, domeſticæ quoque fraudis incentores rareſcunt, alienæ poſſeſſionis expilatores conquieſcunt, matronalis ſeu virginalis hoſtes pudicitiæ deliteſcunt, omnis denique iniquitas conculcata tabeſcit, victrix juſtitia ad omnem libere conatum convaleſcit. Monaſteria nempe quæ quondam clericorum ſæcularium invaſerat ambitio, dehoneſtaverat converſatio, fœdaverat luxus; tuis jam liberata triumphis, tam ordinis regularis per civitates & caſtella, quam obſervationis monaſticæ proventu votivo gaudent & provectu. Sed quoniam in rebus humanis nil ſolidum, vel quietum, ubi aer communis nunc pluvialis eſt, nunc ſerenus eſt, poſt tranquillitatem, ſuſpecta præcavenda eſt tempeſtas, poſt coruſcationem ictus grandinis declinandus. Adhuc ſiquidem ſimultatis velo adumbrata ſpirat iniquitas, & in obitu tuo vires ſibi redivivas obdurata malignitas reſervavit. Ea propter majeſtati tuæ fiducialiter ſupplicamus, quatinus eccleſiam quæ in inſula Rameſiæ noſtrorum ſtudiis laborum & impendiis facultatum, cum regiæ tuæ munificentiæ adminiculo conſtructa, & Deo & ſanctæ Mariæ ſub Benedicti patrocinio dedicata eſt, in tuæ recipias cuſtodia protectionis, & ad nominis tui memoriale ſempiternum, omnes donationes beneficio fidelium eidem collatæ, privilegii tui auctoritate, & tuæ imaginis impreſſione titulum perpetuitatis & robur perpetuæ ſecuritatis aſſequantur. Solent enim privilegia Regum, teſtamentorum vice, a morte teſtatorum perſeNOTA. verantiæ ſtatum obtinere: & contrahere firmitatem. Hoc autem dixerunt viri providi & prudentes, quia (ſicut ſupra taxavimus) impreſſiones nondum antea paſſim in uſum venerant ſigillorum.

47. Reſpondens ergo voce hilari Rex ait. Congratulor, o fideles mei, devotionis veſtræ ſucceſſibus & proventui laborum: vos inter ſummos amicos majeſtati meæ, alter in divi-

divinis rebus, alter in humanis a ſecretis adſtitiſtis, quorum fidem plurima bonorum operum argumenta commendarunt. Per vos regni mei ſtatus ſolidatur, diſponuntur jura, tractantur negotia, & ad votum proſperantur univerſa. Sed, ſicut ſermo veſter peroravit, poſt bona mutabilia, malorum timendus eſt acceſſus. Nulli etenim mortalium ſemper ſucceſſit feliciter, nemo unquam de proſperitate votiva vel lætabitur continue, vel lætatus eſt. Quapropter, chariſſimi mei, dignum eſt veſtræ annuere petitioni, & providentia ſalutari ſuſpectæ præpedire calamitatis eventum. Converſuſque Rex ad Ducem Ailvvinum: Noſſe, ait, & audire deſidero, quod fama de te, amice chariſſime, celebrat, utrum verum ſit nec ne. Ferunt ſiquidem nonnulli beatum Benedictum, qui Ordinis monaſtici dicitur inſtitutor, per vicariam interpoſitæ perſonæ tibi injunxiſſe viſionem, ut hoc ei templum in loco quem memoras, conſtruere deberes, cujuſdam miraculi exhibitione viſionis affirmaſſe veritatem. Cum igitur Regi gratanter auſcultanti Comes cæleſtis oraculi ſeriem & rerum geſtarum ordinem retuliſſet; accito Rex notario juſſit omnia litteris in privilegio *a* ſuo ad futuræ generationis notitiam commendari; eccleſiam quoque Rameſenſem, omneſque donationes eidem collatas, eodem privilegio & valituro in ævum multarum venerabilium perſonarum, quarum nomina ibi taxantur, anathemate communiri.

AN. CHR. 992. 29. Feb.

48. His ita geſtis, poſt jocundæ proſperitatis inſignia, quibus tunc temporis Anglicana ſub tanto Principe claruit eccleſia, ne eam ſucceſſus votivi inſolentem dejicerent, vel vacatio longa exigeret in contemptum; cribrari eam tamquam triticum expetente ſatana, divinæ complacuit diſpenſationi, quatenus & intellectum vexatio auditui importaret, & humilitatem tribulatio cuſtodiret. In ſententia ergo vigilum ſecuritas radicem arboris præpropere miſſa eſt ſuccidendæ, dum illuſtris Rex EADGARUS, poſtquam orbis Anglici principatum ſexdecim tantum annis plus quatuor virtutum moderamine quam exercitio tyrannidis martiæ laudabiliter & pacifice tenuerat, valitudinis corporeæ tactus eſt aculeo: quo urgente naturæ debitum ſolvens, vivendi ſimul & regnandi finem fecit. Regales exuvias Glaſtonienſis eccleſiæ Pater & Fratres, cum ſancto multorum venerabilium virorum conventu præclaris (ut decuit) inferiis exceperunt: quatinus templum quod ipſe magnificentia regali conſtructum poſſeſſionibus ampliaverat, nobilitaverat honoribus, pignore corporis ſui excellentius nobilitaret. Lucerna ergo tanti luminis exſtincta, plurimæ priſtinæ malignitatis ſtatim tenebræ emerſerunt. Tunc etenim malignantium factio horam & poteſtatem tenebrarum aucupata veteris audaciæ cornu tabidum erexit: quanto diutius explendi ſui famem deſiderii protelatam doluit, tanto veſanius accepta in oves dominicas demum opportunitate lupina rabie debacchata. Tunc clerici quorumdam magnatorum filiorum Belial armati favoribus, Monaſteria expulſis Monachis denuo invadentes, redivivam temerariæ præſumptionis ſuæ violentiam per loca exercuerunt. Tunc Monachi potentioribus humiliter cedentes, recidivam calamitatis priſtinæ miſeriam incurrerunt: o quam callida aleatrix mors, quam incerti jactus teſſerarum! o quam varius rerum eventus! teſſera mortis quam infida! Tota ergo Anglia in obitu Regis perturbata, cum verteretur in luctum chorus Monachorum, organa in vocem flentium; viri Deo devoti dux AILVVINUS & ejus frater ALVVOLDUS zelo fidei armati, ſanctorum patrum inſtituta convelli doluerunt, manuque valida congregata principibus malitiæ audacter reſiſtentes, partes Occidentalium Anglorum viriliter defenſarunt, ſicque Deo volente Rameſenſis eccleſia integritatem tam morum, quam rerum ſuarum conſervavit indemnem: ubi vero nullo reſiſtente potentes potuerunt, defecerunt impotentes, quantum tunc laboris & doloris Monachi illis diebus pertulerunt, nec ipſa prolixitas permittit expedire.

Eccleſiæ Anglicanæ ſtatus poſt Eadgari mortem.

XIV. *Quomodo de eccleſia Vvinchecumbe expulſis Monachis, Abbas loci Germanus Floriacum expetit, & exinde denuo Rameſiam a ſancto Oſvvaldo revocatur.*

49. Inter alia quoque Monaſteria quæ tot malorum adverſitas tunc temporis profligavit, eccleſia de Vvinchelcumbe tanti turbinis ictum non evaſit: ubi cum Monachi plus poteſtate quam æquitate expellerentur, vir venerabilis GERMANUS, quem de Rameſia aſſumptum loco eidem Abbatis jure prælatum ſermo ſuperior affirmavit, tranſito mari Floriacum, ubi quondam monaſticæ inſtitutionis rudimenta ſuſceperat, expetiit: fratres vero qui cum eo de Rameſia Vvinchelcumbam ad confirmandas ibidem novarum plantationum teneritudines advenerant, alium refugii locum non habentes, nota prioris incolatus præſidia petierunt, ſociatique duo greges quadragenarii numerum unum compleverunt. Exacto deinceps triennio, miſſo Floriacum otius nuntio, B. Oſvvoldus prædictum Germanum inde Rameſiam advocavit, ubi uſque ad deceſſum Aldermanni inter fratres in ſancta converſatione ſemper proficiens demoratus eſt.

a Exſtat hoc Eadgari privilegium apud Spelmannum in tomo 1. Conciliorum Angliæ pag. 432. ſed non integrum, & abſque iſta de S. Benedicto narratione, quæ legitur in Monaſtico Anglicano pag. 235. ubi privilegium iſtud integrum habetur.

AN.CHR. 992 29. Feb.

XV. *Quomodo S. Dunſtanus & S. Oſvvaldus cum coepiſcopis ſuis Edvvardum, filium Edgari, Regem conſecraverunt.*

50. Interea duo Metropolitani Dorovernenſis & Eboracenſis cum Vvintonienſi & ceteris coepiſcopis, coacta cætu virorum timentium Dominum, ſuper ſedanda regni turbatione conſilium communicantes, duorum filiorum Eadgari Regis, majorem natu ÆDVVARDUM ſenſu vegetiorem & viribus, conſecratum de more & diademate regni inſignitum promoverunt in Regem: qui patrinorum ſtudiorum æmulator, bonis in blandimentum pacis, malis in terrorem timoris adoleſcens, illorum gratiam, horum in ſe odium excitavit. Unde factum eſt, ut cum quinquennio regnum ſtrenue gubernaſſet, perfidæ gentis proditione, vitali innocenter aura privatus, regnum cæleſte, pro terreſtri commutaret. Ex hujus meræ donatione duas hidas in Bronchtona fide hereditaria uſque hodie poſſidemus.

XVI. *Quomodo frater Ædnothus unam hidam terræ in Bronctona, & aliam hidam in Bottintonia eccleſiæ Rameſienſi adquiſivit.*

51. In tempore quoque ipſius, frater Ædnothus, quem Præpoſiti vice rerum exteriorum apud Rameſiam gerere diximus adminiſtrationem, unam hidam terræ in villa præfata ab ÆTHELVVOLDO Epiſcopo Vvintonienſi legitima cambitione pro eccleſia de Vvilburgeham, & pro quadraginta acris, quas ibidem Vvlfhunus monachus (cujus ſupra meminimus) nobis dederat, in jus Rameſiæ adquiſivit. Eadem nihilominus tempeſtate cum cujuſdam negotii difficultas inter prædictum Vvintonienſem Epiſcopum Elienſis eccleſiæ patronum, & Rameſienſis eccleſiæ advocatum Ailvvinum diutius protelaratur; memoratus frater Ædnothus, fratrum Elienſium precibus inductus, eidem ſancto Epiſcopo plurimum honoris impendit; & Aldermanno ad conſenſum emollito, jam dicti negotii deſideratum eum ſortiri fecit effectum: in cujus viciſſitudinem beneficii fratres Elienſes & eorum primus Abbas BRITHNOTHUS dederunt jam dicto fratri Ædnotho unam hidam in Bottintune ſub teſtimonio ÆTELSII avunculi ipſius Aldermanni, & ÆLFGITHE & liberorum ejus. Providus itaque vir Ædnothus & prudens, quatuor ceſpites cum gramine viridi de ipſa terra aſſumptas in ſcripta * Rameſiæ ſuper altare B. Gregorii, providentiam ejus multorum oculis cum favore proſequentibus, in hujus meræ donationis argumentum collocavit.

Brithnothus primus Abbas Elienſis. NOTA. * f. in crypta

XVII. *Æthelredus frater Ædvvardi regni jura ſuſcepit.*

52. Igitur Rege Edvvardo (ut fides tenet fidelium, & ipſa divinitas miraculorum declarat indicio) cætui martyrum per martyrium ſociato, junior frater ejus ÆTHELREDUS, vir vegetus corpore, & animo prudens, ad regiæ dignitatis faſtigium in funiculo hereditariæ ſucceſſionis ſublevatus eſt: qui EMMAM Normannenſium ſpecimen feminarum, ſenioris Richardi Normannorum Ducis filiam, in conjugem accipiens, duos ex ea filios ÆLFREDUM & ÆDVVARDUM poſtea Regem procreavit. Rex igitur Æthelredus patris ſui Ædgari fidem imitatus & devotionem, inter alia liberalitatis regiæ diverſis eccleſiis pro incolumitatis ſuæ ſtatu & regni collata beneficia, dedit Deo & ſancto Benedicto Rameſiæ novem hidas in ſæpedicta villa de Bronctona, litteriſque ſuis eamdem donationem ad futuræ poſteritatis notitiam commendavit.

53. In diebus illis fratres Rameſiæ diſpendio pecuniarum poſſeſſiones ſuas ſemper dilatare ſolliciti, & ſucceſſorum ſuorum provide utique venantes utilitatem, terram quamdam apud Sueileſvelle veno propoſitam a quodam viro Leomanno ſub oculis & teſtimonio copioſæ multitudinis qui affuerunt, viginti librarum pretio comparaverunt.

XVIII. *Quomodo quidam presbyter Oſvvardus decem ſibi hidas apud Slepe uſurpavit, & quomodo ſuper eiſdem a fratribus Rameſiæ implacitatus, cum eis tandem concordatus eſt.*

54. Sub eodem quoque tempore fuit quidam presbyter Oſvvardus, propinquus Alſvvennæ uxoris Athelſtani Manneſſone, de cujus donatione villam de Slepe nobis acceſſiſſe ſupra meminimus, qui auſu propinquitatis decem hidas in præfata villa uſurpatas poſſedit: ſuper quibus fratres Rameſiæ contra eum calumniam machinantes, & multis eum placitorum gravaminibus infeſtantes, tandem mediantibus amicis taliter cum eo tranſegerunt. Habuerunt tunc temporis fratres prædicti ex juſto antiquitatis vetuſtæ beneficio octodecim hidas apud Bernevvelle, quas rerum ſtatu poſtea variante tempore variato, & aliorum diverſis ex cauſis ad alios jure devoluto, dubiæ fidei titulo poſſederunt: nam in vita Regis Eadvvardi, proteſtata ſuper eis lite & cauſa ſæpius ventilata, cum demum apud Northamptoniam totius curiæ concors ſententia eas Regis dominio adjudicaſſet, de benignitate tamen Regis uſque ad hæc tempora fratres ſic penduli permanſerant in poſſeſſione. LEFVVINUS igitur filius Comitis Ælvvini, eiſdem diebus calumniavit adverſus quemdam filium ipſius Oſvvardi decem hidas in Vviclea, & octo in Acleja, quas juri ſuo competere arbitrabatur. Cumque filius Presbyteri expenſarum in placitando diutius diſpendia pateretur, & ſpes certa obti-

nendi

AN. CHR. 992. 19. Feb.

nendi nulla ei ad votum arrideret; presbyter damnoſis filii laboribus compatiens, ſimul & memoratas decem hidas de Slepe contra calumniam Monachorum retinere ſe poſſe deſperans, rogavit Leſvvinum, ut ſupradictas octodecim hidas de Bernevvelle pro decem hidis de Slepe in poſſeſſione ſibi a fratribus Rameſiæ commutaret, & filio ſuo memoratam terram, ſuper qua vexabatur, liberam dimitteret & quietam. Cui placito Leſvvino convenien‑te, fratres Rameſiæ ſuſpecti damni prævenientes acceſſum, ne quando eaſdem hidas de præcedenti judicio Rex ſibi ſaiſire præciperet, eo libentius eas memorato Leſvvino precibus presbyteri in permutationem liberam decem hidarum de Slepe conceſſerunt, quo eum Regi amicum, & Regem in ejus gratiam proniorem cognoverunt. Frater quoque Ædnothus ſuſpectis provide ubique periculis obvians, dedit inſuper præfato Leſvvino duas hidas, quas habuerat apud Hirvinge, cum dominio & conſueto hominum ſervitio in hujus cambitionis monumentum: quatinus fratribus Rameſiæ nulla deinceps ſuper hoc reclamatio oriretur. Cumque hoc factum Regis auribus relatione aliquorum innotuiſſet, Rex ei inquiſita diligentius & agnita veritate, prudentiam Monachorum, quod ſic alieni juris mercimonio proprium coemiſſent, collaudans, ſæpedictas decem hydas de Slepe ab omnium tam præſentium quam futurorum calumnia liberas, pro ſua ſuorumque ſalute Deo & ſancto Benedicto conceſſit & confirmavit. Memorato vero Leſvvino, qui charus ei erat & familiaris, terram quam receperat de Bernevvelle tenere permiſit, pro qua ejuſdem quantitatis terra de Vvicleja & de Acleja, quam de jure ipſius Leſvvini fuiſſe prædiximus, filio presbyteri ablatam in dominium ſuum permutavit: ſicque volente Domino, & Regis gratia ultro favente, Monachi quod ſuum erat obtinuerunt: presbyter vero & filius ejus juſte quod injuſte poſſederant amiſerunt.

XIX. *De terra quam frater Ædnothus emit apud Stapelfordiam.*

55. Erat eodem tempore vir quidam Alfſtanus, habens duas hidas apud Stapelfordiam, quas neceſſitate aliqua compulſus venalitati expoſuit. Has frater Æthnothus, utilitatibus eccleſiæ ſemper invigilans, numeratis eidem centum ſolidis argenti optimi reliquis quæſtibus ſuis in poſſeſſionem eccleſiæ adjunxit.

XX. *Quomodo fratres Rameſiæ eamdem terram pro terra quadam de Suaſham Alvvoldo fratri Aldermanni in excambium dederunt, & quomodo inde deinceps vexati ſunt.*

56. Nobilis autem vir Alfvvoldus, frater Aldermanni, cujus ſæpius ſupra mentionem fecimus, habuit terram quamdam in Suasſham, quam non modico probati æris pretio ab Æthelvvoldo cognato Vvlſtani de Delham in jus ſuum ſub multorum teſtimonio permutaverat. Hanc, quia eccleſiæ Rameſenſi commodior eſſe videbatur, rogatus a fratribus in mutuam eis pro prædictis duabus hidis de Stapelfordia tradidit cambitioni. Sed quia ſemper vel clam, vel palam exercendæ ſuæ locum malitiæ iniquitas aucupatur; poſt lapſum dierum memorato Alfvvoldo fatorum ſorte ſublato, quidam Alfnothus filius Godingi eamdem terram contra eccleſiam improbe calumniatus, fratrem Ædnothum, utpote loci ejuſdem præpoſitum & proviſorem, cum aliquot fratribus ſuper ea reſponſurum apud Vvendlesbiri coram judicibus apparere coegit, cui foro Ailvvinus Aldermannus, & Ædricus Regis præpoſitus judices præſidebant. Lite igitur inchoata, & rationibus hinc inde auditis, ex conſilio magnatorum qui affuerunt, triginta ſex Barones de amicis utriuſque partis pari numero electos ipſi judices conſtituerunt, qui cauſam judiciali inter eos ſententia dirimerent: quibus ad decernendum exeuntibus & rem diutius examinantibus, interim idem Alfnothus coram judicibus fratrem Ædnothum interrogavit, & Alvvinum monachum qui cum eo venerat, quanam ratione & cujus donatoris nomine eamdem terram poſſediſſent. Cui frater Ædnothus conſtanti voce reſpondens, illuſtris viri qui eam quiete & abſque omni calumnia tenuerat, & libere donare poterat, juſto meræ donationis titulo ſe eam poſſediſſe affirmavit: quem cum calumniator interrogaret, ſi aſſertionis ſuæ veritatem corporalis præſtatione ſacramenti cum præfato monacho ſocio ſuo probare auderet, ut omnis deinceps omnino controverſia terminaretur; frater Ædnothus de puritate conſcientiæ ſecurus conſenſit. Omnibus itaque ſententiam approbantibus, ſolus Aldermannus, vir probatæ prudentiæ & diſcretionis, viros profeſſionis monaſticæ coram poteſtate ſæculari juramentum præſtare debere abjudicans, prorupit in medium: ſe Rameſenſis eccleſiæ Advocatum, ſe poſſeſſionum ejus tutorem, ſe NOTA. fraternæ donationis & fidei teſtem, ad ſe hujus juratoriæ cautionis exhibitionem pertinere allegans. Videntes igitur omnes conſtantiam viri & fidelitatem cognoſcentes, propter reverentiam tam ſublimis perſonæ & propter clareſcentia veritatis indicia, præſtandæ jurationis neceſſitatem exemerunt præfati Alfnothi pro falſa calumnia, & religioſorum virorum vexatione injuſta, univerſa tenura, & omnibus catallis Regis miſericordiæ adjudicatis. Sed Ædrico Regis præpoſito, & ceteris qui aderant magnatis operam dantibus, idem Ælfnothus ſucceſſuum ſuorum diſpendium prævidens, ſi tanti viri indignationem erga ſe conſeneſcere permiſiſſet; eadem terra publice abjurata, & fide coram omnibus interpoſita, quod numquam ulterius aliquid calumniæ ſuper ea præſumeret machinari; taliter ejus gratiam ſibi ſe conciliaſſe gaviſus eſt. Verumtamen infidi procedentis variatio temporis nos de proventu

voti-

AN.CHR votivo nequaquam diutius permiſit exſultare: poſtea ſiquidem ſuſtentationis noſtræ *baculo*
992. in exceſſu beati Oſvvoldi confracto, & profectionis noſtræ cornu in obitu Aldermanni *con-*
29. Feb. *trito*, idem Alfnothus opportunitatem nactus, nefario redivivæ temeritatis auſu contra juramentum & fidem ſuam vertens, eamdem terram violenter nobis ablatam in ſuam convertit poſſeſſionem, ſemper deinceps veteris iracundiæ adverſus utilitatem eccleſiæ juxta poſte ſtimulos urgens.

XXI. *Quomodo villa de Lausbella, & terra de Haltſtede & Riſebi in poſſeſſionem Rameſiæ devenerunt.*

57. Ailfvvinus quidam filius Brixii, cui terrenæ poſſeſſionis & pecuniarum affluentia plurima arridebat, ſpiritu (ut creditur) tactus divino, ipſas pecunias cum ſæculo nauſians, apud Rameſiam comam depoſuit, & in converſionis ſuæ pignus dedit Deo & S. Benedicto villam de Laushella cum omnibus pertinentiis ſuis, & terram de Haltſtede, & terram de Riſebi, nominis ſui memoriam meræ donationis titulo poſteris commendans æternam. Ad precem vero & voluntatem S. Oſvvoldi Archipræſulis conceſſit memoratus Alſvvinus monachus & totus fratrum conventus viro cuidam, Vvlfrico nomine, terram de Riſebi pro certa annui cenſus præſentatione nomine eccleſiæ in vita ſua tenendam. Ita autem inter eos mediante ſancto viro convenit, ut ſi aliquando idem Vvlfricus aliquam fraudem faciens, a pacto forte reſiliret, ſtatim fratres abſque omnium placitorum litigio & arbitrio judicum, jus ſuum nullo obſiſtente reſaiſirent: quamdiu autem fidem fratribus de ſtatuto cenſu annuatim ſolvendo integram ſervaret, eamdem terram quiete poſſideret: eo quoque decedente ſopita omnium heredum ſuorum calumnia in diſpoſitionem fratrum libera & quieta rediret. Hoc totum idem Vvlfricus ſub oculis multorum qui aderant, in manu viri Dei, qui pro eo interceſſor acceſſerat, affidavit, & fideliter quoad vixit obſervavit.

58. Vir quidam moribus & genere nobilis in territorio Vvigorniæ oriundus, nomine Berricus, vitæ hujus brevitatem & noviſſimi examinis diſtrictum judicium animo revolvens, pro ſalute animæ tam ſuæ, quam Ethelrici filii ſui, dedit Deo & S. Benedicto Rameſiæ optimam partem poſſeſſionum, quas a divina largitate fuerat aſſecutus, terram ſcilicet de Stura cum dominio & firma totam integram liberam & quietam, ſicut fuit die qua ſimul ſpiravit & exſpiravit. Hæc autem donatio facta eſt ſub teſtimonio S. Oſvvoldi & totius curiæ tam Rameſinſis, quam Vvigornienſis, & Ailvvini Aldermanni, & Ailvvardi Comitis filii ejus, & Ailrici Chile.

XXII. *Hoc eſt chirographum quod de anglico convertimus in latinum, quo S. Oſvvoldus ſucceſſivæ poſteritati declarare curavit, quomodo ad petitionem ſuam fratres Rameſiæ conceſſerunt ei prædictam terram de Stura in vita unius hominis, cui eam aſſignare voluiſſet, in vita ſua tenendam.*

„ 59. Ego Oſvvoldus Dei gratia Eboracenſis Archiepiſcopus, præſenti ſcripto notum facio, tam tibi chariſſime amice dux Ailvvine, quam toti curiæ Vvigornienſi, & omnibus amicis meis, quod dilecti filii & fratres mei de Rameſia conceſſerunt mihi terram de Stura ſub gratuita conditione, qua pacifice inter nos potuit convenire, hoc eſt ſpatio vitæ hujus hominis, cui eam tenendam dimittere voluiſſem, cum inſtauramento & rebus ad eam pertinentibus. Quapropter, chariſſime Dux, ſub tuo & omnium veſtrorum teſtimonio concedo eamdem terram Osulfo cognato meo in vita ſua tenendam, ita plane ut poſt ejus obitum cum inſtauramento quod in ea invenerit, & omni melioratione, qua eam in vita ſua meliorare potuerit, ad honorem Dei & ſanctæ Mariæ & omnium Sanctorum pro meæ & ſuæ & ejus qui eam primo eidem eccleſiæ Rameſienſi in teſtamento reliquit, animarum ſalute, in diſpoſitionem fratrum & poſſeſſionem libera redeat & quieta. Quicumque igitur hoc imminuere tentaverit aut immutare, a conſortio civium ſegregetur ſupernorum, & cum Angelis ſatanæ ſit commoratio ejus in inferno, niſi in vita ſua condigna ſatisfactione præſumptionem temeritatis ſuæ ſtuduerit emendare, amen.

XXIII. *Donatio Godvvini.*

60. Erat ſub eadem tempeſtate quidam vir Godvvinus nomine, fide & opibus dives, qui ut labilium mercimonio rerum nomini ſuo memoriam & animæ ſuæ æternam mercaretur ſalutem, dedit Deo & ſanctæ Mariæ & ſancto Benedicto Rameſiæ totam terram de Hecham, quæ ſui juris erat, præter trium tantum hominum tenuram Æthelvvoldi ſcilicet Dapiferi ſui, Lefrici Aurifabri, & Vvlfgari. His etenim annuentibus fratribus tenementa ſua libere poſſidere conceſſit, tali propoſita conventione, ut quilibet eorum moriturus terram ſuam ab omnium poſterorum calumnia liberam eccleſiæ Rameſienſi conſignaret ad victuale ſubſidium ibidem Deo famulantium Monachorum. Terram præterea de Horingeherthe, quam pater uxoris ſuæ in extremis agens ei in teſtamento reliquerat, poſt obitum ejuſdem conjugis ſuæ, ipſa coram multis teſtibus favente pro ſua utriuſque ſalute in poſſeſſionem ſæpe nominatæ eccleſiæ cedere conceſſit.

XXIV. *Quo-*

Digitized by Google

XXIV. *Quomodo Alſvvara dedit Rameſiæ Halivvelle & terram quamdam apud Eleſvvorthe cum eccleſia ejuſdem villæ, & Kinnoram, & terram de Boerleja cum aliis donariis multis.*

61. Quædam nihilominus matrona ALFVVARA, genere nobilis, ſed fidei devotione nobilior, noviſſima ſua crebro memorans & vitæ humanæ conditionem, in pretium ſalutis ſuæ dedit Deo & S. Benedicto Rameſiæ terram de Halivvelle & eccleſiam de Eleſvvorthe cujus erat Advocata, cum quadam ejuſdem manerii portione; dedit etiam eidem eccleſiæ prædium quod dicebatur innora & cum Ædnotho quodam cognato ſuo, qui vitam ibidem mutavit, totam terram de Beorleja præter unam hidam quam cuidam ſervienti ſuo Alfſio in vita ſua conceſſit poſſidendam, poſt fata ipſius in diſpoſitionem fratrum, cum terra reliqua conceſſuram. Dedit inſuper eadem mulier caſulam unam & albam, & cetera omnia ſacerdotalia ornamenta, & quinque marcas auri probatiſſimi ad hæc omnia deauranda, & unam crucem optimam, & pulvinar unum de palleo; duas quoque pelves argenteas, duas cortinas, & unum baucale, & ſellam ſuam cum omni equeſtri apparatu, fidei ſuæ fervorem poſteris ſuis proponens imitandum.

XXV. *Donatio Gode Presbyteri.*

62. Gode præterea quidam presbyter de Hallivella totam terram quam tenuit ſimul cum eccleſia ſua poſt dies ſuos Rameſenſi cœnobio aſſignavit.

XXVI. *Quomodo & qua de cauſa ipſa Rameſenſis eccleſia ſolo tenus ſubverſa eſt, & denuo in melius reædificata.*

63. Interea cum fratres Rameſiæ in novitatis ſuæ teneritudine tam votivis florerent ſucceſſibus, & in utilitatem eorum communem prona favoris publici vota convenirent; ne religionis aut profectuum ſuorum detrimentum continuæ proſperitatis paterentur acceſſu, placuit divinitati ſupernæ otium eorum interrumpi & quietem, quatenus in merito felicitatis temporaneæ fiduciam certam addiſcerent non habendam. Una igitur dierum cum mane ſurrexiſſent; ecce aſpicientibus apparuit in pariete turris eminentioris fiſſura dehiſcens a ſummo uſque deorſum, quæ toti reliquæ adhærenti ei totius eccleſiæ moli ruinæ magnæ caſum minitari videbatur: cujus detrimentum perditionis, vel ex debilitate operis accelerati, vel ex infirmioris fraude fundamenti per improvidentiam cæmentariorum certum eſt accidiſſe. Nimio ergo fratres timore perterriti, quid faciendum ſit deliberant, grave capitibus ſuis cernentes periculum imminere. Id ergo conſilii omnibus complacuit, ut domnus Germanus, cujus ſuperius mentio habita eſt, & probatæ prudentiæ frater Ædnothus ad inclitum Ducem Ailvvinum, patrem & patronum ſuum, dirigerentur, ei ingens hoc infortunium & fratrum deſolationem indicaturi, & conſilii ſimul remedium petituri.

64. Euntes itaque communis perturbationis modum & cauſam fidenter & fideliter Comiti indicaverunt: quo audito Chriſti miles fortiſſimus demiſſo vultu paullulum conticuit, ponens videlicet ori ſuo cuſtodiam, ne alto dolore ſtimulatus verbum præceps & impatientiæ index proferre cogeretur. Conferebat tacite cum conſcientia ſua, quomodo beatum Job ſatan ex permiſſione divina, tam liberorum, quam rerum ſuarum diſpendio ad impatientiam impellere conatus eſt; & deinde tantæ mæſtitudinis nuntiis ſic ait. Obmutui ad hæc nuntia, chariſſimi filii, & humiliatus ſum, quia labor meus renovatus eſt. Sicut Domino placuit, ita factum eſt, ſit nomen Domini benedictum. Senectutis plurimæ jam gravatus acceſſu, confracta laboribus membra opportuna requie ſtatueram ſublevare. Sed ecce in perniciem meam veluti conjurata hæc duo conveniunt, veterum ſcilicet laborum diſpendium & acceſſus novorum. Accedit tum ad ſolatium quod adhuc (Deo gratias) vegetus ſum corpore, & effœtis in viſceribus viget ſenſus vegetior. Porro caſus hujuſmodi malum deſperationis nonnumquam importarunt, ſi detrimenta præſentium viris bonis ad proventum non proficerent æternorum. Sed adquirendæ mercedis ſupernæ ſecuritatem divina mihi dignatio præſtare videtur, quia tam adverſi caſus injurias patientiæ compenſat certitudo. Lætus itaque & alacer vir fide plenus quod ex altitudine diſpoſitionis divinæ ad incrementum meritorum vexationis ſibi renovandæ occaſio arriſiſſet, morarum impatiens, juſſit manum præparari, ſimul cum his qui ad ſe venerant, viris venerabilibus ad inſulam properans, laboris & operæ præteritæ jacturam viſurus, & mæſtificata ſuper tam miſerabili eventu fratrum corda ſolaturus. Venienti patri totus fratrum cœtus obviam ruit, divinis concentibus aera gratificantes, & præcedentis mæſtitiæ lacrymas ſuccedentis lætitiæ ſolatio evacuantes. Intrat eccleſiam Dux venerabilis comitante pſallentium caterva, & oratione præmiſſa denuo exiens, turrim ipſam terribili jam ruinæ expoſitam intuitus eſt, intuentis animum pars inclinata terrore concuſſit. Quæritur cæmentariorum ſententia: aſſerunt omnes fraudem fundamenti mollioris cauſam fore læſionis; non poſſe disjunctum ſolidari abſque totius temeratæ molis dejectione.

65. De communi tamen aſſenſu ſanctiſſimo patri Oſvvoldo, qui eo tempore confectus ſenio

AN.CHR ſenio protractos diutius piorum labores operum apud Eboracum placida quiete ſolabatur, 992 decrevit vir illuſtris, tranſmiſſis ocius nunciis negotium intimandum, ejuſque ſuper hoc conſilium expetendum. 19. Feb. Quo facto vir Domini Oſvvoldus chariſſimi amici in tanto diſcrimine condolens angoribus, & anguſtiis fratrum medullitus compatiens, altum tamen cordis dolorem, ut deſperationis ab eis arceret periculum, hilaritatis exhibitione diſſimulavit: demandat ergo protinus Duci inclito & toti fratrum congregationi, ut ſpe meliore conſortati, nulla prorſus ſuper hoc caſu triſtitia abſorberentur: vaſa figuli fornacem probare, homines autem juſtos tentationem tribulationis, robur mentis humanæ nonnumquam continuatione proſperitatis enervari. Viciſſitudinariæ vero turbationis acceſſu virtutem memorans ſolidari, timiditatem omnem proinde propulſandam, vires non ſegniter exercendas in benedictione ſua & confidentia meritorum, quaſſum opus ſolo tenus diruendum, fundamentum altius perſcrutandum, & crebris arietum contuſionibus in ſolidiorem ſtatum confirmandum, & totam denique ſtructuram ad Dei gloriam in melius renovandam. Audito hoc nuntio Aldermannus, & tranſmiſſa viri ſancti ſalutationis honorificentia cum benedictione reverenter ſuſcepta, vocatis ad ſe fratribus ait: En, ut cernitis, longævæ ſenectutis incommodo defatigor, & tot tolerantiam laborum priſtinorum virium defectus non admittit. Dubiis me jactibus fatalis alea deludit, & inconſtans teſſeræ caſus ſpem mihi vitæ diuturnioris abrumpit. Vobis igitur quibus ineſt vis virtutis præſtantior, & penetrativæ lux prudentiæ acutior, vobis inquam incumbit inſtantium ſubire pondus laborum, operarios conducere, antequam vicina mors maturum jam mihi titubantis demetat florem ætatis. Celeritatem negotii commoditatis propriæ ſtimulis maturate: ego vero de opibus, quas hactenus ad crumenas corrogavi, ſufficientiam vobis omnem ad expenſas munificus miniſtrabo. Accepta igitur licentia, fratres, conductis operariis, turrem ipſam a tecto aggrediuntur, & contumacia quadam vires laborantium reparante, lapidem in ea ſuper lapidem ad ſolum uſque non relinquunt. Tantæ perditionis cauſam perquirentes, egeſta altius humo fundamenti fraudem deprehendunt: deinde lapidum congerie, arietum tunſionibus cum cæmento tenaciori durius conſerta, abyſſum ipſam denuo conſtruunt, & ſuper ædificantes quotidiani laboris votivo gaudent proventu.

XXVII. *De Ædnotho juniore, qui ſeneſcente altero Ædnotho cura exterioris pro eo accepit adminiſtrationem.*

66. Erat tunc temporis quidam Chriſti tirunculus ad differentiam ſenioris Ædnothus junior adnominatus, qui tradente ſancto Oſvvoldo in cœnobio Rameſenſi ſuſceperat monachatum, & eodem ordinante ſubdiaconatus jam & Diaconatus conſcenderat gradum. Is ab ipſo rudimentorum tirocinio gremio matris Rameſiæ exceptus, lactatus uberibus, monaſticæ ſcientia diſciplinæ decenter imbutus, majorum ultra ætatem æmulans virtutes, fauſto pede calcem triverat ſanctitatis, ingenuitatem natalium, venuſtatem formæ, peritiam litterarum, morum elegantia perornabat. Ferveſcentis ſiquidem devotionis a puero ſtimulis incitatus, plus jam puero adultus in ampliora ſemper conabatur. De hoc juvene plurima in ſequentibus ex materiæ copia relaturi, ipſius hic memoriam nequaquam cenſuimus omittendam, quia ex acceſſu profectuum, quos ei proceſſus temporis miniſtravit, evidens claruit indicium, altitudinem divinæ diſpoſitionis a juvene ſuper eum latuiſſe. Ædnotho igitur ſeniore multis ab adoleſcentiæ annis laboribus fatigato, de communi conſilio *Ædnothus* junior, eximiæ virtutis adoleſcens & prudentiæ caſtigatæ, in ſollicitudinis *ſolatium ei ſociatur:* qui præpoſituræ ſuper operarios adminiſtratione ſuſcepta, coævos juvenes *cotidie* poſt primæ horæ pſallicium ad laborem invitabat: & ſic floridæ pubertatis vires *diurnæ* vexationis exercitio extenuantes, neceſſaria nocturnæ quietis viciſſitudine eaſdem reparabant, ore pſalmodiam ruminantes, cæmentariis muros pulchro ſchemate conſtruentibus lapides cum cæmento pendulis brachiis miniſtrabant exercitatione. Itaque alternæ ſollicitudinis impulſu continuata ſtructura, ipſa poſt caſum firmitate melior & aſpectu glorioſior ſurrexit; paullatimque ſuccreſcens intra tempus non diuturnum ad conſummationem clave concluſionis evecta eſt. Comes ſuper celeritate proſperati operis admodum gaviſus & lætatus, aculeo nobilis animi perurgens devotionem, tabulam ligneam in fronte eminentioris altaris fabrefieri præcepit, quam ad honorem Dei & ſancti Benedicti, & ad decus eccleſiæ, amplis & ſolidis argenti laminis cum varii tam coloris, quam omnis generis gemmis inſigniter perornavit. Triginta præterea libras ad fabricandos cupreos organorum calamos erogavit, qui in alveo ſuo ſuper unam cochlearum denſo ordine foraminibus inſidentes, & diebus feſtis follium ſpiramento fortiore pulſati, prædulcem melodiam & clangorem longius reſonantem ediderunt. Omnibus itaque votivo ordine compoſitis, quia dedicatio prior cum veteri ædificio in ventos abierat, viſum eſt univerſis novum opus nova dedicatione debere conſecrari.

XXVIII. *Comes ad dedicandam denuo eccleſiam ſanctum Oſvvaldum invitat.*

„ 67. De aſſenſu igitur fratrum communi venerabilis Aldermannus ſancto Archipræſuli „ Oſvvaldo legationem mittit in hæc verba. Honorificentiam ſalutationis ſanctitudini tuæ

„ Pa-

„ Pater exhibere dum timor prohibet & indicit affectio; hæc tandem fortior prævalens illum AN CHR
„ evacuat, & loquendi ſuggerit auſum. Excellentiæ ergo tuæ præſentium conſtat indicio, 992
„ baſilicæ Rameſienſis ædificium, quod ante non multum temporis temeratum, & nunc audi- 29. Feb.
„ ſti expoſitum, juvantibus ſuorum ſuppetiis meritorum, in ſtatum longe meliorem votivo
„ jam conſummationis fine reſtauratum. Ea propter piæ paternitati tuæ cenſui ſupplican-
„ dum, quatinus dum alealis tabulæ teſſera nutat, dum vicinum jam mortis terminum vivi
„ adhuc & mundi opperimur, tremula ex acceſſu ſenilis incommodi membra ad dedican-
„ dam denuo eccleſiam vexare non pigriteris: ut omnibus ad votum conſummatis, optato
„ alternæ ſedulitatis fine tædioſæ jam ipſius vitæ terminum gaudentes invitemus. Non mul-
„ tis igitur oneratus precibus facies cum hilaritate quod rogatur, quia incitamenta vota
„ ſpontanea non requirunt.

„ 68. Suſceptis & auditis his, vir Domini Oſvvaldus, amiciſſimo ſibi viro talia reſcribit
„ nil moratus. Lætatus ſum in his quæ mihi ex nomine tuo dicta ſunt, Dux illuſtriſſime, &
„ exſultationes Dei in gutture meo ſonuerunt. Jam quoniam replevit in bonis Dominus de-
„ ſiderium meum, renovata eſt ut aquilæ juventus mea. Veniam igitur, nec difficultatem
„ itineris, nec aeris intemperiem, nec ipſius injurias longævitatis ullatenus expaveſcens
„ Angelus Domini bonus omnia ante faciem meam aſpera complanabit, & quas ætas de-
„ negat, ipſa mihi devotio ſancta vires miniſtrabit. Præparentur interim univerſa tantæ
„ celebritatis officio neceſſaria, donec ipſe & vires nutriam, & corrogandas colligam fa-
„ cultates.

69. Acceptum miles Chriſti hujuſmodi lucri ſancti mandatum lætus ipſe & hilaris mox fratribus communicans, omnes pariter inedicibili gaudio recreavit: nam ante pendula variabilis hujus vitæ diſcrimina patrem ſuum prædilectum videndi ſimul & alloquendi longa diutius & dilatione creſcentia protraxerant deſideria. Ut igitur paucis plurima expediantur, omnibus enixiſſime præparatis, vir Domini Oſvvaldus longioris viæ fatigationem dietarum brevitate conſolatus, juxta condictum advenit. Adventus ejus fama præcurrens ocior omnes hilares reddit & lætos: omnes ſollemnibus ornamentis redimitos venienti obviam impellit. Titubantes ex acceſſu ſenectutis greſſus baculo ſuſtentans Dux ipſe cum ceteris gaudenter accurrit: porrectis fratres in altum votis & vocibus, his aera pulſant, illis cælos onerant: his aures humanas demulcent, illis divinas ſollicitant. Præterita igitur oratione pater & filii in mutuos amplexus conveniunt, oſculorum viciſſitudinem grata dulcedine libant, labores præteritos & infortunia multimodæ felicitatis interpoſitæ recordationibus conſolantur. Omnibus itaque divini verbi pabulo ſatiatis, converſus S. Oſvvoldus ad Ducem Allvvinum ait: Licet debilitatis pariter & ægritudinis plurimæ incommodo graver, amice venerabilis, ad evocationem tamen tuam propter cauſam quam honeſtas commendat, proficiſci & venire non refugi. Noviſſima quippe mea inſtare non ignoro: tu quoque tua eiſdem ſtimulis noveris perurgeri; hanc quoque piorum operum noſtrorum bonam fore cenſui conſummationem, ſi filios noſtros, in hoc ſacrum ovile congregatos, ab omni poſt nos malignorum inquietudine ſecuros, & ovile ipſum a timore incurſionis lupinæ alienum relinquamus & immune. Alioquin pulvere ventos paviſſe videbimur, in loco uberioris paſcuæ ſine ſecuritate ovibus collocatis: quin immo hoc erit non eis ſalubriter providiſſe, ſed eas potius periculo expoſuiſſe. Quapropter id conſilii abſque præjudicio ſanioris reor admittendum, ut ad dedicationem iſtam ſollemnem omnes benefactores eccleſiæ qui adhuc vitalem hauriunt auram & adeſſe poſſunt, convocentur. Aliæ quoque honorabiles, tam eccleſiaſticæ perſonæ, quam ſæculares, coram quibus ipſi de fide & pace eccleſiæ conſervanda & de donationum ſuarum firmitate omnimodam præſtent ſecuritatem, ad cautelæ abundantiam invitentur. Duce igitur & omnibus ea quæ ſanctus ſermone peroraverat caſtigato approbantibus, diſcurrunt nuntii, & omnes die ſtatuto, tamquam a Deo vocati, nullam omnino excuſationis cauſam prætendentes advenerunt, præter Orientalium Anglorum primos magnos viros; & potentes Cantebrugeſchira de Hertfordeſchira, de Bedeſordaſchira, de Hunteduneſchira, de Hamtoneſchira & de Ketſteneva. Viri quoque ſanctitudinis plurimæ & auctoritatis AILVVINUS Epiſcopus Dorcaſtrenſis, BRITHNOTHUS Elienſis, ALFRIGUS ſancti Albani, ALDULFUS Burgenſis & GODEMMANUS Thornenſis Abbates, omnes pari devotione affuerunt.

70. Diſpoſita igitur omni in unum circumſedente corona, Dux e medio ſurgens ASCHIRIO diœceſano Epiſcopo, Abbatibus & Baronibus totiuſque multitudinis univerſitati ait: Gratias ſanctitudini & nobilitati veſtræ, partes & commilitones mei, quod ad laboris noſtri ſolatium unanimes in Domino conveniſtis. Ut novit univerſitas veſtra baſilicam hanc dominus Archipræſul Oſvvoldus & ego operoſa ſollicitudine & pecuniæ multæ impendio jam denuo conſtruximus, denuo eam dedicare ſtatuentes: a cujus prima fundatione multa eidem, tam ab illuſtriſſimo Rege Ædgaro, quam a nobis, vel aliis pleriſque fidelibus, quorum quidam adhuc viventes noſtro nunc præſentes interſunt collegio, quidam vero in Domino dormierunt; in pagis & vicis, in boſco & plano, in molendinis & piſcariis, in eccleſiis & divinorum obſequiorum ornamentis collata ſunt donaria, quæ fere univerſa authentico ejuſdem Regis privilegio confirmata, & expaveſcendo ſæculis multarum ac venerabilium perſonarum anathemate communita habentur. Ut ergo eidem eccleſiæ vos in vita veſtra firma pacis compage teneamini, poſteritas quoque noſtra nullam omnino per tem-

pora

AN.CHR 992 29. Feb. pora ſucceſſiva adverſus eam malignandi venari poſſit occaſionem; condecens eſt & opportunum memoratum prædicti Regis privilegium, priuſquam celebrandæ dedicationis inchoetur officium, in auribus veſtris recitari, donationes etiam poſt fata ipſius collatas notitiæ veſtræ pariter declarari. Quo facto ſi aliquis veſtrum in aliquo eorum, quæ memorabuntur, aliquid calumniæ ſe putaverit habere, ſine omni contentione benignos auditores habiturus jus ſuum coram omnibus poterit allegare: nos vero auditis diligenter ejus rationibus, & jure cognito, rem calumniatam & judiciali præſentium ſententia evictam, vel prece ab eo, vel competenti pretio obtinere conabimur; aut ſi neutrum horum valuerit, calumniatori ſuum abſque altercatione & litigio ultro dimittemus.

71. Omnibus itaque ea quæ Comes peroraverat approbantibus, jam dictum privilegium, univerſis gratanter audientibus, diſtincte & appoſite recitatur: donationes omnimode demonſtrantur, donatorum devotio ab omnibus collaudatur, nullo univerſaliter de cauſa univerſo nobilium virorum collegio horum quicquam calumniante. Diutius igitur conticeſcentibus univerſis, & ad confirmandas potius quam ad exſtirpandas virorum eleemoſynas aſſentationis publicæ votis convenientibus, maximo Aldermannus fluctuans gaudio omnibus ait. Univerſitatem veſtram fidelem coram Deo & Sanctis ejus teſtem invocamus, quod publice hodie præbuerimus copiam audientiæ, ſi qua laica vel ordinata perſona, aut eorum quiſpiam, qui patria lingua Troelſhende vel Troihende nominatur, aliquam adverſus eccleſiam hanc voluiſſet calumniam machinari: & cum omnes tacuerint, veſtro, o viri boni & ſapientes, decernendum committitur arbitrio, utrum poſt hanc taciturnitatem ulterius præſentium quiſquam debeat calumniator admitti. Igitur potentes viri & auctoritatis plurimæ qui affuerunt, poſt datam cuique loquendi copiam, omnem univerſis ipſo ſuo ſilentio deinceps abjudicarunt actionem.

72. Tunc reverendæ ſanctitatis Abbates Brithnothus Elienſis, Aldulfus Burgenſis & Godemannus Thornenſis commoditatis ſuæ aucupari de hac occaſione locum nacti, erigentes ſe ſciſcitati ſunt quæſtione ſimili, utrum quiſquam eorum adverſus eccleſias, quibus præſidebant, vel etiam adverſus cœnobium Croilandiæ, vel monaſterium de Enolfeſviri, quod nunc S. Neoti dicitur, quorum tunc temporis Comes Ailvvinus patronus habebatur & cuſtos, quicquam reclamationis habere ſe æſtimaret: factoque ſilentio & nullo penitus obloquente, communi omnium ſententia decretum eſt, univerſa prænominatis eccleſiis pertinentia omnibus in poſterum ſæculis rata & inconvulſa permanere.

73. Deinde ne quicquam, quod omnimodæ ſecuritati abundantiorem cautelam poſſet contrahere, intentatum relinqueretur, miles Chriſti Aldermannus S. Oſvvoldi & aliorum qui affuerunt virorum venerabilium pia admonitione decrevit, præſentes univerſos nobiles & potentes corporalis ſacramenti juratoriam præſtare cautionem, quod verbo ſpoponderant, omni ſe vitæ ſuæ ſpatio fide & opere ſervaturos. Sacrorum ergo Evangeliorum textu coram poſito, primus ipſe Dux, ut ceteros callido provocaret exemplo, dexteram extendens, juratus devovit; ſe tam Rameſienſem, quam omnes vicinas, quas memoravimus eccleſias cum univerſis pertinentiis earum ſemper, dum viveret, omni niſu, tamquam proprii domicilii utilitatibus inſerviendo protecturum, & nec per ſe, nec per cujuslibet perſonæ interpoſitionem quicquam malignitatis, vel doli eiſdem ſcienter illaturum. Poſt filii ipſius & alii juxta ordinem dignitatum viciſſim accedentes, eodem juramento & indiſſimili verborum ſchemate ultronei ſe omnes pariter obligarunt: & ſic data univerſi bonæ fidei ſecuritate, omnem habendæ cuiquam deinceps pravæ ſuſpicionis neceſſitatem exemerunt. Sacroſanctis itaque Evangeliis in pignus præſtitæ jurationis ſuper majus altare coram Deo collatis, Abbates & Monachi pro viciſſitudine impenſæ ſibi liberalitatis in commune beneficium, & fraternitatem eccleſiarum ſuarum eos receperunt. Ut igitur fratres Rameſiæ exterioris jam ad votum irrigui felicitate donati, domeſticæ etiam tranquillitatis & ſociæ pacis interius irriguo potirentur; a ſancto Archipræſule Oſvvoldo & illius ſimul diœceſeos Epiſcopo Aſcirio decretum eſt, ut ſi forte eorum quiſquam contra Regulam & ſtatuta majorum recalcitrans, turbulentus in congregatione & inquietus inveniretur, tertia juxta Regulæ ſanctionem correptione nil emendatus, a communione loci & conſortio ceterorum exſors ipſe fieret & alienus, nullum poſtmodum, niſi emendatioris vitæ commercio, reverſionis aditum mercaturus.

74. Omnibus itaque in pacem eccleſiæ & fidelitatem pia, ut prædictum eſt, illuſtris viri Aldermanni calliditate fœderatis, vir Domini Oſvvoldus in ſæpedicto Aſcirio Epiſcopo tanti laboris propter ſenium partiens pondus, cum copioſæ multitudinis alacritate votiva eccleſiam ipſam eodem, quo prius fuerat conſecrata titulo, ſollemniter dedicavit. Divino ergo officio de more celebrato, poſt laborem votivum, quem in tardiorem diei horam protraxerant, omnes ſimul ad reficienda corpora convenerunt: quam ſplendide, quam affluenter, quam opipare eos Dux venerabilis in variis tam ferculorum, quam potionum generibus procuraverit, narrare ſuperſedemus, ne abſtinentium nauſiam provocare, vel edacium videamur appetitum inaniter irritare. Mane ſequentis diei pii Patris petita benedictione & accepta, in ſua ſingulis cum gaudio remeantibus, ſanctus Archipræſul remanſit cum filiis chariſſimis familiarius colloquium habiturus: quos ante ſe convocatos vir beatus, aſſidente ſibi Aldermanno, noviſſima hac oratione allocutus eſt.
„ Alumni mei & filii in Domino chariſſimi, pater noſter dominus Aldermannus & ego a
„ contractæ olim inter nos mutuæ dilectionis exordio alter alterius ſollicitudinem enixiſſime

„ ju-

Digitized by Google

„ juvantes, locum hunc multi laboris impendio ædificare curavimus, a territorio quoque AN.CHR
„ Vvigornenſi ablatos in hac vos humo uliginoſa tutius & utilius collocavimus, & patrona- 992
„ li vobis vice præſidentes, quæcumque ſeu corporaliter, ſeu ſpiritualiter neceſſaria vide- 29. Feb.
„ bantur & commoda, exactiſſima ſedulitate & quæſtu operoſo ſtuduimus providere. Et
„ nunc Deo gratias & merito & numero ſuccreſcentes temporalium vobis copiam bonorum
„ & viſu cernitis & utilitate ſentitis ſufficienter arridere poſſeſſiones & prædia, prata & ne-
„ mora, piſcarias & molendina, beneficio fidelium collata, tam eorumdem chirographis,
„ quam magnifici Regis Ædgari privilegio ad veſtrum veſtrorumque ſucceſſorum ſubſidium
„ loco huic confirmata poſſidetis. Veſtra igitur intereſt ſingulorum, ut corporaliter ditati
„ ſpiritualem a nobis inopiam bonorum operum exercitiis propulſetis. Quomodo autem &
„ quibus armis hoſtes ſpirituales, qui ſpiritualibus viris numquam deſunt, repellere debea-
„ tis, ſatis ut arbitror in turri David collocati didiciſtis, in qua mille clypei pendent & om-
„ nis fortium armatura, non modo ad intuendum propoſita, ſed expoſita ad tollendum.
„ Studete itaque, fratres chariſſimi, ſtudete Ordinis obſervationem, reddite gratulanter vo-
„ ta quæ labia veſtra diſtinxerunt, vacate orationibus, paci mutuæ, & dilectioni operam
„ date, incentiva laſcivæ carnis vigiliis & parſimoniæ fræno edomate, animos veſtros (ut
„ decet ſanctos) a terrenorum cupidine cohibete, bona quæ habetis tranſitoria in uſu, non
„ in affectu poſſidete; illam quam extrinſecus habitu prætenditis, intrinſecus religionis veri-
„ tatem moribus exhibete. Talibus etenim mercimoniis divinam vobis gratiam ſtabilem &
„ firmam conciliabitis, quæ omni ſemper malignantium fraude deluſa, collatorum vobis
„ bonorum indemnitatem conſervans, plura his & ampliora nobis deficientibus munifica
„ cumulabit. Poſt deceſſum autem meum unum quempiam de collegio veſtro, quem divi-
„ na vobis provida pietas dignabitur declarare, concordi omnes voto aſſenſuque uniformi,
„ juxta tenorem privilegii quod ad petitionem meam vir venerabilis JOANNES Romanæ ſe-
„ dis Pontifex ſummus huic indulſit eccleſiæ, in Abbatem vobis eligatis. In electione vero
„ illius ambitionis vitium, diſcordiam & invidiam ſummopere caveatis, ne quis veſtrum
„ communem utilitatem privatis affectibus proponat: ſed illum omnes omni contentione
„ remota aſſumant, quem ſanioris partis dictata a ſpiritu Sancto ſententia judicaverit ordi-
„ nandum. Nos ſiquidem, ut cernitis, ſegni jam ſenio laboramus, vitalis ſpiritus ſeniles
„ jam deſerit artus, prolongatum diutius incolatum ſuum conquerens anima familiarem jam
„ incipit carcerem nauſiare: quorum omni edoctus præſagio, neutrum noſtrum ulterius vo-
„ biſcum diu permanſurum prædico. Ego quippe ad ſedem meam revertor, corporis vos
„ oculis reſolutionis meæ ibidem diem opperiens non viſurus. Ad Ducem autem converſus,
„ ſic quoque, ait, Amiciſſime virorum, fata tua eiſdem noveris ſtimulis agitari, eadem te
„ ſententia ad ſolutionem debiti naturalis memineris perurgeri. Ad quem venerabilis heros:
Hactenus, ſanctiſſime pater, inquit, dulce mihi fuit tecum vivere, proſperam in hoc mari
proceſſoſo habere me ratus te remige navigationem: nunc vero ad portum te feſtinante,
naviculam meam longo navigandi uſu jam quaſſam inter tumentes ſine gubernaculo verſari
diutius undas non arbitror expedire. Si igitur mihi non datur anteire remorantem, detur
utinam ſine dilatione ſaltem ſubſequi præcedentem. Cui ſanctus, En ait a te nunc corpore
digredior, animo tibi ſemper inſolubiliter fœderatus. Cum me ab ergaſtulo carnis exiſſe di-
diceris, tunc in brevi carnulæ tuæ compagines diſſolvi, omnemque dubiæ navigationis ul-
tra tibi tolli ſcias neceſſitatem. At cauſam * in ſubeundo portum, ubi applicantes graviori * f. Caſui.
oborta tempeſtate ſcopulis nonnumquam & cautibus invenitur, quæ & navi & Hoven * * f. Homini.
propter tabularum diſtractores memineris providendum.

75. Hæc & ſimilia cum vir ſanctus prophetico plenus ſpiritu peroraſſet, multa utrimque
fuſa ſunt fletuum ſuſpiria, multum ſuſpiriæ inſumptum cordibus ſingulorum, una omnes vo-
ce ſe rogant non deſeri, deſolatos ſe dilecti patris præſentia non fruſtrari: ſuſpecta præten-
dunt pericula, locum a ſe ſanctificatum exceſſu ſuo honorari, & triumphalibus ſancti cor-
poris exuviis præſentialiter flagitantes communiri. Sed conſilium divinum quod Vvigornen-
ſem eccleſiam tanti luminis fulgore diſpoſuerat illuſtrari, nulla humana potuit ratione muta-
ri. Benedicens ergo pius pater & gratam ſingulis oſculorum gratiam libans, triſtis & mærens
receſſit, triſti grege recedente, paſtorem uſque ad fores eccleſiæ cum lacrymis proſequente:
ubi converſus flens largiter, eiſque denique benedicens, hoc eis noviſſimum verbum dixiſſe
memoratur: Conſociet nos Chriſtus in paradiſo. Quo dicto mæſtus abiens, mæſtos rever-
tentes dimiſit. Dux quoque propter rei curam familiaris longius a vicinia recedens circa pro-
ximæ initium Quadrageſimæ eos ſe ſpopondit Deo volente reviſurum.

XXIX. *De viſionibus quæ poſt viri Dei diſceſſum quibuſdam ex fratribus oſtenſa ſunt.*

76. Igitur Eadnotho juniore ad conſilium domini Germani & Eadnothi ſenioris, ſicut ſan-
ctus ordinaverat, exteriorum curam gerente, reliqui fratres quo certius utriuſque patroni
diſpendium juxta quod audierant, ſibi imminere crediderunt, eo ferventius diſciplinis mona-
ſticis & militiæ divinæ exercitiis vacare ſtuduerunt. Deinde cum tranſiſſet rigor brumalis,
& verni temporis inciperet tepor arridere; illis frequenter de his quæ a ſancto audierant in-
ter ſe ſermocinantibus, ſicut animæ dolenti & curis multis laboranti nonnulla per noctur-
nas viſiones oſtendi ſolent futuræ veritatis auſpicia, una noctium cuidam fratri ſoporato

AN.CHR. viſum eſt quaſi utramque eccleſiæ turrim, unam poſt alteram, cum fragore magno corruiſ-
992 ſe. Item quoque alii duo longius a Monaſterio nocturnæ indulgentes quieti ſonitum horrifi-
29. Feb. cum, quaſi tota ſimul eccleſia uno fulminis ictu cecidiſſet, audierunt: quo terrore excitati æſtimabant univerſum fratrum collegium eadem ruina involutum: recurrenteſque cum feſtinatione, omnes incolumes, Deumque laudantes reperiunt. Iterumque cum fratres quadam die in horto ſpatiando deambularent, tumultu magno, quaſi ex ictibus arietum & lapidum colliſione intra eccleſiam facto, partem murorum ruiſſe putaverunt: ſed intro currentes, omnia ſana cum admiratione conſpexerunt. Talium ergo prodigiorum cauſis fratribus ſollicitatis, & ſuſpectæ ſignificationis eventum præſtolantibus, ecce poſt dies paucos tranſmiſſo a Vvigornia lacrymabilis nuntii bajulo, ſanctiſſimus Archipræſul & Deo amiciſſimus Oſvvaldus illa Quadrageſimæ [a] Dominica, qua *Oculi mei ſemper ad Dominum* decantatur, quæ tunc pridie Kalendas Martii habebatur, ex hoc mundo ibidem feliciter migraſſe nuntiatur. Quomodo autem exceſſerit, & quam laudabilem vivendi finem ibi ſortitus ſit & ſepulchrum, legenti libellum vitæ ipſius ſatis conſtabit: cujus tonitruo rumoris univerſi ad ima cordium penetralia perculſi, id ipſum ſtatim venerabili Aldermanno, qui ſuperioris promiſſionis ſuæ fidem abſolvens, eodem tempore in partes illas redierat, nuntiare ſtuduerunt: quo præter ætatis memoriam cum lacrymis non ſegniter advolante, pulſant ſigna, officium de more celebrant, pſalmodiam cum fletu ruminant, plangunt, & ejulant omnes; cum tamen gaudendum potius aliqui non ignorarent, ſed intemperantia doloris perſuaſionem prævalere non ſineret rationis.

XXX. *Venerabilis Aldermannus fata ſua inſtare intelligens, ultima hac allocutione filios adhortatur.*

77. Ex hinc coadunata ante ſe Princeps illuſtris tota fratrum cohorte, ita eos præſentibus duobus filiis ſuis viris nobilibus, Ældvvino atque Æthelvvardo, allocutus eſt. En filii mei chariſſimi, en virga correctionis & baculus ſuſtentationis veſtræ in unius caſu, ſicut cernitis, perſonæ utraque contrita ſunt: en lucerna ad cujus intuitum dirigebantur greſſus noſtri, non dico exſtincta eſt, ſed caliginem induit abſconſionis: en inquam ex lacrymali unius turrium noſtrarum ruina, juxta fidem oſtenſæ aliquando alicui veſtrum viſionis, alteram certiſſime ſcire poteſtis cito ruituram. Sed & juxta viri ſancti vaticinium, poſtquam hinc ille ablatus eſt, depoſitionem tabernaculi me agilitate fatali agitari non dubito: quinetiam ipſa ſenecta effeti jam & curvi corporis vires attenuans, votum mihi diutius hic morandi penitus abrumpit. Jam enim olim venuſtæ formæ gratiam rugæ mihi ſeniles deformarunt: amara tuſſis punctionibus crebris anhelum pectus defatigat: pallidus mihi color eſt & exſanguis; difficilius ſolito odores jam diſcerno; minus ſapiunt quæ geſtu ſumo; titubantes greſſus vix fuſte confirmo; tremulis manibus firmius vix aliquid teneo: ſicque jam & valitudine confectus & annis, totus mihi ſenectutis furto ſubtractus ſum, ut totum me tranſeuntibus furtivâ ſucceſſione diebus videar amiſiſſe. Quæ ergo habenda eſt in conditionis humanæ labilitate fiducia? Jocundum ſit mori, cui vita tædioſa eſſe comprobatur. Quapropter, dilectiſſimi mihi in Domino filii, delicta mea & ignorantias meas in præſentia veſtra divinæ confiteor pietati, nec præter diſpoſitionem cæleſtem vitam mihi diuturniorem ſervari, ſed potius exitum meum muniri, & peccata mea orationibus veſtris deſidero & meritis expiari. Cumque corporeæ pugnæ arma depoſuero, vos ſedulitate filiali paterno funeri honeſtas in loco iſto inferias procurantes, & memoriam mei deinceps continuam habentes, poſteris quoque veſtris intimate.

78. Hac voce) diſcriminis præſaga & indice tactus, beatum Ælfegum, tunc Vvintonienſis eccleſiæ venerabilem pontificem, qui illis in diebus quaſi a Deo, ut viri juſti deſerviret exſequiis, miſſus, infra terminos viciniæ præſens habebatur, acceſſiri fecit. Ad cujus interrogationem præſentibus ſenioribus Rameſiæ cum multis aliis qui aderant venerabilibus perſonis, articulos catholicæ Fidei, quos ſemper vita & moribus tenuerat, publica atteſtatione eſt confeſſus; ac deinde ejuſdem miniſterio ſacrati olei unctione delibutus, eodem quoque tradente indeficiens dubiæ peregrinationis Viaticum porrexit. Deinde vero uſque ad diem ſibi peremptorie præfixum jugi pſalmorum, quos ipſe didicerat, pſallicio exitum ſuum cum fratribus præmuniens, cum denique *omnis ſpiritus laudet Dominum* voce flebili & lingua palpitanti tertio repetiſſet, manu læva ſibi ipſe oculorum cilia componens, dextra vivificæ ſe crucis ſignaculo armavit: ſicque ex diuturni fatigatione curſus feſſus jam & anhelus ſpiritus, octavo Kalendas Maji relicta corporis gleba ad requiem (ut creditur) bravium percepturus feliciter evolavit. Cujus corpus cum Rameſiam ad tumulandum deferrent exanime, copioſa totius fere viciniæ turba viri venerabilis exſequias comitatura convenit, divites laborum ſuorum ſolatium, pauperes vero & inopes ſe vitæ ſuæ ſubſidium in ejus exceſſu gemitu lacrymoſo querebantur amiſiſſe. Ita ergo in domo quam ſumma dictante ſapientia ſapienter ſibi ædificaverat venerandæ ſapientis architectoris exuviæ, prædicti ſancti præſulis Ælfegi miniſterio in memoria juſtorum æterna venerabiliter depoſitæ, diem extremum operiuntur reſumendæ.

SAN-

[a] Id eſt Dominica tertia, in qua hæc Antiphona ad Miſſam cantatur. Quamquam non ipſa Dominica die, ſed feria ſecunda obiit Oſvvaldus ex dictis in Obſervationibus præviis.

Digitized by Google

SANCTI MAJOLI ABBATIS

AN.CHR. 994. 11. Maji.

CLUNIACENSIS QUARTI

Elogium Hiſtoricum.

I. *Ejus vitæ ſcriptores, ejuſque laudatores.*

1. *EA eſt primorum Cluniacenſium Abbatum celebritas & factorum gloria, ut quamquam de illis plures ſcripſerunt auctores, ea tamen nec pro dignitate explicent, nec pro votis noſtris. Quapropter quod in ſancto Odone jam præſtitum eſt a nobis, idem etiam in Majolo aliiſque duobus ſubſequentibus, Odilone ſcilicet atque Hugone, præſtandum eſt, ne eorum memoriam neglexiſſe videamur, ſi eam ſegniter illuſtremus. De Majolo quidem jam multa retulerunt ſocii Bollandiani in Maii tomo 3. ab antiquis auctoribus accepta: ſed multa de eo dicenda reſtant ex archivis Cluniacenſibus, quorum copiam habere nobis licuit.* Elogium cur hic datum.

2. *Tres vero Majoli præcones nobis exhibent Bollandiani, nempe* Nalgodum, *quem Majoli diſcipulum putant, ac primæ vitæ ſcriptorem: alteros* Syrum & Aldebaldum, *itidem coævos, qui conjunctis ſtudiis alteram de Majolo lucubrationem condiderunt: tertium* S. ODILONEM, *Majoli in Abbatiali dignitate ſucceſſorem. De his omnibus hic in limine agendum, antequam ulterius progrediamur.* Vitæ ſcriptores.

3. *Primus Majoli encomiaſtes omnino cenſendus eſt Syrus monachus, cujus puram putam ſcriptionem ex mſ. codice ſancti Martialis eccleſiæ apud Lemovicas accepimus a noſtro Petro Trellio, una cum epiſtola Syri ad ſanctum Odilonem Abbatem Vitæ præfixa, in qua facti ſui rationem reddit auctor. Ait quippe id operis a ſe ſuſceptum fuiſſe flagitante* Warnerio ſanctæ recordationis *monacho, qui Syro miſſo in Italiam ante perfectum opus, ipſe in Alſatiam directus, opus imperfectum detulerit. Poſtea vero mortuo Warnerio, cum opus iſtud, quale ab ipſo relictum fuerat,* Odilo in Morbacenſi cœnobio *(ubi forſan mortuus Warnerius) reperiſſet; Syro demandata cura ut id perficeret: quod ipſe tandem exſecutus eſt, non eo tamen modo, ut numeris omnibus abſolutum aliis viſum ſit. Quapropter ſtatim poſt Syri obitum Aldebaldus ſupremam operi manum imponere aggreſſus eſt. At ſane quæ is ſupplevit, ornatus admodum vicem præſtant, hoc eſt quædam non neceſſaria, quibus Syri narrationem illuſtrare, atque connectere ſibi viſus eſt. Rem explicat Reimbaldus monachus, qui breve carmen communi huic Syri & Aldebaldi ſcriptioni præpoſuit, ex quibus hæc referre non ab re fuerit.* Cum ſocio Aldebaldo.

Hunc ubi gaviſum fore credimus archimagiſtrum,
Cujus in hoc parvo retinentur geſta libello
Pauca, velut pratis flores carpuntur amœnis:
Ad Chriſti laudem quæ Warennerius autem
In cunctis vitæ monachus nimium reverendæ
Perſuaſit domno ſupplex multa prece Syro
Scribere communi cunctorum commoditati,
Ne Patris tanti poſſent pia facta recondi.
Qui tandem precibus & amore ſui ſuperatus,
Diſcere quæ potuit narrantibus, edere cœpit.
Tegmina ſed carnis ſolvens per debita mortis,
Hoc opus eximium dimiſit ſemiperactum,
Mox Adebaldus quod ſupplevit ſtudioſus,
Congrua ſubnectens, &, ut aſpicis, ordine jungens.
Certus in hac opera meruit ſibi præmia digna.

AN.CHR. 994 11. Maji. *Sed ut intelligat lector, quod cujus ſit; totam de Majolo narrationem tribus libris complexus eſt Syrus, ut eo tempore diſertus, nonnullis carminibus hinc inde narrationi inſertis. Aldebaldus vero ſuum ſingulis libris prologum aptavit, carmina multis in locis adjecit: Sed nullum factum retulit ab Syro prætermiſſum, niſi quod initio libri primi narrationem inſtituit de Saracenorum impreſſione in cœnobium Lerinenſe, quæ ad Majoli facta nihil pertinebat. Communem illam Syri & Aldebaldi lucubrationem ediderunt Socii Bollandiani: nobis puram Syri ſcriptionem hic repræſentare viſum eſt, ſuo loco referendis iis, quæ de clade Lerinenſi Aldebaldus explicavit.*

4. *De Aldebaldo atque Warnerio, cujus rogatu Syrus operi manum admovit, nihil legimus, niſi quod Warnerium oportet fuiſſe Monachum religione celebrem, utpote quem* ſanctæ recordationis *virum Syrus, & Raimbaldus* Monachum Vitæ nimium reverendæ *appellat. De Syro id unum diſcimus, quod Jotſaldus (in editis mendoſe* Lotſaldus*) in Actis ſancti Odilonis ſub finem memorat apud Bollandum in hæc verba.* Verum plurima quæ in prima fronte dicturus ſum, ipſe non vidi: ſed duobus monachis ejus, Petro videlicet monaſterii ſancti Majoli, quod apud Papiam eſt, Præpoſito, viro ſcilicet religioſo; & Syrone cujuſdam Monaſterii Abbate, per adnotationem Fratris Boſonis, miræ ſimplicitatis & innocentiæ monachi, ſicut rogaveram, dum hoc opus inciperem, referentibus agnovi. Fuerunt autem prædicti Fratres probabiles viri, patris Odilonis admodum familiariſſimi, ſecretorum etiam illius in pluribus conſcii, & itineris vel laboris per multa tempora ſocii &c. *Diu anceps fui, num in lib. 2. de Vita S. Majoli per Syrum cap. 23. ubi de reformatione agens Ticinenſis Monaſterii ita habet,* ibique ſuum ordinavit Abbatem, *legendum ſit* Syrum *pro* ſuum. *Sed obſtant mſſ. codices cum vulgatis.*

Odilo. 5. *His auctoribus, Syro videlicet atque Aldebaldo, acceſſit Odilo eorum Abbas ſanctus, qui non tam novum de Majoli vita commentarium, quam orationem laudatoriam compoſuit, lectorem ad alios remittens ſcriptores, qui prius de illo egerant. Ita enim legimus in cap. 2. apud Bollandianos.* Quanta per eum Dominus & ante & poſt tranſitum ejus oſtendere dignatus eſt miracula, teſtantur volumina a doctiſſimis viris ordinata, ſenſu catholico, calamo conſcripta rhethorico, & in quibuſdam locis metro variata dactylico. *Libellum ſuum Odilo inſcribit Hugoni, poſtea ejus ſucceſſori, & Almanno Monachis, præmiſſa epiſtola, quam in ejus Elogio aliquando referemus.*

& Nalgodus. 6. *Poſtremus omnium Nalgodus Cluniacenſis monachus itidem ſancti Majoli geſta illuſtrare aggreſſus eſt, Petro venerabili Abbate: quo tempore Vita ſancti Odonis ab eodem expolita, & in compendium redacta eſt, qualem ſuperius ſuo loco retulimus. Ex his omnibus unam Syri ſcriptionem huc adducere viſum eſt, in hoc Elogium referendo, ſi qua ab aliis Auctoribus ſingularia dicta ſunt, omiſſis etiam duobus miraculorum libellis, in quibus pauciſſima obſervatione digna memorantur & quæ facile conſuli poſſunt in Bibliotheca Cluniacenſi, in cujus Appendice hæc leguntur, & in Majo Bollandiano. Ceterum hi duo miraculorum libri in mſ. codice Lemovicenſi, ex quo Syri lucubrationem accepimus, ipſius Syri tribus de Majoli vita libellis continenter ſubjiciuntur: in quorum prologo innuit Auctor, ſe vitam ſancti Majoli ſcripſiſſe, cum ita præfatur.* Glorioſa virtutum opera, quæ omnipotentis Dei providentia per beatum ſuique dilectorem Majolum dignata eſt operari, dum fragile ſui ipſius corporis indumentum vivificaretur vitalis ſpiritus additamento, compendioſa, prout ſcire potuimus, deſcripſimus ratione &c. Nunc depoſito carnis onere in cælis lucidum & ſanctiſſimum ſidus renitens, ampliatarum virtutum eructat cumulos. Hos ex parte aliqua, pro paterno imperio Domni ac reverentiſſimi Odilonis Abbatis; obedimus mandare ſcriptis. *Unde quis inferat, Syrum eſſe iſtorum miraculorum ſcriptorem, tametſi ejus ſtilum penitus aſſequi non videntur. Ut ut ſit, ſi qua in eis notatu digniora erunt, in fine hujus Elogii referentur.*

Auctores alii. 7. *Præter hos auctores, multi de ſancto Majolo honorificam fecerunt mentionem, quorum verbis commode in ſubſequentibus utemur. In his ſunt Petrus Damiani*

AN. CHR. 994

11. Maji.

miani in Opiſculo 33. Glaber Rodulfus variis in locis, Vincentius Bellovacenſis, Petrus Equilinus Epiſcopus in lib. 4. cap. 153. Joannes Tritbemius, & plerique chronographi. In Appendice Bibliothecæ Cluniacenſis exſtat etiam brevior Majoli Vita, cum Syri lucubratione in compendium redacta. Jam ad Majoli facta veniamus.

II. Majoli patria, parentes, ſtudia, & vita canonicalis, Archiepiſcopatus Veſontionenſis ab eo recuſatus.

Majoli natale ſolum. * La Provence. *Valenſole * Riez * Manoſque. *Avignon

8. *Etſi eum patria* Provincialem, *id eſt ex Provincia ortum fuiſſe liquet, non tamen de ipſius natali ſolo conſtans eſt & unanimis veterum ac recentiorum conſenſus. Valentiolæ * (quod oppidulum diœceſis Regienſis, medio Regium * inter & Manoſcam * intervallo) natum communis fert Cluniacenſium traditio, præeunte Petro de Rivo, cui inſcriptio eccleſiæ ſancti Martialis apud Avenionem Cluniaco ſubjectæ adſtipulatur, ab Honorato Boucheo relata in chorographia Provinciæ pag. 232. Et quidem locum hunc ex Majoli hereditate fuiſſe conſtat: ſed an ejus natalis fuerit ſedes, merito dubitare licet ex Syro, qui Majolum* ex Avennicorum oppido, *id eſt Avenionenſi *, prodiiſſe tradit, quod totidem verbis in communi Syri & Aldebaldi ſcriptione legimus. In alia Vita, breviori quæ exſtat in Appendice Bibliothecæ Cluniacenſi,* oppidanorum Avennicorum alumnus *dicitur. Provinciam eidem patriam tribuit Nalgodus, de natali ſolo tacet: utrumque præterit Odilo. Mihi religio fuerit diſcedere a Syri & Aldebaldi auctoritate.*

Parentes.

9. *Mirari vero ſubit, cur ex omnibus illis qui de Majolo ſcripſere auctoribus, nullus parentum nomina vel dignitates præmittit, quos fuiſſe ſplendidiſſimos ſat habuerunt dicere, quaſi ſub illo verborum involucro ad nos integra eorumdem memoria pertingere deberet. In primis Syrus,* Clarus, *inquit*, ortus natalibus, ex Avennicorum oppido parentibus ſplendidiſſimis eſt procreatus, Provincialis quidem genere, nobilium Gallorum clarus generoſitate. *Odiloni*, præclaro ſtemmate ortus, & a nobilibus parentibus pervigili cura enutritus. *Nalgodo*, Provinciæ regionis indigena, uſque ad ipſos Galliæ Proceres affinitatis ſuæ terminos dilatavit, & a linea ſanguinis Gallicani magnum ſibi nobilitatis apicem comparavit. *Ampulloſa hæc verba ſunt, ſed fere inania, niſi quod prænobili genere Majolum progenitum oſtendunt. Sed ubi parentum nomina & dignitates? Quamquam illud eo tempore in more poſitum erat, ut nobiles quique raro ſuæ dignitatis titulos præferrent, præterquam Reges, Duces, ac Comites. Ceteri fere nudo nomine cenſebantur. Nihilominus* Militis *nomen pro nobili ſæculo 10. in uſu eſſe cœpit, ut patet cum ex aliis, tum ex charta Traſmari Noviomenſis Epiſcopi pro cœnobio Humolarienſi, ſuperius relata ad tranſlationem ſanctæ Hunegundis: cui chartæ multi* Milites *ſubſcribunt. At ſane vix excuſari poteſt eorum indiligentia, qui parentes eorum, quorum facta deſcribere volebant, intactos præteriere. Unus tamen ex Majoli præconibus Odilo in fine elogii ſui, quaſi fortuito, Majoli patrem* Folcherium *nominat, eumque* Militem *appellat.* Fuit eodem tempore, *ait*, quidam Miles in illis partibus, nomine Folcherius, in armis ſtrenuus, jure hereditario ceteriſque bonis & divitiis ditiſſimus, & (ut de nobiliſſima ejus prole diximus) ex utroque parente gemina nobilitate coruſcus; vir magni conſilii, prudentis ſagaciſque ingenii, pater videlicet iſtius ſanctiſſimi Patris noſtri, de quo loquimur Majoli. *Eumdem etiam Fulcherium nominat Epitome edita in Appendice Bibliothecæ Cluniacenſis.*

Folcherius pater.

Familia locuples.

10. *Verum etſi hanc Odiloni gratiam non haberemus, integrum nobis Fulcherii nomen ſervaſſent tabulæ Cluniacenſes, in quibus non ſemel legitur, necnon Fulcherii ampliſſimæ donationes, quæ eum ex locuplete familia ortum fuiſſe demonſtrant. In primis. Fulcherius Cluniaco donat* alodum ſuum in pago Regenſi, in Comitatu Atenſi villas Auſhanam & Serulionem; & in Comitatu Aquenſe villam Reglanam, item villam Pinetum cum ejus eccleſia ſub titulo ſancti Siffredi; item in eadem valle villam Paludem; & in Comitatu Secuſtironenſe Alairacum cum eccleſia ſancti Petri, item villam Adducellum; & in Co-

AN.CHR. 994 11. Maji. Comitatu Regenſe villam Abiacum cum eccleſia ſanctæ Mariæ, villam Pauliacum, Valentiolam cum eccleſia ſancti Maximi, eccleſiam & villam ſancti Tyrſi, & villam & eccleſiam ſancti Stephani de Margis, villam & eccleſiam ſancti Joannis de Ardas; in valle Mixenis eccleſias ſancti Stephani, ſancti Martini, ſancti Petri, item villam Fabricas, villam Narbonam, cum eccleſiis, Fagentiam cum eccleſia, Dragonianum, villam Arcus, & medietatem Centumclavis vallis, villas Locatum, Surigerias, eccleſiam beatæ Mariæ, Bonolas villam, *omnia hæc cum appendiciis ſuis: quæ idcirco minutatim retuli ut appareat, quam amplæ fuerint Fulcherii facultates, quibus in locis ſitæ, nempe in pagis Regenſi, Attenſi ſeu Aptenſi, Aquenſi, & Secuſtironenſi; tum quanta ejus munificentia in loca ſacra; ac demum, quam illo ævo laicis familiare fuerit plebanas poſſidere eccleſias, eaſque monaſteriis tradere: quod ſexcentis exemplis (quorum multa in ſuperioribus Bernonis, Odonis, & Aymardi elogiis vidimus) probari poteſt. Quo anno facta ſit hæc Fulcherii donatio, in charta non exprimitur; at certum eſt eam factam eſſe prius quam Majolus ſæculo nuntium remiſit, quippe non niſi mortuis parentibus Cluniacum ſeceſſit, ut poſtea exponemus. In ea porro donatione mentio fit de Valentiolæ traditione, quam Boucheus retulit ad annum* 990. *eamque a Comitibus Provinciæ Cluniaco primum factam putavit. In Majoli chartario legitur in charta ſexta Willemi, data regnante Conrado Rege, Willelmum ipſum donaſſe Clunienſi monaſterio & Majolo Abbati ex rebus quas ipſe Majolus Abbas & Clunienſes Fratres ei ad vitam dederant, villam Valentiolam. Poſt Majolum Almeradus Regenſis Eiſcopus Odiloni Abbati remittit quædam annua debita, quæ Valentiola Epiſcopo pendere ſolebat. Inter Cluniacenſes eccleſias ex Provincia recenſetur in Bibliotheca Cluniacenſi* Decanatus de Valenſoliis Rejenſis diœceſis, ubi debent eſſe Decano computato quinque Monachi, & unus Presbyter commenſalis, & debent ibi celebrari quotidie duæ miſſæ.

Fulcherius avus, Cyricus frater. II. *Ex archivo Cluniacenſi non ſolum diſcimus Majoli patris nomen, ſed etiam ejus avi ac fratris, quorum alterum itidem Fulcherium, alterum Cyricum dictum fuiſſe inde intelligimus. Id patet ex Majoli charta* 344. *quæ præſtaria eſt Arnulfo Epiſcopo Atenſi a Majolo facta, de quibuſdam rebus cœnobii Cluniacenſis, ſitis in pago Atenſi. Has litteras huc integras referre juvat.*

IN nomine Domini ...., Ego Majolus favente Chriſti clementia Clunienſis cœnobii Abbas. Notum fieri volumus omnibus fidelibus Chriſtianis, tam præſentibus, quam ſuccedentibus, quod Domnus Arnulfus Epiſcopus Atenſis noſtram expoſtulando adiit præſentiam, quatenus ei concederemus loco precariæ res quaſdam juris ſanctorum Apoſtolorum, Petri videlicet & Pauli, ſupradicti cœnobii Clunienſis. Inquiſita itaque voluntate Fratrum noſtrorum, eiſque rationabiliter aſſenſum præbentibus, decrevimus prælibati Domni Epiſcopi precibus obtemperare. Concedimus itaque eidem Domno Arnulfo Epiſcopo atque conſanguineo ejuſdem Teoberto, res ſanctis Apoſtolis Petro & Paulo dicatas, quæ ſunt in pago Atenſi ſitæ, in villa Lauſnana, & in alia villa, quam vocant Soldo, uſque in montem Clavaniacum, & in alio loco, ubi dicitur Trabalio, & in alia villa quæ vocatur Baſſus, & in alia villa quæ dicitur Siciago, & in alia villa quæ dicitur Borcio, & in alia quæ dicitur Soricarias, & in alia quæ dicitur Leocola, & in alia quæ dicitur Valle, & ipſum alodum quem avus meus Fulcherius comparavit de Bernardo, & in alia villa quæ vocatur Jocadas, & in alia quæ vocatur Cariaras, & in alia quæ vocatur Serulias. Iſta omnia mihi & fratri meo Cyrico ex ſucceſſione noſtrorum parentum nobis evenerunt: nos vero ego videlicet Majolus, præfati cœnobii Clunienſis Abbas, & prædictus frater meus pro remedio animarum noſtrarum, noſtrorumque parentum, omniumque fidelium Chriſtianorum, Deo & ſanctis ejus Apoſtolis Petro & Paulo in Cluniaco cœnobio tradidimus. Omnia itaque jam denominatis villis conjacentia, ſive quantum avus meus Ful-

AN.CHR. 994 11. Maji.

Pulcherius & genitor meus ejuſdem nominis in Comitatu Atenſi tenuere, vel conquiſiere, totum prædicto Epiſcopo & ejus conſanguineo Teoberto concedimus, in ea ſcilicet ratione tradente Domno Epiſcopo res ſuas, quæ ſunt ſitæ in pago vel Comitatu Atenſi, in villa Lauſnana, Deo & ſanctis ejus Apoſtolis Petro & Paulo in prælibato cœnobio Clunienſi, eo videlicet tenore, ut quamdiu ipſe Epiſcopus & ejus conſanguineus vixerint, teneant & poſſideant, & feſtivitate S. Martini in cenſu ſolidos quinque ad Cluniacum perſolvant: poſt obitum vero utrorumque res omnes ſupra ſcriptæ cum omni melioratione ad præfatum Clunienſe cœnobium abſque ullius contradictione proveniant. Ut vero precaria iſta illibata inviolabiliſque omni tempore permaneat, manu noſtra firmavimus, & Fratribus noſtris corroborandam porreximus. Majolus peccator & humilis Abba, Adiblamus, Jacob, Fulcardus, Stephanus, Andreas... S. Duranni, Teoderici. Ego frater Clemens ſcripſi. Actum apud S. Saturninum, anno vigeſimo tertio regnante Conrado Rege. *Ex hac præſtaria intelligimus, præter ſuperiorem Fulcherii Majoli patris donationem, aliam ab ipſomet Majolo & Cyrico ejus fratre Cluniacenſibus factam de rebus, quas his litteris in precariam tradit Arnulfo Epiſcopo Atenſi: cujus conſanguineus Teutbertus in alia charta* vir illuſtriſſimus *dicitur, laudaturque* Raimodis *ejus uxor & filius* Ulricus. *Sed & alias res memorat alia charta, qua Vvillelmus nobiliſſimus Comes & Lucia ejus uxor Cluniacenſibus ſub Odilone Abbate reſtituunt* hereditatem ſancti Majoli, *ſcilicet* Diliodam & Septem fontes in Epiſcopatu Regenſi. Actum apud Podii Odolinum monaſterium anno Inc. 1036. Ind. 5. Chunone Imperatore regnante anno 10. *Unde iterum perſpicuum efficitur, quam diti ſtirpe procreatus ſit Majolus, cujus parentes tot prædiis ac poſſeſſionibus Cluniacum auxerunt abſque gravi (ut credere par eſt) diſpendio rei familiaris. Hæc mihi conſideranti dubitatio ſuccurrit, num Folcherius Majoli avus fuerit ille* Folcratus Dux Arelatenſium, *quem Lotharius una cum aliis Comitibus rebellare molientem, in deditionem accepiſſe, eoque facto* Provinciam ordinaſſe *memoratur in Annalibus Fuldenſibus anno* 844.

Matiſconem confugit.

12. *Poſtquam Majolus integris intaminatiſque moribus pueritiam in patria exegiſſet*, cum eum jam ſibi vindicaret adoleſcentia; parentibus humana ſorte præventis *(ita ſcribit Syrus)* prædiiſque barbarica invaſione in ſolitudinem redactis, divina diſponente providentia natale ſolum coactus eſt deſerere, ac Burgundiæ partes expetere: venienſque in urbem Matiſcenſem, ſuſceptus eſt ibi in hoſpitio a quodam ſuo propinquo, qui inter reliquos ejuſdem urbis Proceres nobilitatis gerebat decus. Cumque aliquamdiu in ejus moraretur diverſorio, ejus fultus adminiculo, uti cœpit ejuſdem civitatis Epiſcopo: qui eum liberali cernens ingenio valere, Canonicorum ſtuduit collegio copulare, qui etiam eum ſecretius ſumma hortabatur inſtantia, ut ſe virginem conſervaret. *Matiſconenſi eccleſiæ tum præerat Berno, cujus in Cluniacenſes munificentiam varia monumenta conteſtantur.*

fit Canonicus.

Provinciæ clades.

13. *Quænam vero ſit illa clades, de qua hic agit Syrus, haud uſquequaque exploratum. Duo hoſtium genera Provinciam per id tempus infeſtarunt, Hungari & Saraceni. Hi piratico more ex Hiſpania in Italiam forte delati, Fraxinetum arcem ad Alpes Cotias occuparunt anno* 891. *eamque per multos annos cum maximo Lombardiæ & Provinciæ detrimento tenuerunt: donec Hugo Italiæ Rex maritimo eos ac terreſtri exercitu adortus, illorum navibus græco igne combuſtis, pleroſque Fraxinetum relinquere, & in Montem-maurum ſe recipere coegit anno* 941. *Eos autem obſidione cinctos Hugo in ſuam poteſtatem facile redegiſſet, ni Berengarium adverſarium timens, ab illorum oppugnatione deſtitiſſet, fœdere cum eis ita percuſſo, ut pars illorum in montibus Italiam ab Suevia dirimentibus conſideret, & Berengarium ex Suevia per eos montes exercitum trajicere molientem impediret. Iſti eo loco poſiti quoſcumque poſtea ad Apoſtolorum limina viſitanda illac iter facientes, aut penitus ſpoliarunt, aut inhumaniter peremerunt. Eodem ſæculo Hungari ex Germania in Galliam atque Italiam ſæpius effuſi, funeſtas clades intulerunt. Hi ductu Berengarii Regis, quem Langobardi expulerant, anno* 924.

AN.CHR. 994 10. Maji. 924. *Italiam depopulati, teſte Frodoardo, poſtea per abrupta Alpium juga tranſeuntes, in Galliam irruperunt: quos Rodulfus, Cæſalpinæ Galliæ Rex, cum Hugone Viennenſi* inter anguſtias collium Alpinarum *concluſit; unde inopinato per devia montis evadentes, Gothiam impetierunt, ibidem a prædictis Rodulfo & Hugone ſubacti. Paullo poſt, ideſt anno 933. dum Hugo Rex Italiæ Romam obſidet, Saraceni meatus Alpium occupant, atque vicina quæque loca deprædantur. Biennio peracto, Hungari per Burgundiam diffuſi, prædis, incendiis ac cædibus debacchantur. Tot & tam frequentes clades indubie Majolum in urbem Matiſconem perfugere coegerunt, dum Provincia, id eſt patria ejus, tot cladibus infeſtaretur.*

Lugduni ſtudia. 14. *Interea temporis is Canonicus Matiſcone factus, Lugdunum in ſcholas abit, ubi Antonio præceptore uſus, homine in Philoſophia erudito,* cujus multum convaluit (*Syri hæc verba ſunt*) non modo doctrina, verum moribus & vita. *Lugdunenſis academia antiquitatem recte probat Hericus Autiſſiodorenſis monachus in libro* 1. *de miraculis S. Germani, ubi diſſerit de temporibus Conſtantii Lugdunenſis, id eſt de ſæculo quinto. Ea, inquit,* tempeſtate Lugdunenſium civitas prima ac præcipua Galliarum, profeſſione quoque ſcientiæ artiumque diſciplina inter omnes extulerat caput. Ibi, quas dicunt, liberalium diſciplinarum peritia, quaſque ordine currere hoc tempore fabula tantum eſt, eo uſque convaluit, ut quantum ad ſcholas publicum appellaretur citramarini orbis gymnaſium. Et ut aliquid rationis afferre videar, eo id argumento colligimus, quod quiſquis artium profitendarum afficeretur ſtudio, non ante Profeſſis inſcribi merebatur, quam hinc explorata diligentia examinatus abiret, *ubi* Profeſſorum *nomine eos intelligit gradus, quos magiſterii & Doctoris nomine cenſemus. Ex eorum numero erat procedente ſæculo* 10. *Antonius*, quem virtus & religio *inſulæ* Barbarenſis præfecerat cœnobio, *ex Syro. Erat hic locus in meditullio Araris ſupra Lugdunum, celebris quondam Ordinis noſtri Abbatia, nuper ſæculari veſte donata: in cujus indicibus Abbatum numero adſcribendus eſt Antonius, cum id Syrus diſerte conteſtetur.*

Archidiaconus Majolus. 15. *E ſtudiis reverſus Majolus*, per cunctos gradus conſcendens eccleſiaſticos, cum Levitarum potiretur officio, ad ejuſdem uſque arcem, doctrina id exigente, ab eodem eſt ſublimatus ſuprafcripto Pontifice, *id eſt ad* Archidiaconatus officium, *uti Syri verba explicat Odilo. Ea in dignitate mores ad doctrinæ formam componens, Chriſtianis virtutibus, maxime in pauperum charitate excelluit: quod ipſi omnium exiſtimationem comparavit. Verum is laudes fugiens, ac popularem tumultum, identidem ſecedebat* in oratoriolum, quod ipſe reædificaverat, ſancti Michaelis, trans Ararim, *ubi* in orationibus pervigil, divino famulamini manciparetur attentius. *Inde in aliorum profectum ſe extendens, ex diverſis ad ſe partibus clericos convenientes* gratis libenterque *erudiebat. Tum hominis fama quaquaverſum diffuſa*, Veſontionenſi Archiepiſcopo viam univerſæ carnis ingreſſo, tam ipſius terræ Principis, quam totius Cleri conſenſu & populi, ad ejus culmen ſuſcipiendum Pontificatus beatus Majolus impulſus, *haud quaquam aſſentire voluit: quin immo eo magis ad declinandam* (*quæ fugientes ſequi ſolet*) *gloriam ardentior factus, de ſæculo fugiendo ſedulo cogitare cœpit. Sed ut accuratius tempus, quo id contigit, inveſtigare liceat, quædam Majoli tum Archidiaconi facta hic commemorare juvat. In his reperitur charta quædam, qua* Acbertus vir præcelſæ nobilitatis *a Maymboldo ſeu Mainbodo Epiſcopo Matiſconenſi (quem nonnulli* Maguboldum *mendoſe vocant) eccleſias quoad viveret, obtinet in fundo ſuæ proprietatis,*

* Eſcuzolles. *qui dicitur Scociacus *, ubi principalis eccleſia eſt in honore ſancti Andreæ, inſuper capella ſancti Joannis, & altera ſancti Marcelli: quibus litteris manu propria ſubſcribunt* Maymbodus Epiſcopus, Ado Abba, (*dignitas eccleſiæ Matiſconenſis*) & Mayolus Archidiaconus, *anno tertio Ludovici Regis, Chriſti* 939. *Item anno ejuſdem Regis ſexto idem Maimbodus* nobili viro Achardo *terram ſuæ eccleſiæ*, ſitam in pago Forenſe, *locat: ejuſque rei inſtrumento inter alios manum ac ſignum apponit* Mayolus Archidiaconus *ante Adonem Abbatem.*

Ita-

Digitized by Google

Itaque ad id uſque tempus Archidiaconus eſſe perſeveravit Majolus, nempe ad annum Ludovici Regis ſextum, qui Chriſti annus 942. *erat, idemque primus Aymardi Abbatis Cluniacenſis poſt mortem Odonis.*

AN.CHR. 994 11. Maji.

16. *Cum* ejuſmodi moribus polleret *Majolus, Veſontionenſi Archiepiſcopo* viam univerſæ carnis ingreſſo, tam ipſius terræ Principis, quam totius Cleri conſenſu & populi, ad ejus culmen ſuſcipiendum pontificatus impellitur, *quod ipſe præ modeſtia conſtanter recuſavit. Id a Syro & Nalgodo memoriæ proditum eſt, nec mirum ſi prætermiſſum ab Odilone, qui etiam de recuſata ſummi pontificatus dignitate ſiluit, quippe qui Majoli breve elogium potius excurrendo adornavit, quam vitam accuratam compoſuit. Majoli loco electus eſt in ſedem Veſontionenſem Gerfredus, cujus deceſſorem penitus perſpectum non habeo.*

Veſontionenſem Archiepiſcopatum recuſat.

III. Majoli converſio ad vitam monaſticam, Abbatialis electio.

16. *Aymardo Abbate Majolus Cluniacum frequenter accedebat*, & cum Fratribus frequens habebat colloquium & ſpiritale contubernium, *referente Odilone, quibus in votis erat*, ut eum poſſent ſibi acquirere fratrem, quem poſtmodum mererentur habere & Patrem. In hujus vero converſionis obſequio multum valuit venerabilis viri Hildebranni dulcis collocutio & ſpiritalis ſuggeſtio. Hic cum eſſet ex prioribus Cluniacenſibus monachis & ejuſdem monaſterii Præpoſitus, bis invitatus eſt ut officium Abbatiæ ſuſciperet, ſed noluit: quia ſemper plus obedire quam præcipere, & magis ſubeſſe quam præeſſe voluit. *Hanc vero Majoli converſionem non ſolum in Hildebrannum Priorem, ſed etiam in Aymardi* meritum patientiæ & innocentis vitæ, *ob quam* tanto talique a Chriſto ditatus eſt munere, ut ejus tempore ad amorem monaſtici Ordinis auctor noſtræ ſalutis beatum Majolum dignatus ſit accerſere.

Majolus monachus.

17. *Monachus factus*, ſingulari præ ceteris præeminebat virtute, *ait Syrus: eumque Aymardus* Bibliothecæ præficiens, Apocriſariatus officium eidem injunxit, *de cetero a Virgilii aliorumque profanorum auctorum lectione abſtinens, alioſque Fratres ab ea deterrens*. Apocriſarius eſt qui cuſtodit eccleſiæ theſaurum, & in cujus manu eſt quicquid a popularibus ad altaria offertur. *Udalricus auctor in lib. 3. Conſuetudinum Cluniacenſium cap. 12. Ad idem officium pertinuiſſe videtur, ut ſiqua negotia foras exſequenda erant, eorum gratia mitteretur Apocriſarius, ut apud Romanos. Majolus quippe aliquando miſſus eſt Romam ab Aymardo negotiorum cauſa; eoque in itinere Yporediæ* * *(quæ urbs eſt epiſcopalis ſub Archiepiſcopo Taurinenſi) Heldricum monachum ægrotantem ſacri olei unctione ſanat. Fuerat is* quondam in Italia inter ceteros palatinos honorabilis: *qui* uxori cum magna rerum temporali copia abrenuntians, depoſito cingulo Cluniacum ſe conferens, beati Benedicti ſe ſubdidit propoſito, & *quidem Majoli fama impulſus, ut tradit Syrus in lib. 2. An is ſit Heldricus, qui ſancti Germani apud Autiſſiodorum Abbas fuit, inferius expendemus*. Unctionis ſacramentum *appellat Nalgodus eum ritum, quo Heldricus a Majolo ſanatus eſt. Huc ſpectant ea quæ diximus in Præfatione Sæculi primi de ejuſmodi unctionibus.*

Bibliothecarius & Apocriſarius.

Quædam ejus facta.

* Yvrée.

18. *Prædictum Apocriſariatus officium item probant alia quædam negotia, quorum exſecutor Majolus monachus fuit: Nam anno* 11. *Ludovici Regis* Hildebrandus & Majolus placitarunt *coram Leotaldo Comite, Vvalterio Vicecomite, aliiſque horum* fidelibus (*alibi* Primates, *appellant*) *pro quibuſdam terris Cluniaco datis, quæ a nonnullis occupabantur. Item anno ſecundo Lotharii Regis* Eldebrandus & Majolus monachi Clunienſes *mittuntur ab Abbate Eymardo ad Maimbodum Epiſcopum Matiſconenſem in Synodo exſiſtentem, petituri ab eo decimas eccleſiarum ſancti Andreæ in Evranda, & ſancti Boniti. Hæc aliaque facta apprime demonſtrant, Cluniacenſem Præpoſitum, qualis erat Hildebrandus, atque Apocriſiarium curam geſſiſſe de temporalibus cauſſis. Deinde collatione*

Digitized by Google

AN.CHR. 994 11. Maji. *ne facta prioris iſtius facti, quod anno 11. Ludovici Regis a Majolo jam monacho geſtum eſt, cum alio ſuperiori, cui idem tum Archidiaconus anno ſexto ipſius Ludovici ſubſcripſit, manifeſte colligimus, Majolum ſæculo nuntium remiſiſſe anno ſeptimo vel octavo regni Ludovici, id eſt anno 943. vel inſequente.*

IV. Ejuſdem electio in Abbatem Cluniacenſem: acta ſub ejus regimine.

Abbas quo tempore electus. 19. *Neque id obſcure indicat tempus, quo Aymardus eum ſibi ſucceſſorem allegit. Majolus enim jam inde ab anno 13. Ludovici Abbas dictus eſt, ut ex quibuſdam inſtrumentis in Elogio Aymardi oſtendimus. Atqui* ſexto anno (ut fertur) converſionis ſuæ a ſæculo *Aymardi vicarium ac ſucceſſorem deſignatum fuiſſe Odilo tradit. Itaque ſi ab anno Ludovici tertio decimo detrahas annos ſex, remanebit annus ſeptimus, quem Majoli converſione illuſtrem fuiſſe proinde exiſtimare licet. At quo minus ejus electionem ſub Ludovico Transmarino reponamus, illud obſtare videtur, quod anno ſecundo Lotharii Regis, Ludovici filii ac ſucceſſoris, quo anno Majolus cum Hildebrando ad Maimbodi Synodum pro decimis Evrandæ & ſancti Boniti miſſus eſt, ipſius nomen in charta Eldebrando poſtponitur, neque* Abbas, *ſed tantum* Monachus *appellatur. Verum præter ea quæ ad prius illud probandum in Elogio Aymardi adducta ſunt, occurrit & aliud argumentum ex litteris donationis Maytrami cujuſdam, qui* ad locum Celſinianas & Domno Majolo Abbati *dedit villam de Becedas* menſe Februario, regnante Ludovico Rege Francorum. *Unde conſequens eſt, Majolum regnante Ludovico jam* Abbatem *audiiſſe. At quoniam Aymardus non ita regimen in eum rejecerat, ut primis annis nihil omnino geſſerit, ut in Elogio Aymardi a nobis dictum eſt; contigit, ut Majolus, qui potius* Coadjutor *cenſebatur, aliquando* Abbas *a ſæcularibus in publicis inſtrumentis, aliquando* Monachus *appellaretur, maxime in iis actis, quæ curante Aymardo gerebat. Id innuere videtur Chronicon Malleacenſe, ubi Majolus dicitur,* anno 961. ſexto anno ordinationis ſuæ ſuſcepiſſe curam Cluniacenſis cœnobii, *id eſt integrum regimen in ſe ſuſcepiſſe anno ſexto a ſua electione, tametſi ex dictis dicendum eſſet anno 12. Ejus porro litteras electionis in ipſius Aymardi Elogio retulimus, quarum fragmentum etiam Syrus refert; ibidemque ex Petro Damiani factum inſigne retulimus, in quo Majoli modeſtiæ egregium ſpecimen apparet. Nam ab Aymardo privatam ſedem repetere juſſus, aſſenſit non gravate, idemque Abbatis cathedram (increpito per Aymardum Cellerario, qui in ipſum petulanter locutus fuerat) eadem facilitate repetiit.*

Acta ſub communi Aymardi & Majoli regimine. 20. *Per id communis adminiſtrationis tempus, alterutrius Abbatis nomine inſtrumenta publica inſignita erant, qualia in Elogio Aymardi obſervare licet. His addo in præſens chartam Girbergæ, eccleſiam ſancti Mauricii in Comitatu Cabilonenſi in villa Breugis & villa Canna concedentis, ſicut Ardradus Epiſcopus tenuit, anno tertio Lotharii Regis. Addo etiam chartam Gauzberti cujuſdam, qui alodum ſuum,* cui vetuſto vocabulo latina ruſticitas Petrafixa nomen indidit, ſitum in ſuburbio Brivatenſi, Heymardo Abbati; *ac monachis Celſinianas incolentibus, perpetuo jure dedit* pro remedio animæ ſuæ & ſenioris ſui Bertrandi ac Stephani filii ejus. *Actum eſt hoc apud Celſinianas* menſe Januario, anno quarto regnante Lothario Rege, ab Incarnatione Domini 958. *Eodem anno menſe Decembri* Majolus Abbas *quaſdam terras in pago Matiſconenſi, in villa Materiaco aliiſque emit* pretio 400. ſolidorum. *Biennio poſt Adalradus res ſuas in villa* de Perſezeel, *vicaria Ycionenſi, tradit* ſanctuario, quod dicitur Celſinanias, inſtituens heredes Monachos, ibidem Deo nocte ac die ſervientes, quibus moderatur reverens paternitas domni Majoli præcipui Patris. Data in menſe Februario, 11. die ipſius menſis anno Dominicæ Incarnationis 960. anno autem imperii Hlotarii Regis Francigenæ 4. (*legendum* 6.) ſecundæ * Olympiadis. *Anno ſuperiore Lotharius Rex, poſtulante Gerberga Regina matre ſua, monaſterium ſancti Amandi in Comitatu Trabeſino, (Nantuenſe vocant) quod* abſque rectoribus veluti in inhabitabilibus locis

ſitum

Digitized by Google

ſitum erat, *Cluniaco ſubjicit*, ut in quantum Deus ſuppeditaverit conſilium, illud conſtruatur in habitabilibus locis. Datum 9. kal. Decemb. anno 5. Lotharii Regis, Indict. 3. *in* Divionenſi palatio. *Sed hoc loco in memoriam revocanda eſt ſuperius edita præſtaria Majoli Abbatis in gratiam Arnulfi Atenſis Epiſcopi de quibuſdam rebus ſuis hereditariis in Provincia ſitis, facta anno* 23. *Conradi Regis, qui annus Chriſti anno* 960. *reſpondet. Dein anno* 962. *Albericus Comes, Leotaldi filius, Majolo Abbati & monachis ejus multa donat in pago Matiſconenſi* anno 8. Lotharii *Regis. Præterea anno decimo ejuſdem Amblardus Lugdunenſis Pontifex ipſiſmet Majolo & Fratribus dat eccleſiam ſanctæ Mariæ de Cantu-merula* in pago Arvernico *& in Vicaria Randerenſi, & vineam cum ſilva apud Vetreriam, &* & in pago Claromontenſe *villam Luxiacum. Ejus litteris ſubſcribunt* Stephanus Epiſcopus *Arvernorum, &* Rotbertus Abbas *anno* 11. *Lotharii*. Majolus humilis Abbas & Heymardus Abbas *ſubſcribunt cuidam præſtariæ, duobus Levitis factæ, de rebus ſitis in pago Cabilonenſi. Ab eo anno nulla ulterius mentio eſt Aymardi Abbatis, ſed omnia inſtrumenta ſolum Majolum Abbatem præferunt. Quædam commemorare operæ pretium puto.* AN.CHR. 994 11. Maji.

21. *In Cluniacenſi archivo inveniuntur plura diplomata Ottonum Imperatorum. Unum eſt Placitum datum* in civitate Papia, in caminata ſalæ domus Lietfredi Ticinenſis Epiſcopi, poſt capitium eccleſiæ ſancti Cyri Confeſſoris, ubi ejus corpus ſanctum quieſcit, reſidente Otberto Marchione Comite palatii, ut juſtitiam inter homines diſcerneret cum aliis judicibus. *Ad cujus præſentiam* domnus Majolus Cluniacenſis Abbas venit, & repræſentavit duo monimina *ſeu inſtrumenta, unum nomine Ottonum Imperatorum* datum 16. Iulii anno 6. regni in Italia, *continens, quomodo Gaidulfus filius Petri judicis quaſdam terras emiſſet, ubi erat* capella una in honore ſanctæ Mariæ juxta Papiam ſeu etiam ſancti Michaelis, eaſque cum capella Majolo Abbati dediſſet, ut monachi ſub norma ſancti Benedicti viventes ibi in perpetuum habitarent, & orarent pro anima Liutardi Cumani Epiſcopi: *alia item* monimina *donationum aliquot eidem factarum: poſtulavitque ut contra invaſores ſibi confirmarentur: quod & præſtitum eſt tempore regni* duorum Ottonum patris & filii anno 6. regni Italici Ottonis Junioris, Indict. 10. *lege* Ottonis majoris, & junioris anno 1. *Hæc Cella poſtea S. Majoli dicta eſt. Idem qui ſupra* Otbertus Marchio & Comes palatii *monaſterio* quod Clugnes dicitur, *donat quæcumque habebat ſuper fluvium Padi infra caſtrum Vicopiculo &c. anno ſenioris Ottonis* 10. *Junioris* 4. *Indict.* 14. *Præter ea invenio Ottonis primi diploma duplex, unum in quo hæc leguntur:* Recipimus Oddonem Abbatem ſub noſtri tuitione mundiburdi cum Abbatia ſancti Sabini, in loco qui dicitur Tuſcana. *Datum* 8. *Id. Julii anno Inc.* 969. *Ottonis* 8. Indict. 12. Actum in Pliſta. *Quis ſit Odo iſte Abbas, quodve eius monaſterium, non capio. Fortaſſe id in Italia ſitum erat. Idem Otto ad preces conjugis ſuæ Adeleidis monaſterio ſancti Petri Ticinenſi concedit vineam, quæ fuit cuiuſdam Presbyteri de cardine Ticinenſis eccleſiæ, & ad jus regni ſui tunc pertinebat. Ad hæc* anno ſexto regnantibus in Italia Ottone & Ottone filio, *Ingelbaudus quidam, filius Anſegiſi, vivens* lege Saliga, *donat quædam prædia in Comitatu Viennenſi* ad monaſterium Cluniacum, per cultellum, feſtucam nodatam, per vuantonem & vuaſonem terræ in manus Domni Majoli Abbatis. Acta ſub Majolo.

22. *Anno* 36. *Conradi Regis Majolus Abbas in precariam nonnulla tradit Hugoni filio Lamberti Comitis in hæc verba*. Notum ſit omnibus ſacri cœnobii Clunienſis Abbatibus atque monachis quibuſque futuris, quod ego frater Majolus prædicti cœnobii licet indignus Abbas, una cum conſenſu Fratrum, res juris noſtri cuidam nobili viro Hugoni, Almodi ejus uxori, & Stephano eorum filio, atque ejuſdem primogenito (*nos hodie ad tres vitas diceremus*) villam Ambariacum concedimus *&c. Subſcribunt* Majolus humillimus Abbas, Vivianus *Prior*, Ermenfredus Epiſcopus, Balduinus, de-

AN.CHR. 994 11. Maji.

deinde alii Monachi numero 25. Hæc anno 973. Per idem tempus Joannes Papa XIII. *Monaſterium Clunienſe*, cui ſapienter, *inquit*, & beatæ præeſt chariſſimus filius noſter Domnus Majolus Abbas, *commendat Epiſcopis Galliarum, Stephanum Arvernenſem Epiſcopum compellans, ut pro inſita ſua bonitate Amblardum fidelem ſuum ad reſtitutionem Celſinianenſi cœnobio faciendam compellat. Adonem etiam Matiſconenſem Antiſtitem obteſtatus, in hunc modum.* Res quoque exigit ut tibi aliqua dicamus, frater chariſſime & amande Domne Ado Epiſcope, quem licet non viderimus, ex nomine novimus in omni ſpirituali bonitate. Efflagitamus itaque benigniſſimam tuæ paternitatis dulcedinem, ut quo vicinior eſſe videris præfati Monaſterii ſcholæ, eo tua protectio pro tuo poſſe celerior Fratrum neceſſitatibus occurrat, qui te ex abundanti charitate diligunt, & ulnis totius amoris perfectiſſime ambiunt, & amplecti deſiderant. Quocirca Clunienſis Monaſterii ſemper eſto protector, ſicut B. Petri es fidelis amator. *Hæc bulla caret notis chronicis in Bullario Cluniacenſi.*

23. *Anno* 20. *Lotharii Regis Albericus Comes Matiſconenſis & Ermentrudis ejus conjux Cluniacenſibus ſub Majolo dant multa prædia in villa Aponiaco* *. *Anno vero* 978. *Indict.* 6. *Lugduni coram populi multitudine Amblardus Epiſcopus Lugdunenſis* dedit res ſuas in pago Arvernico Fratribus Clunienſis Monaſterii, ut cellam ædificarent in villa Niſiaco * in agro Tyernenſe, in vicaria Doratenſe, hoc eſt villam Genretam, Montem-brioſonem, &c. *Legimus ejuſdem Ambraldi hac de re inſtrumentum, in quo ait ſe hæc Deo & ſanctis Apoſtolis Petro & Paulo donare*, quatenus monachi Cluniacenſis loci in Niſiaco cellam Deo dicatam ſibi conſtruerent in honore beati Petri principis Apoſtolorum ſub Regula ſancti Benedicti monachorum Patris Deo militantes; *præcipitque* vadiatoribus *ſuis, id eſt* teſtamenti ſui exſecutoribus, (Eleemoſynarios *alii appellant*) *ut chartam de hac donatione faciant: quod quidem continuo præſtant* Andreas Præpoſitus, Ornadus Decanus, Gundramnus Abbas, Hugo Abbas (*Dignitates Eccleſiæ Lugdunenſis*) Augendus Canonicus, Stephanus Diaconus, Pontio Canonicus, & Hugo Laicus. *Niſiaci hactenus eſt Prioratus Cluniacenſis.*

* Apogny. * Nizy.

24. *Benedictus Papa* VII. ordinandum tradidit Lirinenſe monaſterium Majolo Abbati Cluniacenſi, *ut legit noſter Stephanotius in tabulario Lirinenſi. Extat ejus rei pontificium diploma in Bullario Cluniacenſi, datum* anno 4. pontificatus Benedicti VII. imperii Ottonis anno 11. menſe Majo, Indict. 6. *In ea bulla fit mentio etiam de Arluco* * *monaſterio modo deſtructo: quod ſanctus Honoratus pro Sanctimonialibus conſtruxerat in monte peramœno ad littus maris & ad ripam fluvii Siagnæ* *, *ubi Angariſma præerat Sancto Aigulfo Abbate. Sed inſignis præ ceteris eſt charta Rodulfi Cabilonenſis Epiſcopi, in qua* Ageus Canonicus adiit noſtræ, *inquit*, munificentiæ ſerenitatem, rogans, ut Clunienſibus monachis & Domno Majolo Abbati domum cum arca juxta muros urbis ex una parte, ex alia juxta clauſtra Canonicorum cum Canonia quam ab ineunte ætate obtinuerat, æternaliter daret: *quod ait ſe ultro facere ex conſenſu clericorum ſuorum*, maxime cum tanti viri *Majoli* gloriam ab ipſo Domino mutuatam & aure percipimus, & intuitu proprii luminis nihil in ejus dilectione conniventes quotidie perſpicimus. Ille enim ut vere eſt Galliarum jubar ad tempus exortum, noſtris ſæculis admirandum, &, ſi potis eſt, omnibus imitandum: *quo elogio luculentius nihil afferri poteſt de homine vivente: neque ullam invenio ante id tempus datam Cluniacenſibus Præbendam (quam vocant) Canonicorum, plures poſtea ſub Odilone & Hugone Abbatibus. Subſcribunt iſti chartæ poſt Rodulfum* Adalais Comitiſſa, Hugo filius ejus, Rotbertus *Vicecomes, cum Canonicis, anno* 26. *Lotharii Regis.*

* S. Eſtienne d'Arluc. * la Siagne. Majoli præclara laus.

25. *Anno* 34. *Lotharii Regis, id eſt anno* 980. *Gaufredus Comes atque uxor ejus Adeleis donant ad locum Cluniacum, ubi Majolus erat Abbas, res ſuas ſitas in pago Cabilonenſi, in fine jemulacenſi, villa Fuſciaco. Subſcribunt* Gaufredus Comes, Adeleis *ejus* uxor, & Hugo filius *ejus, nempe Adeleidis ex Lamberto Comite, priori ejus conjuge. Anno* 26. *Lotharii* Vvido Vicecomes Arverni-

AN.CHR. 994

vernicæ civitatis & Auſenda ejus conjux *dant eccleſiam ſanctæ Mariæ de Bello-monte in pago Cabilonenſi ſub Majolo item Abbate.*

26. *Anno* 981. *Milo Epiſcopus Matiſconenſis eccleſiam ſancti Germani in villa Roſejo, & eccleſiam ſanctæ Mariæ in villa Pedrono in ſynodo ſua Majolo Abbati ejuſque monachis concedit cum decimis & omnibus ad eas pertinentibus*, ſalvo ſervitio ſynodali, paratis, & eulogiis. *Anno* 28. *Lotharii Regis* Lambertus Comes & Adeleis *ejus uxor dant Cluniaco eccleſiam ſancti Martini de Ingheto in pago Auguſtodunenſi. Prætereo multas alias eccleſias, quas tum Curcardus Lugdunenſis Archiepiſcopus cum conſenſu* Præpoſiti & Abbatis Hugonis, *tum Roclenus homo laicus in diœceſi Lugdunenſi regnante Conrado ab anno regni ejus trigeſimo ad quadrageſimum; tum Walterius Æduenſis Epiſcopus anno* 29. *Lotharii Regis, aliique Cluniacenſibus monachis contulerunt: ex quibus Vvalterius dedit eccleſiam de Monte-melardi, & eccleſiam ſanctæ Mariæ in villa Vallis, & eccleſiam ſancti Germani in villa Tirinaco*, ubi prædicti Monachi, *inquit*, in obedientia quotidie aſſiſtunt. 11. Maji.

27. *Anno* 30. *Lotharii Regis, id eſt anno* 984. *Majolus Cluniacenſis* & Valongus *Luxovienſis Abbates aliqua inter ſeſe commutant in villis Saluſtriaco & Danaico pagi Matiſconenſis: ubi antea Aymardus Abbas cum* Guidone *Abbate item Luxovienſi quædam permutaverat. Eodem anno Aynus Matiſconenſis Archidiaconus Cluniaco dat vineas ſitas in pago Cabi-lonenſi, Villa Fuſciaco: confirmant* Rotdulfus Epiſcopus, Gauzfredus Comes, & Adeleis Comitiſſa.

28. *Anno* 985. *Lambertus Comes Valentinenſis tradit locum ad conſtruendum Monaſterium in honorem ſancti Marcelli. Litteræ hac de re confectæ ſic habent prologo & nonnullis omiſſis.* Ego Lambertus & uxor mea Falectrudis donamus aliquid de res noſtras proprias Deo, & S. Marcello, & monachis iſtis, id eſt, Odoino atque Duranno, & ad illos qui ad locum B. Marcelli venerint, & ibi in unum communiter habitaverint, pro remedio animarum noſtrarum, & pro filiis noſtris Ademaro atque Lamberto, & ut eccleſia B. Marcelli reædificetur, monaſteriumque ibi faciatur, nullique loco ipſa eccleſia nec ipſe locus ſubjectus ſit, niſi ad S. Petrum principem Apoſtolorum: omnique tempore ad Romam monachi ibidem pariter habitantes ad quintum annum quinque ſolidos in cenſum reddant. Abbatem enim in locum B. Marcelli, quæ dicitur Fellinis, non habeat qui Regulam Sancti Benedicti non teneat, & ſecundum eam non vivat: nullique Monachi ibi habitent, qui fraternam & communem vitam bene non cuſtodierint. Si enim aliquis homo aut aliqua perſona propter aurum, vel propter argentum, aut propter aliquam facultatem Abbatem in locum B. Marcelli mittere voluerit; omnes Sancti ſint ei contrarii, & B. Benedictus cum grege Monachorum ſuorum .... Sunt ergo ipſæ res ſitæ in Comitatu Valentinenſe, hoc eſt mons quæ appellatur Alavinea, & mons quæ vocatur Media-luna ..... Donamus, donatumque in perpetuum eſſe volumus in alimonia & ſtipendio monachorum, & ſuſceptione hoſpitum, & peregrinorum & orphanorum, in jam dicto loco ſub Regula jam dicti Patris Benedicti ſervientium, pro remedio animæ meæ, necnon & pro remedio patris mei Guntardi, & pro matre mea Ermengarde, *&c. Subſcribit inter alios* Richardus filius *Lamberti. Hanc donationem confirmat Conradus Rex anno* 46. *regni ſui. Ademarus Comes & uxor ejus Roteldis Odiloni Abbati iterum eum Prioratum reſtituerunt anno* 1035. *De eo Prioratu vide Bibliothecam Cluniacenſem col.* 1727.

29. *Anno* 986. *qui obitu Lotharii Francorum Regis præditus eſt, Majolo* ejuſque monachis datur vinea apud Noglas villam pagi Matiſconenſis, anno primo Ludovici Regis, *qui Lotharii filius ac ſucceſſor fuit. De eodem Ludovico Rege interpretanda eſt charta, qua Canonicus quidam Anicienſis ædes ſuas igne conſumptas, infra clauſtra Canonicorum ſitas reſtituit, donatque Majolo & Cluniacenſibus*, anno quo Ludovicus Rex in adoleſcentia vitam finivit: datum 5. feria Regum Francorum epochæ.

Digitized by Google

AN.CHR. 994 11. Maji. 3. Id. Auguſti. *In quodam brevi chronico Regum Franciæ, quod manu exaratum habetur in Bibliotheca Patrum Carmelitarum Cantoenuenſium apud Clarum-montem, de poſtremis ſecundæ ſtirpis Francicæ Regibus eorumque annis regni ita legitur.* Chlotharius 31. Ludovicus I. Karolus frater ejus 6. menſibus. Hugo alienus 9. *Hic filius Hugonis Comitis* Pariſienſis ex Havvide ſorore Othonis cœpit regnare anno Domini 987. & regnum uſurpavit. *Et in alio.* Hludovicus Ultramarinus genuit Hlotharium, Hlotharius genuit Hludovicum, qui adhuc puer Blanchiam cepit in uxorem, in quo etiam Reges de familia Karoli Magni defecerunt. Huic quoque ex alia familia ſucceſſit Hugo in regnum, Hugonis Magni filius: cui ſucceſſit Rotbertus filius ejus in regno. Huic autem ſucceſſit filius ejus Ainricus, qui modo Deo protegente, prout poteſt, regnum Franciæ gubernat. *Hæc ex noſtro Stephanotio accepimus. Charta quædam, numero 326. in Chartario Majoli, notatur* anno 5. Hugonis Regis, Karolo truſo in carcere, *qui Ludovici patruus erat, Dux Lotharingiæ.*

30. *Anno* 988. *Majolo & Cluniacenſibus a quodam Clerico, nomine Richardo, datur eccleſia ſancti Andreæ* in pago Vapinſe *, *cum ipſa villa Roſanis, caſtro Riſone, villis Sorbaria, Gemma &c. tum in* Comitatu Vaſinſe *, infra terminos *caſtri Malancenæ ſex manſi, medietas caſtri Minſon &c.* ut ibi, *id eſt in prædicta eccleſia*, perpetuo degant Monachi.

* de Gap.

* de Vaiſon

31. *Hucuſque res actæ ſub Majolo ſolo Abbate, qui anno* 991. *Odilonem ſibi ſubſtituendum curavit, unde pleraque acta Odiloni ſoli adſcripta ſunt, ut dicemus in ſequenti capite* 8. *Sed priuſquam hinc diſcedo, memoranda ſunt reliqua acta duo per Majolum Abbatem, notis chronicis deſtituta, quorum unum eſt de conceſſione cœnobii ſancti Marcelli apud Cabilonem, de qua ſic charta Tetbaldi Comitis Cabilonenſis, ex chartario S. Marcelli & ex Bibliotheca Cluniacenſi col.* 314.

EGO in Dei nomine Tetbaldus Comes Cabilonenſium omnibus filiis ſanctæ Eccleſiæ in Domino ſalutem. Audivi a prædeceſſoribus meis & vicinis antiquis viris, quod nobiliſſimus Comes Gaufredus, qui poſt mortem præſtantiſſimi & Chriſtianiſſimi Comitis avi mei Lamberti accepit ejus conjugem aviam meam Adheleidam Comitiſſam, acceſſit ad beatæ recordationis Abbatem Majolum, & commendavit illi Monaſterium in ſuburbio Cabilonenſium civitatis a Guntramno nobiliſſimo & religioſo Rege magnifice conſtructum, ubi requieſcit corpus B. Marcelli martyris, eo tenore, ut religionem monaſtici Ordinis, quæ pæne ibi abolita fuerat, reformaret, & terram & poſſeſſiones ad ipſum locum pertinentes excoleret, & ut ipſe & ſucceſſores eius Cluniacenſes Abbates Monaſterium perpetualiter haberent & poſſiderent. Hanc autem commendationem ſive donationem fecit ſupradictus Comes Gaufredus domno Majolo cum conſilio conjugis ſuæ Adeleidis & filii eius Hugonis, tunc Clerici, poſtea Epiſcopi, adjuvante & laudante Henrico Duce. Poſtea vero regnante ſereniſſimo Rege Rotberto avunculus meus domnus Hugo Comes & Epiſcopus, præſente ipſo Rege & Comitibus & Epiſcopis iſtius patriæ, Monaſterii donum tradidit domno Odiloni Abbati, ſucceſſori Abbatis Majoli, ut ipſe jure anteceſſoris ſui locum haberet, teneret, ac poſſideret. Ego vero gratia Dei Comes Tetbaldus quod anteceſſores mei & parentes Deo & ſancto Petro & loco Cluniacenſi dederunt, laudo, volo, & firmo, & uxori meæ & meis fidelibus laudare & firmare facio *&c.* Signum Tetbaldi Comitis, S. Ermentrudis eius conjugis *&c.*

32. *Alia charta eſt Majoli Abbatis, qua Humberto de Bellojoco quaſdam Obedientias commendat ſub hoc titulo.* Notitia commendationis, quam venerabilis memoriæ Majolus fecit Humberto de Bello-joco de his obedientiis, Algoja, Pola, Scotiolas, Arpajaco, ita dicens.

Com-

Digitized by Google

COmmendo tibi has ſupranominatas Obedientias ad cuſtodiendum ac defendendum a malis & perverſis hominibus, in loco ſatisfactionis & emendationis pro innumeris malis, quæ nobis feciſti, pro quibus te excommunicare debebamus : ita tamen, ut pauperibus noſtris reddas quæ tu eis tuliſti. Facio autem hanc commendationem tibi, non ut aliquem cenſum per conſuetudinem requiras in his obedientiis, quod cum ſumma diligentia & animadverſione interdico & excommunico, niſi tantum ſi tranſitum habueris juxta obedientiam cum 6. aut 10. militibus; & Monachus ſpontanee te admonuerit, reficias, & poſt refectionem viam tuam teneas, nec præſumas ibi jacere. S. Alberici Comitis qui hanc notitiam laudavit. *Ubi vides* Obedientiæ *vocabulum jam ſumptum ſæculo* 10. *pro miniſterio ſeu Cella, cui unus pluresve Monachi præfecti erant. Hactenus inſtrumenta præcipua ſub Majolo facta retulimus, quæ omnia non Majolo ipſi, ſed vel monaſterio Cluniacenſi, cui Majolus præerat, vel Monachis, vel certe in manus Majoli Abbatis facta dicuntur, uti & quævis aliæ donationes Monaſteriis factæ, quo magis mirari ſubit nonnullos homines, qui Abbati non Monachis quaſlibet donationes factas fuiſſe audent affirmare, contra certam & exploratam veterum traditionem. Omnes chartæ ſub Majolo conditæ ſunt numero* 859. AN CHR. 994 11. Maji.

VI. Monaſteria per Majolum reformata.

33. *Poſtquam varias donationes Cluniaco factas retulimus, nunc de ceteris ejus factis agendum eſt : quo in genere multa de ejus virtutibus tradit Syrus, quæ hoc loco repetere non juvat. Nonnulla retuliſſe ſufficiat, quæ illuſtratione indigent. In primis commemoranda venit ejus familiaritas cum Ottone Magno ſeu primo ejuſque filio Ottone ſecundo, & cum Adbeleide Auguſta prioris uxore, quæ eum ad reſtituendam in multis Monaſteriis regularem diſciplinam adhibuit. De Ottone Magno hæc Syrus memoriæ prodidit in lib.* 2. Magnus Otto, qui tunc temporis rempublicam gubernabat, tanti viri virtute plurimorum relatione comperta, ejus præſentiam ardentius cupiebat. Hic enim vir, licet imperiali potiretur faſtigio, magna tamen erat illi circa monaſteria devotio : quia nequaquam ſe feliciter Imperium ſperabat tenere, niſi ſummo Regi ſtuderet non diſplicere. Et ideo ſæpius ingemiſcebat, dum qui per religionis habitum Deo ſe devoverant, ſæculari intentos negotio ire per abrupta cernebat. *Et infra.* Huic conjunx Adheleis inhærebat, quæ Deo amabilis & omnibus diligibilis, ita regali copulabatur thoro, ut mentem caſtam omni cuſtodia Regi ſervaret ſuperno. *Subdit Syrus, Majolum veniſſe in amborum notitiam præſertim ex relatu Heldrici inter palatinos præcipui. Unde factum eſt, ut Otto Majolum accerſeret :* quem adeo pro ſalutari dilexit doctrina, ut quæ in Italia ſibi ſubdebantur & Germania, ejus ordinationi vellet committere. *In his* beati Apollinaris cœnobium, quod per viginti quatuor ſtadiorum ſpatium a Ravennate urbe fertur ſepoſitum, ad beati Benedicti inſtituit (*id eſt reſtituit*) tramitem, ibique ſuum ordinavit Abbatem. Præterea Imperatricis non contemnendæ petitionis tunc exoratus inſtantia, juxta Ticinenſem urbem deſudare cœpit in fabrica. *Id accidiſſe puto anno* 966. *quo Majolus Ticini erat, ex dictis ſupra num.* 21. *Claſſenſe appellabatur ſancti Apollinaris Ravennenſe monaſterium : de Ticinenſi ita ſcribit Odilo in lib.* 1. *de vita Adalheidis Imperatricis.* Poſtmodum in Italia juxta Ticinenſem urbem Monaſterium a fundamentis incœpit, & ad honorem Salvatoris mundi imperiali auctoritate & ſua largiſſima donatione perfecit; ac jam dicto Majolo ordinandum regulariter *tradidit. Monaſterium in Cælo-aureo interpretatur Nalgodus, quod longe ante id tempus a Liutprando conditum fuiſſe diximus in Sæculo* 3. *ubi de translatione S. Auguſtini & de Vita S. Appiani. Majoli etiam opera uſus eſt Sigefridus Parmenſis Antiſtes, qui* mellifluis *ejus* admonitionibus multa ad cœnobialem uſum apta conſtituit in *Parmenſi* cœnobio *ſancti Joannis Evangeliſtæ, ut ſuperius vidimus in actis ſancti Joannis primi ejus loci Abbatis.*

Majoli familiaritas cum Auguſtis.

& cum Auguſta.

Italica monaſteria per eum reformat.

34. *Per*

Digitized by Google

AN.CHR. 994 11. Maji.

Inobedientia deſignati Prioris ut punita.

34. *Per idem tempus Majolus* Romam venturus (*ſic rem memorat Petrus Damiani in Opuſculo 33.*) præcepit cuidam Fratri ut ſecum pergeret, quia ſicut rogatus fuerat, eum in monaſterio ſancti Pauli Priorem conſtituere decreviſſet. Ille vero nonnulla difficultatis obſtacula reluctatus oppoſuit, & modo hoc, modo illud, tandem obſtinatus obedire contempſit: Majolus autem inobedientiam Fratris æquanimiter tulit, eoque relicto, itinere quod decreverat commeavit. Cumque frater in Monaſterio per inobedientiam remanſiſſet, & reliqui Fratres in eum vehementer inveherent; tandem ad cor reverſus, poſt Majolum feſtinanter acceleravit. *Mox* ad quemdam fluvium pervenit, cujus vir Domini jam vada tranſierat, & ſuper ripam adhuc alteram conſiſtebat. Cum itaque Monachus in citeriori ſe fluminis crepidine figeret, quoniam abſente navigio tranſitum non haberet, videns procul adſtare Magiſtrum, quod ſolum potuit, præſto corruens in terram ſe humiliter ſtravit: & quia veniam deprecans per oris organum forte non poſſet audire clamorem, de toto corpore linguam fecit. Quod dum Majolus eminus aſpexit, quid hoc eſſet incunctanter agnovit: moxque miſſo remigio transferri ad ſe Monachum fecit: quem præſto vir Dei ad quid veniſſet inquirit. At ille ſimul & de præteritis veniam deprecatur, & impleturum ſe de ceteris quicquid injungeret pollicetur. Tum ille: Vis, inquit, abſque dubio pænitentiam: quo reſpondente, volo; protinus addidit: Huic igitur oſculum præbe: nam caſu tuberoſæ cutis illic leproſus adſtabat. Ille confeſtim in ejus oſculum ruit, moxque lepra mundati corporis prorſus evanuit. *Ex his ita infert Petrus Damiani*. Sic ſancta obedientia fructum ſuæ humilitatis invenit, dummodo veniam ſe corrigendo promeruit. Sed & ſignum inſuper tam perſpicuæ virtutis oſtendit: & cui ſuperbia pæne potuit apoſtaticam inferre perniciem, humilitas dedit Apoſtolicam exhibere virtutem.

Germanica

35. *Redeo ad reſtitutam per Majolum in monaſteriis etiam Germanicis diſciplinam, ex quibus nulla Syrus aliive ſignanter enuntiant, niſi quod Syrus Aldebaldum in epiſtola vitæ præfixa, miſſum in Germaniam, ſecum aſportaſſe dicit Majoli vitam, quam poſtea Odilo in cœnobio Morbacenſi repererit: quod argumento eſt, iſtum locum ſuſcepiſſe normam monaſterii Cluniacenſis. De Paterniaco, quod in diœceſi Lauſanenſi ſitum eſt, ita S. Odilo in vita Adalbeidis Auguſtæ.* In patris vero Ruodolfi videlicet & nobiliſſimi Regis, & Domini Chuonradi fratris, regni loco, videlicet Paterniaco, ubi matrem Reginam vocabulo Bertam, Deo in omni humilitate devotam, ſepulturæ tradidit, in honorem Dei Genitricis Monaſterium condidit, & ſanctiſſimo Patri Majolo ſuiſque ſucceſſoribus ſua munificentia, & fratris ſui Chuonradi Regis præcepto ordinandum perpetuo commiſit. *Sed hoc novæ inſtitutionis erat, non reformationis, de quo rurſus in actis ſancti Odilonis.*

Paterniacum.

Gallicana.

36. *At nullibi Cluniacenſis diſciplina tam late propagata eſt atque in cœnobiis Gallicanis, quorum non pauca Majolus Abbas in meliorem ſtatum revocavit. In eorum numero præcipua ſunt Majus monaſterium, Autiſſiodorenſe ſancti Germani, Reomaenſe ſancti Joannis, Divionenſe S. Benigni, Foſſatenſe ſancti Mauri, aliaque de quorum nonnullis in ſuperiori capite jam dictum eſt.*

Majus monaſterium.

37. *Quid in Majori monaſterio apud Turonos Majolus præſtiterit, docet in Bibliotecha Cluniacenſi fragmentum ex geſtis Abbatum ejus loci, alibi ex integro editis. Ibi quippe legitur, Odonem Comitem, ſuggerente uxore ſua Hermengarde, a* Cluniaco tredecim bonæ vitæ & opinionis Monachos *obtinuiſſe, & in locum Clericorum ſæcularium, qui apud Majus monaſterium tum degebant, ſubſtituiſſe: ex quibus* unum ex tredecim, Stephani Papæ & Regis Roberti vigente imperio, in Abbatem ſibi elegerint. *Sed allucinatur auctor in Stephano Papa, ſiquidem nullus eo nomine Pontifex Majolo Abbate ſedem Romanam gubernavit. Stephanus enim VIII. anno 943. deceſſit: & Stephanus IX. nonniſi anno 1058. pontificatum iniit. Subdit auctor, Pontificem* in monachum benedixiſſe Odonem Comitem, *& privilegii ſui auctoritate liberam conceſſiſſe* eli-

eligendi Abbatis facultatem, a Cluniaco abſolutam, Rotberti Regis auctoritate approbatam, & Majolum quidem principio reſtitiſſe; ſed tandem audita privilegiorum mentione acquieviſſe. Quæ ut vera ſint, vereor, ut omnia ad Majoli tempus referri poſſint. Nam e contrario Majolus initio Abbatis nomen eo in loco tulit, ut docet charta Herlanni Levitæ: & ſui vice poſtea Giſlebertum Abbatem inſtitui curavit, ut alias dicemus. Idem aſſerit Chronographus Malleacenſis, qui Guitbertum primum Majoris-monaſterii Abbatem poſt Majolum vocat ad ann. 994. Ad reformationem hanc pertinet Gerberti epiſtola Abbati Majoris-monaſterii ſcripta, in qua hæc verba. Servat natura vices, terraque bona, non ſuo judicio diu infœcunda, flores fructuſque parturit. Ecce enim beati Martini cellula Manochorum agmina jam dudum emortuo reſuſcitat, Martini virtus in ſuis diſcipulis dinoſcitur. E quibus beatæ converſationis alumnum, tamquam exemplar vitæ & morum, accepiſſe Oſulfum gaudemus. *Hæc epiſtola in editis hunc titulum præfert:* Adalberto Archiepiſcopo Abbati Majoris monaſterii. *Sed legendum puto,* Adalbero Archiepiſcopus, *ut hæc epiſtola ſcripta ſit a Gerberto in perſona Adalberonis Remorum Archiepiſcopi, uti & aliæ quædam.*

AN.CHR. 994 11. Maji.

Cheſnii to. 2. pag. 836.

38. *Venio ad Autiſiodorenſe ſancti Germani monaſterium, de quo hæc legimus in hiſtoria Epiſcoporum Autiſiodorenſium capite 47. in Heriberto Epiſcopo his verbis.* Hujus ergo pontificatus tempore, Dux Henricus ejus frater, ut erat totius religioſitatis amator, monaſterium beati Germani Domno Majolo commiſit Abbati, qualiter videlicet regularis normæ tramitem inibi conſtitueret, ſicut per multa loca tam in Italia, quam in Gallia dignoſcebatur feciſſe monachorum. Longo enim jam tranſacto tempore, locus ibidem abſque Abbate a præpoſitis regebatur. Qui gratanter illum ſuſcipiens, regulari diſtrictione quæque repererat devia, ad unguem correxit. Poſtmodum vero vir ſanctus ac venerabilis Majolus præfecit ibidem virum honorabilem Heldricum Abbatem, qui & ipſe prædictum locum ad regularis beati Benedicti tramitis informavit callem: quem prædictus Epiſcopus, necnon & frater ejus Dux Henricus nimio cum ſuis dilexerunt amore. *Sic legitur in tomo 1. Bibliothecæ Labbeanæ, ubi item edita eſt hiſtoria de geſtis Abbatum ſancti Germani Autiſiodorenſis, in cujus capite primo hæc fuſius referuntur; atque Heldrici Abbatis ibidem inſtitutio facta dicitur* anno Domini 989. *qui Heldricus* propter ſuam ſanctitatem & religionis fervorem multis nobilibus charus fuerit: *in cujus gratiam* venerabilis Deo digna Duciſſa Gerſendis, ſæpedicti Ducis (*Henrici*) uxor a viro ſuo petiit, & obtinuit monaſterium ſancti Leodegarii, quod Campellis dicitur, eidem committi, ſperans illud per eum ad regularis vitæ normam poſſe reduci. Idem enim monaſterium a bonæ memoriæ Theodrada * Regina (ſcilicet filia Caroli M. nam filias Regum *Reginas* dici mos erat) reſtauratum fuerat, & monaſtico Ordini mancipatum: ſed jam peccatis exigentibus a pluſquam ducentorum annorum ſpatio ab hujus ſancti propoſiti lumine funditus exſtinctum. *Exſtat hac de re diploma Rotberti Regis in l. 6. de Re Diplomatica pag. 578. ubi corrigenda notatio de cœnobio ſancti Leodegarii Campellenſi: quod non de Campellenſi diœceſis Pariſienſis, ſed de alio cognomine diœceſis Lingonenſis intelligendum eſt, ubi hactenus exſtat prioratus prædicto ſancto Germano ſubjectus. Mitto alia multa quæ in jam dicta hiſtoria Abbatum ſancti Germani de Heldrico leguntur, cujus obitus poſt annos circiter 21. regiminis contigiſſe dicitur* 19. Kalendas Januarii. *Is videtur Heldricus a Syro laudatus in ſequenti vitæ l. 2. apud Ottonem Magnum* in laicali potentia præcipuus, qui quondam in Italia inter ceteros palatinos exſtitit honorabilis: *qui* uxori cum magna rerum copia abrenuntians, depoſito cingulo Cluniaco ſe conferens, beati Benedicti ſe ſubdidit propoſito. *In prædicta ſancti Germani Abbatum hiſtoria legitur, Heldricum eo tempore, quo Rotbertus Rex Autiſiodorum expugnabat, cum Odilone Cluniacenſi Abbate ſe tranſtuliſſe* ad aliud Monaſterium ſuæ ditioni ſubditum, quod Reomaum * vocatur: *quod Monaſterium Majolo Abbati paruiſſe docet hiſtoria Reomaenſis, Roverio auctore, ſed non ita ut Cluniaco* ſubjectum *eſſet eo modo, quo poſtea ſub Hugone hæc ſubjectio ſe habuit.*

Autiſſiodorenſe S. Germani. Reomaenſe.

* al. Theogradam.

* Reomaenſe.

AN.CHR. 994 11. Maji.

Divionenſe S. Benigni.

39. *Idem in Divionenſi ſancti Benigni aſceterio Majolus præſtitiſſe perhibetur in Chronico Benigniano. Bruno ſiquidem Lingonenſis Antiſtes locum in melius reformare volens, Majolum adiit ejus rei gratia* : cujus precibus flexus reverendus Abbas Majolus dedit ei 12. Monachos, diſciplina ſanctæ religionis inſtructos, divina & humana ſapientia doctos, nobilitate carnali claros. His Abbatem præfecit Vvillelmum nomine, & Patrem ſpiritualem ſibi poſcentibus filiis petiit. *Sed de eo plura in hujus Vita in Sæculo ſequenti.*

Fiſcamnenſe.

*Sæc. 2. Bened. pag. 975.

40. *Ejuſdem negotii cauſa Fiſcamnum arceſſitus eſt a Richardo Nortmannorum Duce Majolus, ut in locum Canonicorum Monachos iſtuc reſtitueret. Id vero aggredi noluit vir ſanctus, ni Richardus tributum*, quod paſnagium dicitur *, *ſubditis ſuis relaxaret : quod cum Duci non placuiſſet, res ad Willelmi Abbatis mox laudati tempus dilata eſt.*

Foſſatenſe.

41. *Sed illuſtris in primis fuit reformatio cœnobii ſancti Mauri Foſſatenſis prope Pariſios, late deſcripta in actis Burchardi Comitis, quam in Sæculo proximo referemus. Ibi quippe legitur, iſtius cœnobii ſtatum Magenardo Abbate eo prolapſum fuiſſe, ut Abbas ipſe nobilis quidem, ſed vitæ ſolutioris*, depoſitis monachalibus indumentis, pretioſarum pellium tegumentis exornaretur, calamantumque optimum pro capitio humili capiti imponeret: *qui ritus & in aliis monaſteriis Gallicanis in uſum venerit. Burchardus loci conditionem miſeratus, Adico monacho inſtigante Regem Hugonem interpellavit, ut ſibi reſtituendæ inibi diſciplinæ provincia committeretur. Annuente Rege Burchardus ad Majolum perrexit, qui tandem ægre acquieſcens*, acceptis perfectioribus ſui cœnobii Fratribus, *iſtuc acceſſit. Solutioribus Monachis data optione vel cum Maioli diſcipulis commanendi, ſi regulariter converſari vellent: ſin minus, abeundi quo vellent; plerique* vias cordis proprii *prælegerunt; ipſeque Abbas Magenardus*, nobilis progenie, *quippe* ex ſanguinitate Anſoaldi divitis *civis Pariſini*, in cœnobium ſancti Mauri, quod Glannafolium dicitur, *tunc Foſſatenſi ſubiectum*, tranſmiſſus eſt. *At ſanctus Maiolus prædictum locum* cum ſuis ſuſcipiens Monachis, diſtrictionem regularis Ordinis diſtricte obſervare cœpit. *Eius rogatu Hugo Rex in alimoniam fratrum conceſſit villam Manſiones, dato diplomate, quod exſtat in lib. 6. de re Diplomatica, pag.* 576. 12. Kal. Julii Indict. 2. anno 2. regnante Hugone Rege, *id eſt anno Chriſti* 989. *non præcedente, ut Odo Monachus in Vita Burchardi Comitis, aliique male interpretati ſunt. Verum Maiolus Cluniacum regredi coactus, locum commiſit* cuidam religioſo viro, nomine Teutoni, quem Cluniaco ſecum adduxerat. *Hugone Rege mortuo, cum Maiolus eo reverti cunctaretur, Rotbertus eius filius* conſilio & hortatu Comitis eidem Teutoni donum Abbatiæ iſdem Rex dedit, eumque Abbatem ordinare præcepit; quod cum ad aures Cluniacenſium perveniſſet, valde *triſtes* effecti ſunt, quia cupiebant ſibi ipſum locum in Cellam redigere. *At Teutonem (de quo plura inferius) curante Majolo Abbatem ibi inſtitutum puto. Neque enim dum apud Cluniacenſes vigebat mos ille Abbatias redigendi in Cellas, ſed Coabbates inſtituebantur ſub Cluniacenſi Abbate, præterquam in minoribus monaſteriis, quæ tunc* Abbatiæ, Cellæ, & Obedientiæ, *nunc Prioratus appellantur. Sed hac de re fuſius in Præfatione dictum eſt. In majoribus vero cœnobiis ubi vivere deſierat is, quem ſui loco Abbas Cluniacenſis tum inſtituerat, redibat ad Monachos eius cœnobii proprium Abbatem eligendi facultas.*

Floriacenſe.

42. *Tale erat Floriacenſe monaſterium, quod ab Odone Abbate ad regularem vitam reformatum, poſtea varias turbas ſuſtinuit in eligendo poſt Oylboldi (ut puto) mortem Abbate. Nam cum ſuperbus quidam Monachus* per factionem *intruſus fuiſſet in eius loci regimen, pii quique uti pro domo Dei ſe oppoſuerunt, in primis Gerbertus, cuius plures hac de re epiſtolæ exſtant. Una eſt nonageſima quinta ad Fratres Floriacenſes ex perſona Remenſium Abbatum.* Non immerito, *inquiunt*, nos unius collegii eſſe profitemur, qui veſtra felicitate erigimur, veſtro infortunio etiam opinione clariſſimorum hominum humiliamur. Hanc ſanctiſſimam ſocietatem caſtiſſimamque amicitiam quorumdam fœdat ambitio laſciva, deteſtabilis audacia, dum per factionem is vobis præficitur Pater, quem

Floriacenſes turbæ de electione Abbatis.

quem veriſſimi non metuant damnare Patres: & quomodo una eſt Eccleſia catholica, cunctorumque Fidelium una ſocietas, a ſententiis eorum non deviare decrevimus, qui in Eccleſia Domini, velut clariſſimæ ſtellæ, relucent in perpetuas æternitates. An non lucidiſſima eſt ſtella reverendus Pater Majolus? an non præfulgidum ſidus Pater Egberdus? Alter in epiſtola quam Patri noſtro venerabili Adalberoni Archiepiſcopo nuper direxit (quærebatur enim ejus ſententia de prælatura Patris veſtri) inter cetera ſic dicit: Perſona quidem vobis jam olim infami converſatione erat famoſa *&c. Cujus fuerit hæc epiſtola, Majoli, an Egberti, (nam uterque conſultus fuerat) inde non liquet. Gerberti epiſtola* 88. *ſcripta eſt* ex perſona Adalberonis Archiepiſcopi Abbati Majolo Cluniacenſi, *ex qua colligere licet, Majoli eam epiſtolam eſſe, cujus verba in epiſtola* 95. *referuntur. Majolum quippe arguit Adalbero, quod in hac cauſa aliter ſcribat quam ſe gerat.* Præclara quidem, *ait*, exhortatio veſtra in pervaſorem: ſed cum ſcriptum ſit, Quæ cœpit Jeſus facere & docere, cur diverſa imperia, diverſa cæli climata prætenditis, ut ei quem reum ſtatuiſtis, aliis non communicantibus communicetis? Deteſtamini ergo pervaſorem, ſentiat vos ſibi non favere, non ſibi communicare, ac per vos non ſolum quoſque Religioſos veſtri Ordinis, ſed etiam, ſi fieri poteſt, Romani Pontificis ſe maledictis urgeri. *Sed & alia ipſius Gerberti ad Majolum epiſtola* 70. *eodem tendit.*

ETſi vigilanti cura ſuper veſtro grege occupati eſtis, propenſioris eſt tamen charitatis, ſi alieni gregis contagio interdum medemini. Floriacenſis cœnobii propter reverentiam Patris Benedicti ſummum locum penes Monachos, ut ajunt, pervaſor occupavit. Si vos tacetis, quis loquetur? hoc incorrecto, quis improbus ſimilia non ſperabit? Nos quidem hæc zelo divini amoris dicimus, & ut noſtro examine, ſi probus eſt, recipiatur; ſi improbus, omnium Abbatum ac monaſtici Ordinis ſocietate ad pœnam ſuæ damnationis privetur: quod vobis ratum, litteris veſtris nobis fiet acceptiſſimum. *Ex hac epiſtola intelligimus, quod ſuperius dicebamus, Floriacenſe monaſterium Majolo fuiſſe* alieni gregis, *ac proinde Cluniaco haudquaquam ſubjectum, tametſi per ſanctum Odonem, qui & ibidem Abbas fuit, ad regularem vitam reſtitutum.*

43. *Quis fuerit Egbertus, ſeu Ebrardus Abbas ille, ad quem Gerbertus, tamquam ad alterum monaſtici Ordinis* ſidus, *de eodem argumento ſcribit, non ſatis explicatum eſt. Tres ad eum Gerberti leguntur epiſtolæ, nempe* 81. *&* 89. *contra invaſorem Floriacenſem, &* 44. *de re litteraria. Hæc ita inſcripta eſt:* Egberto Abbati Turonenſi, *aliæ* Egberdo, *& ad marginem alia eſt adſcripta lectio*, Evrardo & Ebrardo. *Scriptæ ſunt hæc epiſtolæ, ut mox dicemus, ſub annum* 987. *quo tempore Bernerius Majori monaſterio præerat, ſancti Juliani cœnobio* Evrardus, *quem ipſum eſſe puto, cui iſtæ epiſtolæ directæ ſunt. In laudem ejus fere tota eſt epiſtola* 89. Quæ morum gravitas vobis inſit, quam integer vitæ actus, quam purum eloquium, litteræ veſtræ palam fecerunt. Itaque ſtudium pietatis ac ſeveritatis veſtræ movit nos ire in veſtram ſententiam, virque ille Deo plenus, ad quem multam fidem habemus. Summovebimus ergo illum perfidum a ſocietate noſtra, noſtrorumque judicio tantorum Patrum: iſque nobis habebatur hoſtis, qui in ſententiam reverendi Patris Majoli, & colendi Patris Egberdi dicere non dicenda attentabit. Quod ſi divinitate propitia favorem Principum obtinebimus, ad hæc utilia majora jungemus. *Hic* Principum *nomine intelligi videntur Hugo & Rotbertus Francorum Reges, quorum anno primo hæ turbæ motæ videntur, mortuo Oylboldo Abbate. Tunc enim cum pars Floriacenſium in Abbonem conſpiraret, alii* huic electioni pervicacius reniſi ſunt, *ut ſcribit Aimoinus in Vita ſancti Abbonis inferius referenda. Sane Gerberti epiſtolæ, quæ has proxime antecedunt ſequunturque, poſt Lotharii Regis obitum ſcriptæ ſunt, tametſi in epiſtolarum ſerie haud accurata eſt temporis ratio. Sed non diu ſupervixit invaſor ille, a Majolo & Egberto rejectus, qua de re Gerbertus Con-*

AN.CHR. 994 11. Maji.

Egbertus Abbas.

Digitized by Google

AN.CHR. 994 11. Maji. *ſtantino Floriacenſi monacho gratulatur in epiſtola* 142. Congratulamur tibi, dulciſſime frater, pervaſore atque hoſte monaſticæ religionis ad multorum ſalutem humanis rebus exempto. Inſta ergo, & ſi jam Patrem tua ac fratrum dilectione dignum habes, habeamus & nos præſentem tua opera proxime in feſto beati Remigii. *Hæc prolixius exponenda fuere, tum quod in Majoli & Egberti gloriam redundent, tum quia ſancti Abbonis actis præferunt lucem.*

S. Dionyſii monaſterium. 44. *Sed jam tempus eſt, ut hoc caput de monaſteriorum facta per Majolum reformatione abſolvamus, obſervando ea quæ ſub finem vitæ ab eo facta ſunt pro cœnobio ſancti Dionyſii.* Eadem ſiquidem tempeſtate, *inquit Syrus*, Regis Francorum impellebatur nimia importunitate, ut ſecundum beati Patris Benedicti magiſterium beati Dionyſii diſponeret monaſterium: qui ut opus bonum ad finem vitæ uſque perduceret, licet finem dierum ſuorum jam jamque adfore non ignoraret, proficiſci tamen ob iſtiuſmodi cauſam minime recuſavit. *Verum in itinere Silviniaci morte interceptus eſt. Ex his omnibus intelligitur verum eſſe quod Syrus de Majolo ſcripſit in lib.* 2. *nempe eum* regularis vitæ diſciplinam, quæ jam pæne deciderat per veterum negligentiam, in priſtinum ſtatum reſtituiſſe; *ac* per diverſas mundi partes perplura Monaſteria a regulari tramite devia, tam per ſe, quam per ſuos quos Abbates ordinaverat, monaſtico ordini ſubdidiſſe, *id eſt reſtituiſſe.*

VII. Majoli captivitas ſub Saracenis: Romanus Pontificatus ab eo recuſatus: reconciliatus Otto II. cum matre, Romanæ ejuſdem peregrinationes.

Saracenis Majolus traditus. 45. *Initio libri tertii Syrus agit de captivitate Majoli ſub Saracenis, qui tunc Penninas alpes inſidebant, jam inde ab eo tempore, quo ex Hiſpania in Italia effuſi, Hugoni Italiæ Regi adverſus Berengarium ſuppetias tulerunt. Idipſum de Majolo commemorat Glaber Rodulfus in l.* 1. *c.* 4. *ubi ejus epiſtolam ad ſuos Cluniacenſes pro ſuo lytro refert, & factum duplex a Syro aliiſque prætermiſſum. Nempe Saraceni* cum ei hora prandii obtuliſſent cibos, quibus veſcebantur, carnes videlicet panemque admodum aſperum, & dicerent, Comede, reſpondit: Ego vero ſi eſuriero, Domini eſt me paſcere: ex his tamen non comedam, quia non mihi uſui fuerunt. Cernens enim unus illorum viri Dei reverentiam, pietate ductus, exuens brachia ſimulque abluens, & clypeum, ſuper quem etiam in conſpectu venerabilis Majoli ſatis mundiſſime panem confecit: quem etiam citiſſime decoquens, ei reverentiſſime detulit. Ipſe quoque ſuſcipiens illum, atque ex more oratione præmiſſa ex eodem reficiens, Domino *gratias* egit. *Aliud factum ejuſmodi eſt.* Alius quoque Saracenorum eorumdem cultro deplanans ligni caſtulam, poſuit incunctanter pedem ſuper *viri Dei* codicem, bibliothecam ſcilicet, *id eſt codicem bibliorum*, quam ex more ſecum ſemper conſueverat. Dumque vir ſanctus intuens ingemuiſſet; aliqui minus feroces ex ipſis perſpicientes, ſuum increpuerunt comparem, dicentes, non debere magnos Prophetas ſic pro nihilo duci, ut illorum dicta pedi ſubſterneret .... Præterea, ut B. Majoli ſanctitas clareſceret, is qui ejus volumen pede calcaverat, eodem die pro quavis occaſione, re vera judicio Dei, ceteri furioſe irruentes in eum, eumdem ei truncaverunt pedem. Plures enim jam ex ipſis erga eum cœperunt mitiores ac reverentiores exſiſtere. *De hac Majoli comprehenſione S. Odilo pauca hæc habet.* Inter cetera mala quæ populus ille nefandiſſimus geſſit, beatiſſimum Patrem Majolum, a liminibus Apoſtolorum redeuntem, fraude & inſidiis cepit, rebus omnibus exſpoliatum alligavit, fame & ſiti afflixit. Ille vero divinitus abſolutus, ad poſtremum Monaſterii ſui pecuniis redemptus, de manibus illorum Domino protegente evaſit illæſus; & ejus injuſta captio, expulſionis illorum & perpetuæ perditionis fuit occaſio. Sicut vero poſt paſſionem Chriſti Judæi ſunt a ſuis exſulati: ita poſt captionem ſervi illius & fideliſſimi ejus famuli Majoli, Saraceni a finibus Chri-

Digitized by Google

Chriſtianorum ſunt expulſi, & ſicut per Titum & Veſpaſianum Romanorum Principes Dominus de Judæis vindictam exercuit: ita per Vuillelmum illuſtriſſimum virum & chriſtianiſſimum Principem, meritis B. Majoli, jugum Saracenorum ab humeris Chriſtianorum depoſuit, & multa terrarum ſpatia, ab eis injuſte poſſeſſa, ab eorum tyrannica dominatione, potenti virtute eripuit. *Hæc ſub annum 973. contigere.* AN. CHR. 994 11. Maij.

45. Non longa poſt tempora, *inquit Syrus*, Romana ſede proprio viduata Paſtore, idem Dei famulus, Ottonis ſecundi juncta cum matris prece, Italiam repetere a partibus eſt coactus Galliæ. A matre tunc & filio honore ſuſceptus digniſſimo, ad culmen apoſtolicæ dignitatis precibus impelli cœpit continuatis: ſed cui magis abjectio, quam expeteretur elatio; nullatenus ad ſe promovere potuit ſublimitatis ambitio. *Hanc itaque dignitatem conſtanter recuſavit: Nalgodus id accidiſſe tradit*, cum navis Eccleſiæ Rectoris præſidio deſtituta, in hujus vitæ fluctuantis incerto diverſis moleſtiis pulſabatur. *Henſchenius, qui Nalgodum Majoli diſcipulum exiſtimavit, id retulit ad illud tempus, quando Benedictus Papa VI. anno 974. conjectus in carcerem, ibique ſtrangulatus eſt a Francone quodam nefario homine, qui ſub Bonifacii VII. nomine tyrannice ſedem invaſit: quo Conſtantinopolim pulſo cum Donus Benedicti VI. (ut Henſchenius putat) ſucceſſor, non (quod aliis videtur) deceſſor, legitime inſtitutus, cum circa finem Octobris anni 975. deceſſiſſet, Bonifacianis Antipapam reducere conantibus, Otto a Romanis de electionis libertate ipſis conſervanda interpellatus, Majolum in Germaniam evocaverit, quaſi cum eo ſuper tanti momenti negotio conſultaturus, priuſquam legatos ſuos Romam mitteret interfuturos electioni. Verum Majolus non in Germaniam, ſed* in Italiam *arceſſitus eſt, teſtante Syro: neque vero ante annum 980. eo profectus eſt Otto poſt obitum patris. At neque toto illo triennio, quo in Italia reliquum vitæ peregit Imperator, ad annum ſcilicet 983. qui vitæ ejus ſupremus fuit, vacavit Romana ſedes: cum Joannes nonniſi anno ſubſequente mortuus ſit. Itaque facile conceſſerim, Syrum hoc in loco memoria lapſum pro Germania poſuiſſe Italiam; & re quidem vera Majolum adiiſſe Ottonem II. in Germania tum cum matre commorantem: a quibus numquam perſuaderi potuit, ut oblatum per eas turbas pontificatum ſuſciperet.* Romanum pontificatum recuſat.

46. Sub eodem tempore *Syrus ſubdit accidiſſe, ut Otto II. in Adelaidem piiſſimam matrem ſuam commotus*, in eam quaſi in rei publicæ dilapidatricem *excanduerit; nullumque Principum, tametſi Auguſtæ innocentiam probe agnoſcerent*, crimen a ſancta matre avertere *auſum fuiſſe. Tum vero Majolus ab ipſis ejus rei gratia Papiam accitur: iſque oratione ſua Ottoni, ut cum matre in gratiam rediret, perſuaſit. Majolum ab Ottone ipſo invitatum Odilo ſcribit in libro de vita ipſius Adelheidis, quæ* filium diligens, auctores diſcordiæ, *quam quidam* viri iniqui *inter matrem ac filium diſſeminabant*, ferre non valens, ſecundum Apoſtoli præceptum dans ad modicum iræ locum, paternum decrevit expetere regnum: ubi a fratre, ſcilicet Chuonrado, & nobiliſſima Mathilde ejus conjuge, *qui in Provincia regnabant*, benigne & honorabiliter eſt ſuſcepta. Triſtabatur de abſentia ejus Germania: lætabatur in adventu ejus tota Burgundia: exſultabat Lugdunum, quondam Philoſophiæ mater & nutrix, necnon & Vienna nobilis ſedes regia. Poſtmodum vero Cæſar Otto ductus pænitentia, direxit Regi avunculo legationem, & ſanctæ recordationis Patri Majolo ſub celerrima feſtinatione, obnixius deprecans, ut gratiam matris, quam propriis exigentibus culpis perdiderat, eorum interventionibus promereri poſſet: orans iterum & obſecrans, ut quantocius poſſent, una cum Auguſta matre Papiam ei ſtuderent occurrere. Tantorum enim virorum uſa conſilio, apud Papiam tempore conſtituto occurrit mater filio: quo cum mutuo ſe cernerent, flendo & lacrymando toto corpore ſolo proſtrati, humiliter ſe ſalutare cœperunt. Affuit in filio humilis pænitudo, erat in matre liberalis remiſſio; permanſit in utriſque de cetero perpetuæ pacis connexio. *Annales Saxonici ſeu Magdeburgenſes mſſ. diſcordiam Ottonis cum matre reponunt anno*

AN.CHR. 994 11. Maji. *no* 978. Adelheidis Imperatrix cum filia Athelheide Abbatiſſa in Italiam profecta eſt propter quaſdam diſcordias inter ſe & filium factas, *At non in Italiam, ſed in Provinciam ſeceſſit Adeleidis, referente Odilone Adeleidis familiari: quæ reconciliatio cum facta ſit Papiæ, in annum* 980. *quo Otto in Italiam abiit, revocanda eſt. Et quidem anno inſequenti Paſcha Romæ Otto celebravit* præſente matre, *ex Annalibus Saxonicis mſſ. quem paullo poſt ipſam reconciliationem mortuum fuiſſe idem Odilo affirmat.*

Italica Majoli itinera. 47. *Ut ea quæ hoc in capite aliiſque de Majolo diximus, magis dilucide intelligantur, varia ejus Romana Italica itinera diſtinguere operæ pretium puto. Primo Monachus Romam ab Aymardo Abbate negotiorum cauſa miſſus eſt, nempe ſub annum* 945. *ex dictis num.* 17. *Deinde jam Abbas Papiæ verſabatur anno* 966. *cum quædam capella juxta eam urbem ad Cellam conſtruendam ipſi conceſſa eſt, ſupra num.* 21. *Syrus duo miracula ab eo Papiæ facta commemorat in lib.* 3. *cap.* 13. *&* 16. *His adde quæ Widricus Abbas Tullenſis in actis ſancti Gerardi Epiſcopi commemorat de mutuo conſpectu & colloquio ejuſdem Gerardi cum Majolo. Gerardus quippe Romam proficiſcens* Papiam ingreditur, ubi viros magnificos, ſanctum ſcilicet Abbatem Majolum, necnon Adalbertum poſt Martyrem ſe reperiſſe eſt ineffabiliter collætatus. Pendebant ſinguli invicem ab alterno ore. In hac mutua conſabulatione longum diei tranſigentes ſpatium, ſimul tres ſancti convivæ reſident ad prandendum. *Gerardo aquam poſtulanti, & vinum ex aqua cælitus factum accipere* nolenti, Deſine, inquit Majolus, ſancte Pontifex, in hoc facto aliis ſuccenſere: ſed percipe cum gratiarum actione, quod tibi rerum creator ſua contulit benedictione: *quod ad ſecundum Majoli Romanum iter referendum videtur, id eſt ad annum* 966. *qui Gerardi Epiſcopi tertius ordinationis erat. Poſt hæc, id eſt anno* 973. *Roma cum reverteretur Majolus, Ottonis Magni obitum prædixit, ex cap.* 10. *quæ tertia minimum eſt ejus peregrinatio Italica, quo tempore a Saracenis in reditu captus eſt. Quarta ſub annum* 982. *cum Veronæ poſitus, Ottoni ſecundo mortem prænuntiavit. Ejus devotionem in viſitandis Romæ ſanctorum baſilicis explicat Syrus in lib.* 2.

VIII. Odilonis ſubſtitutio in locum Majoli Abbatis: hujus obitus, cultus, reliquiæ.

Odilonis electio. 48. *Cum Majolus ſenectute jam grandævus, obitum ſuum præſentiſceret, Odilonem ſibi ſubſtituendum curavit eum ad modum, quo Odo in locum Bernonis adhuc viventis, Aymardus in locum Odonis, & Majolus ipſe in locum Aymardi ſubſtituti fuerant. Hoc factum reticent Syrus, Odilo, Nalgodus, & alii: immo apud Nalgodum Majolus Cluniacum* ſine Paſtoris cura, ſine Proviſoris diligentia reliquiſſe *dicitur. Nihilominus Odilonis electionem Majolo vivente factam eſſe docet non ſolum inſtrumentum de ipſa electione, ſed etiam veteres chartæ, quæ Odilonem Abbatem præferunt ante obitum Maioli. Electionis inſtrumentum editum eſt in Spicilegii tomo* 6. *pag.* 425. *iiſdem conceptum verbis atque charta de ipſius Maioli electione, quam ſuperius ſuo loco repræſentavimus. Quapropter poſtrema tantum verba, quæ in Odilonis inſtrumento electionis leguntur, una cum ſubſcriptionibus referre ſufficiat.* Hujus vero electionis & ordinationis ejus ſeriem per conſultum (ut diximus) Primatum, Comitis etiam, & Advocati noſtri Henrici Ducis, necnon & Ottonis, litteris ſanciri præcipimus, atque regulariter celebratam ordinationem in Chriſti nomine confirmavimus, & a Patribus ac Fratribus noſtris, ſcriptis confirmari precati ſumus. Acta Cluniacenſe cœnobio feliciter amen. Ego Majolus Abbas huic electioni aſſenſum præbui & ſubſ. Rodulfus Rex ſubſ. Burchardus Archiepiſcopus (*Lugdunenſis*) ſubſ. Hugo Epiſcopus Genevenſis ſubſ. Aynricus Epiſcopus Lauſanenſis ſubſ. Hugo Epiſcopus (*Matiſconenſis.*) Teuto Abbas (*Foſſatenſis*) ſubſ. Richfredus Abbas. Ermenfredus Epiſcopus. Burchardus Comes. Lambertus Comes. Adalbertus Comes, Leotaldus Archiepiſcopus, Wal-

Digitized by Google

Walterius Epiſcopus (*Æduenſis*.) Hugo Abbas. Vvago Abbas. Theobaldus Abbas. Warembertus Abbas. Willelmus Abbas. Majolus Præpoſitus, Walterius Præpoſitus, Gundulfus, David, Aynricus, Sendelenus, *& cum eis Monachi centum ſeptuaginta ſeptem.* AN. CHR. 994 11. Maji.

49. *Mirabitur fortaſſe nonnemo, cur tot eccleſiaſtici ac ſæculares viri huic electioni interfuerint, immo etiam electioni Odonis, Aymardi, & ipſius Majoli. Verum mos ille quibuſdam in locis obtinuit in electione Abbatum, fluxitque ex S. Benedicti Regula in cap. 64. ubi de ordinando Abbate agens, vicinos Epiſcopos, Abbates, & Chriſtianos in teſtimonium admittit contra electionem vitioſi Abbatis. Ut autem hi aut illi convocarentur, id erat in eligentium poteſtate, aliquando etiam a fundatoribus jure inductum. Sic Gregorius Papa VII poſtulante Adaleide Comitiſſa, ſanxit atque conſtituit, ut electioni Abbatis beatæ Mariæ de Pinarolo intereſſent Abbates Fructuarienſis, Bremetenſis, S. Solutoris Taurinenſis, Cluſinus, & alii earum partium Religioſi, apud Guichenonem in tomo 1. de Principibus Sabaudiæ pag. 17. Sic in eligendo Abbate Lezatenſi locum olim habebant* nobiles terræ viri, *ut conſtat ex vetuſtis monumentis.* Epiſcopi & Magnates cur his electionibus interfuerint.

50. *Quod vero Cluniacenſes Abbates ſibi ſucceſſorem eligere principio ſoliti ſunt, inde procul dubio uſu venit, ut hoc pacto extraneis intrudendi Abbatis via præcluderetur. Electus autem Abbas, ut in ſuperioribus obſervatum, ita Coadjutoris vices agebat, ut ea tantum curaret quæ ſibi a ſuperſtite Abbate demandabantur. Ita quippe ſanxerat Concilium Cabilonenſe ſub annum* 650. *in cap.* 12. Ut duo Abbates in uno Monaſterio eſſe non debeant, ne ſub obtentu poteſtatis ſimultas inter monachos, & ſcandala generentur. Verumtamen ſi quilibet Abbas ſibi elegerit ſucceſſorem, ipſe qui eligitur, de facultatibus ipſius Monaſterii ad regendum nullam habeat poteſtatem. *Ita perſæpe accidit, ut acta publica nomine prioris Abbatis conderentur; aliquando tamen poſterioris, ut in Aymardi Elogio advertimus.* Abbas electus ut ſe gerebat.

51. *Quo tempore Odilonis electio celebrata ſit, non exprimit ſuperius inſtrumentum: ſed ex chartis ejus nomine inſcriptis eam anno* 991. *contigiſſe intelligimus. Itaque ante eum annum ad converſionem venit, tametſi ipſo anno eam reponat Hugo Flaviniacenſis in Chronico, qui ejus ordinationem remittit in annum* 994. *uti & Chronicon Cluniacenſe, nempe poſt obitum Majoli. In primis cenſenda eſt charta Humberti Epiſcopi Gratianopolitani, qui Cluniacenſi cœnobio,* ubi, *inquit,* domnus Odilo Abbas præeſt, *medietatem caſtri de Urſilia cum toto burgo atque eccleſia ſanctæ Mariæ, aliaque largitur* anno Incarnationis 991. tertio Rodulfi Regis: *cui chartæ ſubſcribunt* Fredeburgis mater ejus, Wigo frater ejus, & Humbertus Epiſcopus de Valentia, nepos ejus. *Aliunde* anno 6. Hugonis Regis *Majolus Abbas acquirit per commutationem quaſdam eccleſias in Comitatu Auguſtodunenſi. Abbatis nomen haud exprimit eodem anno data charta Walterii Æduenſis Epiſcopi, largientis* Cluniensi cœnobio, ſpeciali ſibi præ ceteris amore conjuncto, ubi pollet religio, *quidquid ad ſe vel ad Archidiaconos pertinebat in eccleſiis ſuæ diœceſis Cluniaco attributis, exceptis ſynodalibus eulogiis. Subſcribunt* Elinardus Abbas, *& poſt Præpoſitos & Cantorem* Erpertus Abbas, Ugo Abbas, *forte dignitates; deinde Archipresbyteri & Canonici. Anno ſequenti, id eſt ſeptimo Hugonis Regis, invenitur charta, in qua Bernardus vir nobilis ſervos aliquot manumittit* ad preces Viviani Præpoſiti Clunienſis cœnobii & Monachorum, *& dicitur* vverpiviſſe querelam illam adverſus dictum *Cluni* locum, cui Domnus ac reverentiſſimus Pater Odilo præeſt juſſione ſanctiſſimi Patris Majoli. *Item* anno 7. Hugonis Regis *Majolo Abbati conceditur eccleſia ſancti Deſiderii: eodemque anno quidam Beraldus clericus Cluniacenſibus,* ubi Majolus eſt Abbas, *dat medietatem ſilvæ* Adrolt. *Hæc poſtrema ſunt acta Majoli nomine inſignita anno Hugonis Regis ſeptimo, deſinente in annum Chriſti* 994. *qui Majoli vitæ ſupremus fuit.* Odilonis electio quo tempore.

52. *Huc ſpectat id quod de Majolo Syrus ſcribit, nempe eum* biennio priuſquam obiret, *a publico penitus abſtinuiſſe, atque* in monaſterio aut in quadam Majoli diſpoſitio ad mortem.

AN.CHR 994 11. Maij. dam Cellula *ſe continuiſſe*, *ut ibi aut* Fratres ſollerti ſtudio corrigeret, & ad meliora paterna admonitione proveheret; aut ſæpius remotis omnibus ſolus ſoli Deo inhæreret, atque frequenti alternatione aut lectioni, aut orationi vacaret. *Per id tempus contigit id quod dè eo refert Widricus Abbas Tullenſis in actis ſancti Gerardi Epiſcopi, qui cum anno eodem quo Majolus, & quidem Aprilis 23. die obiiſſet*, eadem tempeſtate beatus Majolus Cluniaco aderat; & in hora qua venerandus Paſtor ſæculo eximebatur, a Fratribus divino impleto officio tempus refectionis advenerat; ipſeque Majolus ad eſum convocando Fratres, monaſtico more cymbalum inſonabat. *Tunc obitu Gerardi divinitus comperto, eum Fratribus nuntiavit, atque ipſius animam eis commendavit, ut ſuperius de Gerardo retulimus.*

53. *Etſi vero a publico Majolus prorſus abſtinere animo ſtatuiſſet, nibilominus ab Hugone Francorum Rege de reformanda in ſancti Dionyſii Pariſienſi cœnobio regulari diſciplina ſollicitatus*, licet finem dierum ſuorum jam jamque adfore non ignoraret, *iter arripuit per territorium Arvernenſe*, ibique in quadam ſua Cellula, Silviniaco * ſcilicet, nunc loco celeberrimo, ultima ægritudine exerceri cœpit, *ac demum* dormivit cum patribus 5. Iduum Majarum, ſepultuſque eſt in baſilica ſancti Petri, ubi ſanctiſſimis ejus meritis multa præſtantur beneficia. *De ea re ita ſanctus Odilo*. Adeo magnificatus & glorificatus eſt beatus Majolus, Domini præveniente gratia, in conſpectu Regum & Principum coram omni populo, ut poſſimus dicere de eo ſine dubio, quod de Moyſe Dei famulo Eccleſiaſticus replicat ſermo: Glorificavit illum in conſpectu Regum, & oſtendit illi gloriam ſuam. Hugo Rex Francorum quotiens illum vidit, humili devotione ſuſcepit, & cum magno honore tractavit. Tempore vero ſuæ vocationis ad ſe venire rogavit ea intentione, ut monaſterium S. Dionyſii ejus conſilio & adjutorio melius, quam tunc erat, ordinari poſſet.... Ad illud negotium peragendum gaudens iter ſuſcepit, uſque ad locum Silviniacum pervenit, ubi ſe Deo vocante plenus dierum & ſanctitatis ex hac vita obiit 5. Idus Maji, illuceſcente feria ſexta, poſt celebrationem ipſius ſacratiſſimæ ſollemnitatis, qua Chriſtus Jeſus Dominus noſter, ſubacto mortis principe, ad dexteram Patris aſcendit, & fideli ſub Majolo aſcendendi poſt ſe iter oſtendit: *quæ omnia conveniunt anno Chriſti* 994 *quo Paſcha in diem primum Aprilis ſub littera Dominicali G incidebat, feria ſexta poſt Aſcenſionem Domini in diem* 11. *Maji. Hunc diem & annum diſerte exprimit Nalgodus, qui Majolo annos* 41. *regiminis adſcribit ab anno ſuæ ordinationis. Errat itaque Lambertus Scafnaburgenſis, cum Majoli obitum ponit anno* 991.

*Souvigny.

Obitus.

Funus & miracula. 54 *Pergit Odilo*. Poſt cujus tranſitum ſupradictus Rex Hugo *adventus ſui* præſentia & regalibus donis exſequias ejus honoravit & tumulum: *ubi præ*ſtante Domino multa patrata ſunt & patrantur miracula, & plurimis plurima præſtita ſunt & præſtantur beneficia, quorum numeroſitatem & magnitudinem non ſufficit per ordinem omnium noſtrorum enarrare memoria: ſed ut breviſſima utar concluſione, ad ſepulchrum iſtius ſanctiſſimi viri, de quo loquimur, & cujus vitam & merita charitati fidelium commendare nitimur; gratia & miſericordia Chriſti a quacumque infirmitate detenti, multi ſanati ſunt & ſanantur infirmi. Ibi paralytici eriguntur & claudi, ibi febricitantes ſanantur & cæci, ibi a dæmonibus poſſeſſi mundantur; & neſcimus cujus generis igne terribiliter & miſerabiliter aduſti liberantur: & quiſquis ibi devotus adveniens de quacumque neceſſitate fideliter auxilium expetit, voti ſui compos effectus redit ad propria ſoſpes & lætus. *His conſentanea ſcribit Glaber Rodulfus in lib. 3. cap. 5.* Nam ad illius famam ſanctitatis confluxere ex univerſo Romano orbe viri & mulieres utrorumque ordinum plurimi, exinde referentes diverſarum infirmitatum gratias ſanitatis. Deſæviebat eodem tempore clades peſſima in hominibus, ignis ſcilicet occultus, qui quodcumque membrorum arripuiſſet, exurendo truncabat a corpore. Pleroſque etiam in ſpatio unius noctis hujus ignis conſumpſit exuſtio. Sed cum in plurimis

San-

Digitized by Google

AN.CHR. 994 11. Maji.

Sanctorum memoriis hujus tremendæ peſtis ſint inventa remedia; maximus tamen concurſus factus eſt ad trium ſanctorum Confeſſorum eccleſias, Martini ſcilicet Turonorum, atque Odolrici Bajoariorum, necnon & iſtius venerabilis Patris Majoli : optatæque ſalutis inventa ſunt remedia. *Hanc miraculorum frequentiam ad tempora Petri Venerabilis perſeveraſſe auctor eſt ipſe Petrus in lib. 2. de miraculis cap. 31. ubi referens miraculum de puero* per ſanctum Majolum *a morte ſuſcitato*, Is etenim Sanctus, *ait*, ſicut pæne cunctis Galliarum populis notum eſt, ut magnus vita, ſic miraculis, & dum mortalis viveret, & poſt mortem maxime inſignis exſtitit. Hac miraculorum gratia in tantum jam per centum 60. & duos annos, hoc eſt a tempore mortis ſuæ, claruit, ut poſt ſanctam Dei Genitricem nullum ſanctorum in tota Europa noſtra in hujuſmodi operibus parem habeat. *Nec defuere ſubſequentibus temporibus beati Majoli miracula, de quibus teſtimonium præbent Clemens Papa IV. Honorius IV. & Clemens VI. in bullis ſuis.*

Sanctitas declarata.

55. *Hinc factum eſt, ut Majolus ſtatim poſt ſuum ipſius obitum ſanctus habitus cultuſque ſit. Unde Adaleidis Imperatrix, teſtante Odilone*, ipſo tempore quo inſtabat ſibi dies ſupremus, (*anno ſcilicet milleſimo*) beatiſſimum Patrem Benedictum, *id eſt Floriacenſe monaſterium*, licet exiguis, tamen propriis viſitavit muneribus : necnon & beatæ recordationis Patrem Majolum, cæleſti gloria jam coronatum, quem dum in hac vita ſubſiſteret, præ cunctis mortalibus illo ordine diligebat. *Et quidem jam inde ab ipſius obitu ſanctum dictum fuiſſe probat charta* 145. *in ejus chartario, in qua hæc leguntur*. Ego Arleis dono Deo & Sancto Majolo, ut per merita ipſius valeam adipiſci præmia æterna, & ejus Monachis partem de Medio-Planto in pago Matiſconenſi, villa Maziaco, loco ad Tribladam, anno 6. Rotberti Regis. *Feſtum ejus inter præcipuas anni ſollemnitates cenſetur apud Udalricum in lib.* 1. *Conſuetudinum Cluniacenſium cap.* 11. *& in cap.* 54. eccleſia S. Majoli *apud Cluniacum tum fuiſſe, & ad eam proceſſionem fieri ſolitam ait in Ramis Palmarum. In pleriſque Kalendariis ab anno milleſimo ſcriptis ſancti Majoli memoria invenitur, nedum in recentioribus Martyrologiis Romano, Gallicano, Benedictino, aliiſque.*

Feſtum.

Altare ſupra corpus, ejuſque Elevatio.

56. *S. Majoli corpus non ſtatim atque is pro ſancto honorari meruit, e tumulo levatum eſt : ſed primo ſuper illud erectum eſt altare a Beggone Arvernenſi Epiſcopo, qui ritus erat quondam ſanctos in canonem redigendi; ut in Præfatione obſervatum eſt. De iſtius altaris conſecratione lege quæ in fine hujus Elogii referemus. Poſt annos fere centum ex tumulo elatum eſt ſacrum corpus. Ejus rei auctorem invenio Urbanum Papam II. cujus litteras Joellus Remenſis Archiepiſcopus recognoſcit in Bibliotheca Cluniacenſi col.* 309. *ubi hæc Pontificis verba ad Silviniacenſes*. Quoniam ſupernæ benedictionis dignatione multimoda actum eſt, ut nos ipſi Monaſterium veſtrum, & beati Majoli corpus intra eccleſiam ad locum alium transferre meruerimus, dignum duximus, cum Cluniacenſis cœnobii, cui tamquam membra capiti ſingulariter inhæretis, dilectione præcipua, tum religionis veſtræ reverentia, vos & locum veſtrum ſpecialius ſedis apoſtolicæ protectione munire.... Datum apud Monticulum.... Idib. Octob. Indict. 3. anno Dominicæ Inc. 1097. *Subſequitur Bulla Clementis IV. ita loquentis*. Cum itaque, ſicut ex veſtra inſinuatione accepimus, propter merita glorioſa ſanctorum Confeſſorum Majoli & Odilonis, quorum corpora in veſtra eccleſia requieſcunt, mirabilis Deus in Sanctis ſuis multa quotidie miracula operetur ibidem, propter quæ ad eamdem eccleſiam de diverſis partibus Fidelium multitudine confluente, corpus prædicti ſancti Majoli ad alium locum ipſius eccleſiæ magis venerabilem & decentem intenditis cum debita veneratione transferre; nos.... omnibus vere pænitentibus & confeſſis, qui ad dictam eccleſiam die translationis Sancti ejuſdem, unum annum & quadraginta dies hac vice; illis autem qui infra octo dies immediate ſequentes, & in anniverſario die translationis ipſius venerabiliter & devote acceſſerint, centum dies de injunctis ſibi

Indulgentiæ.

Digitized by Google

AN.CHR. 994 11. Maji. pœnitentiis relaxamus. Datum Viterbii prid. Id. Martii, pontificatus noſtri anno tertio, *ſeu anno 1266. Alias Indulgentias ibidem concedunt Honorius IV. & Clemens VI. S. Majoli tumulus, adjunctum habens ſancti Odilonis, viſitur in navi eccleſiæ Silviniacenſis.*

Reliquiæ. 57. *In hunc uſque diem reliquiæ S Majoli aſſervantur Silviniaci, nempe ejus oſſa præcipua in capſa ex argento & cupro, poſita ſuper ejus altare ad odeum ad aquilonem; ſcrinio ſancti Odilonis ad aliud latus poſito : utriuſque caput in ſcrinio peculiari. S. Majoli ſcapulare, longum ulna una, latum tertiis ulnæ partibus, cui ſimile aliud Cluniaci habetur; ejuſdem item pedi paſtoralis ſumma pars ex ebore, ſcyphuſque corneus itidem Silviniaci viſuntur. Gaufridus Choleti Prior ſæculo 15. reliquiaria fecit : quæ ante eum Ildricus Supprior & Sacriſta incboaverat. Hactenus Silviniacum religione & Majoli cultu celebre eſt, de quo egimus in Elogiis Odonis & Aymardi.*

IX. Majoli præcipui diſcipuli, cultores & miracula.

Majoli diſcipuli. 58. *Etſi nonnullos Majoli diſcipulos in ſuperioribus exhibuerimus, hic tamen in unum locum conferendi ſunt ſaltem præcipui, ut ex diſcipulorum qualitate magiſtri meritum intelligatur. In his duo præcipui fuerunt* Odilo *&* Willelmus, *ille Majoli ſucceſſor, hic Abbas Divionenſis, qui multa monaſteria ad meliorem frugem revocavit. De hoc agens Odilo in libello de actis ſancti Majoli,* Et ut pace ſpiritualium artificum, *ait,* in eadem fabrica *cœleſti* laborantium dicam, unus præcipue refulſit, qui nuper rebus humanis exceſſit, & qui plus nobis omnibus laboravit, domnus videlicet Abba Vvillelmus, de cujus clariſſimis actibus & vita laudabili & mirabili converſatione parvitas noſtra non ſufficit quod ſentit ad plenum referre. *De eo ac de Odilone ipſo agemus in Sæculo ſequenti. His adjungendi* Teuto *Abbas Foſſatenſis, &* Heldricus *Autiſiodorenſis jam a nobis laudati. De Teutone multa præclara commemorantur in libello de vita Burchardi Comitis. Inter cetera,* religioſus Abbas Teuto jejuniis & orationibus, vigiliarumque pernoctationibus aſſidue intentus *fuiſſe, ac* Deo ſemper placere fideliter deſideraſſe *perhibetur.* Cum ergo in loco ſibi commiſſo arduam, ut cupiebat, vitam ob paſtoralis cuſtodiæ curam minime ſervare poſſet, Remenſis urbis pagum ad habitandum ſibi elegit. Habetur ſiquidem illuc quædam poſſeſſiuncula, quam glorioſus Rex Carolus Calvus eccleſiæ Foſſatenſi Abbatique Godofredo refugii cauſa propter Nortmannorum perſecutionem dedit, in qua etiam corpus S. Mauri multis annis traditur conſervatum. Illuc ergo jam dictus Abbas arduam pro Chriſto peragens vitam, multo tempore converſatus eſt: quo pergens, ibidemque permanere deſiderans, baculum curæ paſtoralis per ſui ſervitii miniſtrum, nomine Vvalterum, quem ipſe in Domini timore nutriverat, Fratribus tranſmiſit, mandans ut ſibi ſecundum Chriſti voluntatem dignum Paſtorem eligerent. *Poſtquam eo in loco arduam ac ſolitariam vitam Teuto egiſſet, Foſſatenſes viſere animo deſtinavit. At illi obſtitere, allegantes, ſuffecto alio Abbate jam* non debere eum recipi, quia animarum curam penitus reliquerat. *Ille hoc reſponſo turbatus, Cluniacum ſe recepit, ubi* feliciter obiit ſub die Iduum Septembrium : ad cujus ſepulchrum, ut referre audivimus, *inquit auctor,* multi infirmi poſtea ſanitatem receperunt. *De Heldrico Abbate actum ſupra in cap. 7. Inter Majoli diſcipulos etiam cenſendi ſunt plurimi alii Abbates, quos ad varia Monaſteria reformanda inſtituit : ex quibus unus mihi videtur eſſe* Egbertus *ſeu* Evrardus *ille Abbas Turonenſis, quem ex Gerberto ſuperius laudavimus. Neque prætereundi* Syrus *&* Aldebaldus *vitæ ſancti Majoli ſcriptores, neque* Vivianus *ſub eo Præpoſitus Cluniacenſis poſt Hildebrandum, cui Majolus præcipuus auctor fuit ſæculo nuntium remittendi. Denique inter primos numerandus venit* Vvillelmus *Provinciæ Dux,* Pater patriæ *appellatus, de quo hæc Odilo in Vita ſancti Majoli.* Quantum illum Vvillelmus rector

Pro-

Provinciæ coluit, vita illius & finis oſtendit. Per ejus quippe meritum & fidele obſequium, beati Benedicti percipere meruit habitum. *Neſcio an id contigerit in extremo illo morbo, quem Syrus commemorat in lib. 3. Hunc Vuillelmum Cluniaci ſepultum fuiſſe non ſatis aperte exprimit charta Leodegarii Cluniacenſis monachi, in qua legitur, hunc Cellam & eccleſiam in honorem ſancti Marcellini Papæ & martyris atque ſancti Saturnini, quam Regimbaldus Arelatenſis Archiepiſcopus dedicaverit, conſtruxiſſe in villa Sarrianis,* quam Vvillemus quondam Dux Provinciæ, Pater patriæ, ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli monaſterio Clunienſi, & loco in quo ſe ſepeliri rogavit, & beato Majolo adhuc in carne viventi & vivens delegavit, & moriens donando attribuit: *quod argumento eſt, eum in extremis habitum ſuſcepiſſe pro more illorum temporum.* AN.CHR. 994 11. Maji.

59. *Odilo ſub finem libelli de Majoli geſtis multos laudat catholicos & honorabiles clericos, religioſos Monachos & reverendos Abbates, qui* illum venerabantur; *ſanctos & ſapientes, qui* tractabant illum ut ſanctiſſimum fratrem; *Imperatores & Imperatrices, Reges & mundi Principes, a quibus* Senior appellabatur & dominus; *Pontifices apoſtolicæ Sedis, a quibus* honorabatur ut princeps religionis monaſticæ. *Tum ſubdit:* Ille divus Cæſar & maximus Otto eum diligebat pectore toto: & diligebat eum ejuſdem Cæſaris conjux diva Adaleida Imperatrix Auguſta, charitate ſinceriſſima & devotione chariſſima. Diligebat eum eorum filius humili devotione Imperator Otto; affectu & non diſſimili voto Conradus, ſupradictæ Imperatricis frater nobilis & pacificus, ejuſque Mathildis nobiliſſima conjux, quanto frequentius faciem ejus cernebant, tanto amplius in ejus amore creſcebant. Quid dicam de nobiliſſimo viro Henrico Burgundionum Duce? quid de Lamberto illuſtriſſimo viro & nobiliſſimo Comite? quid de Vvillelmo, quid de Richardo Aquitanorum & Normannorum fortiſſimis Ducibus? quid de Italicis Principibus & Marchionibus? Quantum illum Vvillelmus rector Provinciæ coluit, vita illius & finis oſtendit. Per ejus quippe meritum & fidele obſequium B. Benedicti percipere meruit habitum. Archembaldus etiam, Silviniacenſis loci Proviſor fideliſſimus, inter ſuos clariſſimus, & adjacentis patriæ pater, & pauperum tutor fortiſſimus, quantum & qualiter exſtitit B. Majolo devotus, ſupradictus multimode prædicat locus, ab eo & ante & poſt tranſitum ſemper dicendi Patris ædificiis & divitiis, & diverſorum ornamentorum ſpeciebus ornatus & nobilitatus: ita ut deceret, ſi tale quid feciſſet aliquis ex Regibus. Iſte vero qui nunc ſupereſt, honoris ejus hæres & nominis, bene tractat locum illum; nullum etiam infert habitatoribus damnum. Magnatum in Majolum veneratio.

60. *Reſtat ut pauca dicamus de duobus miraculorum libris, quos exhibet cum Henſchenio Bibliothecæ Cluniacenſis appendix. In iſtis libris memorantur curationes factæ dæmoniacorum, cæcorum, contractorum, mutorum, mancorum, amentium, & ſacro igne affectorum. Duo tantum huc refero, quorum primum continet erectionem altaris ad caput ſancti Majoli, qui primus gradus fuit ad ejus canonizationem.* Poſtquam igitur primo beati Majoli corpus cum maximo honoris & reverentiæ cultu eſt ſepultum, & ad ſanctiſſimum ejus caput altare quoddam eſt conſtructum; Fratres Deo inibi ſervientes commune ac ſalubre tale invenerunt conſilium. Ad Epiſcopum namque, in cujus diœceſi iſdem erat locus, tranſmittunt, ut altare illud conſecraret. Unde veniens domnus Beggo Arvernenſis ſedis Epiſcopus, altare illud cum magna conſecravit reverentia. *Beggo iſte Arvernis præerat regnante apud Francos Hugone. Subdit auctor contracti & duorum amentium ſanationem; poſtridie puer quidam de Cavannis * villa pagi Matiſconenſis, manum habens aridam reſtitutus eſt.* Miracula.

61. Quoddam etiam miraculum adjungimus, de quo non ſolum vulgarem populum teſtem deducimus, ſed etiam ipſum Regem HUGONEM, Comitemque BURCHARDUM, filiumque ejus domnum RAINALDUM *Chevines.

Pa-

AN.CHR. 994 11. Maji. Pariſienſem Epiſcopum. Hic igitur Rex ad ſancti Majoli expetendum auxilium veniens, ſuper infirmitatis ſuæ gravitudinem invenire promeruit aliquantulam levigabilitatem, qui uno dierum poſt peracta orationum ſollemnia ab eccleſia progrediens, quemdam cæcum in eodem loco illuminatum audivit: quem ad ſe adduci jubet, ut ab eo veritatem retineret. Dum namque in pauperem talem virtutem factam eſſe pro certo cognovit, præ gaudio, ſicut vir magnæ dulcedinis, cum ſupradictis perſonis profluos lacrymarum rivulos effudit: ſicque cum multa turba populorum collaudans Deum, ſanctumque venerans Majolum, & cæcus illuminatus ad propria rediit, & Rex magnificus lætior in Franciam viam aſſumpſit.

62. *Subjicitur miraculum de alio cæco qui natus erat in* Enguilinenſi ſilva, *ubi* eſt ſancti Arnulfi eccleſia, *quod intelligendum de eccleſia ſancti Arnulfi in ſilva Aquilina* *, *diœceſis Pariſienſis. Subſequitur curatio Viviani*, (*qui unus erat* e Fratribus Cluniacenſis monaſterii, *neſcio an Præpoſitus ſupra laudatus*) *articulari morbo laborantis; & paullo poſt Bernardi Clerici Carnotenſis contractione laborantis. Hæc ſatis de miraculis: Syrum audiamus, cujus lucubratio in mſ. codice collegiatæ ſancti Martialis Lemovicenſis, ex quo eam eruit noſter Petrus Trelius, hanc præfert inſcriptionem.*

* Foreſt d' Iveline.

EPISTOLA DOMNI SYRI

ad domnum Odilonem Abbatem directa.

Vvarnerio inſtigante cunctabundus Auctor, id tandem ſuſcipit.

SPirituali Patri domno Odiloni Abbati, Syrus Monachorum infimus, quidquid in Chriſto felicius. Sæpe mihi multumque cunctanti beati Majoli venerabiles actus ſtyli proſequi officio, cum ad id operis ſanctæ recordationis Vvarnerii importuna perurgeret petitio, multa ſe objiciebant, quæ ne id conarer non modica me formidine deterrebant. Vir quippe ille qui divulgari petebatur, ſic virtutis ſectantium exſtitit imitator, ut earum omnium indefeſſus eſſet operator. Unde ei geſta digerere abſque cunctarum virtutum conjectura quempiam eſt impoſſibile. Recte vero diſputare non prævalet de virtutibus, quiſquis his fuerit vacuus: quoniam mens cui caret intelligentia, id diſcere nequit ſcientia. Hæc idcirco aggredi cunctabar, quibus me nulla virtute dignabar. Rerum denique magnitudo laborque difficilis me rurſus movebat, quod multiplices miraculorum actuſque virtutum dum mens contemplabatur, ſuamque ſcientiam ſcrutabatur, veritatis territa ſententia incipere non audebat quæ ingenii parvitate conſummare diffidebat. Temeritatis inſuper non immerito argui verebar, ſi audacter præſumerem, quæ me perſpicacioribus vel ingenioſioribus committenda fore non ignorabam. Sed hæc mihi de me cognita præfatio quamlibet vero ſæpius pro excuſatione foret oppoſita, ille...... Sub eodem temporis articulo me ad Italiam, illumque vobis dirigere placuiſſet ad Alſatiam; opus quod relinquebam imperfectum, ſecum ipſe detulit per ſchedas diſperſum. Poſt ejuſdemque lacrymabilem tranſitum, cum veſtræ præſentiæ in Morbacenſi cœnobio fuiſſet oblatum, injunctum mihi eſt ex veſtra ſententia, quo ſtuderem quæ deerant addere, & ſcriptorum vitio depravata ad ſtatum priſtinum relegendo corrigere; quod inchoans ut potui pro veſtra juſſione perficere ſtudui, & utinam tam efficaciter, quam libenter, atque ut debui veſtro imperio parui. Ideo...... præſumptio contra redargu......

Digitized by Google

INCIPIT VITA SANCTI AC VENERABILIS Abbatis Majoli.

CAP. I.

LAudabilis Dei noſtri virtus & ſapientia ætatis & generationis ſuccedentia ſibi tempora mirabili prærodinans ſæculorum diſpenſatione, nullum tempus relinquit vacuum bonitatis ſuæ. Unde ſanctæ ſuæ Eccleſiæ fideles per aquam ſalutis & regenerationis in filiorum numero adnumeratos bono exemplo meliorationis tam præcedentium patrum, quam & præſentium ſemper confirmat, & ad conſequenda æternæ hereditatis gaudia invigilare inſinuat. In hoc igitur ultimo ætatis termino verum ſuique fidelem certiſſimum beatum Majolum divina pietas mundo protulit, qui claris ortus natalibus, ex Avennicorum oppido parentibus ſplendidiſſimis eſt procreatus, Provincialis quidem genere, nobilium Gallorum clarus generoſitate. Hic ab ipſis infantiæ rudimentis ſtudiis litterarum traditus, ſuperna providente clementia ita in domo Domini lucerna ardens elucens refulſit, ut de eo illud Moſaicum poſſit dici: *Novi te ex nomine*.

II. Majolus ex nomine laudatus.

Nam Majolus, ut jocundo lætemur interprete, quaſi magnus videtur dici oculus. Convenienti etenim futurarum rerum præſagio, tali nomine donatur illa veritatis & juſtitiæ columna: quoniam quidem per quadrifida terrarum ſpatia magna extendit ſuæ beatitudinis lumina. Pro operibus enim iterato præſcitæ & diſpoſitæ ſibi divinitus vitæ tale ei nomen conveniebat habere, quod in ſui memoriale bonum Chriſti odorem in cordibus fidelium faceret redolere: ut ſecundum Apoſtoli teſtimonium, Chriſti bonus odor mererentur fieri, qui vitæ & converſationis ejus voluiſſent veſtigia imitari. Hic etenim beatiſſimus pater Majolus pro ſanctitatis & pietatis ſuæ fructibus inundandis Chriſti bonus odor permanſit, & permanet in his qui pereunt, & in his qui ſalvi fiunt. Sanctificatum namque thymiama unguentorum ſuorum ſecundum Cantica canticorum multos & innumerabiles poſt ſe traxit, qui zelo ſanctitatis accenſi, igne perfectionis fervidi, abjecta inveterati corporis & pigredinis ruga, in adoleſcentiorum irruerunt fortitudinem. Qui tympanizant illud monachilis perfectionis opere, quod S. Pater Benedictus edocuit divino dogmate, ut relicta ſuperfluæ curioſitatis ſarcina, tranſvolent pennis fidei & libertatis ad æthera.

III. Puer dat ſpecimina virtutis.

Hic etenim beatiſſimus ac dilectiſſimus Majolus divino præventus munere, qualia itinera laudum & virtutum ſequeretur, prædicebat nomine: & in infantilis ætatis tempore, quaſi quoddam præmonſtrabat maturioris ætatis irreprehenſible decus, ſcienter neſcius vitæ ſuæ primordia cæleſti diſcipulatui, & ſapienter indoctus adquirens ſibi magiſtrale decus in novello dierum numero. Sic igitur cæleſtis pietas in ipſius ætatis termino coaptans eum ſibi ad electionis futuræ privilegium, ſcholaribus diſciplinis ipſum ſubdi voluit, per quem poſtea abundans divinæ largitatis theſaurus pleniter mundo aperiretur: multi quoque adjuvante Redemptoris benignitate meliorarentur, qui ipſius ſanctitatis laudabili affabilitate fruerentur. Multiplicibus denique virtutum adornatus donis beatus pater Majolus, vita operibuſque laudabilis, ſuæ ætatis infantilem teneritudinem maturioris animi firmitate reddidit perfectam. Cui in initio viarum ſuarum prædivinabant coætanei non deeſſe ei in futurum quoddam magnificentiæ magiſterium, eum quoque, ut eorum ſcire manebat, favoribus magnis extollebant & laudibus.

IV. Matiſconem accedit,

Proceſſu itaque temporis decurſa pueritia, cum eum jam ſibi vindicaret adoleſcentia: parentibus humana ſorte præventis, paterniſque prædiis barbarica invaſione in ſolitudinem jam redactis, divina diſponente providentia naturale ſolum coactus eſt deſerere, ac Burgundiæ partes expetere; venienſque ad urbem Matiſcenſem ſuſceptus eſt ibi in hoſpitio a quodam ſuo propinquo, qui inter reliquos ejuſdem urbis proceres, nobilitatis gerebat decus. Cum-

AN.CHR. 994 . 11. Maji . ibique Canonicus caſte vivit.

Cumque aliquamdiu in ejus moraretur diverſorio, ejus fultus amminiculo, uti cœpit ejuſdem civitatis Epiſcopo, quem liberali cernens ingenio valere, Canonicorum ſtuduit collegio copulare. Qui etiam eum ſecretius ſumma hortabatur inſtantia, ut ſe virginem conſervaret, & velut vas electionis, in Eccleſia dignus Deo fieret. Sed Virginis filius jam olim caſtitatis amore pectus ei afflaverat, ut ne puncto quidem temporis ab ejus intuitu pateretur divelli. Dulcorem Domini hic a tenero imbiberat: & ideo pudicitiæ nitor in eo incanduerat, auxeratque largitrix gratia pectus infantis muneribus geminis; quodque aſſolet eſſe duobus gratum & ſufficiens, hoc præcumulaverat uni.

V. Lugduni litteris vacat.

Per idem tempus Lugduni Antonius quidam bonis pollebat moribus, in philoſophia ſatis eruditus, quem virtus & religio Inſulæ barbarenſi præfecerat cœnobio. Hoc vir Dei quorumdam relatione comperto, quia nimio diſcendi fervebat deſiderio, Lugdunum perrexit, ejuſque magiſterio ſe ad erudiendum commiſit: cujus multum convaluit non modo doctrina, verum moribus & vita. Prædicta quidem tunc civitas omnes excellebat ſibi propinquas tam religione virtutum, quam ſtudio liberalium artium. Offenſa namque ſapientia, quæ propter ſe ipſam tantum appetenda eſt, quorumdam lucris turpibus, multorum indiſciplinata vita, omnium poſtremo tepide ſe appetentium inhoneſta deſidia, præceptorum inopia intercedente priorumque ſtudiis collapſis, hujus noſtræ exitialiter peroſa regionis, Lugduni ſibi aliquamdiu familiare conſiſtorium collocavit. Ibi quas dicunt diſciplinarum liberalium peritia, quaſque ordine currere hoc tempore fabula tantum eſt, eo uſque convaluit, ut quantum ad ſcholas, publicum appellaretur citra marini orbis gymnaſium. Et, ut aliquid rationis afferre videar, eo id argumento colligimus, quod quiſquis artium profitendarum afficeretur ſtudio, *non ante* profeſſis inſcribi merebatur, quam hinc explorata diligentia examinatus abiret: cui rei Satyricus quoque adſtipulatur qui ut exempli circumſtantia res eluceat, primo ſui operis libro acriter diuque in impudicos invectus, *fert* eos conſcientia frequentati ſceleris perinde palleſcere,

Ut Lugdunenſem rhetor dicturus ad aram *a*.

In ea itaque urbe, ut diximus, cum philoſophos viroſque audiret eccleſiaſticos, divina inſpirante gratia omnes ſuos præceſſit æmulos ſapientia. Facunditas eloquentiæ gravitati tunc componebatur ſapientiæ. Ex materia hujuſce compoſitionis, vas eſſe cœpit electionis.

VI. Virtutem jungit ſtudiis.

Cumque jam veſtiri cœpiſſet vernantibus juventutis floribus, ita ſuam adoleſcentiam bonis inſtruxit moribus, ut eo tempore jam putaretur *Monachus*. Integrum ſe & ſincerum omni cuſtodia ab his obſervabat *vitiis*, quibus contaminari ſolent homines hujus ætatis. His enim *imbui timebat*, ne tenera in ætate his infectus eſſet quibus cum vellet carere non poſſet, Prov. 22. 6. juxta illud quod ſcriptum eſt. *Adoleſcens juxta viam ſuam, etiam cum ſenuerit, non recedet ab ea*. Bonorum virorum & maxime prudentium contubernio potitus, turpitudinis ſectatores exoſus.

VII. Archidiaconus creatus.

Jam vero per cunctos, prout moris eſt, gradus conſcendens eccleſiaſticos, cum Levitarum potiretur officio, ad ejuſdem uſque arcem, doctrina id exigente juſtitiæ, ab eodem eſt ſublimatus jam prædicto pontifice. Officio igitur miniſtrationis acceptæ cum cultui vineæ manciparetur divinæ, ut hujus ſe aſſignaret colonum, commune utile multorum magis quærebat quam proprium. Cunctis benignus, omnibus æquus, nemini nocebat: quibus poterat prodeſſe ſtudebat. Sana quippe ei doctrina inerat: quia ſuæ conditioni quod 2. Cor. 6. 3. competebat, illud ſollerter agebat, propter illud Apoſtoli: *Nemini dantes ullam offenſionem, ut non vituperetur miniſterium noſtrum, ſed in omnibus exhibeamus noſmetipſos ſicut Dei miniſtros*.

VIII. Senſus refrænat.

Legerat mortem per feneſtras ingredientem: & per eaſdem domum interius

---

a Strabo in Geographiæ lib. 4 poſtquam egit de templo ibidem a Gallis Auguſto erecto, *aderat*, inquit, & *ara cum titulo gentium ſexaginta*, notante Henſchenio.

Digitized by Google

AN.CHR. 994 11. Maji.

rius penetrantem. Ideoque ſuas ſic ſtuduit aures oppilare prudentiæ peſſulo, ne penetral illideretur cruentæ mortis jaculo. Nam unaquæque ſui potiens officii, fieri cogebatur alieni. Taliter ejus intuitus a concupiſcentia deductus, ſincerus reddebatur & purus. A lingua vero carente mendacio procul diſtabant adulatio & detractatio. Opportunitas tamen ſi exegiſſet, ſevera non deerat correctio: quoniam quidem ſi hic eſt vir perfectus qui in lingua non offendit; nullatenus habetur deterior, qui quempiam fratrum videns peccantem ammonendo, exhortando, increpando, juxta Apoſtolum, ad viam veritatis reducit. Et quia nec lingua, nec oculis facile delinquere volebat, recte illud ei congruere videtur quod dicitur: Quoniam aſpectu & auditu juſtus erat. Scientiis etiam & modeſtis ſermonibus inditus, obſcœnis & turpibus omnino intercludebatur auditus, propter illud quod ſcriptum eſt: *Sæpi aures tuas ſpinis, & noli audire linguam nequam*. (Eccl.28 28.) Jam pedes a ſpatioſo mundi itinere retrahebantur, & arduum callem cæleſtis patriæ jam proficiſci nitebantur. Doctrina quidem qua fovebatur juſtitiæ, ſibi prudenter ingerente, beatius fore dare quam accipere; ſuas ipſius manus ſæpe contractio capacitati, ſæpius tamen & facilius extenſio habebat largitati.

IX. Munificus in pauperes.

Charitatis equidem affluens viſceribus, pro pauperibus ſemper erat ſollicitus; Chriſtum vero totis diligens viſceribus, dum ſicut Martha corporaliter non valebat, in egenis illum quotidie reficiebat, ſuo ipſius teſtimonio qui ait in Evangelio. *Pauper ſemper habetis vobiſcum, me autem non ſemper habebitis*. (Jo. 12. 8) Unde idem ipſe ſuis dicturus eſt in fine: *Quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis*. (Matth. 25. 40.) Sic igitur in pauperum ſuſceptione Chriſto ſuo lætabatur manſore: ſed ad opus exercendæ miſericordiæ illa quamvis impelleretur beatitudine, quæ inter ceteras in Evangelio Domini denuntiatur voce, *Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur*; (Matth.5.7.) ordinatæ tamen charitatis qua ſtringebatur vinculo, non ad luxuriam, ſed neceſſitatem, prout cuique opus erat, ſingulis petentibus ſubveniebat.

X. In publica neceſſitate,

Quodam igitur tempore cum rerum victualium fertilitas more ſolito non proveniret, totamque regionem alimentorum indigentia fames acerba conſtringeret; ad virum Dei plus ſolito venire cœpit pauperum multitudo. Quorum importuna precatio dum quotidie miſerabiliter inſiſteret, ut ſuæ inopiæ viri Dei pietas ſubveniret, charitatis perfoſſus cuſpide, nimia cœpit cogitatione æſtuare. Larga enim habendi copia in magna penu jam defecerat in ſimilia diſpertita opera. Hic eos qui tuendi cura ſibi domeſtica fuerant alendi, neceſſitas; iſtinc omnibus indigentibus ſubveniendi ſollicitabat voluntas: cuncta quibus humanæ vitæ continetur actio, abeſſe videbantur cellario, ſuæque domus præpoſito proteſtante, ſibi ſuiſque parva quæ ſuperfuerant non ſuppeditare, nedum tot petentium quiviſſet penuriam ſublevare. Tunc vir Dei oratoriolum quod in honore ſancti Michaelis ipſe trans Ararim reædificaverat, & ad quod propter popularem tumultum ſeſe a civitate contulerat, quo ſecreta quiete pervigil in orationibus divino famulamini manciparetur attentius, ingreſſus; (ſecedit in S. Michaelis oratorium) pauperum miſeratione commotus, cœpit Dominum enixius exorare. Cumque pronus in terram ſeſe cum lacrymis proſterneret, ac largiter flens diu in oratione perſiſteret, ut oculos a terra ſubduxit, ante ſe ſeptem ſolidos aſpexit, quos quidem tangere noluit, quia ſibi metuit, ne aut phantaſtica illuſio, aut alienum damnum eſſet, & culpam velut exactione pietatis perpetraret. (ſolidos 7. reperit in pauperum uſus.) Egreſſus ab oratorio ſolidos quos repperit per omnes huc adventare ſolitos direxit, eoſque qui perdidiſſet percontari præcepit. Omnibus negantibus ſe denarios perdidiſſe, ſuoſque qui reperti fuerant aſſerentibus non fuiſſe, non ad uſum proprium, ſed eos ad alimenta deputavit pauperum.

XI. Alios docet.

Porro divinorum præceptorum ſicut avidus erat indagator, ita ſtudioſus operator, ſemetipſum ad pietatem exercebat, & quos poterat, ad eamdem trahere procurabat. Adoleſcentiam ſuam ut contemni poſſet a nemine, ſic in bonam quam aſſecutus fuerat doctrinam ſatagebat informare; ut ceteris eſſet exemplum bonæ vitæ in verbo, ſcientiaque, converſatione. (1.Tim.3 13) Apo-

AN.CHR 994 11. Maji. poſtolum quia legerat promittentem, quod illi qui bene miniſtraverint gradum ſibi bonum adquirent, & multam fiduciam quæ eſt in Chriſto *Jeſu*, ſic miniſterio ſibi credito attendebat, ut ſuis omnibus profectus eſſet manifeſtus, omnibuſque prodeſſet ſe audientibus. Doctrinam, quam ſecundum ſibi conceſſam gratiam fuerat aſſecutus, ut ad uſuram commodaret pluribus, ne de talento ſibi credito, torpente damnaretur cum ſervo, de diverſis ad ſe partibus clericos convocabat: & quos dociles cernebat, eos gratis libenterque docebat. Hoc autem ſtudebat cupiens facere propter illud Danielis prophetæ: *Qui docti fuerint fulgebunt ſicut ſplendor firmamenti, & qui ad juſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.* Et hoc ideo, ut non ſolus, ſed ſuis ipſe cum auditoribus inſeri ſidereis dignus inveniretur ſplendoribus.

Dan. 12. 3.

XII. Veſontionenſem Archiepiſcopatum recuſat.

Vir igitur Dei cum talibus & hujuſcemodi polleret moribus, ejuſque nomen fama celebri divulgaretur; Veſontienſi Archiepiſcopo viam univerſæ carnis ingreſſo, tam ipſius terræ Principis, quam totius cleri conſenſu & populi, ad ejus culmen ſuſcipiendum Pontificatus beatus impellebatur Majolus. Sed ejus animus robore licet firmatus auctoritatis, ac erectus foret culmine virtutis; ſub hujus tamen ſpecie ne mundi lucrum cogeretur expetere, & ad mundi gloriam, quam mente ſpreverat, per ſæculare negotium delectabiliter tendere, grave pondus proceloſi culminis per cuſtodiam refugit humilitatis, Creatoris omnium ſequens exemplum, qui cum ante ſæcula regnaret in cælis, regnum percipere vitavit in terris: ſcriptum quippe eſt: *Jeſus cum cognoviſſet, quia venturi eſſent ut raperent eum, & facerent ſibi Regem, aſcendit iterum in montem ſolus orare.* Quocirca beatus Majolus æterni Regis magiſterio edoctus, qui oblatam gloriam culminis fugit, & poſtea ſponte venit ad patibulum crucis: quatenus ejus membrum fieret, omnem ſpem ſuam in eo collocavit: hoc ſtuduit opere adimplere quod ille præcepit ſermone. Hoc enim præceptum eſt in Evangelio: *Qui vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.* Ita vir Dei per cæleſtis ſtudii diſciplinam mundi labilem contempſit gloriam, & ſupernæ vitæ tactus dulcedine, quæ a mundi amatoribus concupiſcuntur, omnia a ſe funditus temperavit abſcindere. Igitur cœnobium in collis valle quæ Cluniaca dicitur, cui vir vitæ venerabilis Heymardus præerat, pro morum honeſtate & virtutum ſtudiis appetiit, ibique ſecundum beati Benedicti Regulam ab eodem viro jam præfato converſationis habitum petens, ut ſuſciperetur rogavit.

Jo. 6. 15.

Luc. 9. 23.

Cluniaci fit Monachus.

XIII. Obedientiæ deditus.

Spretis itaque omnibus terrenæ poſſeſſionis ſtipendiis ob ſpem futuræ repromiſſionis, habitum ſanctæ converſationis ſumpſit; ſicque deinceps *alieno* vixit imperio, ut in nullo deviaret a ſanctæ converſationis *propoſito*. Hic enim procul a ſe remotis hebetudine & murmure, ſingularis præ ceteris obedientiæ præeminebat virtute, implens illud in fratribus quod
„ præcipit beatus Benedictus: Obedientiæ bonum non ſolum Abbati exhibendum eſt, ſed etiam ſibi invicem obediant fratres. De Abbate vero apoſtolico inſtruebatur exemplo. *Obedite*, inquit, *Præpoſitis veſtris*. Enimvero beati Benedicti cujus ſubjacebat diſcipulatui, imitator exſiſtens, induta parvuli humilitate, ſtulto philoſophorum neglecto dogmate, ſapientem Dei ſtultitiam eſt adorſus, juxta quod præcipit Apoſtolus: *Si quis vult inter vos ſapiens eſſe in hoc ſæculo, ſtultus fiat, ut ſit ſapiens.* Unde qui prius doctor Grammaticorum, diſcipulus poſt cœpit eſſe ſimplicium virorum.

Reg. S. Bened. c. 71. Hebr. 13. 17.

1. Cor. 3. 18.

XIV. Bibliothecarius & Apocriſiarius.

Haud ſecus enim ac Philoſophi ad ſyllogiſmorum argumenta tota ſe conferunt mentis inſtantia: ita ſe contulit ad ea dicenda, quæ quotidianum per uſum in monaſterio ſunt explenda: quibus omnibus ſollerti ſibi cura cognitis, & experimento memoriæ commiſſis, videri jam cœpit doctior cunctis. Hunc ergo ut in monachico ordine ita prudentem jam dictus Pater intellexit, Bibliothecæ præficiens, Apocriſiariatus officium eidem injunxit. Quod miniſterium tanta auctoritate tantaque adimplevit ſollicitudine, ut omnibus ſecum converſantibus exemplo fuerit & terrori. Legerat iiſdem vir Domini

libros

Digitized by Google

AN.CHR. 994. 11. Maji.

Auctores profanos rejicit.

Monita dat optima.

libros olim antiquorum philoſophorum, Virgiliique mendacia, quæ nolebat nec ipſe jam audire, nec alios legere. Sufficiunt, inquiens, divini poetæ vobis, nec egetis luxurioſa Virgilii vos pollui facundia. Regulari quidem contentus converſatione, ſic ſtudebat parſimoniæ, ut differre nullatenus videretur a ſocietate communis vitæ: quorum vitia dum conſpiceret reprehendenda, hoc exquiſito quod unicuique competebat vitio prius in unoquoque laudanda canebat: dehinc velut ignarus reprehendenda carpebat. Cunctos tamen ſæpius ammonebat ut tales ſe Deo exhiberent interius, quales humana opinio pro religionis habitu ferebat exterius. O virum cui ſemper ſumma debentur, qui amore vitæ æternæ voluntariam amplexus pauperiem totum Chriſto dedit quod in ara cordis invenit, nihil ſuis meritis tribuens.

XV. Romam miſſus, * Yorec. Socium oleo ſancto ſanitati reſtituit.

Quodam tempore pro Monaſterii utilitate beatum Majolum cum altero fratre Romam dirigi contigit ab Abbate. Qui expleta legatione dum redirent, ut Yporediam * ad hoſpitium venerunt, frater qui eum comitabatur, nomine Heldricus *a*, febrium correptus langore, fatigari cœpit acri ardore. Verumtamen ægritudine ingraveſcente, cum toto jam pateretur corpore, de vita deſperatus, circa mortem tenebatur ſollicitus. Vir autem Dei qui nihilominus quam qui patiebatur de fraterno cruciatu triſtabatur, duplicato tunc afficiebatur infortunio: quia hinc eum fratris mæſtificaverat ægritudo, inde paterna quæ incœpta pendebat legatio. Sed quid ageret neſcius, divinam clementiam exorare cœpit attentius. Tribus tandem diebus peractis, poſt matutinas laudes cum ſe ſopori dediſſet; quidam vir canitie reverendus ei viſus eſt dicens: Quid ignavo mærore deprimeris? quid a memoria excidit quod frater meus Jacobus de infirmantibus præcepit. *Triſtatur aliquis veſtrum, oret æquo animo, & pſallat. Infirmatur quis in verbis inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes cum oleo in nomine Domini; & oratio fidei ſalvabit infirmum, & allevabit eum Dominus.* (Jac. 5. 41.) Hac viſione aliquantulum ſublevatus animo, ſtatim ut ſurrexit e ſomno, celeri actione duxit ad effectum, quod apoſtolica fuerat revelatione compertum. Res mira & vehementer ſtupenda! eadem quippe die qua ſanctificationis oleo qui patiebatur eſt delibutus, ita ſanitati priſtinæ reſtitutus convaluit, ac ſi nullam moleſtiam corporis pertuliſſet. Altera die Domini gratulantes virtute, conati ſunt iter cœptum perducere ad effectum: quoniam quidem beati Jacobi voce ſanari teſtabatur infirmus fidei oratione: ideo luce clarius patet beatum virum hoc ſuis obtinuiſſe precibus, quod iſte tam citæ ſanitati eſt redditus. Hoc plane miraculum fratribus fideli relatione cum fuiſſet agnitum, deinceps in magna veneratione habere cœperunt beatum Majolum, quem jam ita Deo proximum noverant effectum per ſigna virtutum.

XVI. Humilior inde factus.

Sed vir beatus gloria laudis abjecta, plus deſpici quam venerari in hac cupiens vita, quo fratrum devotione attentius honorabatur, eo magis omni ſe vilitate & extremitate dignabatur. Omnium licet charitate diligeretur, munditiam tamen cordis ne jactantia fœdaret, a nemine ſe laudari volebat. Et ideo hominibus fugiens eſſe in pretio, ſua ſe conſcientia charum Deo exhibebat. Chriſti quin etiam indutus tunica, cujus ſequebatur veſtigia, miraque ornatus patientia meliora ſecundum Apoſtolum ſectari ſemper ſtudebat chariſmata. Ideoque vitia averſando, de virtute in virtutem proficiendo, per obedientiæ quadruvium ad humilitatis uſque ſupremum conſcendit faſtigium. Sed quia obedientiam nemo valet bene imperare ſubjectis, niſi hanc ipſe didicerit prius exhibere prælatis; ideo hunc longo tempore Dei diſpenſatio ſtatuit ſubeſſe, ut ſub alterius magiſterio diſceret, quomodo ſine errore aliis poſtea præeſſe poſſet. At ego hic ab efflorationis opere paullulum reſpirabo, ut debitum finem hic liber accipiat, indigna quamquam cogi brevitate queratur.

a Fuerat is apud Ottonem Magnum in aula præcipuus, ut legetur infra in lib. 2. cap. 22. poſtea Monachus tum Abbas Autiſſiodorenſis, ſupra in Elogio num. 6.

AN.CRH. 994 11. Maji.

INCIPIT LIBER SECUNDUS.

CAPUT I. Abbas deſignatus.

CErnens interea vir Domini Heymardus beatum Majolum virtutum pennis ad alta ſubvehi, terrena cuncta deſpicere, mundi gloriam declinare, verbis pluere, miraculis obſcurare, ac toto conamine de virtute in virtutem velle proficere: at contra ſe infirmum, lumine privatum, ſenio feſſum, atque emeritæ militiæ jam veteranum; convocatis in unum fratribus, his eos „ compellare cœpit affatibus. Me privatum lumine vobis utiliter præeſſe de„ cernitis minime poſſe. Ideoque talem ex vobis ipſis eligite, qui tutor & cu„ ſtos ſit vobis in Dei famulamine. Illis autem hæſitantibus, & nihil ad hæc reſpondentibus; quod mens conceperat divina inſpiratione, allegavit ſermone, beatum Majolum ut eligerent adhortans, ſolum hunc eſſe ad id officium idoneum affirmans. Unus omnium conſenſus, nec diſpar fuit affectus. Cernere erat omnes in conſona vota ruentes. Namque agmina Monachorum & Clericorum nobilibus viris conſerta ruunt, plebs ruſtica plebi concinit urbanæ, par eſt ſententia cunctis, vox eadem, ſtudiiſque ardent communibus omnes Majolo titulum decernere Paſtoris. Hunc clarum meritis, hunc nobilitate legendum, dogmate præcipuum, generoſo pectore primum, Principibus notum & nonnulla parte verendum. Sed aſſenſum ut præberet cum nullis flecteretur precibus, Abbas bono uſus conſilio, quod ſibi denegabat poſſibile, ei qui omnia poteſt ſtuduit committere. Quocirca poſt ſingularum determinationem horarum, ſuper hac petitione proſtratis in terram fratribus, octogeſimus ſextus decantabatur pſalmus. Hocque dum fieret per triduum, tale Dei pietatis intulit indicium.

Sed aſſenti ti nolens,

II. B. Benedicti monitis tandem acquieſcit.

Vir namque Dei nimia ſollicitus cura, cum ſequentem noctem *fere jam* mediam duxiſſet inſomnem, longa tamen cogitatione feſſus, cum *ſopor ita* irrueret, ut adhuc quaſi vigilantem ſe putaret; quidam religionis habitu comptus, venuſta facie decorus, viſus eſt ſibi adſtare & dicere: Securus eſto frater: ne titubes in ſuſcipiendo regiminis honorem, quia ad hoc peragendum officium divinum tibi non deerit auxilium. Tunc libellum quem forte manu geſtabat prætendens, Hunc, inquit, tu comitem habeto, ejuſque teſtimonio quæ agenda ſunt agito. Hæc autem qui fabatur, non alius ſibi quam B. Benedictus videbatur. Itaque hac viſione aliquantulum recreatus, titubare nequivit, ſe ad hoc opus divina cogi diſpenſatione. Jactans ergo in Domino curam ſuam, totumque ſuum poſſe in ejus ponens velle; facto mane in conventu Fratrum, corpore in terram proſtrato, tam Abbati, quam *omnibus fratribus* ſatisfecit in Capitulo, arguens ſe culpæ, talique eos *conveniens ſermo*„ cinatione. O Patres, o fratres, hoc contumaciæ deputare *nolite*, quod „ obſtinato animo veſtræ juſſioni diſtuli obedire. Animarum enim regiminis „ dum vim & magnitudinem mente pertracto, meæ imbecillitatis conſcius, „ ad hoc ſuſcipiendum minime me fore idoneum ſentio; & ideo fuit obe„ dientiæ dilatio, quia tanti ponderis ſub mole ruinam perpeti formido. Ne„ mo enim alter alteri ſic eſt notus ut ſibi. Unde ſi me ut ego noſceretis, ad „ id officium nullatenus cogeretis. Sed quia veſtra urget juſſio, cui contra„ dicere non audeo: nunc in eo qui lenire aſpera, relevare valet gravia, ſupe„ rare valet adverſa; omni ſpe poſita, veſtra mutor ab immutata ſententia. Hoc fratres audito omnes gratulabantur Deo, cujus benigniſſima miſeratione exaudiri meruerunt in ſua petitione. Tunc domnus Abbas multitudinem convocans Nobilium, Pontificum & Abbatum, adhibuit conſilium; in quo„ rum præſentia hæc prorupit in verba. Veſtram minime latet induſtriam, „ quia ad Prælatos reſpicit, quicquid a ſubditis delinquitur. Quapropter „ exemplum pravæ vitæ, & negligentiam ſubditorum ignis gehennæ inexhau„ ſtus vindicat. Idcirco ego Heymardus, ſancti Petri Cluniacenſis cœnobii „ Abbas indignus, præſentibus atque futuris omnibus generatim notum eſſe „ volo, quia hæc & hujuſcemodi mente pertractans, ætate defatigatus, offi„ ciis

„ ciis etiam corporis imminutus, dum minus me paſtorali curæ idoneum per- AN.CHR.
„ ſentiſco, beati Benedicti capitulatim de conſtituendo Abbate ſollicitudine 994
„ præmonitus, cum omnibus fratribus meis filiis & conſervis, beati quidem 11. Maji.
„ Petri pridem electum fratrem ac filium Majolum reelegimus, & Abbatem
„ eſſe decernimus, ne inſolentia noſtræ infirmitatis ordo detereſcat, & repul-
„ ſam in aliquo patiatur, Deo propitio ſemper ad meliora provehendus. Nam
„ ſicut quis ad regimen incautus adſpirat; ita ſi quis dignus refugit merito con-
„ ſtringendus habetur. Et ſicut Cluniacenſe monaſterium Deo auctore a Wil-
„ lelmo Duce fundatum, nomine Principis Apoſtolorum ſacratum, privilegiis
„ Romanæ ſedis inſignitum, regalibus præceptis confirmatum, a reverendis
„ quoque Abbatibus domnis Bernone & Odone ordinatum conſtat: ita cum
„ omnibus Abbatiis, locis, & Cellis ubi ubi, eorum vel noſtro tempore ad-
„ quiſitis, prædicto Fratri ordinandum tradimus, atque tam ad ordinem
„ ſervandum ſecundum beatum Benedictum & inſtituta patrum noſtrorum;
„ quam ad res diſponendas ſub omni integritate, propitia Divinitate, vin-
„ culis obedientiæ adſtringimus, & Abbatem unanimiter omnes proclamamus.
Poſt hæc denique verba, electione conſcripta, & univerſitatis conſenſu roborata, impoſitaque antiphona ducitur in eccleſiam, benedicitur, & in ſua ſede omnibus gratulantibus levatur.

III. Scripturæ ſacræ lectione ſe & alios regit.

Ut ſpeculi fieri ſolet inſpectione, ita ſe interius divina conſiderabat lectione, & ex hac mentis ornatus componebatur; deformitatis vero ſi quid deprehendebatur, juſtitiæ moderamine corrigebatur. Ideo divinorum præceptorum plus delectabatur eloquiis, quam dapium diutiſſimis ferculis: quia ex his & ſuos mores componere, & ſibi commiſſos inſtruebatur docere & corrigere. Cunctis tamen ſeipſum bene vivendi præbebat exemplum. Et ideo ſicut in ordine, ita primus ſtudebat ut eſſet in opere, juxta illud Evangeliſtæ: *Cœpit Jeſus facere & docere*. (Act. 1. 1.) Adeo lectioni ſemper erat deditus, ut in itinere poſitus, libellum ſæpius geſtaret in manibus. Itaque in equitando reficiebatur animus legendo.

IV. Profanos ut legit.

Philoſophos vero ſæculariſque ſapientiæ libros quando legebat, illud ſagaci ſectabatur induſtria, quod ad Legiſlatorem divina vox in Legis ſecundatione* præcipit de captiva, quæ ſumpto calvitio, unguibus præſectis, pilis abraſis, omnibus purgata ſordibus, ejus a quo capta fuerat tranſibat in amplexus. Hac quippe ſimilitudine, quæ in Philoſophorum libris reperiebantur utilia, hæc ſua dignabatur memoria: quæ vero ſuperflua, de amore ſcilicet rerumque ſæcularium cura, hæc quaſi venenata radebat & mortifera, his calvicium inducebat, hæc unguium more ferro acutiſſimo deſecabat. Ex lectionis ergo aſſiduitate, Scripturarum informatus auctoritate, ita in canonicis ac monaſticis valebat inſtitutis, ut nulli videretur ſecundus in legum decretis, ac philoſophicis argumentis.

*id eſt Deuteronomio.

V. Erga ſubditos ut ſe gerit.

Tum virtute & ſapientia compoſitus, fandi quoque honeſtiſſima copia ditatus, ita ſe coaptabat ſingulis, ut omnibus eſſet diligibilis, implens illud Apoſtoli: *Omnibus omnia factus ſum, ut omnes lucrifacerem*. (1.Cor.9.22.) Quicquid loquebatur, ſapientiæ gravitate componebat. Sermo ejus ſale conditus, quo virtutis pondere brevis & rarus, eo prudenti ſuavitate habebatur pretioſus. Ideo quotieſcumque ad ædificationem moralem faciebat ſermonem, ut diſertiſſimus, ita habebatur gratiſſimus. Gregem ſibi commiſſum provida regens pietate adverſus peſſimum ſanctis omnibus inimicum, concordi ſanctoque certamine ammonebat certare: ut eorum quiſque quod poſſet, operari bonum non deſiſteret, ne tunc vellet, quando non liceret. Illis etiam B. Pauli ſæpius inferebat monita, qui in ſua ait epiſtola: *Pacem ſequimini cum omnibus & ſanctimoniam ſine qua nemo videbit Deum*. Vetus enim proverbium eſt, parem pari facile congregari. Ideo perpetuus virginitatis cuſtos nullius turpitudinis ignominia maculari patiebatur ſibi ſubditos. Peccantes vero zelo pii amoris coram omnibus arguebat, ut ceteri timorem haberent. Sed & verba quæ ſub increpatione proferebat, quaſi ſtimuli dura videbantur & aſpera, juxta illud: *Verba ſapientis quaſi ſtimuli & quaſi clavi in altum defixi.*

Digitized by Google

AN.CHR. 994 11. Maji. Quin etiam paterno more quos aſpera redarguebat invectione, mirum eſt referre, quam ſancte, quam pie eos poſtmodum demulcebat, prout cuique expedire videbat, proferens de theſauro cordis ſui nova & vetera: alios 2.Tim.4.2. quidem blandimentis, alios ammonitionibus, alios terroribus, & ita omnibus omnia factus juxta Apoſtolum, prædicans verbum, inſtans opportune, importune, arguens, obſecrans in omni patientia & doctrina. Verum quia charitate replebatur Chriſti, qui omnes homines vult ſalvos fieri & ad agnitionem veritatis pervenire; omnium bonorum ut propriis gratulabatur provectibus, malorum ingemiſcebat iniquitatibus: miſerorum vero, haud ſecus ac ſi ipſe pateretur, afficiebatur calamitatibus.

VI. In palatiis quam caute ſe habet. Auguſtorum vero ſeu Regum palatia cum per diverſas partes frequenter adiit, in eis non quæ ſua ſunt, ſed quæ Jeſu-Chriſti quæſivit, ut ex eorum ſcilicet familiari collocutione, ſubveniret oppreſſis ſua interventione, aut certe aliquos ex ſæculari vel clericali habitu Deo lucrifaceret, ut juxta Domini præceptum propria relinquerent, & ſæcularibus curis ſemoti, Deo in tranquillitate ſervire ſtuderent. Itaque licet ſæpius in terreno converſaretur palatio, animus tamen in nullo ſe flectebat a cæleſtis vitæ propoſito: quoniam humanis cæleſtia præponens, ideo a cæleſti Rege ſeparari non poterat, cui tota mente adhærebat. Deinde ut obſcœni rumoris nulla de ſe fabula, ſed bene vivendi exemplum ex ſua procederet continentia; in inceſſu, in omni corporis motu, tali ſe perornabat habitu, ut omnis ejus actio, omnis locutio doctrina Apoſtolorum eſſet & inſtitutio. Os ejus ita replebatur ex cordis abundantia, ut in eodem ore pæne nihil aliud niſi lex reſonaret divi- Apocal. 22. 17. na. Et quia Scriptura jubet, *Qui audit dicat, Veni;* ideo quoſcumque poterat, a ſæculi nequitia ſuadendo ſubtrahebat: & ſicut cæleſte per deſiderium totis ipſe viribus ad ſupernum regnum anhelabat: ita ſecum pergere omnes homines, ſi fieri poſſet, exoptabat. Sed nullatenus eſt fraudatus a deſide- Multos convertit a ſæculo. rio, quod in ſe conceperat vera dilectio. Ille enim qui charitas eſt, qui ſe timentium complet voluntatem; viri Dei ferventem affectum perduxit ad effectum. Ad ejus quippe monita multi quæ poſſederant relinquentes, regulari ſe diſciplinæ ſubdiderunt, & beati Benedicti ſequentes veſtigia, ſemetipſos abnegantes, vero Regi totis viribus militaverunt. Partibus namque ex diverſis ad ejus cœnobium multitudo confluxit innumerabilis: ſed nationibus licet diverſi, mente tamen ita erant uniti, ut illud ad litteram in eis impletum videretur, quod de initio naſcentis Eccleſiæ in Apoſtolorum Actibus legitur: Act. 4. 32. *Erat illis cor unum & anima una.* Lætabatur paſtor in ſui gregis augmento, magiſque gaudebat, quod omnes inſtabant operi propoſito. Verum quia ſuper gregem ſibi commiſſum ſollerti vigilavit cura, divina promeruit *gratia, de* fructu laborum ſuorum in hac gaudere vita. Nam regularis vitæ *diſciplinam*, Monaſteria reformat. quæ jam pæne deciderat per veterum negligentiam, prout B. *Benedictus* eam compoſuit, in priſtinum ſtatum corrigendo reſtituit, ac per diverſas mundi patres, perplura monaſteria a regulari tramite devia, tam per ſe, quam per ſuos, quos Abbates ordinaverat, monaſtico Ordini *a* ſubdidit. In hoc vero gaudens gratulabatur Deo, quod eorum quos ſua ſub cura educaverat, ad monaſticum regendum Ordinem fore multos idoneos videbat.

VII. Diſcretione utens in cibo, Si quidem, ut diſcretiſſimus Pater, omnibus quæ agebat diſcretionem præferebat; & tali diſcretione communis vitæ utebatur ratione, ut & abſtinentiæ ſupra ceteros ſtuderet, & ex eadem tamen abſtinentia ſe laudandi materiem nemini præberet. Regulari enim præcepto conceſſis ita utebatur & licitis, non ut voluptas aleretur, ſed ut corporis neceſſitas brevi ſumptu aleretur. Apoſtoli obtemperans præcepto, vino utebatur modico: ſic ſanctis & moderatis jejuniis corpus ſemper attenuabatur, ſic adulantium lingua vitabatur, ſic a mente jactantia pellebatur.

Nobi-

---

a Id eſt reſtituit, ſeveriore diſciplina inducta. Sic infra cap. 23 B. Apollinaris cœnobium ad B. Benedicti dicitur *inſtituiſſe tramitem*. Ex hoc vero loco patet, Abbates, non Priores fuiſſe præpoſitos cœnobiis Cluniaco adjunctis, idque variis exemplis jam probavimus.

Digitized by Google

Nobilium menſis quotiens coactus intererat, ſic appoſita libabat, ut & ſuperſtitionem fugeret, & continentiam reſervaret: quoniam quidem menſura ubique eſt laudabilis. Rebus enim in omnibus, etiam in bonis, eſt vitium quicquid exceſſerit modum. Ita ſibi competens & moderatus erat habitus, ut nec nimium ſpecioſus aut nitidus, nec plurimum videretur abjectus. Ex his enim ſæpius ſe ſolent homines vel inſolenter jactare, vel indiſcrete abjicere. Quocirca diſcretione uſus, inter utrumque inceſſit medius, ut nec jactantiæ argui poſſit pretioſis de veſtibus, nec ſimulatæ ſanctitatis de nimium abjectis & vilibus. Diſertis quoque viris quoties jungebatur, & de Scripturis (fieri ut aſſolet) aliquid proponebatur, libenter audiebat, prudenter & verecunde reſpondebat, libenter ac laudabiliter ſuſcipiebat. Prava vero ſi quæ proponebantur, non acriter, ſed ingenuo pudore confutabatur, non callida argumentatione diſputantem contra ſe ſuperando, ſed per venerabilium Doctorum exempla benigne docendo. Tunc dicta Orthodoxorum trahebat ad medium cum Evangelicis & Apoſtolicis tonitribus, atque in hunc modum & eruditiſſimus declarabatur, & eruditionis jactantiam fugere videbatur.

11. Maji. VIII

In menſis divitum,

In colloquiis.

IX. Seceſſui & lacrymis deditus.

In diverſorio ut in itinere, per ſingulos dies, ubicumque eſſet, ſecretum ſibi adhibebat locum mæroris amicum, ut remotus ab hominibus Deo jungeretur propius: ſed dicere non poſſumus, quantis tunc gemitibus, quantis afficiebatur fletibus. Plerumque terra ante oculos ita lacrymis videbatur irrigata, ac ſi foret unda perfuſa. Si quæ levia contingerent, quæ pro humana fragilitate ſolent evenire in cogitatione, tali hæc eadem plorabat mærore, ut graviſſimorum criminum eum crederes reum. Porro quia juſtus in principio accuſator eſt ſui, ipſe ſæpius ſe accuſabat, ſe reum eſſe clamabat, illud beati Job frequenti memoria replicans: *Nonne cognoſcit Deus vias meas, & cunctos greſſus meos dinumerat?* In itinere poſitus, ſæpius iter carpebat ab aliis ſemotus. Orationi dum inſiſtebat, aut lectioni dum incumbebat, ſuorum nullus eum aggredi præſumebat, quia juxta illud beati Job, *Subditis erat tremendus, & lux vultus ejus non cadebat in terram.* Omnem intentionem ſuam ideo fore volebat in occulto, ne qua laudandi daretur occaſio, ex qua mentis ſubrepere potuiſſet elatio. Sed quo minus petebat gloriam, eo illum „ magis ſequebatur, quoniam ut Auguſtinus ait, Melior eſt virtus, quæ hu„ mano teſtimonio contenta non eſt, niſi conſcientiæ ſuæ. Vera enim eſt virtus quæ ad eum finem tendit, ubi eſt bonum hominis quo melior non eſt. Et ideo virtutes habenti magna virtus eſt contemnere gloriam; quia contemptus ejus in conſpectu Dei eſt, judicio autem non aperitur humano.

Job. 31. 4.

Ibid. 29. 24.

X. Virtutes ejus quot & quales.

Diverſi namque fideles viri diverſis laudantur virtutibus: beatus tamen Majolus non in una, ſed in omnibus eſt laudandus. Verum nos eas in eo laudare debemus, quas tota novit Italia, non ignorat Germania, in quibus tota exſultat Gallia, reſtaurationem ſcilicet cœnobiorum, pacem eccleſiis redditam, Regum & Principum concordiam, intemeratam Regulæ obſervantiam, lucrum animarum, quas (ut quondam David) manu fortis a ſæviſſimis urſorum brachiis abſtraxit, & a cruentis leonum faucibus eripuit, eaſque Domino ita reſtituit, ut cum juſto viro dicere poſſet: *Conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam.* Toties enim ex iniqui, hoc eſt diaboli, dentibus prædam tulit, quoties ex erroris morſu animam prædicando diripuit. A multis quippe dæmonia expulit, quos præripiens diabolo, Chriſti ſervitio ſubjugavit. Perpluribus quoque veneno ſerpentis tumidis per antidotum ſubvenit ſuæ exhortationis. Infirmos in bono opere per manus impoſitionem perplures ſanavit, dum ſuæ operationis exemplo illorum vitam roboravit. Leguntur plurimi miræ ſanctitatis viri, qui ſuis obtinuerunt precibus, ut ad corpora hi qui olim ſuppliciis deputati erant infernalibus redirent: ſed ſi hoc eſt mirabile, cum anima per diſſolutionem ad hanc vitam reſuſcitatur corruptibilem; illud eſt mirabilius & glorioſius, cum ad ſuum revocatur auctorem, ejuſque a quo alienabatur perverſe agendo, ita poſtea ut unus

Id. 29. 17.

Animarum ſuſcitatio.

AN.CHR. 994 11. Maji. cum eo ſit ſpiritus, adhæret bene vivendo. Multos enim mortuos mente, beatus reſuſcitavit Majolus ad gaudia æternæ vitæ, & ſubmerſos in fluctibus magni maris retibus ſuæ prædicationis ad littus traxit firmæ ſoliditatis. Mortuorum ergo ſuſcitatoribus nullatenus inferior beatus decernitur Majolus: ſed ſagaci mente ſi quis vult indagare, quis umquam valet enarrare, quot in tenebris & umbra mortis ſedentibus viam rectam oſtendit, & ad civitatem habitationis, cæleſtem ſcilicet Jeruſalem ut irent, edocuit; qui in bono claudicabant opere, illos ſalutare iter docuit currere. Verum ſunt nonnulli qui eos tantum efferunt, quos ſigna feciſſe viſibilia audiunt: operatores vero inviſibilium quæ perpendere neſciunt, minoris fore meriti contendunt. Quocirca exteriora perpetranda beatum Majolum ut compotem fuiſſe monſtremus, pauca de multis quæ mirabiliter geſſit dicemus.

XI. B. Mariam Anicii adit. Quodam tempore ut ſupplici devotione miſericordiæ depoſceret Matrem, Dei ſcilicet Genitricem, aggredi ſtuduit Vallavorum civitatem. Tota tunc civitas tripudiat, ejus viſione uterque ſexus indiſcreta ætas gaudebat. Omnes petunt bendictionem, audire exoptant ejus ſanctam ſermocinationem, occurrunt proceres, properat promiſcua plebes: tum ſacer eccleſiæ denſo ruit agmine clerus. Laudibus hi plaudunt, perſultant plauſibus illi, & commune decus parili pietate ſalutant. Exin multiflua comitante turba iter dirigit ad ſanctam eccleſiam, ſternitur, & Chriſtum ſolito proſtratus adorat, rigat lacrymis ſolum, vocat planctibus Chriſtum, cui lacrymæ fecere vitam ſuper aſtra volanti.

XII. Cæcus illuminatus. Poſtquam itaque ſpiritali ſuavitate in Chriſto debriatus jucundiſſimis ſe virtutum dapibus explevit, diverſorium repetens, occurrit mendica manus, ſtipemque petebat, docta & ſufficiens aliena vivere quadra. Inter quos occurrit unus, qui multos jam per annos lumine fuerat privatus, dum ceteri corporeum ſublevamen, ipſe ſolus petebat lumen: Apoſtolorum a Principe ſcilicet ſibi teſtabatur revelatum fuiſſe, ut ſi ex unda qua vir Dei manus ablueret, oculos lavaret, expulſis tenebris oculorum lumen ipſe recuperaret. Cumque ab eodem aſpera fuiſſet increpatione repulſus, expetere id tamen non deſtitit a ſibi famulantibus. Hoc idem comperto eis interdixit ſub interminatione, hoc facere caverent temeraria præſumptione: ſed lumine qui carebat eadem quin peteret quieſcere neſciebat. Denique ſua ſæpius fruſtratus petitione, cum quod quærebat in civitate non poſſet impetrare; virum Dei ſuæ egreſſionis in itinere ſua tentabat improbitate laceſſire, illi per omnia ſimilis in petendo, de quo Dominus ait in Evangelio: *Et ille ſi perſeveraverit pulſans, dico vobis, etſi non dabit illi ſurgens, eo quod amicus ejus ſit, propter improbitatem tamen ejus ſurget & dabit illi quotquot habet neceſſarios.* In locum, qui Mons-gaudii vocatur, quod hinc Chriſti matri eccleſiæ ſpectat, tunc virum Dei præceſſit ejus operiens adventum; & equum venientis per frenum arripiens tenuit, atque cum juramento dixit: Hunc equum non dimittam, etiamſi vapulavero, niſi prius quod deprecor impetravero. Aquam quoque, ne exinde aliqua excuſandi ſurriperetur occaſio, ſecum ille deferebat in vaſculo ſibi pendente a collo. Tunc vir Dei in multa ſollicitudine conſtitutus, tandem flectitur ad miſericordiam petentis pietate compaſſus. Deſcendens itaque, aquam more eccleſiaſtico exorciſavit, ac ipſi ſalutare ſignum dominicæ crucis infudit, & ſuper cæci oculos eadem de aqua ſalutare ſignum impoſuit, de ſua nihil virtute præſumens; nec tamen in fide hæſitans, dum eum, cujus nomen ſuper aquam vocavit, & ex hac ſalutare lignum lavit, lumen poſſe cæco reddere nullatenus dubitavit. Et quia hoc fideliter credidit, effectu ſuæ fidei minime caruit. Nam flexis dehinc in terram genibus cum his qui ſecum tunc aderant fratribus Matrem miſericordiæ fuſis cœpit lacrymis poſtulare. Mira res! ille qui privatus fuerat lumine, antequam vir Dei ſurgeret ab oratione, tenebris evacuatis lumen *a* recepit veritatis; quique greſſum figere ſolebat dirigente

a S. Majoli feſtum ejus miraculi cauſa in eccleſia Anicienſi celebrari ſolitum tradit Odo Giſſejus in hiſtoria Deiparæ Podienſis, ubi hoc miraculum ait contigiſſe anno 950. at ſerius accidit. Lege donationem a Canonico Anicienſi Majolo factam in Elogio num. 29.

gente altero, lætus rediit ad ſua nullo ductus auxilio. Cujus vocem a clamore vir Domini compeſcens, hoc in mandatis dedit, Vade, inquit, in pace in domum tuam, & narra quanta tibi fecerit virtus B. Mariæ Virginis. Hoc miraculum non aliunde commendatum, verum ex eorum qui interfuerunt ſincera relatione inſertum eſt. AN.CHR. 994 11. Maji.

Aliud quoque haud diſſimile virtutis indicium per eumdem novimus operatum opificem omnium Dominum. In Viennenſi pago, quadam in villa, quidam ruſticus filium quem habebat lumine privatum flebat. Ad eamdem (quia ſui juris erat) domnus pater Majolus cum ſuis ad hoſpitium venerat. Ruſticus ergo ſumpta fiducia lumen filium poſſe conſequi, ſi aqua qua vir Domini manus abluerat, ejus abluerentur oculi, quia virum Dei ſuper hoc convenire timuit, hoc ab ejus miniſtro clam patere ſtuduit. Accepta ergo latenter aqua, mox, ut filii oculos abluit, lumen quod amiſerat recipere meruit. Hoc vir Dei ut comperit, quia humanæ laudis gloriam fugiebat, aquam deinceps, qua manus abluerat, ante ſe ſpargere faciebat: ſed ex hac furtum ſæpius factum laudabile, multos longa debilitatis infirmitate lætos optata reddidit ſoſpitate. XIII. Item alius.

Quodam vero tempore cum iter ageret, frater qui ſecum comitabatur, immenſis cœpit agitari febribus, qui ita nimio irriguerat algore, ac ſi funditus vitali careret calore. Fratres qui aderant ſuis eum veſtimentis tegebant: ipſe tamen calere nullo modo valebat. Tunc vir Dei ſua ſe tunica exuit, qua eum induens ſic collocari præcepit: ipſe vero ad ſolitum orationis acceſſit confugium. Sed quid Chriſtus non operetur in ſanctis? extemplo enim ſancti viri tunica frigoretici corpus ut obtexit, illico per ejus qui patiebatur membra placidus ſe ſopor infudit, & ſudoris inundatio totum corpus quod nimio prius inhorruerat algore, reſumpto operuit optato calore. Poſt modicum intervallum ut ſurrexit a ſomno, ita priſtina uſus eſt ſoſpitate, ac ſi nulla prius opprimeretur infirmitate. Ex qua re poteſt animadverti, ejus anima quid virtutis intus, quidve haberet moriti, cujus veſtis exterius ſanitatem reſtituit infirmanti. XV. Febricitans ſanatus.

Illud vero quis explicet digne, quoties ad Apoſtolorum limina iter dirigeret, qua devotione illud iter explebat? Cuncta ſanctorum loca, ſancto itineri contigua, ſpiritali viſitabat ſtudio: ibique fundens lacrymarum flumina, ſibi eos quo ſuccurrerent orationis depoſcebat inſtantia. Pauperum quos in via reperiebat neminem ſine conſolatione tranſire ſinebat: fidelem per miniſtrum, cui hæc cura commiſſa fuerat, ſingulis ſubveniebat: & quidquid in eos contulerat, in Chriſtum ſe contuliſſe gaudebat. Apoſtolorum ad ſepulchra cum perveniret, dici non poteſt, quot lacrymarum, quantumve gemituum, quid ibi doloris effunderet: corporis ejus ut hic eſſet diſſolutio, illic vili quo tegeretur mauſoleo omni expoſcens deſiderio. Romæ dum aderat, cordis in lætitia plus ſolito exſultabat, & nimio præ gaudio (ſicut ipſe fatebatur) ſibi ſæpius glorioſos Principes quaſi præſenti cernere intuitu videbatur, hac de re feſtiva ſibi & celeberrima dies ducebatur acceſſionis: expers vero gaudii & plena mæroris deputabatur receſſionis. XVI. Majoli devotio in itinere Romano.

Aliquando vero iter illud cum ageret, & Coriam * per Penninas Alpes tranſiret; prædictæ civitatis Epiſcopus, virtute venerabilis Arpertus, gravi peſte percuſſus, acerrimis indeſinenter cruciabatur doloribus. Qui viri Dei adventum populi rumore ut comperit, ut ad ſe viſitandum pergeret precibus obtinuit: qui morbo ingraveſcente jam deſperatus de vita ſua, ei ſtuduit confiteri delicta, in multis ſe confitens offendiſſe, maxime in elatione; & quod boni egerat, per inanem gloriam ſe perdidiſſe timebat. Dum hæc & alia eidem confiteretur maximo cum mærore, ab immenſo quo torquebatur dolore aliquantulum ſublevari ſe ſenſit beati viri viſitatione, & ideo per ejus meritum ſe ſanitati credidit reddendum. Et quoniam paſchalis dies jam appropinquaverat, & dies qua ſanctum chriſma conficitur jam imminebat; cum ad altare non poſſet accedere, & debitum obſequium perſolvere; ideo Dei famu- XVII. Arpertus Curienſis Epiſc, * Coire. prævia confeſſione,

AN.CHR. 994 11. Maji. a morbo recreatus, famuli clementiam obnixius cœpit depoſcere, quatinus ſibi virtutis ab omnipotente Deo ſua ipſius depoſceret deprecatio, quantum ea die ſufficeret, qua more eccleſiaſtico ſanctum chriſma conficeret. Sed totus qui poſſidebatur a pietate, quod juſte petebatur, neſcivit negare. Mox Oratorium petiit, ſeſeque cum lacrymis in orationem dedit, & oratione in brevi completa exiit. Antiſtitem ægritudo deſerere cœpit, præfata nimirum die, pro qua petebatur, ſe lætatus eſt tantum virtutis ſumpſiſſe conſtantiam, ut ægritudinis in ſe nullam ſentiret moleſtiam. Gaudere denique cœpit, quod Majoli precibus ex infirmitate convaluit: ſed ex hoc plus, quod præſcripto vitio (ſicut ipſe fatebatur) magna ex parte caruit. Inde datur intelligi non tam pro corporis ſoſpitate, quam pro ſalute animæ beatum virum libentius Dominum exoraſſe.

XVIII. Oeconomi punita tenacitas. Romæ quondam dum moraretur, ad B. Pauli limen, placuit ut orationis cauſa proficiſceretur. Ad egregii Doctoris ædem ut venit, ante ſepulchrum ſeſe cum lacrymis in oratione ſolo tenus ſtravit. Surgens vero ab oratione, ejuſdem loci Monachos fraterno viſitavit amore: quibus verbum dum faceret, & eorum mores ut pius pater inſtrueret; ſuis quo ſubveniret neceſſitatibus, agere ipſi cœperunt cum precibus. Tum ille, ut ſemper miſericordiæ viſceribus affluebat, diſpenſatori præcepit, ut eis argenti libram tribueret. Sed diſpenſator, parvam quantitatem quia fore ſciebat in ſumptibus, medietatem tantum libræ conceſſit, ut providus. Mox vero ut ad B. Petri baſilicam repedavit, vir quidam affuit, qui ei decem ſolidos obtulit. At ille ſuſcipiens hæc: Hæc cape, miniſtro dixit,

ac te ſuccumbere noxæ
Diſce, quod in fratribus fraudem meditatus egenis,
Malueris eſſe tenax nam ſi quod tradere juſſi
Ceſſiſſes, ſolito, Chriſto tribuente, refuſos
Viginti caperes hodierno fænore ſoldos.
Invadit formido hominem ſecreta reatus
Majolo patuiſſe ſui, non ſane putato.
Hoc mirum, bone vir, tanto quod clauſa Prophetæ
Cordis hiant: plenus qui ſancti numine flatus.
Jam Deus eſt, jam divinos ſortitur honores.

XIX. Nudus veſtitus. Alio quoque tempore cum iter caperet, pauper in itinere eſt repertus pede nudus, cucullo vacuus. Super quem miſericordia vir Dei motus eum induit veſte qua tegebatur exutus. Ad hoſpitium quo tendebat ut venit, ejuſdem compoſitionis & ſimilitudinis ſibi meliorem ejuſdem civitatis Epiſcopus obtulit. Hanc vir beatiſſimus ut ſumpſit, ſuos affari taliter cœpit: „ Illi hæſitare noſtra non debemus impendere, qui abundantius tam cito quæ tribuimus valet reſtituere.

XX. Ottonis Auguſti opinio de Majolo Hujus igitur ſanctitatis opinio, mira per eumdem patrante omnipotente Deo, cum apud hominum notitiam magis ac magis innoteſceret, ejuſque nominis fama longe lateque ſe ſpargeret; Magnus Otto qui tunc temporis ſtrenue rempublicam gubernabat, tanti viri plurimorum relatione comperta, ejus præſentiam ardentius cupiebat. Hic enim vir licet imperiali potiretur faſtigio, magna tamen erat illi circa Monaſteria devotio: quia nequaquam ſe feliciter Imperium ſperabat tenere, niſi ſummo Regi ſtuderet non diſplicere. Et ideo ſæpius ingemiſcebat, dum qui per religionis habitum & de Monachis. ſe Deo devoverant, ſæculari intentos negotio ire per abrupta cernebat. Nam regiminis ad cultum ita videbatur idoneus, quatinus nulli non modo ſecundus, ſed (ut planius dicatur) primis & ſummis conferendus videretur.
Ottonis elogium. Nihil leve moliebatur, quia gravitatis eum modeſtia comitabatur: verum quidquid incipiebat, efficacia nullo modo Deo auctore carebat. Huic conjux & Adalaidis. Adeleidis inhærebat, quæ Deo amabilis & hominibus diligibilis, ita regali copulabatur thoro, ut mentem caſtam omni cuſtodia Regi ſervaret ſuperno. Pauperibus ſubveniebat, ægrotos & debiles ſine intermiſſione fovebat.

Digitized by Google

vebat. Gaudebat cum gaudentibus, flebat cum flentibus, ſpes miſerorum, ſolamen lugentium: quo regali nobilis ſtemmate, eo per omnia pollebat nobilior ſanctitate. AN.CHR. 994 11. Maji.

XXI. Virtutum in culmine poſita, cum ſuperbiendi non defuiſſet materia, ita ſe humilitatis protexit cuſtodia, quatinus nullius jactantiæ exemplum ex ſua deprehenderetur continentia, illud mente pertractans quod Salomonis loquitur ſapientia: *Rectorem te conſtituerunt? noli extolli, ſed eſto in illis quaſi unus ex illis*. Si enim, juxta Apoſtolum, vir infidelis per mulierem fidelem, & infidelis mulier per virum fidelem alterno fidei bono ſalvabuntur, multo magis hi in Chriſto copulati, qui ſunt per fidem juſtitiam operati, ipſius teſtimonio repromiſſiones quas repromiſit qui non mentitur Deus, ſunt ſine dubio adepti. Ambo enim Evangelii auditores, & quia auditores, ideo operatores, quoniam quidem ex Evangelio didicerant, *Qui recipit juſtum in nomine juſti, mercedem juſti accipiet;* ideo quos in Dei famulamine cernebant devotiores, eos ſibi habebant chariores. Sed illi præ ceteris diligebantur, qui falſa abrenuntiantes gaudia, beati Benedicti ſectabantur veſtigia, devotione promptiſſima. [Eccl. 32. 1.] [1. Cor. 7. 14.] [Matth. 10. 41.]

XXII. *Majolus per Heldricum utrique charus.* Itaque (ut prælibatum eſt) B. Majoli fama plurimorum relatione comperta, haud ſecus ac perfrui vita, ejus potiri delectabantur notitia: quorum adimplere non diſtulit deſiderium, qui fide pulſantibus beatæ vitæ pandit ingreſſum. Enimvero Heldricus, cujus ſupra * meminimus in laicali potentia præcipuus, qui quondam in Italia inter ceteros Palatinos extitit honorabilis, uxori cum magna rerum temporalium copia abrenuntians, depoſito cingulo, Cluniaco ſe conferens, B. Benedicti ſe ſubdidit propoſito. Hujus quippe familiaritas gignere diffamatur cauſam qua Romanus princeps habuit ſancti viri notitiam. Per hunc enim eum ſibi accerſivit, quem adeo pro ſalutari dilexit doctrina, ut quæ ſibi in Italia ſubdebantur & in Germania, ejuſdem ordinationi committere vellet Monaſteria. Imperatrix vero, acſi ancillarum ultima, impendere cupiebat ei devotionis obſequia, quoniam beati Majoli per preces abundantiori ſe viſitari divinæ præſentiæ ſperabat gratia. Cuncti eum venerabantur optimates, cunctique diligebant Principes. Hunc Imperator habebat auricularium, hunc a ſecretis fidum internuntium. Si quis apud Imperatorem aliquod haberet negotium, mediatorem beatum quærebat Majolum. [* Lib. 1. c. 15.] [*Monaſteriis reformandis præpoſitus.*]

XXIII. Per idem tempus beati Apollinaris cœnobium, quod per viginti quatuor ſtadiorum ſpatium a Ravennate urbe fertur ſepoſitum, ad B. Benedicti inſtituit tramitem, ibique ſuum ordinavit Abbatem. Præterea Imperatricis non contemnendæ petitionis tunc exoratus inſtantia, juxta Ticinenſem urbem ſancti Salvatoris *a* deſudare cœpit in fabrica. Interim vero jam debitum finem ſecundus hic liber poſtulat, ut ea quæ reſtant, tertius, ſignis evidentibus, ad finem uſque perducat.

INCIPIT LIBER TERTIUS.

CAP. I. *Majolus Cluniacum revertens,* VIR itaque Domini (ut ſupra diximus) Imperatricis animis ſatisfaciendo, longo temporis ſpatio jam evoluto, cum Cluniacenſi deeſſet monaſterio, acceſſit libitum quo Fratres pergeret viſitatum. Cunctis igitur in via neceſſariis præparatis, laborem aggreditur itineris. Magna tandem cum difficultate laborioſi itineris cum jam cacumina Alpinæ præteriſſent altitudinis, ad villam uſque deſcendunt quæ prope Dranci * fluvii decurſum poſita, Pons-Urſarii quondam vocitari erat ſolita. Nam rivulus qui deſcendit e montibus, cum flexuoſos revolvendo per globos inter Alpes decurrit, ſua ibi revolutione tantum planitiei porrigit, quantum prædictæ villæ occupare poſitio poſſit. Multi enim ex diverſis regionibus tunc B. Ma- [* Dranſæ.]

Cc iiiij

a, Nalgodus: „Juxta Ticinum, id eſt Papiam, in honore S. Salvatoris conſtruxit eccleſiam, & Monaſterium, quod vulgo Cella-aurea dicitur, & collapſum pæne fuerat in ruinam, reſtauravit ad unguem.

Digitized by Google

AN.CHR. 994 11. Maji. Majolum comitabantur, quia ejus ſanctitate ſe liberari poſſe arbitrabantur. Ad hunc igitur locum cum ſine diſcrimine perveniſſent, eumdemque rivulum tranſiſſent, mox inter ipſos arctæ viæ, difficiles reflexus, qui parvo intervallo ſe præbent deſcendentibus, ſubito eos invaſit perfidæ gentis Sarracenorum exercitus. Subita itaque incurſione turbati, & conantes plurima fruſtra, omnique ſpe meliori depoſita, fugæ conſulunt, ſed nequicquam. Veſana enim impiorum turba calle citato hos perſequens, omnes quos comprehendere potuit, in vinculis conjecit. Cumque unus ex illa impiorum turba ab alta rupe unum ex viri Dei famulis telo appeteret, ut famulus eriperetur, vir Dei venienti jaculo charitativam manum oppoſuit: in qua quamdiu poſtea vixit, inflicti vulneris cicatrix apparuit. Nihil vero de ſua morte formidans, pro reliquis tamen exæſtuans, altius tunc ingemiſcebat, dum his quos impiorum crudelitas turbabat, ſubvenire nequibat. Evadendi itaque cum non deeſſet facultas, hunc tamen immobilem mentis tenebat charitas: quia eos pro quorum dilectione animam optabat ponere, etſi non poterat ab impiorum manibus eripere, magno tamen dolore convictus nolebat relinquere. Apoſtoli interim reverſus ad exemplum, qui dum pateretur naufragium, ſalvavit oratione animas omnium ſecum navigantium, cum eos humano auxilio ab imminente nequiret liberare periculo, hoc ſuis apud Deum promeruit precibus, ut ex illa miſerabili turba nemo moreretur inter hoſtium tela. Feroces itaque barbari peracto ſcelere ad ſuas latebras dum redirent cum captivorum multitudine, beatum Majolum cernunt a longe ſolum ſedentem in lapide. Celeres ad eum tunc pedites acceſſerunt, & ſceleratas manus in Sanctum injecerunt: eumque tenentes, cum ceteris captivis duxerunt. Tunc B. Maiolum qui ceteris habebantur præſtantiores, honorare, qui vero leviores illudere, Chriſtianæque fidei cœperunt detrahere.

a Saracenis capitur,

II. Protinus ergo beatus Majolus belligerator optimus, ſcutum fidei arripiens, cuſpide verbi Dei perfodiebat inimicos Chriſti, Chriſtianæ religionis cultum approbans, & eum quem Deum colebant, nec ſe a ſupplicio liberare, nec illos in aliquo poſſe adjuvare, certis & evidentiſſimis aggreſſus eſt rationibus demonſtrare. Quo audito barbarorum jactantia furore inflammata veſano, ſanctos pedes compede conſtringentes ferreo, abſciſſo rupis ſub antro, horrendo claudunt ergaſtulo. Sanctus itaque Domini ut eos in ſui perniciem conſpicit dira frementes,

ob Chriſtum prædicatum religatus,

Martyr ut emeritam certamine ſumere palmam,
Utque ſui poſſet perfundi fonte cruoris
Optat, & intrepido profundit talia vultu.
Quod ſatis eſt, ſupraque ſatis, huc viximus uſque.
Nunc faciem penetrare cupit cum ſpiritus ardens
Chriſte tuam: tædetque viæ, tædetque laboris.
Qua breviora patent recti compendia callis,
Ire juvat, via ſit trepidis nimis ardua quamquam,
Propere ſidereos dabitur contingere campos.
Sanguinis effuſi ſi nos veſtigia ducant,
Martyrii titulum tenſis complectimur ulnis,
Et ſponte expetimus pulchram per vulnera mortem.
Tu modo nos dignare tuo pro nomine teſtes.
Hæc dicens, animumque neci, collumque parabat
Carnifici: ſat fixa viro ſententia mortis
Intrepido: ſed Chriſte tuis mundiſſima caſtris
Lilia cum roſis pariter candentia vernant,
Nec te martyrii conſtantia ſola meretur,
Nec fuſo quiſquam tantum ſit ſanguine Martyr.
Sæpe etiam multis peperit pia vita coronam:

Eſt.

Eſtque ſacerdotum confeſſio munda tuorum
Grata tibi, quos juſtitiæ perfectio veſtit.

Ergo (ut prælibavimus) vir Domini ferreis adſtrictus vinculis, horrendo in antro tenebroſi carceris pro confitendo nomine Divinitatis, ſuffragia eſt expertus divinæ pietatis. Nocte igitur ſubſecuta, cum ſopori dediſſet membra nimio mærore confecta, talis ſibi viſio divinitus eſt oſtenſa. Apoſtolicis inſignitus veſtibus Romanus Antiſtes videbatur adſtare circa ſe, cum odore thymiamatis thuribulum deferens. Hac denique viſione certior redditus, per Apoſtolorum interventum ab impiorum manibus ſe intellexit liberandum. Ad hoc itaque quod vidit per ſomnum, aliud acceſſit magis evidens indicium. Pro dilectione Matris miſericordiæ, libellum quem de ejus Aſſumptione beatus [a] edidit Hieronymus, ſæpius geſtare ſanctis ſolebat manibus. Hunc, dum ceteros ſacros codices cum omnibus quæ hic habebat perdidit, Virginis (ut fatebatur) tuitione ſibi ſalvari meruit. Quem veſtis ſub tegmine dum ſe ſentiret habere, quot dies ſupereſſent ab hinc ad eamdem Aſſumptionem Matris miſericordiæ, ſollicita niſus eſt mente diſcutere, qui numero ſubputati viginti quatuor ſunt inventi. Tunc eam ſua interventione hoc apud ſuum Filium orat obtinere, ut ipſe eripiatur ab hac captivitate: quatenus divina ſibi pietas inter Chriſtianos concedat cum ſuis concaptivis tantæ ſollemnitatis potiri celebritate. Hac finita oratione ut ad rupem caput convexit, e veſtigio præ mærore ſopor irrepſit. Poſt paullulum vero expergefactus, ſe ferreis repperit ſolutum compedibus. Mane autem facto, hoc barbari ſtupentes miraculo, quod eum cernebant compede divino ſolutum numine, ulterius ut vinciretur auſi ſunt nullomodo præſumere, ſed ferocitate paulliſper mitigata, venerari deinceps cœperunt, quem prius in deriſum habuerunt.

III. Se liberandum cœlitus intelligit.

meritis S. Mariæ.

Tunc vir Domini annuentibus ſibi barbaris per Monachum qui ſecum captus fuerat, epiſtolam manu propria conſcriptam direxit fratribus. Textus autem epiſtolæ hæc continebat. „ Dominis & fratribus Clunienſibus „ Majolus miſer captivus & catenatus. Torrentes Belial circumdederunt „ me, præoccupaverunt me laquei mortis. Redemptionis pretium, ſi pla„ cet, mittite pro me & his, qui una mecum capti tenentur. Hæc epiſtola Clunienſi perlecta in Capitulo, omnem illam ſtirpem quæ ejus doctrina & exemplo hactenus læta fructificaverat in Chriſto, mæſtitia extemplo ſuo confecit auditorio. Exprimere valet nullus, quantus tunc ibi omnium gemitus. Ubique inter eos luctus, una vox omnium plangentium, unus audiebatur clamor lugentium, atque dicentium: Verſa eſt in luctum cithara noſtra, & gaudium noſtrum in mærorem: quia juxta illud Jeremiæ lamentum, Chriſtus Dominus captus eſt in peccatis noſtris, cui diximus: *In lumine tuo vivemus*. Ecce enim profanæ gentis irretitus eſt laqueo; cujus in Deo gloriabamur documento. Cujus interea iſti afficiebantur de vinculis, hunc Dei dignatio magnificabat miraculis. Eorum namque, quos ad Chriſti cultum viri Dei perſuaſit diſputatio, poſtquam chriſtianæ profeſſioni a ritu ſe contulerunt barbarico, ſicut jurejurando proteſtabatur aſſertio, dum quieſcerent immites nocturno tempore milites, & vir Dei debitas Regi regum redderet laudes, multorum ſecum canentium ſæpius audiebant voces: quas quidem quia nemo ſibi hominum familiare tunc præſtabat contubernium, ipſi procul dubio Angelorum fore aſſerebant cum eo pſallentium. Itaque ut cras ſtatutum, infiniti ponderis pecunia, vel ex his quæ ad uſum neceſſaria, vel Monaſterii hactenus ad decorem ſervabantur inſignia, ſive bonorum virorum largitate in unum congeſta, ceteris qui præſtantiores videbantur Fratres, cum multorum theſaurorum copia, die accurrerunt ſtatuta, qui

IV. Cluniacenſibus pro ſua liberatione ſcribit.

Thren. 4. 20.

Quoſdam convertit.

Pretium dat barbaris.

---

[a] Hunc libellum non Hieronymi, ſed tamen pervetuſti auctoris eſſe eruditi norunt, qua de re controverſia fuit ſæculo 9. inter Hincmarum Archiepiſcopum & noſtros Corbejenſes, qui iſtum libellum Hieronymo abjudicabant, teſte Frodoardo in lib. 3. hiſtoriæ cap. 23.

Digitized by Google

AN.CHR. 994 11. Maji. qui prædonibus omnia quæ ſollerti congeſſerant indagine, præbuerunt, omneſque prius vinculis qui trudebantur, noviſſime poſt hac quem diligebant, ab impiorum manibus traxerunt: factumque eſt ſuperna gratia diſponente, ut unius captivitate multi donarentur libertate: & ſicut ſuperni Regis a piiſſima Matre petiit; ita inter fidei domeſticos, ipſius Virginis interventu Aſſumptionis feſtivitatem celebrare promeruit.

V. Majoli patientia hinc probata. Enimvero quia nihil in terra ſine cauſa fit, Scriptura teſte, divinæ providentiæ non ab re credimus placuiſſe, quatenus vir ſanctitate præcipuus ideo volveretur tot caſibus, ut exinde & vir Dei preſſura attritus proficeret, & mortalibus beneficium divino munere conceſſum proveniret. Vitæ namque hujus in converſatione, licet humanis contraheret ex affectibus, unde diceret, *Dimitte nobis debita noſtra (ſi enim dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus;)* ab hoc tamen ſæculo, prout potuit, immaculatum ſe cuſtodire ſtuduit. Sed totus quamlibet videretur mundus, juxta dominicam tamen ſententiam illud fateri cogimur, quod negare non audemus; quia adhuc indigebat quo ſummus ſibi Magiſter pedes lavaret, ut in eo illud impleretur quod dicitur: *Qui ſanctus eſt, ſanctificetur adhuc.* Apoc.2.11. Propterea hæc viro Dei tribulatio, patientiæ fuit probatio: quoniam, ut ait Auguſtinus, nullus hominum tanta eſt juſtitia præditus, cui non ſit neceſſaria tribulatio tentationis, vel ad perficiendam, vel ad confirmandam, vel ad probandam virtutem. Sed juſto Dei judicio, unde venerabilem patrem probatio, inde ſe tribulantes juſta conſecuta eſt damnatio. Barbari puniti. Auguſtos namque inter Alpes obſidentes aditus, inſperato inſidiabantur Apoſtolorum limina petentibus: ſed ab eiſdem dum capitur qui ab Omnipotente quam plurimum diligebatur, ejus ſanctitatis ex merito comminus ſuper eos divina ſe contulit ultio.

VI. Pro ulciſcenda ſiquidem injuria viri Dei clade inter eos ſurgente, paullatim cœperunt viribus deficere, adeo ut divino ſe puniri verbere ore proprio faterentur intelligere. Verum nobiliſſimis viri Dei ditati ſpoliis, magis ac magis cotidie dum laborarent incommodis, ad Fraxinetum per conſueta devia expetere propria aggreſſi ſunt cubilia. Tum vero a Chriſtianis itinere eorum explorato, iter ſecuri per Alpes dum more tenerent ſolito; ſuper ſe cum impetu venientium auribus a longe exceperunt ſonitum, a clamoribus venientium & clangore tubarum conſonat omne nemus, ſtrepitu colleſque reſultant. Extemplo barbaris gelidus per dura cucurrit oſſa tremor: qui divina perculſi formidine, nullum ſenſerunt auxilium præter fugæ præſidium. Certamen tunc magnum erat Chriſtianis cum barbaris fugientibus, & ideo reſiſtendi mente divinitus abſente ſecedentibus, poſt principia certabant nuda prætendere terga. Fugam tamen dum facerent, multi capti, perplures vero ſunt neci mandati. Hi vero qui effugerunt ad tempus dilatam mortem, cujuſdam promontorii ſupercilium tutaminis ſibi elegerunt præſidium. Sed decentius occumberent, ſi hoſtium inter tela ruerent. Illud itaque promontorium ita vaſtis rupibus circumcirca videtur ſubductum, ut præter unam partem lateris devexi, undique facultatem deneget commeandi. Hanc denique partem Chriſtianis obſidentibus, cum nullus adeſſet ei fugiendi aditus, nulloque noſtrates munere a ſui obſidione quiviſſent avertere; humilem locum explorant, quo ad ima ſe ſaltibus deponant. Conſequens enim erat, ut ipſi peterent ima, ſuper quos ſuperna incubuerat ira.

VII. Vertitur interea cælum, & ruit Oceano nox involvens umbra magna terramque polumque. Conticuere omnes: ſed nulla miſeris quies; ocius accelerare cupiunt negotium. Denique impediente ſe ſatana locum ſibi exploratum minime adierunt: ſed ab eminentis rupis vertice in imum ſe profundum tota nocte præcipitaverunt. Noſtrates autem, jam die luceſcente, cæleſtis victoriæ ſtupentes magnitudine, ei gratias libuit referre, cujus forti numine proſtratum cernebant agmen hoſtile. Quoſdam tamen eorum qui de-

Digitized by Google

demerſioni ſe ſubtraxeruut, in remotiori quodam montis latere offendentes comprehenderunt. Qui ſalutari ſe ablui depoſcentes lavacro, (hos enim, ſicut ſuperius diximus *, vir Dei de Chriſto verbis edocuit ſalutaribus) corpori matris uniti Eccleſiæ, quanta inter barbaros gratia ſervum ſuum omnipotens illuſtravit, ſoliti erant referre. Optima tunc ſpolia colliguntur, æquaſque per partes inter Chriſticolas diſtribuuntur. Aſt beatum Majolum, corpore licet abſente, meritis tamen in fugandis hoſtibus præſentem, ejus diſtributionis cuncti qui aderant, expertem fore dignum nullatenus judicant. Hujus namque pro ulciſcenda injuria hoſtes peſſumdatum iri cæleſti teſtabantur in victoria. Propterea ſacros codices, quos barbari rapuerant beato viro, ſua pro parte miſerunt. Sic Omnipotens ſui famuli meritis, præcipitatis impiis, eliberavit cunctis viam Romani itineris.

AN.CHR. 994 11. Maji. * Cap. 4.

Majolus recipit codices.

Non longo vero poſt tempore Romana ſede proprio viduata Paſtore, idem Dei famulus Ottonis ſecundi juncta cum matris prece, Italiam repetere a patribus eſt coactus Galliæ. A matre tunc & filio honore ſuſceptus digniſſimo, ad culmen apoſtolicæ dignitatis precibus impelli cœpit continuatis. Sed cui magis abjectio, quam expeteretur exaltatio; nullatenus ad ſe promovere potuit ſublimitatis ambitio. Puſillum gregem nolebat dimittere, quem Chriſto placuit ſibi committere; & cum ipſo volebat in paupertate vivere, qui in paupertatem deſcendit a cæleſti culmine. Sed ab utraque cum cogeretur poteſtate, excogitandi dilationem ſtuduit poſtulare. Tunc ad orationis ſe contulit præſidium, quo ſibi concederetur divinitus, quid agendum, quidue tantæ poteſtati eſſet reſpondendum. Ab oratione ut ſurrexit, apoſtolicæ lectionis codex caſu ſub oculis huc affuit: quo aperto, illa ſe in prima marginis fronte obtulit lectio, cujus ſe divinitus inſtrui credidit documento. Inſertum quoque quod reperit, ſibi adhærentibus legere cœpit. *Videte ne quis vos decipiat per Philoſophiam & inanem fallaciam ſecundum traditionem hominum, ſecundum elementa mundi, & non ſecundum Chriſtum*. Agere ſe oportere fatetur ſuis omni ſtudio quod divina ſuggerit lectio. Imperatoris & ſanctæ matris iterum precibus alternis ad ipſum flagitatur ſucceſſibus; cum nobilibus qui aderant Antiſtites, inſiſtebant; imperialis quo fieret petitio ſupplicabant. Aſt ille divina illuſtratus „ gratia, ſollerti ſe ſtuduit excuſare prudentia. Ea, inquit, mihi abeſſe „ cognoſco, quæ viro conveniunt Apoſtolico: nec videor idoneus ferre quo „ poſſim tantæ magnitudinis pondus; nec decet quemquam hanc præſumere „ ſarcinam, cujus non poteſt vitare ruinam. Poſtremo ego & Romani, ſi„ cut divertimur regionibus, ita minime convenimus moribus: & ſi ipſis „ morigerabor, monaſtica profeſſione privabor: ideoque alium vos adquiri„ te, quia indubitanter poteſtis ſcire, me ad culmen apoſtolicum hac in „ vita non acceſſurum, gregemque mihi commiſſum numquam dimiſſurum. Hac quidem ex re liquido poſſumus colligere, hunc Dei famulum multæ humilitatis fuiſſe, qui rogatus a ſummo terrenorum Principe, ad culmen apoſtolicum diſtulit aſcendere. Sed quod ille diſtulit rogatus, multi longe inferiores, quos nec litteratoria profeſſio, nec honeſtæ vitæ provehebat converſatio, ſe, ſi poſſent, ultro ingererent, omni ſe deſpectui multiplicatis precibus ſubderent: poſtremo tantæ dignitatis quo ſublimarentur culmine, magno promiſſo munere ſe damnari ſua ſponte ſimoniaca non ſpernerent peſte. Aſt vir Dei quem interius virtutum magiſtra docebat humilitas, in cujus ſpiritu evangelica regnabat paupertas; quamquam polleret eximiæ converſationis præconio, ideo tam ſublimari refugit temporali faſtigio, quo ſæculari remotus negotio, firmius inſiſteret Omnipotentis obſequio; & longinquus mundo, proximus ſemper fieret Deo.

VIII. Romanum pontificatum recuſat.

Col. 2. 8.

Secreti cupidus ſancto vir numine plenus,
Non magis externos doctus vitare favores
Quamque miniſtrorum ſolatia crebra ſuorum,
Voto detulerat latebramque fovere perennem,

Im-

AN CHR. 994 11. Maji.

Immunemque aulæ quam longa eſt ducere vitam.
Inconvulſa manet magni ſed ſponſio Jeſu,
Montibus impoſitam non abdi viſibus urbem:
Quemque tegit meritis abſiſtens gloria pulchris,
Indicat egregiis illuſtrans gratia ſignis:
Et quaqua tulerat facilem per compita greſſum
Urbibus & vicis raptim promiſcua ſeſe
Obvia turba dabat præclaris excita factis,
Et quamquam longi facile ſecura laboris.

IX. Imperatorem de jurgio in matrem arguit.

Sub eodem tempore prædictus Imperator matrem zelabatur, quia apud ſe falſo crimine deferebatur, in eamque tunc quaſi reipublicæ dilapidatricem, & ſui ab ea expulſatricem, per falſos delatores tali ſtimulabatur jurgio, ut eam verſa vice propellere minaretur regno. Suorum Principum nullus eum convenire, falſumque crimen a ſanctiſſima matre tentabat avertere. Ipſi eam defendere negligebant a crimine falſitatis, quos illa extulerat ad ſummos gradus dignitatis. Hanc omnes excuſationem prætendebant, quod imperiali majeſtati contradicere non audebant. Ecce ferebantur precibus mandata coactis cunctorum, quiqui fuerant ex parte piorum, iret quantocius, ac dilectiſſimæ ſibi Imperatrici ſuccurreret: nullam jam illi reſtare ſalutem, niſi ut rebus amiſſis etiam regno diſcederet, periculo vitæ in dubio his vocibus iras excitat, impatienſque moræ mox arma repoſcit arma celer, notiſque artus inducitur armis. Voverat ille ſuum fidei pro nomine pectus, in quamcumque daret caſus incumbere mortem. Aſt ubi venit, mox Imperatori in faciem reſiſtit, & eum publice coram omnibus increpavit. „Aſpice, inquit, ſublimatus tranſitoriæ dignitatis, cur præcepta aſpernaris veritatis? Potens eſt te redigere ad minima, qui ad mortalium te ſublimavit faſtigia. Tunc Imperator hac audita comminatione, ſubito contremuit, & ſupplici ſermone reſpondit, & in quo præcepta veritatis contemneret, humiliter requiſivit. Cui vir Dei: „Parentes, inquit, honorare illius eſt juſſio, qui cum Deus eſſet, virgineo editus ex utero, matri ſe ſubjicere dignatur in Evangelio. Sic enim ait Evangeliſta: *Deſcendit cum illis Nazareth, & erat ſubditus illis*. Si matri ſe ſubjecit qui per potentiam divinitatis omnia fecit, te ab illo vili formatum ex luto in matrem ſuperbire cur elata perſuaſit præſumptio? Ad hanc Imperator vocem irarum flammas temperans, immaniſſimus furorem depoſuit, patriſque Majoli per omnia ſe obtemperaturum juſſis perhibuit. Pro juſſione tandem ſanctiſſimi Patris ante matrem ut venit, ſuis ſe veſtigiis projecit, & ei obſequens ut matri filius in nullo eam offendiſſe deinceps eſt inventus. Hunc itaque qui inter mortales ſummus Princeps eminebat, quem ad matris concordiam convenire nullus audebat, ab hoc ſcelere, quod facile potuit, compeſcere, matrique ſatisfacere, & ei ut conſequebatur obedire ſolo juſſu coegit; liquido claret, hunc magno mentis culmine poteſtati inhærere ſupernæ, qua præditus illud facere potuit juſſione, quod nullus aggredi auſus eſt ſupplicatione. Quod enim illi inhæſerat, cui nihil eſt impoſſibile; ideo ab eo meruit accipere, ut hujus ſui dominaretur juſſio, cujus terrarum Principes ſubjiciebantur dominio.

eique matrem reconciliat.

X. Ottonis I. mortem prædicit.

Inter cetera ſiquidem miracula, quæ Dominus operabatur ad oſtendenda ſervi ſui merita, ſpiritu prophetiæ dignatus eſt erudire, ut ventura ſæpius prædiceret, & abſentia præſentibus, quaſi præſentia, denuntiaret. Quodam tempore dum Roma rediret, fratribus cum quibus iter carpebat, ſuſpirans cum lacrymis dixit: Hac nocte per ſomnum leonem videbam immaniſſimum qui clauſus in cavea catena conſtringebatur ferrea: & ideo indubitanter ſciatis quia Otto Imperator hoc anno rebus excedet humanis: quod ita rei probavit eventus. In proximo enim Provinciam reverſus, ibique in quadam ſua cellula paucis diebus commorans, legatus ex Alemaniæ partibus advenit, qui præfatum Imperatorem ab hac vita migraſſe detulit. Sed ſicut vir Dei abſentem

dein ſecundi.

tem rem tamquam præſentem tunc fratribus retulit, quoniam Imperatoris magni, licet longe poſiti, mortem innotuit: ita poſtea ipſius filio, cujus ſupra retulimus, ſicut contigit, Veronæ de ſuo obitu prædixit. Nam manus Imperatoris utraſque ſuis complectens manibus tenuit, ejuſque vultum complectens ait: „ Fratris Majoli conſilio ſi aurem præberes, hinc unde venis retro redires. Pro certo enim ſcias, quia ſi Romam perrexeris quo ire diſponis, Nativitatis regnum numquam amplius videbis, ſed Romæ quo pergis, ſepulchrum habebis. Hoc quoque quod Dei prædixit famulus, rei poſtea probavit eventus. AN.CHR. 994 11.Maji.

In Alemanniæ partibus quodam tempore cum moraretur, ejus adventus rumore diffamato, ad eum cujuſdam Comitis concita pervenit legatio. Ex longo namque tempore prædictus Comes nimia deprimebatur ægritudine, quæ cotidie per augmenta ſuccreſcens noxia, ita totum corpus infecerat, ut nec de lecto ſurgere, nec ex uno in aliud ſe latus potuiſſet vertere. Cibus & potus ita erant faſtidio, quod corpus nimio ſimulacrum videretur jejunio. Ideo ad beatum virum directa legatione, ejus pietatem ſupplici poſtulavit devotione, quatinus ex his quæ ad victum proprium Dei parabantur famulo, ſuæ imbecillitatis ſubveniretur incommodo. Hac itaque legatione ab eo qui viſceribus affluebat miſericordiæ, panem quo veſcebatur cum amigdalis & odoriferis ſuſcepit pigmentis. Tunc Dei famulus ad ſuos converſus: „ Familiaritate, inquit, noſtra fiſus hoc iſte ſuis depoſcit precibus, quatinus omnipotens Medicus ei noſtris ſubveniat orationibus. Ideo flagitanda eſt Dei clementia, quo ſublevari mereatur corporis moleſtia. Potens eſt enim ille qui Reguli filium ſermone ſanavit imperiali, hunc nobis abſentibus priſtinæ reſtituere ſoſpitati. Mox itaque ut vir Dei cum fratribus ſe orationi dedit, extemplo qui aberat meliorari cœpit. Reverſi vero qui fuerant directi, ea hora qua a viro Dei receſſerunt, meliorari cœpiſſe ſuum dominum cognoverunt. Poſthac munere viri Dei ſe cibavit, & adeo integra ſoſpitate convaluit, ut paucis interpoſitis diebus, ipſe ad beatum pergens, ejus veſtigiis advolutus immenſas pro beneficio gratias retulerit. XI. Comitem ſanat.

In Vivarenſi * climate quædam nobilis matrona longa afficiebatur ægritudine. Hæc in ſancti Saturnini cellula virum Dei morari ut comperit, mox eum ſua legatione depoſcere ſtuduit, aquam ſibi ad hauriendum ut benediceret, & ad ungendum olei liquorem, ſuæ dexteræ ſigno ſanctificatum dirigeret. Hæc quæ petiit a viro Dei percipere ut meruit: illico recedere corporis moleſtia & ad priſtinum officium ita reparari cœperunt membra languentia, ut depulſa ægritudine ſic proximo tempore tota valeret corpore, ac ſi antea nullius ægritudinis inficeretur peſte. XII. Alia miracula. * de Viviers

Sed & illud ſupprimi non decet ſilentio, quod ejus quem ſoſpitate donavit, beati viri viſitatio hactenus celebri diffamatur teſtimonio. Vocatur hic nomine proprio Hildebrannus, & ab officii agnomine Monetarius. Officium namque quod agebat, plus ſuis ſodalibus ne deterioraretur cuſtodiebat. Et quoniam bonis pollebat moribus, ideo beato viro cœpit eſſe cognitus. Hic languore correptus corporeo, laborare cæpit multo incommodo. Qui dum ſe cerneret a languore non ſublevari, ſed creſcente corporis moleſtia magis ac magis ſe ſentiret prægravari; ut ſolent divites facere, qui ſuo ſe munere arbitrantur redimere, multa per medicos & ſacerdotes, multa per monaſteria erogavit, & pauperes. Sed his licet offenſorum ſublevaretur pondere, nimia tamen deprimebatur ægritudine. Jam morte ſollicitari cœperat, cui languor nimius vitæ deſperationem ingeſſerat. Ultima ſe interea præveniri dum cogitaret forte, beatum ſibi Majolum fama præcurrens Papiam * denuntiat advenire. Cujus adventum prævenire ſtudens ſua legatione, eum popoſcit ſua ſe dignari viſitatione. Ad hæc beatiſſimus miſericordia repletus, petenti deſideratum non denegavit adventum. Mox æger ita gaudio repletus eſt beati viri præſentia, ac ſi manifeſta fuiſſet ſanitas ingreſſa: ſtatimque vir Domini ad ægrum acceſſit, & corpus ægritudine debilitatum nimia, XIII. * Pavie

AN CHR mia, tangere non deſpexit medicabili dextra : cujus ſalubrem tactum longa
994 ſentiens infirmitas aufugit, & ſanitas ita mox feſtina cucurrit, ut qui diu æ-
11. Maji. ger lectulo decubuerat, die tertia quocumque vellet ſoſpes effectus pergere potuiſſet.

XIV. Illud quoque nunc placet inſeri, quod conſtat relatum fama vulgante celebri. Quidam domini proprii præſentiam fugiebat, quem graviter offenderat. Suum namque comparem ex induſtria neci addixerat, & ideo in ſenioris ſui gratiam revocare eum nemo hominum poterat. Multifarie igitur quærebatur a domino, ut dignum & ipſe perſolveret emolumentum ſocio. Qui mortis periculum ut evaderet, nullo fiſus in loco dum diverſa percurreret, ad locum quo vir Dei forte degebat, accidit ut veniret. Quem Dei famulus cum petentem ſtipendium militiæ cerneret idoneum, tunc ab eo cur errabundus pergeret percontatur, ſuus ipſius dominus cognoſcitur, cauſa cur diverſa percurreret detegitur. Cui vir Dei compaſſus, & hoſpitalitatis conſolationem impendit, & ſui domini gratiam adepturum promiſit. Erat autem ſuus ipſius dominus vir in armis ſtrenuus, temporalibus præpotens in rebus, & a ſententia quam animo diſponebat, nequaquam ſe amovere propter difficultatem quemquam ſinebat: ideoque difficile placabatur, quotieſcumque iraſcebatur. Proximo poſt hoc in tempore eum vir Dei convenit, & ſuo famulo quo indulgeret eum blande rogare cœpit: qui ad vocem Dei famuli ita extremuit perterritus, & vox ita hæſit faucibus, ut quid reſponderet minime haberet. Mox autem proſtrato corpore ſe in terram dedit, ejus veſtigiis advolutus ſuis ſe commendavit orationibus. Hunc ſiquidem ante commilitones rogaverant, majores & inferiores ad eum preces copulaverant, atque omnes ad famulo parcendum flectere non potuerant: ſed pro B. Majoli merito ita eum coram omnibus proſtravit Dei dignatio, ut haud ſecus indulgeret famulo, quam ſervi Dei decreverat juſſio. Hoc ergo Dominus cotidie in ſuis fidelibus operatur, quod ſacræ auctoritatis pagina teſtatur, dum prudentiam prudentium reprobat, & ſe glorificantes glorificat. Ad beati viri miſer quia confugit auxilium, duplicatum ab eo promeruit beneficium, quod & domini donatus eſt gratia, & reatum delevit pænitentia.

XV. Quodam tempore iter per quamdam ſilvam dum carperet, & ceteris more ſolito præmiſſis ſolus incederet, ſopor illi inter lacrymas & crebra irrepſit ſuſpiria. Eadem proinde qua pergebat via cujuſdam arboris ita impediebatur ruina, ut ejus ſub robore equitans facilius læſionem incurreret, niſi humiliato vertice ſe caute protegeret. Ad hanc itaque equus cui inſederat ut venit, ſic hæſit immobilis, ac ſi ſtipiti fuiſſet vinculis impeditus. Egregio tunc vultu puerum contemplabatur per ſomnum, qui equum ne pergeret tenebat per frenum. Evigilans vero ut arborem ſenſit præ oculis, clementiam veneratus eſt Omnipotentis, cujus per Angelum mortis ſe gaudebat evaſiſſe periculum: ſed ſeparatus ab aliis quia hoſtiam ſe Deo exhibebat in lacrymis, ab hoc ideo protegi ne læderetur meruit Angelo, a quo ejus ante Deum lacrymoſa deferebatur oratio.

XVI. Illud etiam quod contigit, dum Papiæ moraretur, prætereundum ſilentio peſſimum videtur. Multitudinis intuitum quo declinaret, & per hoc mentis oculum a jactantia purgaret, in nocturno ſilentio horas canonicas præveniebat, atque piiſſimi confeſſoris beatiſſimi Syri [a] adiens eccleſiam, profuſis lacrymis ante januam orationis ſibi ſtudio poſtulabat indulgentiam. Quadam itaque nocte ad conſuetum opus dum ſurgeret, & more ſolito ad eccleſiam proficiſci diſponeret, eum ſi poſſit fraudulenta conatus eſt infeſtatione terrere, qui bonorum actibus ſolet invidere. Inundatio quippe pluviæ, ut fieri ſolet in hieme, iter tunc reddebat difficile: nube inſuper oppoſita, micantia tegebant ſidera. Tunc tentator ante mentis ejus aciem, & te-

[a] S. Syrus primus Papienſium Epiſcopus, idemque Patronus eccleſiæ principalis, cui præclaram donationem facit Otto Comes, Arduini Regis filius, anno 1009. quam legeſis in Bibliotheca Sebuſiana pag. 234.

tenebrarum denſitatem, & itineris reducere cœpit difficultatem. At vir Dei maligni ſpiritus ſuggeſtiones protinus agnovit, & iter diſpoſitum ſine dilatione arripuit. Malorum tamen auctor viro Dei in ipſo itinere multis modis inſidiari ſtuduit: ſed quia hunc in nullo lædere potuit, lumen quod ante ipſum in laterna ferebatur exſtinxit. Turbati cum viro Dei qui aderant, lumen quo peterent neſciebant: ſed vir Dei bonorum inviſorem hujus facti fuiſſe non dubitavit auctorem; qui ſuos a timore ſigno repreſſit, certus ac fidens quod ille cujus aſſiſtebat ante januam, reilluminare exſtinctam ſibi poſſet candelam. Verum quia plus de beatiſſimi Syri, quam de ſua virtute confidit; quod fide credidit, effectu mox conſequi meruit. Mox enim ubi ab oratione ſurrexit cum fratribus, igne divino candelam viderunt ardere, quam ſuam ad perniciem diabolus eſt auſus exſtinguere. Hoc vero miraculum multum fratribus contigit ad profectum, quoniam juſti deprecatio quod multum valeret dum intellexerunt, ad orationis ſtudium majori cum devotione ſeipſos dederunt.

ANCHR. 994 11. Maji.

XVII. S. Dionyſii liber ab igne illæſus.

Hierarchias quoque beati Dionyſii *a* Areopagitæ quodam tempore cum legeret, & more ſolito quæ die legerat, ſui pectoris bibliothecæ nocturna meditatione eadem deponeret, ſubrepente ſomno contigit, ut candela quæ lumen ſuggerebat legenti, ſupra paginam rueret quam legebat. Sed quid Chriſtus non operetur in ſanctis? Edax flamma candelam conſumpſit, ſed folium ſuper quod ardebat, torrida damna non ſenſit: virtutem flamma habuit ad candelam comburendam, quam ad paginam perdidit lædendam: Protinus excuſſo ſomno vir Dei conſternatus eſt animo, quod librum qui vix alicubi reperiri poſſit, conſumptum eſſe incendio putavit: ſed excuſſa favilla cum in ſuperficie nullius læſionis appareret macula, immenſas ei gratias retulit, cujus potentia ſuæ naturæ vim ignis amiſit, dum arida nutrimenta quæ ſuper candelam conſumpſit, in nullo lædere potuit. Rarus.

XVIII. Willelmum Provinciæ Ducem adit.

Cum Vuillelmus Provincialium Princeps prægravari ſe ultima ſentiret ſorte, Majoli ſe meritis ſalvari poſſe ab animæ credidit morte: qui ſibi ad Avennorum * accerſitus oppidum, ut multitudinis vitaret conventum, in inſula quæ Rhodanum ſub præfato caſtro ſcindit fluvium, ſibi ponere juſſit tentorium. Sed ejus adventus rumore circumcirca diffuſo, undique ad eum concurrere cœpit innumerabilis multitudo. Quiſque tunc alios præcedere, & prior quiſque in navigio ad virum Dei certabat tranſire. Affuit tunc navis adeo vetuſta, quæ rimis patentibus ſubmergi facile irruenti poſſet ſentina. Hanc utriuſque ſexus oneratam multitudine ut ad virum Dei navigandi gnari tentant dirigere, inundans decurrentis fluminis impetus eamdem ſubmerſit in mediis fluctibus. Res viſu mirabilis, quod hi periclitabantur naufragio, qui Majoli ſe tutari petebant orationum præſidio, viros cum mulieribus, & mulieres cum parvulis, quos adhuc alebant uberibus, in profundum jam involvebat fluvius, cum ad viri Dei aures tale pervenit facinus. Sed Chriſtus qui clamantes ad ſe exaudit, ſibi dilectum Majolum magnificare non diſtulit. In ipſius præſcripti Rhodani ripa ab antiquis beati Martini conſtructa fuerat eccleſia. Ad eam namque vir Domini, aqua ſubmerſos tegente, cum neminem eorum conſpiceret, oculos cum lacrymis pius levavit, & triſtem ad terram vultum deinceps inclinavit. Sed licet adſtantibus tunc ignotum fuiſſet quod ille paulliſper tacitus oraviſſet; efficaciter tamen adipiſci meruit, quod mente pia quæſivit. Crucis enim ſignum ut edidit, & cernuo vultu pauliſper (ut diximus) oravit; diverſi ſexus & ætatis mox nantes apparuerunt in gurgite, quos unda difficilis contorſit ſub flumine: undarum pueri deferebantur ſummitate, mulieres in flumine diffuſa rotabantur veſte, & viri ripam natatu conabantur appetere. Ad quos periti nautæ currentes cum carabis, omnes traxerunt ex voragine fluminis. Sed & illud videtur mirabile, quod ad virum Dei ſex panes a Comite dum ſuus deferret famulus,

* Avignon

Naufragantes liberat.

a S. Odilo id accidiſſe ſcribit, cum Majolus *eſſet aliquando in monaſterio ſanctiſſimi Dionyſii*. Nalgodus addit, *diſtributa in Monachos ſubſtantia verbi Dei, & ſermone ad eos habito*.

AN.CHR 994 11. Maji.

lus, eodem licet cum ceteris captus naufragio, ſic tamen directi muneris eum defendit delatio, ut ipſe non modo illæſus exiret, verum ex panibus tres intactos aqua abſtraheret.

XIX. Majolus morte inſtante ferventior.

Igitur Majolus ſenectutis tempore, quo ſolent ceteri remiſſius vivere, acri ſe labore in Domini ſtuduit ſervitutem redigere: & quaſi tunc novus accederet, ac juvenilis vigor in toto corpore ferveret, ita incredibili mentis fervore divino famulamini inſiſtebat. Corpus namque defatigatum ſenio nullo modo quieſcere ſinebat ab opere conſueto. Biennio itaque priuſquam obiret, corpus plus ſolito viribus cœpit deſtitui, & ex hoc vocationis ſuæ tempus appropinquare deprehendit. Ideoque ad publicum jam procedere nolebat: ſed aut in Monaſterio, aut in quadam ſuarum cellula pro Fratrum utilitate immorari cupiebat: ut ibi & Fratres ſollerti ſtudio corrigeret, & ad meliora paterna ammonitione proveheret; aut ſæpius remotis omnibus ſolus ſoli Deo inhæreret, atque attentius frequenti alternatione, aut orationi, aut lectioni vacaret: quod ei quamquam omni vita ſua ſpeciale fuerit ſtudium, præſertim tamen ad hoc deſudavit præcipuum circa mortis confinium. Sæpius lugebat dum ſpiritales viros ad memoriam reducebat, quos in divina religione florere, ac pro defenſione Eccleſiæ ſanctæ viderat viriliter decertare. Eorum quidem recordatione omni ſe in hoc mundo deſtitutum fore deflebat ſolatio; & ideo ſolamen ſibi ſola divina præbebat lectio. Ideoque modis omnibus diſſolvi, & eſſe optabat cum Chriſto. Ea ſiquidem tempeſtate Regis Francorum impellebatur nimia importunitate, ut ſecundum

S. Dionyſii monaſterium Rege volente reformare aggreditur.

beati Patris Benedicti magiſterium beati Dionyſii diſponeret monaſterium: qui opus bonum ut ad vitæ finem uſque perduceret, licet finem dierum ſuorum jamjamque affore non ignoraret, proficiſci tamen ob iſtiuſmodi cauſam minime recuſavit: bonam hanc virtutum ſuarum conſummationem exiſtimans, ſi Ordinis monaſtici profeſſores in juſtitiam & ſanctitatem ſibi ſocians, charitatis unitos vinculo dimitteret. Arrepto itinere territorium Arvernenſe expetiit, ibique in quadam ſua Cella, Silviniaco ſcilicet, nunc loco

Silviniaci obit.

celeberrimo ultima exerceri ægritudine cœpit. Senſit illico prudentiſſimus virorum ſuæ reſolutionis tempus ſupremum. Tum vero mœror & luctus omnium, vox una plangentium. Cumque a Fratribus fuiſſet percontatus, gregem ſibi commiſſum cui *a* committeret, taliter eos fuiſſe dicitur affatus: „Jeſum ſummum paſtorem hunc habebitis protectorem. Peregrinationis ergo quia deſerebat exſilium, & ad proprium lætus pergebat domicilium: ideo gaudens hos frequentabat verſiculos: *Domine dilexi decorem domus tuæ & locum habitationis gloriæ tuæ*. &, *Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum, concupiſcit & deficit anima mea in atria Domini*. &, *Elegi abjectus eſſe in domo Dei mei magis quam habitare in tabernaculis peccatorum*. Ita Deo protegente, omnibus ſui corporis membris integris atque illibatis, præclaro ſcilicet viſu, puroque auditu, ſana memoria, ſicut fuerat integer a corruptione carnis, neſciens labem nivei pudoris, pervenit ad exitum, immortale adepturus compendium. A Fratribus an aliquid doleret interrogatus, reſpondit nihil ſe habere moleſtiæ, ſed omnia quieta & tranquilla perſpicere, & videre bona Domini in terra viventium. Tunc ante ipſum in terram proſtrati, eum taliter cœperunt deprecari. Nos tibi commiſſos, Pater beatiſſime, paterno more abſolve, ſanctiſſimis tuis orationibus tuere. Fides enim tua & opera te Chriſto ſociant: & ideo quidquid ab eo poſtulabis, præſens facilius impetrabis. Quos ut abſolvit, & ſanctiſſimis orationibus confirmavit, a communi locutione ceſſavit. Jam humana deſpiciebat & ſurſum oculos ad cœlum erigebat, eoſdemque verſiculos uſque ad exſpirationem animæ repetebat, ut aure appoſita vix audiri poſſet quod dicebat. Signum vero ſanctæ crucis ſæpius dextra ſancta ſibi depingebat.

Nec

a Et tamen jam ante triennium Odilo Abbas deſignatus fuerat ex dictis in Elogio. De protectore itaque ac patrono intelligendus hic locus. Sic Archembaldus dicitur ad Odilone *Silviniacenſis loci Proviſor*.

Digitized by Google

Nec patitur Chriſtus carum per ſæcla clientem
Vel torquere diu, partove abſiſtere regno:
Martyrium cui vita fuit: quin mole laborum
Defeſſum invitat ſuperas moderator in arces.
Spiritus artatis ardens emergere vinclis
Emicat, & liquidas liber transfertur in auras,
Hymnizante polo lætumque alalagma canente.
Sæpſerunt comites miro ſplendore superni,
Victoremque ferunt trans ignea ſidera lætum,
Et ſiſtunt ſolio ſummi per ſæcula Regis.

Dormivit vero cum patribus ſuis V. Iduum Majarum, ſepultuſque eſt in Baſilica B. Petri, ubi ejus ſanctiſſimis meritis multa præſtantur beneficia, regnante in perpetuum Domino noſtro Jeſu-Chriſto, cui eſt cum Patre & Spiritu-ſancto honor virtus & gloria per immortalia ſæculorum ſæcula. Amen.

APPENDIX

DE SANCTO PORCARIO ABBATE Lerinenſi ejuſque ſociis Martyribus.

Ex ADALBALDO *monacho, qui Syri lucubrationem verſibus auxit.*

1. IGitur in partibus Galliarum, ex ingentibus cauſis cum diſponeret Dominus affligi genus hominum per ſævitiam paganorum; nefandæ gentis exercitus Saracenorum vaginam ſuæ habitationis egrediens, ac maritima quæque ultra citraque peragrans & peragrando demoliens, in Provinciam venit, nominis Chriſtiani impugnandi gratia, & ſuo eam dominio ſubjugandi: cujus incolas occulto Deus judicio, ejus mucroni tradidit feriendos. Quæ gens longe lateque ſuæ cædis extendens crudelitatem, ita ut in ſolitudinem pene totam redegit regionem, ut in eremi vaſtitatem loca prius deſiderabilia verſa viderentur. Unde inter cetera facinora ſua Lirinenſem inſulam, religione pollentem, depopulans rebus omnibus, inhabitabilem reddidit: ſervos Dei, qui inibi inter reliquos & præ ceteris ſanctitatis ac vigiliarum primas tenebant, millies ſeipſos immolantes, gladio trucidans fere quingentos & eo amplius. Fertur enim (quod minime reor prætermittendum) quod antequam claſſis Saracenorum illo adventaret, Angelus Domini ſancto PORCARIO [a] Abbati per viſum apparens, evidenter prædixerit & tempus & diem & horam, certumque omnibus imminere exitium die abhinc ſeptimo illuceſcente. Qua de re maturato conſilio commonet, ut unum de duobus eligant, aut fugæ conſulant, aut palmam martyrii incunctanter rapiant. In eorum arbitrio & poteſtate poſuiſſe Dominum hoc donum tam bonum, tam optimum, tamque præcipuum, utrum velint aut nolint brevi ſanguinis commercio hoc immortale acquirere compendium. Facto itaque mane beatus Porcarius convocatis Fratribus cuncta quæ viderat & audierat refert. Ex quibus quidam paventes, quidam non credentes, univerſi tamen re inopinata & ancipiti ſunt turbati periculo.

2. His ita varie inter ſe diſſidentibus, exſpectata dies advenerat, noctis tantum intercapedine diviſa. Jamque inſtante vigilia, matutina clara luce, e ſpeculis in longum dirigentes obtutus, vident hoſtile agmen adventare, oppanſis velis, æquata fronte, in obliquum deductis cornibus, totumque adlabi claſſibus æquor. Extemplo turbati animis disjectique a propoſito. Cumque cuperent malum evadere, non patebat uſquam locus effugii: jam enim & hoc per ſpiritum prævidens beatus Porcarius naves omnes a portu clam longius abduxerat, interdicens nautis, ne intra præfinitum ſibi tempus ullo modo redirent. Ergo cum vidiſſet athletas Dei immenſo certaminis pondere fatigari, ingemuit tam triſte nefas fortiſſimus heros, dextro ſocios deducere cornu, invictamque manum quondam ſine cæde perire. Tunc vexillum ſanctæ crucis, quod in agmine primo dux bonus præferre conſueverat, defixa cuſpide ponens, inſtaurat animos dictis mordacibus. O, inquit, fortiſſimi milites! o inſtructiſſimi divini prœlii bellatores: quo ruitis? cui colla datis? quis furor inſanas agitat caligine mentes? State precor, ſtate; neve velitis ſtivam manu tenentes retroſpicere. Pro pudor! vincimur heu ſegnes, nec noſtra potentia profert vim ſolitam. Quin potius, o nimium dilecta juventus, hortor & moneo reſides attollere animos, ne nos tamquam imparatos præoccupent. Olim devotas animas, ultro properantes, ſubdamus pretioſiſſimæ paſſioni. Experimento jam cognoſcetis quantus illis ex noſtra conſtantia timor, quanta nobis proveniat gloria.

[a] Hunc Porcarium non alium eſſe reor ab eo, quem ſæculo octavo paſſum diximus ad annum 731. Henſchenius putat, eam cædem, de qua hic agitur, non poſſe cum illa ſubſiſtere, ratus hanc accidiſſe circa annum 990. quod an ita ſit, ex ſequentibus conjiciendum relinquo.

AN.CHR. 994 II. Maji.

Talia Senior perorabat, nomine quemque vocans; ſimulque acrimoniam, quam geſtabat corde, frontis præferens dignitate. Quibus verbis incaluit virtus: paullatimque timore depulſo maduerunt corda tepentia, repentino Spiritus-ſancti rore perfuſa, ſudâ redit facies, veluti ſi videas purpuream clareſcere lucem ſine nube diei. Agmina ſancta ſuper vultum ſenſere Tonantis, gaudentque hilares Chriſtum ſuis victoribus arces ætheris ac patrium famulis aperire profundum. Itaque alacres & de victoria ſecuri procedunt caſtris portis patentibus, omnes ornati, omnes albis induti, tamquam agni immaculati & incontaminati Jeſu-Chriſti, præcogniti ante conſtitutionem mundi. O quali gaudio tunc ille tripudiavit angelicus cœtus, tantis beatorum Martyrum occurrens agminibus! Nulli dubium omnem cæleſtem Jeruſalem tunc exſultaſſe ineffabili lætitia, tunc jucundatam eſſe inæſtimabili charitate, tuncque cum omni gratulatione obviam proceſſiſſe, eoſque ingenti lumine circumfulſiſſe, & uſque ad thronum, olim ſibi etiam ante mundi conſtitutionem paratum, cum laudibus & hymnis perduxiſſe.

Hac igitur cæde patrata, ſimulque vaſtitate ſubſecuta, & multis effluentibus annorum a curriculis, ex Avennicorum venerabilis vitæ MAJOLUS ſplendidiſſimis parentibus eſt procreatus &c.

AN.CHR. 994 31. Octob.

VITA SANCTI WOLFGANGI

EPISCOPI RATISPONENSIS,

Auctore Anonymo ejus familiari.

Ad mſ. codicem Einſidlenſem reſtituta.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Vvolfgangi facta eximia.

1. *Inter illuſtves ſæculi decimi viros ſanctus* VVOLFGANGUS, *quem vulgus* VVOLFANGUM *appellant, merito cenſendus eſt. Is quippe litteras & Chriſtianos mores variis in locis reſtituit, nempe apud Trevirenſes ope & inſtinctu Heinrici Archiepiſcopi, (cum quo litteras & bonos mores in Augienſi monaſterio didicerat) & in eccleſia ſua Ratiſponenſi, ubi Canonicos ad communem vivendi normam, Monachos & ſanctimoniales ad ſeverius inſtitutum revocavit. Parochianos etiam Presbyteros qui in pagis morabantur, ſalutaribus monitis informavit, ab eis ſtudioſe perquirere ſo-*
„ *litus, quo ſtudio, quave cautione ſubditos baptizarent atque docerent: qua etiam cura & dili-*
„ *gentia vaſa ad uſum ſacramentorum deſtinata, itemque Miſſarum veſtes, atque libros, & chriſ-*
„ *ma tractarent, ante omnia diligenter eis inculcans, ut caſtitati ſtuderent. Monebat etiam eos, qui lapſi erant, ne (quod ſolebant) ad ſanctiſſima myſteria auderent accedere, donec pœnitentia animam*
„ *ſuam expiaſſent. Sed nihil amplius cor ejus commovit quam peſſima conſuetudo, qua factum erat,*
„ *ut ob vini penuriam quidam ex aqua vel alio potus genere ſacrificium offerrent. Quod ubi vir Dei*
„ *comperit, tantam profudit lacrymarum vim, ut corporis malam valetudinem contracturus videre-*
„ *tur. Atque ut omnem de penuria vini excuſationis ſpeciem tolleret,* juſſit ad ſe ſingulis menſibus duodenos venire Presbyteros, atque ex ipſius cella vinaria vinum accipere, & aliis diſtribuere. *Hæc idcirco præmitto, ut appareat, quantum de republica Chriſtiana meritus ſit vir ſanctus, & vita ejus quam digna ſit lectu & obſervatione.*

Vitæ ſcriptores.

2. *Res ab eo geſtas in litteras retulit quidam ejus familiaris, ut patet ex capite 30. ubi ſe* multa ab ore ejus *accepiſſe teſtatur. Confer num. 34. Stylum mutavit Surius, ſed eum ex mſ. codice Einſidlenſi reſtituimus, exemplum nobis inde ſuppeditante religioſo viro Placido Redingo. Præter hunc Anonymum* ARNOLFUS *ex Comite ſancti Emmerammi monachus, de quo ſuperius in Tutonis Epiſcopi Ratiſponenſis Elogio diximus, eamdem vitam dialogo perſecutus eſt, inſerendo acta Ramuoldi Abbatis ejuſdem loci, prout ea ſuo loco ex Arnolfo referemus. Porro ex recentioribus Raderus in Bavaria ſancta, & Hundius in Metropolis Salisburgenſis tomo 1. pag. 193. etiam res a Vvolfgango geſtas explicavit: ubi in notis relatum eſt poema de ſancto Vvolfgango, quod Philippus Menzelius medicus voti cauſa cecinit, ejuſdem ſancti ſacram in Alpibus Noricis ædem quotannis inviſere ſolitus. Ex his omnibus unus ſufficit Anonymus, quem Arnolfus paſſim ad verbum ſequitur.*

Studium in rem monaſticam.

3. *Quale fuerit Vvolfgangi in monaſticam diſciplinam ſtudium, probant ea quæ fecit Ratiſponæ erga monaſterium ſancti Emmerammi virorum, & duo Virginum, Superius & Inferius: quod utrumque ex Canonico inſtituto ad monaſticum (uti prius fuerat inſtitutum) reduxit, conſtructo ſuis ſumptibus in eadem urbe Sancti Pauli parthenone, qui aliis duobus ad exemplum præluxit: Rurſus ad*

Cano-

a Vel hinc patet, Adalbaldo antiquam viſam fuiſſe hanc Saracenorum in Provinciam impreſſionem, adeoque haud diverſam eſſe ab ea quæ accidit ſæculo octavo, utpote quæ multis annis Majoli nativitatem præceſſerit.

Canonicam vitam prolapſæ ſunt feminæ monaſterii ſuperioris, itidemque inferioris: quid de S. Pauli cœnobio factum ſit, Hundius ſilet. AN. CHR. 994

4. *De anno Vvolſgangi obitus diſceptant auctores, aliis eum ad annum 999. aliis ad annum 994. referentibus. Baronius primam opinionem ſequitur, alteram Hundius, quæ ſane vera & germana eſt. Hunc quippe calculum adſtruunt breves Annales Einſidlenſes a nobis editi in tomo 4. Analectorum, ubi hæc leguntur.* Anno 972. Vvolſgangus monachus ad Ungaros miſſus eſt, qui ſecundo anno Radaſponenſis Epiſcopus ordinatus eſt. *Et infra:* Anno 994. Vvolſgangus Radeſponenſis eccleſiæ Epiſcopus obiit: Gevehardus ſucceſſit. *Idem annus in aliis ejuſdem loci Annalibus ſignatur, itidemque apud Lambertum Scafnaburgenſem.* 31. Octob. Vvolgangi ordinatio & obitus.

5. *Leo Papa IX. anno 1052. Ratiſponam profectus,* S. Vvolfgangum ejuſdem urbis Epiſcopum de tumulo levavit, *ut in Annalibus Saxonicis mſſ. legimus: quod canonizationis loco tunc temporis erat. Ejus tumulus hactenus viſitur in navi eccleſiæ S. Emmerammi ad meridiem: corpus in crypta occidentali aſſervatur; caſula vero in ſacrario. Obiit Puppingæ ad Danubium, inter Patavium * & Linxum, ſed propius Linxum *. Colitur prope Iſchelium, in finibus diœceſis Saltzburgenſis. Neſcio an de hoc loco intelligendi ſint Menzelii ſequentes verſus.* Canonizatio & cultus. * Paſſavv * Lintz.

Ipſa etiam cautes veteris veſtigia facti
Admiranda, hodie ſpectantibus obvia, ſervat
Inſignita tui capitis, manumque cavata
Appreſſu, diæque crucis victrice tropæo
Alte inſcripta, oculos paſcens, animoſque legentum.
Nec procul inde lacum qua mons Falconis Abernum
Deſpicit, erigitur frondoſus in aera vertex,
Unde manu ancipitem ſtans celſa in rupe bipennim
Correptam quatiens (fundandi illuſtre ſacelli
Augurium) es vacuas quondam jaculatus ad auras: &c.
Quid loquar ante fores, templique in limine primo
Marmoreæ rupis molem, indubitataque monſtra?
Forte fatigatos ſomnus tibi longior artus
Preſſerat............
Ecce autem res mira manus, plantaſque pedeſque
Accipit immerſos nativum oblita rigorem.
Nuda ſilex.

De Vvolgango Matthæus Cardinalis Gurcenſis in Itinerario ſuo, ubi de S. Emmerammi eccleſia, hæc habet. S. Vvolfgangi illic quoque corpus eſt, ſed miraculis non claret, ut alibi cui dicatum templum eſt, fabulam referunt. Ingreſſurum enim B. Vvolgangum urbem ajunt vulgo interrogaviſſe, utrum corpus, an miracula poſt obitum mallent. Cives corpus elegiſſe, arbitrantes abſque corpore miracula nullibi fieri poſſe. Illic ergo cum ejus oſſa remanſerint, miracula alibi tranſlata ſunt. *Hæc Cardinalis.*

CAPUT I. *Vvolfgangi patria & nativitas.*

Beatus igitur Wolfkangus, natione Suevigena, ex ingenuis parentibus, &, ut ſibi Salomon optat, nec divitias, nec paupertatem patientibus, ſed mediocriter, recteque viventibus eſt procreatus: qui nimirum ab ipſis infantiæ rudimentis divinum fontem vitæ ſitiens, & caduca quæque deſpiciens magna meritorum prærogativa cœpit eminere, multiſque virtutibus ſtuduit fulgere. Fertur etiam, quod ejus matri viſum fuerit ſtellam in gremio portare. Quod ſcilicet præſagium conveniens erat præclaris filii virtutibus: nam unus illorum exſtitit, de quibus Scriptura ſacra dicit: Qui docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti, & qui ad juſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.

II. *Relatio de nominis ejus memoria.*

Natus ergo puer non multo poſt baptiſmi gratiam adeptus, Vvolfkangus eſt appellatus, quod videlicet nomen ille per ſemetipſum eſt interpretatus. Nam in quodam armario, quod ipſe conſtrui præcepit inter reliqua, ſicut erat peritiſſimus poematum compoſitor, ita ſcripſit:

Juſſerat ædiculam mandrita Lumpambulus iſtam.

Verumtamen pro nulla ſuæ malitiæ nota hoc nomen ei imponebatur, ſed qua-

Digitized by Google

AN CHR. quadam conſueta ſuæ cognationis appellatione; quia & nomina beſtiarum in
994 utramque partem adverti poſſunt. Leo etenim interdum ſignificat diabolum,
31. Octob. ut ibi: *Sobrii eſtote & vigilate, quia adverſarius veſter diabolus tamquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret.* Chriſtum etiam nihilominus deſignat, ut eſt illud: *Ecce vicit Leo de tribu Juda*: & ovis in bono ponitur, ut illud: *Nos autem populus tuus, & oves paſcuæ tuæ*: & in malo, ut ibi: *Sicut oves in inferno poſiti ſunt*: item Patriarcha Jacob ad Filium ſuum: *Beniamin lupus rapax*; & Poeta de perſona ſancti Pauli ita ſcribit:

O lupe Paule rapax, quid jam remanebit in orbe,
Quod non ore trahas?

Hinc itaque apparet, quod nullus juſtificatur, vel reprobatur ex nomine.

III. *Quanta aviditate ſcholis traditus litteraturam ceperit.*

Creſcente autem puero, Spiritus-ſancti gratia augebatur ſimul in illo. Nam cum jam circiter ſeptennis eſſet, parentes ejus illum pro diſcendis litteris cuidam commendaverunt clerico, hoc veluti religioſi præmeditantes, quod & poſtea experti ſunt gaudentes, ut per juges interventus filii inſtructi, funes peccatorum, quibus ſemet circumplexos ſentiebant, ſolverentur. Idem vero pretioſæ indolis puer tanta aviditate ac memoria litteras cœpit capere, quo paucis annorum decurſibus tranſactis non ſolum hiſtorici ſenſus ſuperficiem penetrarit, verum etiam intimas myſteriorum medullas inveſtigarit. Quamobrem in privatis jam minime contentus eſt diſcere locis: ſed ubi tunc in Germaniæ partibus maxime pollebat ſcholare ſtudium, patre ducente bithalaſſum adiit, id eſt, Augenſe cœnobium: ubi, quod ejus fama ingenii pridem audiebatur, gratanter eſt ſuſceptus, brevique tempore *delapſo*, magiſtris, qui illius capacitatis acumen ſenſerant, efficitur ſuſpectus. Verumtamen nullo deſpectionis faſtu ex hujuſmodi eminentia intumeſcebat, ſed cum omnibus in domo Domini ambulabat cum conſenſu.

IV. *Quia cum quodam Heinrico ſibi familiariſſimo diſcendi cauſa ad* Wrciburg *convolaverit.*

Per idem tempus fuit in loco privato propter ſtudium ſcholare quidam Heinricus, eximia Francorum Suevorumque proſapia genitus, qui ſupra dictum juvenem maximo ſibi adnectens amore, rogavit unice ut ſecum ad Herbipolim, quæ a ruſticis *Vurciburg* vocatur, veniret. Hoc autem *ideo* propenſius ſuadebat, quod frater ejus, Poppo nomine, monarchiam illius Epiſcopii tenebat, & quemdam Stephanum de Italia ſcholaris doctrinæ cauſa conduxit, qui omnibus ibidem diſcere cupientibus ſatisfacere poſſet. Cumque idem Heinricus in hujuſmodi precibus perſiſteret, omnemque humanitatem, quæ diſcendi ac peregrinandi neceſſitas exigit, promitteret, petenti tandem acquievit. Venientes ergo ſimul ad prædictam urbem, ſcholarem adeunt magiſtrum, & ſub ejus diſciplina commorantes aliquantis diebus habuere propitium.

V. *Quomodo ob quædam obſcura in Martiano dicta, conſcholaſticis a ſe enucleata, a Magiſtro Vurciburgenſi ſit repulſus.*

Cum autem quadam die in Martiano de nuptiis Mercurii & Philologiæ legeret, quomodo utriuſque nomen rhythmi profunditate conveniret, & non ſatis diligenter exprimeret; juvenes, ut ſoliti fuerunt, ad perſpicacioris ſenſus virum Domini Wolfkangum venerunt, & ut numeri difficultatem explicaret, unanimiter poſtulaverunt. At ille, ſicut erat benignus & edoctus, non ſolum quod rogaverant, verum etiam omnem hujus ſententiæ ſcrupuloſitatem aperiens inſinuavit. Quo comperto, Magiſter privatus ira commo-

Digitized by Google

motus, ne ulterius ſuæ intereſſet lectioni ſub interminatione prohibuit: ſicque malignus hoſtis inventa hac occaſione tam per ſe, quam per ſuos complices famulum Domini ſuffocare tentabat. Sed nimirum ſicut flamma flatibus venti agitata validius accendi ſolet, ita divini ſenſus ardor qui in pectore Wolfkangi a pueritia coaluerat, nullo tentationis imbre potuit exſtingui. Ex illo itaque tempore, ſicut ipſe fatebatur, cujus omnia verba ſunt credenda, de nullo carnali demonſtratore Scripturarum apprehendit penetralia, tantoque ſibi poſtea exſtitit amplius ingenium, quantum diſtat inter hibernum ſolem, & æſtivum. AN. CHR. 994 31. Octob.

VI. *Quod vir Dei renunciare ſæculo decreverit, ſed amici ſui Heinrici precibus diſtulerit.*

Hujuſmodi igitur profectibus vir Dei maturaſcens, cotidie ſe ipſo robuſtior virtutibus ſuccreſcebat, etiam in corde ſuo quaſdam de convalle lacrymarum aſcenſiones facere diſponebat. Nam niſi amici precibus Heinrici, cum quo familiare habuit contubernium, retraheretur, omnimodo ſæcularibus renuntiaret deſideriis. Sed aſſidue tractans, quia charitas non quærit quæ ſua ſunt, ſed quæ alterius, ad tempus diſtulit, quod poſtea devotus implevit.

VII. *Quomodo Heinricus Trevirenſis Epiſcopus factus, S. Wolfkangum ſecum ire petierit, & ei omnem pro ſe Epiſcopatus dignitatem ſubdere voluerit, ſed ille hæc renuens vix pueris docendis præeſſe conſenſerit.*

Brevi de hinc evoluto tempore Heinricus ab Ottone Magno Trevirenſem ſuſcepit Archiepiſcopatum, & ut ſecum illuc adveniret obnixe flagitavit beatum Wolfkangum. At ille aliquamdiu reſiſtens, cum bene non poſſet, male noluit eſſe rebellis. Profectus eſt ergo cum amico. Tunc venerabilis Antiſtes internæ dilectionis vim, quam erga virum Dei habuit, explere cupiens, beneficiis & dignitatibus tantis voluit eum honorificare, quatinus per omnem Epiſcopatus ſui poteſtatem ſecundus poſt ſe, ceteris prælatus haberetur dignitate. Servus autem Dei cenodoxiam fugiens, ſemperque præ oculis illud apoſtolicum habens, *Nihil intulimus in hunc mundum, ſed nec quid auferre poſſumus*; &, *Qui cupiunt divites fieri, incidunt in laqueos diaboli*; tali honore ſe dicens indignum, tandem conſenſit, ſcholaſticos juvenes ſibi commendari, prudenti uſus conſilio; ut ſcilicet ingens doctrinæ talentum ſibi a Domino traditum aliis exhibendo, ſicut diſpenſator fidelis fructificaret. In quo labore nihil lucri, nihil mercedis ſibi more ſæculari, ſed ut alios lucrifaceret decrevit operari. De nullo namque diſcipulorum, ſicut plerique ſolent Doctores, illum Satyricum clamantes verſum:

Noſſe volunt omnes, mercedem ſolvere nemo;

cauſa remunerationis aliquid exigebat, quamvis a pluribus cogeretur. Nondum vero Presbyter odinatus, a carne tamen ſe abſtinuit, nec pretioſa veſtimenta quæſivit, vigiliis quoque & orationibus, jejuniiſque deditus, corpore ſolummodo, non mente, ſæcularibus negotiis erat implicatus. Juvenes etiam, quos ad erudiendum ſuſcepit, non ſolum liberalibus exercebat doctrinis, verum etiam moralibus informabat diſciplinis. Ut autem quantæ diſcretionis eſſet aliquantum inſpiciamus, ſicut diſcipulis ejus narrantibus audivimus, adeo ſe temperavit inter alumnos, ut, cum quibuſdam capacioribus artium vel auctorum difficilia quæque & profunda enodaret; mox ad idiotas ſimplicioreſque ſe vertens, & nutricis more, quaſi lacteum hiſtoriæ cibum præcoquens ſuppeditaret. Præterea quicumque pauperes, & humanis deſtituti ſolatiis in ejus diſcipulatu morabantur, carnali non minus quam ſpirituali alimento ab eo refovebantur.

Digitized by Google

AN.CHR. 994 31. Octob.

VIII. *De eo quod Epiſcopus Heinricus audita converſatione ſancti viri cœnobium aliquod ſibi committere ſtuduerit.*

Hac igitur tam laudabili converſatione partim viſa, partim comperta, Heinricus Archiepiſcopus tam per ſe ipſum, quam per ſuos familiares Dei famulum aggreditur, rogans, ut aut clericale, vel monachile cœnobium aliquod regendum ſuſciperet. Tunc ille per humilitatis excuſationem ſolitam omni ſublimitate ſe clamans indignum, tandem per obedientiæ ſubjectionem compulſus conſenſit ut eſſet Decanus clericorum. Hoc primatu licet invitus vindicato, inreligioſis terrori, ceteris fuit amori, quos ſcilicet omnes tam minis quam ſuaſionibus, quos ante non conſueverant, fecit ſimul cibum capere, & dormire, in Clauſtro lectionibus intendere; &, ne intima vel ſpiritualia neglegerent quibus carnalia ſuppeterent; delectabiliter admonuit; in omnibus his ſe præbens exemplum, adeo ut jam cunctis diceretur non eſſe Clericus, ſed Monachus.

IX. *Quomodo Heinrico Præſule in Roma defuncto, S. Wolfkangum ad ſe evocaverit Epiſcopus Colonienſis Bruno.*

Interea Præſulem Heinricum contigit Cæſaris Ottonis juſſione expeditionis cauſa Romam pergere, ibique cum aliquantum tempus moraretur, nimis ægrotare. Sed cum ſe deſperaret convaleſcere, vocavit ad ſe Cæſarem, & expoſuit ei beati Wolfkangi qualitatem, obſecrans ut Treviris litteras mitteret, cum quibus ne a nullo idem Dei famulus injuriaretur interdiceret. His precibus geſtis, perſolvit debita mortis: qua fama Treveris audita, ſanctus Wolfkangus primo nimium contriſtatus, deinde conſolari cœpit, *quoniam* quæ diu de ſæculi contemptu cogitarat, tunc peragere licebat. Cumque jam confirmata mente repatriare vellet, Archiepiſcopus Colonienſis Bruno, qui & Ducatum tenuit Lutingenſem*, fecit eum ad ſe venire, ac promittens illi omnem humanitatem, necnon Pontificatus honorem, conatus eſt ſecum detinere. Hæc ſanctus renuit, quia ſemet in ardua fixit. Aliquamdiu tamen cum illo converſatus eſt: unde & frequenter poſtea retulit, quia eidem Brunoni Epiſcopo ſimilem in omni probitate raro viderit. Notandum autem merito quantæ perfectionis vir iſte fuerit, cui tanta proſperitas ſæcularis promiſſione egregii Præſulis arriſit, plurimaque quæ ſcribi faſtidioſum eſt, nec tamen adhæſit. Magni enim conſtat meriti hæc omnia relinquere, ſeque in hoc ſæculo mendicum facere.

* Lotharingenſem.

X. *Quemadmodum vir Dei a Brunone Epiſcopo dimiſſus patriam reviſerit, & ad monaſticam vitam tetenderit.*

Glorioſus ergo Archiepiſcopus Bruno virum Dei ſentiens arctioris vitæ converſationem aggredi velle, cum amabili tripudio dimiſit eum juxta placitum abire. At ille domum veniens, ab omnibus cognatis & amicis amabiliter eſt ſuſceptus, obviamque habuit (ut ita dicam) Syrenes velut alter Ulyxes. Tunc omnis parentela, omniſque cognatio meliorem ſubſtantiæ hereditariæ portionem pollicentes, plures quoque amici flagitantes ne ſe deſereret, dicunt: In te omnis domus inclinata recumbit. Non defuerunt etiam qui adderent, quia Scriptura præcipit parentibus obſequendum. Agonitheta autem Domini contemnens omnia, ipſius Domini noſtri Jeſu Chriſti oppoſuit verba dicentis: *Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non eſt me dignus*. Legebat „ forſitan quod ſanctus Hieronymus ad quemdam ſcribit amicum: Licet par„ vulus in collo pendeat nepos, licet ſparſo crine ſciſſiſque veſtibus ubera qui„ bus te nutrierat mater oſtendat, licet pater in limine jaceat: percalcato *a* patre

Hieron. ep. 1. ad Heliod.

a Præferenda hæc lectio vulgatæ quæ habet, *per calcatum*, &c.

ſtre citius perge, ſiccis oculis ad crucis vexillum evola; ſumma pietas eſt in hac re te fore crudelem. Intuebatur etiam Joannem Baptiſtam, cui quamvis ſancta fuerit mater, & ſacerdos pater; tamen utroſque relinquens, ne cum hominibus habitans pollueretur, in eremum ſeceſſit. Hujuſmodi igitur exemplis incitatus, parentes ſeorſum convocans dixiſſe fertur. Rerum ſubſtantialialium portionem, quam mihi diſpoſuiſtis dare, inter vos dividite. Eſt namque quidam præpotens ac dives dominus, qui grande patrimonium mihi, ſi illi fideliter ſervire volo, promiſit, in quo pars hereditatis meæ: & ipſe eſt, qui reſtituet hereditatem meam mihi. Credo etenim quia daturus eſt mihi tam ſufficiens beneficium, ut & vobis aliquod præbere poſſimus adjutorium. Quapropter rogo ne tanti beneficii promiſſa lacrymabili interrumpatis querimonia, ſed parate quæ ſunt ad hæc neceſſaria. Non enim quærit negligentem, ſed ſtudioſum ſervitorem dominus talis. Mox alacriores effecti parentes, nomen & locum quo vellet ire inveſtigant: quibus ille dixit: Modo ſcire non poteſtis, poſtea vero ſcietis. Deinde ſciſcitantibus eis, ſi aliquem ſuorum habere dignaretur in comitatu, prorſus contradixit. Paucis vero diebus tranſactis, tulit ſecum duos juvenes, & ſpiritalem Iſaac, ſuum ſcilicet votum: quod offerre Domino volens in holocauſtum, venit ad Monaſterium ſolitariorum * in tenebroſa ſilva conſtitutum. Illuc nempe propter arctiorem Regulæ diſciplinam, quæ ibi noſcitur eſſe, Dei famulus elegit tendere. In illis autem diebus cœnobitis loci ipſius ſpiritalis præfuit Pater Anglorum gente procreatus, nomine Gregorius, qui juvenilibus annis patriam, parentes, feminam quoque ſibi deſponſatam relinquens, ad monaſterium convolavit: cujus vitam religioſiſſimam, quia non opus eſt hic retexere, prætermittimus, ne a propoſito deviemus. Hujus ergo Abbatis magiſterio ſervus Chriſti Wolfkangus ſe commendans, veterem cum ſuis actibus hominem depoſuit, & novum monaſticæ converſationis habitum induit: in qua quanto rigore, qualique obſervantia vixerit, & virtutum ſuarum exitus, & multarum ſalus animarum oſtendit. Tranſacto itaque tirocinii ſui tempore, multi vicinorum monaſteriorum probitatis ejus fama reſperſi ad illum venerunt: quos omnes, accepta Abbatis licentia, in auctoralibus ſimul & artificialibus doctrinis, & (quod his eminet) moralibus ædificavit diſciplinis.

AN.CHR. 994 31. Octob.

* Einſidlen.

XI. *Qualiter S. Wolfkangus a beato Udalrico Presbyter ſit ordinatus.*

Eodem tempore beatus Antiſtes Udalricus, cujus ſanctitas per totam redolet Europam, viſitandi fratres cauſa ad illud ſolito more Monaſterium devenit: & cum aliquot ibi dies moraretur, cognita ſancti Wolfkangi qualitate, magno charitatis affectu eum ſtuduit amplecti & venerari. Non multo poſt etiam, quamvis renitentem, ordinavit Presbyterum. Tunc vir Dei ſacerdotii dignitate ſublimatus, implere deſiderans quod eſt appellatus, omni humilitatis ſarculo ſuum ſcopebat ſpiritum; ſicque per vota quæ ſua diſtinxerunt labia, holocauſta fideliter obtulit medullata: & quia contritione tali ſemet Domino cotidie offerre ſtuduit, divinæ viſionis gratia ſublimari meruit.

XII. *Ubi viro Dei S. Otmarus per viſum apparens, quod Præſulatus regimen eſſet accepturus, quantiſque id annis foret diſpoſiturus prædixerit.*

Nam cum pro ſua aliorumque ſalute jugiter exoraret, & hujuſmodi preces ſanctorum ſuffragiis intentiſſime commendaret; beatum Chriſti Confeſſorem Otmarum, cui ſe ſuaque frequentiſſime commendabat, ſibi in ſomnis adſtare videbat: quem juſſus intendere, ab eo hujuſmodi accepit verba: Quia rogatus a te ut intercederem pro te, manifeſto nunc tibi quædam futura, quæ tibi provenient interceſſionis meæ cura. Pauper & inops de hac pro-

AN CHR 994 31. Octob. vincia egredieris: ſed in alia, in qua pro amore Domini exſulaberis, *Epiſcopatum* caducis rebus ſatis locupletem prædeſtinatione divina ſuſcepturus eris. Cujus in adminiſtratione, ſi fidelem te exhibueris, expletis viginti duobus annis, vitam tranſitoriam eris exiturus, & æternam ingreſſurus. Et hoc procul dubio ſcito, quod animam Conditori redditurus es in loco, ubi ſub nomine Chriſti a Chriſtianis memoria mea veneratur & colitur, quo me in hora exitus tui de Ægypto hujus mundi ſpero adventurum cum ceteris, quos de civibus ſupernis ad te venturos conſolatores habere merueris.

XIII. *Quomodo ex revelatione divina incitatus, prædicandi cauſa Pannoniæ petierit confinia, ſed a Piligrimo Patavienſe Epiſcopo ſit revocatus.*

Hujuſmodi ergo viſione percepta, eo amplius, quo certius intendebat aciem mentis in ſpeculum divinæ contemplationis, reputans jugiter ſecum, qualiter in ſalutem aliorum ſibi conceſſum duplicaret talentum. Hujus rei gratia Abbatis ſui licentia monaſterium, & non monachum deſerens, immo ſecundum Apoſtolum majora chariſmata æmulari cupiens, per Alemanniam devenit exul in Noricum: ad cujus orientalem plagam cum humili comitatu pergens, prædicandi gratia Pannoniæ petit confinia. Ubi cum veterum frutices errorum exſtirparet, & ſteriles ſqualentium cordium agros evangelico ligone proſcinderet, frugemque fidei inſeminare fruſtra laboraret, a Piligrimo Patavienſe * Pontifice ab incœpto revocatus eſt opere: dolebat enim idem Pontifex tantum colonum in ſulcis ſterilibus expendere laborem. Cumque ab eo revocaretur, omnique humanitatis ſtudio ſuſciperetur, apud illum rogatus commorabatur aliquot diebus.

* de Paſſavv.

XIV. *Quomodo ejuſdem Epiſcopi effectu Ratiſponenſis eccleſiæ Præſulatum ſuſceperit.*

Quo commorationis tempore idem Epiſcopus optime uſus, utpote qui erat ſagacitate omnimoda plenus, juxta quod Apoſtolus docet, *Probate ſpiritus ſi ex Deo ſint*: clandeſtina & manifeſta divini ſervitii obſervatione, ac aſſidua ſacræ Scripturæ indagatione ſatis probavit, hunc quem ſuſceperat peregrinum non eſſe gyrovagum, ſed ſtabilem veræ fidei domeſticum. Unde & quoſdam de ſuis familiariter alloquitur dicens: O quam felix eccleſia, quæ Domino volente iſto donabitur ſacerdote! Ergo neceſſarium valde videtur mihi & utile, ut huic famulo Dei petam regimen Ratiſponenſis Epiſcopii: quia optime convenit, ſicubi abundat bona voluntas, ut eam etiam ad bona opera procedere faciat bene collata facultas. Donum quippe, quod hic vir ſeminare voluit induratis cordibus paganorum, & ſalutis obſequium, quod repulit cæcitas illorum, quandoque fortaſſis, hoc eodem agrum dominicum excolente, dabit fructum ſuum in populis Chriſtianorum. Ad hæc quidam reſpondentes dixerunt: Qui fieri poteſt, ut iſte pauper & ignotus ad honorem tanti Epiſcopatus mereatur pertingere? cum jam nonnullæ celebres cognitioreſque perſonæ hunc ſibi apud Imperatorem dignius valeant acquirere. Quibus ille dixit: Divina & humana inter ſe valde probantur diſtare judicia. Scrutator namque cordium & renum ab initio mundi elegit contemptibilia & ignobilia, ut confunderet fortia: e contrario vero mundus quod ſuum eſt ſuperbe ad horam extollit, ſed imbrem cum confuſione diſtollit. Unde operæ pretium cenſeo, ut cum auxilio Marchicomitis, cujus conſilio multa ſolet facere Imperator, petam, ne per ambitionem quemquam ad prædictum Epiſcopatum aſſumat, ſed ob æternam remunerationem quemcumque humilem & modeſtum ac eruditum invenerit, necnon officiis eccleſiaſticis aptum eſſe probaverit, hunc, cujuſcumque ſit conditionis vel parentelæ, promovere faciat ad culmen eccleſiæ. Quid plura? Per legationem Epiſcopi ac ſuggeſtionem Marchicomitis Imperator Otto ſecundus ſuæ & eccle-

ſiæ

ſiaſticæ utilitati proſpiciens, immo (quod verius eſt) nutu Dei, in cujus manu cor Regis, admonitus, omnes qui pro eodem Epiſcopatu adipiſcendo laborabant avertit, & ſe totum ad electionem venerandi viri Vvolfkangi convertit: ſicque legatos celeriter miſit, ut idem famulus Dei in locum cathedræ epiſcopalis eligeretur; deinde vellet, an nollet, ad *Franconofurt*, ubi Imperator Natalem Domini celebraturus erat, deduceretur. Legati vero, ut juſſi fuerant, pergentes, invenerunt eum cum prænominato Epiſcopo commorantem, ſed jam ad patriam repedare cogitantem. Ignarus enim erat rerum pro ſe geſtarum, & idcirco animum intendit aliorſum. Cumque legati quare venerint ei indicarent, primum recurrit ad ſecretarium cordis, ſe ſuaque Deo commendans in intimis: dein Epiſcopo Piligrimo, cujus charitate illic detinebatur, cauſam legationis exponens dixit. „ Hoc novum, quod mihi per Nuntios Imperatoris venit, charitas tua „ ut arbitror fecit. Sed licet meæ parvitati timorem incutiat; præmium „ tamen bonæ voluntatis, qua tanta excogitaſti, pietas tibi divina rependat. Tunc arrepto itinere cum his qui miſſi fuerant ab Imperatore, perrexerat ad civitatem Ratiſponam, ubi clerus & populus, ut Imperator petiit, ſecundum morem eccleſiaſticum unanimiter ſanctum Vvolfgangum elegerunt; ſicque eum cum univerſali legatione ad curtem regiam miſerunt. Cumque in præſentiam Cæſaris eſſet delatus, ante pedes ejus venialiter proſtratus, ſe dixit indignum, indoctum, ignobilem ſub Monachi profeſſione degentem, ſine licentia ſui Abbatis nihil accipere debere; poſtremo ne ſanctum locum ſua fœditate violaret imploravit. Imperator autem videns deifice renuentem, magis de probitatis ejus dignitate certus, quod in eo ſpeciale quiddam agnovit, quamvis reluctanti, multumque gementi, Epiſcopatum commendavit. Deinde cum comitatu fideli multorum remiſſus Ratiſponam eſt ingreſſus, in qua cum canticis lætitiæ, & exſultationis voce ſuſcipitur: atque more Pontificum *a* inthronizatus a clero, & a populo ſummo Paſtori commendatus, necnon a Friderico Archiepiſcopo * illiuſque ſuffraganeis poſt aliquot dies in Sacerdotem apoſtolicum ibidem eſt conſecratus. Quam ille conſecrationem nolens vacuo ſecum portare vocabulo, die noctuque pontificale ſtudioſiſſime excoluit officium. Non enim ob epiſcopale faſtigium mutare voluit monaſticum habitum, ſed quam intus habuit humilitatem, foris oſtendit per operum bonorum claritatem. Memor etiam ſententiæ quæ dicit, *Principem te conſtituerunt, noli extolli, ſed eſto in illis quaſi unus ex illis;* non dominari quærebat in clero, ſed forma eſſe ſtuduit gregi dominico, tractans aſſidue quod per Ezechielem Prophetam contra malos Paſtores dicitur: *Væ paſtoribus qui paſcebant ſemetipſos, & non greges meos.*

AN.CHR. 994 31. Octob.

* Salisburgenſi.

XV. *Qualiter in urbe prædicta monaſticæ vitæ incuriam proſpiciens doluerit, & pro hujuſmodi emendatione Ramvoldum in S. Emmerammi cœnobio Abbatem conſtituerit.*

Perſpectis ergo & cognitis rebus Epiſcopii, beatus Præſul Vvolgangus, cum vidiſſet in civitate Ratiſpona monaſticæ vitæ inreligioſitatem, crebro ſuſpirans dicere fertur: Si Monachos haberemus, reliqua ſatis ſuppeterent. „ Cumque ſui familiares quidam reſponderent, per multa loca monachos „ ſuperabundare; dolens & lacrymans dicebat. O quam defecit ſanctus? „ o quam diminutæ ſunt veritates a filiis hominum? Quid prodeſt ſanctitatis habitum ſine operibus geſtare? Regulares monachi beatis æqui- „ parantur Angelis, ſæculares vero monachi apoſtaticis. Hæc autem ideo locutus eſt, quod cernebat Monachos in beati Emmerammi martyris cœnobio conſtitutos Abbate carere, & quaſi oves errantes ſine paſtore. Per multa namque tempora conſuetudo fuit in Ratiſponenſi eccleſia, ut qui Anti-

a Addit Arnulfus, quod Imperialis potentia per pedum paſtorale honorem ei dederit pontificalem.

AN.CHR. 994 31. Octob. tiſtites, iidem eſſent & Abbates. Sed hoc inde accidit, quia dum Præſules cœnobium prædictum ab Imperatoribus & Regibus obtinentes in poteſtatis ſuæ arbitrium redigerent; obeunte illo quem invenerunt, nullum deinceps Abbatem ſubſtituere curaverunt, verentes ſcilicet, ne forte, ſi Monaſterio juxta regularis vitæ uſum Paſtor & Rector præficeretur, ipſorum abuſiva poteſtas vel obſequium minueretur. Cum igitur eo modo Epiſcopi monaſterii bona retinerent atque diſtraherent, nec Monachis neceſſaria providere curarent; dabant eis licentiam undecumque poſſent acquirere, quibus in victu & veſtitu egerent. Quæ ſcilicet omnia ſanctus Præſul dolens & emendare volens, miſit ad Treverenſe monaſterium, in quo beatus Maximinus corporaliter requieſcit, & inde quemdam in regulari diſciplina ſtrenuum, nomine Ramvoldum *, advocavit, qui quondam ſub Heinrico Archiepiſcopo ejus Concapellanus fuit. Hunc itaque aſſumens, in primis Præpoſitum conſtituit, dehinc Abbatem in ſancti Emmerammi cœnobio ordinavit.

* De eo in Sæculo ſeq.

XVI. *De eo, quod quidam indigne ferebant, quia prædicto cœnobio Abbatem præfecerit.*

Quod quidam de conſiliariis ejus indigne ferentes, dicebant: Ut quid tibi & ſucceſſoribus tuis perdis bona ad ſanctum Emmerammum pertinentia? laudant te multi, ſed in hoc non laudant, immo vituperant, utere ergo Pontificis ac Abbatis officio, ſicut anteceſſores tui facere conſueverant uſque modo, ne carerent quarumdam rerum emolumento. Hujuſmodi quippe inſipientia eſt ſapientiæ ſale condienda. Quibus ille reſpondit dicens: „ Non erubeſco inſipiens & ſtultus dici propter Dominum. Nam novi illud „ apoſtolicum: *Sapientia hujus mundi ſtultitia eſt apud Deum*. Hoc autem „ ſcire vos volo, quia numquam mihi imponam onus, quod portare non „ valeo, Epiſcopi ſcilicet & Abbatis nomen mihi vindicando. Sicut enim, „ beato Gregorio atteſtante, indecorum eſt ut in corpore humano alterum „ membrum alterius fungatur officio: ita nimirum noxium ſimulque turpiſ„ ſimum, ſi ſingula rerum miniſteria perſonis totidem non fuerint diſtribu„ ta. Sufficit namque Epiſcopo, ut ſumma vigilantia inſiſtat paſtorali offi„ cio: & Abbatis ſatis laborioſum providere Fratrum ſalutem, reſque mo„ naſterii ſui per omnia bene procurare. Unde etiam & ipſe diſtribuere de„ bet inter fratres officia, ut leviget onera ſua. Ceterum, ut proſequar „ quæ propoſuiſtis, beati Emmerammi martyris bona, quæ me peſſum„ dare conqueſti eſtis, perdere nolo, ſed illi cui tradita ſunt, ac ſervorum „ Dei uſibus omnimodis conſervare volo. Ita etenim mihi optime famulan„ tur, ſi illis, quibus deputata ſunt, quique exinde providendi conſtant, „ abundanter exhibentur. Cumque hæc atque hujuſmodi verba plurima retuliſſet ſanctus VVolfKangus, ita obſtructum eſt os loquentium iniqua, ut ea quæ prius vituperabant, laudarent dicentes: Humanis divina, ut juſtum eſt, prætuliſti; rationis noſtræ nugacitatem, & ſapientiæ tuæ excellentiam oſtendiſti, quid jam nobis reſtat agendum, niſi ut pariter collaudemus Dominum, qui Eccleſiæ ſuæ donavit te Præſulem talem & tantum? Jure quidem Dominum per te laudamus in ævum: jure tibi totis paremus ad omnia votis. Conſtituto itaque Ramvoldo Abbate, non paſſus eſt beatus VVolfkangus eum vel ſibi commiſſos Monachos penuria ulla rerum victualium anguſtiari: ſed eo modo, ut animarum, ita & corporum curam habens, talia tantaque prædia Monachorum uſibus poſſidenda contradidit, de quibus abſque dubio non ſolum iidem Monachi, ſed etiam hoſpites & pauperes, ſervitoreſque cœnobii ſuſtentari ac procurari ſufficienter poſſent.

Greg. epiſt. lib. 3. ep. 11.

XVII.

Digitized by Google

AN.CHR 994 31. Octob.

XVII. *Qualiter etiam ſanctimonialium monaſteria in prædicta urbe conſtituta ad monaſticæ vitæ Regulam perduxerit.*

Poſt hæc quoque alia duo monaſteria Virginum in urbe Ratiſponæ conſtituta, id eſt Superius * & Inferius * monaſterium, ad regularis vitæ normam ſtuduit perducere. Hæ enim quomodo ſub canonicæ vitæ inſtitutis degebant, & pro licito * ſæcularibus negotiis ſeſe ubique injungebant: atque occaſione hujuſmodi plurima inter eas ſpiritalis vitæ damna contingebant. Quæ omnia cum beatus Præſul jugiter attenderet, & pro his corrigendis diu fruſtra laboraret; cogitavit ut in aliquo ſui juris loco profeſſionis monaſticæ Virgines conſtitueret. Cumque eas ſibi ſubditas ad vitam perduceret regularem, aliæ facilius ipſarum exemplis ad eamdem incitarentur religionem: quod & ita factum eſt. Nam in ipſius municipio civitatis ad ſanctum Paulum congregationem aptavit ſanctimonialium: ex quarum conſideratione ceteræ quoque mutari cœperunt. Porro ipſe ſanctus Præſul pro his Domino jugiter ſupplicans, tam divina revelatione, quam humana auctoritate roborari meruit. Sed revelatio divina ſuper Inferiori monaſterio, ut accepi, contigit ita. Solebat namque prædictus Præſul tam nocturnis, quam diurnis horis univerſa cœnobia in urbe poſita ſæpius adire, ibique & orandi cauſa, ſimul & explorandi quomodo Domino divinum ſervitium illic ageretur, aliquamdiu commanere. Cumque hoc modo in monaſterio Inferiori, ubi ſanctus Herhardus *a* corporaliter requieſcit, nocte quadam conſiſteret; ſubito ſopori dedito idem ſanctus Herhardus ei quaſi veſte humida indutus apparens dixit: Precum tuarum, quas Domino jugiter pro communi ſalute ſtudes offerre, ſcias me fautorem eſſe: unde ſicut ego tuis, ita quæſo tu meis in hoc loco ſatisfacias votis, quod enim me veſte humida cernis indutum, ſcito ex hoc eveniſſe, quia a commorantium hic ſanctimonialium lacrymis quidem aſſiduis, ſed ita proh dolor fruſtratis, perfuſus ſum, ut per multum jam tempus nihil ſemet emendent, nihil ab his vitiis, pro quibus eaſdem lacrymas preceſque ſuas ad me effundunt, abſtinere curent. Quamobrem jura canonicæ vitæ, ex cujus occaſione hactenus tanta neglegentia hic exſtitit, deſtrue, & monaſticæ vitæ diſciplinam inſtrue. Ex qua viſione ſanctus Vvolfkangus certior factus, ad inſtituendam ibidem religionem monaſticam ſumma ſe devotione accinxit.

Quale autem idem venerandus Præſul cæleſtis oraculi prodigium acceperit, cum in Superiori virginum monaſterio monachicam vitam inſtitueret, ſubſequentia verba declarant. Illuc ergo more ſolito adveniens, & ad celebranda Miſſarum officia ſe præparans, quaſdam ſanctorum reliquias, quæ ibidem celeberrime habebantur, ſumpſit, & in illius altaris, in quo celebraturus erat Miſſas, cornu ſiniſtro poſuit. Deinde in orationem ſe proſternens, precibus intimis a Domino popoſcit, ut, quia ſæcularem vitam ſiniſtra, ſpiritalem vero ſignat pars dextra; ſi ſibi placeret, illic canonica inſtitutio, quæ utique negligentes quoſque ſiniſtrorſum trahit, permutari, & monaſtica vita, quæ dextrorſum currit, inſtitui; ita dignaretur revelare, ut antequam Miſſas celebrandas conſummaret, eaſdem reliquias a ſiniſtro in dextrum altaris cornu ſuæ gratiæ nutu transferret. Completa itaque hujuſmodi oratione, Miſſas cœpit celebrare. Interea vero juxta preces viri ſancti reliquiæ ſanctorum prædictæ, abſque ullo tactu humano, de ſiniſtra ad dextram altaris partem videntur cælitus transferri, quo miraculo viſo gratias egit Domino, indubitanterque etiam ibidem vitam inſtituit monachilem.

Sic ergo beatus Vvolfkangus pro inſtitutione virginum monaſtica edoceri meruit revelatione divina. Cui videlicet revelationi adjutorium quoque humanum cooperando ita affuit. Per idem namque tempus quo gerebantur prædicta, Heinricus Cæſaris Heinrici genitor, Ducatus monarchiam tenebat in Pa-

* Obersmunster.
* Nidernmunster.
* f. libito.

a Idem legitur in actis S. Erardi Epiſcopi Ratiſponenſis apud Bollandum ad diem 8. Januarii.

AN.CHR. 994 31. Octob. Pagoaria. Hic igitur cum eſſet ſollicitus cultor divinæ Religionis, id officii beato Vvolfkango commiſit, tam petendo quam jubendo, ut in monaſteriis puellarum ſupradictis diſciplinam vitæ monachilis inſtitueret. Tali ergo auctoritate vir Domini undique roboratus, tanto ſtudioſius quanto licentius inſtabat, ut in omnibus virginum cœnobiis, quæ vel ſub aliena, vel ſub ſua ditione in urbe erant poſita, (nam illa duo ſupradicta Duci, tertium vero, id eſt ſancti Pauli cœnobium, Epiſcopo ſubdebatur) unam eamdemque ſanctitatis regulam ac diſciplinam inſtitueret. In tantum autem gratia divina largiente, & beato Vvolfkango corrigente, in eiſdem ſanctimonialibus convaluit caſtitatis religio, & regularis vitæ profeſſio, ut ipſe Dux præfatus divino compunctus amore, filiam ſuam, vocabulo Brigidam, earum jungeret collegio. Sed & uſque in diem hodiernum meritis ipſius ſuffragantibus tali vigent incremento virtutum, ut inter ſanctimoniales ceteras videantur fore ſpeculum. Idem quoque de ſancti Emmerammi Monachis fas eſt dicere, quouſque Abbatem Ramvoldum, quem ipſe præfecit illis, contigit præeſſe. Poſt ejus vero diſceſſum illorumque quos ipſe inſtituerat, tunc peccatis exigentibus, ſicut quondam Joſeph mortuo filii Iſrael dura ſervitute carnali in Ægypto comprimebantur, ita & ſancti Emmerammi cœnobitæ multis pſeudopræpoſitis ſuccedentibus, omnimoda ſpiritualis vitæ deſtructione contriti ſunt. Sed hæc omittentes ad propoſita redeamus.

XVIII. *Quomodo Canonicorum jura providere ſtuduerit.*

Cum ergo hoc quo jam dictum eſt modo ſanctus VvolfKangus deſudaſſet ſuper inſtitutione monaſtica, non minori quoque ſtudio ſeſe accinxit ad inſtituenda ordinis canonici jura: quem quia propter anteceſſoris ſui Michaelis Epiſcopi invalitudinem deſtitutum invenit, omni ſagacitate & induſtria emendare ſtuduit; primum quidem ut ſufficientiam victus & veſtitus Canonicis affatim exhiberet, deinde ut poſt ſe cuſtodes idoneos provideret. Diſpoſuit etiam ut in refectorio ſimul comederent, ſimul dormirent: ne clauſtrum incongruis horarum ſpatiis egrederentur, ne ſilentii ſtatuta frangere conarentur. Juniores, ut ſcholaribus ſtudiis intenderent, præcepit: ſeniores vero ut pſalmodiis vel lectionibus aut orationibus vacarent decrevit. Ut autem adoleſcentes in capiendis ſcientiæ liberalis noticiis forent agiliores, frequenter voluit tabulas eorum cernere dictales. Pleroſque etiam eorum proficiendi cauſa beneficiis incitavit: qui autem deſides erant & negligentes increpavit.

XIX. *Quanta prædicationis gratia refulſerit.*

Monaſticis ergo & interioribus rebus rationabiliter ordinatis, diſcretus Dei cultor nequaquam exteriora omiſit providere: ſed ſicut urbanis, & cœnobitis documenta dedit, ita etiam totam perluſtrans ſuam diœceſim, cunctos ſalutiferæ prædicationis odore adſperſit. Quapropter cum Miſſarum ſollemnia celebraſſet ex more, in tantum plebem aſſuefecit eccleſias frequentare, ut per dies ſollemnes vix domi remanere viderentur cuſtodes. Ad prædulcem enim tanti Pontificis exhortationem certatim ſexus utriuſque turba confluere ſolebat, quam illuc fragrantia cæleſtium aromatum adduxit, apium videlicet inſtar, quas poſt ſe trahere videtur mellis odor. Quibus Pater pius ſummopere deſiderans eſſe aptus & utilis in diſputatione regni cæleſtis, perplexis ac ſophiſticis minime utebatur ſententiis: ſed ſic melliti oris dulcedinem per quamdam ineffabilem temperabat auſteritatem, ut ſimplici & optimo genere locutionis tangere videretur intima cujuſque cogitationis, talique arte ex nonnullorum oculis lacrymarum eliceret imbres. Hanc ſiquidem a Spiritu-ſancto acceperat gratiam, ut hi, qui prædicanti aſſiſterent, eumque intente audirent, raro aut numquam abſcederent ab

ejus

Digitized by Google

ejus prædicatione ſine lacrymarum effuſione. Quo pergrandi bono a largitore omnium bonorum conceſſo, per malitiam ſuam ſauciatus humanæ ſalutis inimicus invidiam, quam ſemper habebat, quibus poterat viribus contra illum exercebat. AN.CHR 994 31. Octob.

XX. *Quod viro Dei prædicante, diabolica fraus diſcurrere populum fecerit.*

Nam die quadam cum in urbe Ratiſponenſi ad populum ſolito more concionaretur, diabolus ſubito concitavit turbinem, & cum turbine tumultuoſam turbationem, ac nihilo minus cum turbatione confuſum murmur populi & clamorem; necnon ſuper tectum eccleſiæ fragorem dedit ingentem; & intra eccleſiæ receptacula pulverem diſpergens ac nebulam, aliquorum obtutibus caliginem infudit tenebroſam. Quibus ex improviſo viſis & auditis populus perterritus, immo (quod pejus erat) pæne mente alienatus, cœpit concurrere & diſcurrere, incertus in quam partem ſe tutius ac rectius poſſet convertere. Interim audiebantur voces hinc dicentium, In urbe grande ſævit incendium; inde clamantium, Ecce ſeditione facta multorum gladiis cæduntur jugula. Cumque pro clamoribus hujuſcemodi ſedandis multum, ſed incaſſum, fuiſſet laboratum; tandem qui erant tantis inimici machinationibus Judificati, ita gregatim eruperunt de eccleſia, ut vix pauci remanerent in illa. Tunc Epiſcopus, quem tantæ commotio tempeſtatis propellere nequivit, clamavit & dixit: Domine Jeſu Chriſte, ſolita fidelibus tuis gratia concede, ut hodie videant gloriam nominis tui, & confuſionem diaboli. Quæ verba ſecuta eſt ſerenitas aeris, & ſerenitatem recurſus in eccleſiam plebis: cui venerabilis Antiſtes, mox ſacræ doctrinæ verba effundens, adeo illa die, ſibi Spiritus ſancti gratia dulcedinem ſermonis inſtillante, profuit, ut manifeſte inimicum vicerit vel fugaverit, qui perturbationis nimietate ad horam pæne omnibus nocuit. Unde & poſtea fidelium devotio hanc conſuetudinem pro lege cœpit habere, quo per ſtationes Epiſcopum turmatim prævenirent & ſequerentur, ac prædicationis erogationem ſumma affectione amplecterentur.

XXI. *Qualiter eum ſtolidus quidam tacite deſpiciens, mox terrore ac infirmitate fuerit correptus, ſed poſtea ſanitati reſtitutus.*

Alio quoque tempore beato Wolfkango in baſilica ſancti Pauli Apoſtoli celebrante Miſſarum ſollemnia, plebs more ſolito aderat multa. Cumque eum ex adſtantibus quidam miles ſtolidus veſte humili adſpiceret indutum, atque dehinc ſacerdotalibus veſtimentis videret infulatum; plebeja ſtoliditate deſpexit, & cordis ore murmurans, dixit: O quam inſipiens fuit Imperator illo tempore, quo pannoſum iſtum ac deſpicabilem in pontificali promotione prætulit potentibus perſonis, quæ abundant in regionibus ſuæ ditionis Quam murmurationem qui novit cogitationes hominum, eodem momento & clementer increpavit, & evidenter ad emendationem hujus vitii manifeſtavit. Nam ut in Evangelio ad cogitata reſpondit Dominus, ita hujus hominis cogitatam murmurationem ad tempus non abſcondit, quo & in præſentiarum corrigeretur, ac murmurationis malum in futurum ab aliis devitaretur. Nimio quippe terrore ſubito correptus, adſtantium ſuſtentatione vix reſidere potuit: quem cum videret dominus ſuus tremebundum & pallidum, illico accurrens ſciſcitatus eſt quid haberet vel quid pateretur. Tum ille ſacerdotibus adhibitis confeſſus eſt, quia contra virum Domini male cogitaverit, & ob hoc periculoſo timore perculſus ſit: quo audito idem dominus ejus putans illum remedio facili poſſet curari, profectus domum vexit ſecum, & aliquot diebus retinens, curam exhibuit. Sed cum nullatenus ibidem poſſet curari, reduxit eum in civitatem Ratiſponam, ubi & illi contigit hujuſmodi infirmitas. Ibi ergo ad Epiſcopum veniens, cum vellet ægroti homi-

AN.CHR hominis ærumnam, & ſuam exponere querelam; vir Domini præveniens
994 illius ſermonem dixit: Tace, ſcio quid velis. Et converſus ad Vicedomi-
31. Octob. num Tagininum* ait: Frater tolle aquam benedictam juxta lectulum meum
* V. infra cap. 36. ſitam, ac ſparge ſuper hominem pro foribus cubiculi ſtantem: qui parens juſſis, reſperſit aqua virum benedicta. Ipſe vero Epiſcopus contra oſtium crucem faciens, verba quædam ſalutifera tacite protulit, & ſanatus eſt homo in illa hora.

XXII. *De cotidiana illius converſatione.*

Videtur jam dicendum, quali converſationis uſu cotidie conſtrinxerit ſemetipſum Tanta ſiquidem obſervantia vixit, ut pro exempli materia jure propalari poſſit. Quamvis enim univerſa illius geſta neſciamus, & quæ ſcimus digne proferre nequeamus, pauca tamen e pluribus utcumque exprimere tentamus. Poſtquam igitur Præſulatus apicem ſuſcepit, non melioribus veſtimentis, non delicatioribus cibis, non mollioribus lectiſterniis quam antea fuit contentus. Vigiliis quoque & orationibus, quibus antea ſolebat, Præſul factus perſiſtebat. Nam ſæpius circa mediam noctem tam latenter de lecto ſurrexit, ut eorum aliquis, qui coram ipſo dormiebant, raro ſentiret: intranſque in eccleſiam ita obſervavit illam, ut quid intus ageret nullus hominum intelligere poſſet. Ibi ergo uſque matutinas vigilans permanſit ad horas: finitis vero matutinalibus canticis, ſi nondum luceſcebat, pro laſſis artubus recuperandis, veſtitus parum dormiebat, & hoc totum, ac ſi fuiſſet in clauſtro, agebat cum ſilentio. Cumque neceſſarium foret, ut poſt Primam loqueretur, (prius enim lectioni vacabat) alloquio communi fuit gratiſſimus, & in tractandis ac diſponendis rebus acumine conſilii providus.

Quanta etiam obſervatione corporis & ſanguinis Dominici Sacramenta celebraverit, quantiſque ſuſpiriis, & lacrymis per ſpiritum contribulatum ſummo Sacerdoti ſe mactaverit, impoſſibile nobis eſt replicare. Porro refectionis tempore non ſolum ſe, ſed etiam convivantes, ne ſe per temulentiam ingurgitarent, obſervabat; ceteriſque avide manducantibus ipſe parcius guſtabat, intendens magis lectioni, quam ſuæ ſemper intereſſe voluit refectioni.

Mendici & pauperes, quos ipſe vocabat dominos & fratres, coram ſe reſidebant in ſubſelliis; ut caute perſpiceret quomodo miniſtraretur illis. In his utique ſe credens Chriſtum ſuſcipere, omnimodo ſolebat eos venerari & reficere. Si forte plures adeſſent, pauperrimi introducebantur. Nullus tamen eorum qui foris remanebant, abſque eleemoſynæ donis vacuus diſcedebat: quia omnium eſcarum, quæ ad menſam ejus deferebantur, portio tanta reſervabatur, ut non ſolum pauperes deforis remanentes, ſed etiam circumquaque in habitaculis commorantes recrearentur. Surgens autem de prandio, reliquum tempus conſumpſit legendo. Veſpertinis vero laudibus expletis, ni legitimum interrumperet jejunium, propter commanentes cænabat. Ingens ibi reverentia, vanitas nulla ibi habebatur. Poſt Completorium niſi orando nihil prorſus loquebatur. Talis itaque erat ei conſuetudo cotidiana.

XXIII. *Quomodo Sacerdotes pagenſes admonuit, ut ſe obſervarent.*

Inter hæc etiam egregius Paſtor pagenſes Sacerdotes qua cautela populum Domini baptizarent, & docerent ſubditos, ſollicitus inveſtigavit, ſacramentalia vaſa, miſſalia veſtimenta, libros, chriſmatis obſervationem quali tractarent induſtria diſquirit, & præ omnibus ut caſtitatem ſequerentur millies in-
„ culcavit, ſubjungenſque inter cetera dixit: Quidam ita diabolicis falluntur
„ deceptionibus, ut credant, quamvis in peccatis jaceant, illius ſacroſancti
„ cibi ac potus perceptione ſe purgandos. Teſtimonium quoque intulit pro-
„ pheticum dicens: *Dilectus meus in domo mea male operatus eſt, num-*

„ *quid*

Digitized by Google

„ *quid carnes ſanctæ mundabunt eum?* & illud : *Operiebatis lacrymis altare* AN.CHR. 994 31. Octob.
„ *meum, ait Dominus, ſed non reſpiciam ad ſacrificium, nec accipiam quid*
„ *de manu veſtra.* Quiſquis igitur in ſordibus eſt, det honorem Deo, &
„ non præſumat ad ejus ſacramentum impudenter accedere, donec lavet per
„ pænitentiam maculas immunditiæ.

XXIV. *Quanta ſollicitudine emendaverit, cum quoſdam ob vini penuriam Miſſas cum aqua celebraſſe audiret.*

Sub ejuſdem ſancti Præſulis temporibus accidit, ut vini penuria quidam cum aqua vel aliis potuum generibus Miſſarum celebrarent ſacramenta, quod vir Dei comperiens, tantum effudit lacrymarum imbrem, ut crederetur ſui corporis amittere ſoſpitatem. Cum autem acutis verborum redargutionibus eos qui talia præſumebant feriret, & illorum defenſiones licet inanes, quod non poſſent acquirere vinum, audiret, mox omnes vitii hujus occaſiones abſcidit hoc modo. Præcepit namque, ut per ſingulos menſes 12. Presbyteri venirent, & de cellario ſuo vinum acciperent, aliiſque dividerent: cujus charitativæ diſtributioni convenienter aptatur ille Pſalmiſtæ verſiculus: *Diſperſit dedit pauperibus, juſtitia ejus manet in ſæculum ſæculi.*

BIBLIOTECA DERECHO

XXV. *Quod ita alienis, ſicut ſibi ſubditis miſericordiam exhibuerit.*

Cum igitur ſpiritualis Paſtor tali ſuper gregem ſibi commiſſum cuſtodia vigilaret, in eos etiam, qui ſub aliorum Præſulum tutela fuerant, miſericordiæ viſcera exhibebat. Si enim a quoquam illorum indicaretur ſibi, quod aliquod vel in divinis, vel in humanis rebus pateretur diſpendium, non aliter, quam qui ſuſtinuit, condolens, verbis & rebus impendebat auxilium. Qua de re familiaribus ſuis frequenter muſſitantibus cur ita faceret, quia unumquemque ſuus rector providere debuiſſet, dedit re-
„ ſponſum dicens : Eleemoſyna græcum eſt vocabulum, apud nos autem
„ interpretatur opus miſericordiæ : omnia quippe bona opera, quæ in hac
„ præſenti vita quique fideles operantur, hoc uno nomine compaginantur.
„ Convenienter enim opus miſericordiæ exercet, qui primo ſemetipſum,
„ & alios ſibi ſubjectos in Domino placita converſatione non finit egere:
„ deinde, ſicut ait Apoſtolus, Dum tempus habemus, operemur bonum
„ ad omnes, ſuos non ceſſat proximos adjuvare.

XXVI. *Quanta induſtria multos famis tempore procuraverit.*

Quodam tempore cum famis acerbitas multos mortales premeret, & propter hanc neceſſitatem infinita populi turba ad beatum Vvolſgangum veniret; ille convocatis Præpoſitis juſſit, ut unicuique de longinquis regionibus venienti quantum vellet darent, eo tamen tenore, ut cum domum repedarent, dimidiam ipſius annonæ partem pauperibus erogarent; ipſoſque diſpenſatores, ne munera ſuper hac erogatione acciperent, arctiſſimis obligavit juramentis. Cumque in eadem famis tempeſtate quidam negotiatores, coemendi cauſa frumenti, cum carpentis præteriſſent, ubi ſanctus Præſul manſitabat; mox comperientes ibidem eſſe eumdem Præſulem, ſpecioſa elegerunt vaſa, cum quibus propinando miniſtratur, & pro oblatione ei miſerunt. Ille vero, ſicut erat læto vultu, vaſcula quidem ſuſcipere jubebat, ſed cibis & potibus referta cum gratiarum actione remittebat. Deinde triticea largitione conſolatos ea qua ſuperius dictum eſt ratione gaudentes dimittebat.

Digitized by Google

AN.CHR.
994
31. Octob.

XXVII. *De paupere quem pro furto comprehenſum excuſavit, eique veſtimenta exhibere juſſit.*

Ut autem ſancti Præſulis major adhuc benignitas cognoſci queat, unum ejus memorabile factum patefiat. Quando ergo ſemper pauperes in ejus vicinitate commorabantur, unus eorum cubiculum intrans, de cortina quæ pendebat ad lectum ejus, partem abſcidens non parvam, feſtinanter aufugit. Unus autem de inquilinis quod factum eſt videns, pedetentim ſecutus eſt reum, & apprehendens, quia flagellare non auſus eſt, illum beato viro præſentavit. Quo facto, circumſtantes ut ille reus diris caſtigaretur verberibus, flagitando inſiſtebant. At ille manſuetus, cui derelictus eſt pauper, & qui ſemper orphano fuit adjutor, per quaſdam rhetoricas defenſiones aſſerens majorem culpam eſſe eorum qui obſervare cubiculum debuerant, reum excuſavit. Deinde converſus ad pauperem, cur ita feciſſet interrogavit. Pauper vero tremebundus, utpote metuens pœnis magnis implicari, indumenti inopiam ſe queſtus eſt pati, hocque nuditate probavit. Tunc Vir Dei per viſcera miſericordiæ commotus, omnimode excuſavit eum dicens: „ Si bene veſtitus fuiſſet, nequaquam hoc furtum feciſſet. Quapropter ex noſtra munificentia, licet ſerius, accipiat veſtimenta: & ſi ulterius, cum veſtes ſuppetunt, tale quid perpetraverit, tunc demum luat commiſſa. Quibus dictis non ſolum iracundiam accuſantium mitigavit, verum etiam animos eorum ad eleemoſynæ largitatem provocavit.

XXVIII. *Quomodo hereticum, verba quædam erroris arte dialectica proponentem, eadem arte mirifice confutaverit.*

Aliquo modo jam dictum eſt, quantæ pietatis & compaſſionis ſanctus iſte fuerit: nunc verbis ſubſequentibus agnoſcatur, quam perſpicacis ingenii foret contra hæreticam pravitatem. Nam ſicut ab initio naſcentis Eccleſiæ non defuerunt, per quorum os malignus hoſtis contra Fidem catholicam latrando locutus eſt vanitatem: ſic Domino diſponente non defuerunt defendentes Fidei ſanctæ veritatem. Quidam igitur hæreticus, Andabatarum more, quod Verbum caro factum eſt oppugnans dixit: Si verbum, non eſt factum; aut ſi factum, non eſt verbum. Cum autem hoc multa intonaret eloquentia, accidit ut ſanctus VVolfKangus illo adveniret, & a Cæſare Ottone rogaretur talibus reſpondere. At ille, ſicut erat in ſpiritu humilitatis, „ Quando, inquit, in habitu „ ſumus monachico, contendere non licet. Quo dicto, ille hæreticus, contumacia plenus, iteravit prædicta verba. Tandem Chriſti propugnator coactus ait: „ Quia non per ſpiritualem, ſed per carnalem medicandus es antidotum; dic quid ſit accidens. Ille vero multum arroganter, Accidens eſt inquit, quod „ adeſt & abeſt præter ſubjecti corruptionem. Rurſumque Præſul: Quot for„ marum ſit accidens edicito. At ille protinus, ſicut credimus, Dei omnipo„ tentis confoſſus ſagitta conticuit. Theologus autem a Cæſare ſimul & ab „ aliis efflagitatus, quamvis multum renuerit, pro eo quod erat impeditio„ ris linguæ, ſuccincte diſſeruit. Accidens eſt, inquit, quadriforme. Unum „ quod nec accidit, nec recedit, ut acilus, & ſimus: aliud quod accidit & re„ cedit, ut ſaturitas & dormitio: tertium quod non accidit, & tamen recedit, „ ut infantia & pueritia: quartum quod accidit & non recedit, ut ſenectus & ca„ nities. Hac ergo ſimilitudine Filius, qui eſt virtus & ſapientia Dei Patris, cui „ nihil impoſſibile, pro redemptionis noſtræ cauſa induit, quaſi per inſeparabile „ accidens, humanitatem, non amittens divinitatem. Sed hæc omnia cum ocu„ lis fidei perſpicienda ſunt: quia, ſicut beatus Gregorius dicit, Fides non habet „ meritum, cui humana ratio præbet experimentum. His & aliis ſalubribus verbis audientium corda in tantum condivit, ut ille filius Belial pro errore ſatisfaciens, ab egregio Doctore veniam poſtularet. Vir autem Domini promtior

tior ad ignoſcendum, quam ad puniendum, aliquam ei pænitentiam injunxit, & ne ultra profanum illud reciprocaret verbum, ſub teſtimonio Chriſti, & ſub anathemate interdixit. AN.CHR 994 31. Octob.

XXIX. *Qualiter a Cæſare Ottone rogatus conſenſit in Poemia, Ratiſponenſi eccleſiæ ſubdita, fieri Epiſcopatum.*

Inter tanta pietatis ſtudia videtur pandendum, quid etiam famulus Dei egerit ſuper gente Poemorum. Hæc namque gens noviter per Chriſtianam imbuta Fidem, ſacrilega idola, licet tepide, abjecit: ſed quomodo Catholicam exequeretur Religionem, quando caruit Paſtore, prorſus ignoravit. At medius Otto Cæſar, divinæ cultor præcipuus religionis, a glorioſo Duce Heinrico ceteriſque fidelibus eſt interpellatus, ut quod apud ipſam gentem inchoatum eſſet, pro Domini amore regali poteſtate perageret. Talibus igitur petitionibus Cæſar libenter aſſenſum præbuit. Sed quod Poemia provincia ſub Ratiſponenſis eccleſiæ parrochia exſtitit, peragi non potuit, niſi ipſius Antiſtitis præſidio. Unde Rex, legatione miſſa ad Epiſcopum, petiit, ut acceptis pro parrochia prædiis in Poemia, ſibi liceret Epiſcopatum efficere. Tunc vir Dei nimium lætatus in his quæ dicta ſunt ſibi, primates ſuos convocavit, exquirens ab eis conſilium, quomodo Cæſari conveniens redderet reſponſum. Illis autem, ne petitioni tali conſentiret, unanimiter conſiliantibus „ dixit: Pretioſam igitur margaritam ſub prædictæ latentem provinciæ ter„ ra conſpicimus, quam ni venditarum comparatione rerum non acquirimus; „ ideoque audite quæ dico. Ecce ego me meaque omnia libenter impendo, „ ut ibi domus Domini per corroboratam ſcilicet eccleſiam ſtabiliatur. Hæc ergo memorans, conſenſurum ſe Cæſari remandavit. Cumque tempus peragendi concambii veniſſet, tanta favit alacritate, ut ipſe privilegium componeret.

XXX. *Quia prophetiæ ſpiritu claruerit.*

Sed neque hoc ſilemus, quia aliquando per prophetiæ ſpiritum ea, quæ ventura erant, quaſi præſentia vidit, quod maxime in provectibus liberorum præcipui Ducis Heinrici pateſcit. Cum enim ad eum, ſicut ſæpe ſolebat, cauſa benedictionis duceretur ſpecioſiſſima illius proles, Heinricum, qui poſtea Dei nutu Rex eſt effectus, prænominavit Regem: fratrem vero ejus Brunonem *a* appellavit Antiſtitem; ſororem eorum majorem, Reginam; alteram autem, quam baptizavit, & de ſacro fonte ſuſcepit, Abbatiſſam nuncupavit. Hæc itaque, & multa alia, quæ ex ore ejus audivimus, ſicut ipſe prædixit, impleta cernimus.

XXXI. *Quomodo Legatus ſancti Præſulis, qui ablato equo ejus juſſa ambulando implere ſtuduit, ſubito equum ſellatum invenerit.*

Alio quoque tempore cum idem beatus VVolfKangus, inclinato jam die, in vicum veniſſet quemdam, qui vulgo *Egilolfesheim* dicitur, legatario cuidam juſſit, ut in die ſequenti omnes circumquaque habitantes, qui opus haberent Confirmatione, quantocius venire intimaret, qui legatarius mox implere juſſa cupiens, & ad equum ſternendum currens, reperit eum furtim ſibi ſublatum. Quamobrem nimium triſtis & dolens quid facturus eſſet ignorabat. Amor enim ſimul & timor compellebat eum celeriter implere juſſa, ſed implendi facultas erat nulla: quia nec ſpes in caballo altero requirendo, nec vires fuerant, ut tanta velocitate legationem ſibi indictam perficere poſſet ambulando. Præterea terra imbre tunc nimis irrigata, pediti

a Bruno Epiſcopus fuit Auguſtenſis, ſoror natu major nomine Giſela, Stephano Hungariæ Regi nupſit: altera, quæ fuit Abbatiſſa, videtur eſſe Brigida, de qua ſupra in cap. 17.

AN. CHR. 994 31. Octob. itinera præbuit ingrata. Hujuſmodi igitur anguſtiis aliquamdiu hæſitans quid faceret, tandem confiſus in Domino elegit ut ambulando juſſa perficeret. Cumque in nocte tenebroſa huc illucque progrederetur, & in via lutulenta ſæpius laberetur, clamare cœpit: Miſerere mihi Domine, miſerere mihi & tu mi ſenior VvolfKange, attendens quantum laborem modo patior, per tua juſſa diſcurrendo & labendo. Cumque hæc aliquotiens gemebundus diceret, proſpexit comminus caballum quemdam cum freno, ſellaque impoſita adſtare. Arbitratus autem eumdem caballum non ſine aliquo aſcenſore ibidem commorari, cœpit diligentius intueri, ſi quis forte cujus eſſet prope maneret, pariterque vociferans interrogavit, ſi aliquis ibi adſit. Sed illo diu vociferante & interrogante cum nullus reſponderet, vel adeſſet, aſcendit ipſum equum, implevitque Domini ſui præceptum. Facta autem die multiſque qui vocati ſunt ad Confirmationem in vicum ſupradictum convenientibus, inventum equum legatus obtulit coram omnibus, exquirens ab eis diligenter cujus idem foret equus. Verumtamen nec nunc, nec poſtea inventus eſt ullus, qui hunc diceret eſſe ſuum. Ex qua re & legatus ipſe, & alii ſentiebant, quantam gratiam Dominus ſancto Præſuli VvolfKango conceſſerit, qui ſe invocantes etiam abſens adjuvare potuerit.

XXXII. *Ubi in Cæſaris Ottonis expeditione, multis ex fluvii cujuſdam inundatione periclitantibus, ipſe ſecurus fluvium tranſiit, aliosque tranſire fecit.*

Cum Cæſar Otto medius propter injuriam ſibi factam Francorum partes invadens hoſtili manu, uſque Pariſium perveniret; in redeundo venerat ad quendam fluvium * ſui crepidinem alvei tumeſcentibus undis exſuperantem. Multis autem ibi periclitantibus, & vitam in aqua perdentibus, verus Dei cultor cum ſuis appropinquavit, videnſque tam ingens periculum, reſpexit in cælum, & ſe ſuoſque fideliter benedicens, ipſum intrepide monuit tranſire fluvium. Adhuc vero illis præ timore cunctantibus, & Francis a tergo acriter impugnantibus, ille primus ſui comitatus per nomen Domini, quod ſemper in ore ſonuit, fluvium tranſiens ſequentes proſperavit, nulluſque ſuorum quicquam periculi ſuſtinuit. Tunc omnes præ gaudio mirantes & Dominum laudantes, vir humillimus ne pro miraculo hoc eum publicarent obnixe rogavit.

* nempe. Axonam. V. Sigeb. ad an. 978.

XXXIII. *De clerico, cui maledicendo oculorum dolorem ingeſſit, ſed poſtea benedicendo ſanitati priſtinæ reſtituit.*

Aliud ejus mirabile factum, ut ſubjecti præpoſitis ſubjaceant videtur inſerendum. Quadam namque die, cum de divina (ut ſolitus erat) religione neceſſaria quædam tractaret cum clericis ſuis, quidam illorum, cui vocabulum erat Buozzo, minus caute reſpondit. Sanctus vero famulus Domini velut ex conſperſione paullulum iraſcens, devotando ſuppliciter ſuis maledictum oculis ingeſſit. Mox hujuſmodi maledictione finita, ille prædictus homo gravem paſſus eſt oculorum dolorem. Cumque poſtea beatus Præſul videret eum in choro ſedentem cooperto capite, ſicut mos eſt ægrotantium in oculis, miſericordia motus acceſſit ad eum, & quid doloris pateretur exquirit. At ille dolorem oculorum queſtus, humiliter ab eo benedictionem poſtulavit, cujus dolori compatiens ſanctus Vir, oculos ejus ſignavit, ſicque ſanitati priſtinæ reſtituit. Sed ne pro hoc ſigno divulgaretur, quaſi pro medela faciem lavare juſſit.

XXXIV. *De muliere dæmoniaca curata.*

Cum idem Præſul tempore quodam ſederet juxta cæmentarios apud ſancti Pauli monaſterium, mulier quædam ab immundo vexata ſpiritu ante illum de-

Digitized by Google

deferebatur. Sed mox ut ante præſentiam ejus venit, cadens in terram miſe- AN.CHR 994 31. Octob.
rabiliter cœpit fatigari. Sanctus autem Domini famulus ſuſpirans, ad nos
„ qui ſecum tunc fueramus dixit: Si dignus eſſem quicquam ab omnipoten-
„ te Domino impetrando accipere, pro nulla re libentius Dominum depre-
„ carer, quam ut ſuum plaſma dignaretur a maligni hoſtis incurſu liberare.
„ Hoc autem illis qui digni ſunt a Domino exaudiri relinquentes, nos vel a-
„ liquos pſalmos compatiendo interim dicamus. Tunc pſalmodia impoſita,
lacrymabiliter pro ea orationem fudit: At illa jacens quaſi dormiendo per omnia membra contremuit. Interea nobis quid facturus eſſet intendentibus, ille ſuſpiciens, Tollite inquit eam, domumque reducentes, ſi poſſit, aliquid reficite. Qua ſublata & refecta, nos eam liberatam eſſe comperiebamus, ſed nemo noſtrum auſus eſt diffamare.

XXXV. *Item de alia muliere demoniaca curata.*

Item alia mulier a dæmonio obſeſſa coram illo deducta eſt. Vir autem Do-
„ mini favores humanos fugiens, ad eos qui ferebant dixit: Quid mihi ve-
„ ſtros advehitis infirmos? ducite eam in eccleſiam orantes pro illa: forſitan
„ in hoc Deus vos exaudiet. Et quoniam tempus erat congruum, mox ſe-
quens Miſſam celebravit. Qua celebrata, qui aderant omnes præter infirmam exiebant. Unus autem de capellanis ſub ſaugmario abſcondens ſe filtro, quid acturus eſſet diligentius intuebatur. Porro ſanctus vir brevi oratione completa egredi cœpit, cui eadem mulier dæmoniaca obviam ſtans, ſolito more bacchata eſt. At ille confidens in Chriſtum, quaſi percutere eam vellet, palmam extendit, occulteque dixit: Exi nequiſſime. Tunc ſicut ille qui abſconditus erat fatebatur, intolerabilis fœtor ſentiebatur. Deinde mox liberata cecidit, & Domino gratias egit. Beatus autem Præſul egreſſus dixit qui adſtabant miniſtris: Ite citius, & mulierem illam de eccleſia ducite, & ſi velit, date illi manducare, pariterque ne ulterius pro hac cauſa ad nos veniat interdicite. Quibus verbis ſatis declaratur, quanta ſollertia, qualique induſtria omnem fugerit intentionem cenodoxiæ, malens interdum ſe immitem ſimulare, quam hominibus placere.

XXXVI. *Qualiter Vicedominum ſuum, tonitruum fulgurumque terrore moribundum, ſanitati reddiderit.*

Inter hæc etiam quid Vicedomino ſuo, cui nomen Tagini, cujus quoque ſuperius * mentionem feci, contigit, non prætereundum videtur. Is etenim præcipue ſancti viri VVolfKangi familiaritate fungebatur, & merito, quando per omnem fidei profectum ejus ſe ſubdebat obſequio. Dum igitur eſſent Vveltinopoli *a* in æſtatis tempore, quadam die, ſicut æſtivis ſolent temporibus, tonitrua cum coruſcationibus mugire cœperunt. Qua de re Epiſcopus, & qui ſecum fuerant perterriti, cum omni precum diligentia ſe munierunt. Cumque nimio tonitruum coruſcationumque terrore afficerentur, tandem gravis ictus tempeſtatis tremendæ intonuit, ut ipſius habitaculi murus ex magna ſcinderetur parte. Tunc & prædictus Vicedominus ita exanimis effectus corruit, ut omnes qui aderant exiſtimarent eum aut mortuum, aut cito moriturum. Præſul autem manu comprehendens eum erexit, & ut viriliter ageret, & in Domino cor ejus confortaretur admonuit: ſicque ſemivivum reddidit ſanum. Ipſe etiam Vicedominus poſtmodum ſereniſſimi Regis Heinrici munificentia Parthenopolis * Archiepiſcopatus *b* ſublimatur dignitate.

* cap. 21.

* Magdebourg.

a Vveltinopolis, *Vveltinburg*, ad Danubium, inter Ingolſtadium & Ratiſponam.

b Is ab Arnulfo monacho laudatur a probitate, eleemoſynis, caſtitate, & veſtitus mediocritate. *Non enim*, inquit, *verrebat terram, ſicut multi facere ſolent, tunicis & pelliciis magno pretio acquiſitis*. Hujus corpus ſeptimo poſt obitum anno integrum fuiſſe repertum idem Auctor tradit.

Digitized by Google

AN.CHR. 994 31. Octob.

XXXVII. *De quodam Rubilocenſis eccleſiæ ægroto per ejus benedictionem ſanato.*

In territorio Rubilocenſis *a* eccleſiæ quidam homo contraria valitudine per tempus diuturnum adeo tabefactus eſt, ut pæne per annum integrum faſtidio edendi laboraret, & alimentorum ſolatia, quæ ſoſpitatis gratia expoſcit, percipere non potuiſſet. Hic itaque ad ſanctum VvolfKangum legationem mittens, ut ab ejus pietate remedium aliquod conſequeretur ſuppliciter exorat. Quo audito vir Dei omnimode excuſavit, dicens ſe non tanti eſſe meriti, per quod hujuſmodi virtus poſſet adipiſci. Cumque diu tractaret popularem effugere favorem, & ægroti adimplere petitionem, velut ob aliam cauſam Miſſas celebravit: & per fidelem presbyterum infirmo corpus Dominicum tranſmiſit. Quo accepto paullulum obdormiens, deinde cibi potuſque refectionem ſuſcipiens, iterum quietis uſus eſt ſupplemento. Sicque mentis & corporis ſanitate recepta, Deo gratias agens ſurrexit, & poſtea incolumis permanſit. Ad hæc etiam ſi retexere volumus, quibus manum pro benedictione impoſuit, & quot guſtato pane quem benedixit ab infirmitate liberabantur, tædioſum forſitan lectori videbitur. Unde his omiſſis, ad ejus tranſitum properemus ſcribendum.

Infirmi communis.

XXXVIII. *Quomodo per Danubii decurſum in orientalem Pagoariæ plagam profectus, corporiſque moleſtia præventus, ibi obierit.*

Igitur poſt multa pietatis & æquitatis opera, quibus Domino ſervire ſtudebat, quibuſque eccleſiam ſibi commiſſam regebat ſæpe nominatus ſæpiuſque nominandus venerabilis Præſul Vvolkangus, cum Ratiſponæ conſtitutus rerum neceſſitate poſcente in orientalem Pagoariæ regionem iter ſuum deſtinaret, febricitare cœpit. Quam corporis moleſtiam vir Domini non ſolum vigiliis & orationibus, ſed etiam eleemoſynis quaſi *præſcius* futurorum præveniens, totum quod habere potuit per manus pauperum in gazophylacium Chriſti tranſmiſit: ſicque partes orientis petiturus, illi qui neſcit occaſum, ſedulis precibus vitæ ſuæ commendavit excurſum. Cumque per Danubii decurſum ventum eſſet ad locum qui dicitur Puppinga *, ultra tendere non valebat, quia tempus reſolutionis inſtabat. Ibi ergo ſuperna ſe viſitante gratia, cognoſcens cito fore complenda quæ ſibi per viſionem olim fuerant revelata, juſſit ut in oratorium beati Otmari, quod ibi ſitum erat, portaretur, & ante altare ejus deponeretur. Quod cum factum eſſet, aliquantulum ex infirmitate convaleſcens reſedit, & per Confeſſionem *b* primum ſe expiavit. Deinde omnes qui aderant, pro fide, ſpe, & charitate ſatis luculenter admonens, eos ac univerſos ſibi commiſſos cum intimis ſuſpiriis Domino ſanctiſque ejus commendavit: ſicque Viatico ſumpto, humo tenus ſe proſtravit. Tunc æditui ſive cubicularii ejicere tentabant de eccleſia omnes, exceptis familiaribus ſecum ex more commanentibus, quos vir Dei prohibuit dicens: Reſerate oſtia, nullum qui velit introire prohibete. Non enim nos, qui ſumus mortales, erubeſcere debemus niſi ex malis operibus, cum mortis debitum neceſſario exſolverimus: „ quandoquidem Jeſus Chriſtus qui nihil morti debuit, nudus mori non erubuit in cruce pro generis humani ſalute. Adſpiciat quiſque in morte noſtra, quod paveat & caveat in ſua. Dominus miſereri dignetur & mihi miſero peccatori mortem nunc ſubeunti, & cuique eam timide ac humiliter adſpicienti. Hæc cum dixiſſet, reverenter oculos clauſit, ac velut in ſomno pauſans, in pace quievit. *c*

* Popping.

Confeſſio & Viaticum.

Sic

a Concilio Ravennatenſi ſub Joanne Papa XI. ſubſcribit. *Reginoldus Rubilocenſis eccleſiæ Epiſcopus*.
b Arnulfus monachus, & *oratorium accipiens*, ait, *per Confeſſionem primum ſe expiavit*.
c Nimirum *prid. Kal. Novemb.* ut in veteri Necrologio S Emmerammi, quo die *bonæ memoriæ Vvolfgangus Epiſcopus* obiiſſe dicitur, uti etiam exprimitur in verſu ſequenti.

Digitized by Google

Sic animam ſacris cælorum reddidit aſtris. AN.CHR.
Si quæris tempus lector quo contigit iſtud; 994
Anteriore die fuit ingrediente Novembre. 31. Octob.

XXXIX. *Qualiter poſt ſancti viri obitum præſul Hartvvicus, & Aribo Comes advenientes, una cum reliqua plebe corpus ejus ad Ratiſponam urbem devexerunt, ibique in ſancti Emmerammi eccleſia ſepelierunt.*

Cum hæc omnia nocturno tempore finirentur, ſequenti mane funereas exſequias parantes cœperunt anxiari, unde poſſent Epiſcopum acquirere. Interea venit Juvavenſis * Præſul venerabilis. Hartvvicus & Aribo Comes quidam, viro Domini inter laicos chariſſimus. Hos quoque illo adventuros nocte præterita venerabilis Præſul Vvolfkangus innotuit, poſt longa ſilentia, „ & corporis moleſtiam relaxatam, ad adſtantes ſubito dicens: Mundate domum, parate hoſpitium, quia hodie ad nos venient hoſpites boni. Et ut „ credatis quia verum dico, hoc erit vobis ſignum. Navis in qua ferebantur „ bona domni Hartvici Archiepiſcopi, & Aribonis Præfecti naufragium in „ Danubio perpeſſa eſt, ſed per miſericordiam Dei homines ſalvi facti ſunt, „ & iidem domini mox poſt obitum meum huc adventuri erunt. Factumque eſt ita, & ab eiſdem advenientibus una cum populo fidelium copioſo corpus beati VvolfKangi ſuſceptum in die a tranſitu illius ſeptimo ad civitatem Ratiſponam honorifice eſt perlatum; ubi cum apud ſanctum Petrum *a* fuiſſet ſuſceptus, ac vigiliarum Miſſarumque celebrationibus Domino foret commendatus, ſuſtollentes cum magna reverentia, portabant eum per ſingula urbis monaſteria, noviſſime vero ad eccleſiam beati martyris Emmerammi, cujus honorem, dum vixerat, intimo affectu excolebat, qua Miſſarum ſollemniis, & exſequiarum officiis rite peractis, magnifice atque honorifice ibidem ſepultus eſt, in ordine Pontificum *b* duodecimo, ſatis congrue numero ſacro in tali viro defuncto: in quo Dominus miraculis variis poſtea manifeſtavit, qui hunc cum principibus populi ſui collocavit.

* de Saltzbourg.

XL. *De dæmoniaco, qui a cæmentariis ad locum ubi ſanctus Vvolfkangus obiit deductus, mox ſanus factus eſt.*

Poſt felicem ſancti Præſulis VvolfKangi exceſſum, plurimas virtutes, & ſigna oſtendere dignabatur gratia divina per illum: quorum quædam, negligentia, & oblivione faciente, ad cognitionem noſtram minime pervenerunt, quædam vero relatione fideli comperta, prout poſſumus, explicare tentabimus. Et hoc in primis dicendum, quia cum provinciales una cum civibus loci ipſius, quo ſanctus Præſul defunctus eſt, convenirent, ut meliorem & majorem baſilicam conſtruerent, (nam de lignorum materia prior erat ædificata) quadam die murali inſiſtentibus operi, quidam adductus eſt energuminus, quem artifices miſeratione divina moti apprehendentes, in illum locum, ubi ſanctus Dei famulus ſpiritum exhalavit, proſtraverunt: ubi mox per ſancti viri merita ſanitatis recepit gaudia. Deinde etiam locus ille a diverſis languentibus frequentabatur, & multi reſtitutione ſoſpitatis ſibi conſolabantur, quia, ut beatus Gregorius dicit, plerumque accidit, ut majora ibi quo ſanctorum reliquiæ non habentur proveniant miracula, quam ubi eorum recondita ſunt corpora. Greg. lib. 2. Dial. cap. 38.

a Id eſt in eccleſia cathedrali, quæ S. Petro dedicata eſt.
b Eumdem numerum habet Arnolfus, qui & Epiſcopos ſingillatim recenſet Hundius Vvolgangum tertiodecimo loco numerat. Lege quæ de Tutone Epiſcopo diximus ad annum 931.

Digitized by Google

AN.CHR. 994 31. Octob.

XLI. *De eo, qui ferro conſtrictus, ad ejus ſepulchrum venit, ſed abſolutus rediit.*

Homo igitur pauperculus quidam, qui ob criminum multorum perpetrationem circulis *a* ferreis in utroque brachio fuit conſtrictus, & ex hoc graviſſimis cotidie ſuppliciis afflictus, cum multa ſanctorum loca pro ejuſdem cruciatus remedio, commiſſiſque ſceleribus abolitione perluſtraſſet; divina tandem miſeratione reſpectus, ferri ligamen, quod in uno geſtabat brachio, per ſancti viri Adalperti *b* merita amittere meruit. Deinde etiam quoniam ſancti VvolfKangi famam per longinquas audivit regiones, ad Ratiſponam veniens, ibique ante ſepulchrum ejus orationi inſiſtens, alterius circuli cruciatu abſolutus eſt.

XLII. *Quomodo Regi Heinrico in viſione apparens, per ſenarii numeri deſcriptionem imperialem deſignaverit dignitatem.*

Heinrico Rege necdum Cæſaris vel Imperatoris dignitatem obtinente, apparuit ſanctus Vvolfkangus in ſomnis viſione tali. Viſum namque eſt ei, quod manens in ſancti Emmerammi eccleſia, accederet orandi gratia ad beati Vvolfkangi ſepulchrum in eccleſia eadem ſitum. Cumque ibidem Dominum ſanctumque Vvolfkangum precibus intimis conaretur exorare, ſubito videbatur „ ei ipſe ſanctus adſtare, & hujuſmodi verbis eum appellare. Intuere diligenter „ litteras in muro, qui eſt ſecus tumulum meum ſcriptas. *Erat autem ibi*, ſicut videbatur, ſolummodo ſcriptum: Poſt Sex. Evigilans vero Heinricus Rex tractatione diuturna ſecum revolvit pauciſſima hujus viſionis ſcripta. In primis ergo arbitratus quod poſt ſex dies eſſet moriturus, multa diſpenſat pauperibus. Cum autem ſex dierum numerus præteriret, & nil in ſe corporalis moleſtiæ ſentiret, putavit ad ſex menſes pertinere, & eadem cœpit timere. Tranſacto vero & hujus numeri ſpatio, nihilque eo infirmitatis paſſo, arbitratus eſt hunc numerum ad ſex annos pertinere: ideoque quæ & ſupra cœpit timere. Cumque ſex annorum numerus integer pertranſiſſet, & ſeptimi anni dies revolutus veniſſet, Cæſaris dignitatem per apoſtolicam ſuſcepit conſecrationem. Tunc tandem ſentiens qualis eſſet ſua viſio, gratias egit Domino, ſanctoque VvolfKango, qui ſibi talem revelare dignatus eſt dignitatem.

XLIII. *De quodam cæco illuminato.*

Quidam homo cæcitate mulctatus, ad ſepulchrum beati Volfkangi acceſſit. Cumque ibi preces uberrimas effudiſſet, ſubito viſu recepto exauditus, Domino, ſanctoque Præſuli gratias egit.

XLIV. *De muliere debili apud ejus tumulum ſanata.*

Alio quoque tempore mulier quædam debilis pro ſpe recuperandæ ſalutis deportata eſt a ſuis in eccleſiam beati Emmerammi martyris, in qua dum ante altaria reptando magis quam ambulando petitione ſedula ſanctorum exquiſiſſet ſuffragia, tandem ex labore vel ægritudine fatigata, ſecus tumulum ſancti Præſulis Vvolfkangi reſedit humi. Cumque miſella corpore ac mente inclinata, ejus precibus & meritis ſe adjuvari exoraret; ſubito lateris ceterorumque membrorum contractio nodoſa eſt ſoluta, ac tam vehementer diſrupta, ut ſanguinis effuſio difflueret in pavimento. Tunc mulier primum exterrita præ timore cœpit clamare: deinde exſiliens ſana, grates reddidit Deo, ſanctoque Vvolfkango. XLV.

a De ejuſmodi pænitentiæ genere lege Præfationem Sæculi 2. num. 41. & ſimilia exempla paſſim occurrunt his in actis Vide ſuperiorem tomum pag 72. & 215.

b Pragenſis forſan Epiſcopi, cujus acta inferius poſt hanc Vitam.

Digitized by Google

AN. CHR. 994 31. Octob.

XLV. *Item de quodam ægroto per ejus merita ſanato.*

Homo quidam nimis ægrotus orandi gratia venit in beati Emmerammi eccleſiam: ubi dum ſe ſanctorum meritis poſtularet liberari ab inhærente ſibi diutina ægrotatione, demum decubuit juxta ſancti Wolfkangi tumbam: ibique feliciter ſoporatus, quemdam virum ſtatura procerum & canicie venerandum adſtare vidit, atque ab eo dictum audivit: Ut quid tu hic? aut cujus rei gratia adveniſti? At ille reſpondit: Domine propterea huc miſer veni, ut ſaner a languoribus, quibus jam per annos plures laboravi. Tunc venerabilis heros virga paſtorali, quam geſtare videbatur, tangens eum dixit: Surge citius: ecce enim ſanus factus es. Mox qui jacebat quaſi mortuus, per merita Præſulis Wolfkangi a ſomno ægritudinis excitatus exſilivit, & præ gaudio clamans in quantum potuit, Dominum ſanctoſque illius laudavit *a*.

EXPLICIT.

DE VENERABILI MARIA

CIRCA AN. 995

ABBATISSA PRAGENSI,

Ubi de erectione ejuſdem urbis Epiſcopatus, deque DIETMARO primo Epiſcopo.

1. NON *prætereunda hoc loco eſt memoria* Mladæ *ſeu* Mariæ, *Pragenſis Abbatiſſæ, Boleslai Boemorum Ducis, cognomento Pii, ſororis, cui Pragenſis Epiſcopatus inſtitutio tribuenda eſt, uti diſcimus ex Chronico Magdeburgenſi mſ. ad cujus oram hæc legentur.*

Anno Dominicæ Incarnationis 967. Idus Julii, Dux Boemiæ, cui agnomen Sævus Bolizlaus, male mercatum fraterno ſanguine, ſcilicet beati martyris Wenezlai, Boemiæ Ducatum cum vita amiſit. Cui filius ejus æquivocus ſuus in principatu ſucceſſit, multum diſſimilis patri moribus bonis & converſatione ſpirituali. Erat enim vir chriſtianiſſimus, Fide catholicus, pater orphanorum, defenſor viduarum, & clericorum, & peregrinorum, præcipuuſque eccleſiarum fundator. Nam, ut in privilegio eccleſiæ ſancti Georgii in Praga legitur, 20. eccleſias erexit, & eas omni eccleſiaſtica utilitate ampliavit. Hujus fuit ſoror, nomine Mlada, virgo ſacra, litteris erudita: quæ cum orationis cauſa Romam veniſſet, & a Papa Joanne XIII. hujus nominis benigne ſuſcipitur: ibique aliquamdiu degens, monaſticis diſciplinis imbuitur. Dehinc Papa conſilio Cardinalium, immo volens novæ eccleſiæ ſubvenire, conſecrat eam Abbatiſſam, mutato nomine Mariam, dans ei ſancti Benedicti Regulam & abbatialem virgam. Quæ Pragam rediens, & a fratre ſuſcepta, obtulit ei litteras Apoſtolici, quarum Formula hæc fuit.

Joannis XIII. litteræ de inſtituendo Epiſcopatu Pragenſi.

„ JOannes ſervus ſervorum Dei, Bolezlao catholicæ Fidei alumno, apo„ ſtolicam benedictionem. Juſtum eſt benivolus aures juſtis accommoda„ re petitionibus, quia Deus eſt juſtitia, & qui diligunt Deum juſtificabun„ tur; &, Omnia diligentibus Deum cooperantur in bonum. Filia noſtra ſo„ ror tua, inter ceteras haud abnegandas petitiones, cordi noſtro dulces intu-

a Præter auctores laudatos in Obſervationibus præviis, quidam Monachus S. Emmerammi ſub annum 1605. forſan Othlonus, S. Wolfgangi vitam emendaſſe & ſcripſiſſe dicitur in libello, qui editus eſt in tomo 4. Analectorum.

CIRCA AN. 995 „ ſit ex parte tui preces, ſcilicet ut noſtro aſſenſu in tuo Principatu, ad Dei „ laudem & gloriam Eccleſiæ, liceret fieri Epiſcopatum. Quod nos utique „ læto animo ſuſcipientes, Deo gratias retulimus, qui ſuam Eccleſiam ſemper „ & ubique dilatat, & magnificat in omnibus nationibus. Unde apoſtolica au- „ ctoritate & ſancti Petri poteſtate, cujus, licet indigni, tamen Vicarii ſu- „ mus, annuimus & collaudamus, atque incanonizamus, ut ad eccleſiam ſan- „ cti Viti & ſancti Wenezlai martyrum fiat ſedes epiſcopalis: ad eccleſiam ve- „ ro ſancti Georgii martyris ſub Regula ſancti Benedicti, & obedientia filiæ „ noſtræ Mariæ ſororis tuæ, conſtituatur congregatio Monialium. Verumta- „ men non ſecundum ritum aut ſectam Bulgaricæ gentis, vel Ruziæ, aut Sla- „ vonicæ linguæ: ſed magis ſequens conſtituta & decreta apoſtolica, unum „ potiorem, ad placitum eccleſiæ totius, eligas in hoc opus Clericum, latinis „ adprime litteris eruditum: qui uti vomere, novalia cordis gentilium ſcin- „ dere, & triticum bonæ operationis ſerere, atque manipulos frugum veſtræ „ juſtitiæ Chriſto reportare ſufficiat. Val.

Statim, ut juſſum fuerat, conſilio Ducis & Abbatiſſæ eccleſia ſancti Viti decernitur futuro Epiſcopo; & eccleſia ſancti Georgii martyris ad præſens datur Abbatiſſæ, ſorori Ducis, Mariæ. Igitur quidam de Saxonia, vir eloquens ac litteratus, Ordine Presbyter, ac profeſſione monachus, nomine Dietmarus, olim cauſa orationis venerat Pragam: qui Duci cognitus, & amicitiam ejus adeptus, præſertim quia Slavonicam linguam perfecte ſciebat. Hunc per Legatos evocat. Tunc Clerum, & primates terræ, ac populum convocans, precibus & monitis efficit, ut eum ſibi in Epiſcopum eligant. Qua re, poſtera die peracta, ad Imperatorem Ottonem eum direxit, orans per litteras, ut in Epiſcopum Boemiis ordinaretur. Quod Imperator conſilio Principum & Præſulum conſulens Chriſtianæ novitati, fieri juſſit. Qui a Mogontino Archiepiſcopo conſecratus, in civitate Praga, modulante Clero & Duce, populoque concinente ſuſceptus, eccleſias a Fidelibus in multis locis conſtructas conſecravit, & multos gentiles baptizavit.

Dietmarus Epiſcopus.

3. *Ex his intelligimus, quantum Eccleſia debeat Mariæ ſtudio in rem Chriſtianam; quantum eidem Ordo noſter, cujus hæc in Boemia veluti antiſignana cenſenda eſt. Æneas Silvius* Miladam *vocat, Dubravius* Mladam, *ut Chronographus Magdeburgenſis. Ille Ditimarum, qui primus eccleſiæ Pragenſis creatus Antiſtes,* natione Saxonem *dicit eodem in libro, ſcilicet Hiſtoriæ Boemicæ cap.* 16. *hic* Dethmarum e Saxonia oriundum, in eademque Saxonia ſacris & religione apud ſodales Magdeburgenſes initiatum, *nempe in ſancti Joannis monaſterio, cujus proinde Monachus fuit Ditmarus.*

4. *De ejus obitu hæc lego ad marginem Chronici Magdeburgenſis ſub anno* 983. His temporibus mortuus eſt Thietmarus, Pragenſis eccleſiæ primus Epiſcopus. Interea rediens philoſophiæ de caſtris, ubi decem aut plus militaverat annis, non modicam librorum copiam referens, aderat ſpectabilis heros, nomine Wogteh, qui poſtea dictus eſt Adalbertus, adhuc Ordine Subdiaconus: qui velut tener agnus inter oves, de ſui Paſtoris morte mærentes, ſedulus exhibebat exſequias funebres, orationibus diurnis inſtans & nocturnis, & largis eleemoſynis. Quem Dux Bolizlaus & ejus Optimates in tam bono opere devotum cernentes, juvenem nimis renitentem rapiunt, & adducunt in medium dicentes: Nolis, velis, noſter Epiſcopus eris. Facta eſt autem hæc electio non longe ab urbe Praga, in opido Levigradeo, 11. Kal. Martii, eodem anno quo obiit Thietmarus Epiſcopus, qui 4. Nonas Januarii deceſſerat. Ea tempeſtate rediens de bello Sarraceno, adiit Veronam Imperator Otto ſecundus: ad quem Slavonica manus cum electo pergit Epiſcopo, ferens a Duce legationem, & Cleri ac populi petitionem, quo eorum confirmet electionem. Igitur ſereniſſimus Imperator eorum annuens petitioni, 3. Nonas Junii dat ei anulum & paſtoralem curam*: & Willegiſus Mogontinus Archiepiſcopus, qui ibi forte aderat, & cujus ſuffraganeus erat, juſſu Imperatoris conſecrat eum in Epiſcopum, vocans eum

Adalberti electio.

*ſ. virgam.

Adal.

Adalbertum. Nam Archipræſul Magdaburgenſis ADALBERTUS olim eum chriſmate confirmans, hoc nomine vocitaverat. Conſecratus 3. Idus Junii, venit in civitatem Pragam nudis pedibus, & omni plebe modulante epiſcopalem cathedram inſedit. Hujus præclari Paſtoris conſilio, & ſororis ſuæ Mariæ interventu, Dux Bolizlaus quidquid Præſul Pragenſis hodieque poſſidet, vel quidquid Abbatiſſa Maria optavit dari ſuo cœnobio, gratuita utriſque pietate conceſſit, & Canonum auctoritate confirmavit. Sciendum quod Coſmas Pragenſis eccleſiæ Decanus, cujus hæc verba ſunt, hanc electionem & conſecrationem anno Dominicæ Incarnationis 979. adſcribit: cum conventus ille poſt bellum Sarracenorum, Veronæ ab Ottone ſecundo habitus, cujus ipſe in eodem loco meminit, Dominicæ Incarnationis 983. acciderit. *Hactenus vetus auctor, qui hæc ſcripſit ante annos quingentos.* CIRCA AN. 995

4. *In hac narratione obſervanda eſt Adalberti pietas in Dietmarum defunctum: quem alter ejuſdem Adalberti vitæ ſcriptor* ab nigris ſpiritibus ad tartareum chaos *portatum dicit, idque Adalberto compertum fuiſſe. At certe immerito: quandoquidem Adalbertus ipſe* orationibus diurnis & nocturnis, largiſque eleemoſynis *ei parentavit, ab his officiis temperaturus, ſi de perpetua ejus damnatione certus fuiſſet. Iſtius Anonymi ſententia inde orta videtur, quod Dietmarus morti proximus prolixa oratione errata ſua (qui mox eſt hominum etiam piiſſimorum) exaggeravit, teſte priori Auctore: quod Auctores illi nimis crude interpretati ſunt. Certe longe aliter de eo ſentit Æneas Silvius ex communi Boemorum traditione, apud quem* Ditmarus opinione ſanctitatis inſignis *prædicatur. Porro* Tetharatus *vocatur Dietmarus ex lectione Bollandiana apud priorem illum auctorem: ubi Adalbertus dicitur conſecratus fuiſſe Epiſcopus in feſto Apoſtolorum Petri & Pauli. Non ergo* 3. Id. Junii, *ut præmiſſus Chronographus ſcribit. Quamdiu ſupervixerit Maria Abbatiſſa, nobis non liquet.*

VITA GUIDONIS II. EPISCOPI

ANICIENSIS, MONASTERII S. PETRI

eadem in urbe conditoris.

Ex Gallia Chriſtiana & tomo 2. Bibliothecæ Labbeanæ.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

Guidones ſeu Vvidones duos eccleſiæ Anicienſi ſæculum nonum ac decimum peperere. Prior anno 876. Concilio Pontigonenſi ſubſcripſit, & paullo poſt in Caroli Calvi diplomate a nobis in tractatu de Re Diplomatica edito memoratur. Alter Fulconis Boni ſeu Pii Andegavorum Comitis filius, Gaufridi Griſagonellæ frater dicitur bis in actis, quod etiam Andegavenſium Conſulum geſtis conſentaneum eſt, ubi hæc lego. Fulco tres habuit filios, primogenitum Goſfridum: alter Guido Epiſcopus Podii, tertius Drogo. *Quidam hic, loco* Griſagonellæ, Martelli *agnomen perperam ſubſtituunt, ut ex Andegavenſium Comitum ſerie manifeſte colligitur.*

Guidonis acta hic recudimus, non ea quidem adducti ratione, quod eum inter cælites adſcriptum uſpiam legerimus: ſed quia in Monaſterii S. Petri conditione, & in charta de Treuga & pace *a nobis in libro de Re Diplomatica edita, pietatis inſignis, & animi ad Deum converſi exempla ſuppeditat. Ante adeptum epiſcopatum Cormaricenſis cænobii monachus fuiſſe dicitur, ejuſdemque loci poſtmodum Abbas, uti & Villa-Lupæ, Ferrarienſis, & S. Albini apud Andegavos monaſteriorum. Ejus meminit Gregorius Papa V. in Concilii Romani fragmento veteri canonem quartum exhibente, in quo Pontifex* Stephanum, *Stephani Comitis Gabalitani & Adelbaidæ ſororis Guidonis noſtri filium,* ſanctæ Vallavenſis eccleſiæ dictum Epiſcopum, ut omni ordine ſacerdotali careat, auctoritate apoſtolica indicit, eo quod a Vvidone vivente Epiſcopo, avunculo & prædeceſſore ſuo, ſit electus ſine Cleri & populi voluntate; ac poſt ejus mortem contra Cleri & populi voluntatem a duobus tantum Epiſcopis non Comprovincialibus ſit ordinatus. *Huic tamen rei videntur obſtare Geſta Conſulum Andegavenſium. Cum enim Guidoni noſtro juniorem fratrem,*

CIRCA AN. 995 *trem, Drogonem nomine, addidiſſent, de illo ſic ferunt.* Drogo a Fulcone nimis dilectus, quia eum in ſenectute genuerat, peritia litterarum & artium liberalium edoctus, benignitate Hugonis regis in epiſcopatum Podii fratri ſucceſſit. *Hoc enim ut conſtet, oportet Guidonem noſtrum non ſolum Drogonem fratrem, ſed etiam Stephanum ſororis filium epiſcopos ante mortem deſignaſſe: quod tamen non advertit, nedum impune tuliſſet Papa Gregorius. Ad hæc Theodardus ex monacho Aureliacenſi cathedram Anicienſem tenebat anno 998. ex ſynodi Romanæ præſcripto, cujus Theodardi Silveſter Papa II. meminit. Dicendum ergo Drogonem ante Concilium Romanum male parto epiſcopatui nuntium remiſiſſe, Stephanum vero fidentiorem a Synodo fuiſſe rejectum, quæ ſane Guidonis noſtri ſanctitatem haud multum commendant. Neſcio an nebulis iſtis ne involveretur Odo Giſſeyus, utrumque fratrem Anicienſium Epiſcoporum albo inſerere refugerit. Similem forte ob cauſam ab aliis quoque prætermiſſos notant Sammarthani, qui & Guidonem poſt annum 993. deceſſiſſe, & in condito ab ſe S. Petri monaſterio quieviſſe ſubnotarunt. Ignotus depoſitionis ultima dies.*

Guido Abba Cormaricenus, 1. FUit vir quidam ex nobili Francorum progenie ortus, Guido nomine, qui providentia Dei diſponente traditus a parentibus litterarum ſtudiis, relictis ſæcularibus pompis, Monachus factus in cœnobio quod vocatur Cormariacum, viriliter militans ibi ſub Regula ſanctiſſimi Benedicti. Patre vero illius monaſterii migrante ex hac luce, fratrum concordante conſenſu, Abbas ibidem eligitur, atque juxta morem canonicum benedicitur. Sublevatus autem ita bonis fulſit moribus, ut etiam fama bonitatis ejus perveniret ad aures Regis Franciæ; cujus Rex idem innixus conſilio diſponebat quod beneplacitum erat Deo, & utile populo.

tum Epiſcopus Anicienſis, 2. Quo in tempore Anicienſis eccleſia viduata ſuo Antiſtite, a clero & populo ipſius civitatis unanimiter legati mittuntur ad Regem, ut daret illis utiliſſimum paſtorem, præfatum ſcilicet Abbatem, cui erat frater germanus nobiliſſimus Comes Gaufridus, cognomento Griſogonella. Unde Rex nimium gaviſus, convocans electum virum, multa prece monuit, tunc ut pergens ad Podium, fieret ibi animarum paſtor ſibi, & populo fideliſſimus procurator. Hæc ille audiens, nec citius conſentiens, Rege cogente, velit, nolit, fratribus valedicens, ſumptis inde ſociis ad eum miſſis Anicienſe iter aggreditur. Hoc factum audientes Pontius & Bertrandus nepotes, Aquitaniæ clariſſimi Conſules, cum matre eorum Adelaide ſorore ipſius venerunt ei obviam, ſe & ſua ei dantes: cum quibus Podium ingreſſus, fit magna proceſſio clericorum, fit grandis exſultatio laicorum, quod Deus eis talem patronum dediſſet.

Eccleſiæ res vindicat. 3. Pontificali igitur cathedra ſublimatus, cogitans aſſidue de tenendâ pace, de rebus eccleſiæ, quas vi abſtulerant raptores hujus terræ, juſſit ut omnes milites ac ruſtici de Epiſcopatu convenirent in unum, auditurus ab eis quale ſibi de regenda pace *a* darent conſilium. Ipſe vero apud Brivatenſem vicum nepotibus ſuis mandans congregare exercitum, omnibus de pontificatu ſuo ordinatis in unum in prata ſancti Germani, quæ ſunt prope Podium, quæſivit ab eis ut pacem firmarent, res pauperum & eccleſiarum, nonas, primitias ablatas redderent, ut ſic, ſicut decet fideles Chriſtianos, ita ſe haberent: quod illi dedignantes, juſſit exercitum ſuum a Brivate tota nocte venire, mane volens eos conſtringere, ut pacem jurarent, & pro ipſa tenenda obſides darent, rura & caſtella beatæ Mariæ, & res eccleſiarum quas rapuerant dimitterent: quod factum fuit Deo auxiliante.

Canonicos communi vitæ adſtringit. 4. Poſtquam vero Deus omnipotens cuncta ſibi ſubjiciens, dedit ei tranquillam & ſerenam pacem, convocavit majores eccleſiæ, dicens eis voluntatem ſuam eſſe, ut clerici ibidem Deo ſervientes haberent communiter victum & veſtitum ſufficienter. Hac de cauſa bipartita oblatione altaris beatæ Mariæ, dedit unam partem Canonicis Deo & ejus Genitrici die ac nocte ſervientibus: alteram vero reſervavit ſuis uſibus. Præterea cum Truano Decano, optimo viro, magno ingenio fecit incidi rupem, quam vocavit Aculeam, in cujus cacumine ædificavit eccleſiam in honore beati Michaelis Archangeli *b*, quam ſimiliter, prius tamen a ſe dedicatam, cum magnis appendiciis dedit prædictis Canonicis.

5. His

a Inde ejus charta de treuga & pace, edita in libro 6. de re diplomatica pag. 577.
b Ad eam 220. gradibus aſcenditur.

CIRCA AN. 995

Monaſterium conſtruit Anicii,

5. His ita compoſitis, divina inſpirante clementia, dum idem dominus Guido, ſanctæ Vallavenſis Eccleſiæ ſuperno nutu Epiſcopus, ſollicita inveſtigatione mentis arcana ſecum diſcuteret, qualiter paſtorali officio a Deo ſibi commiſſo ad utilitatem ſuarum eccleſiarum ſeu cœnobiorum, atque animæ ſuæ profectum, & ceteris quæ præſulari curæ congruere videntur, die nocteque invigilare deberet, ſemetipſum erga id officium pontificatus in multis Deum offendiſſe referens in terra, Judicis Chriſti examinatione perculſus, Domini benignum cœpit implorare auxilium, ne univerſæ carnis iter perficeret, priuſquam quicquid deliquerit pro poſſe ſatisfaceret. Unde Dei gratia ſuccurrente, cum ſtudioſe ſecum tacita cogitatione revolvens, qualiter (peccatorum) faſciculos Deo propitio deponere potuiſſet, ſibi (memoriæ) accidit, quod ut Eccleſiæ decus augeretur, per multas civitates ſint Monaſteria: ipſa vero Anicienſis cui præeſſet tali religione viduata manebat. Quocirca decus Vallavenſis eccleſiæ augmentare contendens, ut peccaminum molem ſibi internus Judex remitteret, in Anicienſi urbe cœnobium conſtituere Deo largiente diſpoſuit. Suam igitur diſpoſitionem ſuæ ſorori Adelaidæ Comitiſſæ, ſuiſque filiis, videlicet Pontio & Bertrando ejus nepotibus, & cunctorum Canonicorum collegio manifeſtavit. Cunctis hoc laudantibus, in prædicta Anicienſi urbe pro animæ ſuæ omnique Epiſcoporum, qui ante ſe in eadem urbe paſtoralem curam rexerunt, & ſuorum ſucceſſorum, necnon Stephani ſui cognati, Adalaidæ ſororis, eorumque filiorum Pontii & Bertrandi, & omnium Anicienſis eccleſiæ Canonicorum animarum redemptione, ſuorumque peccatorum remiſſione, quamdam eccleſiam ſub nomine Monaſterii ædificavit, quam in beati Benedicti honore, & in Chriſti nomine ædificavit.

in honorem S. Benedicti,

Poſtea vero quadam die ipſo domino Guidone Epiſcopo jam prædicto in Capitulo Anicienſi perſonaliter exſiſtente, dictis Canonicis ad hoc ſpecialiter vocatis, ex quorum numero erant venerabili viri Guigo Præpoſitus Anicienſis & Valentinæ eccleſiæ Epiſcopus, Truanus Decanus, Petrus ſancti Petri Abbas Vivarienſiſque * eccleſiæ præſul, Guitardus etiam Vivarienſis * eccleſiæ Archidiaconus, & Abbas Robertus, qui tunc ſanctæ Anicienſis eccleſiæ erant Canonici, cum ceterorum Canonicorum collegio in Capitulo reſidentium, per ferulam ſui pontificatus indagatricem tradidit prædictæ eccleſiæ ſeu cœnobio prædicto de ſanctæ Mariæ Anicienſis terra, cunctis Canonicis conſentientibus, in territorio * Vincenenſi quamdam villam, quæ dicitur Iſla, cum omnibus juribus & appendiciis ſuis, quæ ad Epiſcopi partem pertinere videntur, excepta dumtaxat capella quæ in ipſa villa eſt ædificata, atque in honore beati Cypriani Epiſcopi & martyris conſecrata, vivente Truano Decano: poſt cujus obitum ſimiliter dedit ipſam capellam cum toto dominio ſuo, ſive cum univerſa hereditate quæ ad ipſum pertinere videtur, quæ eſt in ipſa villa Fuſteſſina de vinea, & in villa de Thauliaco manſus unus. Rurſus de proprio prædio in Vivarienſi territorio, in villa nomine Gimellis manſos duos, quos acquiſivit de Guidone Deſiderii nepote. In alio autem loco, in territorio Vellaico, in villa quæ vulgo nominatur * Cirracius, totum quod modo ipſe dominus Guido Epiſcopus in dominium tenere videtur, videlicet prata, vineas, campos, ſilvas & appendarias duas: & in eodem Vellaico, in villa quæ Lanciacus dicitur, manſum unum, quem Roffredus Canonicus in beneficio tenebat in villa ſancti Germani, unam appendariam ad gallinas nutriendas, & in eodem Vellaico, in pago quem vocant * Fiver unam eccleſiam in honore ſancti Juliani dedicatam, ſuo Epiſcopio Anicienſi ſubjectam, a ſuis nepotibus Pontio & Bertrando accepit, eo quod jam præfatum Guigonem Præpoſitum captum violenter a beatæ Mariæ Anicienſi eccleſia Minate duxerunt. In ipſa autem civitate, cui præeſſe videtur, unum molendinum quem nonaginta ſolidis Petrus ſibi vendidit, & unum furnum quem ab Hugone Arcardi * Abbatis nepote, ob canonicam pro pretio ſexaginta ſolidorum accepit; & in ipſa civitate de terra illa, quam vulgus proprie terram ſanctæ Mariæ nominat, quam Epiſcopus ipſius loci in propriis uſibus tenere ſem-

* al. Vincacienſis udque duæ.

* al. Vincacienſis.

* al. Vivarienſi.

* al. Cunarius.

* al. Fimes.

* al. Aicardi.

CIRCA AN 995 ſemper ſolitus eſt, totam ſepulturam, & in Alverneo quoque territorio clauſum unum, quem de Gomberto presbytero centum ſolidis comparavit.

Decimam oblationum tradit. 6. Inſuper pro cunctorum utilitate laborare contendens, & ut ſui ſucceſſores indeficientem a totius bonitatis Largitore mercedem pro temporali diſpendio accipiant, ex omnibus quæ in eccleſia ceterarum Vallavenſium matre, quæ cunctis ſibi ſubjicientibus pontificali cathedra excellenti eminet, Chriſto Dei & hominum mediatori pro requie defunctorum, & ſalute vivorum oblata fuerint, decimam partem jam prædicto cœnobio tribuit, ut ita cœnobitæ ſub beati Patris Benedicti Regula in eodem monaſterio Chriſto famulantes, decimam partem ſub futuris Epiſcopis ex eorum ſemper medietate accipiant. Super hæc omnia unam integram canonicam ex quadraginta dedit: ut omnes Canonici, tam præſentes, quam præteriti & futuri, ſic in ipſa ſocietate perenne, Deo concedente, bonum valeant adipiſci. Hæc autem omnia, quæ ſupra deſcripta ſunt, ſic leguntur eo tenore, ſicut ipſe dominus Guido Epiſcopus prædicto cœnobio tradidit: ut cœnobitæ ibi degentes Chriſto Domino pro ſalute vivorum & requie defunctorum ſervientes, proprietario jure ita habeant, teneant, firmiterque poſſideant, ad ſuorum ipſiuſque cœnobii utilitatem diſpenſent: quatenus meliorando in ipſa ſemper eccleſia maneant, & numquam niſi ad Eccleſiæ & eorum utilitatem ab ipſa recedant. Canonicorum vero congregatio ut partem ſempiternæ remunerationis a Deo accipiant, pro ejus rogatu promiſerunt, ſe talem ſecuritatem pro ſtabilitate hujus prædicti Monaſterii poſt mortem ipſius Guidonis Epiſcopi a futuris Epiſcopis ipſius loci petere, & hoc pro conſuetudine ac lege teneri laudaverunt, qualem pro ſua parte altaris & communia *. Sic enim futuri Epiſcopi ipſius loci omnia, quæ Canonici ex eadem Anicienſi eccleſia in ſua parte habent, & habere videntur, & jurejurando conſervare promiſerunt: ita res hujus Monaſterii ſupradicti, ut quæ Deo propitio ibi donatæ fuerunt, nullo modo a ſemetipſis & Epiſcopis minorari jurejurando promittant.

* Sic.

Charta id firmatur. 7. Denique pro certiori ſecuritate & ſtabilitate, ut certius credatur, & firmius teneatur a ſe & a ſuis ſucceſſoribus, hanc cartulam in præſentia Canonicorum præfatus dominus Guido Epiſcopus ſcribere rogavit: quam manu propria inferius litterarum apicibus roborans, cunctis ſanctæ Anicienſis Eccleſiæ diverſorum ordinum Canonicis, quorum nomina inferius deſcripta habentur, propriis manibus firmare præcepit. Nimis enim inhoneſtum & indecens, atque omnibus bonis moribus & operibus contrarium videtur, ut quod ordinatum eſt ad eccleſiaſticam utilitatem, alter quærat perperam fundere; & quod ſuo debet ſtudio creſcere, pernicioſe tentet pervertere. Quapropter ſi inſtigante diabolo aliquis inquietare tentaverit hujuſcemodi ordinationem, non ad dexteram Dei Patris omnipotentis collocari mereatur, ſed cum Datan & Abiron, quos terra deglutivit vivos, accipiat partem hereditatis mortiferæ, & cum Juda peſſimo mercatore, adveniant ſuper eum univerſæ maledictiones, quæ ſcriptæ continentur tam in novo quam veteri teſtamento. Actum eſt autem hoc in Anicienſi civitate Idibus Aprilis, luna 17 anno Incarnationis 993. Indict. 6. epacta... concurrente 6. feliciter. Hanc cartulam firmaverunt Truanus Decanus, Guido præpoſitus, Valentinenſis Eccleſiæ Epiſcopus, Petrus Abbas Vivarienſis Epiſcopus Canonicus, Ademeus * Abbas Canonicus, Guitardus Abbas Canonicus, Theothardus Canonicus, Rofredus Canonicus, Arnaldus Canonicus, Robertus Cuſtos eccleſiæ Canonicus, Adenan Canonicus, Vibernus Canonicus, Serva Canonicus, Odolricus Canonicus, Agærinus Canonicus, Petrus Canonicus, alter Petrus Canonicus, Rohandus Canonicus, alter Bertrandus Canonicus, Hugo Canonicus, Icterius Canonicus, Arricus Canonicus, Beraldus Canonicus, Agitori Canonicus, Ganelinus Canonicus, Strocardi Canonicus, S. Adalaidæ, S. Pontii, S. Bertrandi, S. Agni Vicecomitis, S. Adegerii, S. Guilielmi, S. Bertrandi, S. Stephani, S. Prædentis, S. Ricomerii, S. Hugonis.

* al. Ademarus.

DE

Digitized by Google

DE S. GEBEHARDO EPISCOPO CONSTANTIENSI AD RHENUM.

AN.CHR. 995
28. Aug.

1. EPiſcopatus Conſtantienſis ad Rhenum complures tulit Epiſcopos ex Ordine S. Benedicti, *præter Joannem S. Galli diſcipulum, omnes tum ex Augienſi, tum ex S. Galli monaſterio: quod nonnullos ex his beneficos, quoſdam ſibi infeſtos expertum eſt. Cum enim principio Conſtantienſes Epiſcopi iidem fere S. Galli eſſent Abbates; factum eſt ut eorum ſucceſſores cœnobium iſtud jure perpetuo ſedi ſuæ ſubjicere tentaverint: cujus rei inquiſitio inter chartas ſeu formulas a Goldaſto editas reperitur num. 906. Poſt obitum S. Othmari Abbatis S. Galli a reſtitutione primi,* JOANNES monachus Augienſis, *teſte Ratperto,* Conſtantiæ Epiſcopus ordinatus, amborum regimen ſuſcepit cœnobiorum. *Abbatem Sancti-Gallenſem fuiſſe ante pontificatum colligitur ex charta 43. quæ data eſt* anno 10. regnante domno Pippino. *Nec prætereunda eſt inter alias charta 12. inſcripta* Joanni Epiſcopo & Abbati una cum Monachis ſuis ſub norma SANCTAE REGULAE BEATI BENEDICTI conſtitutione degentibus. *Data anno 12.* regente Karolo. *Quod obſervare viſum eſt ad revellendam quorumdam ſuſpicionem de alia Regula eidem loco poſt reſtitutionem impoſita: quam ſuſpicionem alii etiam Auctores, a nobis alias memorati, abunde refellunt. Poſt Buſonem Joannis ſecundi ſucceſſorem, Conſtantiæ ſedem obtinuit* ERENFRIDUS *Abbas Augienſis. Hunc excepit* SIDONIUS *ejuſdem loci monachus, Sancti-Gallenſibus infeſtus: Sidonium* JOANNES *tertius, & ipſe Abbas Augienſis: cujus tempore Augienſes & Sancti-Gallenſes a Carolo M. eligendi Abbatis libertatem obtinuerunt. Mortuo Eginone Joannis ſucceſſore, Conſtantienſem eccleſiam rexit* VVOLFLEOS *ex S. Galli monacho, cujus monachi charta exſtat ordine 26. data* anno 15. Ludovici Regis. *Poſt eum ſederunt Salomon I. Patecho, Cebehardus I. & Salomon II. quos monachos fuiſſe non video. Salomoni ſecundo ſucceſſit Salomon tertius, Abbas S. Galli primum ſæcularis & Frater conſcriptus, deinde monachus, ac demum Epiſcopus Conſtantienſis, mortuus anno 919. Ejus ſucceſſor Notingus anno 934. locum fecit Conrado Epiſcopo,* GEBEHARDI *ſecundi deceſſori, quem Gebehardum Vvion, & Menardus noſtris adnumerant.*

Epiſcopi Conſtantienſes ex monachis.
Joannes 2.
Erenfredus & Sidonius
Joannes 3.
Vvolfleos.
Salomon 3.
an Gebehardus 2.

2. *Sed antequam de eo dicere incipio, mibi videtur obſervanda formula, qua Conradus inter Fratres conſcriptos S. Galli receptus eſt. Formula hæc apud Goldaſtum ita habet in tomo 2. pag. 183.* Anno poſt incarnationem Verbi divini 968. Indictione 12. imperante ſereniſſimo Cæſare Ottone I. exſpectabilis excellentiæ vir domnus Chunradus Pontifex Conſtantienſis eccleſiæ venerandus, venit ad monaſterium S. Galli, cui tunc Abba probatæ ſanctitatis PURCHARDUS præfuit, cauſa orationis, & pro redintegranda conditione divinæ ac fraternæ dilectionis, quam pridem cum Abbate ejuſdem cœnobii Thietone, & poſtmodum cum religioſo ſucceſſore ejus Cralone fecit, Fratribus uniformi conſpiratione concordantibus, ut ob amorem ejus ac multimoda munificentiæ ſuæ beneficia, tum privatis ſpecialiter, tum in commune bonum univerſaliter collata, tam ſingulari, quam generali oratione ſemper ejus memoria ab omnibus frequentetur: annonam quoque Fratribus conſtitutam pro ſalute corporis atque animæ ejus pauperibus cottidie erogandam, quouſque vitæ hujus conſummaverit curſum. Et poſtquam Deo vocante exutus, terræ corpus, cælo ſpiritus reddatur, ad anniverſarium & inſuper trigeſimum depoſitionis ejuſdem firma ratione devoverunt: quod uſque hodie Deo gratias expletum, & indefugabili devotione obſervandum tenetur. Tempore vero prænotato, id eſt ſabbato ante Dominicam Indulgentiæ, idem eximius Præſul eumdem ſanctum locum ingrediens, honorifice ſuſceptus, ut dignum erat, craſtinum diem crucem cum ramis palmarum tollendo, Dominum ſequendo, Miſſas ſpiritaliter celebrando, quam plures de Monachis & de clero diverſis gradibus ſalubriter ordinando, viam mandatorum Dei cunctis generaliter mira ac paterna doctrinæ prædicatione oſtendendo, innumeros etiam utriuſque ſexus unctione chriſmatis ſanctæ Fidei aggregando, in divinis laudibus lætus exegit. Die autem tertia congregatis ad collationem Fratribus, ipſe invitatus eo, ſtetit in medio Fratrum, memorans, licet bene recolentibus, qualia & antea polliciti ſunt: & ut denuo fraternitatis communio renovetur, petiit ut in oratione, quæ omni die fit in baſilica S. Petri ab omnibus pro Imperatore, pro ceteris benefactoribus & tutoribus noſtris, ei ſpecialiter pro vinculo charitatis pſalmus 142. canatur; & in eadem Miſſa, quæ ibi fit pro defunctis, tres miſſales orationes illo tamen vivo, quaſi eſſet defunctus, agantur. *Hactenus formula, in qua duo conſideranda ſunt. Unum, Ordines ſacros in Dominica Palmarum, quæ* Indulgentiæ *vocatur, a Conrado fuiſſe collatos: quod nuſpiam legere memini. Alterum, tres orationes de defunctis pro eo adhuc vivente,* quaſi eſſet defunctus, *in Miſſa quotidiana recitatas. De eodem Conrado facta eſt mentio ſupra in Actis S. Udalrici Epiſcopi Auguſtani.*

Conradus inter Fratres conſcriptos S. Galli.
Duo notanda.

3. *Conrado ſuffectus eſt* GEBEHARDUS, *quem Hepidannus* Kebehardum *vocat.* Anno 985. Kebehardus Epiſcopus efficitur. *At præferenda videtur ſententia Hermanni, qui Gebehardi pontificatum ſex annis prævertit his verbis:* Anno 979. Conſtantiæ Gamenolfus Epiſcopus obiit: eique

Gebehardi acta.

Digitized by Google

AN. CHR. 995. 28. Aug.

eique Gebehardus nobilis & venerabilis Præſul ſuccedens, 16. annis eccleſiam rexit: *qui baſilicam S. Gregorii in ripa Rheni*, Abbatiamque ſuis ex prædiis conſtruxit. Jam dicitur Petri domus *. *Et hanc quidem cauſam eſſe puto, quod Gebehardus in faſtos noſtros relatus ſit, nempe ob conſtructionem Abbatiæ Ordinis noſtri: nam in tota ejus Vita nihil de monaſtica ipſius profeſſione legitur, neque apud alios idoneos auctores. Hæc Vita duobus libris a Felice Manilio,* ex antiquorum relatione & traditione anno Domini 1511. *conſcripta eſt, qualem eam ex chartis mſſ. monaſterii Petershuſenſis anno* 1604. *publicavit Henricus Caniſius: quæ denuo in Chronico Conſtantienſi a Joanne Piſtorio recuſa eſt anno* 1654. Gebhardus nobiliſſima Alamannorum ſtirpe, patre Uzone Rætianorum Comite oriundus *dicitur. A beato Conrado Conſtantienſi Epiſcopo educatus, poſt Gaminolfum Conradi ſucceſſorem (quod ſanctus ejus alumnus ei prædixerat) in ſedem ejus eccleſiæ provectus eſt.* Anno Dominicæ Incarnationis 983. epiſcopatus autem ſui 4. ſuis ex prædiis monaſterium S. Gregorii Papæ in ripa Rheni fluminis juxta Conſtantiam civitatem conſtruxit, deputatis illic duodenis Fratribus. Situs autem templi ad occidentalem plagam verſus eſt, ſecundum formam baſilicæ Principis Apoſtolorum Romæ conſtructam formatum eſt: propter quod eumdem locum Petri domum appellavit. Decimo anno eccleſiam in honore S. Gregorii dedicavit, eamque multiplicibus & magnificis ſanctorum reliquiis cumulavit: inter quas etiam brachium S. Philippi Apoſtoli ab Ottone tertio Imperatore ſibi cum aliis plurimis condonatum, ſummo ſtudio ibidem collocavit. *Poſtea Romam profectus, a Joanne Papa XV. impetravit libertatis privilegium, quod refertur in eadem Vita, ex qua hæc carptim deprompſimus. Quin etiam* caput ſanctiſſimi Papæ Gregorii *ab eodem Pontifice obtinuiſſe dicitur. Sed uno ante ſæculo Anſegiſus Archiepiſcopus Senonenſis iſtud a Joanne VIII. acceperat, teſte Clario in Chronico S. Petri Vivi, in tomo 2. Spicilegii pag.* 716.

* Petershauſen.

Monaſterii S. Gregorii conditio.

4. *Ad hæc quædam de iſtius cœnobii conditione referuntur in Chronico Conſtantienſi: ubi Gebhardi Canonici donatio adducitur, eccleſiæ Conſtantienſi facta ex rebus ſuis: cujus rei charta ſic habet.* Noverint omnes tam præſentes quam futuri, quod ego Gebharc ſanctæ Conſtantienſis eccleſiæ frater indignus, cogitans pro remedio animæ meæ.... cum conſenſu fratrum meorum & Advocati mei Udalrici (*ſic in ejuſmodi donationibus Alemannicis interveniebat Advocati facultas*) juris mei proprietatem, quam parentum ſucceſſione in *locis Oberndorf....* dignoſcor habere, trado ad ſanctæ prædictæ Conſtantienſis eccleſiæ cœnobium, Fratribus Deo ibidem aſſidue famulantibus, cui vir ſummæ religionis & doctrinæ Conradus Epiſcopus regimine ſpeciali præfectus eſſe videtur: ea tamen conditione, ut ego eamdem ad me recipiens proprietatem, vel alius ejuſdem fraternitatis, quemcumque voluerit cenſum inde perſolvat ſingulis quibuſque adhuc in poſterum annis feſtivitate ſancti patris noſtri ac venerabilis Papæ Gregorii prædictis Fratribus, ſicut canonica monſtrabit regula, ſumat. Acta Conſtantiæ 4. Idus Martii, præſente & confovente prædicto Advocato Udalrico, necnon & aliis teſtibus, *&c. Ubi vides magnam Gebehardi in Gregorium M. venerationem. Addit Chronographus, Gebehardum re vera hæc prædia in beneficium recepiſſe, quæ poſtea Epiſcopus factus eidem eccleſiæ reſtituit, ea conditione,* ut ter in anno cum ſollemni proceſſione ipſum monaſterium adeant, ſingulíſque vicibus pro ejus anima Miſſam cantent; & inſuper in feſto S. Gregorii publicam de eo feſto Miſſam decantent, Monachique chorum regant, & ad altare miniſtrent, atque a Clericis ea die de ſupra dictis prædiis duo talenta & quinque ſolidi ad ſervitium dentur. *In eccleſia monaſterii* cryptam fecit ab occidentali, in qua aquæ puteum fodit, & altare S. Martini in ea collocavit, quod poſtea Gebhardus tertius deſtruxit. Super cryptam ſanctuarium fecit, ubi altare principale in S. Gregorii honore conſtituit, ſuper quod ciborium nimis ſpecioſum fabricavit. Cum igitur columnas quatuor de ligno ilicis feciſſet, & *figuram* vitis in eo fabricari diſpoſuiſſet, *oppidanos Conſtantienſes induxit ad ferendas ſuppetias in earum ornatum: quod & fecerunt. Unde* columnas argento veſtivit, eaſque ſuper baſes *lapideas* decentiſſime ſculptas conſtituit: ſupra ipſaſque columnas arcus quatuor poſuit, quas a parte una ex aurato argento, ex altera autem deaurato cupro veſtivit. Super arcus autem & columnas tabulam poſuit magnitudinis tantæ, ut totum operiret ciborium, in medio feneſtram habens rotundam, & ipſam in circuitu intrinſecus aurato cupro opertam: interius autem marginem habebat prominentem, quam argento veſtivit. Ipſa autem tabula erat per totum ex inferiori parte aurato cupro decenter operta, habens quatuor Evangeliſtarum imagines elato * opere in tranſverſum; cui per quatuor partes erant laminæ affixæ argenteæ, & in unoquoque latere conſcriptus erat verſus unus aureis litteris deſcriptus qui ſequitur.

Ciborium.

* f. cælato.

Hoc opus exiguum diverſis artibus actum
Fert tibi, Gregori, ſupplex devotio ſervi
Præſulis indigni, quem tu cum plebe fideli
Conjungas turmis precibus, Pater alme, ſupernis.

Ædificia quoque plurima fecit hic venerandus Antiſtes admodum pretioſa, tam in choro, quam in eccleſia & circa altare, quæ per quoſdam Abbates poſtea immutata ſunt, quædam etiam vetuſtas auferebat. Præſertim enim muri baſilicæ erant ex omni parte pulcherrime depicti, ex ſiniſtra veteris teſtamenti materias habentes. Venetiarum namque Epiſcopus modium plenum graici coloris, qui Lazurius dicitur, contulit: quam picturam Conradus Abbas ex toto deleverat, quoniam antiquitas jam abſtulerat decorem. *Hæc fuſius retuli ex prædicto Chronographo Conſtantienſi ad exhibendum eorum temporum ornatum eccleſiarum.*

5. Obiit

Digitized by Google

5. Obiit ſanctus Gebehardus, *inquit Chronographus*, *6. Kal.* Septembris anno *996.* ſepultus in baſilica ſancti Gregorii a ſe conſtructa. *Eoſdem annum & diem Manilius: at Hermannus annum præcedentem aſſignat his verbis:* Conſtantiæ Gebehardus Epiſcopus venerabilis obiit, & in baſilica ſancti Gregorii Papæ a ſe conſtructa ſepultus quieſcit: eique LANTPERTUS, habitu & profeſſione monachus, in Epiſcopatu ſuccedens præfuit annis 23. qui templum ſanctæ Mariæ ex parte diruens ampliavit. *Hæc ſufficiant de Gebehardo conditore inſignis monaſterii Gregoriani, cujus prima colonia, teſte Bruſchio, ex Cella-Meginradi educta eſt ſub Beringero primo Abbate. Hanc coloniam ex eo loco ſubmiſit ſanctus Gregorius Abbas, de quo mox agendum.* AN.CHR. 995 27. Aug. Gebchardi obitus.

V. GREGORII ABB. EINSIDLENSIS

AN.CHR 996 8. Nov.

ELOGIUM HISTORICUM.

1. M*Agnopere dolendum eſt, quod Vitam hujus Abbatis* Gregorii, *quem in ſuperioribus non ſemel laudavimus in Bennone & Eberhardo, nemo veterum ad poſteros tranſmiſerit. Nam ex reliquis iſtius ævi monumentis apparet magnum virum fuiſſe, cujus acta multum profuiſſent ad documentum & exemplum poſterorum. Sed hoc diſpendium utcumque ſarcire conabimur, contexendo ejus Elogio ex priſcis monumentis, quorum bonam partem Chriſtophorus Hartmannus in Annalibus Eremi Deiparæ Matris accurate retulit.* Vita non ſcripta.

2. *Sed principio quædam præmittenda ſunt de* Thietlando *Abbate ejus deceſſore, qui Eberhardum Abbatem primum excepiſſe memoratur. Etſi enim Hermannus Contractus in vulgatis libris Thietlandum primum dicat, aliud tamen nobis perſuadent Ottonis litteræ ſuo loco a nobis memoratæ, in quibus Otto Eberhardum Abbatem vocat. De Thietlando ita legitur in Chronico Hermanni Contracti, prout a Caniſio vulgatum eſt, & in veteri codice ante annos trecentos ſcripto:* Anno 945. Tietlandus Patuen: *id eſt* Pater venerabilis, primus Abbas loci. *Fortaſſe hunc ſibi viventi ſubſtituit Eberhardus, ne qua fraus in eligendo poſt ſuum obitum ſucceſſore intercederet: quod aliis in locis paſſim iſto ſæculo actitatum. Idem Auctor ad annum* 947. Thietlandus Abbas monaſterii Eremitarum, qui fecit gloſſam ſuper epiſtolas ſancti Pauli. *Burchardi Alemanniæ Ducis fratrem Hartmannus appellat, idemque refert Ottonis diplomata duo poſt Eberhardi mortem Thietlando conceſſa: quorum primo Rex* quaſdam res juris *ſui* in Ducatu Alamannico, in Comitatu Burckardi Ducis, Turgovve nuncupato, in villa Aſchinza * talem proprietatem, qualem Gundramus Comes in ipſo loco obtinuit, ſibique ob perfidiam ſui reatus juſto judicio publice in jus regium eſt dijudicata, ad monaſterium Meginrades cellam in proprietatem condonat, 8. Id. Janu. anno Inc. Domini 959. Indict. 1. Actum Polithe. *Guntramnus iſte majeſtatis damnatus erat, quod Liutolfo, adverſus Ottonem patrem rebellanti, adhæſiſſet. Aliud Ottonis diploma rogatu Burchardi Ducis, eximii poſt Hermannum Monachorum Einſidlenſium fautoris confirmat libertatem eligendi Abbatem, Eberhardo nuper conceſſam. In eo autem diplomate locus vocatur primum* Erberhardes-cella, ubi idem prædictus Domnus Eberhardus heremita eccleſiam in honore Dei genetricis Mariæ & ſancti Mauricii, ceterorumque Sanctorum Dei a fundamentis ædificavit, ac cetera ædificia monachis ad inhabitandum conſtruxit. Lutolfus Cancellarius ad vicem Wilhelmi Archicapellani ſubnotavit 3. Non. Febr. anno Dominicæ Inc. 961. Indict. 4. Actum Ratisbona *Thietlandus obiit anno* 964.

Thietlandus deceſſor ejus.

*Eſchantz.

3. *Venio ad Gregorium, qui apud vulgatum Hermannum, anno* 949. *ad Cellam-Meginradi venit.* Nobiliſſimus *ibidem appellatur: quo titulo Regum filii non raro ab antiquis inſigniti ſunt. Et quidem Gregorium ex regia Anglorum ſtirpe progenitum ferunt, Adelſtani Regis fratrem & Etgidis, quæ Ottoni M. primis nuptiis locata, Liutolfum peperit. Trithemio in Chronico Hirſaugienſi* filius

Gregorius Anglus nobiliſſimus.

Trithem. ad ann. 956.

AN.CHR 997 1. Nov. filius Regis Angliæ *appellatur*. *Sane* ex Anglorum ſtirpe *procreatum memorat anonymus ſcriptor in libro de vita ſancti Wolfgangi Epiſcopi Ratiſponenſis ſuperius relatus: cujus auctoris egregium teſtimonium hoc loco adduci operæ pretium eſt. Ait itaque auctor iſte, Wolfgangum adjunctis ſibi duobus adoleſcentibus concepiſſe deſiderium vitæ religioſæ*. Quod ut Deo præſtare poſſet, propter arctiorem monaſticæ diſciplinæ obſervantiam, ad Monaſterium Solitariorum, in Hercinia ſilva habitantium, profectus eſt. Ei monaſterio tum præerat religioſus & ſpiritalis Pater, ex Anglorum ſtirpe procreatus, Gregorius, qui in juventute patriam, parentes, & feminam ipſi deſponſam reliquerat, & monaſticum vitæ genus complexus fuerat: cujus vitam virtutibus ornatiſſimam, ne ab inſtituto deflectamus, hic pertexere nolumus. *Utinam id præſtitiſſet Anonymus ille! cui certe magnam habemus gratiam, quod Gregorii patriam, ſtirpem, conjugium, & virtutes paucis verbis nobis indicavit. Ut vero Gregorio genus regium tribuamus, cum tamen Adelſtani fratrem haud fuiſſe conſtat ex omnibus Scriptoribus Anglicanis, quorum plerique quatuor tantum filios, præter filias, Edvvardo Adelſtani patri aſſignant, Adelſtanum ex Egvvina concubina; Edvvinum, Eadmundum, atque Edredum ex Edgiva. At Willelmus Malmesburienſis monachus, ceteris accuratior, tres Edvvardi uxores numerat, & quinque ex eis filios, nempe Ethelſtanum ſeu Adelſtanum ex Egvvina; Ethelvvardum atque Edvvinum ex Elfleda, ex Edgiva Eadmundum & Edredum, nulla Gregorii mentione facta: cujus neque fortuna, uti nec nomen, ulli prædictorum convenit. Quidquid ſit, Gregorium Anglum, & quidem nobiliſſimum fuiſſe ex prædictis conſtat, & ſe in Einſidlenſe monaſterium recepiſſe anno* 949. *poſtquam Romæ in Cælio-monte monaſticam vitam inſtituiſſet, ut poſtea dicemus.*

Varia privilegia impetrat. 4. *Ex omnibus Gregorii factis ea ſola reſcimus, quæ ex variis inſtrumentis ab Hartmanno relatis colligere poſſumus. Nam ut ne quid dicam de litteris Leonis Papæ VIII. de conſecratione eccleſiæ Einſidlenſis, inſigne mihi videtur Ottonis diploma primum in commendationem Gregorii, qui vivens vocatur* ſanctiſſimus vir, cunctis virtutibus pollens. *Ita enim Otto loquitur.* Noverit omnium fidelium noſtrorum ſollertia, qualiter Burchardus Dux noſtram deprecatus eſt clementiam, quatenus pro Dei amore, loco qui vocatur Meginrades-cella, ubi Domnus Eberhardus eremita eccleſiam in honore ſanctæ Mariæ ſanctique Mauricii, ceterorumque ſanctorum Dei, Hermannique Ducis adjutorio, a fundamentis ædificavit, & cetera ædificia Monachis ad habitandum conſtruxit, cui prius præerat beatæ memoriæ vir illuſtris Eberhardus, quem & modo ſanctiſſimus vir, cunctis virtutibus pollens, Gregorius nobiliter regit, & Monachis Deo ibi ſub regulari diſciplina militantibus præeſt, privilegium noſtræ auctoritatis, quam ceteris Monachis conceſſam habemus, electionemque concederemus. *Annuit Imperator, jubetque*, ut poſt obitum venerabilis præfati Abbatis Gregorii, Monachi ejus qui ſupervixerunt, monachicamque vitam Deo auctore in præfata Cella obſervaverint, ac illorum ſucceſſores, amodo & deinceps firmiſſimam habeant poteſtatem eligendi quemcumque inter eos Abbatem voluerint. Data 10. Kal. Febr. anno Dominicæ Incarnat. 965. Indict. 8. regnante Domno Rege Ottone anno 22. imperatoriæ autem poteſtatis anno 2. Actum in Sindliezeſovvo.

5. *Eodem anno & die, cum creſcente Monachorum numero, loci facultates alendæ multitudini non poſſent ſufficere; pietate & religione mota Adelheidis Auguſta Ottoni auctor fuit, accedente etiam Burchardi Ducis & Hartberti Curienſis Epiſcopi ſuffragio, ut ſufficientes redditus ſuppeditaret, conferendo Uffenovvam * inſulam, lacui Tigurino vicinam, cum aliis prædiis adjacentibus. Sed quia inſula hæc juri & dominio Antiſtitis Seckingenſis ſubjacebat, ſolumque uſum-fructum a Bennonis tempore Eremitæ iſti Einſidlenſes perceperant; alia prædia Seckingenſibus Otto regia liberalitate refudit, uti teſtatur ejus diploma, in quo hæc leguntur.*

* Uſnavv.

Noverit omnium fidelium noſtrorum.... induſtria, qualiter dilecta conjunx

no-

Digitized by Google

noſtra Adelheida noſtræ ſerenitatis excellentiam deprecata eſt, quatenus eccleſiam ſanctæ Mariæ, in Cella Meginradi eremitæ conſtructam, Deoque dicatam ſublevaremus: hujuſmodique precibus aſſenſum præbentes, ipſius interventu & Purchardi noſtri Ducis, necnon Haritperti Antiſtitis noſtri conſolatu*, ob æternam remunerationem & remedium animæ noſtræ, quaſdam res juris noſtri prælibatæ eccleſiæ Abbati Gregorio, ceteriſque ſervis Dei ſecum nunc & in poſterum per ſuccedentia tempora in præfata Cella Deo militantibus, ex integro condonavimus, cum omnibus ad eaſdem res Uffenovva juſte & legaliter pertinentibus in Ducatu Allemannico, in Comitatu Zurichgovve..... Hæc videlicet præſcripta loca, quadam proprietatis noſtræ curte in Comitatu Adelberti Rhætia vocato, Scana dicta, cum eccleſia & omnibus pertinentiis ejus, necnon in eodem Comitatu Portum-Rivanum, navigium cum naulo, per concambium legitimæ transmutationis de Abbatia Seckchinga perpetualiter commutavimus.... Data 10. Kal. Feb. anno Inc. Domini 965. Indict. 8. Actum in Augia. *Ottonis Magni memoria ſollemnis ob benefactorum recordationem apud Einſidlenſes agitur* 8. *Idus Maji, tametſi Nonis exceſſit e vivis.* ÂN.CHR 997 8. Nov.

*id eſt conſultu.

6. *Alia diplomata numero undecim, Gregorio ab Imperatoribus Ottone ſecundo & ejus filio æquivoco conceſſa, producit Hermannus: quorum aliis anteactæ donationes confirmantur, aliis novæ conferuntur. Primum eſt confirmationis, datum* 19. Kal. Septemb. anno 973. Indict. 15. Actum in ſancti Galli monaſterio ciſalpino. *Secundum eſt exemptionis a vectigalibus* in Turego civitate *perſolvi ſolitis*, Actum Augiæ inſulari 16. Kal. Septemb. *ejuſdem anni. Hæc duo vivente patre, ubi ſe coimperatorem dicit. Tertium eſt confirmationis*, Actum Eriſtein 7. kal. Janu. anno 975. Indict. 4. *Quartum eſt confirmatio liberæ electionis Abbatis, datum ibidem eodem die & anno. Quinto confirmantur donationes ab Ottone patre factæ in Quadravedis cnm nova acceſſione*, 18. Kal. Feb. anno 979. Indict. 7. Actum in Eriſtein. *Sextum eſt confirmatio commutationis, datum ibidem eodem die & anno. Septimi argumentum eſt nova donatio ab Ottone facta de Berovia, Vangenſi capella & aliis prædiis: ubi notanda hæc verba in Gregorii commendationem*. Omnibus... patere volumus, qualiter nos divinæ retributionis præmia proſpicientes, ob petitionem & interventum Gregorii cujuſdam Abbatis religioſi monachi, ad Abbatiam ſuam, cui ipſe regulari vita & imitando digne exemplo præſidet, in loco qui dicitur Meginrades cella &c. Data 4. Kal. Feb. anno 980. Indict. 6. Actum in Helpite, *Hactenus diplomata Ottonis ſecundi, Octavam; quod eſt Ottonis tertii primum, rogatu Theophanæ ejus matris & Conradi Alamannorum Ducis conceſſum, ratas habet anteriorum Imperatorum largitiones, apud* Ingilenheim, 6. Kal. Novemb. anno 984. Indict. 13. *Nonum eſt confirmatorium datum* 9. Kal. Febr. anno 992. Indict. 5 Actum Franconvvrti. *Decimo rata habetur commutatio facta inter Hildebaldum Epiſcopum Wormatienſem & Gregorium Abbatem*. Data 5. Id. Decemb. anno 995. Ind. 8. *ibidem. Undecimum denique, Ottonis tertii quartum, ſolito Adelheidis aviæ & Conradi Ducis favore indultum*, prid. Kal. Novemb. anno 996. Indict. 10. Actum in Broxole, *id eſt Bruxellis. Ex quibus omnibus liquet, quanta fuerit Gregorii apud Imperatores auctoritas, quanta in res monaſterii ſui ſollicitudo. Utinam tantum curam de rebus ab eo pie geſtis habuiſſent poſteri, ut non eſſet neceſſe nos in his minutiis, cum meliora deſint, occupari.*

7. *Inter hæc pia facta cenſenda eſt informatio cœnobii ſancti Gregorii prope Conſtantiam, ita, ut ſuperiori anno diximus, fundati a Gebehardo Epiſcopo, de quo hæc leguntur ex mſ. codice apud Hartmannum*. De Cella quoque ſancti Meginradi, quæ dicitur ad Solitarios ſuos, monachos ſanctus Gebehardus normam vivendi & regimen habere decrevit, quoniam monachi illius cœnobii tunc temporis fuerunt famoſiſſimi. *Coloniam iſtuc ex Cella Meginradi ſub primo Abbate Beringero eductam fuiſſe Bruſchius tradit. Tres ejuſdem loci Abbates, Waltarium, Sigifridum, & Adelbertum, indidem acceptos fuiſſe ex Actis Gebehardi* Hart- Gebehardo coloniam ſuppeditat.

Digitized by Google

AN.CHR 996 8. Nov. *Hartmannus commemorat. Ex eodem Meginradi cœnobio acciti ſunt Monachi primi, qui Murenſe monaſterium inſtituerunt ſæculo ſequenti, ut in Murenſi hiſtoria legitur, Spirembergii edita anno* 1618. *Inde etiam eodem ſæculo accepti ſunt Monachi ad celebrem reformationem monaſterii Hirſaugienſis, quam* Tritbemius *memorat in Chronico ſuo Hirſaugienſi.*

Vvolfgangum ſuſcipit. 8. *Sed nihil magis Gregorium commendat, quam ſuſceptio & in monaſticis inſtitutis eruditio Vvolfgangi Epiſcopi ſanctiſſimi, qui* arctioribus regulis implicari deſiderans, in Suevia apud cœnobitas, qui Solitarii vocantur, monachum profeſſus eſt, *uti Arnolfus ex Comite monachus tradit, & nos ex eo & ex Anonymo ſupra, ubi de ſancto Vvolfgango. Hoc factum aliaque, quæ hactenus attigimus, paucis comprehendit codex Einſidlenſis, ex quo Hartmannus iſta deprompſit.* Gregorius de Anglorum Regibus ortus, nuptiis ſibi paratis, nocte a conjuge ſua pro Dei amore aufugit; & Romæ in Cælio-monte monachus factus, & diu incluſus, Angelo tertio ſibi præcipiente, omnibus incognitus huc advenit; & poſtea hic Abbas effectus, & angelicam vitam ducens hic obdormivit. Sub quo etiam ſanctus Vvolfgangus Ratiſbonenſis Epiſcopus hic eremiticam vitam duxit, & iſtic Decanus exſtitit, & cauſa prædicationis ad Bavarorum converſionem ab eodem ſuo Abbate miſſus eſt.

Obiit piiſſime. 9. *Gregorii obitum paucis explicat Hermanni Contracti vulgatum Chronicon ad annum* 996. Gregorius ſanctus Abbas obiit. *Et quidem* 6. *Idus Novembris, ut in epitaphio ejus cecinit Vvirandus ſucceſſor,* 6. *Kal. Januarii inſtitutus, qui ad Gregorii ſepulchrum in fornice concamerato pone ſancti Mauricii altare hos verſus inſcribi curavit.*

Abbas Gregorius laudum ſplendore coruſcus,
Flos Anglæ ſtirpis, præcipuus meritis,
Idibus in ſenis animam reddendo Novembris,
Spiritui cælum, oſſibus hunc tumulum
Promeruit, digna factis mercede rependa.
Nunc fruitur ſummo lætus ovanſque bono.
Creditur angelicis pſyche * ſubvecta miniſtris
Gregorii patris ſedibus æthereis.

* id eſt anima.

10. *Poſteaquam hæc ſcripſeram, contigit nos in Germaniam rei litterariæ cauſa (ut jam dictum eſt) proficiſci, atque adeo in monaſterium Einſidlenſe, religione, & fama celeberrimum, in quo centum religioſiſſimæ vitæ monachis præeſt illuſtriſſimus Abbas, idemque Princeps, Auguſtinus Redingus, libris editis non minus, quam genere clarus. Ibidem exſtat Bibliotheca inſignis, libris referta exquiſitis, cum editis, tum manu exaratis, ſub doctiſſimo cuſtode Placido, Principis germano fratre, qui nos ad ſanctum Gallum multa cum humanitate deduxit. Inter varios codices unum vidimus, in quo continentur Annales breviſſimi ad cyclos paſchales: quibus ex Annalibus referenda ſunt quæ ſequuntur ad noſtrum inſtitutum.*

957. Eberhardus Pater obiit.

958. Gregorius Abba effectus eſt. Rambertus monachus efficitur. *De Thietlando Abbate nihil. Rambertus vero, cujus hic mentio, is eſt, de quo in veteri Kalendario:* 3. Kal. Aprilis Rambertus Presbyter effectus eſt.

985. Ruodman Abba obiit. Vvitegovvo Augiæ Abba præficitur.

986. Cellæ beati Meginradi baſilica aucta eſt.

987. Etich Auguſtæ civitatis Epiſcopus obiit. Tuto Epiſcopus ſucceſſit. Hilteradus & Albericus monachi obierunt. Regilo Comes obiit.

988. Item Regilo, filius ejus, Comes obiit.

990. Landoldus Comes obiit. Manegoldus Comes obiit. Erchanbaldus Epiſcopus obiit. Bernharius monachus obiit.

991. naſcitur Berchtoldus Herimanni filius, qui in beati Cella Meginradi baptizatus, & ab Abbate Gregorio fonte ſuſceptus eſt.

993. Hadevig Dux obiit.

994.

Digitized by Google

994. Henricus Dux Bavariorum obiit : filius ejus Henricus ſucceſſit. VvolfKangus Epiſcopus obiit. *Hic deſinunt iſti Annales.* AN.CHR. 996 8. Nov.

Ex alio codice item ad cyclos paſchales juvat adnotare ſubjecta.

972. Vvolfkangus monachus ad Ungaros miſſus eſt, qui ſecundo anno Radeſponenſis Epiſcopus ordinatus eſt.

980. Gamenolfus Epiſcopus (*Conſtantienſis*) obiit : & Gebehardus a Fratribus electus ordinatus eſt.

990. Adalbertus Renaugiæ Abba miſerabiliter occiſus eſt. Hug. Vvizíburgenſis Epiſcopus obiit.

994. Vvolfgangus Radeſponenſis eccleſiæ Epiſcopus obiit : cui Gevehardus ſucceſſit.

995. Gevehardus Conſtantienſis Epiſcopus obiit : cui Lantbertus monachus ſucceſſit.

996. GREGORIUS divæ memoriæ Abba obiit. *&c.*

10. *Hæc ex vetuſtis Einſidlenſibus monumentis eruere viſum eſt, ad faciendam fidem vulgato Hermanni Contracti chronico, cujus exemplaria mſſ. variant. Nam in exemplari ſcripto anno* 1356. *leguntur ea, quæ de monaſterio Einſidlenſi, ejuſque Abbatibus habentur in vulgatis apud Caniſium libris, nuſquam vero in antiquioribus eadem offendimus. Neſcio an etiam hæc reperiebantur in eo exemplari ad cujus modum ille deſcriptus eſt, uti fidem facit inſcriptio, codicis initio præmiſſa in hunc modum.* Iſtum librum fieri procuravit Hermannus genere de Arbona, Abbas hujus monaſterii Fabarienſis, anno Domini milleſimo trecenteſimo quinquageſimo ſexto, ſcriptum in eodem monaſterio. Et ego frater Henricus Dei gratia humilis Theſaurarius monaſterii Heremitarum, eodem anno accommodaveram eidem venerabili Abbati exemplar iſtius libri ad deſcribendum, & retinuit vetuſtiſſimum noſtrum librum, & dedit nobis iſtum novum. *Hæc admonere viſum eſt, ſi tanti.*

VITA S. ADALBERTI EPISCOPI

AN.CHR. 997 23. April.

PRAGENSIS ET MARTYRIS

Auctore Monacho anonymo contemporaneo.

Ex Caniſio & Bollandiana editione cum aliis collata.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. ADALBERTUS, *Boemorum & Pruſſorum Apoſtolus, Leoni Marſicano* Adelbertus, *Sclavonice* Vvoytech *primum dictus a Boemis*, Guictheht *Sigeberto in Chronico, quod nomen* Conſolationem exercitus *ſonat, non unum, ſed plures vitæ ſuæ ſcriptores ſortitus eſt. Primus res ab eo præclare geſtas paullo poſt ejus mortem litteris commendavit anonymus cœnobii Romani ſanctorum Bonifacii atque Alexii monachus, imperante Ottone III. quod ipſe teſtatur his verbis :* Erat ipſis diebus Romæ Imperatrix Theophania, mater ejus, qui modo regnat, tertius & Deo juvante maximus Otto. *Is ſæpe cum Adalberto converſatus in eodem monaſterio, non magis ab aliis accepta, quam abs ſe viſa commemorat. Falluntur itaque qui hanc vitam Coſmæ Pragenſi Decano tribuunt, homini ſæculi* 12. *cujus Coſmæ Chronicon in anno* 1125. *deſinit.* Vitæ ſcriptores.

2. *Anonymum hunc proxime ſecutus eſt alter itidem Monachus, qui ſuam de Adalberti geſtis lucubrationem regnante ſancto Henrico, poſtmodum Imperatore, adortus eſt, ut indicant ſequentia ejus verba num.* 1. Patrem ejus (*Adalberti*) contingunt Reges linea ſanguinis ; quem longe lateque jura dantem hodie tremit populus, adeoque HENRICO Regi acceſſit proximus nepos. *Hæc ſcriptio, quamquam altera paullo recentior, ab eo tamen auctore profecta eſt, qui Adalbertum viderat, eique, vel certe comitibus ejus, familiariter advixerat. Præcipuus inter illos fuit*

Digitized by Google

AN. CHR. 997 23. April.

Vvillico, qui cum eſſet Pragenſis eccleſiæ Præpoſitus, Caſini monachum induit. Poſteriorem hunc ſcriptorem Caſinatem quoque fuiſſe ex his ejus verbis forſan quis eliceret: Vvillico cujus teſtimonium nos legimus, cum ad Abbatem noſtrum hoc ſcripto filius mandaverat. Verum Romani cœnobii potius monachum exſtitiſſe probarent ſequentia ejus verba: Adalbertus, dum Romæ ad ſanctum Alexium degeret, acutiſſime interrogavit de ſcripturis ſanctis, ſedulo percunctatus de vitiorum vel virtutum naturis: ſed ad hæc, quod ante neſcivit, quærenti illi recte Abbas reſpondit, ut ipſe non ſemel ad nos ait, &c. Tum, Memini dicentem, cum cauſa ædificationis aggreſſus eſſem, Joannem Abbatem. Dein, Hoc anno maximi fratris mors eſt ſubſecuta. Denique, ajunt, inquit, qui illo agoni interfuerunt: quos inter inſignis Radla clericus, Adalberti Pappas, tum monachus, quem ſe audiſſe loquentem teſtatur, addens num. 22. Memoriam vero viri (Radlæ) ſæpe pono, cujus relatione hæc ſcribo, quem Martyris ſervum agnoſci volo. Scilicet Radla a ſancto relictus in Hungarica, eidem ſuperſtes vixit. Et hæc quidem ſatis evincunt, anonymum hunc Monachum Romæ in Alexiano vixiſſe monaſterio: ac illuc videndæ prioris Vitæ (quam fere adamuſſim ſequitur, & variis in locis interpolat) cauſa diverſatum, & Boemici alicujus monaſterii, puta Breunovienſis, quod Adalbertus ipſe condidit, aut Germanici cujuſdam fuiſſe alumnum facile adducor ut credam. Sane Benedictini inſtituti fuiſſe probat ſancti Benedicti ejuſque Regulæ mentio frequens, qualis etiam in priori aliquando occurrit.

3. Tertium Adalbertinæ vitæ ſcriptorem Italici quidam ſcriptores Gerbertum ſuggerunt, hoc eſt Silveſtrum II. cujus hac de re libellum ex Caſinenſi bibliotheca erutum Bzovius publicavit. At ipſiſſima eſt auctoris primi lucubratio; quæ quoniam forſan hortatore Silveſtro Pontifice inchoata, ejuſque nomini inſcripta, eum habere auctorem male a nonnullis credita eſt, ut Godefridus Henſchenius in commentario ad ſancti Adalberti vitam prævio ſcite advertit. Alia ſancti Adalberti Acta idem vir doctus, & quidem triplicia, ex Boemia accepit: quæ ob frivolas interpolationes ſeu depravationes omittenda cenſuit. Neque potior habenda fuit ratio eorum, quæ ex monumentis & annalibus archivii Vvarmienſis in Pruſſia, & ex majorum traditione collecta, ipſi a Mathia Sarbivio Vilnæ ſubmiſſa ſunt, in quibus multa ad libitum conficta referuntur: quale eſt illud de geſtatione capitis ſui ab ipſo Martyre per quindecim milliaria Germanica, aliaque meram fabellam redolentia, quæ a primigeniis Actis abſunt. Hoc tamen portentum ex rudi aliqua traditione (quæ ſimiles ſecti capitis geſtationes Martyribus capite plexis tribuere ſolet) ab Hieronymo Camaldulenſi refertur in Vita ſancti Romualdi Abbatis, ubi dicitur corpus ſancti Adalberti virtute divina erectum; & accepto proprio capite in manibus, eadem via qua venerat in Poloniam reverſum, ac in civitate, quæ Gneſna dicitur, a Fidelibus honorifice tumulatum. Præterea vitæ Adalberti compendium, ex primis Actis fideliter deſumptum, ex mſ. Ultrajectino jam laudatus Henſchenius accepit: quale nos quoque nancti ſumus, una cum officio proprio regni Poloniæ, anno 1637. Antuerpiæ excuſo, quod demptis nonnullis, priori vitæ mox edendæ omnino conſentaneum eſt. Satis igitur viſum eſt, ſi priorem de ſancto Adalberto Monachi Alexiani libellum hoc loco recudamus, in Notulas referendo, quæ in poſteriori diverſa, vel addita ſunt, aut ſane in fragmenta, quæ poſt priorem Vitam ex Henſcheniana editione exhibebimus. Addemus etiam fragmenta tum ex mſ. Chronico Magdeburgenſi, tum ex Chronico Ademari monachi Ecoliſmenſis, apud quos Adalberti præclara mentio eſt.

Adalberti fuga Epiſcopatus.

4. Adalberti factum in Epiſcopatu identidem dimittendo, non ſolum probavere quotquot ejus acta litteris mandarunt; verum etiam Petrus Damiani in epiſtola de renuntiando Epiſcopatui, id in exemplum trahit, ut qui caſſo labore duras ſubditorum cervices ad Chriſti jugum flectere non poſſunt, dimiſſa vitioſorum cura ſaluti ſuæ conſulant.

Monaſtica profeſſio.

5. Poſt relictos Boemos Adalbertus cum Caſini aliquamdiu vixiſſet, Romæ conſedit ad ſanctum Bonifacium, ibique ſaltem integro quinquennio monachum profeſſus eſt. Id de ſe ipſe aperte teſtatur in priori Vita, ubi barbaros ſic alloquitur num. 41. Sum nativitate Boemus, nomine Adalbertus, profeſſione Monachus, ordine quondam Epiſcopus, officio nunc veſter Apoſtolus. At inquies, cujus Ordinis, Baſiliani, an Benedictini normam ſecutus eſt? Benedictinæ Adalbertum Regulæ dediſſe nomen in Bonifaciano cœnobio, (ubi Latinis permiſti erant Græci ritus monachi) fatebitur, quiſquis alterum Vitæ ſcriptorem hac de re loquentem expenderit. Sic enim ille num. 13. Melius conveniunt tibi cum quibus agas, monachi Latini. Redeas Romam...... Fecit ut homo Dei dixit: ad ſanctum Bonifacium monachalem veſtem accepit; ſub Abbate, quo dixit, Regula duce militavit; pedem junxit obedientiæ imperio; & ſi quis quid præcepit, eo magis lætus, quo plus vile erat ſervitium omne, libens facit cuncta humilia, &c. ut in fragmentis, quæ ex hac poſteriori Vita poſt priorem referemus. Et hæc quidem antequam ad Epiſcopatum redire cogeretur. Reſumpta vero iterum Romæ monaſtica vita, ſecretos, pergit idem auctor num. 17. monaſterii ſinus, charam requiem intrat..... Uſus vero ſibi maximus erat, colloquia quærere ſpiritualium & ſeniorum, qui crebro illuc pro charitate Abbatis (Leonis) plures confluxerunt. Græci, inquam, optimi veniunt, Latini ſimiles militarunt; ſuperioribus quatuor pius BASILIUS, inferioribus quatuor magnus BENEDICTUS dux ſive rex erat. Inter quos medius incedens, Deum ſitiens Adalbertus, verba vitæ ſumit & glutit, raptuſque in altum cum fratribus, contemplatur dulcem Dominum. O quantoties obortis lacrymis memini dicentem, cum cauſa ædificationis aggreſſus eſſem JOANNEM Abbatem: Ubi ſunt, inquit, margaritæ meæ? ubi ſunt cibi animi mei? Cum convenirent ſancti viri, pluebant ibi ſermones Dei,

accen-

Digitized by Google

accenſæ ſententiæ mutuo curſabant: arſit ignis ſuper terram cordis: teſtabatur Deum præſentem unda compunctionis. Hoc Gregorius Abba, hoc erat pater Nilus, hoc Joannes bonus infirmus, hoc ſimplex Stratus, & ſuper terram Angelus unus: hoc ex donis majoribus Dei ſapiens Joannes, hoc ſilens Theodorus, hoc Joannes innocens, hoc ſimplex Leo, pſalmorum amicus & ſemper prædicare paratus. *Hæc ſane quadrijuga Græcorum atque Latinorum comparatio, quibus intermedius relinquitur Adalbertus, nonnullos moveat, ut eum Græcis forte annumerent: at rem ipſam ſequentia auctoris verba declarabunt. Quippe iterum Boemos adire juſſus*, reliquit monaſterium *Adalbertus, & luſtratis Floriacenſi atque Glannafolienſi cœnobiis*, duos fratres, quos cogitat fortiores ſacro bello, & aptiores portando Evangelio, itineris comites aſſumpſit, prius tamen (ut mater Regula docet, & viva verba Patrum lingua monent) oratione fratrum voluntatem Dei exquiſivit. *Sed quæ tandem illa* mater Regula? *Benedictina procul dubio, in cujus prologo præſcribitur, ut quidquid agendum incboatur bonum*, a Deo perfici inſtantiſſima oratione depoſcat *Monachus. Sed ne pluribus morer, rem conficit ſecundus Auctor num. 26. ubi* Romæ in monaſterio ſanctus ipſe philoſophia BENEDICTI Patris nutritus *memoratur. Hæc eſt ipſa Regula, quam Boemis in condito ab ſe non longe a Praga Breunovienſi cœnobio ſervandam intulit, uti poſtea exponemus. Porro in illo ſanctorum Bonifacii & Alexii monaſterio Romano, quod in Aventino monte ſitum erat, Sergius Metropolita Damaſcenus ſedem habuit ex conceſſione Benedicti VII. eoque Monachos collegit, ut legitur in ipſius epitaphio apud Baronium ad annum 977. quo ejuſdem obitus accidit. Sed (quod mirere) non Græcos homo Græcus, ſed Latinos ibi inſtituit Monachos, aut certe, quicumque illi fuerint, Regulæ Benedictinæ ſervantes. Epitaphii verſus huc appono.* AN.CHR. 997 23. April.

Cœnobium ſancti BENEDICTI condidit ipſe,
Primo qui ſtatuit noſtræ certamina vitæ,
Quatuor hic annos vixit ſub tramite recto.

Non mirum proinde, ſi Adalbertus Latinus idem ibidem inſtitutum ſectatus eſt. Aliud epitaphium cujuſdam Creſcentii civis Romani præpotentis refert Baronius ad annum 996. eodem in loco ſepultum, qui in extremis monaſticum habitum ſuſcepit.

Martyris cultus.

6. Mox ut martyrium complevit Adalbertus, redemtio a Pruſſis ejus corpori Boleſlaus honorem haberi voluit: quod illatum in cathedralem Gneſnæ eccleſiam, & inſigni mauſoleo decoratum eſt. Id cum poſtea Boemorum incendio deformatum eſſet, Martinus Archiepiſcopus, *inquit Damalevicius*, anno Domini 1094. majorem (ut vocant) chorum patrocinio S. Adalberti martyris aſſignavit, mauſoleumque in medio eccleſiæ, extra chorum, eleganti & artificioſo opere cæmentario ac marmoreo ad magnificentiam elaboravit. *Sed longe prius* Stephanus Rex Hungariæ, *quem ille ſacris undis tinxerat*, audita cæde Martyris, primus in ejus honorem templum in arce Strigonienſi condidit. *Haud ſegnior in Adalberti promovendo cultu Otto III. Imperator, qui referente Chronico Aquiſgranenſi* S. Adalberti templi, quondam mœnibus excluſi, nunc iis circumſæpti, in rupe adjacente ſacratiſſimus Cæſar primum fundamenta ſtravit. *Id anno milleſimo contigit, quo iſtic Otto Pentecoſten celebravit:* Henricus *vero* ſecundus Noricorum Dux, Romanus Imperator, ædificium conſummavit, collegium canonicæ inſtitutionis ibidem fundavit, *ut patet ex ipſius litteris* anno 1018. Indict. 1. regni 17. Imperii 5. *Aquiſgrani datis. Nec diſpar Ottoni Bambergenſi Epiſcopo ſtudium fuit erga S. Adalbertum, cujus nomini, dum Pomeranos aggrederetur, plures ſacras ædes erexit, inter quas Julinenſis ab igne partim intacta, converſioni Julinenſium atque Sletinenſium, qui ad idola denuo prolapſi erant, occaſionem dedit. Præterea Tremeſnæ, ubi primum ſancti corpus depoſitum; & in aliis circa Gedanum & Pruſſiæ locis, ubi martyrio eſt affectus, varia ei dicata ſunt templa, quorum Pruſſici atque Polonici ſcriptores paſſim meminere.*

Reliquiæ.

7. *Non minus fervet apud Boemos S. Adalberti cultus, de cujus corporis poſſeſſione hi cum Polonis decertant. Ajunt quippe inclitum Boemorum Ducem* BRECISLAUM, *Oalrici Ducis filium, ingenti collecto exercitu expugnaſſe Gneſnam, ubi ſancti Martyris corpus a Boleſlao Polonorum Duce repoſitum fuerat. Deinde vero ſacrum pignus inde exportaſſe una cum corpore S. Gaudentii, ejuſdem urbis Gneſnenſis Archipræſulis, qui carne & ſpiritu Adalberti germanus fuit, atque etiam tum reliquiis aliorum quinque ejus fratrum, a furentibus Boemis cæſorum, quæ reliquiæ in eadem eccleſia quieſcebant. Hæc tranſlatio, apud Coſmam Pragenſem late deſcripta, anno Domini 1039. facta dicitur. Contra vero Poloni corpus S. Adalberti Gneſnæ aſſervari contendunt, eique ſuperſtructum inſigne mauſoleum oſtentant. Amborum partium momenta videſis, tum apud Baronium, qui Polonis favere videtur, tum in Aprili Bollandiano, ubi Bohuſlai Balbini Soc. Jeſu edita eſt Diſſertatio in gratiam Boemorum.*

Cultus in officiis ſacris.

8. *Utrique feſtivo cultu ſanctum Martyrem celebrant, immo etiam Sileſii Moravique: ejuſdemque memoria inſcripta eſt Martyrologiis, cum novis, tum antiquis, Romano Ducis Altempſii, Caſinenſi, Trevirenſibus, Colonienſibus, aliiſque, præter Boemica & Polonica. S. Adalberti caput oſtendunt Aquiſgranenſes; brachium Otto III. Romano S. Alexii monaſterio conceſſiſſe fertur. Adalbertum laudant Æneas Silvius in Hiſtoria Boemiæ cap. 16. Dubravius lib. 6. aliique rerum Boemicarum, Polonicarum, immo & Germanicarum ſcriptores.*

Breunovienſis cœnobii conditio.

9. *Breunovienſis cœnobii prope Pragam conditionem Adalberto tribuit, præter alios Dubravius, cujus hæc verba ſunt in lib. 6.* Ceterum idem Adalbertus majore honore a Boleſlao excipi non potuit, quam eſt poſt reditum *Roma ſecundum* exceptus, locoque ſuo & bonis quibuſdam paternis reſtitutus. Ea ille bona paullo poſt in officia pietatis diſtribuit, & una cum Boleſlao Principe cœnobium, quod Breunoviam vocant, ædificavit, ac munificentiſſime dotavit, deductis in contubernium ſodalibus, quos ex Italia ſecum adduxit: illique nomine Abbatis præpoſito ANASTASIO, qui poſthac apud Hungaros Strigonienſem egit Ponti-

Anaſtaſius Abbas I. de eo ſæculo ſequenti.

AN.CHR. 997 23. April.

tificem, viro tantæ ſanctitatis & virtutis, ut mortuum diſcipulum precibus ſuis a morte excitaverit. Sæpius in hoc contubernio Adalbertum, quam in domo ſua pontificali reperiſſes, adeo moribus & natura cum ſanctis illis Patribus congruebat. Sed nec Boleslaus a conſuetudine illorum abhorrebat, ſponte veniens (ut bonis mos eſt) ad bonorum convivia, quæ a precibus illi incipiebant, & cum precibus finiebant, magna cum modeſtia & diſciplina atque abſtinentia ciborum. Atqui hic rurſus odium impiorum adverſus utrumque recruduit. *Hactenus Dubravius, qui præmiſerat, Adalbertum Roma ſecum ſex Fratres contubernales adduxiſſe, qui ei ſemper adhæſerint ad mortem uſque: ex quorum numero fuit Gaudentius ejus frater, de quo in Vita ſequentis num. 21. qui poſtea Gneſnæ apud Polonos Archiepiſcopus fuit.*

Breunovienſes monachi martyres.

10. Præter Anaſtaſium autem & Gaudentium, *inquit Dubravius*, alios inſuper ſex contubernales Breunovia habuit, uti vitæ ſanctimonia celebres, ita celebritate hominum minime gaudentes. Illi igitur deſiderio ſolitudinis (cum migrandi ex Boemia in Poloniam cœpiſſent) occiſo Adalberto, ad Gaudentium diverterunt, cupidiſſimum illos penes ſe retinendi, niſi quod cupidius illi ſecretum ſibi dari oſtendique petebant. Evictus precibus Gaudentius, deduci illos in locum plane ſolum, longeque ab hominibus ſemotum jubet. *Nacti illi quem* optabant ſeceſſum, in eo tuguriolum, & juxta ſacellum ex lignis coagmentatum *ſibi conſtituunt*. Nomina contubernalium: MATTHAEUS, BENEDICTUS, JOANNES, ISAAC, CHRISTINUS, BARNABAS. Frugalitatis omnium iſtorum, innocentiæque & continentiæ, atque vigiliarum indicium hoc fuerit, quod non ſolum ab injuriæ noxa, ſed ab omni prorſus ſpecie mala abſtinuerint: quod famem ſæpius pane ſolo, raro olere adjuncto, quod ſua ſibi manu ſeverant legerantque, explebant; ſitim autem aqua ſemper ſedabant: quod a pecunia poſſidenda ita temperaverint, ut ne teruncium quidem in zonis ſuis, aut marſupiis ſuis poſſidere vellent: quod denique ſtratis humi in matta ſcirpea corporibus cilicio veſtitis, ſomnum ante mediam noctem interruptum habuerint, & quaſi jam aurora illis illuxiſſet, reliquum noctis dieique perpetuo in hoc vigilaverint, ut Deum peccatis hominum offenſum, aſſiduis deprecationibus placarent. Nam ipſi ita propitium illum habebant, ut morbo *impeditos* homines, aut a malo dæmone obſeſſos, ſola oratione percurarent liberarentque. *Quoniam* autem rumor jam pridem de bona iſtorum vitæ conſuetudine, ad MESCHONEM *Principem* Poloniæ pervenerat, invaſit eumdem Meſchonem cupido videndi & alloquendi viros ex rumore ſibi laudatos. Ubi igitur ad latebras eorum pervenit, ſummotaque aſſectantium turba; ipſe cum pauciſſimis ſacellum, in quo ſacros pſallebant hymnos, introiit; offuſa ſubito oculis & animo ſuo religione, perinde eſt permotus, atque ſi introiiſſet penetrale numinum, non hominum. Denique illos velut præſentia numina veneratus eſt, tractavitque liberaliter a pecunia, quam abiens illis etiam invitis reliquit, præſidium futurum inopiæ, quam ſummam adeſſe cernebat. Sed enim illi qui non adumbratam, non coactam, ſed ſolidam atque ultroneam colebant paupertatem & continentiam, magiſque pietatis officiis, quam ullis divitiis diteſcere quærebant; accerſito Barnaba, quem panis & olerum diſpenſationi præfecerant, tollere eum exitialem pecuniam, & ad Meſchonem continuo referre jubent. Abeunte Barnaba ſuperveniunt latrunculi quidam, & in tugurium nocte irrumpunt, quæſitaque inibi, & non inventa Principis pecunia, iram & furorem in cædem inſontium virorum convertunt. Occiſi ad unum omnes, ac ſolus Barnabas per abſentiam incolumis eſt ſervatus, cum magno animi ſui dolore, quod præſens eamdem cum interfectis martyrii palmam aſſecutus non fuerit. Nihilominus ſui ſimilis permanens, vitam quam cœpit colere puram inculpatamque, ad fatalem uſque exitum non deſiit. Poſt quem in tumba Gneſnæ, in quam ante ſe interfecti ſodales elati ſunt, conditus eſt. *De his ſatis: jam Adalberti acta videamus.*

Boemiæ ſtatus.

1. EST locus in partibus Germaniæ, dives opibus, præpotens armis ferocibuſque viris, quem incolæ Boemiam cognomine dicunt. Hujus maxima pars infidelitatis errore præventa, creaturam pro Creatore, lignum vel lapidem pro Deo colunt: plerique vero nomine tenus Chriſtiani, ritu gentilium vivunt, quibus cauſa periculi, fit res ſalutis. Nonnulli tamen ex eadem gente & bene credunt, & pro ſpe futuræ mercedis bona opera agunt.

Ibi Slavvincus ejuſque uxor Dei cultores.

2. Igitur in illis finibus, ubi Chriſtianitatis religio pulcherrima floruit, erat vir Slavvinc a nomine, potens in honore & divitiis, amore juſtitiæ,

a Aliis Slavvink (mendoſe Slavvinch) Dux ſeu Comes Lubicenſis, uxor Strezislava, ſeu Striezislava dicitur in altera Vita. In margine Chronici Magdeburgenſis antiqua manu hæc adſcripta ſunt ad annum 981. „ Mortuus eſt hoc anno Dux Slavinc, pater S. Adalberti Pragenſis Epiſcopi, qui omni vitæ ſuæ tempore feliciter vixerat, honeſtate & juſtitia, prudentiaque & pietate inſignis. Hujus metropolis fuit Lubic, ſita ubi amnis Cidlina nomen ſuum perdit in fluvium uberioris aquæ Laberæ. Habuit principatus ſui hos terminos, ad Occidentem contra Boemiam, rivulum Surina, & caſtrum ſitum in monte Oſeca, juxta flumen Inſam: ad auſtrum contra Teutonicos orientales, has urbes habuit terminales, Hinou, Duplebi, Netolici, uſque ad mediam ſilvam: ad ſolis ortum, contra Maraviam, caſtrum ſub ſilva ſitum, nomine Lutomiſi, uſque ad rivum Svitava, qui eſt in media ſilva: ad Aquilonem, contra Poloniam, caſtellum Gidzco, ſitum juxta flumen, nomine Nizam. Hæc ibi. Pater Henrici Imperatoris nepos, Mater ex genere Boemorum dicitur in alia Vita.

Digitized by Google

tiæ, ac operibus miſericordiæ perrarus civis, vir magnus inter ejus terræ habitatores, auro & argento locupletiſſimus, inter delicias fidus cuſtos divinæ legis, ambulans ſollicite juxta præcepta Sacerdotum, charus toti populo, ſed proprie amicus pauperum. Hic accepit uxorem dignam generis ſui, & ipſam honeſtis moribus plenam, quæ audiendo verba vitæ plus ſitivit, eademque operando famem non explevit, nec delectabatur matronarum pompis, nec auro lapidibuſque pretioſis, omnia pro minimo ducens, quæ ſtulti maxima putant. Sancta *a* erat moribus, ſancta ſermonibus, fortis (ut dicunt) in jejunio, familiaris Deo in oratione; mater lugenti pupillo, peregrino & viduæ gratiſſima ſoror. Pro his ergo & his ſimilibus, quas ambo egerant virtutibus, honoraverunt eos nobiles & divites, & coluerunt maxime pauperum turba. NA.CHR. 997 23. Apr.

3. Itaque cum de tam prænobili conjugio ſancta proles merito foret naſcitura, inter magnanimos juvenes, quos procreaverunt, natus eſt illis puer ſpecioſior cunctis, cui poſt in ſacri Baptiſmatis lavacro datum eſt nomen Woytiech *b*. Iſte quantus eſſet futurus cum ignoratum fuerit, parentes pepercerunt formæ ejus, & præ nimia pulchritudine quam habuit, deſtinaverunt eum ſæculo. Quidquid autem pius error, vel mala venia parentum in hoc deliquit, mox culpæ proditor cæleſtis iræ gladius correxit. Cerneres namque infantuli corpuſculum ſubita magnitudine excreviſſe, & præ nimia inflatione ventrem toto corpore majorem. Sic in horas dolore majore periculum mortis imminere cœpit. Turbantur parentes, decurrunt ubertim lacrymæ patris; & curvis unguibus lacerat ora pallida nutrix; ſtant mæſti fratres, ſævit dolor inter viſcera matris; nec vox, nec animus, nec color certa ſede manent. Tandem ſub ipſa morte confugiunt ad pium & miſericordem Dominum, & quæ pro hominum neceſſitate plus omnibus ſanctis ſuccurrere ſolet, Matrem Domini appellant. Inde veniunt ad templum cum magna humilitate ac dejectione cordis, ponenteſque puerum ſupra altare ſanctæ Mariæ, votum placabile voverunt eum Domino. Vvoytiecum parentes ſæculo deſtinant. Ægrotantem Deo vovent & B. Mariæ.

4. His ita factis averſa eſt indignatio Dei, & extenuato ventre, puer priſtinæ redditus pulchritudini. Parentes vero qui cauſa erant, pænitentia ducti, glorificaverunt Dominum, qui pro melioratione hominum iræ ſuæ flagella diſponere novit. Puer autem proficiens ætate & ſapientia, ubi tempus erat, Chriſtianis imbuitur litteris; nec egreſſus eſt domum patris, donec memoriter didicit pſalterium. Proinde pro diſcendis liberalibus ſtudiis miſit eum pater ad Archiepiſcopum Adalbertum, qui ab eo, quod verbis docuit, moribus & vita nuſquam receſſit. Præerat autem idem ſacræ urbi, quæ latine Virginum civitas, græce Parthenopolis vocatur, urbs quondam nota populis, & una ex magnis urbibus, dum primus Otto ſceptra regalia rexit: nunc autem pro peccatis ſemiruta domus, & maleſida ſtatio nautis. Sanatur. Litteris imbuendus. Adalberto archiepiſcopo commendatur.

5. Ipſo tempore erat magiſter ſcholarum Ohtricus *c* quidam Philoſophus, ſub quo turba juvenum & liberorum copia multa nimis creſcente ſtudio floruerunt. Ergo Archiepiſcopus ille, puerum cum magna charitate ſuſcipiens, dat ſibi confirmationem ſacroſancti chriſmatis, & ſuo nomine Adalbertum appellans *d*, tradidit ſcholis. Aderat ſibi diſcenti ſpiritus ſemper individuus comes, & currunt divite vena ingenium, ratio, & ſenſus. Toto autem tempore ſcholaris ſtudii, non æmulatus fuerat facientes iniquita- Confirmatus nomen mutat.

a Ejus obitus in Chronico Magdeburgenſi ponitur anno 987. *Strezislava mater ſancti Adalberti, Pragenſis poſtmodum Epiſcopi obiit, venerabilis ac Deo acceptabilis matrona, digna tantæ ſobolis mater dici, & eſſe.* De Adalberti fratribus infra num. 28.

b In codice monaſterii S. Cæciliæ in urbe, quem Baronius legit, habetur, *Vventius*: rectius in aliis Vvoytiech *Quod nomen interpretatum ſonat, Conſolatio exercitus*, inquit alter vitæ ſcriptor: quæ legitima interpretatio non convenit nomini Adalberti, quidquid dicat ſcriptor miraculorum recentior. Bertus enim clarum & illuſtrem ſignificat.

c Alio nomine, neſcio an corrupto, *Otbricus*, *Sterirus*, *Aſtericus*, immo & *Dietbericus* dicitur, de quo ſuperius in Elogio Adalberti Archiepiſcopi Magdeburgenſis: & in fragmentis ex altera Vita. Annos decem in ſchola Magdeburgenſi perſtitit Adalbertus. Eo miſſus eſt ſub annum 973

d Quæ hic auctor de mutato in Adalbertum Vvoytechi pueri nomine ſcribit, leguntur item apud alterum Vitæ ſcriptorem: qui Adalbertum per ſubreptionem bis chriſmate unctum fuiſſe tradit, infra in fragmentis.

Digitized by Google

AN CHR. 997 23. April.

tatem, non ſtetit in conſilio eorum, quibus erant inutiles actus, & puerilia negotia: ſed mox ubi longius aliquo poſitus magiſter ei locum præbuit, occultis itineribus ad ſanctorum Martyrum domicilia confugit, ubi ſecundum menſuram temporis, orationum vota perſolvens, rurſum ante occurſum magiſtri loco ſuo reſedit. Noctibus quoque, ut opus ſuum bonum ab humanis laudibus occultaret, circuit pauperes, debiles, & cæcos, quibus ſecundum modum miſeriarum amica ſolamina præſtat. Verum ne a bonæ operationis ſtudio ceſſaret, pater & ejus optima mater omnia ſufficienter dederunt, quin & magiſtro ſuo aurum & argentum, & quæcumque oculis hominum digniſſima erant, offerentes, chari filii doctrinam magno pretio emerunt. Ille vero indeſeſſo curſu ad omne virtutum exercitium ſemetipſum ſemper extendens, inter ſuos collegas pulcherrimus proceſſit. Receſſu magiſtri quando ceteri inanibus ludis & joco laborem legendi minuerunt, ille Davidici nectaris mella deguſtans, ſpirituali riſu ſe ſolatur: quando illi prandentes in angulis ſcholæ, dulcia obſonia magiſtro furantur, ille furtivas orationes Dominæ ſuæ mittens, angelicam dapem ſibi mercatur.

Virtutibus ſtudet. *lectioni item ſacræ & orationi,*

& ſimplicitati.

6. Videamus nunc, inter alias virtutes, quas habuit, ſanctæ ſimplicitatis quam ditiſſimus erat. Quadam die dum iret de ſcholis, unus qui erat ſocius itineris, prætereuntem puellam humo proſtravit, de cauſa ludi eum deſuper projecit. Concurrunt ſcholares, & quidnam foret acturus, cum ingenti cachinno exſpectant. Ille autem quia veſtitam virginem tetigit, (o bona ſtultitia!) jam ſe nupſiſſe veriſſime credidit. Inde erigens ſe, dein viſa virgine, dedit ſe bene ſimplex puer in amariſſimas lamentationes, atque continuo imbre oculos humectans, Heu me miſerum, inquit, & criminis machinatorem digito monſtrans, hic me nubere fecit.

7. Hæc & ſimilia his Deo plenus infantulus jam tunc agendo, multorum oculos in ſe defixit, mirantium ejus acta ac dicentium: Benedicens benedixit hunc puerum Deus, qui infra limina pueritiæ adhuc poſitus, ad optima quæque ſic arduus ſurgit. O ter quaterque beatus, ſi hæc humanitatis ſtudia tota devotione adimpleverit, & arrepti operis curſum congruo exitu terminaverit. Quibus vero cognitus erat pater & ejus mirifica mater, Non eſt, mirum, ajunt, ſi tantus eſt de tantis parentibus ortus: patris juſtitia floret in eo, & maternæ pietatis imago in purpureo pectore vernat. Quot annis ſtuduit, incertum eſt *a*: ſed quia ſæcularis Philoſophiæ ſcientiſſimus erat, novimus omnes: quem Dominus, credo, ad hoc humanæ philoſophiæ ſtudere voluit, ut poſt divinæ ſapientiæ montes faciliore greſſu ſcandere poſſet, aut potius ſæculi amara parvulus potare debuit, ut poſt vir factus, Dei dulcia avidiore animo hauriret.

Philoſophiæ vacat.

Adalberto mortuo patriam reviſit.

8. Poſt hæc magiſter ſcholarum *b* Imperatoris ſervitio adſcriptus, acceſſit in regiam curtem. At archimandrita Adalbertus debitum naturæ perſolvens, ex hoc pelago ad littora ſempiternæ beatitudinis tranſvolarat. Alumnus autem ille, patriam charoſque propinquos reviſens, ſub ſacræ civitatis Pragæ Epiſcopo *c* arma Chriſtianæ militiæ militaturus aſſumpſit. Nec multo poſt cepit languor peſſimus eumdem Epiſcopum, & deteſtabili fine clauſura vitam venit ei ultima dies. Nam in extremo anhelitu, cum tamen adhuc magna pars animæ ſuperſtes foret; adſtantibus, quorum ille adoleſcens unus erat; hanc fabellam ægra voce retulit. Heu mihi qualis eram, & quantum mutatus ab illo! qualem me nunc eſſe vellem! Heu miſerum! perdidi dies meos; jam pænitentiæ fructus nuſquam. Perii: ubi nunc honor meus, & inanes divitiæ? O charo putribilis, & eſca vermium! ubi nunc gloria & pulchritudo vanitatis tuæ? Decepiſti me, decepiſti fallax ſæculum; pro-

Pragenſi Epiſcopo mortuo,

a Poſterior vitæ ſcriptor Adalbertum *per annos ter ternos in arena ſtudii paleſtram exercuiſſe ingenii* commemorat.

b Videlicet Otricus ſuperius memoratus, qui obiit anno 981. aut inſequenti, ex dictis in *Elogio* alterius Adalberti.

c Bollandianus textus addit hoc loco, *nomine* TETHARATUS, quem alii Dethmarum ſeu Diethmarum vocant. De eo actum ſupra.

Digitized by Google

„ mittens mihi annoſam ætatem; & ecce inſperatæ mortis gladio male interemiſti animam meam. Sed meum ſcelus utrumque veniabile erga pium Dominum foret, niſi quod commendatæ plebis ſcelera ad cumulum miſeriarum accedunt. Voluptates enim & deſideria eis pro lege erant: nec prohibui furentem, nec prohibere potui ſponte pereuntem populum, qui adhuc hodie nil ſciunt vel faciunt, extra quod digitus ſatanæ in eorum cordibus ſcripſit. Væ mihi, quia ſilui! Hoc eſt quod dolet, dolebitque in ævum. Nam ecce diræ mortis victima, in infernum recta via proficiſcar, ubi vermes mei non moriuntur, & ignis meus ardebit in æternum, & ultra. Sic ait, & citius obdormivit, factuſque eſt planctus magnus ſuper eum. Timuerunt autem timore magno; ſed præ omnibus adoleſcens Adalbertus, qui his diebus delicioſus miles erat. Nocte eadem ſacco indutus cilicino, & caput cano cinere reſpergens, ſingulas circuit eccleſias, pauperibus quoque quæ habuit, large diſpergens, ſe & cauſam ſuam precibus Domino commendavit. Ipſi autem Epiſcopatus honorem jam tunc aliqui tacitis promiſſionibus, nonnulli publico ſermone promiſerunt. AN.CRR 997 23. April.

9. Poſt mortem vero Epiſcopi non longe ab urbe Praga factus eſt conventus deſolatæ plebis, una cum Principe illius terræ *a*; & fit diligens inquiſitio quem pro illo ponerent. Reſponderunt autem omnes uno ore: Et quis alius, niſi indigena noſter Adalbertus, cujus actus, nobilitas, divitiæ, ac vita cum honore concordant? Hic quo ipſe gradiatur optime novit, hic etiam ducatum animarum prudenter adminiſtrat. Eodem die Dominico, quando hæc electio facta eſt, quidam validiſſimo dæmone raptus, fertur in eccleſiam, ubi ſedes epiſcopalis eſt, & cœpit palam confiteri mala ſua, quorum ſibi conſcius erat. Tunc convenerunt miniſtri dominicalis menſæ, orantes pro eo, & ſacris verbis inimicum proſequentes. Exclamavit autem per os illius impuriſſimus dæmon, dicens: Quid mihi & vobis? veniſtis detrudere me de hoc habitaculo meo? Quid prodeſt vos jactare inania verba? Ego illud, qui ſeſſurus eſt in iſta ſede, valde timeo: cumque illum video vel audio, non auſus ſum ſtare. Et continuo ſpumans dæmon murmura & horriſona verba ingeminat, & diris dentibus diu infrendens, ad ultimum exivit, homine ſano *b*. Die poſtero ante ortum ſolis venit nuntius dicens, quia heri dominus Adalbertus conſenſu publico electus eſt in Epiſcopum. Concurrunt populus cum clero glorificantes, & gratias agentes Domino, quia volens nolenſque nequam ſpiritus confeſſus eſt electionem illius. Adalbertus eligitur.

10. Rediens interea de Saracenico bello, adiit Veronam Imperatorius apex, ſcilicet Otto ſecundus *c*, cui fuit manus in prœlio fortis, in parvo corpore maxima virtus. Auguſtus melior bono patre, & (ut fama meminit) per omnia Cæſar chriſtianiſſimus. Idem tunc victor, & victus, pro recolligendo milite huc venerat, volens ultum ire damna victoriæ; ſed neſciens, quia mors eum proxima pulſat. Ad hunc ergo Sclavonica * manus perrexit, ferens legationem de parte Ducis, & obtulit electum Epiſcopum; rogans ejus manu popularem confirmari electionem. Non minus Imperator eorum dignæ petitioni adquieſcens, dat ei paſtoralem virgam, & cujus ſuffraganeus erat, Magontino *d* Archipræſuli in Epiſcopum direxit conſecrandum. Conſecratus ille feſto amicorum Domini Jeſu Petri & Pauli, multo comitatu Ottone ejus electionem confirmante. * Bolland. Boemica. Conſecratur.

---

a Is erat Boleslaus Pius, Sævi filius, in conſequentibus ſæpe laudatus, qui Boleslao Sævo ſucceſſit anno 967. ſupra pag. 834. ubi hæc electio 11. *Kal. Martii* facta memoratur, & quidem anno 983. Adalbertus tunc ſubdiaconus erat. Ejus electioni annuens Otto, Adalberto anulum dedit eodem anno 3. *Non. Junii*, ex Chronico Magdeburgenſi. *Conſecratus* 3. *Idus Junii* ibidem dicitur: ſed præferenda hæc Vita, in qua id factum dicitur in feſto Apoſtolorum Petri & Pauli quod in feriam ſextam incidit anno 983.

b Id a Willicone clerico traditum refert alter vitæ ſcriptor, in fragmentis ex num. 8. Plura de Willicone inferius.

c Longe aliter de Ottone II. ſentit poſterior Adalberti encomiaſtes num 9. & ſequentibus, ubi variam ejus fortunam ac mores deſcribit, eo plane modo, quo defunctorum Principum geſta graphice depingi ſolent ab auctoribus ſecuris, inferius in fragmentis.

d Vuilligiſo, cujus nomen ſuggerit alia Vita num. 9. & Chronicon Magdeburgenſe, cujus verba ſuperius retulimus in Elogio Mariæ Abbatiſſæ Pragenſis. De eo iterum infra, num. 25.

ANCHR. 997. 23. Apr.

tu equitat in dulcem patriam. Equus autem, cujus tergo inſederat; non more frementium equorum, nec properis curſibus gradiebatur, neque auro & argento portat fulgentia frena, ſed in ruſticum morem torta cannabe ora ſtrictus inceſſit ad arbitrium ſedentis.

Pragam ingreditur nudipes.

11. Ventum eſt ad ſanctam civitatem Pragam, ubi Dux præcluis Wenezlaus *a* quondam regnum tenuit, ac in Dei ſervitio vivere ſuum egregie perduxit: poſtea vero ſub impii fratris ferro, nobile martyrium conſummans, manifeſtis indiciis ac ingentibus hodie uſque miraculis ſua merita probat. Ibi novus ille Pontifex vincula pedum ſolvens, nudo pede intrat urbem. Hinc humili & contrito corde orationis jura perſolvens, magno gaudio civium epiſcopalem cathedram obſederat. Erat autem cunctis diebus pontificatus epiſcopii ſui pie ac fideliter ſerviens Domino, ſed multo ac in proficuo labore Chriſtianitatis normam exercens in populo. Res eccleſiaſticas ſub æqua diviſione diſtribuit in quatuor *b* pates. Primam partem pro neceſſariis vel ornatibus eccleſiæ, ſecundam Canonicorum commoditatibus adſcripſit: tertiam vero in agmina pauperum proflua miſeratione expendens, ultimæ partis ſummulam pro ſuis uſibus ſervat.

Eccleſiæ bona dividit in quatuor partes.

Pauperes menſæ adhibet. Rigide vivit.

12. Præterea omni die feſto plurimos pauperes ad miſericordiæ opera vocat, quæ eis neceſſaria erant, affluente copia miniſtrans. Item quotidianis diebus ter quaternos habere ſolitus erat, quos in apoſtolici nominis honorem dape & potu ſatiat. Raro autem, extra feſtum aliquod, vidit eum meridianus ſol manducantem, & numquam media nox ſomno indulgentem. Stat lectus altis plumis & oſtro rigidus, die oculos hominum paſcens, nocte vero aut habuit fratrem *c* Gaudentium, aut cæcum natum, (extra quos ſuo cubili amiciſſima familiaritate junctos, & ſe tertium, nemo quartus recubuit in una domo:) ipſi vero nuda humus vel leve cilicium, & lapis pro capitis ſuſtentaculo ſomnum dabant. Numquam ſaturo ventre ivit dormitum, & nondum expleto ſopore ſurgit ad ſolitæ orationis convivia. Corpus vero, & corporis incentiva acerrimis attriverat jejuniis, nec ulli numquam voluptati animum dare volebat. Parva quies oculis, & nulla venia eſt defectis pedibus. Luſtraverat enim carcerem, & in carcere poſitos, quorum longa ſeries & infinitum agmen erat. Nulli plus nota propria domus, quam ſibi erat, quis, quo nomine, & in qua parte cubaret infirmus, aut quot capita rediviva ſalus vitæ, quot fatalis hora mitteret leto: quorum omnium poſt pia obſequia, ſi ſeminis tempus erat, ad campos decurrit; ſatione peracta, unde viverent propriis manibus ſe laboraſſe gaudebat. Hinc viator intrepidus aderat, ſacris ædibus ſæpius Domino precator importunus cæleſtes fores pulſat, nunc longis genuum flexionibus orationem pertrahit, nunc ægra ſuſpiria cordis multo flumine rigat. De Completorio uſque ad Primam non exiit ſermo de ore ejus, & ad inſtar monaſticæ profeſſionis, nocturna ſilentia ſervat. Poſt Primam paſtoralibus cauſis ſtudia ſua impendit, audiens diligenter, quid cum prædato paupere peregrinus, & vidua ejularent. Quando autem exteriore cura vacabat, uſque ad Miſſæ celebrationem Davidicis utitur colloquiis, homini non locutus eſt verbum, quamdiu Dominicæ menſæ inſulatus adſtitit, & ſupra ſancta ſanctorum immolat angelicum panem. Poſt, aut opera manuum laborat, aut cum charis capellanis ſacræ lectionis cibaria deguſtat. His otiis longum diem, talibus negotiis totam ducere noctem: hi ſibi mores, hoc ſtudium, hæc erat meta vivendi.

In carcere poſitos viſitat.

Labore ſuo pauperes alit.

Orationi ſæpius, ſilentio de nocte vacat, cauſis finit, Sacra facit &c.

13. Poſt

---

a De Venezlai ſeu Wenceslai Ducis cæde per Bolesłaum fratrem facta, lege dicta ſuperius pag. 833. Boleſlco cognomen Sævo inde merito tributum. Regem eum vocat Vvitichindis in Annalium lib. 3. & Frodoardus ad annum 950. Boleslaus poſtea facti pænitens, non ſolum Venceslai cultum ceu Martyris toleravit, ſed etiam filium ſuum Ztrahquazum Deo in ſancti Emmerammi Ratiſponenſi monaſterio conſecravit, inferius ex fragmentis Chronici Magdeburgenſis.

b Hæc canonica Eccleſiæ bonorum diviſio: quam ſecundus Auctor paullo aliter explicat num 11. ut prima pars pauperibus, ſecunda eccleſiæ, tertia captivorum redemptioni, quarta Epiſcopo, ejuſque miniſtris & clericis aſſignata ſit.

c Gaudentius Adalberti *carne & ſpiritu duplex gemanus* dicitur infra num. 21. Alii fratrem ſpiritualem dicunt: ſed præferenda Vitæ hujus auctoritas. Archiepiſcopus Gneſnæ primus ab Ottone tertio inſtitutus anno 1000. ex fragmentis Chronici Magdeburgenſis. De eo infra num. 16. 21 38. 42. & ſeqq.

Digitized by Google

ANCHR. 997

23. Apr. Pauperi dat pulvinar.

13. Poſt Completorium cum ſolitis orationibus incubaret, quidam pauper, cui nihil præter vitam & membra impius latro reliquit, miſeris ululatibus templi oſtia pulſat: quo audito, cum de erogatis opibus nullæ ſuperfuiſſent, cœpit curioſius excogitare, quod illi dare poſſet; & cum nihil aliud occurreret, ingreſſus cubile, quod ſolum habuit, tulit inde ſericum pulvinar, cui abſtrahens ſericum, plumas circumquaque per domum reſperſit. Deinde ad jacentis mendici clamorem recurrens, inanem purpuram in rugam complicuit, & per coeuntium januarum foramina emittens, hoc fertili dono manum pauperis accumulavit: cujus furti auctor cum lateret, & Willico domus ſuæ præpoſitus hoc inter pueros aſperius inquirere vellet, prohibuit eum, dicens: „ Nequaquam inimicus homo hoc fecit, ſed qui indigens erat, „ forſan pro explenda neceſſitate aſſumpſit.

Prædicationi dat operam.

14. Inter hæc ſancta opera non deſierant pluere prædicationis pulchræ verba: nec ſibi ſolum bonus, ſed cum pluribus cæleſtium gaudiorum particeps eſſe voluit; ſingulis compaſſione proximus, & præ cunctis in contemplatione ſuſpenſus: ſic alta petens, ut proximorum infirma non deſpiceret; ſic infirmis proximorum congruens, ut alta petere non deſiſteret; ſic diſcretionis artem ſervare novit, ut eſſet in eo & juſte conſulens miſericordia, & pie ſæviens diſciplina. Ipſi autem contraria voluntate ad carnalem ſenſum relapſi, bonum paſtorem ſequi noluerunt. Novo quippe modo cum eſſent cæleſtibus bonis paſti, peccatorum fæcibus explebantur. Ille ſpiritalibus adjutoriis cauſas ſuas præmunire inſtat: illi deſtruere quod fecit diabolicis impugnationibus feſtinant: ille a captivitate demonum, & vitiorum populum liberare parat; illi eo arctius ſe in omni peccato obligare non ceſſant. Vidit ergo Epiſcopus, quia divinis legibus adverſum ire, omnibus modis feſtinaverunt: vidit, quod obdurato corde in Deum grandia quæque & nova ſcelera adimplere meditantur: vidit optimæ gubernationis fruſtrari lacertos; plus etiam obeſſe ſibi, quam populo prodeſſe. Deflet ergo peccatum, & amariſſimo luctu proſequitur damna perditæ gentis. Ad ultimum cogitat melius eſſe relinquere *a*, quam in cæco & ſponte pereunte populo operam perdere: quod maxime de tribus cauſis actum eſſe dicunt, qui hujus rei ordinem, ipſo narrante compererunt. Prima, & velut principalis cauſa, propter plures uxores unius viri; ſecunda propter deteſtanda conjugia Clericorum; tertia propter captivos & mancipia Chriſtianorum, quos mercator Judæus infelici auro emerat, emptoſque tot Epiſcopus redimere non potuit. In ſomnis quoque apparuit ei Dominus ſuſcitans eum, & de lento „ ſopore ſurgere jubens. Inquit ille: Quis es tu tam imperioſæ auctoritatis, vel cujus rei gratia quietem frangere jubes? Reſpondit: Ego ſum Jeſus-Chriſtus, qui venditus ſum, & ecce iterum vendor Judæis, & tu adhuc ſtertis? Ille expergefactus ſecum tacito corde pertractat quidnam hæc viſio vellet. Admonet ſolvendæ quæſtiunculæ ſocium, elegantem virum Williconem. Hic honore præpoſituræ præerat ceteris. Hunc vir ſanctiſſimus conſiliorum ſuorum participem fecit: cui cum ſuam viſionem exponeret, reſpondit in propria verba & cogitationes ille mitiſſimus heros: „ Quando „ venduntur Chriſtiani Judæis, hanc venditionem patitur Jeſus-Chriſtus, „ cujus nos ſumus corpus & membra, a quo movemur & ſumus.

Subditos contumaces deſerit.

ob tres cauſas.

Papæ eas exponit.

15. Hæc ſanctus Epiſcopus æqua lance perpendens, & ab imo cordis longa ſuſpiria trahens, amplius ſtare timuit; ſicque conſilio doloris accepto, venit Romam, & apoſtolicæ ſedis Pontificem *b*, quid in tanto ſuo populique diſcrimine agendum foret, gemebundis quæſtionibus inquirit. „ Commendatus, inquiens, mihi grex audire non vult, nec capit ſermo meus *c* „ in illis iniquorum pectoribus: dæmoniacæ ſervitutis imperia regnant; & ea

a Adalbertus ante ſuum diſceſſum cogitaſſe de ſubſtituendo ſibi Ztrahquazo monacho, Boleslai Sævi filio, diſcimus ex Chronico Magdeburgenſi, cujus fragmentum inferius: ſed eum acquieſcere noluiſſe.

b Joannem 15. qui ſedit ab anno 985. ad 996. Adalberti ſeceſſus ad annum 989. referendus eſt, ut perſpicuum fiet conferenti Notas ad num. 20. & 25.

c Formula loquendi ex Joannis Evangelio cap. 8. verſu 37. ὃ χωρεῖ id eſt non habet locum.

Digitized by Google

AN.CHR. 994 23. Apr.

„ ea regio eſt, ubi pro juſto virtus corporis, pro lege voluptas domina-
„ tur. Ad hæc Apoſtolicus: Fili, inquit, quia te ſequi nolunt, fuge quod
„ nocet. Operæ pretium eſt enim, ſi cum aliis fructum facere non potes,
„ vel te ipſum non perdas. Quare in eo conſilio arripe tibi otia contempla-
„ tionis, & ſede inter eos, qui vitam quietam in ſtudiis dulcibus & ſalubri-
„ bus agunt. Hac itaque velut divina reſponſione animatus, cum ad futura Sanctorum gaudia ardenti deſiderio anhelaret, ſtatuit ſecum, natale ſuum ſolum, notioreſque populos derelinquere. Vult pro Domino peregre proficiſci; atque velut ſub alio ſole, inopem ducere ſenectam. Omnia dura & aſpera pro dilecto Jeſu dulcia ſibi viſa ſunt; pro divite Chriſto anguſtam pauperiem pati, non tam labor, quam ingens amor erat. Poſt hanc ſuæ mentis deliberationem, argentum pauperibus large diſtribuens, epiſcopalem cameram evacuavit.

Eo ſuadente nuntium epiſcopali dignitati remittit. Pauperibus omnia tribuit.

Jeroſolyma profecturus, Auguſtæ dona egenis dat.

16. Erat ipſis diebus Romæ Imperatrix auguſta Theophania *a*, mater ejus, qui modo regnat, tertius, &, Deo juvante, maximus Otto, cui pia cura circa pauperes cum ſummatibus viris, & bene quærentibus Chriſtum ſinceriſſima dilectio fuit. Hæc comperto quod gratia orationis exſulans ille uſque Jeroſolymam pergere vellet, clam venire illum fecit, & argenti *b* tantum, quantum juvenis Gaudentius vix levare poſſet, pro viatico accipere fecit: quod eadem conſequenti nocte pauperibus fideliter diviſit, atque ab uno denario totum expendens, nil ſibi retinuit. Deinde pueris remiſſis in patriam mutat habitum, & aſinum pro portandis oneribus mercatus, cum tribus numero fratribus ſanctum iter aſſumpſit. Habens itaque animum Jeroſolymis ſepulchrum Domini inviſere, venit ad montem Caſinum *c*, in cujus cacumine monaſterium ſedet, quod hoc in loco primus conſtruere cœpit beatiſſimus Pater Monachorum flos & gloria Benedictus. Ibi quoque (*ut Gregorii* melliſluum os ſonat) ultimam vitæ partem deguit, & veræ religionis exemplar omnibus, qui in Chriſto pie vivere volunt, digito conſcripſit. Hic tum licet agnitus non fuiſſet, tamen Domino quod futurum erat providente, honorifice hoſpitio ſuſceptus eſt.

Caſinum adit,

ab itinere Jeroſolymitano revocatur.

17. Poſt paucos autem dies cum iter cœptum agere vellet, acceſſit ad eum illius loci Abbas, & cum ipſo admodum illuſtres viri, hæc conſilia
„ velut a divina arce ferentes. Via, inquiunt, quam beatitudinis acquiren-
„ dæ cauſa cœpiſti, longe eſt a recta via, & ab illa quæ ducit ad vitam:
„ Perplexitatibus quippe fugacis ſæculi carere magnanimi eſt: ſed quotidie
„ loca nova mutare minus laudabile eſt. Sicut enim hiberni maris incon-
„ ſtantia malum nautis; ita vagatio de loco ad locum periculum *ſuis ſe-*
„ quacibus minatur: ſtare autem loco, & ſupernis uſibus eo *liberius* per-
„ frui, non nos, ſed præcepta majorum, virorumque fortium *exempla* ti-
„ bi dicunt. Quod conſilium providus heros non ſecus, quam divinitus datum accipiens, ibi fine laboris & cetera errabundæ vagationis ponere cogitavit.

Ibi manere recuſat.

18. Hæc eo cogitante fruſtratur eum Deus, volens dilecti hominis deſideria aliquantulum dilatare, ut quanto nunc amara primum & labore parata, tanto poſt dulciora fuiſſent. Nam cum ibi monaſtica lege vivere vellet, cumque a minimo uſque ad maximum omnes hoc libentiſſime vellent, re-

---

a Theophaniæ nomen in authenticis Ottonum ſecundi ac tertii litteris, itemque in mſ. Magdeburgenſi Chronico *Theophanu* abſque flexu perpetuo ſcribitur.

b *Maſſam argenti ingentem* dicit alter vitæ ſcriptor.

c Adalberti ad monaſterium Caſinenſe adventum Leo Marſicanus eodem fere modo deſcribit in lib. 2. c. 17.
„ Beatus Adelpertus Sclavorum Epiſcopus, relicto Epiſcopatu ſuo ex licentia Romani Pontificis ad hoc mona-
„ ſterium venit, cupiens Jeroſolymam ire. Sed cum a prædicto Abbate (Manſone) & a nonnullis hujus *loci*
„ prioribus dehortatus inde fuiſſet, quaſi divinitus datum ſibi conſilium ſumens, ſtatuit tota vita ſua *hic de-*
„ gere, & nuſquam amplius alio procedere. Sed cum quadam die quidam de prioribus hujus monaſterii affectuo-
„ ſe cum ipſo loquentes, dixiſsent: Bonum eſt, Pater, ut hic nobiſcum maneas, hic monaſticum *habitum* in-
„ duas, hic Deo placitum vivere ducas; quoniam cum ſis Epiſcopus, & eccleſias noſtras dedicare, & noſtros
„ clericos ad gradus eccleſiaſticos promovere diligentiſſime poteris. Hoc ille verbum ſatis moleſte accipiens, mox
„ deſcendit, atque ad virum ſanctiſſimum Nilum, quem tunc apud Vallem-Luci cum aliquot Græcis Fratribus
„ religioſiſſime converſari perceperat &c.

„ repente attonitas terribile verbum tranſverberat aures. Et bonum eſt, in- AN.CHR. 997 23. April.
„ quiunt, ut ſtes nobiſcum, hic monachicum induas habitum, hic Deo pla-
„ citurum vivere ducas; noſtras quoque eccleſias novo opere conſtructas, cum
„ ſis Epiſcopus, ſacrare potes. Quo audito ille heros jam dudum intra ſe turbatus, hæc ira dictante reddidit: Utrum me hominem vel aſinum putatis, ut cum amota filiorum cura Epiſcopus eſſe deſiſterem, nunc ſub nomine Epiſcopi veſtras domos conſecrarem?

19. Nec mora ivit deorſum per montis convexa, & quaſi duorum dierum itinere acto, ad magnum virum Nilum [a] perrexit, cujus nobile meritum in monaſtico ordine, velut novus lucifer in æthereo axe refulget: ſub quo etiam duce ac divinæ artis magiſtro diſcipulorum plurima manus Deo militarunt. Hi vero omnes propriis manibus victum quærentes, ſecundum Regulam ſancti Patris noſtrii Baſilii cæleſtibus veſtigiis innituntur. Hac fama ductus aggreditur ſanctum ſenem; & provolutus genibus diu profudit lacrymas, quærens ab illo reſponſa, & amica ſolatia. Quem intuitus domnus Abbas Nilus, cujus meriti in conſpectu Domini viveret, jam in primo ſermone cognovit; qui & uſque hodie ita amore Chriſti ferventem non meminit ſe vidiſſe, ali- *Nilum Abbatem convenit.*
„ quem juvenem. Et recepiſſem te, inquit, dulcis nate, niſi hæc ſuſceptio
„ mihi meiſque nocitura, tibi tamen minime eſſet profutura. Etenim ut iſte
„ habitus & barbæ pili teſtantur, non indigena, ſed homo Græcus ſum; terra
„ autem quantulacumque eſt, quam ego & mei mecum incolunt, illorum,
„ quos tu bene fugis, propria eſt. Sed ſi quod Deo volente nimis vellem, una
„ nobiſcum cohabitaveris; tollunt illi quæ ſua ſunt; ergo cum charis filiis ex-
„ pellor totus; tu de incerta re plus incertus eris. Quin immo accipe Patris
„ conſilium, & unde digreſſus es, repete urbem Romam; quo cum Angelo
„ bono te ducente perveneris, dominum Abbatem Leonem nobis amiciſſi-
„ mum ex noſtra omniumque perſona ſalutes, atque epiſtolam noſtram fe-
„ ras in hæc verba: ut aut apud ſe (quod plus volo) retineat, aut ſi ei
„ difficile appareat, ad Abbatem ſancti Sabæ mea vice commendet. Hac ſpe conformatus regreditur ad ſacratam arcem, urbium dominam & caput mundi Romam. *Mittitur ad Leonem Abbatem Romæ.*

20. Inde cui monaſterio Abbas Leo præfuiſſet, diligenter inquirens, ad ſanctorum limina Bonifacii & Alexii, monſtrante populo, perductus eſt. Poſtquam ingreſſus eſt, & cum Abbate copia datur fandi, obtulit ſalutationem & litteras, quas miſerat Abbas Nilus: quibus perlectis, ut ex longo uſu ſpiritum probare doctus erat, priuſquam recepiſſet illum, arguta arte cuncta explorat. Primum incœpit indignationem ſimulare, quis qua mente præditus eſſet, averſo vultu indagare, aſpera & dura illi prædicens, cunctaque arcana mentis ejus ſagaci ingenio perquirens. Juſtum vero ac tenacem propoſiti virum nec dura hominis reſponſio frangere valuit, nec venientium tentationum minæ a ſemel arrepta voluntate revocare potuerunt. Abbas vero Leo ubi non ſolum avertere a ſuo propoſito, ſed etiam dire prædicando plus accendere poterat, acceptarum ſe fore illum pollicetur. Statuit autem domnum Apoſtolicum cum humiliato Antiſtite prius convenire; ut quidquid agendum foret, tanti Patris ſententia, ſuorumque Cardinalium conſilia deliberarent. Poſt hæc rite peractis omnibus, qua die Dominus diſcipulorum ſuorum pedes lavit, ac linteo exterſit, monachalem habitum ſanctus [b] ille Epiſcopus accepit. Sabbato ſancto, quando baptizati catechumeni criminalibus vinculis ſolvuntur, ſoluta eſt & ipſi capite pendens cuculla. Hinc ſecundum Regulæ morem, fratrum numero addictus, quærendum anguſto calle cœpit ardentius cupere Chriſtum. *Probatus ab eo admittitur.* *cum Papæ venia.* *monaſticum habitum induit,*

21. Duo autem ex fratribus qui cum eo erant, jam dudum videntes, quia ſe monachum facere vellet, non bene relicto clypeo fugam dederunt. Solus *cum fratre ſuo Gaudentio.*

[a] De Nilo juniore magni nominis Hegumeno ſuperius aliqua delibavimus, ubi de Aligerno & Manſone Caſini Abbatibus dictum eſt: ejus Vitam integram, ſane lectu digniſſimam, hic edituri, ſi licuiſſet.

[b] In Chronico Magdeburgenſi ad annum 990. „ Sanctus Adalbertus Romæ ad ſanctum Alexium, inſcio Ab-
„ bate quis eſſet, factus eſt Monachus &c. inferius poſt hanc Vitam.

Digitized by Google

AN. CHR. 997 23. April.

Solus vero Gaudentius, exemplo conſtantis viri, remanens cum beato viro, monachicam atque probabilem converſationem conſecutus eſt: qui etiam ſibi carne & ſpiritu duplex germanus, & ab infantia ſemper fidiſſimus comes adhæſit. Ipſe vero omni obedientia ac humilitate ambulans inter fratres, contra bella tentantium vitiorum intrepidus tyro accingitur; in cogitationibus ſuis ad humilem confeſſionem ſemper confugiens, quaſſatæ mentis arcana ſpiritalibus viris pandere non ceſſavit. Ceſſante vero tentationum imbre, in novam meſſem virtutum refloruit; ac poſt victoriam ſolito clarior eluxit. Proceſſit ergo ut lux ſplendens, & crevit uſque ad perfectum diem. Obedientia, qua donavit eum ſuus Abbas, hujuſcemodi erat, ut coquinæ fratrum aquæ adminiſtratorios uſus humero apportaret, manibus quoque eorum lavandis ſimile obſequium ageret: ſic ſe cunctis fratribus ſervire lætatur.

Qualem ſe exhibuerit in monaſticis rebus. — *Humilibus officiis vacat.*

22. Nec moratur interea æmulus hoſtis, nunc aperto bello, nunc latentibus inſidiis hominem Dei impugnaturus: & cum teſtacea vaſa, nunc aqua aliquando vino plena portaret, prædictus hoſtis callido aſtu lapſus parat, ac ut confracta in partes ſpargerentur efficiens, ſacri viri faciem ingenti rubore perfudit. Hæc dum multoties fierent, & ipſe tot vicibus veniam proſtrato corpore peteret, tandem ultor ejus confuſionis reſpexit ad hæc negotia Deus. Nam una dierum cum fratrum menſæ apportaturus foret merum, offenſo pede corruit ipſe ſuper vas, & vas ingenti cecidit ſuper marmora lapſu. Audit a longe Pater monaſterii, cunctique fratres per ordinem, quomodo labitur ille heros, neſcientes quia hunc caſum proſperrima adverſitas comitaretur; ita enim vas ſanum, & vini portio non minuta reperitur, ac ſi nulla facta foret ruina.

Lapſus veniam petit.

23. Item nobilis quædam femina monaſterium * hoc cauſa orationis ingreditur; & cum charitatem ibi facere juſſa foret, jam ſeptem annis panem ſe non guſtaſſe profitetur. Ille vero hunc abſtinentiæ morem pro infirmitate ei adhæſiſſe recognoſcens, allato pane ſalutiferæ crucis ſignaculum impreſſit, ac deinde „ prandenti matronæ apponens, in nomine Domini mei Jeſu Chriſti, filia, „ inquit, manduca panem. Non licet tibi ſanctam charitatem violare. Pro ejus „ enim amore hoc parum prandii accipere juſſa es. Ad hanc vocem credula mulier, panis munera deguſtans, cum gratiarum actione regreditur in domum ſuam. Exhinc ergo communi cibo uſa eſt, rem novam ſibi contigiſſe civibus narrat, ac glorificat vox omnium Dominum Deum.

Mulierem ægram dicto pane benedicto ſanat. — * id eſt eccleſiam.

24. Nec prætereundum eſt, qualiter cujuſdam Joannis filiam, qui nunc urbis præfectus eſſe dignoſcitur, atrociſſimus febrium dolor vexare cœpit: quam cum homo Dei ſacratiſſima ſua manu tangeret, omnis languor corporis ejus imperio abſceſſit.

Febricitantem puellam ſanat.

25. Archiepiſcopus vero Magontinus *a* beati Præſulis gregem ſine Paſtore ire conſpiciens, miſit legatos *b* cum litteris, per quos dominum Apoſtolicum de ſancti viri reditu interpellat. Facta eſt Romæ Synodus *c* pro hac cauſa, & oritur utrimque litigium grande, ex una parte eorum qui Monachum perdere timuerunt; ex alia eorum, qui Paſtorem ſuum cum auctoritate quæſierunt. Cumque invicem pugnantibus ſententiis utraque pars diu decertarent; tandem dubiam nuntiorum Primas *d* vix promeruit victoriam. Hic ipſe Primas frater erat Ducis, cujus terræ qui exigebatur Epiſcopus præfuit. Tum Apoſtolicus „ non tam voluntate, quam jure Dei permotus, talia reſpondit: Reddimus, „ quod juſte quærunt; quamvis de bono Patre jam degeneraſſent filii, & „ dabimus eum hac lege: ſi audierint eum, teneant cum Dei benedictione, faciantque ſub ipſo fructum centuplum Si autem a conſueta iniquitate ſua recedere nolunt, hic noſter abſque periculo ſui capitis malorum conſortia declinet.

Moguntino Archiepiſcopo agente, a Papa Pragam remittitur.

2. Hæc

a Vuilligiſus ſcilicet, qui Moguntinæ eccleſiæ præfuit ab anno 977. in annum 1011. Factum hoc ei tribuit mſ. codex apud Serarium pag. 720. Deo eo ſupra ad num. 10

b Legati iſti fuere viri ſancti papas Radla frater Ducis Boleſlai, & Zrahkvvaz monachus, ut in fragmentis.

c Nempe anno 994. ex mſ. codice mox laudato. Joannes XV. Synodi auctor. Adalberti reditus Pragam contigit, cum *annis quinque* in monaſterio vixiſſet, ex alia Vita

d In alia Vita RADLA appellatur, & quidem *ſancti viri papas*, infra.

Digitized by Google

AN. CHR. 997

26. Hæc ubi dicta dedit, finita eſt Synodus, & ſoluto cœtu redierunt quiſque in domum ſuam. Abſcedunt legati, Monachis triſtibus, læto animo ac magna exſultatione. Cumque emenſo itinere Pragam venirent, eunt ei obviam omnis ætas & ſexus, & quaſi cum ingenti gaudio acceperunt eum: dant manus ac promittunt omnia, velut qui de ſua reverſione oppido gauderent, & ſecundum ejus præcepta priorem vitam pleniſſime emendare vellent. Sed paullo poſt cœpit eos ignava mollities: & neglectis prædicationibus itur in omne nefas. Veterum quippe vitiorum recordationibus præventi, in carnalem partem relabuntur, & pereunt labor paſtoralis, & diligens cura boni patris.

23. April. Feſtive excipitur a ſuis.

qui paullo poſt ad priſtina vitia relabuntur.

27. Inter hæc luctuoſum & miſerabile crimen exoritur. Mulier cujuſdam nobilis cum clerico adulteraſſe publice arguitur: quam cum more barbarico parentes dedecorati conjugis decapitare *a* quærerent, fugit illa per celeres auras, donec voce & curſu uſque ad optatum pervenerat Epiſcopum. Volens autem de illorum manibus mulierem liberare, clauſit eam in monaſterio Sanctimonialium, quod ſub vocabulo & veneratione ſancti Georgii conſecratum firmiſſimis mœnibus vallatur; clavim vero eccleſiæ cuſtodi fideliter commendat; credens, ut femina inter feminas ſolatia doloris, & ſub altaris defenſione vitæ ſecuritatem haberet. Crimen quoque in ſe referre voluit, ut ſe ſceleris auctore magnum aliquid fieret, ſcilicet ut pro pænitentiæ fructibus, aut illam vitæ ſervaret, aut ambo ſimul juſſi morerentur. Quia voluntate, quia martyrii coronam expoſcens erat, adimpleret utique quod voluit, niſi eum prudenter dominus Vvillico * prohiberet.

Mulier adulterii convicta, ad eum confugit.

Hanc ille monaſterio includit.

** Bolland. Vviollicona.*

28. Impia manus interea abſconſæ mulieri ferrum necemque parans, armato milite epiſcopale forum irruperunt. Quærunt minis & contumacibus Epiſcopum dictis, qui contra fas & legalia jura adulteram defendere vellet. Quod ille divinæ contemplationis otio vacans, ubi aure percepit, cum velut diviſæ noctis hora eſſet, dicto verſu fregit ſilentia, & in quo clauſus erat, exivit de „ templo. Deinde qui ſecum erant fratribus pacis oſcula libans: Bene va„ lete, inquit, & pro me miſero ferte pia vota Chriſto. Inde totus ardore martyrii flagrans, non tardiore deſiderio & curſu, quam qui fugit hoſtem, „ ſponte venit in hoſtem, ac medium agmen intrepido greſſu incedens: Si me „ quæritis, inquit, præſto ſum. Unus autem ex illis, cui cum bonis ſem„ per læva voluntas erat, omnium ore talia reſpondit: Caſſa ſpes martyrii „ te tenet, & nobilis gloria lethi. Errat pro certo hæc ſanctitas, quæ noſtrum „ vult fieri peccatum, non implebitur tua voluntas, ſed agitur aliquid, quod „ plus dolet: quia niſi hæc meretrix nobis citius reddatur, habemus fratres *b* tuos, in quorum uxoribus, prole, & prædiis hoc malum ulciſcamur. Hæc dum furens Sclavus contra Epiſcopum delatravit, ecce corruptus auro proditor adeſt, qui excerpens eos clam de agmine vocat, ſeque itineris ducem præbens, domum in qua clauſa erat, domuſque cuſtodem manifeſtat. Cuſtos vero tentus ab illis, nunc minis, amicis nunc affatibus, ut illam in manus eorum redderet, diu probatur. Ad ultimum mortis timore perterritus, ſic ſibi creditam cruentis hoſtibus prodidit feminam. Rapitur illa infelix, fruſtra preſſis altaribus, & ſub manu conjugis capitalem juſſa eſt ſubire ſententiam. Quod cum ille velut vir juſtus facere nollet, ſub gladio vilis vernulæ truncata pœnas male uſi corporis capite exſolvit.

Hinc a furentibus impetitur.

Mulier correpta capite plectitur.

29 His atque horum majoribus popularis nequitiæ ſtudiis cum ſermo docentis Epiſcopi contraire nequiret, flet bonus paſtor, quia in morbido grege ſigna ſalutis nulla ineſſe conſpexit. Hinc proſpectandis ſequentibus ma-

Adalbertus Romam iterum petit

a Adulterii pœnam a Germanis ſtatutam refert Tacitus de moribus Germannorum cap. 19. nempe accisis „ crinibus nudatam coram propinquis expellebat domo maritus, ac per omnem vicum verbere agebat.

b Eorum nomina refert Chronographus Magdeburgenſis, nempe „ Sobebor, Spitimur, Dobraizlau, Porei„ caslau, de quibus vide fragmenta poſt hanc Vitam. Quintum addit Auctor ſecundus num. 21. infra in fragmentis. Gaudentius, de quo ſupra num 12. videtur ſextus fuiſſe. Quinque fratres nominat Dubravius hoc modo: „ Sobreborium, Spetimirum, Prebislaum, Boritam, Gzaslaum: qui quintus natu major, in obſequio Ottonis Imperatoris exſiſtens, omnium poſtremus necatus eſt, ex alia Vita.

Digitized by Google

AN. CHR. 997 23. April.

lis oculos claudere volens, dulcis Romæ mœnia reviſit *a*, & navi monaſterii mutat paſtoralia frena. Congaudent illo redeunte monaſticæ plebis ſacra collegia, ac ſanctitatis ſuæ amore pariter & utilitate perfruuntur. Dilexerunt eum omnes, ſed præ omnibus Abbas ſuus; qui & poſt ſe totis cohortibus Fratrum præfecerat illum. Ille autem omni vilitate *b* & extremitate contentus, quanto magnus erat, tanto ſe cunctis inferiorem præbuit: quanto ſpiritualibus divitiis dives, tanto in oculis hominum parvus, pauper, & deſpectus eſſe cupiverat. Dicunt autem Abba & fratres ejus de eo, quia in omni virtute ad unguem perfectus eſt, & extra martyrium vere ſanctus erat: ſi: de die in diem ſemper novus & ſe ipſo robuſtior ſuccreſcens, ad divinæ contemplationis faſtigia velut caſtiſſima turtur evolaverat. Volens autem Dominus oſtendere ſervo, cujus meriti viveret in conſpectu ſuo, monſtrat ei per viſum duos ordines in cælo, unum purpureo, alterum niveo amictu: quibus ſub diverſa ſpecie ſingulare meritum, & propria merces; ambobus tamen eſca & potus erat laus perpetua Creatoris. Et facta eſt vox ad eum dicens: Inter utroſque eſt tibi locus, convivatio menſæ, & aptiſſimus honor. Cujus rei viſionem Abbati ſuo cum exponeret, non hoc de ſe, ſed velut ſanctiſ„ ſimus Paulus, revelationis ſuæ myſteria de alio homine narrat. Scio, in„ quit, hujuſmodi hominem, cui Dominus per viſum talia oſtendit, & hæc „ ipſa donaturum ſe promittit.

ubi lætus ad monaſtica redit exercitia.

Cœleſti viſo recreatur.

30. Hoc ipſo tempore iter *c* agit Romam Rex Francorum Otto tertius, pulchri Cæſaris pulcherrima proles, decurſis quippe puerilibus annis, cum jam velut lanugine barbæ floreret tempus, & virtus major annis Imperatoriam ſibi expoſceret dignitatem. Roma autem cum caput mundi & urbium *domina* ſit, & vocetur, ſola Reges imperare facit; cumque Principis ſanctorum corpus ſuo ſinu refoveat, merito Principem terrarum ipſa *conſtituere* debet. Summus ipſis diebus Pontifex acerrima febre correptus, corpus terræ, *animam* cælo, utraque in ſua dimiſit exordia. Rex autem Otto Alpium nives multo milite tranſmeans, juxta ſacram urbem Ravennam regalia caſtra metatus eſt. Ibi in ejus occurſum veniunt epiſtolæ cum nuntiis, quas mittunt Romani Proceres & Senatorius ordo; primo illius adventum, velut toto *tempore* paternæ mortis non viſum, totis viſceribus deſiderare, ac debita fidelitate pollicitantur exſpectare. Deinde in morte domni Apoſtolici tam ſibi, quam illis non minimam invectam eſſe partem incommodorum annuntiant, & quem pro eo ponerent, regalem exquirunt ſententiam.

Otto, Papa mortuo Romam adit.

Legatos de ſucceſſore eligendo audit.

31. Erat tum in capella Regis quidam clericus Bruno, ſæcularibus litteris egregie eruditus, & ipſe regio *d* ſanguine genus ferens, magnæ indolis; ſed (quod minus bonum) multum fervidæ juventutis. Hunc quia *Regi placuit*, a majoribus electum, Magontinus Archipræſul Willigiſus & *ſuus* collega Adelbaldus Epiſcopus adduxerunt Romam. Proinde a *Romanis* honorifice acceptum ad hoc ordinati Epiſcopi apoſtolico honore promulgarunt. Superveniens etiam Rex Romano more egregie accipitur. Deinde magno gaudio omnium Imperatorium attigit apicem. Lætantur cum primatibus minores civitatis, cum afflicto paupere, exſultant agmina viduarum, quia novus Imperator dat jura populis, dat jura novus Papa.

Brunonem ad ſummum Pontificatum evehit.

32. His temporibus chriſtianiſſimus ille Cæſar, cui circa ſervos Dei maximum ſtudium ſemper & diligens cura fuit, crebro alloquitur ſanctum Adalber-

a Quid in hoc ſecundo reditu contigerit, amplius explicat Auctor alter num 17. in fragmentis.

b Hæc verba deſumpta ſunt ex Regulæ ſancti Benedicti cap. 7 ubi ſextus gradus humilitatis in eo conſiſtere dicitur, ut monachus *omni vilitate vel extremitate contentus ſit*: ſeptimus, ut ſe cunctis *inferiorem* pronuntiet & credat.

c Nimirum anno 996. quo Joannis Papæ XV obitus contigit, qui ſucceſſorem habuit Gregorium V. de quo infra. Quid in illo Ottonis itinere erga Adalbertum acciderit, diſcimus ex ultimo fragmento de translatione *ſancti* Abundii, quod huic Vitæ ſubjiciemus.

d Chronographus Magdeburgenſis ad annum 996 „ Rex in Italia jam poſitus, præmiſſis quibuſdam „ Principibus, publico conſenſu & electione fecit ordinari Apoſtolicum ſuum nepotem Brunonem, *OTTO*„ NIS filium, qui Otto marcam Veronenſem ſervabat, impoſito nomine Gregorii. Hermannus *etiam* Ottonis Ducis filium vocat. Bruſchius, & quidam cum eo, inſigni lapſu cum Brunone *Epiſcopo* Verdenſi iſtum confundunt. Alia Vita num. 18. „ Ipſe capella ſua tractum poſuit Papa Gregorius, *ſcilicet Ottonem*, „ Cæſarem benedixit.

Digitized by Google

AN. CHR. 997

bertum, & habebat eum ſibi familiarem, audiens libenter quæcumque ſibi diceret. Archiepiſcopus vero Willigiſus veterem querimoniam canens *a* interpellat, congeminat vota cum votis, & ut reportaret illum omnibus modis inſtat. In apoſtolica quoque Synodo *b* canonum teſtimonia revolvens, coram omnibus ſe juſte petere clamat: peccatum eſſe ſingulis eccleſiis maritatis ſolam Pragam viduari: juſta poſcentibus benevolam aurem viduæ eccleſiæ maritum ſuum præbere libera mente poſtulans erat. Rurſum ex itinere, quo reverſus eſt ad patriam, continuis litteris hoc idem reiterare non ceſſat, nec dimiſit prius, donec pollicitus eſt domnus Apoſtolicus facturum ſe eſſe quæ vellet. Triſtatus eſt autem homo Dei, quia linquere cogitur Monaſterium: præſcierat enim, quia populum, cui paſtoralem curam debuit, a via ſua mala nemo flectere quiſſet. Sed triſtem ejus animum hoc valde ſolatur; quia ſi in commiſſis ſibi animabus dignos fructus agere nequiſſet, extraneis & non baptizatis prædicator miſſus fuerat.

23. Apr. Vvilligiſus Adalbertum in Boemiam iterum revocare ſatagit.

annuit Pontifex.

33. Ergo multis lacrymis dulce Monaſterium linquens, cum ſummæ diſcretionis viro Notherio *c* Epiſcopo ultra Alpes proficiſcitur. Cumque velut duorum prope menſium iter agerent, venerunt Magontiam, ubi regreſſus ab Italicis oris Imperator commoratus eſt: cum quo vir Dei manſit bonum tempus, quia familiariſſimus ſibi erat, & nocte pariter ac die, velut ſanctiſſimus cubicularius, imperiali cameræ adhæſit. Hoc autem non ſic, velut ſæculi aliquo amore captus: ſed quia dilexit ipſum, & dulcibus dictis ad amorem cæleſtis patriæ accendere voluit. Nam die ſive nocte, cum „ turba locum dedit, ſanctis alloquiis aggreditur illum, docens ne magnum „ putaret ſe Imperatorem eſſe; cogitaret ſe hominem moriturum, cinerem ex „ pulcherrimo, putredinem & vermium eſcam eſſe futurum: viduis exhibere „ ſe maritum, pauperibus & pupillis monſtrare ſe patrem; timere Deum, ut „ juſtum ac diſtrictum Judicem; amare, ut pium veniæ largitorem, ac mi„ ſericordiæ fontem; ſollicite penſare, quam anguſta via quæ ducit ad vitam, „ & quam perpauci qui intrant per eam: bene agentibus eſſet ut per hu„ militatem ſocius, contra delinquentium vitia per zelum juſtitiæ erectus. „ Ad hunc modum plura ſubnectens, monet charum filium præſentia vitæ „ bona deſpicere, æternitatis electionem deſiderare; manſura quærere, in „ temporalibus rebus & tranſitoriis fiduciam non habere. Cunctis qui in regia domo erant, velut ſervus omnium, ſic eorum viliſſima quæque manibus tractat; & omni humilitate eorum ſervitia facit. Noctibus quoque cum carpſerant ſomnum, calceamenta eorum componere cura fuit, a janitore uſque ad principem regiæ domus omnium caligas aqua lavit, & purgatis ſordibus eas ſuo loco reſtituit.

Adalbertus Moguntiæ dat monita Imperatori

Humilibus vacat.

34. Ad hunc modum plurima ſervitia egit in camera; quanto quæque viliſſima erant, tanto libentius ea pro humilitate miniſtrat. Sed ſerviminis auctor diu incognitus latuit, donec quidam Wolfarius regius imperialis miniſter, & ſibi dilectus cubicularius, ſanctum prodidit furem. Vidit quoque ibi ſomnium nocte una, quod hujuſmodi erat. Putabat ſe fratris ſui curtem adire, & media curte ſtare domum, cujus ſtructura adſpectu erat delectabilis, parietes & tecta nivei candoris; intus duo lecti, unus ſibi, alter fratri ſuo deputatus. Erat utique ſcilicet (ut decuit) multum honoris gerens, ſed lectus ſuus omnem gloriam alterius longe præcellens, totus purpureo ſplendore, & ſericis ornamentis amictus, ad caput vero aurei ſtaminis linteo pulcherrime redimitus, ſurſum vero in capite erat aureis litteris ſcriptum: Munus *d* hoc au-

Viſo cæleſti ad martyrium animatur.

a Henſchenius explicandi cauſa addit: *Domnum Apoſtolicum de Sancti reditu*.

b Hæc eſt illa Synodus, in qua novem Imperatoris electores a Gregorio V. inſtituti a nonnullis dicuntur, aliis non immerito repugnantibus. Adi Baronium ad annum 996.

c In Chronico Magdeburgenſi ad annum 995. „ Et cum viro ſummæ diſcretionis NOTHARIO (inter lineas „ additur Præſule) adiens Archiepiſcopum in palatio, rogat experiri, ſi ſuus ſum grex recipere vellet. Quo fa„ cto quid ille grex reſponderit, aut quam ob cauſam eum non receperit, vel ad quas gentes inde tranſierit, „ quantæ frugalitatis omnibus diebus Epiſcopii ſui fuerit, quanta morum honeſtate nituerit, ſcire poterit qui „ ejus Vitam legerit.

d Henſchenio, *Munus hoc donat filia ſponſa tibi*, aliis *filia Regis*. Quid ſit *auctentum non* capio, niſi ſit idem atque *authenticum*.

AN. CHR. 997 23. April.

auctentum filia ſponſatur. Cujus viſionis ordinem cum aliquibus narrando exponeret, Vide, inquiunt illi, quia Chriſto ſecundante Martyr eris futurus. Regis filia, quæ dat tibi regia dona, hæc eſt domina cæli ſacratiſſima Virgo Maria. Hoc audiens ille factus eſt lætiſſimo animo, & ingreſſus cubiculum cordis, egit gratias ſanctorum Sancto, Angelorum Domino & omnipotenti Chriſto. Hinc Matrem gratiarum, quæ Regis ſolio proxima ſedet, prona cervice & gaviſæ mentis jubilo adorat: Gratias tibi, inquiens, Virgo, maris ſtella, quæ me, ut pia domina, humillimum ſervum tuum reſpicere dignata es.

Inde Turonos & Floriacum adiit.

35. Hac ipſa tempeſtate adiit Turoniam; quærens auxilio ſanctum ſenem Martinum *a*. Nec præteriit Floriacum, quæ beatiſſimum corpus *b* confeſſoris noſtri & patris Benedicti ſuo grege collocare meruit: ubi etiam quis ille ſit, cæcorum viſus, claudorum greſſus, & cæleſtium miraculorum multa millia proteſtantur. Horum duorum chariſſimorum Patrum ſacris confabulationibus paſtus, læto animo regreditur ad imperiale domicilium. Inde quid ſibi mente foret, quæ volente Deo agere vellet, ſub lucem proferens, cœpit cum dilecto Cæſare familiarem & extremum ſermonem habere. Finita locutione pacis oſcula invicem libant, & amplius numquam ſociandos non abſque dolore ſeparant amplexus. Vir ergo ſanctus ejus charam vitam chariſſimo Jeſu multum commendans, ſecundum placitum Archipræſulis ſui ad apoſtatricem gentem pergere cœpit. Sapuit ipſe, quia conſilio ſuo non obaudirent; ſed ne inobediens eſſet, juſſum iter adimplere maluit. *Hoc etiam* ejus animo magnam ſpem tribuit, quia ſi non in filiis, *in alienis & in* barbariſmo animarum lucra congregare potuit. Erant enim *multæ nationes* per circuitum, per quas aut ſibi martyrium, aut eis baptiſmi gratia conferri potuit. Gens autem hæc ſceleratiſſima, ad quam redire compulſus eſt, in odium ſui nominis grande nefas commiſerunt. Nam parentes ſuos nobiles & præclaros viros miſero vulnere proſternunt, fratres fratrumque filios, maſculum una cum femina omnes morte ſæviſſima damnarunt: civitates quoque eorum igne ac ferro devaſtantes, omnia eorum bona in captivitatem redegerunt *c*.

mox reverſus ad Imperatorem, denuo Boemos reviſere parat. nuntium de fratrum ac propinquorum cæde accipit.

36. Unus ex ſuis fratribus, dum hæc mala domi geruntur, cum Bolezlao Bolaniorum* Duce in expeditione Imperatoris erat: Dux vero ille pro amore ſancti fratris magnis promiſſis & amicis opibus eum ſolatur. Ergo pro his ſceleribus aditum ſibi clauſum iter putans ille ſanctiſſimus heros, noluit fruſtrari adventum ſuum; ſed declinavit ad præfatum Ducem, quia ſibi amiciſſimus erat: & ſi recipere vellent, per ejus miſſos explorare potuit*. Quo facto, e contra illi magna indignatione remittunt ei iræ & furoris plena verba dicentes: Sumus peccatores, populus iniquitatis, gens duræ cervicis; tu ſanctus amicus Dei, verus Iſraelita: & tibi omnia cum Domino. *Talem ac tantum* non portant cohabitationes & conſortia iniquorum. Et tamen unde hoc „ genus, ut totiens repulſos totiens abjectos, non unius, ſed diverſarum „ mentium requirat Epiſcopus? Agnoſcimus, agnoſcimus, ingeminant, quid „ ſub colore pietatis mendoſum tinniat hæc ſanctitas. Nolumus eum, quia ſi „ veniet, non venit pro noſtra ſalute; ſed pro puniendis malis & injuriis, quæ „ de

** al. Belaniorum. Declinat ad Boleſlaum Ducem * Boll. petiit. Boemorum tentat animum. a quibus repellitur.*

a Addit vitæ ſecundus auctor: „ Pariſius quoque pedeſter venit (Adalbertus), ubi ſanctus & pretioſiſſi„mus martyr Ariopagita Dionyſius fuſo ſanguine corpore requieſcit. Ubi notare convenit, Dionyſianam baſilicam, tametſi ab urbe Pariſiaca leucis duabus diſparatam, hic non aliter deſignari, quam ſi in ipſo urbis meditullio poſita fuiſſet. Ut fruſtra Joannes Launojus ob ſimilem loquendi modum a Gregorio Turonenſi & Audoeno uſurpatum, locum hunc tanti Martyris tumulo decoratum intra civitatis pomerium includere tentaverit.

b Locus inſignis ad probandam præſentiam corporis ſancti Benedicti in monaſterio Floriacenſi, præſertim ab auctore Italico. Idem in alia Vita num. 19 „ Huic caput inclinans, id eſt ſancto Dionyſio, ad Flo„riacum, Monachorum ingens cœnobium, avido curſu volat, ubi corpore jacet & miraculis fulget magi„ſter mundo morientium & tota mente Deum quærentium, ſcilicet re & nomine BENEDICTUS Tum additur Adalbertum etiam adiiſſe Glannafolium. Nec dimiſit ubi corpus diſcipuli quievit, ubi & pri„mus Monachorum gregem rexit Abbas MAURUS, ſigno ſanctitatis, & miraculorum dulcedine magiſtro ſimillimus.

c Multa hic vel inſeruntur, vel explicantur in alia Vita, a num. 21. quæ vide in fragmentis, tum ex poſteriori Vita, tum ex Chronico Magdeburgenſi, in quo cædes Adalberti fratrum anno 995. accidiſſe dicitur.

Digitized by Google

„ de fratribus ſuis fecimus, & feciſſe juvat. Non eſt qui recipiat eum, non „ eſt uſque ad unum. AN.CHR 997 23. April.

37. Hæc & his ſimilia audiens illuſus Epiſcopus, tanto lætitiæ riſu exuberat, ut pæne a ſolito rigore magnum aliquid excederet. Dirupiſti, inquit, „ vincula mea, tibi immolabo gloriam & ſacrificium laudis, quia paſtoralis „ curæ funes & vincula de collo meo ipſorum refutatio liberavit. Fateor me „ hodie, o bone Jeſu, totum eſſe tuum: tibi Dominator virtutis æterna laus, „ honor & gloria. Noluiſti eos, qui te nolunt, & qui a via veritatis in deſide„ ria declinant. Inde adverſus diram barbariem, profanoſque idololatras, gladium prædicationis acuens & aptans, cum quibus primum, cum quibus poſt dimicare oporteret, animo deliberare cœpit; utrum Liuticenſes *a*, quos Chriſtianorum præda, miſerorumqne hominum damna paſcunt, an Pruzzorum fines adiret, quorum deus venter eſt, & avaritia juncta cum morte eſt. Tandem alternanti potior ſententia ſucceſſit animo, ut quia hæc regio proxima, & nota fuerat Duci prædicto, Pruziæ deos & idola iret debellaturus. Dux vero cognita voluntate ejus dat ei navem, & ipſam pro pace itineris ter deno milite armat. Ipſe vero primo adiit urbem *b* Gidanic, quam Ducis latiſſima regna dirimentem maris confinia tangunt. Ibi divina miſericordia adventum ejus proſperante, baptizabantur hominum multæ catervæ: ibi Miſſarum ſollemnia celebrans Patri immolat Chriſtum: cui non poſt multos illos dies ſeipſum pro hoſtia fuerat oblaturus. Quidquid vero ſero ſuperfuit de eo quod ipſe, & novi baptizati communicarunt, colligere jubet, & mundiſſimo panno involutum ſibi ſervavit pro Viatico deportandum.

de ethnicorum ſalute agitat. *Pruſſos aditurus Gedanum appellit.* *multos baptizat.* *& ſacræ menſæ adhibet.*

38. Poſtera autem die, ſalutatis omnibus, imponitur carinæ & pelago, & tollitur ab eorum oculis numquam poſtea videndus. Hinc nauticum iter velociſſimo curſu peragens, poſt paucos dies marinum litus egreditur, & reverſa eſt navis cum armato cuſtode. Ipſe autem pro præſtitis beneficiis gratiam vectoribus & vectorum domino agens, remanſit ibi cum geminis fratribus, quorum alter Presbyter Benedictus; alter dilectus, & a puero ſibi comes, frater Gaudentius erat.

ubi litus appulit.

39. Tunc magna fiducia Chriſtum prædicantes intrant parvam inſulam, quæ curvo amne circumvecta formam circuli adeuntibus monſtrat. Venientes vero loci poſſeſſores cum pugnis expulerunt eos: & quidam arrepto naviculæ remo adſtitit Epiſcopo propius; & ut forte Pſalmos in libro decantaverat, ingentem ictum inter ſcapulas dedit. Excuſſus manibus volat in diverſa codex, & ipſe extenſo capite & membris jacet humo proſtratus: ſed exterius afflicto corpore, quid pia mens intus ageret, riſus cordis per vocis organum mox patefecit. Gratias tibi, inquit, Domine, quia etſi amplius non erit, ſaltem vel unum ictum pro Crucifixo meo accipere merui.

a paganis dire exceptus fuſte percutitur.

4. Tranſiens vero in aliam partem fluminis, ſtetit ibi ſabbato. Veſpere autem facto dominus villæ divinum heros Adalbertum tranſduxit in villam. Congregat ſe undique iners vulgus, & quid de illo foret acturus, furibunda voce & canino rictu exſpectant. Tunc ſanctus Adalbertus, qui & unde eſſet, vel ob quam cauſam illuc veniret, interrogatus, talia e contra miti voce reſ„ pondit: Sum nativitate Sclavus*, nomine Adalbertus, profeſſione Mona„ chus, ordine quondam Epiſcopus, officio nunc veſter Apoſtolus. Cauſa no„ ſtri itineris eſt veſtra ſalus, ut relinquentes ſimulacra muta & ſurda, a„ gnoſcatis Creatorem veſtrum, qui ſolus, & extra quem alter Deus non eſt, „ & ut credentes in nomine ejus vitam habeatis, & in atriis immarceſci„ bi-

Ductus in villam. * *al. Boemus.*

a Liuticenſes ſeu Liutici, extra Boemiam erant, utpote quos Boleslaus Boemiæ Dux contra Miſeconem Poloniæ Ducem in auxilium vocavit, ex Chronico Magdeburgenſi poſt hanc Vitam. Crantzius initio lib. 5. de Saxonia Luticios eoſdem exiſtimat cum Luſatiis, quæ pars eſt Sileſiæ, Marchioni parens Brandeburgenſi, ex præfatione libri 1. At *Leuticios* alio nomine *Vuilzos* appellat Adamus in cap. 66. Sunt autem Wilſi Slavorum populi, citra & ultra Pænem Caſſubiæ ſeu Pomeraniæ fluvium habitantes, teſte Cromero ſub finem libri tertii de rebus Polonorum.

b Gedanum, aliis Dantiſcum, *Dantzich*, Pruſſiæ emporium ad oſtia Viſtulæ celeberrimum.

Digitized by Google

ANCHR. 997 23. Apr.

contumeliis afficitur & expellitur.

„ bilibus cæleſtium gaudiorum præmia percipere mereamini. Hæc ſanctus Adalbertus. Illi autem, jam dudum indignantes, & cum clamore blaſphema verba adverſus eum proclamantes, mortem ſibi minantur. Extemplo terram baculis percutiunt, fuſtes capiti ejus apponunt, & infrendunt dire dentibus in eum. Magnum ſit tibi, inquiunt, quod huc uſque impune veniſti, & ſicut celer reditum ſpem vitæ, ita tibi parvæ moræ necis damna creabunt. Nobis & toti huic regno, cujus nos fauces ſumus, communis lex imperat, & unus ordo vivendi. Vos vero, qui eſtis alterius & ignotæ legis, niſi hac nocte diſcedatis, in craſtinum decapitabimini. Ipſa nocte naviculæ imponebantur, & retro ducti manſerunt quinque dies in vico quodam *a*.

Joannis Canaparii viſio de eo.

41. Hæc dum in illa geruntur parte, ecce in monaſterio *b* ubi ille talis nutritus fuerat, cuidam converſo Joanni Canapario talia Dominus per viſum oſtendit. E ſummo cælo velut volantia deorſum veniunt uſque ad terram duo linteamina, alba ſicut nix, & munda abſque omni ſorde & macula: ambo ſua onera, ſingulos quidem viros de terra levant; ambo feliciſſimo curſu nubes & aurea ſidera tranſnant. Unius nomen, extra ipſum qui hæc vidit, admodum pauciſſimi ſciunt: alter vero erat, ut adhuc hodie meminit, domnus Adalbertus, cui Angelus miniſter jam cæleſtis menſæ convivia præparavit. At Pater Nilus ignotum eſt quid de eo viderit; ſed „ dulcibus ſcriptis eumdem virum ita alloquitur: Scias dulciſſime fili, quia „ amicus noſter Adalbertus ambulat cum Spiritu-ſancto, & beatiſſimo fine „ præſentem vitam erit terminaturus.

Aliud fratris Gaudentii viſum.

42. Item fratri Gaudentio, quæ opere futura erant, nocturna quies textis ambagibus dixit. Expergefactus ergo ſi vellet audire ſomnium ſuum, interrogat dilectum Patrem. Reſpondente autem ipſo, Dic ſi quid habes; „ Vidi inquit, in medio altaris calicem aureum, & hunc vino ſemiplenum, „ cuſtos vero ejus nemo erat. Me itaque volente bibere merum, oppoſuit „ ſe mihi miniſter altaris, & audacibus meis cœptis, velut quadam imperioſa auctoritate, contradixit, qui nec mihi, nec alicui hominum licen„ tiam dare vellet pro eo, quod tibi in craſtinum pro myſtica refe„ ctione foret ſervatum. Hæc eo loquente fugit ſomnus ab oculis, & oc„ cupat trementia membra torpor ingens. Deus, inquit, fili, proſperet hunc „ viſum: fallaci ſomnio neminem credere oportet.

Adalbertum pagani intercipiunt.

43. Jam exſurgente purpureo die cœptum iter agunt, & Davidico carmine viam ſibi adbreviant, & dulcis vitæ gaudium continuo appellant Chriſtum. Inde nemora & feralia luſtra linquentes, ſole adſcendente ad meridiem, campeſtria loca adierunt. Ibi fratre Gaudentio Miſſam celebrante, ſanctus ille Monachus communicavit, & poſt ſacram communionem pro alleviando labore itineris pauxillum obſonii accepit: & dicto verſu & ſequenti pſalmo ſurgit de gramineo cæſpite, & quantum jactus eſt lapidis, vel miſſus ſagittæ, progreſſus loco reſedit. Hic tum cœpit eum ſomnus, & quia diutini labore itineris feſſus erat, pleno cornu perfudit eum ſoporifera quies. Ad ultimum pauſantibus cunctis affuit paganicus furor, & irruerunt ſuper eos impetu magno, & injecerunt omnes in vincula.

44. San-

---

a Hoc loco poſterior vitæ ſcriptor narrat, „ Athletam Chriſti videntem nullum fructum animarum ſequi, & deſideratæ morti ſpem auferri . . . dixiſſe fratribus: Preſſi magnis adverſis, quid conſilii capiemus? „ quo vertamur neſcio. Habitus corporum & honor veſtium, ut video, paganis animis non parum nocet. Unde, „ ſi placet, veſtimenta mutemus clericalia, pendentibus capillis ſurgere ſinamus tonſæ barbæ truncas comas, & „ prodire non prohibeamus. Forſan non agniti melius habemus ſalutem operari, ſimiles eorum effecti familiarius „ cohabitabimus, alloquemur & convivemus, laborando quoque manibus propriis victum quæremus . . . . Ergo viſo conſilio meliora ſperans . . . . . ad ferocium Lutizorum idola ſurda prædicationis equos flectere placuit, „ quorum linguam cognovit, & quos necdum viſus, mutata veſte & habitu, fallere potuit. Hoc tamen inge„ nio, hoc bono dolo cogitavit, aut Imperatoris filio reperire novum populum, aut longis deſideriis ponere finem. Hactenus vita ſecunda num. 25.

b Alia Vita num 26 „ Romæ interea in monaſterio, quo ſanctus iſte philoſophia BENEDICTI Patris nutritus erat, revelatio divina hæc dicta dedit. Inter plures viſiones, quas rapta mente ſæpe levatus vidit crucifixus mundo Joannes monachus & Abbas, venerunt a cælo uſque ad terram deſcenſu delectabili, adſpectu pulchro duo linteamina &c. Itaque Joanni Abbati Canapario cognomen erat, non Campanario, ut apud Henſchenium.

Digitized by Google

44. Sanctus vero Adalbertus ſtans contra Gaudentium & alium fratrem ligatum: Fratres, inquit, nolite contriſtari. Scitis quia hæc patimur pro nomine Domini, cujus virtus ultra omnes virtutes, pulchritudo ſupra omnes decores, potentia inenarrabilis, pietas ſingularis. Quid enim fortius, quid eo pulchrius? quam dulce eſt pro dulciſſimo Jeſu fundere vitam! Proſilit ex furibundo agmine igneus Siggo, & totis viribus ingens jaculum movens, transfixit ejus penetralia cordis. Ipſe enim ſacerdos idolorum, & dux conjuratæ cohortis, velut ex debito prima vulnera facit. Deinde concurrunt omnes, & vulnera miſcentes iram exſaturant. Profluit purpureus ſanguis per foramina utriuſque lateris: ille oculis ac manibus ſtat orans in cælum. Exiit rubeus amnis divite vena, & extractæ haſtæ ſeptem ingentia vulnera pandunt. Ille vinculis ſolutis extendit manus in modum crucis, & ſuppliciter fuſis precibus pro ſua & perſecutorum ſalute ad Dominum clamat. Sic illa ſancta anima carcere ſuo evolat, ſic nobile corpus protenta cruce terram occupat, ſic quoque multo ſanguine vitam fundens, beatis ſedibus & ſemper chariſſimo tandem perfruitur Chriſto.

AN. CHR. 997. 23. April.

Haſtis eum confodiunt.

45. O ſanctum & beatiſſimum virum, cujus in vultu angelicus ſplendor, in corde ſemper Chriſtus erat! o pium & omni honore digniſſimum, qui crucem, quam voluntate ſemper in animo, tunc etiam manibus & toto corpore complexus eſt! Accurrunt undique armis dira barbaries, & nondum expleto furore auferunt corpori nobile caput, & ſeparant exſanguia membra. Corpus vero loco dimittentes, caput palo fixerunt, & læto clamore ſua ſcelera laudantes reverſi ſunt unuſquiſque ad proprias ſedes.

Caput palo defigunt.

46. Paſſus eſt autem ſanctus & glorioſiſſimus Martyr Chriſti Adalbertus nono calendas *a* Maji, imperante rerum domino Ottone tertio, pio & clariſſimo Cæſare, feria ſexta, ſcilicet, ut qua die Dominus Jeſus-Chriſtus pro homine, eadem die homo ille pro Deo ſuo pateretur, cujus eſt miſericordiæ in ſæculum, honor, laus & imperium in ſæcula ſæculorum, amen.

Caput palo defigunt. Martyrii tempus.

FRAGMENTA

EX ALIA VITA.

NAſcitur purpureus flos Boemicis terris; major filius ex parentibus magnis, aureum pomum exivit e nobilibus ramis. Progreditur pulchra facie, ſed pulchrior fide Vvoytiech puerulus: quod nomen interpretatum ſonat, Conſolatio exercitus. Pater ſuus, nomine SLAVVINTZ, magnus & præpotens erat. Subſtantia ejus integra, poſſeſſio diffuſa eſt.... Cum eſſet dominus terræ, fuit tamen mediocris homo. Oratio rara, ſed habitabat ſecum miſericordia bona, neglecta * caſtitas, & larga pauperum cura. Mater ejus, nomine STRZIEZISLAVVA, ex genere Boemorum erat, nobiliſſima claro, digna jugalis juncta digno marito: marito videlicet, qui Regum tangit lineam ſanguinis: quem longe lateque jura dantem hodie tremunt, HENRICO Regi acceſſit proximus nepos, &c. *ex num. 1.*

Lacte plenus interea parvulus homo febricitat, mortem vicinam parentibus minatur.... Dixerunt territi parentes tremula voce: Non nobis, Domine, non nobis vivat puer iſte, ſed Clericus in Dei Matris honore portet jugum tuum pulchra cervice. Sic dicunt, ponuntque ſuper altare Virginis, &c. *ex num. 2.*

Decurſis itaque rudis infantiæ balbutientibus annis,.... traditur ad ingenuam Parthenopolim, Teutonum novam metropolim, liberalibus diſciplinis imbuendus: quam urbem Rex maximus, primus trium Ottonum Imperator, in magnum Archipræſulatum erexit, *ex num. 4.*

a Eumdem diem ſignat cum aliis Chronographus Magdeburgenſis, infra. Hic dies in feriam ſextam incidebat anno 997. qui littera c præditus erat. Glaber Rodulfus in lib 1. cap 4. „ Eodem imperante Ottone ſecundo „ venerabilis Pontifex Adalbertus ex provincia, quæ lingua Sclavorum vocatur Behem, (ſic legendum, non „ Bethem, ut in editis) in civitate Braga regens eccleſiam ſancti martyris Vitiſclodi, egreſſus ad gentem „ Bruſcorum, ut eis verbum ſalutis prædicaret. Dumque apud eoſdem plurimam egiſſet prædicationem, „ multique ex eis converterentur ad Fidem Chriſti, prædixit ſuis, quoniam in eadem regione martyrii co„ ronam eſſet accepturus: ac ne paverent, eis pariter indicavit, quia præter eum ibidem nemo erat peri„ mendus. Contigit enim ut die quadam, præcipiente eodem Epiſcopo, quædam profana arbor ſita juxta flu„ vium, cui etiam ſuperſtitioſe immolabat univerſum vulgus, videlicet exciſa convelleretur: conſtructoque „ ac ſacrato in eodem loco altare, Miſſarum ſollemnia per ſe Epiſcopus ex plebe paravit: qui dum in ipſis Sa„ cramentis peragendis eſſet conſtitutus, ictibus jaculorum ab impiis perfoſſus, tandemque ſacrum ſollemne pe„ ractum, ſimulque præſentis vitæ impoſuit terminum. Denique diſcipuli ejus accepto corpore ſui domini, illud „ ſecum ferentes, in propriam ſunt reverſi patriam. Cujus etiam meritis uſque in præſens largiuntur hominibus „ plurima beneficia. Haſtenus Glaber.

AN. CHR. 997 23. April. &, ut hodie cernere eſt, in pulchro litore Albis fluminis ſancto Mauricio pulcherrimam domum prope conſtruxit. Urbis Epiſcopus tunc erat ADALBERTUS, ipſe & primus, qui quemdam ſuo nomine Adalbertum vocavit, bonæ indolis puerum Vvoytiech ſancto chriſmate linivit. Hæc cum facta eſſent, parentes non norunt. Poſtea quando finito ſcholæ duello domum rediit, recordata eſt mater pueri, quia Pruziis, Epiſcopus gentium poſitus idem Adalbertus, cum ſuper regnum patris iter ageret, deductum fuiſſe filium cum ungendis pueris, ut primo chriſmate liniretur. Ecce prudens lector in peccato cognoſce latens myſterium, ut in peccato David & in aliis forte erratibus bonum figurat vetus Teſtamentum. Bis, dum Presbyter, dum fit Pontifex, unctus; homo mortuus [a] quatuot dies unguento Salvatoris ad vitam ſuſcitatur. Baptizatus ter, dum mente Chriſtum induit, dum mente Monachum, dum ſanguine Martyrem facit, ſummæ Trinitati inviſibili Deo aptus ſervus præparatur. Summo baptiſma ter factum, quaternam unctionem ſemel errantem, & colligam in ſacrum ſeptenarium, &c.

ex num. 5. Igitur ad fontem ſcholæ hoſpes proceſſit...... Scholis præerat tunc OTTRICUS quidam facundiſſimus, ætate illa quaſi Cicero unus: cujus memoriale clarum uſque nunc intra Saxoniam habetur; quem quantus foret, diſcipulorum facies inſpecta ſine lingua ſonat, & per vicinas urbes circumquaque diffuſa ſophia digito monſtrat. Hoc autem aſſerunt mirabile de eo, ſi forte magiſter amoveret pedem, ut eſt proprium vagis puerorum animis, aliquando pereunte ludo totum conſumſerat diem. Cumque perlecta lectione nec verbum ſaperet, & bene iratus magiſter flagellare inchoaſſet; Dimitte me, inquit, legam. Et dimiſſus, ut rem notam omnibus legit. Dicunt etiam tribus linguis [b] pro una locutum...... Auditoribus enim tunc uſus erat latialiter fari, nec auſus eſt quiſquam coram magiſtro lingua barbara loqui.

ex num. 6. Annos ter ternos in arena ſtudii palæſtram exercet ingenii..... Poſt Capella Regis magiſtrum tulit.... Repatriat novo nomine jam adoleſcens Adalbertus.... Hoc toto tempore adeo laſcivus erat, ut homo, incubat terrenis deliciis, &c.

ex num. 7. Moritur Boemiæ provinciæ Epiſcopus, & ſicut coram adſtantibus deſperata voce teſtatur, ab nigris ſpiritibus ad tartareum chaos [c] incaute portatur. Præſens erat tunc Adalbertus........ quem, ut ipſe poſt Abbati in monaſterio dixit, viſionis iſtius magnus horror invaſit, & ad primam ſalutem direxit. Exinde emendare mores, frena ponere animis, deſideria carnis igne divini amoris excoquere cœpit.

ex num. 8. Conveniunt Dux terræ & major populus, & pro levando Paſtore varias *ſententias dicunt*. Omnes tamen ad ultimum manus levant, non habere meliorem nec ſimilem quem oporteret eſſe Epiſcopum, ſicut indigenam Adalbertum..... Hac ipſa die ubi accepit Epiſcopatum, audientibus multis locutum eſt dæmonium.... Cui rei qui illa hora præſens erat VVILLICO, quidam bonus & ſapiens clericus, teſtimonium aſſerebat, & nos legimus, cum ad noſtrum Abbatem hoc ſcriptum filius mandaverat. Ipſum Epiſcopus Adalbertus ſuæ eccleſiæ Præpoſitum habuit; poſt ſuper cordis arida flante Spiritu-ſancto, nobilem Monachum mons Caſinus recepit.

ex num. 9 Igitur electus Epiſcopus auricomam Italiam vadit: quem Cluſæ artas vias egreſſum prima civitas Verona recepit, quæ in fauce regni pulchre levat caput. Ibi eum paſtorali virga inveſtivit Otto ſecundus, qui tum loco patris rapidis cruribus montem Imperii ſcandit: ſed non dextro omine, nec vivo maturæque ſapientiæ ſigno rem publicam rexit... Ergo archimandrita Maguntinus, gravis homo VVILLIGISUS, Adalberto, cui Deus interiori gratia benedixit, venerabile caput oleo unxit, & in præſentia Imperatoris ad Sacerdotis altitudinem provexit. *Ea tempeſtate* effrena gens, Lutici pagani, jugum Chriſtianitatis deponunt, & cum *quo errore* adhuc laborant, poſt deos alienos erecto collo cucurrunt, & qui fugientes *fugere nequeunt*, Chriſtiani multi gladio ceciderunt. Tunc peccato Ottonis multa mala ſurrexere, maxima ubique & miſerrima emerſerunt naufragia. Reſpublica turpitudines paſſa de ſolio deſcendit, Chriſtiana Religio lacera iram Dei ſenſit.

Actum eſt bellum cum Polonianis: Dux eorum MISICO arte vicit, humiliata Teuto-
ex num. 10. num magna anima terram lambit, OTTO pugnax Marchio laceris vexillis terga convertit. Alia hora congregatus & optimus populus, & exercitus grandis valde nimis, congrediuntur cum Carolinis Francis. Cedunt hoſtes non ferentes virorum fortium impetum fortiſſimum: ſed dum vino ventrique colla flectunt, regnante Ottonis infortunio, victores in turpem fugam deſinunt. Ultimum & lacrymabile bellum confecit cum nudis Sarracenis, quorum dum ultra credibilem modum numerus excrevit, cæde cadaverum laſſa dextera defecit, & bellantium heroum virtus fracta ſuccubuit. Stratus ferro occidit flos patriæ purpureus, decor flavæ Germaniæ, plurimum dilectus Auguſto Cæſari; qui cum ſtupentibus oculis nefas exhorret, tandem pudet quia mulierem audivit; tandem ſero pœnitet, quia infantilia conſilia ſecutus ſententias majorum projecit..... Ergo Rex puer, cernens caros ablatos, optimates occiſos, neſcius quo ſe vertat, irato Domino quo vadat, in maximam deſpera-

[a] Id eſt, duplex iſta unctio, itemque duplex confirmatio, ſignificant ipſius reſurrectionem a peccato, quæ per Lazari quatriduani ſuſcitationem a Chriſto factam deſignatur.

[b] Nempe, Latina, Boemica, & Teutonica.

[c] Hæc Balbinus apud Henſchenium improbat, aitque plane impoſſibilia eſſe. Vide quæ ſuperius de hoc Dietmaro diximus.

Digitized by Google

perationem filiam criminum impegit; illud poſt miſeriam ſequens, quod quidam jacens in marmoreis hortis cantat. AN. CHR. 997 23. Apr.

Una ſalus victis nullam ſperare ſalutem.

Emiſſo equo dedit ſe in mare. Nat ſonipes; ubi laſſus eſt ceſſat: ipſe Rex nandi peritus ſuper undas diu natat, donec obvia navis Græcorum feſſum levat, & extra ſpem caræ conjugi, & ſuperſtiti populo incolumem reddit. Erat in eo, ut accepimus, vivida virtus, fervida & effrœna juventus: manus prompta bello, ſed raro unquam cum conſilio. Multa bona fecit, ſed ætas lubrica errare fecit, & plura præcipitatione peccavit. Prope ſemper perdidit diebus ſuis, ubi prœlium cœpit: extra Teutonum conſuetudinem, pugnantibus eis ſecutum omne infortunium eſt: cujus efficiens cauſa erat Regis contra Dominum tacita offenſa. Virgil. 2. Æneid.

Retro ſumit iter ſanctus Epiſcopus: venit in terram ſuam, pulchre regens animam propriam, & poſt bene paſcens optimis paſcuis ſubditam plebem. De rebus autem Epiſcopii primam partem in agmina pauperum, ſecundam pro reſtauratione matris eccleſiæ, tertiam pro captivorum redemptione diſpoſuit; quartam ipſe cum ſuis cohærentibus ad neceſſarios ſumptus recepit..... Populus autem duræ cervicis ſervus libidinum factus, miſcebantur cum cognatis, & ſine lege cum uxoribus multis. Mancipia Chriſtiana perfidis Judæis vendebant: dies feſtos confuſa religione obſervabant; dies vero jejuniorum, voluptatibus vacantes, omnino non curabant. Ipſi clerici palam uxores ducebant: contradicentem Epiſcopum iniquo odio oderant, & ſub tutela quique ſuorum contra ipſum majores terræ excitabant, &c. ex num. 11.

Itaque ad ſanctam civitatem, ubi memoriale ſanctum, ubi ſepulchrum Domini eſt, pedeſter venire affectans; matrem Martyrum, Apoſtolorum domicilium, auream Romam venit. Ibi tum pulchrum lutum, Græca Imperatrix Auguſta, quæ jam longos dies mortuum flevit, ſepulti conjugis memoriam reparat, dulcem Ottonem eleemoſynis & orationibus cælo commendat. Non enim diu ſupervixit ille, poſtquam reipublicæ talem errorem genuit, tot Chriſtianorum mortibus paganorum animos ſatiavit. Mira res! in tantis adverſis illum circumfluentibus non reſipiſcit: quid contrarium miniſtro æterni Imperatoris egerit, quid pio Laurentio peccaverit, non recognoſcit. Epiſcopatum *a* quem pater in ſuum honorem pretioſiſſimo Martyri erexit, ambitione ſuorum in peccatum ductus filius deſtruxit, non faciens ordinate, ſed quaſi qui aquam in mare fundit. Epiſcopatum dejecit, ut plenum divitiis Archiepiſcopatum ditaret. Tulit optimo Laurentio, poſuit Parthenopoli Archipræſulem ſancto Mauricio. Factum eſt ſcandalum in Eccleſia Dei propter hoc peccatum, donec novus Rex veterem errorem correxit, & venit poſt tres Ottones ſecundus Henricus Chriſtianiſſimus...... Sed peccatum quod vivens neglexit (Otto ſecundus,) mortuo marito emendare uxor ſupeſtes inſtabat. Legatos mittit, eleemoſynas & orationes multorum, quos per propitium Redemptorem appellaret, peccatorem Regem ab incendio liberaret. Hæc tum ubi ſanctum virum adeſſe cognovit Adalbertum, nominatiſſimum Epiſcopum, quem Jeroſolymam properare audivit, clam ad ſe vocat, oranſque ut pro anima Senioris oraret, maſſam argenti obtulit ingentem, &c. ex num. 12.

Caſinum uſque pervenit, ubi beatus Benedictus charam ſedem poſtremo poſuit..... Ibi Abbatis & Fratrum piis monitis hortabatur, ne inutili vagatione vitam expenderet, ſed loco ſtaret: ita melius virtutum fructus congregaret..... Animadvertit...... ita eſſe ut dicunt. Montem feſtinus deſcendit: & quem in philoſophia Chriſti perfectiorem diſcipulum invenit, Patrem NILUM calida ſpe accenſus petivit, ſub quo parvulus factus jugum Chriſti ferre, & obedientiæ aureas litteras parare ſatagebat. Amplexus genua ſenis, in hoc firmus hærebat. Non negat pater Nilus: Aſt, inquit, homo ego ſum Græcus. Melius hæc conveniunt tibi cum quibus agas Monachi Latini. Redeas Romam nutricem ſanctorum filiorum: quære nobilem Abbatem amicum noſtrum LEONEM: dic me miſiſſe te rudem diſcipulum ad talem magiſtrum..... Fecit ut homo Dei dixit: ad ſanctum Bonifacium monachalem veſtem accepit: ſub Abbate quo dixit, Regula duce militavit &c. Quinquennio plenus miles in monaſterio erat. ex num. 13 ex num. 14.

Poſt populus terræ Epiſcopum ſuum revocant: viri ſancti pappatem *b* RADLAM, qui frater carnis ſuo Duci erat, & Chriſtianum Zrahkvvas monachum, eloquentem virum in hoc opus eligunt. Hi duo cum litteris Metropolitani Romam veniunt, de reditu Paſtoris Papam appellant, populo pœnitenti Patrem ſuum quærunt.... Amborum, Papæ & Abbatis, imperio parens, fracto ſuo libito, flens Epiſcopus ad Epiſcopatum redit: pro cujus regimine virgam, pro cujus pignore anulum, dante Apoſtolico, accepit. Dominica die veniens venit demum ad unam civitatem, ubi ipſa die erat mercatus magnus: quæ viſio non parum adduxit triſtitiæ ſancto viro. Ad eos vero qui ſe reportarunt, improperando ait: Hæc eſt „ veſtra promiſſio bona? Pœnitentes veſtri nec feriantur hac die ſacra? Stetit tamen in Epi„ ſcopio ſuo, paſcens macrum populum divino pabulo. Verum nova religio cito dorſum vertit, ex num. 15.

a Merſeburgenſem ſcilicet, ſancto Laurentio ſacrum, quem permittente Ottone II. Giſilerus Epiſcopus evertit, translatus in metropolim Magdeburgenſem, ſupra pag. 583.

b Differunt *Pappas* & *Papas*, ut *papas* ſit pædagogus, ut in hac ſecunda Vita Adalbertus dicitur *papas morum & magiſter ſenſuum*, num. 3. *Pappas* vero papæ diſcipulus. De Zrahkvvaſo monacho infra ex Chronico Magdeburgenſi.

AN.CHR 997 23. April. antiqua conſuetudo ſuperiorem manum tenuit.... * Unde cogitans Epiſcopus, quod nec ſibi, nec illis caſſus labor profuiſſet, animæ vero ſuæ talis ſtatio obeſſet, Pappati ſuo *ait*: „ Scias certum, aut ubi ego ſum venies, aut amplius me numquam videbis.... Non tacendum, quod juxta poſitis Ungaris nunc nuntios ſuos miſit, nunc ſeipſum obtulit: quibus etiam ab errore ſuo parum mutatis umbram Chriſtianitatis *a* impreſſit.

* ex num. 16. ex num. 17. Ergo divinus heros aſcendit equos, dulcem Romam reviſit.... Hic ſecretos monaſterii ſinus, caram requiem intrat.... Uſus vero ſibi maximus erat colloquia quærere ſpiritualium & ſeniorum, qui crebro illuc pro charitate Abbatis plures confluxerunt. Græci, inquam, optimi veniunt, Latini ſimiles militarunt: ſuperioribus quatuor pius BASILIUS, inferioribus magnus BENEDICTUS dux ſive rex erat. Inter quos medius incedens, Deum ſitiens Adalbertus, verba vitæ ſumit & glutit, raptuſque in altum cum Fratribus, contemplatur dulcem Dominum. O quantoties obortis lacrymis memini dicentem, cum cauſa ædificationis aggreſſus eſſem JOANNEM Abbatem: Ubi ſunt, inquit, margaritæ meæ? ubi ſunt cibi animi mei? Cum convenirent ſancti viri, pluebant ibi ſermones Dei, accenſæ ſententiæ mutuo curſabant: arſit ignis ſuper terram cordis: teſtabatur Deum præſentem unda compunctionis. Hoc GREGORIUS Abba, hoc erat Pater NILUS, hoc JOANNES bonus infirmus, hoc ſimplex STRATUS *b* & ſuper terram Angelus unus: hoc ex donis majoribus Dei ſapiens JOANNES, hoc ſilens THEODORUS, hoc JOANNES innocens, hoc ſimplex LEO, pſalmorum amicus, & ſemper prædicare paratus.

* ex Surio. * Hunc Epiſcopum, quo dignum non fuit ſæculum noſtrum, cum ſine baculo iter agens Ravennam veniret, cur ſine virga paſtorali vir tantus incederet, optime cautus Dei ſervus Durans interrogavit. Reſpondens verbum memorabile ille homo, qui vere potuit loqui: „ Vivit Deus, inquit, in cujus conſpectu ſto, facile eſt geſtare pedum, ſed difficile red„ dere rationem, cum venerit ad judicium qui non errat Judex vivorum & mortuorum.

ex num. 20. Hinc ad Imperatorem redit.... Ibi ſopora nocte parum molli lecto requieſcens, vitæ ſuæ deſiderabilem terminum adſpexit neſcius tamen ipſe, quid ſibi ſomnium vellet, *donec tactus* Spiritu alienigena hoc revelavit.... Erat autem in ſuperiori parte, *panno capitali au*„ reis litteris inſcriptum: MUNUS hoc donat tibi filia Regis. Quod *ſomnium coram Rege* cum quibuſdam familiaribus exponeret, quidam, cui vivax ingenium *natura dedit*, & pulchra facundia inſignem fecit, LEO palatii Epiſcopus, pulchre alludens ait: Homo tibi „ contrarius, cito invenies quod quæris: dono Virginis procul dubio Martyr eris. Nec minus quod vidit de lecto fratrum, partim ante ſe, partim hoc anno eſſe completum, ſic collige mecum.

ex num. 21. Quinque fratres habuit, quorum omnium animas gladius pertranſivit. Ex quibus major frater ſervitio Imperatoris in adjutorium profectus, paganorum expugnationes adivit: ubi & cum BOLESLAVO Poloniorum Duce amicitiam junxit, querelas Imperatori fecit, quod mala quæ nulla promeruit, Dux Bohemorum BOLESLAUS ſine miſericordia ſibi ſuiſque fratribus plura ingeſſiſſet. Hujus uſque in adventum & ſeros reditus relicti domi quatuor fratres pacem impetrarunt, & ex parte Ducis ſecuritatem & ſacramenta acceperunt. Pro divinam humanamque fidem! Numquid non eſt Catholicus melior pagano! Væ homini, cui in cordis vena malus dolus ſalit. Heu noſtra infelicia tempora! Sapientem vocamus, cui fallere ingenium calet: cui in ore mel, in corde fel latet. Ecce Judas, qui per pacem didicit facere bellum; promittit vitam, ut inferat mortem: dat Boleslaus fidem, ut inopinato occidat fratres. Nec longe quæras exemplum: in eadem linea ſanguinis frater ſuus ſanctiſſimum VVENCESLAUM occidit. Inter hæc quis non deploret ſqualores miſeriæ *noſtræ*? quis non exhorreat cæcum natum hominem noſtrum? Dum neſcit cavere currens *peccatum*, cadit in majorem foveam: dum non vult quærere oculorum ductorem, naſcitur *de peccato* peccatum maximum. Ita & nunc, o homo, dum neſcis cavere perjurium, *incurris* homicidium, nec ante definis hoc dicto ad tuam fidem, antequam impleas illud propheticum:
Pſalm. 68. 28. *Appone iniquitatem ſuper iniquitatem*, & mox ſequitur illud evangelicum: Sanguis, qui effuſus
Matth. 27. 25. eſt, ſit ſuper te, & ſuper filios tuos. Igitur ſacramento fidunt, quod Chriſtiani darent; quando fratres Chriſticolæ Adalberti pacem putarent; liber populus per campum ambulat. Non enim data fide bellum cogitat: ſtat proxima periculo civitas ſecura. Nam & ecce hoſtes ex improviſo veniunt, diffuſa multitudine civitatem circumcingunt, in vigilia pretioſi martyris Vvenceslai bella incipiunt, nihilominus & ipſo feſto oppugnare certatim inſiſtunt. Nec juvat quod urbani diem ſanctum venerari petunt: contra quos forenſes verba ſuperbiæ jaculantes, ſi veſter, inquiunt, ſanctus Vvenceslaus, noſter utique Boleslaus. Et quamvis poſt caperent civitatem, pœnas dedit aſperum verbum. Civium namque gladio die illo ceciderunt hoſtium capita multa, & omnes qui in illo conſilio fuerunt, aut mortui quieſcunt, aut cæci & diſperſi male vivunt. Ceſſit pavida civilibus bellis civitas, miſerabili exſilio familiæ

a Id factum ſub Geiſa Duce, cujus filium Stephanum, Hungarorum poſtea Regem, baptizavit *Adalbertus*. Confer acta ſanctorum Zoerardi & Andreæ in Sæculo ſequenti.

b Hi ſunt quatuor Græci monachi inſignes, de quibus ſupra; & qui ſequuntur, quatuor Latini, *ad ſanctum* Bonifacium Romæ cum aliis ſuis ſodalibus degentes. Nilus hic laudatus, an Roſanenſis, *cujus ſuperius* meminimus: Leo vero, an qui Nonantulanus Abbas, de quo ſuo loco.

Digitized by Google

miliæ diſtractæ, bona in manus inimicorum cuncta ceſſerunt. Inundat planctus mulierum; ſtupet mortua facies puerorum, geminatis dextris vivorum: ſtat ſilentium ſpectantium clericorum: ſancti viri fratres quatuor, ſtrenui bello, & neſcii cedere loco, dum, de quo jam diximus, clericus Radla conſilium dedit, parum valentia arma dimiſerunt, & quam prœliando pulchram mortem putarunt, confugiendo ad eccleſiam (ut eſt in humanis oculis) turpem fugam acceperunt. Nam falſo data eſt ſpes vivendi, & dum exeuntes eccleſiam ſponte in manus hoſtium vadunt, fefellit dextera Senioris, & in conſpectu omnium pulchra corpora ſubierunt capitalem ſententiam. Hæc tunc: ſed quando digna indigni ſcribimus, eſt mortuus furente gladio frater maximus, completa eſt pii Adalberti viſio tota, dum ante ſe bis duum fratrum, poſt hoc anno maximi fratris mors eſt ſubſecuta; quorum mortibus mors ſua quam præſtantior foret, quorum lecto lectulus ſuus quam pulchrior emineret, omnis intelligit, qui ipſum cauſa Dei, illos cauſa ſæculi, & defendendæ vitæ cecidiſſe cognoſcit. AN.CHR. 997 23. April.

Vidit etiam in monaſterio & aliam viſionem, quam non de ſe, ſed quaſi de aliquo alio reverentiſſimis viris ita expoſuit. Agnoſco hominem, cui duos ordines in cælo Deus arridens digito præmonſtrat; unum ſplendoris purpurei, alterum ultra quam dici poteſt nivei candoris. Inter hos & illos blanda vox ait: Manet te locus & certa ſedes. Ergo quem ſuo labori adjutorem Deus præparavit, Ducem Polonorum, ſervorum Dei patrem, Boleslaum, rerum dubius petit: cujus auxilio nuntios ſuos miſerat ad inſolentem uxorem, ſi vel ſtruprata ab amatoribus multis, priorem maritum accipere vellet. Interim in hac regione cum Duce nuntiorum adventum exſpectat; qui cum redeunt, qualem Epiſcopus amavit, plenam contumeliis legationem referunt. Bene venias, inquiunt, ad non ſemel refutatam mulierem. Miræ res! ad uxorem ſponte venis, quem ſemper invitum vocare, & neceſſe erat tenere: ſcimus quæ cogitas homo. Omnino nolumus, nec eſt tibi locus in populo tuo, qui vis vindicare occiſos fratres vulnere magno. Accipiens ille libellum repudii, ex ſuperborum conſiliis non minus lætus efficitur, quam homines, cum, ſicubi non ſperant, læta verba & honorum oblationes accipiunt. Dirupiſti, inquit ille, vincula mea. Hoc eſt quod exſpectans exſpectavi, deſiderio deſideravi. Ablatum eſt meum periculum. Quid! reſpondet in faciem. Qui me non vult quomodo poſſum regere gregem? Euge non timeo revocantem amplius Papam, nec triſtia ferentem Metropolitæ immitis epiſtolam; qui antehac paganicis operibus in fugam me excitaverunt, ecce palam verbis, Nolumus te, dicunt. Miſerat his diebus ad Ungarorum Seniorem magnum, immo ad uxorem ſuam, quæ totum regnum viri manu tenuit, & quæ erant viri ipſa regebat, qua Duce erat Chriſtianitas cœpta: ſed intermiſcebatur cum paganiſmo polluta Religio, & cœpit eſſe deterior barbariſmo languidus ac tepidus Chriſtianiſmus: ad quam tunc per venientes illinc nuntios in hæc verba epiſtolam miſit. Papatem meum, ſi neceſſitas & uſus poſtulat, tene: ſi non, propter Deum ad me mitte eum. Ipſi vero clam chartam alia mente, alia ſententia miſit. Si potes, inquit, cum bona licentia, bene: ſi non, vel fuga fugiens tenta venire ad eum, qui te deſiderio concupiſcit, Adalbertum tuum. Ipſe autem venire non potuit, vel ut homo noluit. Ut enim hodie ipſum audis dicentem, quem nunc ſicut ſitiens anima frigidam aquam totis viſceribus flagrat & amat, ardua ſcandentem ſemper tunc fugiebat. Ipſe tamen jam erat monachus, & (ut dicunt qui tunc temporis norant) pulcher & bonus. Ex hujus ore fateor me audiſſe unam rem, quam ſatis amo: ipſum ſanctum aſſerit loquentem: Numquam aliquid feci propter vanam gloriam: nam ut non pulſet, hoc eſt extra hominem: utrumque tantum a me miſerrimo omnium retro poſuit pedem, a me minimo gentium longe fugit in æternum exſilium. Memoriam vero viri * ſæpe pono, cujus relatione hæc ſcribo, quem ſervum Martyris agnoſci volo. num. 22. * Radlæ.

FRAGMENTA

Ex Chronico Magdeburgenſi mſ.

ANno 990. ſanctus Adalbertus Romæ ad ſanctum Alexium, inſcio Abbate quis eſſet, factus eſt Monachus. Nam videns quod grex ſibi commiſſus ſemper in præcipitium iret, nec eum ad rectam viam convertere quiret; timens ne & ipſe cum pereunte plebe periret, non auſus eſt cum eis amplius ſtare, nec paſſus eſt ſuam ulterius incaſſum prædicationis operam perdere. Sed cum jam Romam iter arripere vellet, forte ipſo tempore Ztrahquaz *, filius Boleslai, qui ſanctum Vvenezlaum fratrem ſuum interemerat, atque ad placandum hunc, de quo loquimur, Abbati ſancti Emmerammi Martyris Ratiſponæ imbuendum voverat & contradiderat. Qui veniebat cum ſui Abbatis licentia de Ratiſpona poſt multos annos viſere patriam, & cognatos, & fratrem ſuum Boemiæ Ducem. Cum quo vir Dei Præſul Adelbertus ſecretum petiit, & multa conqueſtus eſt de infidelitate & nequitia populi, de inceſta copula & inlicito diſcidio inconſtantis conjugii, de inobedientia & negligentia Cleri, de arrogantia & intolerabili potentia Comitum. Ad ultimum intentionem ſui cordis aperit, quod vellet Romam Apoſtolicum conſultum ire, & ad gentem apoſtatricem numquam redire. Inter hæc & ad hæc addidit: Et bene eſt, inquit, quod tu frater noſceris eſſe Ducis. Te plebs iſta mavult dominari, & tibi magis obedire quam mihi. Tu conſilio & auxilio fratris ſuperbos comprimere, negligentes arguere, infideles increpare, inobedientes corripere poteris. Tua dignitas & ſcientia, tui habitus ſanctimonia multum concordant ad hæc regimina. Quod ut fiat,

Adalbertus ad S. Alexium Monachus.

Ztrahquaz Monachus, * vide ſupra Epiſcopatum recuſat.

AN.CHR 997 23. April.

„ fiat, ego tibi cum Dei voluntate & mea poteſtate concedo, & ut liceat me vivente urbis Epi-
„ ſcopus, apud Apoſtolicum votis omnibus intercedam. ' Et quem manu forte tenebat, epiſco-
„ palem baculum ponit ei in ſinum. Quem ille quaſi furibundus in terram projecit, & hæc ſu-
„ per verba adjecit: Nolo dignitatem in mundo; Epiſcopatu me indignum judico; paſtorali
„ curæ non ſufficio. Monachus ſum, mortuus ſum, mortuos ſepelire non poſſum. Ad hæc Præ-
„ ſul reſpondit: Scias, Frater, ſcias, quod modo non facis cum bono, facies poſtea, ſed cum
„ malo tuo. Poſt hæc Præſul, ut propoſuerat, Romam iter arripit, & gentem ſuis præceptis
„ inobedientem reliquit. Eo tempore Miseco Polanorum, & Bolizlaus Boemiorum Duces invicem ſibi plurimum nocuerunt. Bolizlaus Liuticios, ſuis parentibus & ſibi ſemper infideles, in auxilium ſui invitat: Miſeco autem Theophanu Imperatricis auxilium poſtulat, &c.

Adalberti fratres necati.

Anno 995. poſt diſceſſum beati Adalberti a Boemia, quia Dux Boemiæ non erat ſuæ poteſtatis, Ducis comites verſi in Dei odium, patrum iniquorum peſſimi filii, valde iniquum facinus operabantur. Nam quodam die feſtivo irrumpunt urbem Lubic, in qua fratres ſancti Adalberti & milites urbis univerſi, velut oves innocentes, adſiſtebant ſacris Miſſarum ſolemniis. Et veluti lupi immanes maſculum & feminam uſque ad unum interficientes, quatuor fratribus ſancti Adalberti ante ipſum altare decollatis, urbem incendunt, plateas ſanguine perfundunt, & præda onerati hilares recedunt. Interfecti ſunt autem quinque *a* fratres ſancti Adalberti, quorum nomina ſunt hæc: Sobebor, Spitimur, Dobraizlau, Poreikaslau. His ita peractis, Dux Bo-

Adalbertus revocatur.

„ lizlaus inito conſilio cum clericis, Mogontinum Archiepiſcopum his ſollicitat verbis: Aut
„ noſtrum Paſtorem Adalbertum ad nos revoces, quod magis volumus; aut alium nobis ordina. Tunc Archiepiſcopus ſollicitus, ne populus nuper Chriſto adquiſitus, in antiquum relaberetur ritum, mandat Apoſtolico, ut aut Pragenſi eccleſiæ ſuum Antiſtitem remitteret, aut alium ordinari, ſineret. „ Et quia in cœnobio ſancti Alexii vir ſanctus manebat, hunc domnus Papa &
„ ſuus Abbas ſic alloquuntur. Frater amantiſſime, per caritatem Dei te deprecamur, ut ovium
„ tuarum regimen dignanter recipias. Si te audierint, Deo gratias: ſi non, fugientes te fugias,
„ ne cum pereuntibus pereas; & ad exteras nationes prædicandi licentiam *habeas*. Exhilaratus Præſul de data ſibi docendi exteras gentes licentia, non ſine magna Fratrum *mæſtitia diſceſſit*; & cum viro ſummæ diſcretionis, nomine Nothario, (Præſule) *adiens Archiepiſcopum in palatio*, rogat experiri ſi ſuus eum grex recipere vellet. Quo facto, *quid ille grex reſpondent*, aut quam ob cauſam eum non receperit, vel ad quas gentes inde tranſierit, quantæ frugalitatis omnibus diebus epiſcopii ſui fuerit, quanta morum honeſtate nituerit, ſcire poterit qui ejus vitam legerit. Tunc Ztrauquaz *b* frater Ducis, de quo ſupra meminimus, videns hunc quaſi re-

Ztrahquez ſuperbia caſtigata.

riter repudiari, tumido faſtu exarſit in Epiſcopatum: quem populus nequam ſtatim in epiſcopalem levat cathedram, mente tumidum, veſte compoſitum, oculis vagum, verbis vanum, moribus hypocritam, totius erroris mandritam, atque in operibus malis iniquorum archigerontam. Ventum erat ad Mogontinum Archiepiſcopum: ubi peractis omnibus quæ agenda erant, dum choro melodiam modulante Archipræſul infulatus procumbit ante altare, & poſt hunc inter duos ſuffraganeos Ztrahquaz proſternitur in medio; atroci arripitur dæmonio, & quod illi vir ſanctus clam prædixerat, palam fit coram clero & omni populo. Hactenus hæc inſeruiſſe ſufficiat.

Adalberti martyrium.

Anno 996. poſtquam ſignifer Chriſti Præſul Adelbertus retibus Fidei cepit Pannoniam ſimul & Poloniam, ad ultimum dum in Pruciam ſeminat verbum Dei, cuſpide perfoſſus 9. Kal. Maji capitis abſciſione optatum ſemper martyrium ſolus ex ſuis percepit abſque omni gemitu, ut in ſomnis in ipſa nocte vidit, ſuiſque fratribus prædixit. Putabam, inquiens, me Miſſam celebrare, ſolumque communicare. Sed nefandi ſceleris auctores eum jam exſpiraſſe credentes, ad augmentum ſui ſceleris divinæque ultionis, corpus beatum pelago miſerunt, caput ſude conviciando figentes, ac exſultando redeuntes. Quod Bolizlaus Dux Poloniæ comperiens, data pecunia mercatur incliti Martyris cum capite membra. Imperator autem Romæ certus *de hac re* effectus, dignas Deo ſupplex retulit laudes, quod ſuis temporibus talem ſibi per martyrii palmam aſſumpſit famulum.

Thietdagus ejus ſucceſſor.

Anno 997. ſæpe memoratus Dux Boemiæ Bolizlaus videns Pragenſem eccleſiam Paſtorè deſolatam, miſit ad Imperatorem legatos, rogans ut Boemienſi eccleſiæ Epiſcopum meritis dignum daret, ne grex noviter Chriſto mancipatus redeat ad priſtinos vanitatis ritus & iniquos actus. Quippe profitetur non haberi in tota Boemia tunc temporis clericum Epiſcopatu dignum. Forte tum aderat in regali curia Capellanus, nomine Thietdagus, magnæ virtutis & ſcientiæ, genere Saxo, perfecte ſciens linguam Slavonicam. Hunc omnes Palatini, & ipſe Cæſar valde lætificatus in Pontificem Pragenſis Eccleſiæ elegit, & mittens ad Mogontinum Archiepiſcopum, quod eum in Epiſcopum conſecraret mandavit.

Anno 998. Thietdagus Epiſcopus conſecratus Nonis Julii, a Clero & populo Pragenſis eccleſiæ honeſte recipitur, atque cum magno gaudio ad cornu altaris ſancti Viti *c* inthronizatur. Gaudet Dux Bolizlaus, quia Paſtor bonus gregi ſuo arridet, & grex lætus novo Paſtori alludit.

Anno

a Modo *quatuor*: ſed quintus ad tempus evaſerat, ex ſecundæ Vitæ num. 21. ſupra. *Et tamen tantum* quatuor ſic nominantur.

b Idem conteſtantur Æneas Silvius in Hiſtoriæ Boemicæ cap. 16. & Dubravius lib. 6. ubi *Strauiquatus* appellatur, Æneæ *Stratiquas*.

c Cathedram Pragæ eccleſiam ſancto Vito nuncupavit Tuto Ratiſponenſis Epiſcopus, *ſupra pag.* 111. Glaber Rodulfus in lib. 1. cap. 4. vocat *eccleſiam ſancti Martyris Vitiſclodi*, ſi non eſt *mendum* in editis.

Digitized by Google

Anno 1000. Imperator auditis mirabilibus quæ per dilectum ſanctum martyrem Deus fecit Adalbertum, orationis cauſa eo pergere feſtinavit. Cumque ad Cicenſem veniſſet urbem, ab Hugone ejuſdem urbis Epiſcopo decenter ſuſcipitur. Deinde recto itinere ad Miſnenſem tendens civitatem, a venerabili Eido ejuſdem civitatis Epiſcopo, & a Marchione Ekkihardo, qui apud eum inter præcipuos habebatur, honorabiliter excipitur. Decurſis tunc Mileini terminis, Bolizlaus Dux Poloniæ ad Diedeſi pagum venienti Imperatori parato in loco, qui Ilna dicitur, ſuo hoſpitio multum hilaris occurrit. Qualiter autem ab eo honoraretur, & per ſua uſque ad Gneſin deduceretur, dictu incredibile eſt. Videns autem a longe civitatem deſideratam, nudis pedibus ſuppliciter advenit, & ab Epiſcopo civitatis Ungero venerabiliter ſuſceptus, eccleſiam introducitur & ad Chriſti gratiam ſibi impetrandam Martyris Chriſti interceſſionem profuſis lacrymis invitat. Nec mora fecit ibi Archiepiſcopatum, ut ſpero, legitime, ſine conſenſu tamen præfati Præſulis & ſui Metropolitani, cujus diœceſi omnis hæc regio ſubjecta eſt: committens eumdem prædicti Martyris fratri, qui & Gaudentius, ſubjiciens ei Reinbernum Salſæ* Colberienſis Eccleſiæ Epiſcopum, Popponem Cracuenſem, Joannem Vvrottzlaenſem, Ungero Poznanienſi excepto: factoque ibi altari, ſanctas in eo honorifice condidit reliquias. Perfectis omnibus Imperator a præfato Duce magnis muneribus decoratur, & (quod maxime placuit) trecentis militibus. Diſpoſitis igitur in Slavia ſeptem Epiſcopis, a Bolizlao uſque Magdaburh comitatu deducitur egregio, ubi Palmarum ſollemnia celebriter peracta ſunt.

AN. CHR. 997

23 April.

Ottonis iter ad Martyris tumulum.

Gneſnæ Archiepiſcopatus inſtituitur.

* ſ. Sanctæ.

FRAGMENTUM

EX CHRONICO ADEMARI MONACHI Ecoliſmenſis

De S. Adalberto *&* *de* S. Brunone *ejus coapoſtolo.*

1. EA tempeſtate Ottone ſecundo mortuo, Otto filius ejus, tertius actu & nomine, imperio potitus eſt, qui philoſophiæ intentus, & lucra Chriſti cogitans, ut ante tribunal Judicis duplicatum redderet talentum, Dei voluntate populos, in circuitu idolis deditos, ad Dei cultum convertere ſtuduit. Etenim erant ei duo reverentiſſimi Epiſcopi, ſanctus videlicet Adalbertus Archiepiſcopus de civitate Praga, quæ eſt in provincia *Bevehem*; ſanctus etiam Brunus Epiſcopus de civitate *a Osburg*, quæ eſt in provincia Bajoariæ, conſanguineus ejuſdem Imperatoris. Nam ſanctus Adalbertus parvus ſtatura, ſanctus Brunus procero corpore erant: & quandocumque ſanctus Adalbertus in aula Imperatoris intererat, nocte intempeſta ſolus ad ſilvam abiens, ligna propriis humeris pedibus nudis deferebat, nemine ſciente, ad hoſpitium ſuum: quæ ligna vendens victum præparabat ſibi. Quod cum poſt multos Imperator comperiens dies, eum pro ſancto duceret, die quadam ſolito locutus cum eo dixit jocando: Talis Epiſcopus, ſicut vos eſtis, debuiſſet pergere ad prædicandum Sclavorum gentes. Mox Epiſcopus pedes Imperatoris deoſculatus, ait ſe hoc incipere: nec poſtea eum Imperator avertere potuit ab hac intentione; & rogante ipſo Epiſcopo ordinatus eſt pro eo in urbe Praga Archiepiſcopus quem elegerat ipſe; & libenter Imperator aſſenſit. Tum præparatis omnibus neceſſariis, pedibus nudis abiit in Pollianam provinciam, ubi nemo Chriſti nomen audierat, & prædicare cœpit Evangelium. Quod exemplum ejus ſecutus Brunus Epiſcopus petiit Imperatorem, ut pro eo juberet conſecrari in ſede ſua Epiſcopum quem elegerat, nomine Odolricum. Quo facto & ipſe humiliter abiit in provinciam Ungriam, quæ dicitur Alba-Ungria, ad differentiam alterius Ungriæ nigræ, pro eo quod populus eſt colore fuſco velut Æthiopes.

2. Sanctus denique Adalbertus convertit ad fidem Chriſti quatuor iſtas provincias, quæ antiquo paganorum errore detinebantur, ſcilicet Pollianam, Sclavaniam, Vvaredoniam, Cracoviam: quas poſtquam fundavit in fide, abiit in provinciam Pincenatorum, ut eis prædicaret Dominum. Illa gens nimium idolis effera, poſt octo dies quam ad eos venerat, & Chriſtum eis annuntiare cœperat; nono die reperientes eum orationi incumbere, miſſilibuſque ferreis confodientes, Chriſti Martyrem fecere. Deinde ſecto capite, corpus ejus in lacum magnum demerſerunt: caput autem beſtiis in campum projecerunt. Angelus autem Domini accipiens caput, poſuit juxta cadaver in ulteriorem ripam: ibi immobile & intactum & incorruptum permanſit, quouſque negotiatores navigio per illum lacum preterirent: qui auferentes ſacrum theſaurum, patefeceruntque Sclavaniam. Quo comperto Rex Sclavaniæ, nomine Boleslavus, quem ipſe ſanctus Adalbertus baptizaverat, datis magnis muneribus, caput & cadaver excepit cum honore, & monaſterium in ejus nomine maximum conſtruxit, & multa miracula fieri cœperunt per eumdem Chriſti Martyrem. Paſſus eſt autem ſanctus Adalbertus vigeſimo tertio die menſis Aprilis, id eſt nono Kalendas Maji.

3. San-

---

a Brunus ſeu Bruno, non fuit Epiſcopus Auguſtanus ante Udalricum, ut videbimus in Sæculo ſequenti.

AN.CHR 3. Sanctus autem Brunus convertit ad fidem Ungriam provinciam, & aliam quæ vocatur
997 Ruſſia; Regem Ungriæ baptizavit, qui vocabatur Geitz, & mutato nomine in baptiſmo, STE-
23. April. PHANUM vocavit: quem Otto Imperator in natali prothomartyris Stephani a baptiſmate excepit, & regnum ei liberrime habere permiſit, dans ei licentiam ferre lanceam ſanctam ubique, ſicut ipſi Imperatori mos eſt, & reliquias ex clavis Domini, & de lancea ſancti Mauricii ei conceſſit in propria lancea. Rex quoque ſupradictus filium ſuum baptizare juſſit, & ſanctus Bruno impo-ſuit ipſi nomen, ſicut ſibi, Stephanum. Poſtea vero ipſi filio ejus Stephano Otto Imperator ſo-rorem Henrici poſtea Imperatoris in conjugio dedit. At vero ſanctus Brunus cum ad Pincenatos properaviſſet, & Chriſtum prædicare cœpiſſet illis, paſſus eſt ab eis, ſicut paſſus fuerat ſanctus Adalbertus. Nam Pincenati diabolico furore ſævientes, viſcera omnia ventris per exiguum foramen lateris ei extraxerunt, & fortiſſimum Dei Martyrem perfecerunt. Corpus ejus Ruſſo-rum gens magno pretio redemit, & in Ruſſia monaſterium ejus nomini conſtruxerunt, magni-que miraculis coruſcare cœpit. Poſt paucos dies quidam Græcus Epiſcopus in Ruſſiam venit, & medietatem ipſius provinciæ, quæ adhuc idolis dedita erat, convertit, & morem græcum in barba creſcenda, & ceteris exemplis eos ſuſcipere fecit. Odolricus autem qui ſancto Bruno ſuc-ceſſerat, ad Dominum migrans magnis virtutibus clarere meruit, ideoque monaſterium foris civitatem *Osburg* ejus nomini conſtruxit Epiſcopus item BRUNUS ſucceſſor ejus, frater Henrici Imperatoris. Eadem vero urbs apud Romanos vocabatur Valentina ab Imperatoris nomine qui eam condidit primus.

4. Quibus diebus Otto Imperator per ſomnium monitus eſt ut levaret corpus CAROLI Magni Imperatoris, qui Aquis humatus erat: ſed vetuſtate obliterante ignorabatur locus certus ubi quieſcebat; & peracto triduano jejunio, inventus eſt eo loco, quem per viſum cognoverat Imperator, ſedens in aurea cathedra, intra arcuatam ſpeluncam infra baſilicam beatæ Mariæ, coronatus corona ex auro & gemmis, tenens ſceptrum, & enſem ex auro puriſſimo, & ipſius corpus incorruptum inventum eſt, quod levatum populis demonſtratum eſt. Quidam vero Ca-nonicorum ejuſdem loci Adalbertus, cum enormi & procero corpore eſſet, coronam Caroli quaſi pro menſura capiti ſuo circumponens, inventus eſt ſtrictiori vertice, corona *amplitudine* ſua vincente circulum capitis: crus proprium vero ad cruris menſuram Regis *dimetiens*, *inven*-tus eſt brevior, & ipſum ejus crus protinus divina virtute confractum eſt, qui *ſupervivens annis* quadraginta, ſemper debilis permanſit. Corpus vero Caroli conditum in dextro membro baſi-licæ ipſius, retro altare ſancti Joannis Baptiſtæ, & crypta aurea ſuper illud mirifica eſt fabrica-ta, multiſque ſignis & miraculis clareſcere cœpit. Non tamen ſollemnitas de ipſo agitur, *niſi* communi more anniverſarium defunctorum. Solium ejus aureum Imperator Otto direxit Regi Bolislavo pro reliquiis ſancti Adalberti Martyris. Rex autem Bolislavus, accepto dono, miſit Imperatori brachium de corpore ejuſdem ſancti, & Imperator gaudens illud excepit, & in ho-nore ſancti Adalberti martyris baſilicam Aquiſgrani conſtruxit mirificam, & ancillarum Dei congregationem ibi diſpoſuit. Aliud quoque monaſterium Romæ conſtruxit in honore ipſius Martyris.

ALIUD FRAGMENTUM

EX LIBELLO DE TRANSLATIONE SANCTORUM Abundii & Abundantiani.

HIS omnibus adjicere viſum eſt aliud item fragmentum ex libello quodam Romæ edito apud Franci-ſcum Zanetum anno 1584. *quo in libello nonnulla referuntur, quæ illuſtrandis Adalberti actis aliquid conferre poſſunt.*

Poſt multos autem annos, pace Eccleſiæ reddita, imperante domino noſtro piiſſimo & æter-no Auguſto OTTONE III. magno Imperatore, anno primo ſanctiſſimi ac beatiſſimi apoſtolici ſum-mi Pontificis SILVESTRI Papæ urbis Romæ, exſtitit quidam Epiſcopus Adelbertus nomine, om-nium artium peritia & litterarum imbutus, & Deo amabilis, & populo prædeſtinato Chriſti ve-ſtigia imitatus, & dominicum præceptum qui dixit, *Qui reliquerit domum aut agros, aut uxorem aut filios propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.* Hic dum in Sclavo-nia eſſet Epiſcopus, & eos ire per abrupta vitiorum cerneret, Epiſcopatum deſeruit, & mona-ſticum habitum concupivit. Manſit autem in eccleſia beati Bonifacii in urbe Roma dies plu-mos, & ibi regulariter vitam duxit. Denique cum domnus Otto Romam veniſſet, quid illic v-tantus faceret inquiſivit, & eum ad ſe venire fecit, & ei Epiſcopatum reſtituere curavit di-cens, non eſſe bonum ſuam ſponſam relinquere, & filios, quos Chriſtus adoptaverat, or-phanos deſerere. Qui cum invitus eſſet ad ſuum Epiſcopatum adductus, & a ſuis non eſſet receptus, ipſe quoque quis eſſet apparuit, quia lumen in tenebris latere non potuit. Anti-quorum præcedentium Patrum exemplum imitatus, deſideravit ad palmam venire martyrii. Abiit autem in aliam Sclavoniam, in qua erant gentiles, ut eos ad Chriſti fidem revocaret, & relicto eorum errore Deum vivum, qui in cælis eſt, adorarent & colerent. Qui cum il-lum audire noluiſſent, interfecerunt eum: & ita bonus paſtor per palmam martyrii migravit ad Dominum.

Quo

Digitized by Google

Quo audito Rex, ardorem tanti Martyris non ferens, cum ſenatu Romano & Epiſcopis & clericis extra montes in Sclavoniam pergit ad educendas Romam reliquias beati martyris Adelberti. Qui manus ejus auferens, auro & gemmis mire exornavit, & eccleſiam nomini ejus inter duos pontes fabricavit, & magnæ dignitati tradidit; necnon ortum ejus, actus, & paſſionem mira arte compoſuit, & in libello ſcribi fecit. AN.CHR. 997 23. Apr.

Tum cœpit inquirere corpora ſanctorum Martyrum, & præcepit ut ubicumque inventa fuiſſent, ad eccleſiam beati Adelberti deportarentur. Et nuntiatum eſt illi, quod in eccleſia beati Abundii & Abundantii martyrum, quæ eſt juxta montem Soractis, erant plura ſanctorum Martyrum corpora. Qui miſit ſuos nuntios Epiſcopos & Clericos, & Monachos, ut cum omni honore & diligentia & hymnis Dei ad eccleſiam beati Adelberti ea deferrent: qui protinus abjerunt, & cœperunt inquirere, ubi eſſent tumuli eorum. Et invenerunt in uno tumulo corpora beatorum Abundii & Abundantii poſita, & in alio corpus beatæ Theodoræ, quæ in prædio ſuo eos ſepelierat. Invenerunt etiam inter eos ſanctos Martyres, qui habebant inauratas veſtes, & mire exornatas, & ſuper altare eorum menſam ſculptam & nimis decoratam. Et deportata ſunt omnia ſecundum juſſum Imperatoris ad eccleſiam beati Adelberti martyris.

VITA B. PETRI URSEOLI

CIR. AN. 997 10. Jan.

DUCIS VENETIARUM ET DALMATIARUM, tum Monachi S. Michaelis de Coxano in Catalania.

Auctore anonymo incertæ ætatis.

Ex mſ. codice Rivipolenſi.

OBSERVATIONES PRÆVIÆ.

1. *Petrus Urſeolus ex Duce Venetiarum ac Dalmatiæ Monachus Coxanenſis ſeu Cuxanenſis, vitæ ſcriptores ſortitus eſt duos, præter Petrum Damiani, qui in Romualdi Abbatis vita Urſeoli geſta, obitumque perſtringit. Primi vitæ ejus ſcriptoris lucubrationem, ex mſ. codice Rivipollenſis monaſterii erutam, nobis communicavit eruditiſſimus vir Stephanus Baluzius, ex qua nihil certum de auctoris ætate licet elicere. Sæculo integro Petro juniorem haud fuiſſe quis conjiciat ex his verbis num.* 17. Multa quidem mira per eum Deus egit, quæ nobis ſunt incognita, quia non ſunt ſcripta, nec oratione illorum qui eum viderunt relata. Omnes enim qui ejus præſentiam viderunt, jam a ſæculo migrarunt. *Quæ ſane verba nonniſi homini, qui Petri Ducis contemporaneos videre potuit, recte conveniunt. In hac lucubratione nonnulla ſunt, quæ a Petri Damiani ſenſu diſcrepant, multa etiam prætermiſſa, quæ ab illo commemorantur: ut Petri Ducis famæ conſulturum ſe putaverit auctor anonymus, ſi prava quædam ejus facinora diſſimularet: qua tamen in re ſcriptores rerum Veneticarum nonnullos ſectatores habuit. Ejus fetum antequam edamus, præmittere juvat, quæ de eo Petrus Damiani retulit in Romualdi vita: ſed in anteceſſum de poſteriori Petri Ducis encomiaſte agendum.* Vitæ ſcriptores.

2. *Fuit is* FRANCISCUS *Camps S. I. D. Eleemoſynarius & Prior monaſterii beatæ Mariæ de Arles, ordinis S. Benedicti, ac ejuſdem Ordinis pro Tarraconenſi & Cæſaraguſtana provincia Romæ Procurator generalis, qui ex mſſ. codicibus bibliothecæ Aniciane & Collegii Gregoriani domus S. Benedicti de Urbe anno 1622. tractatum de vita, morte, & miraculis beati Petri Urſeoli concinnavit. Opus iſtud ut publicaremus, tanti non eſt viſum, quod nihil præter auctoris noſtri verba expolita, & cum Petri Damiani textu collata, aliquando alienum in ſenſum detorta, contineat. Satis igitur fuerit aliqua in notis marginalibus exhibere, ſive ut neminem fallat ejus ſcriptoris auctoritas, ubi a vero recedit; ſeu ne quid, quod ad Petri Ducis hiſtoriam ſpectat, intactum relinquamus. Jam Petrum Damiani audire juvat.*

3. Eodem vero tempore PETRUS, cognomento URSEOLUS, Dalmatici Ducatus gubernabat habenas: qui videlicet ad hujus faſtigium dignitatis aſcendere idcirco meruerat, quia deceſſoris ſui, VITALIS ſcilicet Candiani, peremptoribus fautor extiterat. Cur autem ille a ſuis exſtinctus ſit, non ab re eſſe arbitror, ſi ſervatæ compendio brevitatis exponam. In conjugium namque germanam HUGONIS magni illius Marchionis acceperat, & æmulatione leviori ſuadente, multos ex Longobardiæ & Tuſciarum partibus milites pecuniarum ſtipendiis acquirebat. Hoc autem Venetiarum incolæ non ferentes, clam ineunt conſilium, ut repentino impetu Ducis palatium armati violenter irrumperent, eumque cum omni domo ſua in ore gladii abſque ulla retractatione necarent. Hujus denique conventiculæ conjuratione comperta, Vitalis Dux nocturnis diurniſque vallatus excubiis, hoſtiles inſidias ad nihilum redigebat. Illis autem hæc & illa tentantibus, ſed ad inceptæ factionis effectum attingere non valentibus, tandem viſum eſt, ut domum Petri, quæ Ducis palatio adjacebat contigua, prius incenderent; iſtoque modo & Ducem caperent, & univerſa ejus domeſtica concremarent. Iſtius vero rei experiendæ conſen- Petri Damiani de Petro narratio.

ſum

CIRCA AN. 997 10. Januar.

ſum a Petro, qui eorum conſilii particeps fuerat, flagitantes, hujus tandem mercedis fœdere pacti ſunt, ut pro una ejus domo, quam igne conſumerent, totam illius ditioni Venetiam ſubderent; & deleto illo, quem exoſum habebant, Ducem hunc loco ejus protinus ſubrogarent. Hoc igitur modo Petrus Dalmatici regni adeptus eſt principatum: qui poſtmodum ambitionis ſuæ jam voluptate potitus, reſpectu divinæ gratiæ demum corde compunctus eſt. Quidam autem venerabilis Abbas, GUARINUS nomine, ex ulterioris Galliæ finibus orationis gratia per diverſas mundi regiones peregrinari ſolitus erat. Hic quoque ad Ducem veniens, ab eo precibus, ut ſibi ad evadendum tanti reatus periculum conſultum præberet, exactus eſt. Acceſſitus igitur MARINO & ROMUALDO, hoc ſibi communi jubetur ſententia, ut ſæculum ſimul cum ipſo, quem per nefas invaſerat, Ducatu relinqueret; & quia ad alienæ dominationis arcem injuſte proruperat, ipſe ſe alienæ poteſtatis dominio ſubjugaret. Ille autem, homo nimirum in poteſtate poſitus, quia converſionem ſuam manifeſte facere auſus non eſt, tutum putavit hoc utendum eſſe conſilio. Imminente igitur feſtivitate ſancti cujuſdam Martyris, ex cujus vocabulo baſilicam in propria poſſeſſione adhuc privatus habuerat, illic pridie uxorem ſuam præmiſit, ipſe quaſi mox ſecuturus, hoc ei præcipiens, ut & ornatum eccleſiæ accuratiſſimum provideret, & ſecum venientibus ſumptuoſas epularum delicias in craſtinum præpararet. Ipſe autem poſt conjugem remanens, his de ſuis theſauris, quæ ſibi videbantur, ablatis, cum quodam ſuo familiari, JOANNE videlicet Gradenico, qui præfatæ conjurationis conſcius fuerat, & cum tribus illis beatis viris, quos prǽpoſuimus, navem aſcendit, deinde in Galliam ad monaſterium Abbatis Guarini magnus converſus aufugit. Petro igitur & Joanne Monachis in ſancti Michaelis cœnobio factis, Marinus & Romualdus non longe a monaſterio degentes, ad ſingularem vitam, cui adſueti fuerant, revertuntur. Quibus etiam ipſi jam dicti fratres, peracto vix annuo ſpatio, ad perferendam ejuſdem ſolitudinis diſtrictionem aggregati ſunt......... Per continuum quippe annum Romualdus nihil aliud in cibum habuit, niſi tantum per ſingulos dies ex uno pugillo elixi ciceris vixit. Tribus vero annis ipſe & Joannes Gradenicus ſarculis terram frangentes, & triticum ſeminantes, ex manuum ſuarum labore vixerunt: qui nimirum dum agriculturam exercebant, pondus jejunii duplicabant......... Contigit autem, ut aliquando *librum de Vita Patrum* legens, in illum locum incideret, ubi continetur, quod quidam fratres per continuam *hebdomadam* ſingulariter jejunantes, ſabbatorum die pariter convenirent, *ipſoque & Dominico die* jejunii rigorem interponerent, & remiſſius victitarent. Quem vivendi ordinem ſtatim Romualdus arripuit, & in eo quindecim fere annis, vel eo amplius, continua auſteritate permanſit. Petrus autem Dux, quia multis educari deliciis ſolitus erat, jam jam ſub tam diſtricti jejunii pondere ſuccumbebat. Unde ſe ad pedes beati Romualdi humiliter ſtravit. Juſſus vero exurgere, neceſſitatem ſuam cum verecundia coactus aperuit: Pater, inquit, quia magnum corpus habeo, pro peccatis meis ex hac paximatii medietate ſuſtentare me non poſſum. Romualdus igitur fragilitati pie compatiens, conſuetæ menſuræ quadram paximatii ſuperaddidit: & ſic laboranti jam fratri, ne omnino deficeret, miſericordiæ manum tetendit, & ad peragendum bene vivendi iter, quod cœperat, confirmavit. Hunc filius ejus ſibi æquivocus, vir valde ſecundum ſæculum prudens, aliquando viſitavit. Cui pater, neſcio utrum prophetiæ ſpiritu ſeu revela-
„ tione aliqua, quæcumque ſibi eſſent eventura prædixit. Novi, inquit, fili mi, procul du-
„ bio quia Ducem te conſtituent, & proſperaberis. Tu autem modo ſatage, ut & eccleſiis
„ Chriſti ſua jura conſerves, & erga ſubditos, alicujus amore vel odio, a juſtitia non declines.....
„ Poſt hæc autem Romualdus...... dum adhuc in Galliæ finibus moraretur, familiarem ſibi quemdam habebat..... Hujus vaccam Comes quidam ſuperbus & tumidus, miſſis paraſitis, impetu barbarico rapuit........ Alius quidam Comes, OLIBANUS nomine, in eiſdem Galliarum partibus erat, ſub cujus jure monaſterium quoque prædicti GUARINI Abbatis fuerat poſitum: qui ſublimi quidem culmine terrenæ poteſtatis erectus, ſed multis erat peccatorum molibus aggravatus. Hic aliquando Romualdum gratia viſitationis adiit, & ceteris extra cellulam manentibus, ſolus cum ſolo geſtorum ſuorum ſeriem narrare, quaſi per confeſſionem, cœpit. Cui vir venerabilis, his quæ ab eo referebantur auditis, reſpondit, aliter eum ſalvari minime poſſe, niſi mundum relinquens, ad monaſterium convolaret....... Tunc Comes, ſemotis omnibus, hoc cum beato Romualdo ſecreto valde conſilio pepigit, ut ad Caſinum montem ſub prætextu orationis pergeret, & in monaſterio ſancti BENEDICTI divino ſe ſervitio irrevocabiliter manciparet. Interea Sergius pater Romualdi monachus efficitur: ſed aliquanto poſt ſuadente diabolo, factæ converſionis pænitens, in Ægyptum redire conatur: quod protinus..... Romualdo indicare per nuntium ſtuduerunt. Hac ille ſiniſtra relatione perculſus, neceſſarium eſſe decrevit, ut Guarinus Abbas & Joannes Gradenicus, una cum Comite ad ejus converſationem pergerent; ipſe vero pereunti patri quantocius ſubveniret. Petrus autem Dux extremum jam diem feliciter clauſerat. His itaque duobus Comitem in eorum fide commiſit, utrique quidem, ſed Joanni præcipue, qui ei ſubditus erat, per obedientiam ſpecialiter mandans, ut etiam ſi Guarinus abſcederet, ipſe ſe nuſquam a Comite ſepararet....... OLIBANUS autem Comes ſua relinquens filio, cum multa divitiarum copia, quindecim ſcilicet onuſtis theſauro ſagmariis, comitantibus eum Guarino & Joanne, ipſo quoque MARINO, ad beati BENEDICTI ſe monaſterium contulit, & valedicens his qui ſecum venerant, nihil tale de eo uſque tunc ſuſpicantes, multis gemitibus & amaris ſe fletibus affligentes, ad propria remeare coegit...... Brevi poſt tempore Guarinus, orationis cauſa diſcurrere ſolitus, Joannes vero fratris exemplo ad idem religionis officium provocatus, Jeroſolymam commeare pari conſilio decrevere. Hoc igitur Olibanus cognito, triſtis & flens obſecrare devotiſſime cœpit, ne ſe violata fide deſererent.....

Illi

Digitized by Google

CIRCA AN. 997 10. Januar.

Illi autem..... relicto tandem Olibano, peregrinationis iter arripiunt...... Et inter agendum Guarini equus furioſo rotatus impetu, in aliam partem invito ſeſſore divertit, & Joannis tibiam ferrato calce percutiens fregit..... Deinde illuc unde venire cœperat, rediens, cellam ſibi ædificari prope monaſterium petiit, ibique per triginta fere annos, quamdiu vixit, in ſancta converſatione permanſit.

Notanda in illa narratione.

4. Hactenus Petrus Damiani, in cujus tractatione nonnulla conſideratione digna occurrunt. Illud in primis movet, quod Petri Urſeoli deceſſorem Vitalem Candianum vocet, præter receptam aliorum omnium ſententiam, qui communi ore, non Vitalem, ſed Petrum Candianum eum appellant: Vitalem vero, Petri Candiani filium, Urſeolo ſubſtituunt. Unde ſtare minime poteſt quod inferius ab Urſeoli encomiaſte ſubditur, nempe Urſeolum fugam meditantem ambobus filiis, Joanni ac Petro, Venetiarum & Dalmatiæ principatum aſſeruiſſe. Jam vero quod ſubdit Petrus Damiani, Guarinum Abbatem ex ulterioris Galliæ finibus peregrinatum iſſe, occaſionem doctiſſimo Joanni Bollando dedit, ut eumdem Monaſterio S. Michaelis in Eremo, quod ſitum eſt in ultimis Pictonum finibus, præfectum exiſtimaret. Verum Petrus Damiani ulterioris Galliæ fines dicit reſpectu citerioris, in qua degebat: & Cuxanenſe S. Michaelis cœnobium, quamquam in Catalania poſitum, in Galliæ finibus rite locatum eſt, quandoquidem Barcinonenſis tractus, Ceritaniæ, aliique ad Lubricatum amnem Comitatus, jam pridem Gallicæ ditioni acceſſerant. Petri Urſeoli encomiaſtes neſcio quo pacto ſilet Marinum atque Romualdum a Petro accerſitos fuiſſe, ut pium ejus deſerendi ſæculi propoſitum juvarent. Hinc ipſum inter ac Petrum Damiani de Petri fugæ ſociis non conſtat. Nam Petrus Urſeolo Marinum, Romualdum atque Joannem Gradenicum ſocios adjungit: anonymus vero ſcriptor optimates ſuæ regionis, Joannem cognomento Maurocenum generum ejus, Joannem Gradinicum, ac Romaldum: qua in re anonymo præferenda eſt Petri Damiani auctoritas, cum Romaldus anonymi ipſe ſit Romualdus; & an Petro Urſeolo gener fuerit Joannes Maurocenus aliuſve, merito quis infitiari poſſet: nam a pleriſque Petrus Urſeolus non alios ex Felicia conjuge liberos quam filium equivocum tuliſſe refertur. Item ab anonymo vitæ Petri Urſeoli ſcriptore diſſentit Petrus Damiani, cum Petrum inducit æquivoco filio Venetiarum Ducatum præſagientem; quo etiam nomine Petrus Damiani ſuperior evadit. Nam Petrus Urſeoli filius non continuo poſt patris abſceſſum, at ſexdecim dumtaxat poſt annos, exſtinctis Vitale Candiano, Memoque, Ducatum obtinuit. Incertum eſt quot annis Petrus Dux in Cuxano monaſterio degerit. Decem & novem aſſignant Franciſcus Camps, Arnoldus Vvion, aliique recentiores, idque ex anonymo hauſiſſe videntur, qui eum reddito fructu 19. ſcilicet annorum, deceſſiſſe ſcribit. Hoc loco diem 4. Idus Januarii, notat anonymus: aſt vitæ initio 3. Idus præfigitur, qui poſtremus dies certior videtur, utpote communi aliorum omnium ſuffragio ejus depoſitioni conſecratus.

5. Petrum Urſeolum Sabellicus, Petrus Juſtinianus, & fere omnes ſcriptores Italici miraculis illuſtrem prædicant. Sanctus dicitur a Vvione, Yepezio, Dorganio, Andrea Sauſſajo. Beatum vocare malunt Ferrarius, Hugo Menardus, Minius, & alii, quibus ſubſcribimus, dum melior de recepto ejus in Eccleſia cultu notitia habeatur. In ducali Venetorum Principis palatio Petri Urſeoli cernitur effigies cum hoc diſticho.

Eccleſiam ſancti Marci prior ædificavi:
Deinde & Monachus factus miracula plurima egi.

Jam de Coxano ſive Cuxano * monaſterio ejuſque Abbatibus nonnullis agendum.

* de Cuſan. Coxanenſis monaſterii origo.

6. Ridicule auctor noſter loci ejus denominationem a coxa vaccæ deſumit, quod ejuſmodi penſum ſeu munus annuum olim priſco loci domino perſolveretur. Si Antonio Yepeſio & Vincentio Domenecio fides eſt, non ibi prima monachorum ſedes, quæ in loco Confluentinæ vallis Exalada dicto, juxta fluvium Tethim conſiſtebat: ſed primam loci conditionem referunt ad annum Chriſti 745. quo ſeptem Urgelitanæ eccleſiæ ſacerdotes, annuente Pippino Majore Domus Franciæ, locum Deo in honorem Andreæ Apoſtoli conſecrarunt. Perſtitiſſe volunt hoc monaſterium uſque ad annum 799. quo fluminis eluvione proſtratum ſit. Non multo poſt, inquiunt, Protaſius Urgelitanæ ſedis Archidiaconus illud juxta Coxanenſem eccleſiam denuo excitavit, atque S. Germano Autiſiodorenſi Epiſcopo nuncupavit hortatu Caroli M. cujus diploma de loci immunitate & conceſſis ab eo S. Germani, ſanctique Amatoris reliquiis adhuc perſeverat. Yepeſius addit ſervari etiam nunc ejuſdem Protaſii poſtea Abbatis teſtamentum, anno I. Ludovici Imperatoris exaratum, in quo Mironis Comitis mentio fit: quem ille Mironem ſibi prorſus incognitum fatetur. Protaſium, inquit idem ipſe, Humbertus, Adaſimundus, Ademarus, Gontida, Blandericus, Adalardus, Ainardus, Rainardus, atque Godefredus Abbates excepere. Porro Godefredus ab Agapito Papa II. immunitatis privilegium obtinuit, ſucceſſorem nanctus Pontium, cujus in reſtituendis monaſterii ædibus prædiiſque comparandis cura enituit. Sed antequam ad ulteriora (quæ certa videntur) pergamus, ad incudem revocare juvat, quæ de utriuſque loci, Exalatenſis videlicet atque Coxanenſis, origine mox citati Domenecius atque Yepezius ſcripſerunt.

7. Ut vera eſſe, quæ ab illis tradita ſunt, minime credamus, facit indubitatum Caroli Calvi diploma in Spicilegii tomo 8. pag. 349. editum; itemque alterius fragmentum a Ludovico Pio conceſſi, quod in lib. 6. de Re Diplomatica pag. 506. publicavimus. Ex priori enim conſtat, ſacerdotes diœceſis Urgelitanæ ſeptem, Vviticam, Protaſium, & ceteros, cum hominibus liberis Attila, BARONE & Leudomiro ſeceſſiſſe ad locum qui dicitur Exalada, juxta fluvium Tete, in capite vallis Confluentis, ibique monaſterium in honore ſancti Andreæ Apoſtoli & aliorum Sanctorum conſtruxiſſe. Id MIRONIS Abbatis opera præſtitum fuiſſe docet Ludoviciani præcepti fragmentum, qui Miro non alius videtur a Mirone illo Abbate, quem Placito de Nitolariis monaſterio S. Hilarii reſtituendis interfuiſſe legitur in lib. 6. de Re diplomatica pag. 506. Loci ſitum, cui Miro præfuit Abbas, Ludovicus pius in territorio Elenenſe, ſuper fluvium Taidum deſignat, qui Taidus fluvius haud alius a Tete Caroli Calvi cen-

Abbates Exaladenſes.

AN. CHR. 997 10. Jan.

cenſendus eſt. In eodem Ludovici Pii fragmento commemoratur SISEGUTUS Abbas Mironi ſucceſſor; itemque inter ejus loci Cellulas, una in honore S. Martini, in eodem pago Elenenſi ſita, in qua primitus idem Siſegutus Abbas habitare cœpit. Alia item ſancto Vincentio ſacra nominatur. Sed de his omnibus in Caroli Calvi litteris ſilentium, ubi inter villas Andreano cœnobio ſubjectas Coxanum numeratur. Lotharii Regis præceptum de Coxanenſis monaſterii prædiis in eodem Spicilegii tomo 1. pag. 367. inſertum eſt, ubi nulla ſive eccleſiarum, ſeu prædiorum a Ludovico & Carolo deſcriptorum mentio habetur, ſi ſancti Andreæ in Baltarga eccleſiam exceperis, qui locus ab Exalatenſi diverſus eſt. Ita omnia Domenecii atque Tepezii hiſtoriam penitus labefactant. Qui enim fieri potuit, ut Andreanum in Exalata monaſterium Pippini Majoris domus tempore erectum, Caroli M. principatu aquis ſubrutum ſit, atque eodem jubente Carolo in Coxanam vallem tranſlatum, quod Ludovicus Pius & Carolus Calvus ſuper erectum, ſtare adhuc & florere demonſtrant? Neque porro duplex S. Andreæ Monaſterium in pago Elenenſi fingere licet, cum id & loci poſitio ſuper fluvium Taidum ſeu Tete, immo & anguſtia minime patiantur. Sic igitur res habuiſſe videtur. Caroli M. aut Ludovici Pii, Aquitaniam cum Hiſpaniarum parte ad Lubricatum amnem regentis, principatu excitatum ſancti Andreæ monaſterium a ſacerdotibus Urgelitanis: illi præfectus Miro; cui Siſegutus vicinæ ſancti Martini Cellæ præpoſitus ſucceſſit. Monaſterium privilegio donavit Carolus Calvus, quod forſan antea Pippinus Aquitaniæ Rex etiam præſtiterat. Inde fictitia loci erectio ſub Pippino Majore-domus oriri potuit. Ludovico Pio & Carolo Calvo regnantibus multa Saraceni Hiſpanis Francico ſceptro adjectis damna intulerunt. Ea tempeſtate non minus, quam fluminis eluvione peſſumdatum fuiſſe crediderim ſancti Andreæ cœnobium, cui inſtaurando delatæ ad Carolum preces: quem Carolum Calvum pro Magno ejus hiſtoriæ ſcriptores, uti ſæpe alii, uſurparint. Commodior viſa eſt Coxanæ vallis poſitio, in quam Andreani cœnobii reliquiæ transferrentur. Carolus Calvus, quem S. Germano Autiſiodorenſi addictiſſimum fuiſſe conſtat, novæ cœnobii erectioni præbens aſſenſum, conceſſo S. Germani brachio locum Coxanenſem ſancto Andreæ, ſanctoque Germano nuncupari voluit: quam etiam nuncupationem retinuit, cum erecta poſt annos circiter centum nova baſilica ſancto Michaeli conſecratus eſt. Illud namque ſancti Michaelis ſive ſancti Germani titulo donant Lotharii Regis litteræ, Pontio Abbati anno ejuſdem Regis 4. Indictione 2. conceſſæ, quæ temporis notæ ad annum Chriſti 959. referuntur. Hoc in Præcepto non tam notanda monaſterii bonorum atque locorum, in quibus ſita ſunt, accurata deſcriptio, quam Gerbergæ Reginæ atque Lotharii ipſius auctoritas in Catalanos, quæ in ipſo regni meditullio tam anguſtis finibus definiebatur, ut coercendis moribus impar, eorum ad nutum veluti precario regnaret.

Abbates Coxanenſes.

8. GODEFRIDUM Abbatem Coxanenſem ab Agapito II. Pontifice immunitatis privilegium accepiſſe ſupra meminimus. Is anno 953. deceſſerat, quo Coxanenſis baſilica Pontii ejus ſucceſſoris opera, imefridique ſeu Guifredi Comitis Barcinonenſis ſubſidio, meliorem in formam reſtituta, 3. Kal. Auguſti a RICULFO Elenenſi Epiſcopo, adſtantibus provinciæ proceribus, beato Michaeli Archangelo nuncupata eſt. Defuncto Pontio, GUARINUS ſeu VVARINUS Abbas hic perſæpe memoratus ſucceſſit ante annum 978. quo ineunte tranſlationi corporis S. Hilarii interfuit, uti ſuperius obſervatum. Quin eo regente nova baſilicæ Coxanenſis dedicatio 4. Nonas Septembris anno 975. facta eſt a ſeptem Epiſcopis nempe JANUARIO Elenenſi, MIRONE Gerundenſi, ERUCO Auſonenſi, UNIFREDO Urgelitano, ISSOLA Toloſano, BERNARDO Convennenſi, & FRANCISCO Carcaſſenſi, qui totidem altaria conſecrarunt. Guarini meminit Gerbertus in epiſtola 45. his verbis. Et quoniam veſtigia Philoſophiæ dum ſequimur, impetus tumultuantis animi non omnes repreſſimus, modo recurrimus ad ea quæ reliquimus: nunc Hiſpaniæ Principes adimus, familiaris noſtri Abbatis Guarini adhortatione commoti. Hinc Guarini famam celebrem fuiſſe videas, qui non ſolum Italis atque Hiſpanis Principibus, ſed etiam Gerberto in aula Francica degenti innotuerit. Quamdiu Petro Urſeolo ſuperſtes vixerit Guarinus, haud liquet; ſed ad annum 1015. haud perveniſſe, conſtat ex Borelli Epiſcopi Rotenſis (ubi tunc temporis ſedes epiſcopalis) electionis decreto, quod in tomo 2. Capitularium eruditiſſimus Baluzius retulit. Nam in eodem decreto laudatur ASTER monaſterii S. Michaelis Abbas, quem proinde Guarino proximo loco ſuffectum fuiſſe dicendum eſt. His tamen obſtare videtur, quod hic de Oliba Guarini ſucceſſore narrat Petri Urſeoli laudator. At vel hac in parte, uti ſæpe alias, lapſus eſt bonus homo, vel certe Aſterum Abbatem intactum reliquit, ſi non ignotum, aut ſaltem ad elucidanda Petri Ducis acta, quibus illuſtrandis operam dabat, prorſus inutilem. Paullo poſt annum 1017. exſtinctum fuiſſe Aſterum inde fit conjectura, quod OLIBA, quem anno 1047. deceſſiſſe mox videbimus, ante adeptam epiſcopalem Auſonienſis ſeu Vicenſis eccleſiæ cathedram, cui per annos 28. præfuit, Coxani monaſterii Abbatem fuiſſe dicunt: unde ſequitur, hunc ſub annum 1018. Coxanenſium regimen iniiſse, nec multo poſt factum Epiſcopum, Petri Ducis tranſlationem e monaſterii clauſtro (quod vocant) in eccleſiam procuraſse.

9. Triginta & octo Monaſteriis præfuiſse Olibam Pontificem narrat Rivipullenſe Chronicon, a Monacho Rivipullenſi anno 1285. conſcriptum, cujus fragmentum ſequens pro ſua humanitate nobis ſuppeditavit V. C. Stephanus Baluzius. Oliba vero, inquit, qui fuit tertius filius ſupradicti Comitis Olibani, fuit monachus Rivipulli & Abbas, deinde Epiſcopus Vicenſis; cui etiam fuit commiſſum regimen monaſterii ſancti Michaelis de Cuxano. Sedit etiam in epiſcopatu annis 28. & rexit cœnobia 38. & fuit ſeptimus Abbas iſtius cœnobii, ſub quo quarto dedicatum fuit iſtud monaſterium Rivipulli cum præclara Epiſcoporum caterva, ſub Berengario Comite Barchinonæ, anno Chriſti 1032. Hic multa per ſe bona contulit monaſterio prædicto, & ab aliis plurimum adquiſivit. Obiit autem prædictus pater eximius anno Chriſti 1047. maximum huic monaſterio relinquens luctum, pro eo videlicet quia hunc locum ſpeciali dilexit amore; eccleſiam, quæ modo eſt, nobiliter conſtruens, & altare eodem modo conſtruxit, auro & argento & pretioſis lapidibus nobiliter inſignivit. Sepultus vero fuit in monaſterio Cuxanenſi, eo quia ibi deceſſit. Et ipſe

Oli-

Digitized by Google

CIRCA AN. 997 10. Jan.

Oliba eſt, Olibani Comitis Biſuldunenſis filius: quem Petri Ducis encomiaſtes patriæ patrem *appellat. Romualdus vero Petri Ducis exemplo ad monaſticen amplectendam eum exhortatus abduxit in Italiam; unde cum Joanne Gradenico redux, non apud Rivipullenſes, ſed in Coxanenſi cœnobio, ubi primum religionis amorem hauſerat, monachus vixit. Ceterum inter triginta, quæ rexit, monaſteria numerandum eſt Carcaſſonenſe B. Hilarii cœnobium, cui anno 1034. præſidebat, ut ex relatis ſuperius * Raimundi Comitis litteris demonſtravimus. Exſtat Joannis monachi Floriacenſis ad eumdem Olibam epiſtola, quam in vita Hugonis & Rotberti Regum Papyrius Maſſo commemorat. A Coxanenſis monaſterii regimine* Gregorius *anno 1140. ad ſedem Tarraconenſem evectus legitur; itemque* Lambertus *Abbas anno 1260. Jacobo Aragonum Regi ſolidorum Magalonenſium millia duo, & Barcinonenſium ſexcenta commodaſſe. Floret etiam nunc Coxanenſe S. Michaelis cœnobium, cujus Abbas inter Catalanos proceres Cancellarii dignitatem obtinet. Præter S. Valentini corpus illuc a Guarino Abbate delatum, ibi inſignes habentur reliquiæ, quarum elenchum Antonius Yepezius ad annum 745. in chronico recenſuit. Jam tandem Petri Ducis vita exhibenda eſt.*

* pag. 553.

INCIPIUNT GESTA VEL OBITUS DOMNI
Petri Ducis Venetiæ atque Dalmatiæ, qui celebratur 4. Idus Januarii.

PROLOGUS.

1\. Quoniam bonæ vitæ finis & exhibitio prudentis ingenii conſtituunt habitaculum beatitudinis; vel beatitudo integra, integrum reddens ſui juris cultorem, ſcilicet in his quæ viget per eſſentiam rationalitatis, vel in vigorem conſtant æternæ vitæ, cum conſtantia perſeverantis certaminis conſtituat beando felicem, quem jam ad hoc perduxerat finis bonæ vitæ, dignam complectitur vitam, actuſque alicujus perfecti viri ſcribere: quatinus poſteris ſic documenti ſpiritualis exemplum, & imitatoribus indeficiens hortamentum, & Deo creatori gratiarum laus actionum. Unde nos vitam eximii Venetiarum, atque Dalmatiarum Ducis prudentiam, cultum, finemque ipſius vitæ ſcribentes, in primis generis ejus notitiam pandere oportet, ut per originem temporis declaretur bonæ vitæ finis, & natalitium perpetuæ conditionis.

2\. Fuit igitur de proſapia nobiliſſimorum Urſonum, qui nobiliores & præpotentiores aliis habebantur ſuper Parthos, erantque inter ceteras gentium nationes opinatiſſimi. Dicti autem Urſones propter ferocitatem ac potentiam propriæ nationis, eo quod terror eorum prævalebat in vicinis gentibus urſino more atrox. Ortus eſt itaque in Rivo alto, ubi colligitur ſinus maris Adriatici, eximio patre, & inclyta matre, & ex heroum gente Venetica, quæ laudibus extollitur ſapientiæ ac divitiarum ab omnibus ferme nationibus. Dicta nempe Venetia, eo quod ipſi Venetici ab monte Veneto venientes proruperunt, Parthiani perhabitantes meliorem partem totius Pannoniæ. Dicitur quidem Venetia, ſeu Henetia mutata adſpiratione in v litera, propter incolas venientes a prædicto monte, ob laudabilis vitæ exercitium, quia Heneticus laudabilis interpretatur.

Urſonum genus nobile apud Parthos.

Veneti unde orti.

3\. Igitur cum in ſuæ infantiæ parvitate detineretur Petrus nomine, Dux tunc futurus venerabilis, ab genitore traditus eſt didaſcalo, ut diſciplina divini exercitii, & civilis ſcientiæ educaret eum, quemadmodum Chriſtianum Chriſtianorum filium, ad omne erudimentum capiendæ ſalutis docibilem, ac benignum, ut doctus ſtudio honeſtatis bonæque probitatis, non ingenuitas ejus ortus periret ruſticitate, ſed nobilitas excelleret capacitate. Diligitur denique ab omnibus, ſicque poſt obitum fortiſſimi ducis *a* Petri cognomine Candiani, ad honorem Ducatus in florigero felicis flore juventutis poſitus, a cunctis Venetiarum turmis eligitur. Conſtitutus quoque Dux, judicium verum inter virum & virum, pupillum & advenam faciens, quemadmodum Job ſanctiſſimus vir, exquirebat cauſas diligenter ſubditorum, & quod confractum erat, conſolidabat, quod debile ſuſtinebat, quod fameli-

Petri pueritia ut exacta.

Dux eligitur.

a Petrus Damiani deceſſorem Petri Ducis, non Petrum, ſed Vitalem Candianum appellat, ejuſque mortis cauſam, ac initia Petro Urſeolo Ducatus, tum ſeceſſus in Monaſterium rationem explicat: quæ omnia hic conſulto prætermiſſa videntur, ne quid eximii Ducis exiſtimationi nocerent. Vide obſervationes prævias.

CIRCA AN 997 10 Januar.

Virtutes ejus.

cum refocillabat, quod triſte lætificabat, quod perditum reſtaurabat, quod inutile emendabat, quod probum aſſerebat, quod reprobum condemnabat, quod juſtum juſtificabat, quod injuſtum nitebatur omni ingenio moderaminis per diſcretam rationem, ad juſtitiam exhibendam provocare: quia Deum totis viribus diligebat. Agebat enim ſe cum uxore *a* legitimo conjugio copulata quietum, ac evigilantem, ſtudioſumque in cunctis eccleſiarum obſequiis, exquirens diverſorum officiorum ſingulas neceſſitates, quo, quomodo expoſcebant earum habitudines, per appoſitorum indigentiam ſollers expleret, ſuppeditans non ingratus effectum per congruum ſui auxilii donum. In rebus publicis quidem elucubranti deditus exercitio, ne forte quid incompoſitum, vel inhoneſtum eveniret, procurabat, æquo moderamine diſcutiens majorum, minorumque ſagacitates, ipſa negotia aſſueti diſcriminis, ut ſapiens architectus de cordis ingenio, & excogitans ſagaciter ſatagebat, omni conamine ad concordiam componere, vel ad aptitudinem propoſiti negotii, aut exhibendæ neceſſitatis. Sed & in judicio reſidens, numquam pro munere voluit aliquem opprimere; veritatis atque æquitatis tenens virgam, & gladium ancipitem ac penetrantem, dividens æquum a pravo, improbum a probo, inſolentem a ſobrio, manſuetum a ſuperbo, avarum a largo.

Pietas in Deum.

4. Delectabatur itaque divinas audire lectiones, & verba ſacerdotum, ſapientum, ac legis doctorum, aſſocians ſe catervis clericorum in omnibuſcumque pæne locis. Viſitabat etiam aſſiduis oblationibus *altaria*, ſeu loca ſanctorum, & ubicumque audire poterat cujuſque *ſancti meritum*, ſi non quiviſſet ipſemet adire, munus devota mittebat *mente*. At vero venientes ad eum peregrini ſuſcipiebantur ab eo, quemadmodum Chriſtus, recognoſcens illud dominicum, *Hoſpes fui, & ſuſcepiſtis me*, induens eorum corpora, ac refocillans diverſis tegminibus & cibis. Ægrotantium quoque domos per totam noctem circumiens, eorumque membra pio amore leniter attrectans, diſtribuebat illis, uti neceſſe erat, eleemoſynam, in eduliis, veſtimentis, & in reſtauratione cujuslibet ſubpellectilis. Præſules quoque ac Abbates, qui adeuntes Venetiam cauſa orationis beatiſſimi Evangeliſtæ Marci, ſacratiſſimum reviſebant corpus, quod ibi indubitanter creditur integerrime tumulatum, venerando ſuſcipiebat affectu, præbens illis omnem humanitatis diligentiam in charitatis ſanctæ amore, commendanſque ſe illorum orationibus, ſuſcepta benedictione, cum uxore & duobus filiis, multa tribuebat illis in charitate Domini munera: eratque juxta dictum Apoſtoli, tamquam nihil habens, & omnia poſſidens, & gaudens cum gaudentibus, flenſque cum flentibus.

Hoſpitalitas.

Infirmorum cura.

Scripturæ ſenſum inquirit.

5. Cum itaque inter mundi fluctus, & ſæcularium pompas gubernaculum taliter regeret ducaminis Venetiarum, quadam die audivit *Apoſtolum* dicentem: *Noſtra autem converſatio in cælis eſt*; & hoc ad memoriam, ſæpiſſime revocans, ſcrutabatur in cordis libro, quomodo converſatio mortalis hominis in carne corruptibili poſiti, in cælis poſſet fieri, cum cælum tantum animabus ſit conceſſum ſanctorum ante ultimam diem reſurrectionis, & poſtmodum corporibus ſpiritualibus cum ſuiſmet animabus. Et hoc hæſitans multoties deprecabatur Dominum, ut ſibi manifeſtaret per intelligentiam hujus ſententiæ ſenſum: cujus orationis effectum, inſtinctu almi Flaminis, mox ſubſequitur. Nam altera die, cum ad celebrationem Miſſæ devotus adſtaret, audivit Dominum per Evangeliſtam, dicentem: *Si quis vult poſt me venire*,

a FELICIAM vocat Franciſcus Campenſis ſupra memoratus poſt Sabellicum, Juſtinianum atque Sigonium; „ ſubditque eam opere potentem, meruiſſe Angelo nuntiante præſcire, ſe Deo dilectum filium concepturam: „ quem mox ut enixa eſt, vocarunt Petrum: & acceptæ gratiæ non ignari, Deo voverunt perpetuam caſtitatem. Hoc ſi ita eſt, votum iſtud nonniſi poſt aliorum liberorum ſuſceptionem emiſſum eſt. Nam præter Urſeolum Epiſcopum Gradenſem inter natos ejus numeratum, hic Joannes Petro adjungitur, immo præponitur, ut ejus voti nuncupatio ſubleſtæ fidei merito ſit habenda. Forte Franciſco Campenſi ita ſentiendi conſuetudo venit ex Petro Diamiani, qui unicum Petri filium æquivocum memorat. Verum hoc locum genealogiam ejus non texit, ſed Petri filii, dum aliud loquitur, nata occaſione mentionem ingerit, alios non excludit.

Digitized by Google

CIRCA AN. 997 10. Jan.

nire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Et, *Niſi quis renuntiaverit omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Et, *Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, patrem, matrem, aut uxorem, vel filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.* Illico hæc omnia ut audivit, patuit ſibi dictum Pauli; aitque ſibimet certiſſime, quod Dominus proprio ore locutus eſt in terris poſitus ſuis diſcipulis, hoc idem loquitur in Vaſe electionis ſuis fidelibus. Non ergo aliter noſtra converſatio poteſt eſſe in cælis, niſi relinquantur omnia quæ ſunt carnis, conjux, filii, fratres, & omnis honor mundanus, quin & propria animi voluntas. Flocci-pendendum eſt autem hujus caducæ vitæ corruptibile bonum, quod non comprobatur fore bonum, ſed potius malum; quod quia ſe ſequentibus tribuit malum, aufertque illud quod eſt bonum, cum ſe ingerit eſſe bonum, decipiens per malum, cum ſit minime bonum. Verumque hoc ſequendum eſt bonum, quod continet omne, quod dicitur melius & optimum, cum ſit incomparabile bonum, præter quod nec eſt bonum, quia eſt ſummum bonum quod Deus eſt. Sed magnæ fortitudinis atque conſtantiæ oportet illum eſſe, qui carnales amicos debet deſerere, necnon propriam animi voluntatem. Unde ſi hactenus me exercitavi in diverſis motibus diræ feritatis, ad exercenda bella terroris, vel coarctationem diſtrictæ poteſtatis in propulſionem vicinarum regionum: nunc convenienter athletalibus indutum armis, divina ſtudia me provocando excitent, ut procumbere faciam, annuente ſuperno arbitro, ſubdendo propriæ voluntatis cupidines, ſicut proprio jugo ſubdidi exteros dudum haſta, & clypeo. Hæc denique intra ſe exaggerans, perquirere caute cœpit, quorſum poſſet ſibi placitum excipere locum, in quo ſoli Deo vacans præteritas extergeret culpas, per dignos pænitentiæ fructus.

De ſeceſſu cogitat.

6. Eo itaque tempore propoſuit Romam quidam venerabilis vitæ Abbas nomine Guarinus ire, in cœnobio ſancti Archangeli Michaelis prælatus, quod eſt ſitum juxta montem Canegon *, qui eſt caput Pyrenæorum montium, inter fines Galliarum & Hiſpaniarum, cujus & cœnobii locus vocatur Coxanis * vulgari nomine, eo quod antiquitus dominus loci illius propter paſcua apta vaccarum, pro munere, uno quoque anno accipiebat coxam vaccæ. Poſtquam autem habitatio ibi facta eſt ſervorum Dei, vocatum eſt loci illius Ancyba, Pyraſilum, quod interpretatur arma cæleſtis ignis, quia Spiritus-ſancti ardore incenſi illic commorantes, vincunt ſpurcida ac illecebroſa vitiorum incentiva, propter ſolidam charitatis ac ſanctæ Regulæ aciem: quæ velut turris fortiſſima & inexpugnabilis contra phalangas dæmonum perſiſtit in omnibus tentationibus invicta. De qua turre Salomon ait: *Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Quid enim mille clypei, niſi millena præcepta divinæ legis, in quibus quoque ſit armatura fortium? quia per ea muniuntur in robore conſtantiæ, perſeverantia bonæ vitæ corda Sanctorum. Itaque prædictus Abbas peregre proficiſcens Romam, divertit iter Venetiam, quo beatiſſimi Marci Evangeliſtæ peteret ſuffragia. Venienſque expletis deprecationum vocibus, hoſpitium petiit, requirens a quodam indigena, qui ſibi fertur tale dediſſe reſponſum; Cur a me petis hoſpitium, cum minime ſim auſus, o domine, tibi vel alicui, huc ad reliquias beati Marci venienti, ego, nec alius concedere? At ille: Quare? Reſpondit: Dux patriæ hujus, qui ſuſceptor eſt omnium peregrinorum huc advenientium, conſtituit decretum, ne ab aliquo noſtrorum hoſpitetur quilibet pereginus, niſi ab ipſo ſolo, aut de ejus licentia. Ædificatas namque habet maximas domos hoſpitum, ſimulque Xenodochium, in quibus divites, paupereſque hoſpitantur, quibus etiam & neceſſarium præbet victus ſtipendium. Quapropter decet te loqui ſibi; quia ipſemet delectatur confabulari cum talibus tui Ordinis, poteriſque te facile erga velle illi manifeſtare, tuamque indigentiam quemadmodum patri pandere. Eſt ergo largus & potentiſſimus Dux, & dominator in toto maris Adriatici limbo, frenans ſuo diſcrimine etiam barbaras nationes, & filios Agar, qui ſunt in inſulis maris magni æquoris, a quibus tributa unoquoque anno ei deferuntur im-

Guarinus Abbas Coxanenſis, *vulgo Canigon.

* San Miguel de Cuſan.

Venetias devertit.

Mira de Petri Ducis hoſpitalitate inaudit.

CIRCA AN. 997 10. Januar.

immenſa ac infinita ponderis auri, & argenti, atque purpurarum, ceterorumque palliorum, copioſe; dabitque tuo cœnobio de ſuis divitiis bono charitatis.

ab eo recipitur.

7. Hæc audiens prudens Abbas Vvarinus, fiducialiter ingrediens palatium Ducis, interrogat palatii cuſtodes, ſi fas ſibi eſſet introeundi ad Ducem. Qui dixere: Quiſne es, o Abba venerabilis, qui noſtrum potentiſſimum ac dilectum noſtrum inquiris? Quibus ille ait: Sum Vvarinus, ex longinquis veniens partibus: & quoniam jam beati Marci adgreſſus ſum Oratorium, nunc peto hoſpitium. Dictum eſt quidem mihi hic petere hoſpitium; ſed ignoro a quo debeam poſtulare. Confeſtim audientes illuſtres domeſtici, ut imbuti erant ab eruditiſſimo Rectore, imitantes ejus morum qualitates, honeſtiſſime ſuſcipiunt Abbatem, ducuntque utraque manu ſuſtentantes ad Ducis cubile, in quo divinis deditus legibus meditabatur in lege Domini die ac nocte. Cumque illum Dux inſpiceret, quantocius ſurrexit ei obviam, & amplexans pacis tribuit oſculum. Tunc facta interrogatione a Duce unde eſſet, aut quo Abbas vellet abire, qualiterve ſe haberet; & cognita ſcientia prudentiæ ejus in plurimis eloquiorum rationibus, hoſpitium atque neceſſaria pleniter tribuit.

Ducis cum eo colloquium de ſæculo deſerendo.

8. Altera autem die illum accerſiri juſſit, & accedentem cum eo ſalutis conſilium iniit, dixitque illi: Quia Deus qui ſalutem potius diligit peccatoris, quam mortem, te direxit ad hanc patriam, credo pro mea ſalute hoc eſſe factum, quia decrevi jam mundum contemnere, & Deum ſequi ex toto corde. Alioquin ſi naufragus natans, qui quatitur periculoſis undis alti pelagi, niſi nudus evadat ad litus, poterit ſalvari, ne periclitetur? Cui Abbas: Minime. Ergo quæſo da mihi conſilium, quomodo queam pervenire nudus ad litus. Inquit ille: Conſilium ipſe dixiſti. Perfice jam exuens veterem hominem cum actibus ſuis, & indue novum, qui ſecundum Deum creatus eſt. Ait Dux: Quia dictum eſt a Domino Abrahæ, *Egredere de terra, & de cognatione tua, & veni in terram, quam monſtrabo tibi*; volo exire ab patria hac, ne uxor, aut filii, vel populus iſtius regionis impediant habitum mei propoſiti; & ad tuam longinquam patriam pervenire, ut quanto longius fuero ſegregatus, vel elongatus ab amicis carnalibus & proximis, tanto valeam in quietudine permanere ſpiritus, remota omni ſuſpicione labentis hujus ævi. Accipiam itaque de theſauris meis, tuque accipiens mitte ante nos, cum reverſus fueris Romam: ſicque nos fugam arripientes, Domino ducente, perveniemus ad optatum locum.

Guarinus Romam abſcedit, inde Valentini martyris corpus defert. Petrus Dux filios ſucceſſores deſignat.

9. Ita igitur hoc firmiter conſtituto profectus eſt Abbas Guarinus Romam: inde egrediens, detulit ſecum, præbente Apoſtolico viro Papa Sergio [a] pro dono ſui corporis, præclaros vel deauratos phanones, ac beatiſſimi Valentini [b] Presbyteri, & Martyris corpus, veniensque iterum Venetiam ibi per aliquot temporis ſpatium occultus manſit. Petrus itaque eximius Dux Venetiarum atque Dalmatiarum, congregavit Principes, & omnes regni ſui optimates, dans coram omnibus ſuis duobus filiis Principatum ſui ducaminis [c] adclamante omni populo, tamen ignorante, ut quid hoc ageretur, & colligavit omnes majores ac minores Joanni & Petro clariſſimis Ducibus ſacramento fidei. Hoc etenim facto, miſit uxorem cum filiis, circumire civitates & regiones, ipſe vero remanſit in palatio Rivoalto. Tunc clam accipiens pallia plurima palatina, aurum, argentum, lapides pretioſos, lampades, & maximam partem ſubſtantiæ ſuæ cum diverſis ornamentis eccleſiaſticis, & vaſis, tradidit Abbati: ipſeque cum Abbate de nocte conſurgens navim intraverunt velociter per freta fugientes.

Venetias cum Abbate deſerit.

10. Cumque craſtina dies inluceſceret, præſtolabatur Dux ad matutinam ſynaxim: dumque tardaret, Primicerius feſtino greſſu acceſſit ad palatii cubiculum, ſtanſque ante fores cœpit tremulo pulſu pulſare diutius, deindeque vocare, ſperans eum poſt longas noctis excubias feſſum, fragilitate corporis

[a] Sergius Papa ab anno 1009. Eccleſiæ præfuit duobus dumtaxat annis & menſibus octo: quo tempore a Vvarino Cuxanenſi Abbate conveniri non potuit ante Petri Urſeoli converſionem, quæ non ſerius anno 978 contigit. Pro Sergio Benedictum ſcribit Franciſcus Campenſis.

[b] Valentianum dicit Franciſcus non ſemel laudatus: potiorem fidem hic auctor mereri videtur.

[c] Quæ hic de relicto duobus Petri filiis Principatu leguntur, neſcio an ſatis conſentanea ſint iis, quæ de ipſo refert Petrus Damiani: quo auctore Petrum Urſeolum longe poſt initum monachatum æquivoco filio Ducalem dignitatem prædixiſſe comperimus.

Digitized by Google

CIRCA AN. 997 10. Jan.

ris obdormiſſe. Ut autem non audivit reſponſum, aperuit ut potuit januas, celeriterque introiens acceſſit ad nobiliſſimum ejus ſtratum; & cum non inveniſſet, anxius currere cœpit hac illacque, proſpiciens ſuperiorem & inferiorem capellam, ſimulque cryptam, in quibus ſolitus erat orare. Non invento itaque, clamor doloris & ejulatus triſtitiæ factus eſt in toto regno Veneticorum tantus, ut pæne omnes Epiſcopi & Abbates, viri & mulieres, clerici & moniales, ſenes & infantes, adoleſcentes & puellæ, orphani & viduæ, divites ac pauperes, voces ſuas ad cælum mitterent: ſe miſeros, orphanos, orbatos, derelictos clamantes. Heu, inquiunt, quid Venetia, hactenus nobilis patria, nunc vero miſella, ſine honore abjecta, tanto Principe orbata, tanto rectore derelicta, quid de te dicent omnes in circuitu tuo nationes? Ad te concurrebant omnes Italiæ proceres, omnes Theotonicorum magnates, omnes Chroatorum nobiles, omnes Dalmatiarum atque Græcorum Conſules, quos ſapiens rector Petrus ſtrenuo regebat jure, fovebat, docebat, & ad omnem utilem ſcientiam exhortando provocabat. Ipſi vero intendentes ad verba oris ejus, excipiebant judicium & æquitatem, formidantes ne in ejus conſpectu aliquid ineptum ab ipſis exhiberetur. Stabantque inſerti brachiis ante eum, velut ſervi ante Dominum, agiles atque intenti ad exhibenda univerſa mandata illius. Quibus tribuebat ipſe infinita dona auri & palliorum, dum ad propria remearent, perficiebantque in longinquis regionibus conſtituti præcepta illius, quemadmodum famuli domus ejus. His verbis flentes abſentiam ejus, ruit cythara palatii, obmutuit organum, diſruptum eſt tympanum, confracta ſunt cymbala, raucæ factæ ſunt voces puellarum in palatio canentium, defecit omnis muſicæ diſciplinæ harmonia, omnia in luctum verſa ſunt, cuncta ad mærorem devenerunt.

Inde omnium clamor & gemitus.

11. Fit & ut rumor per univerſam patriam hujus rei, extemplo velut irati leones ad cavernas feſtinanter properant, ſcanſaſque * diſſolventes remos imponunt puppibus, & proris perſequentes cum armis fugientes, ſcientes eum veraciter proficiſci cauſa monachatus in longinquam regionem. Cum itaque duobus diebus, & duabus noctibus eos perſequerentur, adpropinquaverunt cernentes eos a longe recumbentes ſuper ripam fluminis. Quos ut vidit inclytus Dux, ait Abbati: En video appropinquare interitum veſtrum; quia proceres Veneticorum dolentes de meo abſceſſu, perſequuntur nos. Quod ſi me hic invenerint, te interficient, & omnes iſtos perdent. Nunc vero quantocius accipe novaculam & depone mihi barbam, ſicque colobium indue monaſticum. Et hoc perficiens Abba, valida claſſis fortium virorum adpropinquans, exſilierunt ipſimet viri citiſſimis pedibus ſuper ripas fluminis, & capientes Abbatem, minati ſunt ei caput abſcindere, niſi illis oſtenderet Du„ cem, quem tanto quærebant ſudore. Quibus ipſe ait: Ecce ego adſum, & „ omnes mei mecum, intuemini adſpectus omnium, perquirentes veſtrum „ dominum. Tunc ipſi perſpicientes faciem omnium ac Ducis, non agnoverunt eum. Poſuerunt enim ſuper ſuum caput lebetem *a* abſciſa barba; ideoque erat incognitus. Verumtamen non diffiditur hoc Dei nutu fore factum. Cum ipſi ſtaturam corporis ejus admirantes, contuendo vultum, oculos, manus atque cetera membra, minime agnoſcere poterant. O lector conſidera quantæ humilitatis vir fuerit iſte, qui tam potens, tamque præclarus, adhuc non in clauſtro Monaſterii doctus, vili habitu ſe contegens barbam abraſit, lebetem ſuper caput, ne agnoſceretur, pro conſtantia animi jam illius ordinis tyro poſuit. Dicebant enim inſpicientes eum: Conſimilis ejus eſt iſte, quem quærimus; & idcirco recedentes inlæſos eos abire ſinamus. Revertentibus denique illis, Dux cum ſuis gaudens, cœptum adgreſſus eſt iter. Secuti ſunt eum tres ex optimatibus ſuæ regionis, Joannes cognomento Mauroſenus, gener ejus, & Joannes Gradinicius, & Romaldus *b*. Adeuntibuſque

* f. ſcaphas

Veneti fugientem perſequuntur.

Ne agnoſcatur, barbam ponit veſteſque induit monaſticas.

a Lebes iſte non alius videtur a caputio, capitis tegumento monachali, quod ſcapulari vel colobio aſſutum erat.

b De ſociis Petro Duci Abbatique Guarino adjunctis vide Obſervationes prævias.

CIRCA AN. 997 10. Jan.

que Veronam, ne agnoſceretur, diſſimulavit ſe, ſequens mulos, velut unus ex agaſonibus, per loca inæqualia pedicans, maria & aridam, ne forte quilibet mercator, aut conſcius civis, aliqua ſuſpicione impulſus, exiſtimatis ingenii agnitione eum caperet. Etenim inde exiens cum Abbate ceteriſque ſodalibus, pertranſiendo Langobardorum, Provincialium, atque Gothorum

Narbonam ingreditur.

fines, ſine ulla intermiſſione iterandi, urbem adiit Narbonam: ibique per triduum, dans membra feſſa quieti, demum adgreditur optatum diutius prædicti cœnobii Ancybæ Pyraſili locum, honore beati Michaelis Archangeli dicatum.

Coxanenſe monaſterium ſubit nudipes.

12. Adpropinquantibus autem illis ad cœnobium, ait Abbati: Videtur mihi jam eſſe juxta locum quo imus nos, quia cor delectatur meum in vicinitate ejus. Reſpondit Abba: Ut quid interrogas domine mi? *Ait Dux*: Ideo nempe interrogo, quia non tam ſuperbe equitando ad curiam Angelorum Primatis *; ſed humiliter, ut dignum eſt, ego qui tot habenis innexus ſcelerum dignoſcor, venire volo. Famulus enim ad dominum proprium veniens, non faſtigio voluntatis, non torvoſa cervice, non patula fronte, debitum debiti juris ſolvere debet; ſed depoſita iniquæ voluntatis imagine tranſmutans ſe in habitum humillimæ pænitudinis, per ſpatia reptando telluris, de propriis exceſſibus veniam obſecrando, petere debet. Et hoc ajens, mox ab epipida pedem relaxans, feſtinanter a cruribus extrahit zangas cum calcaribus, reſidens in nudo dejectus cæſpite. *Igitur* diſcalciatis pedibus nititur velut quadrupes carpere greſſum *adeuntis cœnobii*. Cujus ad occurſum cœpere clangere ſigna, juſſione *præmiſſa* Abbatis, honore videlicet beati Valentini, cujus corpus ferebatur tunc, & Ducis Abbatiſque ab eodem Duce ac Abbate deductum. Obviant fratres cum crucibus, *lampadibus*, hymnis & choris, & thymiamate fere per unius ſpatium *milliarii*, & ita proceſſionaliter cum Martyris reliquiis, & cum ſpiritualium hymnidicis melodiis venere ad templum beati Michaelis.

* id eſt S. Michaelis.

Monachis obviam procedentibus.

Cellam novitiorum ingreditur, fit Monachus.

13. Igitur venerabilis Dux introiens in cellam novitiorum, ut moris eſt, inclytæ monachorum juxta præceptum conſtitutæ diſciplinæ providus erat obſecutor, intimuſque divinæ inſtitutionis auditor. Eductus autem a cella novitiorum, monachizatur, & cucullato capite incedens, videbatur omnibus eſſe juſtitiæ ſpeculum. Fit mortuus vivens inter vivos, fitque mortuus ad exemplum vivificator, fitque lanigeris cilicinista, fitque byſſinis vili texentis genicio laniger, fit etiam inremotus clauſtriger impiger, fit *ſilens*, fit vigilans, & per omnia in omnibus cœnobita, & perfectus in exſequendis divinis mandatis optimus terapeuta. Enimvero ita induens pro thorace *juſtitiam*, poſtulat ab Abbate ſibi dari obedientiam, qua poſſit obediendo exercere cultum activæ vitæ, ſatagens tendere ad contemplat*ivæ ſpeculationem*; poſcitque ut ſibi ſit licitum lavernas præparare neceſſarias, ac aquis lavare latrinas, campeſtriaque ferre manibus propriis ſeceſſibus manutergia. Injunctum quippe atque conceſſum petitionis optatum officium ſuſcipiens, perficiebat quicquid ad hoc officium pertinebat, diſpenſans proprias eſcas indigentibus, & ægrotis pauperibus, & peregrinis. Omnibus erat ſubjectus & manſuetus, hilaris atque benivolus, necnon in corde & verbis pacificus. Si aliquando aut jurgium vel diſſidium inter fratres auditum fuiſſet, ut ſapiens medicus curabat mores & pectora, dando divini verbi antidota, & permulcendo iracundorum animos, apponens lenia cataplaſmata.

Humilitati ſtudet.

Fit ſacriſta

14. Itaque aſſuefaciens ſe in talibus exercitiis, poſt biennium efficitur ſua obſecratione ſacriſta, aſcendens ad majorem gradum obedientiæ, in domo Domini cuſtos conſtitutus. Tunc cœpit eſſe obſecutor templi, emendans aſſidue ſordes increpti pulveris, accendens lampades, miniſtrans omnibus Sacerdotibus, Diaconibus, ſubdiaconibus, ac ceteris ordinibus *Eccleſiæ*. *Petebat* itaque innumerabiles venias in die & in nocte, & ante horas *nocturnales* explebat aſſidue integre pſalterii pſalmodiam. Oculos ad cælum erigens, pectus cum

Orationibus & lacrymis vacat.

Digitized by Google

eum compunctione tundens, obnixius deprecabatur Dominum pro ſalute ſua & omnium fidelium. Rigantur genæ lacrymis dulcifluis, moventur labia poſtulationibus intimis, tremuloſa ſuſpiria emittunt ſpeciem angelicam. Sæpiſſime quidem proſpiciens viſionem Angelicam, læto ac forti conſtans animo, inter ceteros ſpiritus ipſe ſpiritualis, ſpiritualiter Domino laudes concinebat. Dum jaceret in eccleſia cuſtos eccleſiæ factus, inimicus humani generis & adverſator omnium bonorum impellebat ei multa inſidiarum jacula, nitens pervertere ejus ſimplicem boni propoſiti conſcientiam. Nam multoties dum in ſoporem quieſceret nocturna tempeſtate, accedebat ad eum idem prædictus æmulus totius bonitatis, & dira excuſſione aliquando terrorem illi incutiens agitabat, aliquando leni tactu palpitando cogebat eum dormire, dicens: Dormi & requieſce fiducialiter: ego enim te excitabo certo tempore ad ſonanda ſigna matutinalis ſynaxis. Ad hoc ille, non ignarus fraudulentas inimici ſtrophas, indito ſigno crucis procul a ſe pellebat, atque ſæpiſſime quibuſdam ictibus percutiebat. Tunc dæmon ſollicitus aſſidue conturbare Dei famulum ſive conflictibus, aut multarum concuſſionum terroribus, exſtinguebat templi luminaria, utpote nulla facultas ſibi eſſet videndi; ſed obſcuritas diræ formidinis, cui contradicebat perfectio conſtantiæ ſpiritualis. Tunc famulus Dei Petrus accipiens exſtinctum a diabolo cereum manu gerebat; qui ſignum crucis imprimens, ſtatim ſine incenſione viſibilis ignis ſpirituali lumine accendebat, faciebatque opus divinum intrepidus, gratias referens Deo de ſuis tentationibus: & ut poſſet eſſe fortis agoniſta, poſtulabat intima prece indeficiens ab oratione. Nam pæne aſſidue ſibi contingere ſolebat, ut compulſus ſollicitudine ſui officii anxiaretur in luminaribus accendendis, qui, ut ſolitus erat, dum feſtinus acceleraret lumina accendere, confeſtim divina adminiſtratione intuebatur accenſa: & ille prorumpens humili voce cantabat Domino hymnum trium puerorum.

CIRCA AN. 997 10. Jan.

Multa patitur a dæmone.

15. Igitur diabolus invidens ejus benivolæ voluntati, quaſi ſpecie ſanctitatis transfigurans ſe in Angelum lucis, vaferrimo ingenio inſtigat cordi ejus, ut reviſere debeat parentes, patriam, gentemque, ea videlicet ratione, ut a parentibus & amicis exquiſita multa dona ſancto Michaeli, proprioque cœnobio deferret. Hoc autem exiſtimans vir Dei divino eſſe inſtinctu, enarravit quibuſdam fratribus: a quibus Abbas audiens, convocato taliter alloquitur Duce. Eſtne veriſſimum quia vis remeare ad patriam? Si verum: eſt formido hoc eſſe inſtinctu diaboli. Verumtamen ut probemus utrum Deo placeat an non, ora tu Deum, noſque ſimul orabimus tecum, quo ſi juſtum ſit revelando, aut augeat tibi conceptam voluntatem eundi: ſin autem diſplicet ſuis oculis, tribuat cor pænitendi. Et hoc dicens Abba, vehementer triſtari cœpit, ne eum amitteret aliqua occaſione, aut præventu mortis, aut amore parentum, ſive retentu propriæ gentis, quem jam eduxerat magno certamine. Et ita totum diem ducens in mærore, poſtulabat Dominum cum omni congregatione, ne ab eis diſſociaret tantum virum, cujus adventu atque converſatione univerſa gens illius regni gratulabatur, cernentes humilem ac pudicam vitam, multimodis virtutum floribus decoratam, quem etiam agnoſcebant quaſi patrem domeſtici, quaſi indigenam accolæ, quaſi conſanguineum pauperes. Putabatur enim eſſe velut optimus athleta, in ſtadio currens hujus tumultuantis æquoris, celer in componendis greſſibus, ut quiret accipere æternale bravium. Itaque Paraclitus & artifex omnium electum vas componit inſpirando, velut plenitudinis ſcientiæ armarium, docens accendendo cor ejus, atque perluſtrans eum radiis juſtitiæ phæbi per ſummum præſagium. Aufert ab eo hujuſcemodi ſycophantas cogitationes, addens illi ſtromeatreas actiones, cogitque in craſtinum veniam petere, præſentibus cunctis in ſchola philoſophiæ, id eſt in Capitulo, qui dicitur a capitolio; eo quod capitalia diſtributa, vel principalia neceſſitatis negotia, judiciario jure, vel æquo conſilio capiant. Proſtratus itaque in terra dixit ſe reum, clamatque ſe imprudentem dignumque flammis, eo quod dia-

Reviſendæ patriæ ſtudio accenſus,

ab Abbate retinetur.

Eum conſilii pænitet.

CIRCA AN. 997 20. Jan. diabolicis ſuggeſtionibus ſpiritualibus armis armatus minime reſiſteret, ſequipedans aſſentiendo talibus ineptis jam dictis inſtigationibus: exuenſque nobilem cilicinam interulam, ait Abbati lingua propriæ nationis: O Abba, rogo, fruſtra me; hoc eſt virgis cæde me: credule mihi, id eſt crede mihi, quod ſibi mos erat dicere; merito debeo verberari; quia non reſtiti dæmonum tentationibus. Et hoc ſæpiſſime repetens, inſiſtebat cum lacrymis, pænitentiam agens. Videntes denique Abbas & omnes fratres tantæ ejus humilitatis pænitudinem, cœperunt omnes amariſſime flere, intrantes præ gaudio, atque exſultantes in ejus compaſſione ejus amoris. Et hoc factum creditur Dei judicio, ut fratres roborarentur exemplo hujus patientiæ, caverentque ſe Dei præſidio ab inſidiis infinitis dæmonum.

Carnem jejuniis macerat. 16. Tunc exercitans ſe in cellulam, & cunctis ſpiritualibus actibus macerans carnem ſuam cum vitiis & concupiſcentiis, jejunando biduanas ac triduanas, mortificabat membra ſua ſuper terram. Nam pulmentaria ac panem ſuæ præbendæ accipiens dabat pauperibus; ipſe vero modicas, ut ita dicam, panis hordeacei micas comedebat. Quadam vero nocte eutice flens, dum Domino in mentis theoria poſitus ſe commendaret, inſidiator omnium bonorum, inſtinctu invidiæ ductus, cum terribili forma adſtitit ei dicens: Deſine jam tot mihi impendere injurias, & recede ab hoc Oratorio citiſſimo greſſu. Quod ſi non feceris, non alacer hinc abibis: ſed aut te interficiam, aut tua oſſa confringam. Ut audivit vir Dei electus dux Venetiæ Petrus, dux quidni divini collegii in æterno palatio adfuturus, ait: Quid hic adſtas atrox & livida ſpecies, qui adverſaris cunctis fidelibus velut horridus hydrus? ſicne æſtimas tuis me dilaniare fomentis? Promove tuos dolos ab aure famulantis Domino, omnium dominanti, niſi enim velociter me dimiſeris, verecundus atque confuſus Michaelis Archangeli mei patroni gladio interibis. Illico diabolus arripiens magnam molam ceræ, furibundo ictu percutere eum volens, percuſſit cornu altaris: quæ mola diviſa eſt in duabus partibus, ſicque antiquus hoſtis exſtinguens omnia lumina lampadarum, magnum ſtrepitum injecit cum magna concuſſione ſuper omne cœnobium. Vir autem Dei intrepidus ſtans, ut lampades vidit exſtinctas, projecit ſe ante altare in oratione, obnixius cum lacrymis flagitans Dominum, ut exſtincta lumina juberet accendere per manus Angelorum. Confeſtim itaque nutu Dei omnipotentis, & ejus oratione, omnes in eccleſia accenſæ ſunt lampades, & miro rutilo atque candore univerſa fulgorabant templi compoſita loca. Tunc vir Dei grates Deo referens, hilaris efficitur: moxque adſpiciens molam ceræ, duabus in partibus diviſam, aſſumpſit utraſque partes, & ſimul conjungens benedixit, atque ad integritatem duas partes, una in corpore ſolidavit.

Damonis fugat inſidias.

Cellula incluſus, orationi & abſtinentiæ vacat. 17. Poſt hæc cellulam ſibi non longe a monaſterio ædificari petiit, ibique nocturnis ac diurnis excubiis incumbens, multa tentamenta dæmonum ſuſtinuit. Denique in tam anguſta cellula ſtans, vix ſedere, aut jacere poterat, ſemper in oratione perſiſtens, aut in labore manuum, non aſſumens cibum, niſi pauca olera, & panem hordeaceum, tenens apoſtolicum victum & pabulum theoricum. Multa quidem mira per eum Deus egit, quæ nobis ſunt incognita, quia non ſunt ſcripta, nec oratione illorum qui eum viderunt relata. Omnes enim qui ejus præſentiam viderunt, jam a ſæculo migrarunt: quorum imperitia vel negligentia, ejuſdem virtutum inſignia minime ſunt exaratione prudentis eloquii manifeſtata. Nunc vero ad ejus obitum pervenientes, impigro ſtilo cudere adtentemus.

Mortis ſuæ præſcius, 18. Cum itaque ſciret imminere obitus ſui diem, ante altare prolixius orans, deprecabatur Dominum, ut dignaretur ſibi oſtendere notitiam ſui obitus. Completa itaque oratione, viſum ſibi fuit, quaſi quodam jaculo retro feriretur. Et exſiliens Domino ait: Scio, Domine, me modo in hoc jaculo a te eſſe correptum, & hujus labentis vitæ non diutius differre terminum. Et quoniam munia tua devotus hactenus exhibere ſtudui, precor

cor clementiam tuam, ut uſque in finem me reddas credulum, ac fidelem tuæ deitatis ſine reprehenſione cultorem. Poſtmodum vero exiens ab Oratorio, recollocavit ſe in ſuo nobiliſſimo ſtratu, cœpitque agitari modicis febribus: ſicque advocans ad ſe fratres, manifeſte confeſſus eſt, poſt triduum ſuum fieri ab ergaſtulo tranſitum. Aſſignato itaque die adveniente, perſiſtens in vigiliis & orationibus, nocte dieque, efficacius ad omne erudimentum divinæ contemplationis ſe ſollicitum ac elucubrantem exhibens, præſcius tempus ſui exitus, advocat fratres cum monaſterii Patre, eiſque pacem tribuendo valedicens, corpore & ſanguine Domini aſſumpto, & benedictione, ac abſolutione viatica ſuſcepta, in cinere & cilicio jacens, rogat ſe paululum ſuper cathedram reſidere. Tunc interrogat, ut antea expoſcerat, ſi illius patriæ dominus, antequam migraret relinquens ergaſtulum corruptibilis naturæ, cauſa videndi eum in extremo colloquio ſanctæ memoriæ veniret *a*, quo ſibi daret utile conſilium, ac pacis oſculum. Reſpondentibus igitur fratribus, ſe illum exſpectare dicentes; reſedit ſuper cathedram ſic uſque ad horam nonam, plurima referens, vix promovendo linguam, de inſtitutione divini cultus. In hora autem nona, fratribus omnibus circumadſtantibus, 4. Idus Januarii, commendans ſe Deo ac fratribus, jam reddito fructu 19. (annorum) ad alta ſiderum cacumina oculos elevans, quemadmodum Chriſtus, in hora nona dignum Chriſto reddidit ſpiritum. Ad cujus tranſitum mox catervæ fratrum alternanti concentu, ac tremulis lacrymantium vocibus, hymnidica ſolvebant obſequia. Non mirum quidem ſi conſodales, ac coadjutores ſui Ordinis, ſibi debiti exſequii hymnos modulabantur, qui in Angelorum manibus inter æthereos emicantis gloriæ ſpiritus ovanter ſuſceptus, choris junctus eſt Sanctorum.

CIRCA AN. 997 10. Jan.

Febrem incurrit.

Comitem appellat.

Moritur.

19. Altera autem die veniens Dux illius provinciæ cum primatibus ſuæ dominationis, dum in feretro adſpiciunt jacere pia membra, magno ejulatu flent, in exſequiis ejus poſiti, diſceſſum ejuſdem nobiliſſimi Ducis. Tunc in eccleſia ductum honorabile corpus, celebratis Miſſarum ſollemniis, cum omni honore ac devotione mentis ſepelierunt eum in clauſtro, juxta oſtium eccleſiæ, laudantes & benedicentes Dominum, eo quod talem meruiſſent habere a longinquis regionibus venientem ex ea congregatione moderno tempore, ſuccedentibus ſuis munificentiis muniti patronum.

Ejus exſequiis patriæ Dux occurrit.

Sepelitur in clauſtro.

20. Non poſt multum autem tempus a fratribus plurimis viſa ſunt ſuper ſepulchrum ejus divinitus accenſa luminaria, quæ miro candore refulgebant per omnia loca illius clauſtri. Et prætereuntes fratres, timore perculſi non audebant, ut ſoliti erant, ſemoti alter ab altero, ante horam exſurgere Dominum deprecaturi. Itaque quidam frater cuſtos eccleſiæ, unus ex ſuis ſucceſſoribus, dum ſolus in Oratorio in oratione incumberet ante galli cantum, in ipſa oratione, quaſi in ecſtaſi poſitus, vidit beatum Michaelem Archangelum cum multitudine Angelorum, atque beatum Petrum Apoſtolum cum ordinibus Martyrum, Confeſſorum, Virginum, Deo reſonantes ſpirituales laudes: inter quos & prædictus nobiliſſimus dux Petrus, inter infinitas ac innumeras beatiſſimi Benedicti monachorum cohortes, intererat eleganti ac procera forma, cum illis reſonans ſpeciales harmoniæ odas. Cumque hæc videret frater ille, valde gaviſus retulit quibuſdam fratribus, inmonitus deifico conſultu. Altera autem nocte, dum itidem eodem modo, eademque hora idem frater in oratione perſiſteret, quemadmodum præterita nocte, agmina ſanctorum ad eccleſiam venere, cœperuntque carmina divinæ magnificentiæ modulatis vocibus reſonare. At dum perfeciſſent divinum opus, data benedictione a beato Petro Apoſtolo ſummo Pontifice, ait beatus Petrus circumadſtantibus ſanctis: Stantes judicium audite. Et mox ait beato Benedicto: Emenda monachum tuæ Regulæ ſubjectum, qui ſecreta noſtra inmonitus, ſua præſumtione auſus fuit ce-

Ad ejus tumulum accenſa luminaria.

Viſum de ejus gloria.

a Franciſcus Camps hunc *patriæ dominum* ſeu *Ducem* Olibam vocat, cumque tradit a Petro admonitum ſæculo valedixiſſe, factumque Monachum, poſtea Abbatem, tum Epiſcopum. Id Romualdi cura & ſtudio factum Petrus Damiani veriſimilius ſcribit.

CIRCA AN. 997 10. Jan.

Cuſtos ob violatum ſecretum viſionis cæſus.

ceteris manifeſtare. Tunc venerabilis Abba Benedictus juſſione Principis Apoſtolorum, diriſſimis verberibus corripuit monachum, quare auſus fuerit inſolens & præſumtuoſus aliis pandere. Cumque corriperetur, vociferans monachus inter arcta correptionis flagella, mox condoluit Dux Petrus adſtans de verbere fratris, poſcitque Petrum Apoſtolum ac Benedictum ſanctum ſupplici oratu, ut parcant fratri, ſemet offerens ad ſuſcipienda verbera. Conceſſum ita ſibi eſt, fratrique dimiſſa eſt culpa pænitentia, qui in craſtino minime ſentiens dolorem, oſtendit ſimilitudinem verberum ſuſceptæ correptionis Abbati fratribuſque, enarravitque quomodo fuiſſet a domno Petro expetitus, ne acrius tormentaretur. Hoc audiens omnis congregatio, non minimas referunt gratias Deo, qui in ſanctis ſuis multa operaretur mira.

Petrus intercedit pro ipſo.

Oliba Dux fit monachus, tum Abbas & Epiſcopus.

21. Tunc poſt aliquod temporis ſpatium defuncto Guarino Abbate, inclitus vir Oliva rector ejuſdem patriæ, poſt ſuſceptionem ſancti habitus, relicto ſæculo, Abbas in eodem cœnobio ab omnibus monachis & illius regionis incolis eligitur, qui poſtmodum Pontificium culmen adeptus, in Auſoniæ cathedra dignus Deo Pontifex eſt electus. Cumque pontificatus ſui jura, velut arguta apes, æquo libraminis pondere ac virga directionis, & omnem ſubditamque plebem ſibi & Deo regeret, diſcernens diſcreta ratione utrorumque ordinum cauſas, id eſt clericorum (& Monachorum,) effectus eſt Eccleſiæ Dei ſanctæ Paſtor egregius. Eratque multarum Abbatiarum eximius Pater; præcipue tamen ſanctæ Mariæ * ſanctique Michaelis in quo requieſcit, admodum in omnibus curis dilexit cœnobium. Qui ſollicitus in orationibus, philoſophiæ ſtudiis exercitatus eſt tamquam leo apertis oculis dormiens, in ſenectute jam poſitus, rudes accœmetas ad diſciplinam veræ ſcientiæ, fratres, necnon divites ac potentes, ruſticos & illuſtres, atque alumnos eccleſiaſticæ regulæ, alens eos prudentiæ documentis, quaſi dilecta ſoboles.

Cœnobiis multis præficitur.

* Arulenſis in valle Aſperi.

Subditos viſitat.

22. Igitur quodam tempore, quia erat Pontifex, & Monachus, & Abba Monachorum piiſſimus, circuibat ſecundum conſuetudinem ſibi commiſſas oves, perſpiciens uniuſcujuſque vitam, eradicans vitia, plantans virtutes, ducens volentes, trahens nolentes, cohortans armatos, induens inermes, ingratos diſcutiens actus, dabat unicuique ex mellito ore conſilium medicaminis divinæ prudentiæ. Venienſque ad locum ſemper dilectum, ad Anciba Pyraſilum, revelatum ſibi eſt, aliiſque fratribus, ut corpus venerabilis Petri Ducis Venetiarum atque Dalmatiarum ab ipſis tranſmutatum poneretur infra eccleſiæ gremium. Tunc domnus Oliva Pontifex advocavit omnem populum regionis illius, & proceſſionaliter, cum maximo apparatu divini cultus, tranſmutavit corpus ejus in ſepulchrum, ubi nunc requieſcit. In quo loco multa oſtenduntur a Deo miracula fratribus ibi commorantibus, meritis beati Michaelis Archangeli, & aliorum ſanctorum, quorum reliquiæ ibi requieſcunt, meritiſque Petri Venetici Ducis ejuſdem loci Monachi, qui perficiens bonum certamen, & conſummans curſum, fidemque ſervans, promeruit coronam juſtitiæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe. Ad quam coronam Dominus noſter Jeſus-Chriſtus perducens ſuum fidelem Petrum, eduxit eum a morte, dans ſibi vitam, in qua mors ignorat ſuam palliditatem, in qua nullus defectus ſcitur, nulla corruptio invenitur; non eſuries, vel ſitis habent ibi nomen, non frigus, vel æſtus exhibent contrarietatem; ſed eſt ibi gaudium inenarrabile, lætitia infinita, pax æterna, & interminalis vitæ corona, quam tribuat omnipotens Deus cunctis credentibus, atque obedientiam hujus imitantibus clariſsimi viri, quem de mundi pompa erigens, civem edidit æternæ curiæ. Sit ergo illi honor & gloria, qui peccatores juſtificat, juſtoſque magnificat, qui æque trinus in unitate, unuſque Deus in Trinitate vivit & gloriatur per immortalia ſæcula ſæculorum, amen.

Petri Ducis corpus loco movet.

Ibi frequentia miracula.

DE

Digitized by Google

DE ADELHAIDE AUGUSTA

AN. CHR. 999
16. Dec.

OTTONIS I. IMPERATORIS UXORE,

& Sehlenſis ad Rhenum monaſterii conditrice.

1. ADALHEIDAM *ſeu* Adelheidem *Auguſtam hic noſtris accenſemus, non quod illam putemus monaſticis inſtitutis fuiſſe addictam, (quod Arnoldus Vvion aſſerere minime dubitavit, id enim plane falſi revincit Odilo Cluniacenſis Abbas in Adelheidis ipſius vita) ſed quod piiſſimam Auguſtam erga monaſticum Ordinem optime affectam fuiſſe conſtet ex eodem auctore. Fuit hæc Rodulfi Burgundiæ atque Italiæ Regis, eo nomine ſecundi, Bertæque Reginæ filia. Fratres habuit Conradum cognomenao Pacificum, Burgundiæ Regem, Burchardum Epiſcopum Lauſanenſem, deinde Lugdunenſem Archiepiſcopum, & Rodulfum Ducem Burgundiæ Transjuranæ, non alias fere, quam ex Bertæ parentis litteris a Guicherone * relatis, notum, quibus illa Paterniacenſe * Cœnobium in pago Bernenſi, Friburgum inter & Eburodunum, dotat.*

Adelhaidis genus.

* Guichenon Hiſt. Sebus pag. 1
* vulgo Paterne, Germanice Peterlinguen.

2. *Adelhais primo quidem Lothario Italiæ Regi nupſit: ſed eo per æmuli Berengarii fraudem exſtincto, carceri mancipata, variiſque ærumnis conflictata eſt. Cum vero inde tandem emerſiſſet, ab Ottone primo Germanorum Rege recepta, moxque regium in thalamum eſt adſcita. Hæc pluribus tradit jam laudatus Odilo, cui Magdeburgenſe Chronicon, aliique Germanici ſcriptores conſentiunt. Exſtat in eccleſia Treverenſi, teſte Brovvero, honorifica de Adelhaide memoria in hæc verba:* 12. Kal. Maji capta eſt Adelheidis Imperatris Cumis a Berengario Rege. 13. Kal. Septemb. liberavit Dominus Adelheidam Reginam a vinculis. *Sed iis omiſſis, quæ circa monaſticum Ordinem præſtiterit Adelhais, ex ipſo Odilone delibare juvat.*

Conjuges.

3. *Bertam Reginam, Adelhaidis parentem, cœnobii Paterniacenſis auctorem fuiſse docet ipſius diploma ſuperius memoratum: id etiam Adelhaide tribuit Odilo, ſic effatus.* Quot in primis cum Cæſare, inde cum filio, & filii filio, Ottonum videlicet Auguſtorum & Cæſarum, Deo annuente poſſederat regna, tot ex propriis ſumptibus ad honorem Regis Regum condidit monaſteria. In patris vero Rodulfi videlicet nobiliſſimi Regis, & domni Chuonradi fratris regno, loco videlicet Paterniaco, ubi matrem Reginam, vocabulo Bertam, Deo in omni bonitate devotam, ſepulturæ tradidit, in honorem Dei Genitricis monaſterium condidit, & ſanctiſſimo patri Majolo, ſuiſque ſucceſſoribus ſua munificentia, & fratris ſui Chuonradi Regis præcepto ordinandum perpetuo commiſit. Poſtmodo in Italia, juxta Ticinenſem urbem, monaſterium a fundamentis incepit, & ad honorem Salvatoris mundi honorifice imperiali auctoritate & ſua largiſſima donatione perfecit, prædiis & ornamentis ampliſſime ditavit, ac jamdicto patri Majolo ordinandum regulariter tradidit. In Saxonia vero poſt diſceſſum jam dicti reipublicæ Principis, cooperante unica ſapientiſſima & prudentiſſima filia, ſanctimonialium cœnobiis plurima contulit dona. *Mathildis vocabatur hæc, Ottonis primi & Adelhaidis filia, quæ in Quidlinburgenſi cœnobio monaſticis addicta regulis, eidem poſt amitam Mathildem ſanctiſſime præfuit.*

Studium & benefacta in monachos.

4. *Pergit Odilo.* Ante duodecimum circiter obitus ſui annum (Adelhais) in loco qui dicitur Salſa, urbem decrevit fieri ſub libertate Romana, quem affectum poſtea ad perfectum perduxit effectum. In ipſo etiam loco monaſterium a fundamentis miro opere condidit, & ad honorem Dei & Apoſtolorum Principis, tertio imperante Ottone nepote ſuo, in præſentiarum ſecum adſtante, 14. Kal. Decembris auguſtiſſime & devotiſſime ab Vvideraldo * Argentinæ civitatis Epiſcopo conſecrari juſſit. Et ut majori auctoritate per ſuccedentia tempora eſſet ille ſacer locus ſubnixus, cum præfato Cæſare eſt etiam Epiſcoporum conventus a ſæpe dicta & ſæpe dicenda Adalheida Auguſta, ipſius Cæſaris avia, convocatus. In ipſo vero monaſterio clauſtrum monachis ſatis aptum præparavit, & SECUNDUM REGULAM SANCTI BENEDICTI ordinare decrevit. Abbatem ibi præfecit, nomine Eccemagnum *, boni teſtimonii virum, humana ſcientia & divina ſapientia doctum, quem in divinis litteris habere voluit aſſidue præceptorem. Ipſum vero monaſterium adeo ditavit & nobilitavit prædiis, ædificiis, auro & gemmis & veſtibus pretioſiſſimis, aliiſque variis ornatuum ſupellectilibus, ut nihil deeſſet illo in loco Deo famulantibus. *Ejus loci conditio aut ædificiorum perfectio ad annum 995. revocanda eſt: quandoquidem, teſte Odilone, huic operi Adelhais* quatuor ſupervixit annos.

* al. Vviderolfo ſeu Vviderol do.

* al. Ezzemannum.

5. Innumeris præterea tam canonicorum, quam etiam monachorum & ſanctimonialium cœnobiis circumquaque per diverſas orbis partes conſtitutis, plurima largiebatur beneficia...... Jamque ultimo ætatis ſuæ anno...... monaſterium Paterniacum adiit, quod ipſa ad honorem Dei Genitricis, pro remedio animæ ſuæ matris ibi requieſcentis, tam ex ſuis, quam ex maternis rebus nobiliter condidit: & quod tunc temporis in temporali neceſſitate fratribus ibi Deo famulantibus defuit, ut ſemper erat ſolita, manu largiſſima ſubminiſtravit...... Inde egreſſa, locum Agaunenſium petiit, ubi rupes feliciſſima Martyrum millia retinet corpora. Dehinc Genevenſem adiit urbem, deſiderans videre victorioſiſſimi Victoris aulam. Inde Lauſonam venit, ibique memoriam Dei Genitricis devotiſſime adoravit...... Inde etiam ſacris locis diverſa & varia direxit donaria. Quæ enim eccleſia, quæ monachorum cœnobia ſibi affinitate vel vicinitate

con-

Digitized by Google

AN.CHR. 999 16 Dec. conjuncta, quæ non mererentur habere donaria vel xenia? Et ut multa de paucis dicam, in ipſo tempore quo ſibi inſtabat dies ſupremus, beatiſſimum Patrem Benedictum, licet exiguis, tamen propriis viſitavit muneribus: necnon & beatæ recordationis patrem Majolum, cæleſti gloria jam coronatum, quem dum in hac mortali carne ſubſiſteret, præ cunctis mortalibus in illo Ordine diligebat. Non enim oblita Cluniacum, adeo ſibi familiare cœnobium. *Geneva S. Victoris baſilica monaſterio Cluniacenſi ſubdita erat, ut in Vita S. Odilonis Abbatis docet anonymus Silviniaci monachus. Nomine vero S. Benedicti, Caſinenſe intelligit Odilo, cui Privilegia conceſſit Otto nepos Adelhaidis; quam & alia donaria huc tranſmiſiſſe non dubium eſt. Audiendus iterum Adelhaidis encomiaſtes.*

6. Ad reſtaurandum igitur beatiſſimi Confeſſoris Chriſti Martini monaſterium, quod non multo ante fuerat igne combuſtum, deſtinavit tranſmittere non modicum argentum, ad honorem altaris, partem unici filii ſui Ottonis Auguſti chlamydis. Ut enim ad memoriam reducamus ejus dulciſſima verba, ad eum, cujus mittebantur officio, ait inter cetera. Obſecro chariſſime, obſecro, ut ita alloquaris ſanctiſſimum ſacerdotem: Meo obſequio accipe Sacerdos Dei parva munuſcula, quæ tibi delegavit Adalheida, ſervorum Dei ancilla, ex ſe peccatrix, dono Dei Imperatrix. Accipe unici mei Ottonis Auguſti chlamydis partem, & ora pro eo ad ipſum, quem veſte diviſa veſtitiſti in paupere Chriſtum. In illo die, in quo de ſupradicto loco erat exitura, una eademque hora, nobis peccatoribus adſtantibus, & exemplum perfectæ humilitatis reliquit, & prophetiæ ſpiritum non arroganter, ſed humiliter ſe habere oſtendit. Erat quidam ibi in præſentia ipſius monachus, qui licet eſſet indignus * Abbas vocitari, ab ea tamen putabatur alicujus eſſe momenti: quem cum illa reſpiceret, & ipſe eam eſſet intuitus, cœpit uterque flere uberius. Dicam eam plus feciſſe, quam ſi dicerem eam multos infirmos ſanaſſe. Veſtem enim ſatis incultam, qua erat indutus, humiliter apprehendit, & ſanctiſſimis oculis, & sereniſſimæ ſuæ faciei oſculando impreſſit, eique humiliter & cum ſilentio dixit: Memento mei, fili, in contemplativis, & ſcias me non amplius te viſuram corporalibus oculis. Cum enim humanis rebus exceſſero, orationibus fratrum animam meam committo. Inde per iter quo venerat, pervenit ad locum, ubi ordinante Deo decreverat ſibi parare ſepulchrum.

* De ſe ipſo Odilo ſub aliena perſona loquitur.

Mors anno. 7. Anno igitur inſtante ab Incarnatione Domini milleſimo...... cum ſextum decimum diem ſolveret December felix, & ipſa feliciter depoſito carnis onere evolavit ad purum puriſſimi ætheris fulgorem..... Ad ſepulchrum ejus cæci amiſſa oculorum lumina recipiunt, paralytici valetudinem corporum, febricitantes ſanantur ibi, ex diverſis infirmitatibus multi reparantur infirmi. *Locus ille ubi ſepulchrum ſibi paraverat Adelhais, non alius a Salſenſi ſeu Seblenſi monaſterio ſuperius memorato, ubi crebris illa miraculis effulſit, quæ jam laudatus Odilo fuſe libro integro perſequitur. Ab iis commemorandis abſtineo, quod illa nihil ad rerum noſtrarum hiſtoriam ſingulare contineant. Hic dumtaxat Garini Clerici verſus, quos exhibet mſ. codex, ſubnectere juvat.*

Quo vixit more Regina ADALEIDA Romæ,
Nobis hæc ATALA * ſcribi juſſit Comitiſſa,
Odilo quæ vidit Abbas, quæ ſcripta notavit,
Exemplum vita ſibi quo captaret in iſta:
Nolle malum, ſed velle bonum, deducere ſæclum.
Regnet cum Domino ſemper laudanda virago,
Quæ pravos vitat, juſtos imitarier optat.

* ſ. Adela.

Quis iſte fuerit Garinus haud liquet. Odilo lucubrationem ſuam Epitaphium *dixit, quaſi elogium ſeu brevem vitæ commemorationem dixiſſet, eum ad modum, quo Baſilii magni, & Nepotiani, & Vualæ Abbatis epitaphia vocant Urſus, Hieronymus, & Paſchaſius Radbertus.*

DE V. GOZLINO ET S. GERARDO

EPISCOPIS TULLENSIBUS,

Ubi de reſtitutione cœnobiorum S. Apri, & S. Manſueti.

1. P*roximo poſt Adalberones loco inter præcipuos Ordinis ſancti Benedicti fautores cenſendi ſunt Epiſcopi Tullenſes* GOZELINUS, GERARDUS, BERTALDUS, *&* BRUNO, *quorum de duobus primis hic ſtrictim pro conſilii noſtri inſtituto agendum eſt, remiſſo Brunone, poſtea Leone ejus nominis nono, in ſequentem tomum, ubi ejus acta daturi ſumus.*

Gozelini facta Boſſeriis & apud S. Aprum. * S. Evre.

2. *Gozelinus ſeu Gauſlinus, Tulli Leucorum Epiſcopus ab anno 926. in annos 37. duo in Ordinem noſtrum beneficia contulit, inſtaurando ſcilicet monaſterium ſancti Apri * in ſuburbio civitatis ſuæ, & cœnobium virginum apud Boſſerias conſtruendo. De hoc ita ſcribit Monachus Senonienſis in Chronici lib. 2. cap. 11.* Nongenteſimo ſexageſimo ſecundo Domini anno, quidam vir venerabilis exſtitit, Gozelinus nomine, Tullenſis Epiſcopus, vir ſagax & providus, qui monaſterium Sanctimonialium, quod Boſſeriis dicitur, a fundamentis primitus ædificavit. *De hoc parthenone actum eſt ſupra in Vita Johannis Abbatis Gorzienſis. Quid vero in monaſterio S. Apri ab eodem Goſlino præſtitum ſit, teſtes ſunt Ottonis Regis, poſtea Imperatoris eo nomine primi, litteræ, in qui-*

Digitized by Google

in quibus hæc legimus. Notum fieri volumus omnibus ſanctæ Eccleſiæ Dei fidelibus noſtris, præſentibus ſcilicet & futuris, quia Gauzlinus, venerabilis Leuchorum urbis Epiſcopus, noſtræ ſuggeſſit manſuetudini, eo quod quoddam monaſterium in ſuburbio ejuſdem civitatis ſuæ conſtructum, ubi ſanctus Aper confeſſor Chriſti tumulatus agnoſcitur, regulari ac monaſtico Ordini deditum, ſed deinceps penitus depravatum atque deſtitutum, tandem Chriſti auxilio piæ devotionis ſudoribus piiſque laboribus digno regularis vitæ ſtatu inſignitum, & decentiſſimo ordine monaſticis uſibus aptatum, quibuſdam rebus ab anteceſſoribus ſuis nuper ſubtractis, & a ſe reformatis, liberaliter ditaverit. Sed ne quamlibet contrarietatem aut inquietudinem a Præſulibus, per tempora labentia in eadem ſede ſibi ſuccedentibus, monachos quos in memorato monaſterio adgregaverat, quolibet tempore pati cogerentur; privilegium eis eccleſiaſticum auctoritate ſe profeſſus eſt feciſſe: quo ſeveriſſime ſanxerat, ut nullus Pontificum ſibi ſuccedentium quippiam de rebus, quas iidem Monachi ante poſſederant, immo ipſe reddiderat, aut ſi qua deinceps ab eo impetrare poſſent, imminuere, aut majora illis ſervitia, quam ipſe conſtituerat, inferret. *Idipſum confirmat Rex Otto, enumeratione facta earum rerum, quas Gozelinus Monachis reſtituerat*. Data 3. Non. Auguſti, anno dominicæ Inc. 948. Indict. 3. regnante Ottone Rege anno 11. *Idem ante Gozelinum præſtiterat in monaſterio ſancti Apri Frotharius & ipſe Tullenſis Epiſcopus, cujus hac de re litteras ex autographo retulimus in lib. 6. de re Diplomatica. In his Frotharius teſtatur, ſe monaſtico Ordini, qui apud ſancti Apri eccleſiam defecerat, locum poſtliminio reſtituiſſe: ſed a quo auctore, quove tempore conditum fuerit, non exprimit, neque id ulla nos docent vetera monumenta. Tantum invenio Apollinarem ejus loci Abbatem tempore Guntchramni Regis exſtitiſſe: qui Apollinaris monaſteriorum Agaunenſis, Divionenſis ſancti Benigni*, ſanctique Apri apud Tullum *Abbas fuiſſe dicitur in Chronico Benigniano. Itaque cœnobium ſancti Apri ab antiquis temporibus fundatum, ſed monachis lapſu temporis deſtitutum, inſtauravit Frotharius, & poſt eum Goslinus, de quo nunc agimus*.

3. *Hic* Pontifex nobiliſſimus, *ut legitur in lib. de miraculis S. Berchariì Abbatis Dervenſis, pag.* 848. *Sæculi 2. Floriacenſis cœnobii, per S. Odonem in melius reformati*, celeberrima fama excitus, prædictum locum adiit, inſpecturus rumore ad ſe perlatum ordinem Religionis: indeque remeans, ſollicitus gregis a Deo ſibi commiſſi, deſcriptionem omnis monaſticæ converſationis, quam inibi religioſiſſimam inſpexit, ſupra dictam quoque Regulam beati Patris ſecum deferens, primus urbi Tullenſi innovationem monaſtici oſtendit propoſiti. Fretus igitur Pontifex multimodis divinæ inſtitutionis documentis, viris prudentibus undecumque collectis, cœnobium S. Apri, ſitum in ſuburbio Tullenſi, regularibus diſciplinis ſtrenue imbutum, multorum commoditati profuturum decentiſſime reddidit illuſtratum.

4. *Primus a reſtitutione per Goslinum facta Abbas videtur fuiſſe* ARCHEMBALDUS, *qui commutationem quamdam fecit cum Eva Comitiſſa, ejuſque filio Odelrico* excellentiſſimo Abbate, *qui poſtea Remorum Archiepiſcopus fuit*. Actum Tullo civitate in porticu S. Apri, ſub die 11. Kal. Junii, 945. anno ab Inc. Domini, Indict. 15. regnante 6. anno Ottone Rege, ordinationis vero domni Goslini anno 19. *Eidem, ut puto, Archembaldo ſucceſſit piiſſimus* HUMBERTUS, *qui* in cura dominici gregis *apud S. Aprum* quievit, *ex actis S. Joannis Abbatis Gorzienſis ſuperius relatis. Per id tempus refloreſcente ibidem religione, contigit id quod narrat in Chronico Hugo Abbas Flaviniacenſis pag. 127. ubi relata Adelmari Diaconi Virdunenſis pænitentia*, Hujus exemplo, *inquit*, provocati quidam Canonicorum beatæ Mariæ Virdunenſis ſæculum deſeruere: & quia in eadem civitate congregatio Monachorum nulla erat, (in eccleſia enim S. Petri & S. Vitoni clerici deſerviebant) Tullum petiere, & in monaſterio S. Apri mutato habitu ſæculum deſerere, & Chriſto Domino incorporari, ut membra fidelia capiti, ſtuduere. Quæ res maximo erat mærori Pontifici, Canonicis quoque reſiduis & proceribus populi: quia optarent eos potius in eodem militare Epiſcopio, quam ad aliud demigrare. Bonis tamen & laudabilibus eorum ſtudiis & exemplis religio Regulæ Monachorum, & fervor Ordinis in eodem cœnobio, & in quibuſdam aliis per regnum Lotharienſe reparatur. *Ex eodem S. Apri cœnobio eductus eſt* ALBERICUS, nobiliſſimis natalibus ortus, indigena Remenſis, *qui Dervenſes monachos ad meliorem frugem revocavit, ut dictum eſt in Sæculo 2. pag.* 848.

5. *Defuncto Goslino, quem* bonæ memoriæ *Antiſtitem appellat Otto Imperator in litteris ſuis mox citandis, ſucceſſit in ejus locum* GERARDUS, *non minus ſtudii in rem monaſticam, quam ejus ſanctitatis & dignitatis heres. Succeſſit, inquam, anno 963. ſtatimque Goslini in S. Aprum pia facta confirmavit auxitque, obtento diplomate Ottonis Imperatoris pro totius negotii ſanctione, in hæc verba*. Notum fieri volumus univerſis, quia Gerardus venerabilis Leuchorum urbis Epiſcopus, noſtram imperialem magnificentiam adiens, humiliter ſuggeſſit, quoddam monaſterium in ſuburbio ejuſdem ſuæ civitatis ab antiquo eſſe fundatum, ubi videlicet ſanctus ac beatiſſimus Confeſſor Domini Aper cognoſcitur tumulatus, qui ab anteceſſore ſuo bonæ memoriæ Gauzlino Pontifice in regularis normam vitæ religioſa devotione, necnon rerum augmentatione fuerat reparatum. Unde & iſdem Gerardus Præſul prædeceſſoris ſui religionis exemplum ſequi deſiderans, & locum divinæ ſervitutis obſequio mancipatum, regulari quoque ac monaſtico Ordini deditum confirmare & ampliare cupiens, imperialis majeſtatis noſtræ ſublimitatem petiit, eidem ſuæ gubernationis loco immunitatem jure imperatorio a nobis eſſe concedendam: quatenus Monachi ſub profeſſione regularis vitæ in eo loco deſervientes, quiete viverent, & pro nobis & prole noſtra Dei miſericordiam implorarent, &c. Datum 4. Non. Junii, anno Dominicæ Inc. 965. Indict. 8. anno regni Ottonis 30. imperii ſcilicet 4. Datum Coloniæ palatio. S. Gerardi merita in Ordine S. Benedicti.

6. Ma-

6. *Majoris momenti ſunt, quæ in ſuburbanum item ſancti Manſueti cœnobium præſtitit* Gerardus*; qui, ut legitur in diplomate* Ottonis *mendoſe edito apud Sancta-Marthanos, Ottonis præſentiam* adiens*, ſuggeſſit,* quemdam locum in ſuburbio ejuſdem ſuæ civitatis ab antiquo quidem fuiſſe fundatum, ſed præſentium incurſu temporum rebus deſtitutum, religione depravatum, ædificiis corruentibus male eſſe collapſum: qui videlicet locus in honore beati Petri conſecratus, & corporali ſancti Manſueti, ſimulque beati Ammonis præfatæ urbis Epiſc. corpore decoratus, a bonæ memoriæ Gauzelino prædeceſſore ſuo reparari fuerat cœptus, ſed opere imperfecto relictus. *Hunc Gerardus in integrum* reparare cupiens, & ſacræ religioni competentibus officinis inſtruere, rebuſque ampliare; Abbatem, nomine Adam, regularibus diſciplinis eruditum, Fratribus ibidem conſiſtentibus præfecit, cum conſilio Brunonis Archiepiſcopi ac Principum regni. Data 4. Non. Junii, anno dominicæ Inc. 965. Indict. 4. anno regni Ottonis 30. imperii 4. Actum Coloniæ palatio. *Id a Gerardo factum* ex voto *tradit Chronographus Senonienſis in lib. 2. cap. 13. nempe cum ad Epiſcopatum electus fuiſset, & in ſede ſua inſtituendus ductus fuiſset* ad eccleſiam S. Manſueti, quam prius idem Manſuetus in adventu ſuo ad civitatem Tullenſem pro Oratorio ibi exſtruxerat. *Legimus in archivo ſancti Manſueti tres alias Gerardi chartas, unam, qua tradit villas Angeriacum & Moliſiacum,* quas acquiſierat ſuper Odelricum Archiepiſcopum *Remenſem*, ea ratione ut terni Monachi ſtipendium inde cum ablutione & ſolito ſolatio pedum ibi percipiant. *Is mos erat ex Regulæ præſcripto erga hoſpites adventantes.* Actum anno Dominicæ Inc. 974. Indict. 11. ordinationis noſtræ 12. menſe Majo. *Altera charta ipſius Gerardi, qui cum Goderamnum Primicerium a ſe pro quibuſdam culpis ſegregaſset, eum rogatu* Adalberti *ſancti Manſueti Abbatis in gratiam denuo recepit, & eccleſiam apud Medium vicum * a Goderamno acceptam conceſſit. Poſt Adamum iſti loco præfuit iſte* Adalpertus. Is *ait Gerardus*, quia moribus erat amabilis, rector pervigil monaſtici Ordinis, apud nos locum obtinuit magnæ familiaritatis. *His litteris poſt Gerardum apponitur* ſignum Azelini Comitis Tullenſis fratris domni Pontificis. Actum Tulli publice ſub die Iduum Octob. in plenaria ſynodo, anno Dominicæ Inc. 982. Indict. 10. anno ordinationis noſtræ 19. regnante ſecundo Ottone imperii ſui anno 5. *Tertia denique Gerardi charta eſt de eccleſia villæ quæ dicitur Andeleris, tempore* Ruotberti *Abbatis, qui tertius proinde cenſendus eſt a reſtitutione monaſterii,* anno Dominicæ Inc. 986. Indict. 14. regnante Ottone anno 7. ſub Chriſto.

7. *Gerardi vitam in litteras retulit Vindricus ſancti Apri Abbas, ſeu (ſic enim legendum puto) Vvidricus, a quo mirum eſt ea, quæ de monaſterio ſancti Apri mox diximus, prætermiſſa fuiſse, eique ſat fuiſse dicere de cœnobio ſancti Manſueti, quod Gerardus locum* ſummo honore ſemper excoluerit, *ejuſque* cœnobium, labili veterno deciduum, renovare ſategerit. *Nihilominus Vvidricus paucis mentionem facit de translatione ſancti Apri & ſanctæ Aproniana ejus ſororis per Gerardum facta. Memorat etiam ſancti Gendulfi eccleſiam ab eo conſtructam* juxta introitum urbis ad meridiem, *quam eccleſiam* ſanctimonialium conſtituit Abbatiam: *ſed quia ibi ultra* modum ſancta caſtitas patiebatur detrimentum, coactus eſt ſuæ inſtitutionis pati repudium. *Nunc collegium eſt Canonicorum.*

8. *Narrat deinde auctor Gerardi profectionem ad limina Apoſtolorum, & in decurſu itineris acceſſum ad urbem Papiam: ubi contigit cum Majolo factum, quod ex Vvidrico ſic accipe.* Huic glorioſo inſtans operi Papiam ingreditur, ubi magnificos viros, ſanctum ſcilicet Abbatem Majolum, necnon Adalbertum poſt Martyrem, ſe reperiſſe eſt ineffabiliter collætatus. O quanta fuit inter eos ſpiritualis exſultatio! quæ ſuperni regni exoptabilis collocutio! quam diuturna divini verbi ſermocinatio! Pendebant ſinguli invicem ab alterno ore: Chriſtum qui certiſſime in iis manebat, unuſquiſque credebat ſe in alio audire. In hac mutua confabulatione longum diei tranſigentes ſpatium, ſimul tres ſancti convivæ reſident ad prandendum: in quo prandio quid virtutis Omnipotens ſit dignatus oſtendere, non decet obivioſa ſilentii ſera occludere. Venerandus ſcilicet Pontifex diem jejunii, qui forte contigerat, non diſſolvere ſtatuens, lympham ſibi ad potandum deferri miniſtro in aurem ſecreto præceperat: quam pincerna obediens beato viro obtulit; ſed ille ſummis prægustans labiis, vini ſaporem reperit. Mox commotus verbis increpationis, eum dure impetit: cauſatur cur ſibi inobediens vinum pro aqua præſumptuoſe obtulerit. At ipſe cum verbo ſacramenti jurans, lympham puram ſe & miniſtraſſe teſtabatur, & cur id ſibi immerito ſanctus Dei imputaret ſtupide mirabatur. Hæc autem alterna diſceptatio lingua agebatur barbarica, glorioſo Præſule credente ſanctos convivas hujus ſermonis ignaros eſſe. Tunc B. Majolus cordis repletus exultatione: Deſine inquit ſancte Pontifex in hoc facto aliis ſuccenſere: ſed percipe cum gratiarum actione, quod tibi rerum Creator ſua contulit benedictione.

9. *Magna exinde Gerardi neceſſitudo cum Majolo Abbate ſanctiſſimo interceſſit, ut ſuperius in hujus Elogio notatum: factumque eſt ut Majolus paucis diebus Gerardo ſupervixerit, ejuſque obitum eodem tempore, quo Tulli contigit, Cluniaci divinitus intellexerit, quod Vvidricus refert in hunc modum.* Eadem quoque tempeſtate beatus Majolus, plurimorum Chriſti ſervorum Pater eximius, Cluniaco aderat; & in hora qua noſter venerandus Paſtor ſæculo eximebatur, a Fratribus divino impleto officio, tempus refectionis advenerat; ipſeque Majolus præfatus Pater, ad eſum convocando Fratres, monaſtico more cymbalum inſonabat. Tunc itaque (ſicut erat continuus uſus, etiam in agendo aliquo terreno opere, ſupernæ contemplationi intendere, & interioribus mentis oculis Chriſtum orando in ſede majeſtatis conſpicere) repente in claram lætitiam ejus mutatur facies, & præ abundanti gaudio lacrymis diſtillat affluenter, ac Fratribus convocatis talia profert: Frater noſter domnus Gerardus, Leuchorum Epiſcopus, ſæculi hujus angoribus abſtractus, divino præſentatur judicio, & idcirco curemus illi impendere ſolatium animo charitativo: nobis enim erat junctus familiaritatis ſocietate, atque notus omni bonorum morum

qua-

Digitized by Google

qualitate. *Gerardi obitus accidit anno 994. die 23. Aprilis: Majoli eodem anno, octavo-decimo abhinc die, id eſt die 11. Maji ſequentis.*

10. *Præter hæc, duo tantum ex Vvidrico hic addenda videntur, nempe ritus quo Gerardus ſacramentis ſeſe munierit in extremis, ejuſdemque ſtudium & amorem adverſus Græcos & Scottos. De primo hæc leguntur.* Hinc brachiis bajulantis eſt delatus ad lectulum: & convocans devotum ſuæ plebis clerum ac populum, indicat eis ſuum præſentialiter imminere exitum: quos etiam ſua ſancta commonitione confirmans in divinæ legis obſervatione, & reconciliatus ſacri olei perunctione, necnon cunctos præſentes atque abſentes abſolvens, divini ſumpſit ſacramenti Viaticum, ſummaque cordis ac vultus lætitia felicem efflavit ad aſtra ſpiritum. *Ubi vides morituri unctionem ſacro Viatico præmiſſam, de more illorum temporum. De Græcis ac Scottis Vvidricus hæc habet.* Cœtum quoque Græcorum ac Scottorum agglomerans non modicum, propriis alebat ſtipendiis commixtum diverſæ linguæ populum: quibus etiam quotidie congregari ſtuduerat, diviſis altariis in Oratorio, ubi Deo ſupplices laudes perſolverent more patrio. *De Scottis quibus peregrinationum ingenita eſt libido, id non miror: at mirari ſubit de Græcis, quibuſcum rarum tunc erat cum noſtratibus commercium. Non omittam hoc loco, quod de Fulcuino Mettenſi monacho apud S. Arnulfum, qui Fulcuinus eodem momento, quo S. Gerardus in terris vivere deſiit, in extremis agens, in raptu contemplatus eſt gloriam in cælum aſcendentis. Sed ſatis hæc delibaſſe ex Vvidrico, qui ſuum de Gerardi geſtis libellum ſcripſit ante elevationem ſacri ejus corporis factam per Leonem IX. qui Tulli Leucorum antea ſedem tenuerat ſub nomine Brunonis. Huic actioni, adeoque Gerardi (quam vocant) canonizationi adſtipulantur non ſolum Chronographus Senonienſis in lib. 2. cap. 13. ſed etiam Hermannus & Marianus in Chronicis, immo etiam ipſa acta Leonis Papæ IX. Rei geſtæ inſtrumentum deeſt in editis libris, etiam apud Bollandi continuatores in tomo 3. Aprilis, ubi S. Gerardi vita auctore Vvidrico typis primum vulgata eſt: quod inſtrumentum huc referre juvat, tum ad ornandam memoriam ſanctiſſimi Epiſcopi de Ordine noſtro quam optime meriti, tum ad illuſtrandum canonizationis ritum, de quo in Præfatione hujuſce voluminis egimus; tum denique ad repræſentanda nomina eorum, qui rei geſtæ & Synodo Romanæ anno 1053. interfuerunt, ex quibus multi ſunt Ordinis noſtri Abbates inſignes.*

LEO Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, cunctis catholicæ Eccleſiæ filiis in Chriſto ſalutem & apoſtolicam benedictionem. Virtus divinæ operationis in omnibus eſt mirabilis, maxime tamen in ſanctis ſuis, quos præſcivit & prædeſtinavit conformes fieri imagini Filii ſui, quos etiam vocavit & ſanctificavit antequam ſæcula fierent, antequam ipſi exſtarent. Et quia ipſe Dominus in Evangelio dicit: *Pater meus uſque modo operatur, & ego operor:* verum proculdubio eſſe quotidie oſtendit quando dicit, ſcilicet eos ſanctificandos quos vocavit, eos vocandos quos prædeſtinavit ſola gratuitæ miſerationis bonitate, nec humani generis merito: quia naturaliter omnes ſumus filii iræ & filii gehennæ. Cur autem hæc dicere cœperimus, continuo patefaciemus: quia ſicut nemo accendit lucernam & ponit eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum ſtatuit, ut luceat omnibus qui in domo ſunt; ſic & Dominus noſter Jeſus-Chriſtus agit, illos clarificando miraculis in mundo, quos ſecum vivere & gloriari facit in cælo: ut quia per adoptionem facti ſunt filii Dei, præveniente gratia pateat eos heredes eſſe regni, quod promiſit Deus diligentibus ſe. Paulo igitur ante nos in Epiſcopatu Tullenſi (unde nutu Omnipotentis & omnia ſuo arbitrio diſponentis, nec ullis noſtrorum meritorum profectibus ad apoſtolicam ſedem tranſlati ſumus) fuit Epiſcopus, nomine GERARDUS, qui duo talenta, intellectum & operationem, a cæleſti Patrefamilias accipiens, divinam legem, quam medullitus intellexit, ſic opere adimplere ſtuduit, ut fieret dignus accipere illam deſiderabilem a Deo ſalutationem; *Euge ſerve bone & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui.* Sic enim Domini ſui talenta erogavit, ſic animas lucratus eſt verba ſalutis prædicando, ut geminatam Domino ſuo pecuniam repræſentaret, & ſibi æterna beneficia cumularet. Lumbos ſibi præcinxit caſtitatem ſervando: lucernas in manibus portavit exempla bonæ operationis aliis præbendo. Exſpectavit Dominum a nuptiis ſanctæ Eccleſiæ non dormiendo, ſed vigilando prima, ſecunda, tertia vigilia, anxius ad ejus aſpectum, ſecundum illud quod quotidie pſallebat: *Sicut cervus deſiderat ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te:* item, *Sitivit anima mea ad te; quam multipliciter tibi caro mea.* At quia ſic ſemper animo ſuſpirabat ad Deum, ejus virtute comitatus angelicam ducens vitam, quotidie Chriſtum in pauperibus ad menſam ſuſcipiens, quotidie piis actibus inſiſtens, nec docendo, nec agendo; niſi quod ſanctum & Deo gratum eſſet, multis effulſit miraculorum prodigiis, ſanctitati ejus teſtimonium perhibentibus; unde adhuc plures teſtes exſiſtunt: quod & idem poſt mortem carnis cum Chriſto Domino noſtro ſpiritu vivens, glorians ſæpe operatus eſt, & ſæpe adhuc operatur, curans diverſos languores diverſaſque infirmitates. Quamvis autem venerabile corpus ejus multis, ut diximus, hactenus coruſcarit miraculis, & ipſe in numero ſanctorum divino ſit deputatus judicio; nondum tamen in catalogo ſanctorum ſortitus eſt humanam corroborationem, quod Dei miſeratrix clementia nobis ſervis ſuis reliquit agendum, ubi ad culmen conſcendimus Apoſtolicum. Reſidentibus ergo nobis Romæ in ſynodo in eccleſia Salvatoris, cum multis Coepiſcopis noſtris, circa ſexto nonas Majas, relatum eſt auribus noſtris ab UDONE Tullenſi Præpoſito, eadem nocte ipſum domnum Gerardum in viſione apparuiſſe cuidam venerabili monacho, nomine ALBIZONI, qui ſynodo intererat, quem ipſe Udo nimiis precibus conſtrinxerat exorare Dominum, oſtendere ſibi cujus meriti eſſet apud Deum ipſe Domnus Gerardus, qui tot miraculorum radiis coruſcabat.

Rom. 8. 29.
Joan. 5. 17.
Matt. 25. 21.
Pſal. 41.
Pſal. 62. 2.

Videbatur ergo illi ipſum aſſiſtere ſibi, quem numquam corporaliter viderat, nec etiam nomen ejus audierat, & dicere, ſeipſum Gerardum eſſe, pro quo Deum decreverat exorare. Ad quod ille gaviſus, ſedulo ſciſcitari cœpit, an eſſet apud Deum in numero ſanctorum: cui læto vultu reſpondit, procul dubio ſe eſſe cum Deo, dignumque ac juſtum fore eos honorari in terris ab hominibus, qui honorantur in cælis ante Deum ab Angelorum agminibus. Quam viſionem ipſi ore proprio divulgavimus in ſynodo, exponentes ipſius Domni Gerardi vitam venerabilem, converſationem mirabilem, miraculorum multitudinem, efficaciam divinæ virtutis ad corpus ejus exuberantem: & ſequenter ſanctam ſynodum interrogavimus, ſi deberet ut ſanctus venerari, & ſanctus deinceps nominari. Ad quod tam Archiepiſcopi quam Epiſcopi, tam Abbates quam clerici, ac laici, quorum utrorumque magna intererat multitudo, quaſi uno ore clamaverunt, ipſum Domnum Gerardum virum eſſe ſanctum, a Deo inter ſanctos numeratum, & ab hominibus inter ſanctos numerandum & venerandum, pro eo quod vivens in carne, teſtantibus miraculis, ut vir ſanctus extitit, & carne exutus, qualis in mundo fuerit, in cæleſti beatitudine poſitus mundo quotidie eiſdem miraculis innoteſcat. Decrevimus igitur, ſic ſancta annuente ac laudante ſynodo, ut ex hoc ſanctus habeatur, & ſanctus colatur nono Kalendas Majas, tam Leuchæ, ſicut S. Manſuetus & S. Aper, quam ubique terrarum, ſicut ceteri ſancti: cujus ſancti venerabile corpus per nos ipſos cupimus transferre, & digno honore, digno loco in altare proprio collocare ad laudem & gloriam Domini noſtri Jesu-Christi, qui ideo factus eſt pro nobis homo, ut non ſolum ſolveret nos a peccatis, ſed etiam conferret nobis præmium æternæ beatitudinis, & manſionem in cælis, ubi ipſe cum Patre & Spiritu-ſancto vivit & regnat per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

Nomina Epiſcoporum atque Abbatum qui interfuerunt ſynodo Romæ: Dominicus Patriarcha Gradenſis, Alinardus Archiepiſcopus Lugdunenſis, Leodegarius Viennenſis Archiepiſcopus, Hugo Biſontienſis Archiepiſcopus, Humbertus Sicilienſis Archiepiſcopus, Hildebrandus Capuenſis Archiepiſcopus, Petrus Comſanenſis Archiepiſcopus, Joannes Portuenſis Archiepiſcopus, Joannes Senenſis Epiſcopus, Vvido Volaterrenſis Epiſcopus, Creſcentius Silvæ-candidæ Epiſcopus, Joannes Veletrenſis Epiſcopus, Joannes Oſtienſis Epiſcopus, Joannes Sabinenſis Epiſcopus, Joannes Tiburtinus Epiſcopus, Benedictus Salernitanus Epiſcopus, Leo Gageranus* Epiſcopus, Atto Camerinenſis Epiſcopus, Joannes Siſcionenſis Epiſcopus, Adalbero Metenſis Epiſcopus, Obiſo Piſenſis Epiſcopus, Henricus Populonii Epiſcopus, Atenulfus Cæſenatis Epiſcopus, Creſcentius Cerenſis* Epiſcopus, Azo Centumcellenſis Epiſcopus, Gerardus Reatinenſis Epiſcopus, Bonizotus Cariellenſis Epiſcopus, Joannes Suanenſis Epiſcopus, Gerardus Roſellanus Epiſcopus, Theodericus Orbienſis Epiſcopus, Aldedus Vrlgradenſis Epiſcopus, Leo Murenſis Epiſcopus, Mazio Montis-viridis Epiſcopus, Bonus Petroraus* Epiſcopus, Henricus Spoletanus Epiſcopus, Bernardus Patavienſis Epiſcopus, Vvalterus Veronenſis Epiſcopus, Yſembardus Teanenſis Epiſcodus, Petrus Bituricenſis* Epiſcopus, Arto Marſicanus Epiſcopus, Leo Seranus Epiſcopus, Benedictus Berulenſis Epiſcopus, Aſo Solinenſis Epiſcopus, Attigrinus Imolenſis Epiſcopus, Gerardus Florentinus Epiſcopus, Fridericus Genuenſis Epiſcopus, Gosfridus Conſtantienſis Epiſcopus, Mannis Redonenſis Epiſcopus, Hugo Nivernenſis Epiſcopus, Iſembaldus Pictavenſis Epiſcopus, Arnolfus Santonenſis Epiſcopus, Arduinus Tuderanus Epiſcopus, Hugo Archidiaconus eccleſiæ Romanæ, Petrus ejuſdem eccleſiæ Diaconus, etiam Cancellarius & Bibliothecarius, Sico Primicerius ipſius eccleſiæ, Richardus Abbas S. Benedicti, Hugo Abbas Cluniacenſis, Airardus Abbas S. Pauli, Joannes Abbas S. Sabæ, Reinerus Abbas S. Coſmæ, Petrus Abbas S. Bonifacii, Joannes Abbas S. Vitalis, Joannes Abbas S. Laurentii, Bonactus Abbas S. Joannis, Richerus Abbas S. Juliani, Liufridus Abbas S. Vincentii, Gosfridus Abbas de Reigelliaco, Valerandus Abbas S. Vitoni, Gervinus Abbas S. Richarii, Vincentius Abbas S. Januarii, Leo Abbas S. Cornelii, Martinus Abbas S. Blaſii, Felix Abbas S. Andreæ, Richardus Abbas S. Ragneberti, Dudo Abbas S. Mariæ, Peneresius Abbas S. Salvatoris, Agino Abbas S. Silveſtri, Adam Abbas S. Iſaac, Theuſo Abbas S. Petri, Bonizo Abbas S. Petri, Vincentius Abbas S. Januarii, Urlbinus Abbas S. Apollinaris, Vvido Abbas S. Severi, Leuzo Abbas S. Mariæ, Albricus Abbas S. Zenonis, Joannes Abbas S. Salvatoris, Bonactus Abbas S. Salvatoris, Lætus S. Angeli, Stephanus Abbas S. Thomæ, Rodulfus Abbas S. Petri.

** ſ. Gajetanus.*

** id eſt Ceretanus.*

** ſ. Peruſinus.*

** Biterrenſis.*

10. *Hæc Synodus Romana revocari debet ad annum* 1049. *quo anno Leo Papa* in hebdomada poſt Albas Synodum cum Italiæ Epiſcopis, *maxime contra ſimoniacam hæreſim, Romæ celebravit, teſtante Hermanno. Sane hæc Synodus corporis S. Gerardi elevationem, quæ anno* 1050. *facta eſt, præceſſit, ut Pontifex in ſuperioribus litteris ſignificat. Tunc privilegium conceſſit Dodoni S. Manſueti Abbati* anno Inc. Domini 1050. Indict. 4. Datum Tulli in majori eccleſia, 11. Kalend. Novemb. per manus Udonis Tullenſis eccleſiæ Primicerii Cancellarii & Bibliothecarii ſanctæ Apoſtolicæ ſedis, anno Apoſtolatus domni Leonis noni Papæ II. epiſcopatus Tullenſis 26. *Udo hic idem eſſe videtur, qui in bulla ſuperiore canonizatonis promotor dicitur.*

DE

DE EPISCOPIS LEODICENSIBUS

ORD. S. BENEDICTI SÆCULO X.

1. NON *unus alterve Epiſcopi ex Ordine ſancti Benedicti thronum Leodicenſem ſæculo* 10. *inſederunt, ſed omnino quinque, (ex quibus quatuor unus poſt alium) ſcilicet* Richarius, Hugo, Farabertus, & Ratherius, *atque* Notgerus, *de quibus hic ſingillatim paucis dicendum eſt, præmiſſo* Stephano, *qui anno* 903. *Franconi ſucceſſit.*

2. Stephanus *iſte Abbas fuit cœnobii Laubienſis, teſte Folcuino in Chronici Laubienſis cap.* 18. *itemque Abbas ſancti Michaelis ad Moſam, ex ejuſdem loci Chronographo in tomo* 2. *Analectorum, ubi Stephanus Tungrenſis* Epiſcopus & Abbas *appellatur. Idem patet ex quadam charta commutationis de Harevilla & Saponeriis, factæ inter Anſelmum filium quondam Teutherii Comitis & monachos ſancti Michaelis*, ubi præeſt domnus Stephanus Epiſcopus & Abbas, & Halevincus Prælatus, *id eſt Præpoſitus aut Decanus, cui chartæ ipſimet ſubſcribunt* anno tertio regnante Hludovvico filio Arnulfi: *qui annus anno Chriſti* 902. *reſpondet, quo anno Stephanus necdum Leodicenſis Epiſcopus erat, ſi vera eſt temporis ratio apud Sigebertum, qui Stephanum Franconi ſubſtituit anno* 903. *Is eſt* Stephanus venerabilis Abbas, *qui Synodo Mettenſi anni* 888. *interfuit in eccleſia* ſancti Arnulfi; *idemque ad quem litteras ſcripſit Fulco Archiepiſcopus Remenſis, apud Frodoardum in Hiſtoriæ lib.* 4. *cap.* 7. Stephano cuidam Abbati ac nobiliſſimo viro, qui ad Epiſcopatum electus videbatur, tunc autem rejectus vel reprobatus, conſolatorias dirigit litteras, amicitiam quam ei promiſerat aſſerens perpetuo ſe ſervaturum &c. *Eum non monachum, ſed Mettenſis eccleſiæ clericum ſeu Canonicum, ac proinde ſæcularem Abbatem fuiſſe tradit Folcuinus, præter & Ægidium alioſque rerum Leodicenſium ſcriptores Sigebertus in lib. de viris illuſtribus cap.* 126. *a quo Stephanus* vir ſanctitate & ſcientia clarus *dicitur in Chronico:* Vir litteratus *a Folcuino*, & quantum ad Canonicos religioni iludens. *Vitam & paſſionem ſancti Lamberti ad Hermannum Colonienſem Archiepiſcopum edidit, ſimulque cantum de ſancta Trinitate.* Fecit & libellum quemdam, *addit Folcuinus*, ex plurimis divinorum librorum floſculis decerptis, in quo ſingularum in anno feſtivitatum opuſcula cum Collectis & verſibus utili commento congeſſit: in cujus libelli præfatione oſtendit, ſe Mediomatricæ, quæ nunc Mettis dicitur, a puero educatum fuiſſe. Roberto ejuſdem ſedis Epiſcopo libellum legendum miſit ad comprobandum. Stephanus.

2. *Anno* 921. Stephano Leodicenſi Epiſcopo defuncto, Richarius vir catholicus, a Carolo electus, per auctoritatem Papæ Romæ ordinatur Epiſcopus, repudiato Hilduino, qui pecunia data Duci Giſleberto, ambiebat ſibi ab eo dari Epiſcopatum. *Ita idem Sigebertus in Chronico. Eadem verba refert Ægidius Aureæ-vallis monachus, apud quem* Richarius vir catholicus, & Abbas Prumienſis & Stabulenſis *appellatur. In placito Duisburgenſi in Rogationibus apud Regem* infidelitatis *inſimulatus, ibidem purgatus eſt, ex Chronico Magdeburgenſi. Fiſſenus in libro Florum eccleſiæ Leodienſis die* 23. *Julii elogium Richarii concinnavit. Eum Andaginenſis ſancti Hucberti cœnobii primum Abbatem fuiſſe dicit, nempe ab anno* 894. *& poſt quadriennium Stabuleti, ac deinde proximo anno Prumiæ. Jam Epiſcopus monaſterium ſancti Petri ab anno* 881. *dirutum inſtauravit, ac triginta Canonicis attribuit. Ibidem in crypta ſepultus eſt* ante ſepulchra monachorum, *ait Ægidius.* Richarius.

3. *Huic ſucceſſit* Hugo, *qui apud Ægidium vocatur* amor plebis, tremorque potentum, clarus avis, claruſque ſtudiis, *ac* recreator egentum. *Id contigiſſe anno* 945. *docet Chronicon Magdeburgenſe, in quo hæc leguntur.* Richarius Leodicenſis Epiſcopus obiit, cui Ougo Abbas Trevirenſis ſucceſſit. *Et ante* Hugo.

Digitized by Google

hunc Chronographum Frodoardus. Idem Epiſcopium Rex Otho Hugoni Abbati monaſterii ſancti Maximini nolenti atque refugienti dedit. *Ex Præpoſito Abbas eſt electus anno* 934. *teſte eodem Chronographo*. Eccleſia ſancti Maximini turbine corruit. Electione ibidem monachis clementia Regis conceſſa, Ougo, ante Præpoſitus, Abbas eligitur: monachi non regulariter viventes expelluntur. *In vita ſancti Joannis Abbatis Gorzienſis ſuperius edita*, Ogo Præpoſitus tunc ſancti Maximini, felicis poſtmodum exempli, a ſæculari converſatione ſe reſtrinxiſſe, & ope Ducis Gisleberti idem monaſterium ad regularem converſationem reduxiſſe *perhibetur*. *Et paullo ante Gondelachus piiſſimus ex Fulda monachus*, in monaſterio ſancti viri Ogonis, magni & præclari prius in ſancto Maximino Abbatis, & poſt Leodicenſis eccleſiæ egregii Pontificis, *commoratus memoratur*. *Sub eodem Abbate apud ſanctum Maximinum floruere præter alios* Sandradus *poſt Abbas Gladbacenſis, &* Adalbertus *Ruſſorum Apoſtolus, de quibus ſuo loco in ſuperioribus actum eſt. Hugo tandem* obiit 3. Idus Aprilis, anno dominicæ Incarnationis 947., *apud Ægidium. Idem annus in Chronico Magdeburgenſi. Nihil de Hugone apud Fiſſenum: tametſi ejus commendandi potior quam Richarii ratio erat.*

Farabertus. 4. Quadrageſimus ſecundus, *ait Ægidius*, poſt Hugonem Leodienſium Epiſcopus ſubrogatus eſt Farabertus, vir religioſus, cum eſſet Abbas de monaſterio Prumienſi. *Ingelheimenſi conventui interfuit anno* 948. Obiit 5. Kal. Septemb. anno Domini 953. cum præfuiſſet annis ſex.

Ratherius. 5. *Poſt hunc exſtitit* Ratherius, primo Lobienſis cœnobii monachus, *ſcriptis editis clarus, de quo ſuperius egimus, nempe ad pag.* 478. *ubi ejus Elogium retulimus.*

Notgerus. 6. *Poſt Baldricum & Eraclium, ſeu Everacum, anno* 971. *Leodicenſis eccleſiæ regimen ſuſcepit* Notgerus *ſeu* Notkerus ex *Præpoſito ſancti Galli, cujus mentio cum ſuperius facta ſit ad annum* 912. *in Elogio Notkeri Balbuli; eadem hic repetere nil juvat. Exſtat ad eum Gerberti epiſtola* 30. *Sub Eraclio contigit*, Leonem *quemdam Epiſcopum* ex nobiliſſimis Græcorum, *ſede ſua pulſum, quaſi Calabriam Græcis adverſus Ottonem ſecundum prodidiſſet, Leodicum adveniſſe*, quem humane exceptum prædictus Antiſtes in cœnobio ſancti Laurentii manere ſtatuit, *vitæ ſtipendiis ei ſuppeditatis: ubi &* *Leo mortuus* ante altare ſancti Gereonis ſepulturam accepit, *uti ex Ægidio diſcimus cap.* 49.

DE LEONE ABB. NONANTULANO

ITEMQUE ALIO ARCHIEPISCOPO RAVENNATE,

& de Leone Abbate Legato in Gallias, aliiſque ejuſdem nominis & temporis.

1. *TRes circiter ſub ſæculi* 10. *finem Leonis nomine feruntur Abbates, qui non longe poſiti ab invicem, clariſſimis virtutum exemplis præfulſerunt. Ex his duo Nonantulani (de quo ſæculo ſuperiore in Anſelmi Abbatis vita) cœnobii rectores habentur: quorum alter poſtea Ravennenſem eccleſiam adminiſtravit: alter Abbatiali muneri nuntium remittens, Romæ ad ſanctos Bonifacium & Alexium conſedit; forte an diſtinguendus a tertio Leone ejus loci Abbate, quem poſtea ſedis apoſtolicæ Legatum Gallia habuit. De his ſingillatim agendum.*

Leo I. Abbas Nonantulæ. 2. *Inter eos nonnihil ætate ſuperior videtur Leo Nonantulanus Abbas, quem Petrus Damiani in epiſtola ad Nicolaum Papam II. cap.* 11. *memorat his verbis.* Leo quoque Nonantulanus Abbas ad memoriam rediit, qui dum clericalem adhuc ſpeciem peteret, jamque devotione peracta ab Hieroſolymis re-

Digitized by Google

remeaſſet, ſic vitam ſuam inſtituit, ut nil aliud præter unum dumtaxat aſinum poſſideret. Cum hoc quotidie ſaltus & paſcua circumquaque perluſtrans, materias congerebat, quibus ad requiſita naturæ neceſſaria fratribus anitergia miniſtraret. Peracto itaque glorifico hujuſmodi opere manuum, pſalterioque cum ipſa ſimul exercitatione decurſo, protinus ad offerenda Deo ſacra myſteria non ſine multis lacrymis ſanctus Presbyter accedebat. Poſtmodum vero ad monaſterii regimen violenter attractus, ajebat: (quod infelix frequenter & ipſe deploro) Jeſum, inquiens, per pedes tenui, & nunc miſer & cæcus ſæculi molas volvo. Vixque peracto biennio, in manu Ottonis, qui tunc imperii ſceptra regebat, paſtoralem baculum reddidit: deinde apud ſanctum Bonifacium intra Romana mœnia perſeverans, ex omni, quod ſibi vitæ hujus reſiduum fuit, nil aliud, quam æternæ vitæ ſibi ſtipendia procuravit. Ad cujus poſtmodum ſepulturam cæcus veniens, luci priſtinæ aſſeritur reſtitutus. *Hæc qui legit, facile in animum inducit Leonem abdicato munere ſe contuliſſe ad Romanos S. Bonifacii monachos, atque ibidem privatum ad mortem perſeveraſſe. Unde mirari ſubit, cur illuſtriſſimus Cardinalis Baronius Leonem Nonantulanum exabbatem pro Leone monaſterii ſanctorum Bonifacii & Alexii Abbate uſurpet, eumdemque fuiſſe dicat cum* ſimplici Leone pſalmorum amico, & ſemper prædicare parato, *quem Adalberti vitæ ſuperius relatæ ſcriptor hoc afficit elogio. Ut enim elogium iſtud Leoni Nonantulano convenire concedam; certe quæ de Leonis Abbatis gallicana ad Hugonem Regem legatione; quæ de Conciliis Remis Moſomique adverſus Gerbertum eo moderante habitis ſubdit Baronius, non Leoni Nonantulano, ſed Bonifaciano Abbati videntur tribuenda. Levius forte ſit, quod res a Leone Abbate geſtas in Gallia Nonantulano Abbati nuſpiam tribuit ejus loci Chronicon, Ughello, Rubeo aliiſque ſcriptoribus Italicis notiſſimum: at qua ratione Petrus Damiani Leonem ob abdicatum munus Abbatis, & initam privatæ vitæ rationem extuliſſet, traxiſſetque in exemplum; cum ille potius abditioris loci præfecturam abjeciſſe diceretur, ut Romæ, velut in ſpecula, Bonifacianis impoſitus, ad altiora (quale Legationis munus) dignitatum culmina gradum faceret? Sed de Leone Bonifaciano inferius. Ad Nonantulanum revertor.*

3. *Monaſterii ejus Chronicon manu exaratum* in ſacriſtia aſſervari *teſtatur Arnoldus Wion, quod Rubeus & alii fere ſcriptores Italici memorant; ſed in primis Ferdinandus Ughellus, Nonantulæ quondam Abbas, qui multa ex ipſo variis Italiæ ſacræ locis inſeruit. Chronicon ipſum utinam integrum edidiſſet, ne diutius in rebus aliquanti momenti cæcutire cogeremur. Ex ipſo aliiſque ſchedis index Abbatum conflatus eſt, inquo multa quæ ad hiſtoriæ fidem poſſint reduci, jure deſideres. In his duo tantum Leonis nomine feruntur Abbates, quorum prior anno* 856. *ordinatus dicitur: alter Joanni Græco ſucceſſiſſe, quod his verbis exprimit index.* Anno Domini 996. Leo Archiepiſcopus ordinatus eſt. Vixit anno duos. Obiit 2. Idus Julii. *Hæc omnia videntur a vero prorſus aliena. Quamvis enim Leo Ravennenſis Archiepiſcopus ante ordinationem familiæ Benedictinæ nomen dederit, & forte poſt Leonem II. Nonantulenſi cœnobio præfuerit hoc anno, non tamen ante annum* 999. *Gerberto ſuffectus eſt in eccleſia Ravennatenſi. Deinde duo illi anni, quibus Leo vixiſſe, id eſt rexiſſe hanc eccleſiam dicitur, Leoni alteri ſecundum Petrum Damiani ſuperius relatum conveniunt. Dies vero* pridie Idus Julii, *qua mors ejus ſignatur, Joanni proxime ſequenti in indice tribuenda videtur, cujus obitus ibidem notatur poſt verſum alterum* 12. Kal. Decembris, *qui dies Leoni Abbati proprius apud Martyrologiorum ſcriptores omnes aſſignatur. Diu multumque hæſit animus, an Leo ſecundus Abbas a Leone Archiepiſcopo diſcreparet. Ut unum eumdemque crederem, illud, præter memoratum indicem qui nullum Leoni II. locum tribuit, movebat in primis, quod Ughellus in Antiſtitum Ravennatum ſerie Leonis Archiepiſcopi conſignet obitum ad* 12. *Kal. Decembres* ut, *inquit,* narrat Chronicon Nonantulanum, per id tempus in membranis ſcriptum,

eodem prorſus modo ac die, qui Leonis Abbatis ſupremus fuit. Ad hæc alius codex membraneus ejuſdem loci inſignem Leonis Archiepiſcopi continet epiſtolam ad Durantem monachum, & alios eremiticæ vitæ candidatos ſcriptam, quos Durantis hortatu monaſterio præter Regulæ mentem exceſſiſſe notat, & ad reditum in monaſterium (haud dubito quin Nonantulanum) invitat. Lectu digniſſima eſt hæc epiſtola, quam hic recudere juvat, poſtquam Leonis Abbatis geſta, quatenus licebit, perſecuti erimus.

4. *Theopompi ac Syneſii Martyrum hiſtoria translationis, quam Ughellus in Epiſcopis Tarviſinis ex mſ. Nonantulano publicavit, de Leone ſecundo Abbate hæc refert.* Tempore ſecundi Leonis ejuſdem cœnobii Abbatis, quodam miraculo, non minus ſuperioribus celeberrimo, iſtorum ſanctorum interceſſionibus ſuperna gratia dotavit Nonantulam. Nam dum inexſtinguibilis aeris ſiccitas, & nimia hominum mortalitas per Nonantulam & adjacentes provincias adeſſet, ut nullis jejuniis neque orationibus ſedari potuiſſet; nimio timore correptus, inæſtimabilique mærore demerſus, ad ſanctorum Syneſii & Theopompi corpora flendo & ejulando totus ille mæſtiſſimus cucurrit populus clamitans, & obſecrans indulgentiam. Et ni iſtorum teneretur patrociniis, dicebant ſe nullatenus ab imminentibus poſſe evadere periculis. Quo clamore, & imminente periculo ſanctus ille Abbas commotus, cum ſanctorum congregatione fratrum, triduanum populo indixit jejunium, atque ſe omnes ad idem ſtudioſiſſime accingunt officium. Peracto vero jejunio venerabilis Abbas cum ſanctorum cœtu fratrum .... prædictorum ſanctorum corpora circum caſtri mœnia deportaverunt, & haud procul a caſtro Miſſas celebraverunt: cumque ſanctorum corpora cœperunt reduci, ſuaviſſimus imber cecidit, mox copioſiſſimus. *Nec plura de Leone Nonantulano Abbate, quem Martyrologium Benedictinum & Italici faſti ſanctorum catalogo adſcribunt. Jam de Leone Archiepiſcopo dicendum.*

Leo Archiepiſcopus Ravennas.

5. *Leonis vitam ante adeptum epiſcopatum monaſticam nihil melius probat, quam ipſius ad Durantem epiſtola, ab Ughello edita ſub hoc titulo.* Incipit admonitio Leonis Ravennatis Archiepiſcopi ad Durantem monachum, vel ad ceteros, qui cum eo ſunt, eremitas. *Ita vero ſe habet hæc epiſtola.*

CUM heſterno die mihi conſilium peteres, ego in itinere poſitus, ut noſti, tibi reſpondere non valui. Nunc autem pauca de plurimis tuæ caritati mandari curavi. Obſecro te tamen perpende diligenter quod dico. Cur ſæculum dimiſiſti, & iſtam artam & anguſtam viam arripuiſti, & Abbatem ſuper te elegiſti, ut non tuo, ſed alieno arbitrio vivendo imitares Dominum tuum dicendo, Non veni voluntatem meam facere, ſed ejus qui mi„ ſit me, niſi ut eum imitando, partem cum eo & cum ſanctis ejus habere in æternis gaudiis merearis? Cur modo illa oblitus es, & in eis quæ promiſiſti, uſque in finem perdurare non procuras? Cur non audis Apoſtolum Jo„ annem clamantem: Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam? Conſidera quod primus homo non ſervando obedientiam perdidit nos; ſecundus, Deus & homo, per obedientiam redemit nos. Quare vis eam dimittere, cum nullum bonum extra eam nec fuit, nec erit, nec eſſe poterit in æternum? Longum eſt, ſi omnes ſanctos novi & veterris Teſtamenti replicare voluero, quomodo per obedientiam ſalvati ſunt. Sufficiat tibi ut ſcias & certus ſis, quod nullus ſine ipſa ſalvetur, nec poterit aliquando, maxime cum hanc coram Deo & ſanctis ejus te eſſe ſervaturum ſponderas. Nam, ut noſti, in Baptiſmo tria promittimus, abrenuntiare diabolo, & pompis ejus, & operibus illius. In monachatu promittimus ſtabilitatem, & converſionem morum, & obedientiam. In primo, non per nos, ſed per interpoſitam perſonam facimus, & in quantum ætas permittit, reluctamus, contemnimus ne ad id perveniamus: poſtea tamen diligimus, & in ea uſque ad mortem perſeveramus. In iſta ſecunda promiſſione, non vi, ſed integro ſenſu, & meditando, amando, & legendo coram

Deo

Digitized by Google

Deo & omnibus ſanctis promittimus, ſcribimus, & Deo ſponte offerimus. Perpende obſecro quid dicere Domino poſſimus, ſi quod per alios in pueritia non ſponte promittimus ..... ſponte corrumpimus: præſertim cum beatus Benedictus terribiliter arguat: Quod ſi quis aliter fecerit, a Deo ſe damnandum ſciat quem irridet. Non dicit judicandum, ſed damnandum; quia facilius poterat de prima promiſſione, quam per alios facit, ſe excuſare, quam de ſecunda. Et quoniam plurimi non intelligentes ſano ſenſu Regulam ſancti BENEDICTI, nec cognoſcentes virtutem verborum quæ in ea ſcripta ſunt, putant melius facere, ſi eam dimittant: & poſtea nec illam, nec aliam tenent, & vacui remanent, & ſine fructu apud Dominum inveniun-
„ tur. Adverte tamen quis aliquando potuit facere, quoniam ibi dicit: ut
„ ubicumque ambulat, aut ſtat, aut ſedet monachus, in terram defixis aſ-
„ pectibus, reum ſe omni hora de peccatis ſuis exiſtimet, jam tremendo
„ judicio præſentari ſciat; & omnes cogitationes ſupervenientes Abbati ſuo
„ non celet, & uſque ad interrogationem non loquatur. Taceam de aliis ſententiis, quæ omnes plenæ ſunt myſteriis: ſed iſtas tres conſidera, quis aliquando facere & adimplere potuit. Confundantur ſtulti, ſileant, reprehendant ſe qui putant majora facere, cum iſta, ut credo, nullus adimplebit, niſi ipſe beatus, aut quis ſimilis Benedicto fuit. Unde beatus Gregorius, poſtquam de ejus virtutibus locutus eſt, admirans de ejus Regula, ait:
„ Inter reliquas virtutes, quibus beatus Benedictus claruit in mundo, ſcripſit
„ monachorum Regulam, diſcretione præcipuam, ſermoneque luculentam:
„ ut ſi quis vitam ejus vel mores imitari aliquis voluerit, in ejus conſtitutio-
„ nis Regula invenire poterit, quia ita docuit, qualiter vixit. Certe quamvis parva tibi videatur beati Benedicti Regula, non parva beato Gregorio apparebat, quam tantis præconiis laudavit: & ſcimus, quia poſtquam omnibus ſignis, virtutibuſque univerſis, ſpiritu prophetiæ ſe illuſtratum agnoſceret, ab eodem Spiritu-ſancto edoctus, cum ſe de hac luce revelante Deo ſciebat eſſe tranſiturum, ad petitionem diſcipuli ſui Mauri hanc Regulam ſuis beatis manibus deſcribens, eique tradidit, ut perfecte ſciret qualiter ſe ſuoſque diſcipulos imbueret: admonitionem in prologo ipſius Regulæ ita incipit, quaſi ſingulariter ad illum. Auſculta o fili præcepta Magiſtri, & inclina
„ aurem tuam, & admonitionem pii Patris libenter excipe, & efficaciter
„ comple. Poſt hæc, ſpecialiter ad omnes converſus adjecit & quæ ſequuntur. Nam tantæ diſcretionis eſt, ut nullus ita infirmus eſt, qui ex ea non poſſit habere quod ſibi ſufficiat; nullus ſanus nec fortis, qui non ſibi habeat quod laboret diebus vitæ ſuæ. Et hoc eſt ſummum bonum quod in arbitrio Abbatis poſuit, unde monachus ſecurus poſſit eſſe, ſi ſe ſub imperio
„ Abbatis ponat: & adjecit hæc facientibus vitam æternam. Et iterum, Il-
„ la merces a Domino compenſabitur, quam nec oculus vidit, nec auris au-
„ divit, nec in cor hominis aſcendit. Audiſti laborem, conſidera repromiſſionem: ſufficiat tibi chariſſime. Si ultra vadis, errabis. Audi ſcripturam:
„ Hac via ambula, te neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram conver-
„ tas, viriliter inhærendo. Comple iſta in monaſterio: purifica te prius ibi ab omnibus vitiis, conculca ſuperbiam, interfice vanam gloriam, abſcinde iram, projice triſtitiam, eradica avaritiam, occide luxuriam, conculca ventris ingluviem: firmet te humilitas, caritas, patientia, longanimitas, manſuetudo, obedientia, caſtitas, continentia, tolerantia cum ſpe certa & firma. Sed fortaſſe mens veſtra titubat, quod nunc carnales vos Dominus ſalvare non poſſet. At valde contrarium eſt aliquem de prædictis cogitare vel dicere. Si Abel cum odio Cain ſanctus effectus eſt, & Noe inter tot millia malos audivit a Domino, Te ſolum inveni juſtum coram me; & Abraham de Hur Chaldæorum electus apparuit; & Loth cum de Sodomis abſtraheretur juſtus inventus eſt, teſtante Apoſtolo: juſtum Loth oppreſſum a nefandorum injuriis. Converſatione & aſpectu juſtus erat apud eos habitans, qui de die in diem animam juſtam iniquis operibus cruciabant. Per-

 pen-

pende, Loth inter malos laudatur, in monte reprobatur: qualis fuit in Sodoma Apoſtolus laudat, qualis in monte omnes vituperant. Continentiam quam habuit inter Sodomitas, angelica viſio & locutio demonſtrat: inceſtum quod fecit in monte, Propheta non tacuit; cum ejus filiis uſque in ſeptimam generationem, ne intrarent in eccleſiam, prohibuit. Nam ſi facta Patrum veteris Teſtamenti non tibi placuerint, placeant ſaltem Patres novi Teſtamenti. Certe Nero Imperator ſceleratiſſimus omnium Imperatorum fuit: tamen Petrus uſque ad ultimum vitæ ſuæ in ea civitate qua manebat perduravit, & nihil ei impietas nocuit, immo profuit. Sic crudelitas Decii divo Laurentio, pertinacia Diocletiani Sebaſtiano; & aliorum multorum ſanctorum... malitia inimicorum non obfuit, ſed profuit. Sed ne mihi objicias, quia illi pagani martyres eos fecerunt; iſti Chriſtiani nos non ita perſequuntur. Unde quæſo verte oculos tuos ad Libertinum, quanta poſt mortem Honorati magiſtri ſui a ſuo peſſimo Abbate perpeſſus eſt: attamen non fugit, neque deceſſit, ſed eum portando in patientia ſua in monaſterio perduravit. Quid de Nonnoſo Præpoſito, cujus laudes beatus Gregorius in Dialogorum libro manifeſtat? Qui etſi trium Patrum virtutes eſſet imitatus, tamen ſub aſperrimo patre degebat. Et ut ſcias quod boni inter malos creſcunt, roſas inter ſpinas creſcere ſcimus, triticum inter ariſtas, oleum inter murtas, & „ Dominus zizaniam ſeparare a tritico prohibet; ſed ait, Sinite utraque creſcere uſque ad meſſem, & in tempore meſſis dicam meſſoribus: Colligite „ primum zizaniam, & alligate faſciculos ad comburendum: triticum autem „ congregate in horreum meum. Hæc eſt ſpes electorum, qui malos non fugiendo, ſed patiendo tolerant. Vis quærere juſtos? vade in cælum, ibi ſolum invenies juſtos. In hoc ſæculo peccatores cum impiis ſemper inventi fuerunt, & ſunt, & maxima pars eſt iniquorum, quoniam ſemper plus paleæ, quam frumenta fuerunt: tamen frumenta inter ea remanſerunt, paleæ foras projectæ ſunt. Tu ſi frumentum te eſſe cognoſcis, ita cum palea uſque- „ quo venia............. Et iterum: Beati eritis cum maledixerint vobis ho- „ mines, & perſecuti vos fuerint. Noli diſcedere neque aufugere de carcere Domini. Et quid aliud eſt monaſterium niſi carcer? unde non licet monacho nec paſſu pedum ſine licentia exire. Quantum alius ei dat, manducat; quantum alius dat, veſtitur: quantum alius permittit, dormit: etiam nec loqui valet, niſi quantum ei permittitur, nec ſuam voluntatem in aliquo propriam audet facere. Noli, chariſſime, negligere. De iſto carcere, immo camino, in quo, ſicut tres pueri, Dominum videre poteris. Nam ſi iſta, ut diximus jam, cum perfecte compleſti, & ad majora te vis extendere, ut „ Apoſtolus dicit; Quæ retro ſunt oblivìſcens, ad ea quæ priora ſunt exten- „ dens mentem; adhibe conſilium Abbatis & fratrum, & cum eorum conſilio & licentia, immo & obedientia, & eorum orationibus incipe, & cum charitate & pace perfice; ut ſi corpus ſeparaveris ab eis, mente tamen & amore cum eis perſeveres: quatenus & juxta promiſſionem tuam ſtabilitatem teneas, ne vagando diſcurrere videaris; ſic & in converſionem morum tuorum, ut diximus, exſtirpata ſuperbia, humilitatem in te fundatam, & omnibus vitiis in te mortificatis, & virtutibus adornatus, moribus tuis pravis abjectis, & bonis moribus inſtructus, non tuo arbitrio, ſed alieno conſilio & licentia, illam viam aggrediaris, ut tuæ profeſſionis exſecutor effectus ad æternam patriam pertingere merearis. Quoniam valde cavendum eſt, qui promittit beati Benedicti Regulam, & poſtea ſuperbiendo contemnit, ne iram ejus incurrat: & unde gratiam Dei habere poterat, per eam in illius iram deveniat. Certe ſi puer qui ſine ejus licentia de monaſterio ad patris domum eſt reverſus, poſt mortem illius nec corpus ejus terra recipiebat, ſed abominando eum de ſepulchro foris projiciebat, quouſque Benedicti gratiam non habuit: quod valde cavendum eſſe ſcitote. Et ſanctimoniales, quibus non juben- „ do, ſed quaſi minitando mandavit dicens: Si non corrigitis linguam veſtram, „ excommunico vos; & mortuæ, & ſepultæ, nec ſalutaris hoſtia, quæ pro eis

Digitized by Google

eis offerebatur, eis proderat; ſed oberat; quoniam quando ſuæ puellæ pro eis oblationem Presbytero offerebant, & a Diacono clamatum erat, ut qui non communicaret, locum daret; viſum erat quod de ſepulchris exiſſent, & inter excommunicatos partem habebant, niſi poſtquam ille beatus manu ſua oblationem dans, quam pro eis Domino offerre deberent; & ſic a Deo receptæ, amplius de ſepulchris non ſunt viſæ foras exire. Pave & cave, chariſſime, & diligenter obſerva, ne ſine Benedicti licentia vadas, & ejus iram incurras: quia ſi adhuc poſitus in terra, in cælo ligabat, & ſolvebat; multo magis cum Domino in cælo poſitus, majora & fortiora facere poterit. Quapropter ab ejus præceptis noli diſcedere: non te ſeducat diabolus, ut majora facias: quia, dico tibi, & veraciter dico, ſi nudus pedibus incedas, & parva tunica veſtiaris, æquariſque pauperibus in ſilva jejunando, per nares te in ligno ſuſpendas, ſimilis Benedicto non eris, nec illa tria capitula, quæ „ ediximus, implebis, quoniam ipſe Beatus in Regula ſcripſit: Officina, ubi „ hæc operantur, clauſtra ſunt monaſterii, & ſtabilitas in congregatione. Tene iſtum, ſi vis participare cum Benedicto. Dimitte apocryphorum dicta, quæ ab eccleſiaſticis viris non ſolum imitando, verum etiam legendo prohibita ſunt. Si ſic divus Auguſtinus præcipuus doctor, & Cæleſtinus Pontifex ea vituperarunt, ut canonibus inter apocrypha ea deputarent; nunc nullus ſano ſenſu nec legere, nec ſequi abſque ſuæ animæ periculo poterit. Tu vero, chariſſime, noli ſequi reprobatum; ſed imitare Regulam electam, ab electo divo Benedicto editam, a ſancto pioque Spiritu-ſancto dictatam, & a præclaro Doctore Pontifice ſummo amatam, laudatam, & a perfectis viris imitatam, quæ ſectatores ſuos ad cælorum regnum perducit. Interea de vobis audivi, quod ſilere non debeo, quoniam nuper converſum, ut a monaſterio recedat, & vobiſcum veniat, ſeducitis, immo recipitis. Cujus figura in veteri Teſtamento demonſtratur, cum præceptum ſit, ut qui formidoloſus eſſet, & timidus, & non eſſet fortis, non exiret cum fratribus ad pugnandum. Et hoc exemplum beatiſſimus Euthymius in ſancto Saba tenuit: quia quamvis jam a Deo eum electum agnoſceret, ut etiam inter ignem de clibano illæſus exiret; & nec in veſtimentis, vel in capillis aliquam uſtionem haberet: poſt iſta & alia perfectionis opera, quæ in prædicto ſancto Saba cognoverat; multis precibus ab eo conſtrictus, ut eum ad eremum ſecum adduceret; reſpondit magnus Dei Euthymius, & ait illi: „ Oportet te, fili, inter fratres adhuc laborando mores tuos componere, „ non ad pugnandum in deſerto recedere: & ſub duobus Abbatibus eum in monaſterio probandum reliquit. Et poſt diutinam probationem eum ſecum tulit, & poſtea iterum ad fratres confortandos & regendos eum mandavit; quod Domino adjuvante complevit. Hæc pauca, chariſſime, veſtræ charitati mandare curavi; ut hæc meditans, ſicut miles Chriſti contra tentamenta dæmonum viriliter accingaris: quatenus tuam profeſſionem adimplens, & illos ea imbuens, ad æternam patriam pervenire merearis, ut vivas & regnes in ſæcula.

9. *Scriptæ epiſtolæ tempus haud liquet, quandoquidem illa notis deſtituta eſt. Alias Leonis autographas litteras ſummiſit nobis Eminentiſſimus Cardinalis Caſanata, quas in lib. 5. de re Diplomatica integras edidimus, in æſque non minimam partem incidi curavimus. Datæ ſunt illæ* Bonizoni venerabili Presbytero & monacho atque Abbati monaſterii ſanctæ Mariæ in Palatiolo, *cui prædia quædam & vineolas concedit anno* 1001. *Indictione* 14. *Ex his perſpicuum eſt, proprium Pontifici nomen Leoni fuiſſe. Unde mirari ſubit, quo pacto is a Rubeo in Hiſtoria Ravennate, Ughello, & Hieronymo Fabrio dicatur etiam* HERMUTUS *ſive* NEOMUTUS *&* NEO. *An binominis fuit? an potius Neo-Mutus, ſeu Leo-Mutus ob ſilentii ſtudium, aut affectam paralyſi linguam, velut loquitur Petrus Damiani, quod* paralyſis ejus ora conſtrinxerat, *dictus? Hunc Fabrius ex Rubei lib. 5. ſcribit privilegium pro Ravennenſi eccleſia ab Ottone III. conſecutum fuiſſe, anno milleſimum præcedente;*

Digitized by Google

& Vilgardum Grammaticum de fide ac religione perverſa ſentientem, ne longius ſerperet, prohibuiſſe, dum is a Silveſtro pontifice erroris damnatus eſt. Hæc ante datas Bonizoni Abbati litteras accidiſſe videntur. Anno 1001. *Leo* cum ſuam, *inquit Uggellus*, imbecillitatem introſpexiſſet (*paralyſim vocant poſt Petrum Damiani Rubeus & Hieronymus Fabrius*) quamque parum proficeret, archiepiſcopali munere ſe exſolvit; ac poſt quatuor annos vita functus eſt 12. Kalend. Decembris, ut narrat Chronicon Nonantulanum, per id tempus in membranis ſcriptum. *Non integro quadriennio privatum degiſſe Leonem Petrus Damiani in memorata ad Nicolaum epiſtola teſtatur his verbis*: Leo Ravennas Archiepiſcopus, mox ut paralyſis ejus ora conſtrinxit, cathedram ſprevit, ſicque privatus fere quadriennio ſupervixit. Cui videlicet Fredericus tertio Ottone feliciter imperante ſucceſſit: eique non inopes, quibus aleretur, poſſeſſiones eccleſiæ delegavit. *Anno igitur* 1004. *vita ceſſit Leo Antiſtes, quandoquidem Fredericus ab Ottone Imperatore litteras accepit* 10. Kal. Decembris anno dominicæ Incarnationis 1001. Indictione 15. *mutata videlicet a menſe Septembris Indictione* 14. *quæ menſe Junio, ex Leonis charta ſuperies laudata, adhuc obtinebat. Vereor ut dies* 12. Kal. Decembris, *qui fertur Leonis ſupremus, Leoni Abbati potius conveniat. Niſi ſi Leo Abbas, quantumvis repugnante Petro Damiani, unus & idem cum Leone Archiepiſcopo cenſeatur: qua in re aliorum eſto judicium. Reſtat ut de Leone monaſterii ſanctorum Bonifacii & Alexii Abbate dicamus.*

Leo Abbas S.Bonifacii. 7. *Qui Martyris Adalberti geſta protulit in lucem anonymus* Bonifaciani *cœnobii monachus, hunc Nili junioris hortatu Romam ad Leonem Abbatem ſe contuliſſe teſtatur, eodem ferme tempore, quo Petrus Damiani Leonis Abbatis Nonantulani ſeceſſum eumdem in locum deſcribit. Neque vero ſolum Adalbertus, aut Leo Nonantulanus Leonis Bonifaciani congreſſum expetebant, ſed alii quoque pietate inſignes viri, quos memoratus anonymus refert in hunc modum.* Uſus vero maximus erat (*Adalberto*) colloquia quærere ſpiritualium & ſeniorum, qui crebro illuc pro charitate Abbatis (*Leonis*) plures confluxerant. Græci, inquam, optimi veniunt, Latini ſimiles militarunt....... Cum convenirent ſancti viri, pluebant ibi ſermones Dei...... Hoc GREGORIUS Abbas, hoc erat Pater NILUS, hoc JOANNES bonus infirmus, hoc ſimplex STRATUS & ſuper terram Angelus unus: hoc ex donis majoribus Dei ſapiens JOANNES, hoc ſilens THEODORUS, hoc JOANNES innocens, hoc ſimplex LEO, pſalmorum amicus & ſemper prædicare paratus. *Hunc vero Leonem pro Abbate loci male a Baronio uſurpatum vel inde conſtat, quod hic auctor convenientes ad Abbatem enumerat, non ipſum; & inter eos nonniſi Gregorio* Abbatis *tribuit nomen; quod etiam Leoni non negaſſet, ſi tum quoque hac dignitate præditus fuiſſet. Non ergo male* ſimplicem *hunc* Leonem *Nonantulanum Abbatem dicimus, qui Leonis Bonifaciani* charitate *& ſapientiæ laude ductus, ad eum ſe recepit, ibique teſte Petro Damiani privatus ad mortem uni Deo militavit. At longe alia quam* ſimplicitatis *opinione* Leo *Bonifacianus inclaruit. Cum enim doctrina ſingulari præfulgeret* omnibus, *a Joanne Papa XV. graviſſimis Eccleſiæ negotiis adhibitus eſt. Arnulfi quippe Remenſis Archiepiſcopi, ab Hugone Rege Francorum exauctorati, Gerbertus cathedram invaſerat: qua pelli eum, ut e re Pontificis Romani videbatur, ita plane arduum erat ac difficile, cum is Hugonem Regem alioſque Principes & Epiſcopos auctores & fautores haberet. Miſſus eſt Leo Abbas, inquit ejus temporis ſcriptor Eginaldus apud Aimoinum,* a ſede apoſtolica ad dominum Seguinum Archiepiſcopum urbis Senonicæ, qui vice ſua in urbem Remenſem Synodum congregaret, mandans illi, ut ſine dilatione revocaret de carcere Arnulfum, & degradaret Gerbertum. Collecto igitur Concilio iterum in urbe Remenſi, ex juſſione apoſtolica revocatus eſt Arnulfus de cuſtodia, & cum honore magno receptus eſt in propria ſede. *Quantis autem ſtudiis & animi contentione Leoni enitendum fuerit, ut ejectus revocaretur Arnulfus; Gerbertus vero, tametſi faven-*

favente aura curiali ſuffultus, pænitentiæ addiceretur, facile perſpicient, qui averſum Hugonis Regis animum in Arnulfum, Lotharii Regis ex concubina filium, & Epiſcoporum, qui licet inviti, tamen propter timorem Regis degradaverunt Arnulfum, & ordinaverunt Gerbertum, *catervam cœptis inſiſtentem, cogitaverint. Hac de re, pergit auctor,* Altercationem Gerberti Pontificis & Leonis Abbatis valde utilem plenius invenies in geſtis Pontificum Remorum. *Gerbertus ipſe in actis Synodi Remenſis ab ſe vulgatis Arnulfi defenſores nominat Joannem Scholaſticum Autiſſodorenſem, Ranulfum Abbatem Senonenſem, atque Ebbonem, melius Abonem, rectorem cœnobii Floriacenſis, quos* ſcientia & eloquentia inſignes *merito deſcribit. Hæc Gerbertus in eccleſia S. Baſoli perpetrata dicit in Apologetico, atque adeo non in urbe Remenſi, ſed in monaſterio tribus inde leucis diſparato. Gerbertus ipſe in epiſtola* 28. *ad Ottonem, quæ eſt ſecundo loco, Leonem Abbatem memorat his verbis*. Minori ſumus affecti cura ob legationem Leonis Abbatis vobis directam ſuper illo Arnulfo. Sed neque animo inſedit ea legatio, quæ omnino falſa eſt. Sed quæ Leo Abbas a meis Gallis promiſſa exegit, vera fore putavit. Aut ſi ita eſt, novi ingenitam vobis benevolentiam, talibus auſis & velle, & poſſe obſiſtere. Et quoniam noſter Leo iter ſuum ad vos intenderit volando, ut ipſe ſcripſit, 6. Id. Septemb. quando primum allata venit epiſtola, iniquis (ut credo) remorata ventis, nihil ſuper Arnulfo conſultum eſt. Sed fert ſecum alia, ut magnis inventa ingeniis, ita magnis finienda conſiliis. *Hactenus Gerbertus.*

8. *Ceterum ante Synodum Remenſem, hoc eſt anno* 995. *in Moſomenſi oppido coacta fuerat Epiſcoporum ſynodus, ad quos Gerbertus orationem habuit, cui etiam Leo Legatus apoſtolicæ ſedis nomine reſpondit. His peractis, & reſtituto priſtinam in ſedem Arnulfo, Leo Romam reverſus, Bonifacianis ſuis gratiſſimum vultum denuo exhibuit. Inter eos, referente mſ. codice Caſinenſi*, dum fama ſacræ religionis creſceret, quidam nobilitate carnis pollens, & divitiis affluens, monachicum habitum, abrenuntians quæ ſæculi ſunt, ſuſcepit (*id eſt ante decem circiter annos ſuſceperat*) nomine Joannes Canaparius. Qui dum in ſæculo eſſet, multos ſibi amicos, propinquos & fideles ſincera charitate devinxerat eumdem locum ſecum petere, eumdemque habitum ſuſcipere. Sed, ut eſt hominum mutabilitas, omnes pene declinaverunt retrorſum; & quem colentem mundum diligebant, tollentem crucem ſuam, & ſequentem Jeſum ſequi neglexerunt. E quorum numero exſtitit (de quo dicere volo) convicaneus & compater ejus Franco, cognomento Maringus, homo non ignobilis, nec adeo pauper, & ſæculari ſcientia plus juſto refertus. Hic autem ea tempeſtate, qua Joannes Papa præſulabat, reſidens ante eccleſiam venerabilium martyrum Coſmæ & Damiani, via ſacra, turgente gutture, vicina morte ſe premi omnino ſuſpicatus eſt. Mox itaque data dextera cuidam adſtanti, ad monaſterium prædictorum ſanctorum Bonifacii & Alexii citiſſime deduci ſe petiit: ubi illuc adveniens, deficientibus viribus & anhelitu, compatri ſuo velle loqui ſignificavit. Qui, ubi ex more nunciatum eſt, data licentia ab Abbate Leone, qui tunc eidem monaſterio præerat, introductus eſt. *Mox Joannes Canaparius* Abbatem convocavit & fratres, quibus rei veritatem narrans, monachum illum fieri rogavit, ſine intermiſſione clamantem: Sancte Bonifaci, ſancte Alexi, ſervus veſter ſum, & etiam ſervus ſervorum veſtrorum. Cujus deſiderium cognoſcentes, ante venerandam crucem eum ſtatuerunt, monachumque multis cum lacrymis effecerunt. *Nec multo poſt Franco* profeſſione regulari facta, *frendente dæmonum turma, feliciſſime exſpiravit. Hæc anno* 1004. *contigerunt; cui Leo quamdiu ſuperſtes vixerit, haud compertum. Eodem anno Joannes Canaparius, de quo etiam Adalberti vitæ ſcriptor ſuperius editus cum laude meminit, poſtquam minimum duodecim annis ibi degiſſet, vita functus eſt, & donatus epitaphio, quod egregiam viri modeſtiam, & annum mortis* 1004. *Octobris diem* 12. *Indictionem* 3. *re-*

Digitized by Google

repræſentat. Nuſpiam in Martyrologiis legitur Leonis Abbatis Bonifaciani nomen, tametſi is ſive ob exantlatos pro Eccleſia labores, ſive ob regularis obſervantiæ vigorem illibatum cælitibus adſcribendus videretur.

Leo Pontifex alius a præmiſſis.

9. *Præter Leones jam dictos, alius mihi videtur eſſe Leo Epiſcopus, cui Gerbertus inſcribit epiſtolam ſecundi ordinis, numero* 37. Leoni Pontifici. *Hac in epiſtola ſe* tanti viri amicitia felicem *dicit: ſe ſuaque* ſub *ejus* diſpoſitione *conſtituit. In fine*, Saluto, *inquit*, domnum Epiſcopum, amicum per omnia reverendum, multum de ejus ſapientia & eloquentia præſumens, & ſingulari morum probitate; ac per hoc obſequio ejus me obnoxium reddens: *quæ verba an ad eum, cui ſcribit, Epiſcopum referantur, incertum eſt.*

Leo Epiſcopus Trevirenſis.

10. *Apud Vvillelmum Malmesburienſem agitur de* Leone Treverenſi Epiſcopo, *quem Joannes Papa XV. miſit in Angliam, ut cum Ethelredo Saxonum occidentalium Rege, & Richardo Nortmannorum* Marchione *ſeu Duce fœdus componeret. Joannes hac de re litteras ſcripſit, in quibus hæc verba.* Nobis relatum eſt a compluribus de inimicitia Ethelredi Saxonum occidentalium Regis, necnon & Richardi Marchionis. Unde nimium triſtis effectus, utpote de filiis noſtris ſpiritualibus, tandem inito ſalubri conſilio, acceſſivi quemdam Apocriſarium noſtrum Leonem, viz. Epiſcopum ſanctæ Treverenſis eccleſiæ; & miſi eum illuc cum litteris noſtris exhortatoriis, ut reſipiſcerent ab hac ſuperſtitione: qui tranſiens vaſtas intercapedines terrarum, tandem marinos tranſmeavit fines, & in die Nativitatis Domini pervenit ante conſpectum Regis præfati, *&c.* Actum anno ab Incarnatione Domini 991. *Hæc apud Vvillelmum in lib.* 2. *de Regibus Anglorum cap.* 10. *Nullus per id tempus Leo nomine Treverenſi eccleſiæ præfuiſſe invenitur in veteri hiſtoria Treverenſi apud Acherium noſtrum in Spicilegii tomo* 11. *Brovverus in Annalibus Trevirenſibus, & qui* Conciliorum *novam editionem nuper curarunt, pro* viz. Epiſcopum *repoſuerunt* Vicepiſcopum: *fortaſſe non male: tametſi* viz, *hoc loco pro* videlicet *appoſitum eſt in litteris præmiſſis. Crediderim Leonem hunc fuiſſe dumtaxat Chorepiſcopum Trevirenſem ſub Ecberto Archiepiſcopo, qui Leo an is ſit, ad quem Gerbertus prælaudatam epiſtolam* 37. *ſcripſit, aliis judicandum relinquo.*

Leo Epiſcopus Cajetæ.

11. *Præter hos omnes, exſtitit eodem tempore* Leo Abbas de Fundo & Epiſcopus Cajetæ, *de quo hæc leguntur in Chronico Aureliacenſi, tomo* 2. *Analectorum pag.* 242. Leo Abbas de Fundo, *in alio codice*, de Frolee, & Epiſcopus Cajetæ, apud Fratres Aureliacenſes manſitat, (*ſic legendum*) vir ſanctus, qui vivens ſub crypta quadam ſe recluſit de conſenſu Fratrum, & ibi moritur, *nempe ſub Adraldo ejus nominis ſecundo Abbate Aureliacenſi. Nulla hujuſce rei mentio in Italiæ ſacræ tomo* 1. *ubi* Leo ſecundus *dicitur, ex Abbate ſanctorum Theodori & Martini, tunc prope Cajetæ portam novam, ubi hodie arx munitiſſima.*

Leo Epiſcopus Græcus.

12. *Paullo ante id tempus, id eſt ſub annum* 970. Leo *quidam Græcus in Calabria Epiſcopus, ab Ottone ſecundo, malim primo, incuſatus, quaſi Calabriam Græcis prodere voluiſſet, ad Eraclium Leodicenſem Antiſtitem profugus ſe recepit; ab eoque humaniſſime exceptus, in cœnobio ſancti* Laurentii manere ſtatuit, *ubi pie vixit, ac devixit, ſepulturamque accepit, teſtante Anſelmo Canonico Leodicenſi in cap.* 49. *ubi de Eraclio Epiſcopo.*

R E-

Digitized by Google

RETRACTATIONES

QUÆDAM DE S. RUDBERTO EPISCOPO Saltzburgenſi, ac de B. ÆNGUSSIO Keledeo Abbate; de privilegio monaſterii Floriacenſis, deque origine monaſteriorum S. Petri Carnutenſis, S. Michaelis in Teraſcia, & S. Michaelis de Cluſa.

1. *CUM in hoc & ſuperioribus tomis quædam non ſatis aut explicata, aut probata occurrant; hæc in calce hujuſce voluminis retractare, id eſt ſecundis curis iterum verſare, operæ pretium duxi ad res noſtras (quoad fieri poterit) illuſtrandas.*

2. Et primo quidem occurrit ſententia mea de ætate S. Rudberti primi Epiſcopi Saltzburgenſis, cujus ætatem & obitum uno ſæculo ſummovi in prima parte Sæculi tertii, ad annum 718. referendo ejus obitum, quem ad annum 623. aut 628. hactenus auctores ab aliquot ſæculis retulerant. Hujus ſententiæ fundamenta non eſt neceſſe repetere hoc loco. Ea vero cum legiſſent Saltzburgenſes noſtri ad S. Petrum, amicas primum ad me litteras miſerunt, humaniter expoſtulantes, quod S. Rudbertum, ſuum utique patronum ac fundatorem, ad inferius ſæculum diſtuliſſem. Reſponſione mea illis ſatisfacere conatus ſum. At illis priori ſuæ ſententiæ adhæreſcentibus, cum Saltzburgum anno ſuperiori profecti eſſemus; iterum ea de re collatio inter nos habita eſt, id eſt inter me ac religioſiſſimum & eruditum Joſephum Metzgerum Priorem ad S. Petrum, & Univerſitatis Procancellarium, quem honoris cauſa primum nominare debueram. Verſatis ultro citroque argumentis, cum inter alia veterrimum Epiſcoporum Saltzburgenſium catalogum a nobis Ratiſponæ repertum, qui ſæculo nono factus eſt, oppoſuiſſem, neque a ſententia mea recedere mihi licere ſignificaſſem; in hoc demum conſenſi, ut in hoc tomo paucis Saltzburgenſium noſtrorum fundamenta exponerem, aut ſaltem indicarem: quod modo exſequor. Argumenta illa ſunt conſtans eccleſiæ Saltzburgenſis traditio; adeoque veteres Epiſcoporum indices, tum ejuſdem eccleſiæ, tum Vormatienſis, cui prius Rudbertus præfuit, quam in Bajoariam proficiſceretur. Accedunt Vita S. Rudberti ab aliquot ſæculis edita, Scriptorum ab eo tempore conſenſus, ac demum antiquiſſimus ſepulcralis S. Rudperti lapis marmoreus, anno 1627. inventus in monaſterio S. Petri in hæc verba. Anno ab Incarnatione Domini 623. in die reſurrectionis ejuſdem, obiit S. Rupertus, hujus monaſterii fundator, & primus Salisburg: hic Epiſcopus ſepultus. *Hæc fere ſunt noſtrorum Saltzburgenſium argumenta, quæ idem Metzgerus, nuper morte (quam quidem ægre tulimus) ſublatus, in Hiſtoria ſua, id eſt eccleſiæ Salzburgenſis, fuſius explicat. Lapis ille ſepulcralis non viſus eſt nobis tantæ antiquitatis. De his Lectores judicent, ea conferendo cum argumentis alibi pro ſententia noſtra allatis. De S. Rudberto tantum ad fidem meam liberandam.* S. Rudberti ætas.

3. Ad calcem Præfationis tomi ſuperioris mentionem fecimus de B. Ænguſſio Keledeo Abbate, quem Feſtilogii & Martyrologii auctorem fuiſſe diximus. Ejus acta Henſchenius ad 11. Martii exhibet ex vetuſtis monumentis conſarcinata a Colgano, cujus chronologia non ſatis explorata eſt. Ob eam cauſam Ængusſii vitam in hoc Sæculum remittere viſum fuerat, ſi quid magis certum recuperare poſſemus. At cum nihil invenerimus, remittendus eſt Lector ad ipſum Colganum vel ad Martium Bollandianum. Ibi Ænguſſius nobili genere ortus, primum in cœnobio Cluainedhnaich *monachus, poſtea clam in Tamlactenſe perfugiſſe dicitur, ubi* inter Converſos *admiſſus ſit. Hinc ob egregias animi dotes ac virtutes S. Moelruano Abbati & Epiſcopo ſuffectus,* patrio idiomate ſcripſit Feſtilogium metricum, *aliquot ex præcipuis Sanctis continens, poſtquam una cum B. Moelruano* Martyrologium Tamlactenſe *compilaſſet. Hoc* Feſtilogium *abſolutum fertur* eo anno, quo Aidus ſextus, cognomento Oidnidhe, Hiberniæ Rex, ſuſcepit expeditionem verſus fines Lageniæ, ad annum 792. *Martyrologium vero Tamlactenſe, a Mariano Gormano laudatum, ſed nuſquam vulgatum, Sanctos continebat in quinque claſſes diſtributos, & primo quidem* Sanctos diverſorum Ordinum ſeu claſſium: *ſecundo* Sanctos cognomines: *tertio* filios Sanctorum: *quarto* Sanctos ex materna genealogia. *Ad hæc* metricam hiſtoriam veteris Teſtamenti, & Pſalterium itidem metricum *compoſuiſſe dicitur. Ejus obitum Colganus revocat ex conjectura ſub annum* 830. Ænguſſius.

4. Jam vero ut de hoc tomo agamus, ſuperius pag. 183. *actum eſt de reformatione monaſterii Floriacenſis per S. Odonem, quem Floriacenſes admittere nolebant, prius ſe morituros affirmantes,* quam Abbatem alterius Ordinis, *id eſt monaſterii,* ſuſciperent. *Tum opponebant* quædam Præcepta regalia, in quibus continebatur, ut nulli ex alia congregatione, *hoc eſt ex alio monaſterio,* ullo unquam tempore liceret ejuſdem loci Prioratum *ſubire. Admiſſus nihilominus, probatuſque ab eis Odo, qui & ipſe poſtea privilegium ſuis Floriacenſibus a Leone Papa VII. impetravit ad reſtituendam ſeu confirmandam loco eligendi Abbatis facultatem. Hoc privilegium aliquanti momenti eſt, ut hoc loco ex mſ. codice Floriacenſi repræſentetur, prout a noſtro Stephanotio deſcriptum eſt.* Monaſterii Floriacenſis privilegium.

LEO Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, ODONI religioſo Abbati venerabilis monaſterii S. Benedicti, qui & Floriacenſis, in quo ipſe requieſcit in corpore, ac per te in eodem monaſterio venerabili, tuiſque ſucceſſoribus in perpetuum. Convenit apoſtolico moderamini pia Leonis VII. diploma.

reli-

Digitized by Google

religione pollentibus benigna compaſſione ſuccurrere, & poſcentium animis alacri devotione aſſenſum impertiri. Ex hoc enim lucri potiſſimum præmium apud conditorem omnium Deum obtinere confidimus, dum venerabilia loca noſtro fuerint adminiculo reparata. Et in hoc debemus omne ſtudium habere: ut quia noſtris peccatis exigentibus rerum ordo nimis turbatus eſt, illum, in quantum Deo largiente poſſumus, ſuſtentare curemus. Inde ergo valde gaviſi ſumus, quia prædictum cœnobium beatiſſimi BENEDICTI, qui eſt Pater & dux monachorum, refloreſcere ad normam monaſticæ religionis audimus. Nam cum ille monaſticus Ordo nimium ubique ſit imminutus; ſpes nobis ineſt, quia ſi in illo cœnobio, quod eſt quaſi caput ac principium, obſervantia religioſa refloruerit, cetera circumquaque poſita, quaſi membra convaleſcant. Ut enim ait Apoſtolus, *gaudente uno membro reliqua membra congaudent*: ſic e contra omne caput languidum, & omne cor mœrens.... A planta pedis uſque ad verticem non eſt in eo ſanitas.... Ut ergo.... converſationis.... ſicut certa veriſſimaque relatione comperimus, quod filius noſter ODO venerabilis Abbas in hoc monaſterio, & venerabilis vir HUGO, videlicet Dux Francorum, ibidem nuper ſtabilierunt, alacrius & ſecurius in regulari diſciplina proficiat; omnimodis loco illi favere ac ſuffragari noſtra apoſtolica admonitione ac auctoritate providere decrevimus. Itaque per illam auctoritatem & poteſtatem, quam Chriſtus Dominus noſter in beato Petro Apoſtolorum principe Rectoribus ſanctæ Eccleſiæ conceſſit, per ejus quoque apoſtolicæ noſtræ auctoritatis (decretum) conſtituimus atque ordinamus, ut numquam locus ille, aut res qualibet ad ipſum pertinentes, ſub alicujus poteſtate, niſi tantum Regi ſubmittatur; neque ipſe Rex, vel aliquis Princeps, unquam ipſum locum tradat aut Epiſcopo, aut Canonico, vel alicui Abbati, ſive laico homini, aut cuilibet perſonæ ad dominandum: ſed ſicut prædictus Pater Benedictus conſtituit, talem poſt diſceſſum ſupradicti Abbatis Odonis monachi habeant, qualem omnis congregatio, vel minima pars ſaniori conſilio ſecundum Deum elegerint, ſive de ipſa congregatione, ſive de alia qualibet monaſtica fraternitate fuerit. Si autem (quod abſit) talem perſonam eligere maluerint, qui vel per munus, vel per cupiditatem inanis gloriæ præeſſe voluerit; hoc per nomen Domini & ſanctæ Genitricis ejus, in cujus honore locus ipſe dedicatus eſt, necnon & beati Petri omnium eccleſiarum principis, omnimodis prohibemus. Et quicumque vel de ipſis monachis, vel de quolibet ordine qualiſcumque perſona, aut in ordinando Abbate, aut in læſione rerum, ſive in detrahenda vel impedienda converſatione, quam novelli Fratres tenere viſi ſunt, contrarius exſtiterit; hunc ſub anathematis vinculo innodamus, donec humiliatus reſipiſcat. Villas vero, quas in opus Fratrum per teſtamenti auctoritatem ab antiquis conſtat eſſe decretas, id eſt ipſam vallem totam, & Caput-cervium, & Evetam, & Arminicurtem, & Diacum, atque Toriacum, & Sarmaciola, vel quod apud Stampas habere videtur, & Vinolium, ſive cetera quæcumque in prædicto teſtamento continentur, ita ſibi communiter fratres habeant, ut nec ipſe Abbas, nec aliqua perſona in poteſtate alterius quicquam dirigere poſſit. In ordinando autem Abbate tam Rex, quam Epiſcopi, vel boni Principes, vel laici, hanc poteſtatem juxta beati Benedicti præceptum habeant, ut pravorum non permittant prævalere conſenſum: ſed talem conſtituant, qui ſecundum Regulam, & religioſas prædictorum Patrum conſuetudines præeſſe ſtudeat. Quia vero jam dictus Ordo nimis pæne ubique erat prævaricatus, & nonnulli fratres in quibuſdam cœnobiis ingemiſcunt, quod nec ipſi abſque proprietate converſari, vel alios habere volentes emendare non poſſunt; viſum nobis eſt ut hanc licentiam tribuamus, quod eis qui voluerint ſtudio meliorandæ vitæ ad ipſum Ducem monachorum confugere, a ſuis Abbatibus non negetur: ſed tam diu liceat illis permanere juxta conſuetudinem, quam invenerint apud fratres prædicti cœnobii, quouſque in ſuis monaſteriis Ordo regularis florere videatur. E contra permittimus, ut ſi alicui de...... oneroſa fuerit, ut ſuo potius detrimento.......... diſcedat, ut non alios inquietet. Ceterum immunitas.......... auctoritatis noſtræ conſtituta ſic illibata in omnibus locis, (ut nulla) poteſtatis perſona familiam diſtringere, aut res ipſas uſurpare, aut inquietare præſumat. Verum ut hæc omnia firmius teneantur, quicumque adjutores ipſius cœnobii fraternitatis in bono fuerint; hos, quantum nobis poteſtas a Deo per beatum Petrum collata eſt, ſicut ſanctæ Eccleſiæ fideles, ſi emendare voluerint, abſolvimus: illos vero qui contrarii quolibet modo exſtiterint, ſub anathematis vinculo, (ut jam dictum eſt) niſi reſipuerint, uſque in diem Domini obligamus. Pax & gratia Chriſti obſervantibus multiplicetur. Scriptum per manum THEODORI Notarii & ſubdiaconi S.R.E. in menſe Januario, Indictione 11. Bene valete. Datum 5. Idus Januarii per manum NICOLAI Primicerii ſummæ Apoſtolicæ Sedis, anno Deo propitio pontificatus domini noſtri Leonis Pontificis & univerſalis 7. Papæ in ſacratiſſima ſede beati Petri Apoſtoli 3. in menſe & Indictione ſupraſcriptis.

Hactenus præclarum diploma Leonis VII. qui mendoſe VI. dicitur in exemplo Floriacenſi. Tempus dati diplomatis incidit in annum 938. Indictione 11. præditum, quo anno Romæ verſabatur Odo, cum Leo ſeptimus annum tertium pontificatus ageret. In his vero litteris Floriacenſe monaſterium vocatur quaſi caput & principium monaſtici Ordinis, *ob poſſeſſionem ſcilicet corporis ſancti Patris Benedicti, cui poſſeſſioni Leo Pontifex præter alios ſuffragatur. Eodem elogio Floriacum afficit Helgaudus in Vita Rotberti Regis, ubi* caput totius monaſtici Ordinis *appellatur. Quod autem addit Pontifex licere monachis aliorum cœnobiorum, ubi defecerat diſciplina regularis, ad Floriacenſe recipere ſeſe; idem concedit Joannes XI. in bulla ſua pro monaſterio Cluniacenſi, eidem Odoni conceſſa, quæ prima eſt in Bullario Cluniacenſi. Neque porro contentus fuit optimus Pontifex his litteris: quin alias Gallicanis Præſulibus direxit, quarum fragmentum, quod ſolum ſupereſt, hoc loco referre juvat.*

LEO

Digitized by Google

Epiſtola ejuſdem.

LEO Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, fratribus & filiis, videlicet Archiepiſcopis, atque eorum Suffraganeis, GUIDONI eccleſiæ Lugdunenſis, TUTELONI Turonenſis, GERUNCO Bituricenſis, GERLAUNO Senonenſis, ARTALDO Remenſis, atque ſucceſſoribus eorum in perpetuum. Sicut veſtra fides & pietas non ignorat, in tantum Chriſtus Dominus noſter ſanctam Eccleſiam dilexit, ut eam proprio ſanguine compararet, quam & ceteris quidem Apoſtolis, & eorum ſucceſſoribus commendavit. Sed maxime per ipſorum principes beatiſſimum Petrum & Paulum hanc diſponere decrevit: quorum ſucceſſores tam in hac ſancta ſede, quam ubique terrarum, quicumque ex fide vixerit, eamdem quiſque in ſuo tempore juxta apoſtolicæ inſtitutionis formam regere ſtuduerunt. Sed, ut conſiderantibus palam eſt, in his noſtris diebus tempora periculoſa venerunt, & frigeſcente charitate nimium ſuperabundat iniquitas: ita ut rerum ordo totus pæne turbatus ſit, & nullus jam locus religioni reſtare videatur. Nos vero (quod nimis dolendum eſt) nec ex adverſo aſcendere, nec impietatem reprimere certamus: ſed quicquid aliud eſt, quod religioni adverſatur, clauſis mentalibus oculis negligenter tranſilimus. Porro, quamvis inertes & deſidioſi, noſtram negligentiam minime pertimeſcamus, ignorare tamen non poſſumus, quod de noſtra villicatione Deo rationem redditturi ſumus. Quapropter, chariſſimi, nitamur, quantum per divinam gratiam poſſumus, ut a cuſtodienda religione vel piis actibus ex toto vacui non inveniamur. Ut autem ad rem veniamus, ob cujus occaſionem iſta dicere cœpimus, intimatum eſt nobis, etiam & certa veriſſimaque relatione comperimus, quod filius noſter ODO venerabilis Abbas ex monaſterio admodum reverendo, vocabulo Floriaco, quod eſt in honore ſanctæ Dei Genitricis Mariæ & ſancti Petri conſtructum, ubi requieſcit egregius Pater domnus noſter beatiſſimus BENEDICTUS, decus videlicet gemmaque monachorum, regularem converſationem ex traditione ſuorum prædeceſſorum tenere aliquatenus cum ſuis fratribus inibi Deo ſervientibus videatur. Hunc ergo ordinem in prædicto loco, Deo favente, aliquatenus, ut audivimus...... *Sic deſinit Floriacenſe exemplum, quod utinam integrum haberemus. Ex eo vero diſcimus ſtudium optimi Pontificis in rem monaſticam, & præcipue in ſanctum Benedictum: quem in his litteris* egregium Patrem domnum noſtrum beatiſſimum Benedictum *appellat, ita ut non dubitem, ipſum ante pontificatum inſtituto noſtro fuiſſe addictum, qui quidem* ſervus Dei *fuerat, quo nomine Monachi cenſeri ſolent apud antiquos. Ceterum quantum doloris concepiſſet Leo ex miſerabili Eccleſiæ ſtatu, & quam ſtrenue pro collata ſibi poteſtate graſſantibus malis mederi conaretur, ſatis ſuperque vel hæ litteræ probant. Quod de Odone supereſt, is librum* de contemptu mundi *compoſuiſſe dicitur apud Ademarum monachum Ecoliſmenſem: qui liber haud ſcio an alius ſit a libro Collationum. Ad alia pergimus.*

4. *In Elogio Alvei Abbatis Carnutenſis S. Petri, pag. 279. diximus, monaſterium S. Petri incertæ eſſe originis, atque ante ſæculum 9. exſtitiſſe. Addimus vero in præſens, illud jam ſæculo 7. viguiſſe. Auctor quippe ejus loci Chartarii, quod* vetus Aganum *dicitur ab Agano ſeu Agano Epiſcopo cœnobii inſtauratore, ait in cap.* 11. Hæc omnia, quæ propoſui, & alia loca plurima AB ANTIQUIS MONACHIS ſunt poſſeſſa & habita: ſed de quibus, prout litterarum notitia aut negligentia oblivioni tradidit, ea quidem ſcribere floccipendi: tantummodo de quibus litterarum ſeries certum me reddidit, vel ſemper A SUBSTITUTIS CLERICIS ſunt poſſeſſa, pro modulo tenui ingenii mei membranis inſerere ſtudui, ne forte lector hunc locum aut fuiſſe inopem cenſu, fallaci æſtimet opinione. Locus denique, qui Boſcus-medius nuncupatur, & cingitur a ſeptemtrionali parte ſaltu non modico, atque ab auſtrali parte rivulo Ederæ, ſemper habuiſſe fertur ab his, qui hunc locum noſcuntur tenuiſſe. Tenuerunt etiam in territorio Vilcaſini Genetvillæ tertiam partem, quam Regina ſanctiſſima, nomine BALTIDIS, in tribus partibus diviſam, unam quidem huic eccleſiæ beati Petri Apoſtolorum principis contulit; aliam quoque Gemeticenſi eccleſiæ almæ Matris Dominæ; atque tertiam beati Remigii Remorum Epiſcopi baſilicæ uſibus fratrum ſtipendiariis delegavit. *Ex quo intelligitur, hoc monaſterium ſæculo 7. jam viguiſſe.*

4. *Quod diximus pag. 548. & 549. de adventu Maccaleni Abbatis in eccleſiam S. Michaelis, deque donatione ei facta ejuſdem eccleſiæ per Herſindem matronam; confirmatur ex litteris Rodulfi Epiſcopi Laudunenſis, quas ex chartario ipſius monaſterii, quod modo Rotomagi in bibliotheca Bigotiana ſervatur, eruimus in hæc verba.* S. Michaelis in Teraſcia.

Rodulfi Laudunenſis Epiſc. charta.

ANNO Incarnationis Domini noſtri Jeſu-Chriſti nongenteſimo quadrageſimo quinto, Indictione tertia, ordinationis meæ...... RADULFUS Laudunenſis Epiſcopus. Cunctis liquido fidelibus ſanctæ Laudunenſis Eccleſiæ, cui auctore Deo præſumus, tam præſentibus ſcilicet quam futuris, notum fieri volumus, qualiter Oratorium in ſaltu, qui dicitur Theraſcia, in honore beati Michaelis Archangeli ex antiquo fuerat vili ſchemate conſtructum, ſed poſtea prope fundo tenus deſtructum. Proceſſu denique temporis quædam matrona, nomine HERSENDIS, per aſſenſum Herberti noſtræ Eccleſiæ Archidiaconi, cui idem erat Oratorium jure beneficiario collatum, divina inſpiratione compuncta, prout melius potuit, reſtaurare libenter ſtuduit. Ubi cauſa orationis ad eumdem oratorium confluentibus diverſarum partium populis, laus & honor Dei omnipotentis & venerabilis memoria beati Michaelis Archangeli adeo crevit, ut etiam homines Hibernicæ regionis mare tranſnavigantes ad nos cauſa peregrinationis, loca in quibus commorari deberent uſpiam perquirentes, ad prædictam matronam angelico ductu (ut credimus) pervenerunt. Sicque audita fama ejuſdem Oratorii, libenti animo illuc pergere diſpoſi-

Digitized by Google

ſpoſitum fuit: ipſiuſque loci perſpecta vicinitate, & propter remotiora loca, ibidem Deo omnipotenti & ſancto Michaeli Archangelo, tam ipſi, quam eorum ſequaces uſque in finem ſæculi famulari decreverunt. Unde eadem matrona ardenti animo noſtram expetiit humilitatem, ut prædictis Dei ſervis eumdem concederemus oratorium; quatinus ea vivente atque obeunte, juxta devotionem illorum ibidem divinum perageretur officium: cujus petitioni bonæ voluntatis aſſenſum præbuimus noſtræ largitionis, eo ſcilicet jure, ut ex prædicto Oratorio unoquoque anno in feſtivitate ſancti Michaelis Archangeli, pro reſpectu noſtræ eccleſiæ, jam dicti ſervi Dei atque alii peregrini, tam ſuæ gentis, quam noſtræ, ibidem Deo uſque in finem ſæculi ſervientes, duodecim denarios ſtudeant perſolvere. Ut autem hæc largitio noſtra per ſuccedentia temporum curricula inviolabilis permaneat; hoc ſcriptum cum conſilio fidelium noſtrorum fieri juſſimus, & coram præſentia Senioris noſtri, videlicet LUDOVICI Regis, ac Principum ipſius regni relegere fecimus: qui pro ſuæ remedio animæ & propria manu cum ſigno ſui nominis firmavit, & anuli impreſſione ſigillare præcepit. Signum, &c. Actum Lauduni 3. Non. Febr. anno vero 10. Ludovico Rege regnante.

Has litteras laudat fuſior Gallia Chriſtiana, quas ad annum 945. aut inſequentem, qui Ludovici Regis decimus erat, revocamus. In quadam charta Vualteri Epiſcopi Laudunenſis pro eodem monaſterio anno 1151. data, aſſeritur, eccleſiam ſancti Michaelis, & villam ei ſubjectam, ab Epiſcopis eccleſiæ Laudunenſis per Comitem ELBERTUM, monaſterii & villæ fundatorem, *obtinuiſſe*, ne cauſa Advocatiæ vel cujuslibet Principis, terram de Guiſia & Yrecon poſſidentis, moleſtia perturbaretur. *Ex quo vera eſſe apparet, quæ de fundatoribus monaſterii S. Michaelis Eilberto & Herſinde diximus ſuo loco.*

Cluſinum. 5. *Optandum eſſet ut illuſtrare poſſemus primordia monaſterii ſancti Michaelis Cluſini, de quo hæc leguntur in Chronico Malleacenſi ad annum* 9?7. Eo tempore, *quo ſcilicet conditum eſt cœnobium ſancti Michaelis de Monte*, incœptum erat aliud monaſterium de ſancto Michaele de Cluſa a ſancto JOANNE Epiſcopo & eremita, ubi primus Abba fuit ARVEUS: quæ duo monaſteria monachorum angelica juſſione facta ſunt, & creberrime ab Angelis nimiis & fulguris & miraculis illuſtrantur. *Annum idem Chronographus paullo ante ſignanter expreſſerat*: Anno 968. cœptum eſt cœnobium ſancti Michaelis ad Cluſam: *rectius quam ante*, anno 972. *Sita eſt Cluſina hæc Abbatia apud Taurinos, in Picheriani montis acumine acclivis, a Ciniſio duodecim millia paſſuum diſtantis; ubi olim Carolo M. in Italiam per Seguſinam vallem ſubeunti, Deſiderius Langobardorum Rex iter occluſit. Franciſcus Auguſtinus ab Eccleſia conditorem ſuggerit Hugonem Marinum, præpotentem Arvernum; eccleſiæ conſe-
„ crationem ab Annucco Taurinenſi Antiſtite factam dicit anno 966. additque fama crebreſcente, in
„ idem monaſterium quam plures pios ac devotos viros religioſæ vitæ ducendæ cauſa ſe recepiſſe, precipue
„ vero Joannem, prius Ravennæ Archiepiſcopum. Paullo aliter rem enuntiat ſuperius Chronicon Malleacenſe, in quo monaſterium* incœptum *dicitur* a ſancto Joanne Epiſcopo & eremita, ubi primus Abba fuit Arveus. Advertus *nudo nomine ſcribit Franciſcus Auguſtinus, qui aſſerit, Joannem hunc eremitam prius fuiſſe Archiepiſcopum Ravennenſem: alii rem ſub dubio narrant, nec Rubeus affirmare audet, vel Girolamus Fabri. Certe vix temporis ratio patitur. Si enim Cluſini monaſterii inchoatio Joanni eremitæ tribuenda, ut habet Chronicon Malleacenſe; eaque ad annum 966. aut 968. referenda eſt: ſane auctorem non poteſt habere Joannem XI. Ravennenſem, qui adhuc ea dignitate potiebatur anno 996. Sanctus ille eremita Joannes in æde ſancti Solutoris a ſe conſtructa tumulatus perhibetur.* BENEDICTUS *ejuſdem monaſterii Abbas, qui Synodo Lemovicenſi anno 1031. interfuit, omiſſus eſt a Franciſco Auguſtino. Obitus ejus, ſcilicet Benedicti, notatus eſt in Necrologio Abbatiæ S. Ægidii Nemauſenſis*: Prid. Kal. Junii obiit Benedictus Abbas Cluſæ. *De hoc monaſterio mentio recurret in Sæculo ſequenti ad vitam S. Alferii Abbatis Cavenſis. Nunc locus eſt perpaucorum ſæcularium Clericorum hoſpitium, teſte Franciſco Auguſtino in Chronologia Pedemontana.*

ERRATA.

IN TOMO *ſuperiori p.* 384. *l.* 4. *l.* anno ſequenti poſt annos tres, ut ſuperius diximus. *Et in Addendis pro tomo* 2. *p.* 399. *dele ibi addenda* ad Vitam S. Amandi.

IN-

Digitized by Google

INDEX HISTORICUS
SÆCULI QUINTI BENEDICTINI.

Litera (a) *initium paginæ uſque ad medium ;* (m) *medium uſque ad finem ;* (n) *notulas marginis inferioris deſignat.*

* *Monaſteriorum nomina & ſeries habentur ſub voce* Monaſterium.
* *Topographica vocabula Italicis typis diſtinguuntur.*

A

Abbatiola S. Joannis Divione, 24. m
Abbo Abbas Floriacenſis, 708. m 711. a n 715. a 716. a 755. m 878. a
Abbo Abbas Maſciacenſis, 83. m
Abbo Pater Odonis Abbatis Cluniacenſis, 123. a 149. m
Abderramen Maurorum Rex, 403. & ſeqq.
Abertus Abbas V. Heribertus.
Abo Epiſcopus Sueſſionenſis, 215. a
Abundii & Abundiani translatio, 846.
Abraham Friſingenſis Epiſcopus, 463. m n 592. a
Acbertus vir nobiliſſimus 74.
Acfredus Dux Arvernorum, 76. m
Acfredus Comes auctor monaſterii Celſiniacenſis, 318. a
Achardus nobilis, 747.
Acharius Epiſcopus Noviomenſis, 204. a
Achericus pius monachus Lebrathenſis, 410. m
Acquiranda villa pagi Matiſconenſis, 315. m
Adacius Abbas Sarlatenſis, 131. a
Adala Comitiſſa Flandriæ, 211. a n
Adala V. *Adela*
Adalardus Epiſcopus, 79. a
Adalaſius ſeu Adacius Coabbas Sarlatenſis & Tutelenſis, 147. a
Adalbero Remenſis Archiepiſcopus, 354. & ſeqq.
Adalbero Auguſtenſis Epiſcopus, 14. a 419. m n
Adalbero Epiſcopus Baſilienſis, 121. m
Adalbero Epiſcopus Laudunenſis, 359. m 513. m
Adalbero Epiſcopus Mettenſis, 120. m 278. a 285. & ſeqq. 303. m 339. m 490. a n 492. m n 581. m 866. a
Adalberto Abbas Utemburanus & Epiſc. 416. a
Adalbero nepos S. Udalrici, 414. m 419. n 444. a m n 446. a
Aalbero monachus Hirſaugienſis doctor, 116. m
Adalbertus Archiep. Magdeburgenſis, 341 a, elogium hiſtoricum, 563. & ſeqq. 811. a 825. m 840. 866.
Adalbertus Epiſcopus Pragenſis & Marryr. 758. 810. vita ejus 821. & ſeqq. 864. m
Adalbertus Abbas S.Manſueti, 864. a
Adalbertus Canonicus Aquiſgranenſis, 846. m
Adalbertus Comes Tegernſenſis monaſterii conditor, tum Abbas, 592. m
Adalbertus Corbejæ Saxonicæ monachus, 565. m
Adalbertus Comes, 748. a
Adalbertus monachus S. Remigii, 111. m
Adalbertus Comes Kiburgenſis, 434. a n 438. a
Adaleſendis uxor Aimonis domini Burbonen. 84. m
Adalagus ſeu Adalgagus Bremenſis Archiepiſcopus, 327. a Epiſtola ejus, 329. 345. m, 496. a 563. a 566. m
Adalgarius Abba Corbejæ novæ, 706. a
Adalgaſius Abbas Palmati, 12. m
Adalgerus monachus Gorzienſis, 386. a
Adalgiſus Abbas Vabrenſis, 12. m
Adalgus frater Lupi Ferrarienſis, 323. m
Adalhais Auguſta Ottonis I. uxor, 347. a 493. a n 752. m 757. a 761. a 776. m 782. 818. m. Ejus elogium 861 & ſeqq.
Adaleis Comitiſſa Sabaudiæ, 757. n
Adalindis ſoror Willelmi Pii Ducis Arvernorum, 76. m
Adaltrudis mater Gerardi Comitis Auriliac. 6. m
Adalwinus Epiſcopus Ratiſponenſis, 105. m
Adam Abbas S. Iſaac. 866. m
Adam Abbas S. Manſueti, 864. a
Adam Abbas S. Pauli Romæ, 136. a
Adamus vir nobilis, 243. m
Addo Abbas in Matiſconenſi eccleſia. 137. a 724. a
Adechus monachus Gemblacenſis, 309. a
Adela Comitiſſa Flandrenſis, 557. m
Adela Comitiſſa, 246. m
Adela ſeu Atala Comitiſſa, 862. a
Adelais Comitiſſa Cabilonenſis, 778. m 449. a
Adelais Comitiſſa Carcaſſenſis, 543. a
Adelais Comitiſſa Gabalitanorum, 811. m 812. m 833. m
Adeleis uxor Lamberti Comitis, 748. m 750. m
Adeleidis Comitiſſa, 131. m
Adelbertus Abbas Petershauſenſis, 820. m
Adelbertus Clericus, 352. m
Adelbertus Comes, 377. a
Adelelmus Comes, 7. a
Adelelmus Comes, 70. m
Adelelmus monachus, 536. a m 537. a
Adelelmus Miles, 215. a
Adelelmus Miles, 246. m
Adeleoldus Cancellarius Ottonis M. 352. a
Adelgarius Abbas Aureliacenſis, 7. m 8. a
Adhelardus Abbas Senonienſis, 411. m
Adelhardi Monachi Hirſaugienſis elogium, 41. 42.
Adelheis Abbatiſſa, 758. a
Adelheis & Adeleis V. Adalhais:
Adelhelmus Archidiaconus Tungrenſis, 260. m
Adhelelmus Abbas S. Walarici, 550. m
Adelhelmus V. Adelelmus.
Adelinus Epiſcopus Laudunenſis, 541. a
Adelmannus puer Deo ſacratus, 340. a
Adelmarus Diaconus Virdunenſis, 863. m
Adelmodus ſeu Adelmarus Abbas S.Vitoni, 365. m
Adelpertus Epiſc. Capuanus, 631. a
Adelpertus Abbas Caſinenſis, 115. m
Adelpertus V. Adalbertus & Adelbertus.
Adelphius Abbas Samonenſis, 527. n
Ademarus Comes, 10. a
Ademarus filius Lamberti Comitis Valentinenſis, 317. a 749. a
Ademarus ſeu Aymard miles auctor cœnobii Silviniacenſis, 84. & ſeqq.
Ademarus V. Aymardus.
Adelſtanus Rex Anglorum, 337. a
Adelſtanus Cornubienſis Epiſcopus, 39. m
Adhegrinus miles, ſocius S. Odonis in eremo & monaſtica vita, 69. a m 126. a 155 m 156. a 157. a 189. m & ſeqq.
Adica Abbas Hiſpanus, 496. a
Ado Epiſcopus Matiſconenſis, 747. m
Addo Abbas, 137. a
Adolſus monachus Cluniacenſis, 173. m

Adoſinda Abbatiſſa Villæ *novæ*, ſoror S. Rudeſindi, 515. m, 516. m
Adraldus Abbas Aureliacenſis, 876. m
Adrebardonis nobilis, 350. m
Adriani & Nataliæ feſtum, 315. m
Adſo Abbas S. Baſoli, 359. a
Adulfus ſeu Aldulfus Epiſc. Eboracenſis, 708. m 714. m
Adulfus Abbas Burgenſis, 511. m 735. m
Adulfus Comes, 573. m
Ædredus Rex Anglorum, 245. m
Ædricus Regis præpoſitus, 731. m
Ægido Abbas S. Hilarii, 542. m
Ædvvinus filius Ailvvini Ducis, 738. a
Ælfegus ſeu Elfegus Ep. Vvinton. 738.
Ælfredus ſeu Alfredus Rex Angliæ, 4. a, m
Ælfricus Epiſcopus, 618. m
Ænguſſius Abbas Scotus, 874. a
Æthelvvardus filius Ailvini Ducis, 738. a
Afra martyr paſſa prope Auguſtam, 438. m, n
Agano Epiſcopus Carnotenſis, 279. & *ſeq.* 880. a
Agenoldus ſeu Aginoldus & Einoldus Abbas Gorzienſ. 305. m, 318. n, 339. m, 489. a, n, 490. a, n, 540. a
Agenoldus V. Einoldus.
Agenordus ſeu Eginhardus Abbas Blandinienſis, 205. a, n
Agelnothus Archidiaconus Cantuar. 507. a, m
Agino Abbas S. Silveſtri, 866. m
Agius Abbas Vabrenſis, 11. m, tum Archiepiſcopus Narbones. 12. a
Agnus Vicecomes, 814. m
Aigulfus Comes, 500. m
Ailvvardus Comes, 732. m
Ailvvinus Epiſc. Dorcaciſtrenſis, 735. m
Ailvvinus Comes ſeu Dux & Aldermannus, 503. m 505. m 507. m 708. & *ſeqq.* 713. m, n
Aimo Abbas S. Martialis, 143. a
Aimo ſive Eimo Abbas S. Martini Æduenſis, 90. a
Aimo Abbas Tutelenſis, 131. a
Aimo dominus Burbonenſis, 84. m
Airannus Miles, 355. a
Airardus Abbas S. Pauli, 866. m
Airardus Abbas S. Theodorici, 344. a 355. m 513. a 514. a, m
Alaricus Regulindæ Duciſſæ filius apud Ufnaugiam ſolitarius, 243. m 244.
Alavvici Abbatis Augienſis elogium, 256. & *ſeqq.* 440. m, n
Alba fluvius in Hercinia ſilva, 313. a 314. a
Abana ſeu Alba Uxor Warini Comitis Matiſconenſis, 73. m 74. a, n. Ava *ibid.* 77. a
Alba V. Albana.
Albegovve pagus, 429. m 463. a
Albericus Marſorum Epiſcopus, 638. a
Albericus Abbas Dervenſis, 863. a
Albericus Princeps urbis Romæ, 168. m 179 a 439. m, n
Albericus Dux, 245. a
Albericus Comes Matiſconenſis, 747. a 749. a 751. a
Albericus Comes, 135. m
Albericus filius Leotaldi Comitis Matiſconenſis, 317. m 319. m
Albertus de Aich Epiſcopus Leodicenſis, 312. m
Albertus Abbas Majoris-monaſterii, 111. m
Albertus Abbas Ripenſis, 713. m
Albertus Bemſtadenſis Einſidlenſis cœnobii Decanus, 544. a
Albertus Comes, 513. m
Albertus frater Ducis Lovanienſis, 312. m
Albis fluvius Germaniæ, 520. m
Albizo monachus in ſynodo, 865. m
Albrada nobilis, 134. a
Albricus ſeu Alfricus Archiep. Cantuar. 639. m
Albericus Abbas S. Zenonis, 866. m
Albulfus advocatus, 398. m
Alcinus Comes, 500. m
Alda filia Hugonis Regis Italiæ, 138. a
Aldebaldus Epiſcopus 824. m
Aldebaldus Monachus vitæ Majoli ſcriptor, 739. & *ſeqq.* 787
Aldedus Epiſc. Wlgradenſis, 866. a
Aldeſindis Borbonenſis domina, 319. a
Aldiniacus mons in Comitiva Portuenſi, 250. a
Aldredus Archiep. Eboracenſis, 626. a, n
Aldulfus Epiſcopus Cridienſis, 501. m
Aledrandus Abbas Gemblacenſis, 490. m
Aletrannus Abbas Laubienſis, 478. a
Alexander Epiſcopus Leodicenſis, 582. a, n
Alfeagus Epiſcopus Wintonienſis, 233. a
Alfer Vicecomes, 500. m
Alferius Comes, 503. m Dux Merciorum, 506. a 507. m 511. m
Alferus Comes, 713. m
Alfgarus nobilis Anglus, 723. m
Alfilda Comitiſſa, 727. a
Alfnothus Epiſc. Wigornienſis, 139. m n
Alfnothus optimas, 732. a
Alfonſus Rex Legionis, 534. a. n.
Adelfonſus Rex Portugalliæ, 536. m, n 574 a, m
Alfonſus Petri Eremita Aſturicenſis, 38. a
Alfredus Rex Anglorum, 626. m
Alfredus Epiſcopus Schireburnenſis, 506. a
Alfricus monachus Abandonienſis, tum Abbas & Cantuar. Archiepiſcopus, Ethelwoldi pontificis encomiaſtes, 594. a, m
Alfricus Abbas S. Albani, 735. m
Alfricus Epiſcopus Eſtangliæ, 507. m
Alfwara matrona, 733. a
Alfwoldus Epiſcopus Donevoniæ, 506. a 507. m
Alfwoldus frater Ailwini Ducis, 727. a 729. m 731. a
Algarus Epiſcopus Helmonenſis, 658. m 668. n
Algiſus monachus Centulenſis, cuſtos Civinocurtis, 560. a
Alhſwida Regina Anglorum, 626. m
Aligernus Abbas Caſinenſis, 115. m 147. a, ejus elogium, 631. & *ſeqq.*
Alinardus Archiep. Lugdunenſis, 866. a
Allenaldus Abbas, 68. a
Almeradus Regenſis Epiſcopus, 742. a
Almodis Comitiſſa, 747. m
Alpes Ammiates & *Burdonum*, 166. m 171. a
Alpes Pennina, 775. m
Alpes ſumma, 121. m
Alpiniani corpus Lemovica delatum in Roſiacenſe monaſterium, 89. m
Alſtanus Londonienſis Epiſcopus, 507. m
Alſtanus vel Elſtanus Abbas Glaſc. 506. a 507. m
Altaſia uxor Leobaudi viri ſpectabilis, 96. a
Alvei Abbatis Carnot. elogium, 278. & *ſeq.* 876. a
Alwio Rex Merciorum, 499. m
Amalbergæ Virginis corpus revelatum, 205. m, n ſepulcrum, 212. a 214. a
Amalungus Fardenſis ſeu Verdenſis Epiſc. 495. a
Amalungus Epiſcopus, 706. a
Amalricus Abbas Miciacenſis, 362. a, m
Amalricus Prior Resbacenſis, 232. a
Amalricus Comes, 318. a
Ambaſciatores diplomatum, 9. a
Amblardus Epiſc. Lugdunenſis, 747. a
Amblardus Epiſcopus, 10. a *al.* Adelardus Claromontenſis, *ibid.*
Ambroſius Epiſcopus Bergamenſis, 353. a
Amfridus Prior Croylandiæ, 511. a
Amiates Alpes 166. m
Ammon Epiſcopus Tullenſis, 864. a
Ana Abbas S. Hilarii, 543. a
Analafus filius Regis Northanumbrorum, 501. m 502. a
Anaſtaſius Abbas Breunovienſis, tum Epiſcopus Strigonienſis, 824. a

Anda-

Digitized by Google

Andabatarum mos, 802. m
Andra fluvius in Bituricibus, 83. a
Andreas Epiſcopus, 358. a
Andreas Brito monachus Gorziæ, 364. a, 373. m 381. a, S. Pauli Romæ reformator, 382. m
Andreas Dapifer Comitis Campaniæ, 232. a
Angilbertus Abbas Centulenſis, 260. m
Angilramnus Tullenſis & Mettenſis primicerius, 364. a, Monachus Gorzienſis, 383. 384. 386. m 403. a
Anniſo Epiſcopus Cerenſis, 467. a
Anno ex Abbate Magdeburgenſi Epiſc. Wormatienſis, 341. a, 563. m, 567. 568. a
Annonis Abbatis Miciacenſis & Gemeticenſis elogium, 361. & *ſeqq.*
Annucus Epiſcopus Taurinenſis, 880. a
Anſa caſtrum ad Ararim villæ francæ proximum, 102. m, n
Anſa villa in Burgundia, 316. a
Ansberti Epiſcopi translatio Blandinium, 201. & *ſeqq.*
Anſelmus Archiep. Cantuarienſis, 694. m
Anſelmus Ædituus Bronienſis, 262. m
Anſelmus Comes, 317. a
Anſelmus filius Teutherii Comitis, 867. a
Anſelmus Advocatus Civinocurtis, 559. m
Anſoaldus dives, 754. m
Anſtei Abbatis S. Arnulfi elogium, 284. & *ſeqq.* 363. m., 364. a., 386. a, m,
Anſuſus Epiſcopus, 316. m
Antoinenſis Vicaria, 320. a
Antonius Ulyſiponenſis Epiſcopus, 535. m
Antonius Abbas Inſulæ Barbaræ, 744. a, 766. a
Antonius Abbas S. Juliani, 141. m
Antonius ſive Hatto & Atto recluſus Utemburæ, 447. n, 449. m, n
Antonius monachus ſanctus, 131. m, 132. a
Apollinaris Abbas S. Apri, &c. 863. a
Apringi liber, 36. m
Aquenſis Comitatus, 741. m
Aquifredus Comes, 541. m
Aquilina ſeu Enguilinenſis Silva, 183. m
Aquinus vir nobilis, 320. m
Ara fluvius Germaniæ, 520. m
Araguntis Regina, 520. m, n
Arandiſelus Abbas Agei monaſterii, 33. a, 35. m
Arar fluvius duplex, 58. a, n
Arcardus Abbas, 813. m
Archembaldus Abbas S. Apri, 863. m
Archembaldus Abbas Floriacenſis, 709. n
Archembaldus dominus Burbonenſis, 763. m
Archembaldus filius Aimonis domini Burbonenſis, 84. m, 319. a
Archembaldus frater Aimonis domini Burbonenſis, 84. m
Archembaldus Clunienſis cœnobii prælatus, 146. m, 168. a
Archembaldus *V.* Ercamboldus,
Archenoldus Abbas, 88. m, an Brivatenſis, *ibid.*
Ardericus Epiſcopus, 631. a
Ardradus Cabilonenſis Epiſcopus, 70. m
Ardradus Epiſcopus, an Cabilonenſis, 746. m
Ardradus Epiſcopus, 319. m
Arduinus Epiſcopus Carnotenſis, 283. a
Arduinus Epiſc. Tuderanus, 866. m
Arefaſtus monachus Garnotenſis, 284. m
Arelat. Epiſcop. Roſtagnus, 70. m
Arembertus Abbas S. Petri Carnotenſis, 283. a
Argonnæ ſaltus & tractus, 372. a, n
Argovia ditio apud Helvetios, 58. n
Argrini Epiſcopi Lingonenſis elogium, 23. & *ſeqq.*
Arias Comes in Minio, 515. a
Aribertus abſtinentia inſignis monachus, 147. a
Aribo Comes, 807. n
Arigaudus Abbas S. Petri Vivi, 131. m
Arnaldus Gibertus nobilis, 544. a, 553. m
Arnochus nepos S. Judoci, 536. m
Arnogia fluvius Hiſpaniæ qui in Minium defluit, 597. a, n
Arnoldus Epiſcopus Claromontenſis, 10. m, 83. a
Arnoldus Comes, 118. a
Arnolfus Epiſc. Santonenſis, 866.
Arnolfus Tullenſis Epiſcopus, 21. m
Arnolfus Dux Bavarorum, 422. a, n, 592. a
Arnolfus Dux Bajoariorum, 592. a
Arnolfus Comes palatinus, 433. m, n
Arnolfus ex Comite monachus S. Emmerammi, 105. & *ſeqq.* 788. m
Arnulfus Archiepiſcopus Remenſis, 360. a, 874. m, 875. a
Arnulfus Epiſcopus Aptenſis, 742. m, 746. m
Arnulfus ſeu Ernulfus Epiſcopus Aurelianenſis, 362. m
Arnulfus Abbas Gemblacenſis, 398. m
Arnulfus Abbas S. Mart. Æduenſis, 89. m, 94. a, 96. a
Arnulfus Abbas S. Petri Carnotenſis, 284. a
Arnulfus M. Flandriæ Comes, 205. m, 228. m 270. & *ſeqq.* 547. a, n, 549. a, 553. a
Arnulfus Marchiſus, 215. a
Arnulfus nobilis, 589. m
Arnus fluvius Italiæ, 702. a, n
Arpertus Epiſcopus Curienſis, 775. m
Arrontia fluviolus in Æduis, 98. m
Artaldus Archiep. Remenſis, 343. a, m, 879. a
Arto Epiſc. Marſicanus, 866. m
Artoldus Epiſcopus Remenſis, 214. m, 215. a 503. m
Arvernenſis Epiſcopus dictus præſul Aquitanorum, 76. m
Arvernici Comitatus pars in epiſcopatu Auguſtodunenſi, 318. m
Arvernicus pagus, 74. a, Ducatus, 76. m
Arveus Abbas S. Michael. de Cluſa, 879. m, 880. m
Arula mons, 545. m
Aſcelinus monachus Uticenſis, 230. a
Aſchirius Epiſc. Wigornienſis, 733. a, m
Aſpertus Epiſcopus Ratiſponenſis, 106. m
Aſo Epiſc. Solinenſis, 866. m
Aſolfus Abbas S. Maximini, 340. m
Aſſerus Epiſcopus Schireburnenſis, 237. m, 238.
Aſſerius monachus Rhetoricæ profeſſor, 4. m
Aſterus Abbas Coxanenſis, 543. a, 851. a
Aſtoric. Epiſc. Gennadius, 33. & *ſeqq.* Ranulfus, 33. m, Fortis, 37. a, Salomon, *ibid.*
Ateleken Præpoſitus Magdeburgenſis, 572. m
Atenſis ſeu *Aptenſis* Comitatus, 741. m, 742. m
Atenulfus Epiſc. Cæſenas, 866. a
Atenulfus Princeps Capuanus, 114. a
Atenulfus Caſtaldeus, 631. m
Athanaſii Symbolum, 481. a
Athela uxor Geronis Comitis, 570. m
Athelelmus Wellenſis Epiſcopus, 39. m
Athelgarus Archiep. Cantuarienſis, 640. a
Athelmus Archiep. Cantuarienſis, 642. m, 648. m
Athelmus Epiſcopus Fontanenſis, 501. m
Athelmus Dux, 288. a
Athelſtanus Epiſcopus Cornubienſis, 501. a, 507. m
Athelvvardus miniſter, 500. m, 506. m, 507. m
Athelvvoldus Abbas Abendonenſis, 500. a Epiſcopus Wintonienſis, 506. a, m, a, 512. a
Atgelvvoldus Comes, 503. m
Athelwoldus *V.* Ethelwoldus.
Atheſtanus Rex Angliæ, 496. a
Athulfus Epiſcopus, 611. m
Atreciæ villa Flandriæ, 211. a
Attelinus Vicedominus Eccleſiæ Auguſtanæ, 449. a
Attigrinus Epiſc. Immolenſis, 866. m
Attila nobilis, 849. m
Atto Epiſcopus, 79. m
Atto Epiſc. Camerinenſis, 866. a
Ava ſeu Avana ſoror Willelmi Ducis, an eadem cum Alba ſeu Albana uxore Warini Comitis Matiſcen-

cenſis, 74. Charta ejus tum Abbatiſſæ, 75. 76. a 77. a
Ava ſeu Avana uxor Gaufredi Comitis, 76. a 81. m 137. a
Audo Comes, 66. m
Audoeni feſtus dies in Anglia, 676. a
Auſnavv inſula, 121. a
Auguſta Vindelicorum dicta *Valentina*, 846. a
Auguſtanorum Epiſcoporum catalogus, 415. 472.
Auguſtodunenſis ſynodus anni 878. 91. m
Auguſtodunenſis Epiſcopatus partem Comitatus Arvernici complectitur, 90. a
Avennicorum oppidum ſeu Avenio, 741. a 765. a
Avia villa, 354. m
Avigerna ſoror Geraldi Comitis Aureliacenſis, 8. m
Avo Abbas Corbejæ novæ, 706. a
Aurelianus Epiſcopus Lugdunenſis, 23. m
Aurelius Epiſcopus, 480. a
Auriliacum caſtrum & monaſterium, 7. & *ſeqq.*
Aymardi Abbatis Cluniacenſis elogium hiſtoricum, 315. & *ſeqq.* 770. a m
Aymardus pater Aymonis domini Borbonenſis, 319. m
Aymo Epiſcopus, Valentinus, 316. a m
Aymo Borbonenſis dominus, 319. a
Aymus Archidiaconus Matiſconenſis, 750. a
Ayrardus Epiſcopus Vendaſcenſis, 317. m
Azelinus Comes Tullenſis, 864. a
Azila nobilis matrona, 420. n
Azo Epiſc. Centumcellenſis, 866. a
Azo Abbas Ticinenſis in Cælo aureo, 698. a 704. a

B

BAn Bridfertus Rameſienſis monachus Auctor vitæ S. Dunſtani, 639. & *ſeqq.*
Badilo Abbas S. Martini Æduenſis, 90. a
Badilo Comes, 89. a 92. m 93. fit Monachus, 94. m
Badilo nepos Badilonis Comitis, 90. a Monachus Æduenſis, 94. m
Bainus Tarvennenſis Epiſcopus, 202. a n
Baldericus optimas, 629. a
Baldoinus Abbas S. Pauli Romæ, 631. m 636. a
Baldericus Epiſcopus Leodicenſis, 576. m
Baldricus Epiſcopus Trajectenſis, 31. a m n 332. a
Baldricus Trajecti ad Moſam Epiſcopus, 332. a
Balduinus Noviomenſis Epiſcopus, 111. m
Balduinus Abbas Caſinenſis, 115. m
Balduinus Abbas Caſinenſis & S. Pauli; 133. m 136. a 167. a n 172. m 197. a
Balduinus Calvus Flandriæ Comes, 4. a
Balduinus Ferreus Comes Flandrenſis, 205. m
Balduinus III. Arnulfi Comitis Flandrorum filius, 211. a n
Balduinus Comes Flandrenſis Balduini Barbati filius, 557. a n
Balduinus vir dives, tum Monachus Humolarienſis, 223. m 224.
Baltildis Regina, 879. a n
Baltramni Abbatis Lutrenſis elogium, 276. & *ſeqq.*
Bania mater S. Cadroæ, 484. m
Baro nobilis, 849. m
Baterius Comes, 70. m
Bathuricus Epiſcopus Ratiſponenſis, 105. m
Baudemundus Abbas Blandinienſis. 205. a
Bavo Confeſſor, 204. m
Beanus patruus S. Cadroæ, 482. m 485. a
Beatus Archicancellarius Hugonis Regis Italiæ, 697. m
Beggo Epiſcopus Arvernenſis, 761. m 323. 763. m
Belaſco Abbas Monaſterii Gironenſis, 296. m
Beliardis uxor Raimundi Comitis, 544. a
Benedicti Papæ VII. privilegium, 299. m 306. a
Benedictus Cardinalis S. Stephani, 467. a
Benedictus Cardinalis, 569. a
Benedictus Epiſc. Berulenſis, 866. m
Benedictus Epiſcopus Britto, 361. a
Benedictus Epiſc. Pipernienſis, 467. a
Benedictus Epiſc. Salernitanus, 866. a
Benedictus Abbas, 543. a
Benedictus Abbas S. Andreæ, 167. a
Benedictus Abbas S. Baſoli, 543. a
Benedictus Abbas Carcaſſenſis, 543. a
Benedictus Abbas Cluſæ, 879. m
Benedictus Abbas Wiremuthenſis, 595. m
Benedictus Archidiaconus S. R. E. 467. a
Benedictus Presbyter S. Adalberti comes, 837. m
Benedictus monachus Magiſter, 423. a n
Benedictus & Celſus ſancti, diſcipuli S. Hilarii Carcaſſonenſis, 543. m
Bennavv mons in Helvetia, 121. a
Benno Epiſcopus Mettenſis, 378. m n
Bennonis Epiſcopi Mettenſis elogium, 120. & *ſeqq.* 377. m n
Benno Canonicus Argentinenſis, 241. a
Beorredus Rex, 503. m
Beraldus Abbas, 316. a
Berhardus Abbas Mettenſis, 365. m
Berchem ſeu Boemia provincia, 845. m
Berchteldus filius Herimanni Ducis, 820. m
Berchtolfus miles, 437. a
Berengarius Rex Italiæ, 474.
Berengarius & Adalbertus Reges Longobardiæ, 422. a n
Berengarius Comes Barcinonenſis, 811. a
Berengarius Comes Mamucenſis, 253. a
Berga S. Winoci, 210 m n
Beringerus Abbas Petershauſenſis S. Gregorii, 841. m
Berinhardus Abbas S. Galli, 15. m
Berlandus Abbas S. Vincentii Laudunenſis, 359. m
Berlio Pater Sobonis Archiep. Viennenſis, 315. m
Bermundus Comes, 318. a
Bernacer Clericus tum diaconus, doctus ſcriptor, 373. a 376. a 377. a m 380. m 389. m
Bernadius Archidiaconus Brugenſis, 211. m
Bernardus Epiſcopus Convennenſis, 850. m
Bernardus Epiſc. Halberſtadenſis, 520. m 628. m
Bernardus Epiſc. Patavienſis, 866. m
Bernardus Abbas Claræ vallis, 232. a
Bernardus Abbas S. Walarici, 546. m
Bernardus monachus Centulenſis, Cuſtos Civinocurtis, 560. m
Bernardus Comes, 147. a
Bernardus Comes Arvernenſis, 77. a
Bernardus Petrocorienſis Comes, 131. a
Bernardus Comes Pictavienſis, 77. a
Bernardus filius Raimundi Comitis Toloſæ, 11. m
Bernardus vir nobilis, 759. m
Bernardus Ermengardis Reginæ vaſſallus, 70. m
Bernegus Epiſcopus Auſtralium Saxonum, 39. m
Bernerius Abbas Majoris-monaſterii, 755. m
Bernerius egregius monachus & Decanus Mitiacenſis, 361. a 362. a
Bernerus Abbas Humolarienſis, monaſterii apud Veromanduos, 214. & *ſeqq.* 343. m
Bernerus Abbas Moſomenſis, 360. a
Bernerus magiſter, Diaconus Tullenſis, 369. a 370. a 371. a
Bernerus filius Eilberti Comitis, 590. a
Bernetus Epiſcopus Saxonum Auſtralium, 501. a
Bernhardus Epiſcopus Halberſtadenſis, 563. m
Bernhardus filius Herimanni Ducis Saxoniæ, 495. a
Berno Epiſcopus, 72. a
Berno Epiſcopus Matiſcenſis, 104. m 136. m 146. m 743. m
Berno Abbas Augienſis, 413. m 414. 468. a
Bernonis Abbatis elogium hiſtoricum, 66. & *ſeqq.* 95. m n 156. a 158. a m 160. n 162. 190 & *ſeqq.*
Berno Comes Palatinus, 369. m
Bernuinus Epiſcopus Virdunenſis, 377. m
Bernvvardus Epiſcopus Hildeneſheimenſis, 337. a

Bero

Bero Epiſcopus, 316. m
Berricus optimas, 732. a
Berta Regina, 861. a m
Berta Abbatiſſa Alesleuenſis, 571. a
Berta Humolarienſis Abbatiſſa, 214. m 216. *& ſeqq.*
Berta mater Adelelmi militis, 246. m
Berta uxor Bernardi Comitis, 147. a
Berta uxor Odonis Comitis, 284. a
Berta Comitiſſa Trecenſis, 231. a
Berta Comitiſſa, 317. m
Bertaldus Epiſcopus Tullenſis, 862. m
Bertyza Comitiſſa Toloſæ, 11. m
Berthelinus Dorſacenſium Epiſcopus, 662. m 685. m
Berthredus Abbas Glaſtonienſis, 694. m
Bertingarius præpoſitus S. Remigii, 342. m
Bertoldus Comes, 570. m
Bertrandus Aquitaniæ Conſul, 812. a 813. a
Bertrandus Senior an Comes Arverniæ, 746. m
Bertſendis inclita filia Alſindis, 537. a
Bertulfus Confeſſor, 214. a n
Bingulf vicedominus, 500. a
Birſerth Præpoſitus Abandoniæ, 622. a
Birinus Epiſcopus, 619. m
Birnſtanus Epiſcopus Wintonienſis, 233. m
Birretum caſtrum in Hiſpania, 527. a 528. a
Birthelmus ex Dorſetenſi Epiſcopo Cantuarienſis, 294. m
Bituric. Epiſc. Madalbertus, 79. a Gerontius, & Launus, 82. m
Bladaldus vicarius poteſtatis, 319. a
Blanchia uxor Ludovici Regis filii Lotharii, 750. a
Blidulfus Archidiaconus Mettenſis, tum Monachus Gorzienſis, 387. m Ejus elog. 410. *& ſeqq.*
Blidulfus Archidiaconus Tullenſis, 324. a
Bleviligatus Epiſc. Venettenſis, 131. m
Blinlivetus *V.* Bleviligatus,
Boda fluvius Germaniæ, 520. m
Boemia dicta *Slavonia*, 846.
Boemiæ creatus Epiſcopatus, 802. m
Boleslaus Polonorum Dux, 824. a 827. a 836. m n 842. m 843. a 844. m 845. a 845. m 846. a
Boleslaus pius Boemorum Dux, 809. m 810. m
Boleslaus Sævus Boemorum Dux, 819. m
Boleslaus Dux Boemorum, 842. m 843. m 844. a
Boleslaus *V.* Wolezlavus,
Bonactus Abbas S. Joannis, 866. m
Bonactus Abbas S. Salvatoris, 866. m
Bonifacius Walerannus Abbas de Monte S. Quintini, 224. a
Bonifacius Scriniarius S. R. E. 299. m 306. a
Bonzio Cardinalis S. Luciæ, 467. a
Bonizo Abbas S. Mariæ in Palatiolo, 873. m
Bonizo Abbas S. Petri, 866. m
Bonizotus Epiſc. Cariellenſis, 866. a
Bonolium villa Resbacenſis, 228. a
Bonus Epiſc. Petroraus an Petræus, 866. m
Borellus Epiſcopus Rotenſis, 543. m 830. m
Bornom fluviolus pagi Lomacenſis, 251. a
Boſo Mersburgenſis Epiſcopus, 110. a m 580. a
Boſo Abbas Moſomenſis, 360. a
Boſo Princeps ſive Rex, 133. a 134. m
Boſo filius Richardi Burgundionum Princeps, 399. m 401. a
Boſo filius Willelmi Pii Ducis, 77. a
Boſo frater Manaſſæ Archiepiſcopi Arelatenſis, 317. m
Boſo frater Eilberti Comitis, 590.
Boſo optimas, 278. a
Botwinus Abbas Ripenſis, 712. m
Bovinienſe oppidum, 581. m
Bovo Epiſcopus, 706. a
Bovo Abbas Corbejæ novæ, 706. a
Bovo II. Abbas Corbejæ novæ, 706. a
Bovo III. Abbas Corbejæ novæ, 706. m
Bovo Græcis litteris doctus, 706. m
Braca villa diœceſis Remenſis, 355. m
Brancudunum caſtrum pagi Cabilonenſis, 322. a
Bratuſpantium corrupte pro Bracbanto, 306. m n
Brecislaus Dux Boemorum, 848. m
Breibant Comitatus, 298. m
Brieum caſtrum Belgii, 490. m
Brigida Abbatiſſa filia Ducis Henrici, 803. n
Brigida ſoror Henrici Imperatoris Sanctimonialis Ratisbonæ, 898. a an Abbatiſſa, 803.
Britgina Abbatiſſa Wiltonienſis, 625. a n
Brithodus Abbas Elienſis, 603. m 711. a 777. m 730. m 735. m
Brithnodus Dux, 500. m 506. a 507. m
Brivatenſe ſuburbium territorium, 746. m
Brivenſis vicaria territorii Biturici, 83. a
Brixilum caſtrum ad Padum, 701. n
Bronium ſeu Monaſterium S. Gerardi, 247. *& ſeqq.*
Brunichildis Reginæ pietas, 92. m 93. a
Bruno creatus Romanus Pontifex Gregorius, 835. a
Brun ſeu Bruno Epiſcopus, 706. a 707. a
Bruno Archiepiſcopus Colonienſis, 265. a n Ejus elogium, 331. *& ſeqq.* 403. a n 476. m 486. a 792. m 864. a
Bruno Epiſcopus Auguſtanus, 416. m 803. m n
Bruno Epiſcopus Poloniæ Apoſtolus & Martyr, 845. m n 845. m 846. a
Bruno Epiſc. Tullenſis, Leo IX. Papa, 862. ejus Diploma, 865. *& ſeqq.*
Brunonis Epiſcopi Verdenſis elog. 495. *& ſeqq.*
Bruomada villa, 593. m
Bruzziæ, num Brugæ *Bruges*, 211. a 212. a
Burchardus Archiepiſc. Lugdunenſis, 747. a 758. m
Burchardus Epiſcopus Carnotenſis, 279. a
Burchardus Epiſcopus Lauſanenſis, tum Archiep. Lugdunenſis, 861. a
Burchardus Meldenſis Epiſcopus, 230. a
Burchardus Epiſcopus Miſnenſis, 569. a
Burchardus Ingenitus Abbas S. Galli, 44. a
Burchardus Abbas S. Galli, 21. a 22. a
Burchardus Alamanniæ Dux, 419. n 420. m
Burchardus Alemanniæ Dux, 817. n 818. m 819. a
Burchardus Dux Suevorum 52. m n 53. a n 65. m
Burchardus Comes Corbolienſis, 763. m
Burchardus Comes, 754. a m
Burchardus Comes, 758. m
Bureardus Miles filius Alberici Ducis, 245. a 246. m
Burdonum Alpes, 171. a
Burgardus Comes Pariſienſis, 549. m
Buſo Epiſc. Conſtantienſis, 815. m
Buxutum vicus S. Gisleni cellæ proximus, 268. m
Birnſtanus Epiſcopus, 619. m

C

CAbillonens. Epiſc. Ardradus, 70. m
Cadroe Abbas Walciodorenſis, tum Mettenſis, 365. m Vita ejus, 482. *& ſeqq.* 533. a
Celeſtinus Abbas Blandinienſis, 204. a
Cæſarius Presbyter, 179. a
Calixtus Papa Moſomi, 360. m
Calmontenſis Comitatus, 75. m
Calvus-mons in pago Lomacenſi, 580. a n
Campi in Hiſpania, 522. m n 525. m
Canegon mons in Ruſcinone, 853. m
Canotus filius Regis Danorum, 678. n
Cantarena caſtellum, 356. a
Cantuar. Archiepiſc. Plegmundus, 37. *& ſeqq.* Athelmus, Wlfelmus, Odo, 40. m 41. a Robertus, 6. a 111. m
Cantuarienſis Archiepiſc. Apoſtolicæ ſedis in Anglia vicarius, 643. m
Capella Regis, 840. a
Capitales, primarii, 587. a
Carbonaria ſilva, 307. m n
Carcaſſenſis pagus, 543. m
Caroli M. corpus humo levatum, 876. m lancea, 502. m
Caroli Calvi aula viris doctis referta, 324. 325.
Carolus Craſſus dictus Magn. in diplomatibus eo viven-

Digitized by Google

vivente datis, 3. m. dictus item Rex Suavorum, *ibid.*
Caroli Simplicis anni regni qui computati apud Transligeritanos, 75. a 80. m diploma pro Aureliacenſi cœnobio, 9.
Carolinorum Regum poſtremorum brevia chronica, 750. a
Carolus Conſtantinus Ludovici Orbi Regis, filius, 316. m
Caſpar Abbas Tegernſenſis, 592. a
Caſtellanus Abbas S. Hilarii, 541. a
Caſtrum Radulfi in Bituricibus, 82. m
Catalaun. Epiſc. Mancio, 26. m 28. a
Cavillonenſis Comitatus, 320. m
Caviniæ Obedientia Cluniacenſis prope Matiſconem, 316. a 318. a
Caxionenſis vicaria Comitatus Uzetici, 104. m 320. a
Cedwlfus ſeu Ceolwlfus Epiſcopus Dorcaciſtrenſis, 498. m 500. a 501. a
Centuriatores exploſi, 119. a
Cenulfus Epiſcopus Dorceſtrenſis, 39. m
Ceowlfus Folcanenſium Præpoſitus, 673. m
Cerebrunus Archiep. Toletanus, 535. m
Cerno fluvius, 75. m
Cervina corrigia, teſſera initæ a nobili ſervitutis voluntariæ, 226. a
Cilia Recluſa, 63. a m 64. a
Cilwardus patruus Regis Anglorum, 496. m
Cinglenſis cella Caſinenſis, 632. m
Cirinus Epiſcopus Friſingenſis, 106. m
Civinocurtis in epiſcopatu Belvacenſi non longe a Compendio, 559. m
Childeboldus Epiſcopus monachus, 321. m
Chriſtianus Epiſcopus Autiſſidorenſis, 324. m
Chriſtianus Abbas S. Pantaleonis, 331. m 645. a
Chriſtianus Abbas S. Theoderici, 514. m
Chriſtophorus ſcriptor monachus, 700. a 702. a
Chrodegandus Mettenſis Epiſcopus, 303. a
Chrodegangus Epiſcopus Mettenſis Gorziæ ſepultus, 385. a n
Clarembaldus monachus annorum 168., 510. a
Claromont. Epiſc Amblardus ſive Adelhardus, 10. m Arnoldus, *ibid.*
Claromontenſis pagus, 745. m
Claudius vel *Claudium* civitas Angliæ, vulgo *Glocester*, 613. a
Claudius Tenorius Abbas Cellæ novæ, 516. m 535. m
Clavi Domini dati pro reliquiis, 502. m
Cnuto Rex, 622. m 626. a
Colonia Agrippina, altera Roma, 334. a
Colonia ſeu Colongiæ villa pagi Auguſtodunenſis, 317. m
Columbano ſacrum oratorium Parmæ, 721. a n
Columers caſtrum Brigiæ, 232. m
Comites, dicti toparchæ illuſtres, 6. m
CONCILIA Æduenſe 90. a Anſanenſe, 102. m Gratelejenſe, 46. m Ingelheimenſe, 445. *& ſeqq.* Ravennenſe, 698. a 700. a Lemovicenſe, 880. m ad Montem S. Mariæ, 357. m 358. m 359. m Marzalienſe, 17. a Moſomenſe, 869. m 875. m Remenſe, 869. m 875. m Romana, 832. m n 835. a n 865. ad S. Theodericum, 513. a Wintonienſe, 675. a
Cono Comes, 352. m
Conradus Pacificus Burgundiæ Rex, 861. a n
Conradus Burgundiæ Rex, 315. m 316. m
Conradus Rex Jurenſis, 317. m
Conradus ſeu Chuonradus Rex Provinciæ, 757. m 563. a
Conradus Dux, 307. m 364. a 437. n
Conradus Alamannorum Dux, 819. a n
Conradus ſeu Chunradus Epiſcopus Conſtantienſis, 424. n 447. a 448. m 815. m
Conradus de Fabaria monachus S. Galli ſcriptor, 43. m
Conradus Abbas Petershauſenſis, 816. m
Conradus ſeu Cuonradus gener Ottonis M. 387. a 410. a n
Conſtantienſis Epiſc. Hugo, 20. m 44. a Salomon, 13. & 118. 49. 50. 15. a alii ex Ord. S. Benedicti, 815.
Conſtantini Magni enſis, 502. m
Conſtantini lancea, 265. a
Conſtantinus Rex Scottorum, 487. a 501. m 502. m
Conſtantinus Epiſcopus Ratiſponenſis, 105. m
Conſtantius Epiſcopus Pariſienſis, 282. a
Conſtantius Epiſcopus Silvanectenſis, 359. a
Conſul Palatinus, 76. m Palatius 81. m
Cordunum civitas, 353. a
Corfinium civitas, 353. m
Cornubienſis Epiſc. Adelſtanus, 39. a n
Corruptula locus prope Mettas, 493. a
Coſmas Materienſis ſæculi 10. poeta, 111. a m
Coſmas Pragenſis Decanus, 821. m
Cralo ſeu Gralo Abbas S. Galli, 59. a n 61. m 66. a 247. m 815. m
Creſcentius Cardinalis S. Calixti, 467. a
Creſcentius Epiſc. Cerenſis ſeu Ceretanus, 865. a
Creſcentius Epiſc. Silvæ-candidæ, 467 a 866. a
Creſcentius civis Romanus in extremis monachus, 823. a
Cridienſis Epiſcopus Aidulfus, 39. m
Criſpini & Criſpiniani martyrum reliquiæ in Corbeja nova, 707. a
Culmiciacum prope Remos, 326. a
Cunigundis uxor Sigifridi Comitis de Waldebike, 564. a
Cunliacenſis Vicaria, 421. a
Curienſis vicaria in pago Rutenico, 11. m
Cuvinium villa pagi Lomacenſis, 249. m 259. m
Cynewaldus Epiſcopus Wigornienſis, 660. n
Cynewius Epiſcopus, 642. m 659. n
Cyricus frater S. Mayoli, 764. a m

D

DAcbertus Abbas Dolenſis, 83. m
Dacbertus frater Aimonis Burbonenſis, 84. m
Dancius Abbas Reuviſienſis, 82. a
Dado Epiſcopus Virdunenſis, 369. a 373. a
Dalmacius Vicecomes, 319. a
Damaſia Vindeliciæ tractus, 236. a
Daventria, 20. a n
Daventria Trajecti altera ſedes, 380. m n
David Abbas S. Martini Æduenſis, 90. m
Darnuenſis pagus, 298. a m
Dediniacus villa ad *Sambram*, 219. m
Dego Abbas S. Udalrici, 416. m
Demot Abbatiſſa Winethucenſis, tum Quindelingeburgenſis, 347. m
Denulfus Epiſcopus Wintonienſis, 133. m
Deodericus ſeu Theodericus Epiſcopus Mettenſis, 352. m 363. m *& ſeqq. V.* Diedericus & Dietricus.
Deodericus *V.* Theodericus.
Didacus Epiſcopus, 37. a
Didacus Abbas Silienſis, 296. m
Diedericus Epiſc. Mettenſis, 286. a
Dietmarus ſeu Tietmarus Epiſcopus Pragenſis, 809. m 810. a m 811. a
Dietmari Comitiva, 350. m
Dietricus Epiſcopus Mettenſis, 21. m
Dilinga Caſtellum, 446. a
Dinewlfus Epiſcopus Wintonienſis, 501. a
Dionyſii Pariſiorum Epiſcopi corpus Ratiſponenſes falſo ſibi vindicant, 107. m *& ſeqq.* 110. *& ſeqq.*
Divionenſe Palatium, 747. a
Dodo Abbas S. Manſueti, 866. m
Dodo ſoror Guiberti Gemblacenſis, 300. a
Dodo Capellanus Ottonis I. 570. a
Dodo uxor Aquini viri nobilis, 320. m
Dolenſe caſtrum, 82. m
Dominicus Epiſcopus Ferentinus, 467. a
Dominicus Patriarcha Gradenſis, 866. a
Domnachmor an civitas Hiberniæ, 577. a n

Dom-

Domnio ſalute Abbas S. Prudentii, 296. m
Dombrenſis Vicaria, 319. m
Donobrinſis pagus in ducatu Arvernico, 74. a
Doratenſis vicaria pagi Arvernici, 748. a
Devenuldus Rex Cumbrorum. 487 m, n
Dragiacum villa pagi Sueſſionici, 228. a
Drancus vel *Dranſa* fluvius, 777. m
Driulid Latine Trinum fluentium, alveus in Flandria, 210. m
Drothtricus Dux, 536. m
Drogo filius Fulconis Ducis Andegavorum, 811. m
Drogo Floriacenſis Monachus, 126. m
Drutmarus Abbas Corbejæ novæ, 707. m
Dudellinus Epiſcopus Brandenburgenſis, 570. a
Dudo Epiſcopus Havelbergenſis, 570. a
Dudo Abbas S. Mariæ, 866. m
Dudo Virdunenſis miſſus Ottonis M. 408. m
Dulcidius Salamanticenſis Epiſcopus, 34. m
Dulquitus Abbas Alveidenſis, 295. *& ſeqq.*
Dumienſis Epiſcopus Sabarius, 34. m
Dunſtanus Archiep. Cantuarienſis, 291. m 292. m 293. a 295. a 502. m 504. a 505. m 506. 599. m 601. 607. a 624. m Vita ejus 639. *& ſeqq.* Epiſtola ad Wlſſinum 239.
Durans monachus ſolitariis præpoſ. 869. m 870. a

E

EAdburgæ Vvintonienſis ſanctimonialis elogium 626. *& ſeqq.*
Eadgarus Rex Anglorum, 292. m 631. *& ſeqq.*
Eadgarus Rex Anglorum *V.* Edgarus,
Eadgarus Rex Claſtoniæ ſepultus, 729. a
Eadgithæ ſeu Edithæ Eadgari Anglorum Regis filiæ & ſanctimonialis Wiltonienſis vita, 622. *& ſeqq.*
Eadgiva Regina Anglorum, 600. a
Eadiva Regina Angliæ, 656. m
Eadredus Rex Anglorum, 600. m
Eadulfus Abbas Burshenſis, dein Archiep. Eboracenſis, 603. m
Eadvvius Rex Anglorum, 292. m 293.
Eadvvinus nobilis Anglus, 723. m
Ealfirenna Comitis Ailvvini mater, 724. m
Eadnothus ſenior monachus Wigorniæ tum Weſtbiri præpoſitus, 717. *& ſeqq.* prior Rameſiæ, 720. *& ſeqq.*
Earuketelus optimas cum uxore ſua Wlfroun, 727.
Eathelgina nobilis matrona,
Eatelfleda uxor Ailvvini Ducis, 724. a
Eathelredus & Eathelbrictus martyres Angli, 725. a, n
Eathelſius Aldermannus, 726. m 730 a
Eathelſtanus Epiſcopus, 725. m
Eathelſtanus Abbas Rameſienſis, 728. a
Eathelſtanus Presbyter frater Odonis Archiepiſcopi, 723. m
Eathelſtanus Aldermannus, 724. a 725. m
Eathelwinus Advocatus Rameſienſis, 717. a
Eathelwoldus Aldermannus, 726. m
Ebalus Archiepiſcopus Remenſis, 359. m
Ebalus Comes Pictavenſis, 131. a
Ebbo Princeps Bituricenſis, 82. a, m
Ebergerus Archiepiſcopus Colonienſis, 331. a
Eberhardi Abbatis Einſidlenſis elogium, 241. *& ſeqq.* 439. a, m
Eberhardus. *V.* Everhardus.
Ebo Epiſcopus Gratianopolitanus, 342. m
Ebroinus Comes, 585. m
Ebrulfi Abbatis Uticenſis & Ansberti monachi Translatio, 227. *& ſeqq.*
Eccemagnus ſeu Ezzemmannus Abbas Salhenſis 869. m
Ecbertus Archiep Trevirenſis, 876. m
Edalgarus Abbas monaſterii Novi Winton., 603. a
Edburga ſanctimonialis filia Eduardi Regis Anglorum, 627. a
Edeldrida virgo regia, 610. a Abbatiſſa monaſterii Wintonienſis ad S. Mariam in Anglia, 626. m
Edelredus Rex Anglorum, 608. m 876. m
Edelſinus Epiſcopus, 609. m
Edelſtanus Rex Anglorum, 611. *& ſeqq.*
Edelſtanus Apoſtata, 599. a 608. m
Edgarus Rex Angliæ, 504. m, Diploma ejus, 505. 655. m. Ejus pœnitentia, 688. m, n, 689. a
Edera fluvius pagi Carnotenſis, 879. m
Edita *V.* Eadgitha.
Editha uxor Ottonis M. 346. m 573. m, *& ſeqq.*
Edithæ tres virgines regiæ in Anglia 622. m
Edmundus Rex Anglorum, 498. m. 501. m
Edmundus Iſroſcis Rex Angliæ, 695. m
Ednotus Archiepiſcopus, 626. a
Edredus Rex Anglorum, 496. m 499. m 503 m 505. a 676. m 678. a, n.
Edulfus monachus Glaſconiæ, 625. m.
Edwarddus Rex martyr, 730. m
Edwardus Rex Anglorum, 500. m 624. a 665. m
Edwardus ex Archidiacono Lundonienſi Cantuariæ monachus, 681. m 689. m 693. 694.
Edwi Rex Anglorum, 678. m 660 a 661. a, n
Egbertus Archiep. Trevirenſis, 341. m
Egbertus ſive Ebrardus an Evrardus Abbas S. Juliani Turonenſis, 755. a, m
Egelredus Rex Angliæ, 695. m
Egelrici duo Abbates Croylandiæ, 504. m 510. m 511. m 512. a
Egelricus Clericus Regis, 499. a
Egelwardus Dux, 627. m
Eggehardus ſeu Ekkehardus monachus S. Galli, 59. m, n 61. m
Eggilbertus Presbyter monachus S. Galli, 58. m
Egilbertus ſeu Egilboldus Epiſcopus Trajectenſis, 28. m 29. n
Egilolfus miles, 435. a
Egino Epiſc. Conſtantienſis, 815.
Egino Abbas S. Uldarici, 413. m
Ego Comes, 83. m
Eidulfus Cridienſis Epiſcopus, 39. m
Eidus Epiſcopus Miſnenſis, 875. a
Eilbaldus Epiſcopus & monachus, 320. m 321. m
Eilbertus Comes, 539. a 578. a, n. *& ſeqq.* 585. *& ſeqq.* 980. a
Einoldus ſeu Eginoldus, Agenaldus & Agenoldus Abbas Gorzienſis, 135. m 284. m 363. m. 374. a, n, *& ſeqq.* 412. a, *V.* Agenoldus.
Einricus filius Ludovici an Orbi, 317. a
Einricus nobilis, 134. a
Ekkehardi quinque monachi S. Galli, 12. *& ſeqq.*
Ekkeharcus Abbas Augienſis, 248. m
Ekkihardus magiſter Scholæ & cuſtos Eccleſiæ S. Mauricii Magdburgi, 564. a
Ekkihardus Marchio, 811. a
Elbungus Parmenſis Epiſcopus, 112. m
Eleuſinia Abbatiſſa S. Stephani Auguſtæ, 443. n
Elfæda virgo Rumeſiæ, 627. m
Eldegardis uxor Rotberti Vicecomitis. 320. a
Elfegus Arch. Cantuar. 233. m 672. a 690. 695. m
Elfegi Epiſcopi Wintonienſis Elogium, 233. *& ſeqq.* 595. a 599. a 609. m 611. m 614. 618. m 619. m 625. a 650 a 667. a
Elfegus Dux, 506. m 507. m
Elfewinus monachus Cantuarienſis, 692. a
Elfhelmus vir ſtrenuus, 610. m 920. a.
Elfius monachus Glaſtonienſis, 678. n
Elfleda Regina, 688. m
Elfreda regina ſanctimonialis, 627. m
Elfricus ſeu Alfricus Archiep. Cantuar. 639. m 640. a 711. a, n
Elfricus cognomento Bata Anglus, 676. a
Elſſinus Epiſcopus Vvintonienſis, 662. m 740. a
Elſſtanus alter Epiſcopus 609. a 618. m
Elſſtanus monachus Floriacenſis, tum Abbas ac poſtmodum Epiſcopus Vvultunienſis, 601. a

Digitized by Google

Elgifu regiæ ſtirpis, 652. a n
Elfugiva Regina, 527 a., 533. a
Elſſinus Lippe Vventanus Epiſcopus, 293.
Elias Epiſcopus Carnotenſis, 278. & ſeq.
Elinardus Abbas, 759. m
Elizabeth Aabbatiſſa Balmenſis, 68 a.
Eliziardus ex Comite monachus, 147. a, 180 a, 199. m
Eliziardus Comes, 131. a
Ellingerus Abbas Tegernſenſis, 592. a
Eloquii confeſſoris reliquiæ Vvalciodori, 578. m n
Elphegus Cantuarienſis Epiſcopus, 233. m
Elſtrudis filia Regis Anglorum, 205. m
Elvvinus Princeps, 502. m
Emani Martyris paſſio, 283. m, 284. m
Embricus Epiſcopus Ratiſponenſis, 105. m
Emetorius ſanctus, 208. m
Emma Regina Anglorum, 730. m
Emma Comitiſſa Pictaviæ, 284. a
Emmerammus martyr, 106.
Emoza ſanctimonialis, 443. a
Engelbertus Abbas S. Martini Treviris, 341. m
Engilbertus Abbas S. Galli, 54. a, 57. m
Enziacus curtis in Burgundia, 319 a
Erucus Epiſcopus Auſonenſis, 850. m
Epiſcoporum conventus ad reformandam pacem 102. a, m, n
Epo monachus Decanus Magdeburgenſis, 572. m
Epocha regni Ludovici Tranſmarini, 317. m
Eraclius Epiſc. Leodicenſis, 876. m
Erbaldus Abbas Augienſis, 241. a
Ercamboldus Abbas Floriacenſis, 343. a
Ercanfridus Epiſcopus Ratiſponenſis, 105. m
Erchembaldus Abbas Floriacenſis, 540 a
Erenfridus Epiſc. Conſtantienſis, 815. a
Erichius Rex Northumbrorum, 487. m, n
Ericus nobilis Saxo, 520 m
Eriveus ſeu Eirveus Abbas S. Caroni, 284. a
Erkambaldus Epiſcopus, 820. m
Erkambaldus Abbas Floriacenſis, 489. a, n
Erluinus Abbas Gemblacenſis, 479. m
Erluinus alter Gemblacenſis Abbas, 300. a
Erkembertus Abbas Vvicemburgenſis, 567. a
Erkemboldus Abbas S. Apri, 339. m
Erkemboldus Abbas Tullenſis, 383. n
Erkemboldus Cancellarius Epiſcopi Noviomenſis, 215. a
Erkengerus Comes, 208. a
Erkenraus Præpoſitus S. Remigii, 342. m
Erlafridus Comes, 41. m
Erluinus Abbas Gemblacenſis, 298. m, 399. m 302. m 304. m 307. a n 384. a
Ermarus monachus S. Germani, 259. m
Ermeneredus Epiſcopus, 758. m
Ermenfredus Epiſcopus, 747. m
Ermenfredus Comes, 81. m
Ermengardis Reginæ notitia pro Gigniaco, 70
Ermengarda Comitiſſa, 318. a
Ermengardis Comitiſſa Matiſconenſis, 136. m
Ermengardis Comitiſſa, 752. m
Ermengardis Comitiſſa Valentinenſis, 749. m
Ermengardis mater Sobbonis Archiepiſcopi Viennenſis, 315. m
Ermengardis uxor Aimardi militis, 84. m
Ermengardis uxor Beroardi Comitis Arvernenſis, 77. a
Ermengardis uxor Stephani Prænobilis, 318. a
Ermengerus Abbas Bergenſis, 557. n
Ermenhardus miſſus Ottonis M. 403. m
Ermenthæus Epiſcopus Aurelianenſis, 361. a 362 a,
Ermentrudis Comitiſſa Cabillonenſis, 750. m
Ermentrudis Comitiſſa Matiſconenſis, 748. a
Ermeſinda ſoror S. Rudeſindi, 515. a
Ermigius Epiſcopus, 37. a
Erp. Epiſcopus Verdenſis, 496. a
Erpertus Abbas, 759. m
Erpho Vvormatienſis Epiſcopus, 21. a
Eſvvuic Epiſcopus, 609. a
Ernulfus miniſter, 506. a
Ethelbardus Rex Merciorum, 499. m 505. a
Etheldrita Abbatiſſa Wintoniæ, 603. m
Eelgaru s Abbas monaſterii novi Vvintoniæ, 506. m 507. m 664. n
Ethelgiva Ailwini Ducis uxor, 725. m n
Ethelmund miniſter, 507. a
Ethelredus Rex Angliæ, 876. n.
Etheredus Dux Merciorum, 40. a, 624. a 666.
Ethelſtanus Rex Anglorum, 496. m & ſeqq.
Ethelſtanus ſemirex, tum Glaſtoniæ monachus,
Ethelwardus frater Edvardi Anglorum Regis, 500. m 708. m
Etheſtanus Princeps, 502. m
Ethelwoldi Epiſcopi Wintonienſis vita, 594. & ſeqq. 623. 666. a 688. m 689. 690. *V.* Adewoldus.
Etich. Epiſc. Conſtantienſis, 820. m
Eticho miles, 455. a
Etolana mater Leotaldi Comitis Matiſconenſis, 319. m
Eva Comitiſſa mater Odolrici Arch. Remenſis, 863. m
Eva Comitiſſa, 398. m, n.
Evagrius Triectenſis Epiſcopus, 215. a
Everardus Franconiæ Dux, 399. m, n
Evergerus Archiep. Colonienſis, 620. m
Everhardus Dux, 118. a
Eugenius Toletanus Martyr, 254. a 255. a 258.
Eugenigus Rex Cumbrorum, 501. m
Euracrus ſeu Evacrus Epiſcopus Leodicenſis, 478. a, m 440. m
Evrardus monachus Enziacenſis piiſſimus, 101. a
Evrardus miles, 215. a
Euticius idem cum Benedicto Anianenſi, 69. 156. a, n 190. a
Ewrardus *V.* Egbertus.
Exſuperius martyr, 302. a

F

Faleſtrudis Comitiſſa Valentinenſis, 747. a
Faleſtrudis uxor Lamberti Comitis, 316. m.
Famenenſis pagus, 579. m, n
Farabertus Epiſc. Leodicenſis, 273. m, n 341. m 867. a 868. m
Faroaldus Dux Spoletinus, 353. a
Felicia uxor Petri Urſeoli Ducis Venetiarum, 849. m 852. n
Felix Mettenſis Epiſcopus, 492. n
Felix Abbas S. Andreæ, 866. m
Felix Manilius, 896. a
Fernandus Rex Legionis, 536. m, n. 534. a n.
Fernandus Abbas Cellæ novæ, 533. a
Fernandus Roderici de Caſtro, 534. a
Ferrecus Abbas Blandinienſis, 204. a
Ficanus Abbas, 527. a
Fideboldus Abbas S. Udalrici, 416. m
Fingenius Abbas Mettis, 353. m
Firmitas ad S. Vvalaricum, 550. a
Firmus frater Abbatis Balduini, 167. a
Flodinus ſeu Elodinus decanus Bronienſis, 263. a
Florbertus Abbas Blandinienſis, 204. a n
Flerus vicus Belgii, 590. m, n
Flumetica tractus Caſino vicinus, 537. a
Fochertach optimas pater S. Cadroæ, 484. m
Folcmarus Archiepiſcopus Colonienſ. 332. a 334. m
Folcmarus Abbas Corbejæ novæ, 495. a 706. a
Folcratus Dux Arelatenſium an idem cum Fulcherio Avo S. Majoli, 743. a
Folcuinus Abbas Laubienſis, 475. & ſeq. 865. a
Folcuinus Monachus Mettenſis, 865. a
Foldbrithus Abbas Derſonenſis, 245. m
Fontlain flubius in Comitatu Loſenſi, 298. a
Forannani Epiſcopi & Abbatis Vvalciodorenſis vita 482. m 575. & ſeqq.

Forenſis

Digitized by Google

Forenſis pagus, 744. m
Formoſi Papæ bulla pro Gigniaco, 711
Fortis Epiſcopus Aſturienſis, 37. a
Fortunatus Epiſcopus Auguſtenſis, 421. a, n 422. a
Franbertus Abbas Dolenſis. 83. m
Franciſcus Epiſcopus Carcaſſenſis. 850. m
Franciſcus Camps 847. m 852. n
Franco Epiſcopus Carcaſſenſis, 542. a
Franco Epiſc. Leodicenſis, 867. a
Franco Maringus nobilis Romanus, 855. m
Francoveus ſanctus, 208. m
Franquilanus Abbas Cellæ-novæ. 515. & *ſeqq.*
Fratres conſcripti, 50. a
Fraxinetum ad Alpes Cottias, 743. m
Fredeburgis mater Humberti Epiſcopi Gratianopolitani, 719. m
Fredelo frater Raimundi Comitis Toloſæ, 11. m
Fredericus Archiepiſc. Colonienſis, 310. a
Fredericus Dux Lotharingiæ, 398. n 491. a, n.
Freduidis Comitiſſa, 250. a 356. a 377. m
Frichgovve pagus apud Helvetios, 59. m
Frincianus Confeſſor, 207. m
Fridebaldus Abbas S. Udalrici, 414 a.
Frideboldus alumnus S. Afræ, 468. a
Fridegerius ſanctus, 208. m
Fridericus Epiſc. Mogunt. 118. a 563. m
Fridericus Archiep. Ravennenſis, 874. a
Fridericus Archiepiſcopus Saltzburgenſis, 451. m 195. m
Fridericus Epiſc. Genuenſis. 366. m
Fridericus Abbas Hirſaugenſis, 42. m
Fridericus Abbas S. Hucberti, 359. m 383. a, n 389. a 397. m
Fridericivia in Saxonia, 520. a
Fridestanus Epiſcopus Wintonienſis, 39. m 501. a
Frieſa in valle Druſiana. 526. a
Frigemons ſilva Porticenſis, 355. a
Frithegodus Anglus vir doctus, 715. m
Frithegiſtus *al.* Eriſtegiſtus miniſter, 507. m
Fritheſtanus Epiſcopus Vvintonienſis, 233. m
Frodoardi Presbiteri Remenſis elogium 323. & *ſeqq.*
Froila Dux, 515. a
Frotbaldus Epiſcopus Carnotenſis, 279. a
Frotharius Epiſc. Tullenſis, 863. a
Frotlandus Epiſcop. Silvanectenſis, 111. m
Fructuoſus Epiſcopus Bracarenſis, 33. m 35. m
Fruminius Epiſcopus Legionenſis, 34. m
Fudbertus Abbas Perſorenſis, 711. a
Fulbertus Canonicus, 231. a
Fulcardus Abbas Thornejenſis, 708. a
Fulcarius ſeu Fulcherius ex Decano S. Medardi Epiſcopus Noviomenſis, 327. a
Fulcherius Abbas S. Richarii, 554. n
Fulcherius avus S. Majoli, 772. a
Fulcherius pater S. Majoli, 751. a, m, & *ſeqq.*
Fulcherus miles, 355. a
Fulco Archiepiſcopus Remenſis Abbas Sithienſis, 4. a, 9. a 17. a 235. & *ſeqq.*
Fulco Abbas S. Remigii Chorepiſcopus Remenſis, 342. m, 343. a
Fulco Abbas Divenſis, 231. a
Fulco Bonus Comes Andegavenſis, 124. m, 125. m, 152. a, 155. m 189. a, 811. m
Fulcradus Abbas S. Vvalarici, 550. m
Fulcualdus pater Raimundi Comitis Toloſæ, 11. m
Fulcualdus filius Raimundi Comitis Toloſæ, 11. m
Fulradus Abbas Gladbacenſis, 628. m

G

Gallicana ſtudia, 557. a
Gallicani monachi in Angliam Litterarum cauſa acciti, 42, m 5. a
Galoniacenſis ager pagi Matiſconenſis, 75. a 79. m
Garamannus monachus Gorzienſis ſcriptor, 404. a 406. m
Garibaldus Epiſcop. Ratiſponenſis, 105. m
Gaudebertus inſignis monachus Miciacenſ., 361. m
Gaudentius Archiep. Gneſnenſis, 823. & *ſeqq.* 875. m
Gauderamnus Abbas S. Martini Æduenſis, 89. m
Gaudramnus Comes, 243. m
Gaufredus Comes Cabilonenſis, 749. m 749. a 750. m
Gaufredus Comes, 136. m
Gaufredus Comes, 76. m 81. m
Gaufridus Griſagonella Comes Andegavorum, 812. m
Gauzbertus frater Gaufredi Comitis, 137. m
Gauzfredus Vicecomes, 79. m
Gauslinus *V.* Gozelinus.
Gauzlinus Epiſcopus Tullenſis, 374. m 382. a
Gebehardus Epiſcopus Auguſtanus, 413. m 467. m 468. m
Gebehardi Epiſcopi Conſtantienſis ad Rhenum elogium, 815. & *ſeqq.* 831. m
Gebehardus Epiſc. Ratiſponenſis, 789. a
Gedeon Veſontionenſis Epiſcopus, 67. a
Geilo ſeu Gilo & Egilo Epiſcopus Lingonenſis, 23. m 23. m
Geilo Abbas Wicemburgenſis, 567. a
Geiſa monacha Mettenſis eximia, 370. m 376. a
Geiza Dux Hungarorum, 841. n. 843. m 846. a
Geltenſtein pagus Sueviæ, 459. a
Gemelaus regalis fiſcus, 305. m
Genardus ſanctus, 208. m
Gennadii Epiſcopi Aſtoricenſis elogium hiſtoricum, 33. & *ſeqq.*
Georgius Secundicerius ſanctæ Sedis Apoſtolicæ, 565. m
Geraldus Archiepiſcopus, 320. a
Geraldus Ambianenſis Epiſcopus, 215. a
Geraldus Epiſcopus Regienſis, 165. m
Gerardus Epiſcopus, 104. m
Geraldus Comes Auriliacenſis, 131. a elogium ejus, 6. & *ſeqq.*
Geraldus Comes pater Geraldi Comitis Auriliacenſis, 6. a
Gerardus filius Aimonis domini Burbonenſis, 84. m 319. a
Geranus ſanctus, 208. m
Gerardus ex Archiepiſc. monachus Cluniacenſis, 104. m
Gerar. Epiſc. Florentinus, 866. m
Gerardi Epiſcopi Matiſconenſis elogium; 106.
Gerardus Epiſc. Reatinenſis, 866. a
Gerardus Regienſis Epiſcopus, 139. m
Gerardus Epiſcopus Roſellanus, 866a
Gerardus Epiſcopus Tullenſis, 353 m, 728. a, m Ejus elogium, 862. & *ſeqq.*
Gerardus Abbas Bronienſis, 104. m, 206. & *ſeq.* Ejus vita, 246. & *ſeqq.* 356. a
Gerardus Abbas Inſulanus apud Auguſtam Veromanduorum, 215. m, 224. a, 225. m
Gerardus Abbas Lutrenſis, 278. m
Gerardus Presbyter auctor primæ vitæ S. Udalrici, 413.
Gerardus Præpoſitus S. Udalrici, 448. m, 449. m 455. m, n
Gerardus S. Udalrici capellanus ſeu Præpoſitus, 413. m
Gerardus Clericus S. Udalrici ejus vitæ ſcriptor, 445. m, n
Gerberga Regina, 215. a, 348. a, 349. a
Gerberga Abbatiſſa Gandersheimenſis, 563. m
Gerbertus ex monacho Auriliacenſi, 11. a, m, Remenſis Archiepiſc. 869. & *ſeqq.* 874. m
Gerbertus miles, 214. a
Gerfredus Epiſcopus Veſontionenſis, 744. m
Gerlannus Archiepiſc. Senonenſis, 879. a
Gerlannus Abbas, corrupte dictus Gorlantius, 88. a

Digitized by Google

Germani Autiſiodorenſis brachium Coxani, 850. a
Germanus Abbas Winchecumbæ, 727. m 729. m
Germanus Floriaci monachus inſignis poſtea Weſtbiri prior, 135. tum Abbas Winchecumbæ, 139. m, n 736.
Gero Archiepiſcopus Colonienſis, 333. m 335. m, n
Gerricus Abbas Wicemburgenſis, 567. a
Gero Comes de Alesleve, 570 a, m
Gero Comes, 706. m
Gero Marchio, 628. a
Geroaldus Abbas, 209. m
Geroldi Eremita, item Cunonis & Udalrici filiorum ejus monachorum Einſidlenſium elogium, 574. & ſeqq.
Gerontius Archiepiſcopus Bituricenſis 82. m 83. a
Gerſendis ſoror Theotelonis Archiepiſcopi Turonenſis, 131. m
Gerſentis Duciſſa Burgundiæ, 753. m
Gerſmus Abbas Corbejenſis, 706. m
Gervardus pater Alvei Abbatis, 283. m
Gervinus Abbas Centulenſis ſeu S. Richarii, 561. m, n 561. m 866. m
Geruncus Archiep. Bituricenſis, 879. a
Geſeiacum regalis ſedes, 284. a
Giboldus ſeu Oilbaldus Abbas Gorzienſis, 308. m n
Gibuinus Epiſcopus Catalaunenſis, 343. m
Gidanic ſen Gedanum Pruſſiæ emporium, 837. a n
Gigniacum villa Comitatus Talemdenſis, 320. a
Giſlebertus Abbas Majoris monaſterii, 753. a
Giſbertus Abbas S. Petri Carnotenſis, 284. a
Gildaſii ſeu Gildæ & aliorum reliquiæ in pagum Bituricenſem delatæ, 806. m
Gildeboldus Epiſcopus, 320. m
Gildricus Meldenſis Epiſcopus, 215. a
Gillulfus Abbas Herfeldenſis, 119. a
Giloyra Regina, 33. & ſeqq.
Gipuinus Epiſcopus Catalaunenſis, 359. m
Girardus Abbas Auriliacenſis, 10. m
Girbaldus Abbas, 137. a
Girerus ex optimate monachus, 489. a
Giſela Regina Hungariæ, 803. n
Giſelbertus Abbas S. Blaſii, 314. a, n
Giſelbertus Dux Lotharienſis *V.* Giſlebertus.
Giſila uxor Conradi II, 353. m
Giſilerus Epiſcopus Merſeburgenſis 112. m 841. a 570. a 571. a, m, n 572. a
Giſla avia S. Guiberti Gemblacenſis 298. m 306. a 302. a
Giſlebertus Epiſcopus Carnotenſis, 279. a
Giſlebertus Dux Lotharingiæ, 118. a 263. & ſeqq. 339. m 397. a. n 867. m
Giſlebertus Comes, 72. a
Giſlebertus Comes, 317. m
Giſlebertus Comes, 504. a
Giſlebertus de *Draiſencurt* miles, 554. n
Giſo presbyter Quintinianus, 217. a 219. a
Giſulfus Dux, 632. m
Glodeſindis monachus S. Hilarii, 541. m
Godefredus Abbas Coxanenſis, 849. m. 850. m
Godefridus Epiſcopus, 332. m
Godefridus Dux Lovanienſis, 312. m
Godefridus Comes Namucenſis, 251. a 252. a
Godefridus Comes, 354. m 355. m 356. m 359. m
Godefridus nobilis, 589. m
Godefridus Miles, 226. a
Godehardus Abbas Tegernſenſis, 593. m
Godemmannus Abbas Thornejenſis, 511. m 604. a 732. a, m
Godelpertus Abbas Wltunienſis, 114. m
Goderamnus Abbas S. Michaelis in diœceſi Hildenesheimenſi, 331. m
Goderamnus Primicerius Tullenſis, 864. a
Godeſcalcus Epiſcopus, 480. a
Godeſchalcus Abbas Corbejæ novæ, 706. a
Godeſgenus Abbas S. Udalrici, 416. m
Godina Abbatiſſa S. Johannis de Vejeira, 573. m
Godmannus Abbas Beamfledenſis, 711. a
Godofredus Abbas Foſſatenſis, 761. m
Godricus Abbas Crulandenſis, 496. m, n
Godricus optimas, 727. m
Godwinus Epiſcopus Roffenſis, 507. m
Godwinus Comes, 240. m
Goerannus Comes, 355. a
Goisfredus Gomercii municeps, 538. a
Golvinus Advocatus Civinocurtis, 560. m
Gomercium caſtrum, 536. a 538. a
Gomeſanus Abbas Hildenſis, 296. a
Gommarus miles, 29. n
Gonſalvus Menendes Princeps, 574. m
Gorgonius Gorziæ cultus, 490. a, n
Goſcelinus ſeu Gundiſalvus Epiſc. Segunt 535. m n
Goſcelinus monachus Sithienſ. 622. & ſeqq.
Goſfridus Epiſc. Conſtantienſis, 866. m
Goſfridus Abbas de Reigelliaco, 866. m
Goſtarath an civitas Belgii, 581. m, n
Goterius Abbas S. Mathiæ, 342. a
Gothefredus monachus Cluniacenſis, 167. m.
Gotiſcalcus Epiſcopus Anicienſis, 296. a
Gozelinus ſeu Gauſlinus Epiſcopus Tullenſis, 862. & ſeqq.
Gozilinus frater Adalberonis Epiſcopi Mettenſis, 398. a
Gozpertus Abbas Tegernſenſis, 593. m.
Gradilo ex potentiſſimo Britonum monachus Herienſis, 361. a
Gralo *V.* Cralo.
Gratianop. Epiſc. Iſaac, 70. m.
Graulfus Abbas S. Carauni, 282. a
Graunna amnis pagi Matiſconenſis, 73. m 75. m 77. m
Gregorii M: reliquiæ Conſtantiæ, 818. a
Gregorius ex Abbate Coxanenſi Epiſc. Tarraconenſis, 851. a
Gregorius Abbas Einſidlenſis, 242. m 243. a, m Ejus elogium hiſtoricum, 793. 817. & ſeqq.
Gregorius Abbas S. Martini Æduenſis, 96. a
Gregorii Abbatis Nonantulenſis elogium, 112. 118. Ligus aut Lygeus dictus, *ibid.*
Gregorius Abbas Romæ, 823. a 842. a
Gregorius Abbas, 874. a
Grimbaldi Abbatis Wintonien. elogium 3 & ſeqq.
Grimwaldus Prior Sithienſis, 4. a
Grippo præfectus, 209. m
Guagu nepos Lupi Ferrarienſis, 323. m
Gualo Æduorum Epiſcopus, 325. m
Guarinus Abbas Coxanenſis, 849. & ſeqq.
Guarinus Abbas Uticenſis, 231. m
Guduvalus Archiepiſcopus, 214. a, n
Guibertus Martinus Abbas Gemblacenſis, 297. m 297. m 310. & ſeqq.
Guiberti monachi Gorzienſis & Gemblacenſis conditoris vita, 297. & ſeqq.
Guichardus ſeu Gunhardus Epiſcopus Ebroicenſis, 268. a 283. a
Guido Archiep. Lugdunenſis *V.* Wido.
Guido Archiep. Remenſis, 559. m
Guidonis II. Epiſcopi Anicienſis vita, 811. & ſeq.
Guido Abbas Balmenſis, 194. a
Guido Abbas Gigniacenſis, 72. Charta ejus *ibid.* & ſeqq 85. m
Guido Abbas Lutrenſis, 278. m
Guido Abbas Luxovienſis, 749. m
Guido Abbas Majoris monaſterii, 142. a
Guido ſeu Willelmus Comes Matiſconenſis, 70. m
Guigo Epiſcopus Valentinus, 813. m
Guilledium villa diœceſis Remenſis, 355. a
Guillelmus Abbas Hirſaugienſis, 42. m
Guillelmus Longaſpata Dux Nortmannor. 228. m
Guillelmus Maraſinius Epiſcopus Noviomenſis, 215. m
Guillelmus Abbas S. Juliani, 141. a

Guil-

Guillelmus de Monſterole prior Mauliæ, 231. a
Guillelmus Nothus Rex Anglorum, 231. a
Guillelmus Dux Aquitaniæ, 7. a, 149. a, 150. a m 186. a 191.
Guillelmus Eſcalforii dominus, 231. a
Guillelmus V. Vvillelmus.
Guinebaldus Abbas Bronienſis, 250. a
Guntardus Comes Valentinenſis, 749. m
Guitardus an Vivarienſis Archidiaconus, 813. m
Gundelach ſolitarius Fuldenſis Monachus, 387. m
Gundericus nobilis, 487. m
Gundiſalus miles, 527. m
Gundiſalvus Ovetenſis Epiſcopus, 535. m
Gundiſalvus Epiſcopus Segobienſis, 535. m
Gundiſalvus Epiſc. Seguntinus, 535. n
Gundiſalvus V. Goſcelinus.
Gunderadus Abbas S. Mathiæ, 342. a
Gundramnus Abbas, 749. a
Gundramnus Comes, 817. m
Guntardus Epiſc. Matiſconenſis, 104. a
Guntherus ſeu Guntharius Epiſcopus Colonienſis, 28. a n
Guntherus ſeu Guntharius Epiſc. Ratiſponenſis, 109. m
Gunterus Abbas Bronienſis, 249. a 252. a
Guntramnus filius Heberardi Comitis, 276. a
Gunzius amnis in Suevia, 416. a
Guterius Comes pater S. Rudeſindi, 511. a & *ſeqq.*

H

HAdamarus V. Hadumarus.
Haderadus Abbas Hirſaugienſis, 41. m
Hadevig Dux, 820. m
Hadumarus Abbas Fuldenſis, 118. a 118. m 332. m
Hadwiga Henrici Ducis filia, poſt virum Burchardum Dux Suevorum, 51. m
Hagino Auſtraſiorum Dux, 252. m n
Haidulfus Epiſcopus Noviomenſis, 359. a
Haimo Halberſtadenſis Epiſcopus, 324. m
Haimo Dux, 536. m
Haimo monachus Dionyſianus ſcriptor, 111. a m
Hamedeus Comes palatii, 401. m
Harmuotus Abbas S. Galli, 15. m
Hanto Epiſcopus Auguſtenſis non Lanto, 415. m
Harethargus pagus, 350. m
Hariulfus Abbas Aldemborgenſis, 546. a 557. & *ſeqq.*
Haroldus Comes ſeu Rex Danorum, 678. a n
Hartbertus Epiſcopus Curienſis, 436. a 819. a
Hartcherus Recluſus ad S. Gallum, 43. m
Hartmannus magiſter ad S. Gallum, 15. a, & *ſeqq.* Abbas, 10. a 44. a 43. a 419. n
Hartmutus Recluſus ad S. Gallum, 43. m
Hartvvicus Epiſc. Juvavenſis ſeu Salzburgenſis, 807. a
Hartvvicus Abbas Tegernſenſis, 341. a Ejus elogium, 591. & *ſeqq.*
Hartvvigus V. Herdiggus,
Hartvigus Epiſcopus Auguſtenſis, 469. m n
Haſteria villa in Belgio, 587. a n
Hatta Abbas Blandinienſis, 205. n
Hatto ex Abbate Epiſc. Mogunt. 19. a 116. a 119. a 247. a 347. a
Hatvidis uxor Hugonis Albi Ducis Francorum, 348. a
Havvidis Abbatiſſa Mettenſis, 286. a
Heberardus Comes, 276. m
Heberardus filius Heberardi Comitis, 276. m
Hegmundus an Edmundus Rex Anglorum, 488. a
Heilricus Cantor Auguſtenſis, 421. m
Heimo Abbas Merſburgenſis, 111. m
Heiricus magiſter Autiſiodorenſis, 323. & *ſeqq*
Helbertus miles, 215. a
Heldegrinus Abbas S. Martini Æduenſis, 101. a m
Heldricus an Abbas S. Germani Autiſiodori, 745. m 769. a n 777. a
Heldricus Palatinus, 751. m 753. m
Heldvvigis uxor Purchardi Ducis Alamannorum, 21. m 452. n,
Helena V. Olga.
Helgerus clericus Bononienſis, 207. a
Helias Abbas S. Bavonis, 250. m
Helinandus Laudunenſis Epiſcopus, 110. m
Heliſacar Epiſcopus Rutenenſis, 11. m
Helluinus frater Guiberti Gemblacenſis, 300. m
Helmeradus Epiſcopus Regenſis, 81. a
Helvidis Abbatiſſa S. Pet. Mettis, 492. m n 493. m
Hemma Ludovici II. uxor, 462. n
Hemma uxor Boleslai Ducis Sclavorum, 462. n
Henricus Imperator, 8[illegible]3. a 838. a
Henricus Auceps, 263. a 263. m 344. & *ſeqq.*
Henricus Archiep. Trevirenſis, 21. a 248. m 788. m 709. m 791. a 792. a
Henricus Epiſcopus Aquilejenſis, 416. m
Henricus Epiſcopus Auguſtanus, 413. m 452. m 453. a 454. a m
Henricus ſeu Aynricus Epiſcopus Lauſannenſis, 758. m
Henricus Epiſc. Populonii, 866. a
Henricus Epiſc. Spoletanus, 866. m
Henricus Abbas Lutrenſis, 278. m
Henricus Prior Cantuatienſis, 691. m 693. m
Henricus Prior S. Udalrici, 469. m
Henricus Archidiaconus Leodicenſis, 310. m n
Henricus Rex Anglorum, 233. m
Henricus Bajoariæ Dux, 265. a n 345. m, & *ſeqq.* 346. m 347. m 797. m 803. m 821. a
Heinricus filius Henrici Dux Bajoariorum, 453. m
Heinricus Dux Noricorum, 435. m 438. a n
Henricus Dux Burgundiæ, 753. a 758. m 763. m
Henricus Princeps de Seldemburg, 314. a
Henricus Comes de Stadhe, 569. m 570. m
Henza, Geila, Gliſmoda nobiles ſanctimoniales Horreenſes, 344. a
Heornelinus Scottorum Pontifex, 665. m 689. m
Heorſtanus ſeu Herſtanus pater S. Dunſtani, 64 m 640. m
Herardus ſive Erardus Epiſc. Ratisbonenſis, 797. m n
Herbertus Archidiac. Laudun. 879. m
Herboldus Abbas, 536. a m
Herceas miniſter, 500. m
Herchemboldus Abbas S. Walarici, 547. a m
Herdiggus ſeu Hartvvigus Abbas Magdeburgenſis, 529. a 571. a
Herebertus Epiſcopus Norwicenſis, 240. a
Heribertus Abbas Bronienſis, 249. a
Heribertus Veromandorum Comes, 343. a 539. a
Heribertus Comes, 215. a
Heribertus ſeu Arbertus Abbas S. Arnulfi, 284. m 285. m 339. m 383. n 386. m
Heribertus Abbas S. Huberti, 478. m
Heribertus Comes Trecaſſinus, 284. a
Heribrandus nobilis, 306. m
Heribrachtus Abbas Augienſis, 247. m
Hericus monachus Autiſiod. 516. & *ſeqq.* 744. a
Herigerus ex Abbate Epiſc. Mogunt. 116. m
Herimannus Dux Saxoniæ, 491. a 570. 706. a
Herimannus Franco Comes, 418. a
Herimannus Capellanus Imperatoris, 495. m
Heriwardus Abbas Gemblacenſis, 299. m
Heriveus Archiep. Remenſis, 356. a 358. m
Heriveus Epiſcopus Æduenſis, 80. m 104. m
Herleius vicus ad Somenam, 225. a
Herluinus Cancellarius Ducis Hugonis, 228. m Abbas S. Petri de Puncto, 230. a
Hermannus Epiſcopus Monaſterienſis, 469. n
Hermannus Abbas Fabarienſis, 821. a
Hermannus Dux Alemanniæ, 242. a 243. m
Hermannus Dux Saxoniæ, 331. m
Hermannus Dux, 818. m
Hermann. frater Arnolfi Comitis Palatini, 434. m
Her-

Digitized by Google

Hermenaldus monachus Floriacenſis, 362. m
Hermenegildus Dux, 515. m
Herſendis Comitiſſa Vitomandenſis, 537. m 482. a 488. m, n 583. & ſeqq. 879. m
Herveus monachus Dolenſis, vir doctus, 83. m
Hetto Abbas Augienſis, 247. a
Hezelinus Epiſcopus Leodicenſis, 568. m
Hidda Marchioniſſa, 628. a, m
Hidilwardus Epiſcopus Halberſtadenſis, 567. m 569. a 570. a
Hieronymo adſcriptus liber de aſſumptione B.Mariæ Virginis, 685. m, n
Hilara flumen Alamanniæ, 436. a
Hilarii Epiſcopi Carcaſſonenſis Translatio, 541. & ſeqq.
Hildebaldus Epiſc. Matiſconenſis, 74. a 74. m
Hildebaldus Epiſc. Wormatienſis, 819. m
Hildebertus Archiepiſcopus, 351. a
Hildebertus Epiſc. Mogunt, 116. 117.
Hildebertus Epiſcopus, 83. a
Hildeboldus Abbas, 137. a
Hildeboldus magiſter in monaſterio S. Michaelis, 324. a 368. m
Hildebrandus Archiep. Capuanus, 866. a
Hildebrandus Cluniaci præpoſitus, 149. a, m
Hildebrannus Prior Cluniaci, 745. a
Hildebrannus monetarius, 783. m
Hildegardis uxor Ebonis Principis Bituricenſis, 83. a
Hildegardis nobilis matrona, 317. m
Hildegardis nobiliſſima matrona, 245. m
Hildegrimus Epiſcopus Catalaunenſis, 573. a
Hildemannus Archiepiſc. Senonenſis, 282. a
Hildemarga virgo, 208. m
Hilderamnus Senonenſis Archiep. 245. m
Hildricus Epiſcopus Belvacenſis, 359. m
Hilduinus Epiſcopus Leodicenſis, 473. a
Hilduinus Comes, 537. a
Hilduinus ſedis Mettenſis appetitor, 867. m
Hiltebaldus Aurienſis Epiſcopus, 21. m
Hiltegart uxor Richwini Comitis, 446. a 452. a
Hiltine Epiſcopus Auguſtenſis, 421. m
Hiltine monachus ſanctus, 441. m
Hiltinus Camerarius Eccleſiæ Auguſtanæ, 479. a
Hiltruda Rachildæ Recluſæ germana, 58. a
Hincmarus Abbas S. Remigii, 215. a 348. a Ejus elogium, 342. & ſeqq.
Hitto Clericus, tum monachus ad S. Gallum, 46. a 47. m, n 55. m, n 57. m 58. m
Hoenſax mons ad Rhenum, 545. a
Hodierna Recluſa Gorzienſis, 364. a
Hogeri Archiepiſcopi Bremenſis elogium, 25.
Hormerſum ſeu Othemarshem caſtrum in Gelcia, 28. m 32. a, n
Honeſtus Epiſc. Ravennenſis, 698. a
Hoſedus Abbas Corbejæ novæ, 707. m
Hubertus ſeu Humbertus Epiſc. Parmenſ. 697. m
Hucboldus magiſter S. Amandi monachus, 323. m & ſeqq.
Hucbertus Tiberinæ Eccleſiæ Epiſcopus, 149. a
Hucboldus monachus Orbacenſis inſignis, 330. a
Hudo ſeu Odo Abbas S.Michael.ad Moſam, 365. m
Hugo S. R. E. Cardinalis, 360. m
Hugo Archiep. Biſuntinus, 866. a
Hugo Archiepiſcopus Bituricenſis, 283. a 284. a
Hugo Epiſcopus Cizenſis, 569. m 844. a
Hugo Conſtantienſis Epiſcopus, 20. m
Hugo Epiſcopus Genevenſis, 758. m
Hugo ſive Ogo Epiſc. Leodicenſis, 867. a, m
Hugo Epiſcopus Parmenſis, 704. m
Hugo Epiſc. Matiſconenſis, 758. m
Hugo Epiſcopus Nivernenſis, 362. a 895. m
Hugo Epiſcopus Sueſſionenſis, regni Cancellarius, 9. m
Hugo Abbas Augienſis, 247. a
Hugo Abbas Cluniacenſis, 866. m
Hugo Abbas S. Remigii, 343. m
Hugo Abbas Sithienſis, 3. m
Hugo Abbas ſummæ dignitatis, 28. m, n
Hugo inſignis Abbas, 133. a
Hugo Abbas & Præpoſitus, 758. m
Hugo Abbas, 748. a
Hugo Abbas, 758.
Hugo Archidiaconus Eccleſiæ Romanæ, 866. m
Hugo Rex Francorum, 760. m 763. m
Hugo Rex Italiæ, 158. 149. m 473. 474.
Hugo Rex Longobardorum, 165. m
Hugo Pariſiorum Rex dictus, 348. m
Hugo regii generis, 415. m
Hugo Dux Franciæ, 282. a
Hugo Dux Francorum, 246. m 306. a
Hugo M. Aurelianorum Dux, 228. m
Hugo Dux, 546. m 547. a 548. m 550. a n 553. & ſeqq.
Hugo Dux, 215. a
Hugo Princeps Burgundiæ, 133. a, 134. a 134. m
Hugo Marchio ſeu Comes & Dux Francorum, 318. a
Hugo M. Marchio, 847. m
Hugo Comes pater Odalrici Archiepiſcopi Remenſis, 326. m
Hugo Comes, 137. m
Hugo Comes, 72. a
Hugo filius Heriberti Comitis ſedi Remenſi impoſitus, 326. a m
Hugo Marchio, 637. m
Hugo Comes & *Marchio* Baugiaci & Sebuſianorum, 316. m 317. a 318. a
Hugo Comes Heberardi filius, 276. m
Hugo filius Gauſtedi Comitis Cabilonenſis, 739. a Epiſcopus, 750. m
Hugo Advocatus Civinocurtis, 560. m 561. m
Hugo frater Manaſſæ Archiepiſcopi Arelatenſis, 318. m
Hugo filius Lamberti Comitis, 747. m
Hugones duo Abbates Dionyſiani, 111 a m
Hugones quatuor Abbates S. Martini Æduenſis, 89. m
Hugonis monachi Æduenſis & Præpoſiti Enziacenſis vita, 89. & ſeqq.
Hugo monachus Centulenſis, 561. a n
Hugo Marinus, 880. a
Humbertus Epiſc. Biſuntinus, 71. a
Humbertus Sicilienſis Archiepiſcopus, 866. a
Humbertus Epiſc. Gratianopolitanus, 759. m
Humbertus Epiſcopus Valentinus, 759. m
Humbertus Abbas & Archidiaconus, 37. a
Humbertus Abbas S. Apri, 364. a 363. m
Humbertus & alii octo Abbates Coxanenſ. 849. m
Humbertus de Bellojoco, 710. m
Humbertus nepos Leotaldi Comitis Matiſconenſis 320. a
Humbertus præpoſitus Miciacenſis, 362. m
Humbertus Virduni Recluſus, 372. a 373. a m 374. m 375. a Gorziæ monachus, 381.
Hunegundis Virginis Humolarienſis Translatio, 214. & ſeqq.
Hungaria Alba & nigra, 845. m
Hunzo Comes Rætianus, 816. a
Hucpaldus Comes pater S. Udalrici, 418. m 469. m
Hupaldus Comes nepos S. Udalrici, 518. n
Hupaldus Comes, 447. a 454. a
Hyacintus Cardinalis Legatus, 535. a

I

JAcobi cultus apud Hiſpanos, 34. m
Jacob ex Abbate Miciacenſi Epiſcopus Leonenſis, 361. a
Januarius Epiſcopus Elenenſis, 850. m
Ico Canonicus Magdeburgenſis, 571. m
Jeluira infans, 522. a n
Iſembardus monachus Floriacenſis, 536. a m 537. m
Ilduara mater S. Rudeſindi, 515. a & ſeqq. Confeſſa,

Digitized by Google

feſſa, 516. m
Imbertus Epiſcopus Pariſienſis, 111. m
Immed frater Mathildis Reginæ, 344. m
Immo Abbas Gorziæ, 482. a 488. m, n
Immo Abbas Walciodorenſis, 482. a, 483. m, 540. m
Ingelardus Abbas S. Richarii, 553. n
Ingelarius Abbas Cariloci, 104. a
Ingelbaudus vivens lege Salica, 748. m
Ingelberga uxor Willelmi Pii Ducis, 77. a 78. a
Ingelbertus Abbas Nonantulæ, 113. m
Ingelbertus frater Sobbonis Archiepiſcopi Vienenſis, 315. m
Ingelramnus Abbas S. Richarii, 547. a, 553. & ſeqq.
Ingramnus Cameracenſis Epiſcopus, 215. a
Inguar Danus Prædo, 287. m
Joellus Archiepiſc. Remenſis, 761. m
Joannis Papæ X. bulla pro Alafracta Cluniaco aſſerenda, 72.
Joannis Papæ XI. privileg. Floriacenſi monaſterio conceſſum, 879.
Joannis XII. Papæ diploma pro Magdeburgenſis Archiepiſcopatus erectione, 564.
Joannes Papæ XIII. cognomento Alba-gallina, 357. a, 357. m Ejus epiſtola, 648. privilegium pro Rameſcienſi cœnobio, 723. a
Joannis Papæ XV. bulla pro canonizatione S. Udalrici, 466.
Joannes Cardinalis S. Clementis, 467. a
Joannes Cardinalis SS. quatuor Coronatorum, 467. a
Joannes Cardinalis S. Damaſi, 467. a
Joannes Portuenſis Archiep. 866. a
Joannes an ex Archiep. Ravennenſi monachus, 879. a, 880. m
Joannes Archiep. Turonenſis, 141. a
Joannes Epiſcopus Abrincenſis, 879. a, 880. m
Joannes Epiſcopus Anagninus, 467. a
Joannes Epiſcopus Caſtrenſis, 11. m
Joannes Epiſc. Conſtantienſis, 815. a
Joannes III. Epiſc. Conſtantienſis, 815. a
Joannes Legionenſis Epiſcopus, 535. m
Joannes Epiſcopus Lucenſis, 528. m, n
Joannes Epiſc. Mutinenſis, 698. a, 699. m
Joannes Epiſcopus Nepeſinus Bibliothecarius S.R.E. 467. a
Joannes Epiſcopus Nolanus, 170. m, 197. a
Joannes Epiſcopus Oſtienſis, 866. a
Joannes Epiſc. Sabinenſis, 866. a
Joannes Sciſcionenſis Epiſc. 866. a
Ioannes Epiſc. Senenſis, 866. a
Ioannes Epiſcopus Suanenſis, 866. a
Ioannes Epiſc. Tiburtinus, 866. a
Ioannes Ticinenſis Epiſcopus, 112. m
Ioannes Epiſc. Veletrenſis, 866. a
Ioannes Epiſc. Wortzlaenſis, 845. m
Ioannes Epiſcopus Hiſpanus, 405. a
Ioannis Eleemoſynarii acta, 593. a
Ioannes Abbas S. Alexii Romæ monachus Caſini, 866. a, 822. a, 823. m, 842. a
Ioannes Abbas Aroaſianus, 215. m
Ioannes Abbas Auriliacenſis, 10. a
Ioannes Beneventanus Abb. Caſini, 657. m, 638. m
Ioannes Abbas Blandinienſis, 204. m
Ioannis I. Abbatis Caſinenſis elogium, 114. & ſeq.
Ioannes Abbas Fiſcannenſis, 111. m
Ioannis Abbatis Gorzienſis vita, 324. a, 363. & ſeqq. 492. a, n
Ioannes Abbas Inſulanus apud Auguſtam Veromanduorum, 215. m
Ioannes Abbas S. Laurentii, 866. m
Ioannes Abbas Lutrenſis, 278. m
Ioannes Abbas Mettenſis, 363. a
Ioannes Abbas Moſomenſis, 369. a
Ioannes Græcus Abbas Nonantulanus, 869. m
Ioannes an Abbas S. Pantaleonis, 333. m
Ioannis Abbatis Parmenſis vita, 697. & ſeqq.
Ioannes II. Abbas Parmenſis, 698. a, 704. a
Ioannes Abbas S. Præjecti, 215. m
Ioannes Abbas S. Sabæ, 866. m
Ioannes Abbas S. Salvatoris, 866. m
Ioannes Abbas Vermandenſis, 211. m
Ioannes Abbas S. Vitalis, 866. m
Ioannes Archidiaconus Parmenſis, 701. a
Ioannes Presbyter & monachus idem cum Abbate Æthelingenſi, 4. m
Ioannes Diaconus Oblationarius S.R.E. 467. a
Ioannes monachus auctor vitæ S. Odonis, 122. & ſeqq. 184. a
Ioannes Canaparius inſignis monachus ad S. Bonifacium Romæ an Abbas 838. a, n, 838. m, 875. m, 876. a
Ioannes Gradenicus ex nobili Veneto monachus Coxanenſis, 849. m, 848. a, 855.
Ioannes Maurocenus nobilis Venetus, 879. m, 835.
Ioannes Monachus Floriacenſis, 857. a
Ioannes Monachus Romæ, 842. a
Ioannes Monachus S. Savini humillimus, 94. m
Ioannes Scholaſticus Atiſiodorenſis, 875. a
Ioannes Exactor ſacri palatii, 148. m, n
Ioannes Romæ Præfectus, 832. m
Ioannes filius Petri Urſeoli Ducis Venetiarum, 851. n, 827. a
Iordanes Epiſcopus Lemovicenſis, 11. a
Iordanes Epiſcopus Poznanenſis, 569. a
Ioſeph Archiep. Turonenſis, 282. a
Iotſaldus vitæ S. Odilonis, 740. a
Irmingardis Abbatiſſa Aleſſevenſis, 571. a
Irminhardus Præpoſitus Campidonæ, 471. m
Iſaac Gratianop. Epiſcopus, 70. m
Iſaac Epiſcopus Lingonenſis, 24. a
Iſaac ex canonico monachus Gorzienſis, 388. a
Iſaac decanus monaſt. Miciacenſis, 362. m, 362. n
Iſembaldus Epiſc. Pictavenſis, 866. m
Iſengrinus Epiſcopus Ratiſponenſis, 110. a
Inſigrinus Abbas Uttemburanus, 471. n
Iſnardus nobilis, 317. m
Iſrael Epiſcopus Scotigena, 332. a
Iſo magiſter ad S. Gallum, 13. a, 19. m
Iſſola Epiſcopus Toloſanus, 850. m
Iuditta filia Rodulfi Regis, 134. a
Iudoci Presbyteri & Confeſſoris Tranſlatio, 536. & ſeqq.
Iudoci Sacerdoti oſſa Wintoniæ, 622. a
Ivonis in Anglia ſancti corpus terra levatum, 727. m n
Iuvius Confeſſor, 626. a

K

Kebo Laureſſenſis Abbas, 21. a 21. m
Kenewaldi Epiſcopi Wigornienſis elogium, 237. 500. m
Kenulfus Epiſcopus Wintonienſis, 594. a
Kenulfus Abbas Crulandenſis, 500. a 503. a
Kerbirga Recluſa in cœnobio Lindavienſi, 64. a n
Kerhilda incluſa ad S. Gallum, 13. a 43. m
Kerho Abbas Wirzimburgenſis, 21. a
Keroldus Notkeri diſcipulus, 18. m
Kinſius Epiſcopus Lichfeldenſis, 500. m, 509. m
Kinedrida mater S. Dunſtani, 642. m 645. m

L

Lætus Abbas S. Angeli, 866. m
Laiſinus Bernonis Abbatis Cluniac. conſobrinus, 66. a 71. a
Lainga pagus, 330. m
Laium in Mettenſi Epiſcopatu, 398. m
Lambertus Epiſcopus Conſtantienſis, 414. a
Lambertus Epiſc. Matiſconenſis, 104. a
Lambertus Tungrenſis Epiſcopus, 253. m
Lambertus Abbas Coxanenſis, 851. a
Lambertus monachus Walciodorenſis ſcholaſticus, 581. a
Lambertus Comes, 316. m
Lambertus Comes Lovanienſis, 298. m

Lam-

Digitized by Google

Lambertus Comes Valentinenſis, 748. m 750. m
Lambertus filius Lamberti Comitis Valentinenſis, 749. a
Lambertus filius Lamberti Comitis, 316. m
Lambertus Comes, 758. m 763. a
Lambertus tyrannus, 106. a
Landericus Abbas S. Petri Carnotenſis, 111. m
Landolfus Comes, 820. m
Landulfus Princeps Capuanus, 114. m 115. a
Lanfrancus Archiep. Cantuarienſis, 676. m n 679. 691. m 690. 692.
Langferus Regis Panetarius, 503. m
Lantbertus vir inſignis, 376. a 377. a 377. m
Lantbertus Solitarius, 372. m
Lantfridus Presbyter id eſt parocus, 221. m
Lanto Epiſcopus Auguſtenſis, 416. a
Lantpertus Epiſc. Conſtantienſis, 817. m
Lanquartus amnis, 545. a
Laudunenſ. Epiſc. Helinandus, 111. m
Launus Archiepiſc. Bituricenſis, 82. m
Laurus Abbas, 131. m 141. m
Lauteni cella, 86. m
Lebrath vallis Alſatiæ, 410. m
Ledgardis Comitiſſa, 282. a 284. a
Lechfeld, campus prope Auguſtam, 422. a n 465. a
Leduardus Matiſconenſis Epiſcopus, 73. m
Ledo ſeu Leodo oppidum Sequanorum, 68. a
Lefvvina matrona pernobilis, 512. m
Lefvvinus Epiſcopus Dorcaceſtriæ, 140. n 506. m 507. m
Legia fluvius, 204. a
Legionenſ. Epiſc. Fruminius, 54. m
Leonis Papæ VII. privilegium Floriacenſibus conceſſum, 878.
Leo Cardinalis S. Nerei, 467. a
Leo Archiep. Ravennenſis, 868. *& ſeqq.* Cur Mutus dictus, 874. a
Leo ex Abbate de fundo Epiſcopus Cajetæ, 876. m
Leo Epiſc. Gageranus an Gajetanus, 866. a
Leo Epiſc. Scranus an Soranus, 866. m
Leo Epiſcopus, 875. a
Leo Epiſcopus Græcus, 868. m 876. m
Leo Archiep. an Chorepiſcopus Treverenſis, 875. m 876. a
Leo palatii Epiſcopus, 842. m
Leo Epiſc. Murenſis, 866. m
Leo Abbas Caſinenſis, 114. a
Leo Abbas S. Cornelii, 866. m
Leo Abbas Nonantulanus, 842. n Ejus elogium, 868. *& ſeqq.* Epiſtola ejus ad Durantem monachum, 869. *& ſeqq.*
Leo Abbas Romæ ad S. Bonifacium, 823. a 839. m 841. m 876. a
Leo Abbas Romanus ad S. Bonifacium Legatus in Galliam, 868. *& ſeqq.*
Leo Abbas S. Vincentii ad Vulturnum, 631. a
Leo ſcriniarius ſanctæ ſedis Apoſtolicæ, 565. m
Leo monachus Caſinenſis, 636. a
Leo ſimplex monachus Romæ, 840. m 867. m 874. a
Leobaudus vir ſpectabilis, 98. a
Leodegarius Archiep. Viennenſis, 866. a
Leodicenſes Epiſcopi ex Ordine S. Bened. 840. 867.
Leodo ad Salliam amnem *Lyon le Saulnier*, 68. a
Leoninus Abbas S. Hilarii, 542. a
Leopardus Abbas Nonantulanus, 112. m
Leotadi Reliquiæ Oydellis Cluniacum tranſlatæ, 87. a 318. m
Leotaldus Archiepiſcopus, 758. m
Leotaldus ſeu Leutoldus Comes Matiſconenſis, 136. m 317. a 317. m 318. m 319. m 321. m 745. m
Leotaldus Comes, 77. a
Leotardus Levita, 318. a
Leſvvinus filius Comitis Ælvvini, 731. a
Leotbaldus ex Milite monachus, 320. m
Leudomirus nobilis, 849. m
Levigradium oppidum Boemiæ, 810. m
Leucus fluvius pagi Carcaſſenſis, 544. a
Lenſo Abbas S. Mariæ, 866. m
Leutfredus monachus Floriacenſis, 181. m
Leutho Archicapellanus Flandriæ Comitis, 211. a
Levvinus Comes, 503. m
Libertini monachi patientia, 872. a
Libutius Rugorum Apoſtolus, 566. m
Licerius Sacerdos, 318. a
Lietaldus Abbas Moſomenſis, 344. a
Lietaldus Abbas Tignenſis, 249. a 250. m tum Moſomenſis, 259. a 356. m 358. a 360.
Liethardus Abbas Gemblacenſis, 310. a 310. m
Lietefridus Epiſcopus Ticinenſis, 747. a
Lietoldus pater Guiberti Gemblacenſis, 300. a
Lingon. Epiſc. Argrinus, 23. *& ſeqq.* Iſaac, Vvarnerius, Robertus, 24. m
Limen portus Angliæ, 488. a n
Liſtrogaugium tractus in Flandria, 212. m
Linthaugia ſeu Lindavia urbs Imperialis ad Lacum Brigantinum, 64. a n
Liturnum, 9. a
Liudgeri Comitatus, 350. m
Liudgerus Epiſc. Mimigardenſis, 573. a
Liudolfus Epiſcopus, 416. m
Liudolfus Epiſcopus, 706. a
Liudolfi & aliorum Abbatum Corbejæ novæ elogia, 706. *& ſeqq.*
Liudolfus Abbas Corbejæ Saxonicæ, 570. m
Liudulfus Epiſcopus Tarvanenſis, 359. m
Liufridus Abbas S. Vincentii, 866. m
Liupaldus Presbyter Camerarius S. Udalrici, 452. a n
Liupoldus Comes a quo Comitatus *Liutpoldi* in ſuperiori Bojoaria, 593. a
Liuticenſes Boemis vicini, 862. m n 866. m 844. a
Liutolfus Auguſtæ Epiſcopus, 466. a
Liutolfus ſeu Liutulfus filius Ottonis M. Dux Alamannorum, 387. a 433. *& ſeqq.*
Liutolfus Cancellarius, 817. m
Liutericus Decanus Campidonæ, 471. m
Liutgarda ſoror S. Udalrici, 418. n 421. a
Liutgerus Comes, 571. a
Liuthardus Abbas Augienſis, 247. m
Liutvvardus Epiſcopus Vercellenſis, 18. m 19. m
Locronium urbs Hiſpaniæ, 295. m
Loida urbs majoris Britanniæ, 487. m n
Lomacenſis pagus, 249. m 252. m 298. a 298 m 580. a n
Lomaganium, 28. m
Lordonium caſtrum prope Cluniacum, 75. a 87. a 137. a
Lotharius Rex, 514. a 548. m Ejus diploma pro Brajaco, 245. initium regni, 320. a
Lotharius Rex Italiæ, 861. a
Lotharius Comes de Vvaldebirke, 580. m
Lubic Metropolis ducatus, 825. n 844. a
Lucia uxor Vvillelmi Comitis, 443. a
Ludericus Abbas Lunæburgenſis, 331. m
Ludovicus Ultramarinus, 215. a Ejus ordinatio, 157. a n Regni anni ut deſignati, 318. a 320. m 379. m n 880. a
Luthevvicus puer ſeu Ludovicus Rex Germanorum depoſitus, 25. m
Ludovici VII. diploma pro Aureliacenſi cœnobio, 9.
Ludovicus qui Princeps Aquitanorum, 502. a 510. m
Ludovicus Princeps, 130. a
Lugdunenſis academia, 744. a 766. a
Lupo Abbas S Martini Æduenſis, 89. m 93. a
Lupus Abbas Ferrarienſis, 339. a
Lupus monachus Ferrarienſis, 323. m
Lutfridus Abbas Murenſis, 314. m
Lycus fluvius, 415. m 419. n

M

MAbbo Pauliani Brittanniæ Epiſcopus, 282. a
Macalanus *V.* Malcalenus.
Macarius Abbas Humolarienſis, 215. m, 223. a, n
Maceriæ caſtrum ad Moſam, 354. m, 355. m
Madalbertus Epiſcopus Bituricenſis, 79. a
Magelgerus Epiſcopus Wigornienſis, 627. m
Magenardus Abbas Foſſatenſis, 754. a
Magenerus miles, 219. m, *& ſeqq.*
Magenoldus Comes, 820. m
Magenoldus Comes frater S. Udalrici, 419. n, 447. a
Magenoldus Comes nepos S. Udalrici, 419. n, 421. a, 422. a, 447. m, 454. a
Maginfridus Monachus Gorziæ, 381. n
Maginhardus Abbas Gladbacenſis, 629. m
Maglio ſanctus, 208. m
Majelpotus Abbas Caſinenſis, 115. m, 631. a
Mailedarius Abbas Scottus, 487. m
Mainardus Epiſcopus Cenomannenſis, 282. a
Mainbodus Epiſcopus, 77. a
Maimbodus Epiſcopus Matiſconenſis, 137. a, 317. a, 318. a, 754. m
Maimbodus Avus Maimbodi Epiſcopi Matiſconenſis, 317. a, 321. m
Maimbodo Eccleſia ſacra Andegavis, 230. m
Majo Abbas S. Vincentii Vulturnenſis, 116. m
Majolus Abbas Cluniacenſis, 321., 698. a. 700. a
Ejus elogium, 739. *& ſeqq.* 861. m, 864. m
Majolus Præpoſitus, 758. m
Majolus Vicecomes, 317. m
Malancena caſtrum pagi Vaſinſis, 750. a
Malcalenus Abbas Walciodorenſis & S. Michaelis in Tiraſcia, 482. m, 487. m, n, 489. a. Ejus elogium hiſtoricum, 539. *& ſeqq.* 575. 879.
Mamillanus Abbas Cellæ-novæ, 516. a, 521. m
Manaſſes Arelatenſis Archiep. 317. m, 473. m, 474. a, m
Manaſſes Comes, 23. m
Manaſſes Comes, 513. m
Mancio Epiſcopus Catalaunenſis, 26. m, 28. a
Manfredus Sedunenſis Epiſcopus, 243. a
Mannis Epiſc. Redonenſis, 866. m
Manno ſeu Nanno ſcholæ palatinæ præfectus, 26. m, 27. a, 28.
Manſo Abbas Caſinenſis, 637. *& ſeqq.* 829. n
Manſi valor multiplex, 92. m, n
Marahenſes, Moravi, 107. a
Marcellus ſeu Moengal magiſter ad S. Gallum, 13. m, 19. m
Marchicomes, 795. a
Marciana villa in Belgio, 274. m
Marcus Viſcenſis Epiſcopus, 535. m
Marcwardus Abbas Corbejæ-novæ, 707. m
Marcwardus Abbas Prumienſis, 323. m
Mariæ ſeu Mladæ Abbatiſſæ Pragenſis elogium, 849. *& ſeqq.*
Marinus Abbas & martyr an Maurinus, 333. m
Marinus ſolitarius, 848. a, m
Marligna ſilva prope Namucum, 253. m, n
Marrones unde dicti vulgo *Marranes* Alpium incolæ, 171. a, n, 274. m, n
Martinus Archiepiſcopus Gneſnenſis, 823. a
Martini Turonenſis Epiſcopi patrocinium, 836. a
Martinus Epiſcopus Dumienſis, 516. m
Martinus Abbas S. Blaſii, 866. m
Mateſcenſis pagus, 74. a
Mathildis Regina, 119. a
Mathildis Reginæ, uxoris Henricis Aucupis elogium, 345. *& ſeqq.*
Mathildis Regina Provinciæ, 573. m, 765. a
Mathildis filia Pippini Regis Aquitaniæ, 6. m
Mathildis Herivordenſis Abbatiſſa, 345. a
Mathildis filia Ottonis M. Abbatiſſa Quindelingeburgenſis, 347. m, 349. m, 361. m
Mathildis Duciſſa Lovanienſis, 312. m
Matiſcon. Epiſcop. Leduardus, 74. a Hildebaldus *ibid. & ſeqq.*
Mattadanus frater S. Cadroæ, 485. a
Matthæi & aliorum monachorum Breunovienſium ſeceſſus in Poloniam, 849. a
Matzilinus Cubicularius Adalberonis Epiſcopi Mettenſis, 398. a
Mauricii Martyris lancea, 845. a
Maurini Abbatis & Mar. translatio, 331. *& ſeqq.*
Maximinus Trevirorum Epiſcopus, 339. a
Mazio Epiſc. Montis-Viridis, 866. m
Medericus Abbas Æduenſis an S. Martini, 891. m
Medius-vicus in Lotharingia, 864. a
Meginbertus Sebonenſis aut Sabionenſis Epiſcopus, 416. a
Meginfridus monachus Fuldenſis ſcriptor, 42. a
Meginherus Præpoſitus in Eccleſia Colonienſi, 337. a
Meldenſis Epiſcop. Walterius, 111. m
Memus Dux Venetiarum, 849. m
Menendus Gundiſalvis Dux, 515. m
Menendus Miles, 527. m
Menichingen caſtellum, 434. a, n
Menpiſcus pagus, 557. m
Merevvinæ Abbatiſſæ Rumeſienſis elogium, 626. *& ſeq.*
Mervvenna Abbatiſſa de Rumſege, 506. a, 507. m
Meſcho ſeu Miſecho Princeps Poloniæ, 824. m, 840. m, 844. a
Meſlinga oppidum, 469. m
Mettenſ. Epiſc. Dietricus, 21. m
Michael Epiſcopus Ratiſponenſis, 110. a, 798. a
Milo Epiſcopus Matiſconenſis, 748. m
Milo Abbas Elevvangenſis, 21. m
Milo Abbas Lutrenſis, 278. m
Milo monachus Gorziæ, 381. m
Milo filius Adelæ Comitiſſæ, 246. m
Miminleve in Saxonia, 570. a
Miro Epiſcopus Gerundenſis, 850. a
Miro Abbas, 541. m
Miro Abbas, 849. m
Miro Comes, 849. m
Miſicho Dux Wandalorum id eſt Polonorum, 463. m, n
Mlada *V.* Maria,
Modvvena Abbatiſſa Streneshalenſis, 623. a
Moguntin. Epiſc. Hatto, 19. a
Moguntia loco mota, 116. m
Molenſis tractus, 629. a
Monaſteriolum caſtrum, 548. m

MONASTERIA.

MOnaſt. Abandonienſe, 594. a 506. a n 602. m n
Monaſt. S. Adalberti Romæ, 846. a
Monaſt. Ædelingenſe, 638. a
Monaſt. Æthicenſe, 85. m 86. n
Monaſt. Agaunenſe, 443. m
Monaſt. Agei in Hiſpania Abbas Arandiſelus, 33. a 35. a
Monaſt. Alnenſe, 478. 478. 479. m
Monaſt. *Alnesberg*, 277.
Monaſt. S. Albani, 711. a
Monaſt. Aleslevenſe, 571. a
Monaſt. SS. Alexii atque Bonifacii, 822. *& ſeqq.* 452. a
Monaſt. Altimontis, 478. m
Monaſt. Alveldenſe, 295. *& ſeqq.*
Monaſt. S. Amandi ſeu Nantuenſe in Comitatu Trahefino, 746. m
Monaſt. Andaginenſe S. Huberti, 867. m
Monaſt. S. Andreæ, 866. m
Monaſt. Andecenſe ſeu Mons ſanctus apud Bajoarios, 235.
Monaſt. S. Angeli, 866. m
Monaſt. Angrienſe ſeu Aggerienſe, 346. n 348. m
Monaſt. S. Apollinaris Claſſenſe, 751. m
Monaſt. S. Apollinaris, 777. m
Monaſt. S. Apollinaris, 866. m

Mo-

Digitized by Google

Monaſt. S. Apri Tullenſe, 862. & ſeqq.
Monaſt. Aquiſgranenſe, 846. m
Monaſt. Arlucum, 748. a
Monaſt. Augienſe, 247. & ſeqq. 790. m, 815. Abbas Ruodmannus, 21. a
Monaſt. S. Arnulfi, 363. a, 386. a, n
Monaſt. Aureliacenſe, 876. m, Abb. Petrus, 9. a Joannes, 10. a, Gerardus, Raimundus, Stephanus, 11. m
Monaſt. Balmenſe, 126. a, Abbas Berno, 66. & ſeqq. Balmæ plures, 67. 98. m, 156. & ſeqq. 190. & ſeq.
Monaſt. S. Baſoli, 343. m, 875. a
Monaſt. Baſtenſe in Portugallia, 583. & ſeqq.
Monaſt. Batonienſe, 879. a
Monaſt. S. Bavonis, 251. a
Monaſt. Beamfledenſe, 711. a
Monaſt. Benedictoburanum, 593. m
Monaſt. S. Benedicti Anicii, 811. & ſeqq.
Monaſt. S. Benedicti ſuper Ligerim, 541. a, *V.* Floriacum.
Monaſt. S. Benigni, 754. a
Monaſt. Berckingenſe, 624. a
Monaſt. Bergenſe, 557. n
Monaſt. S. Bertini ſeu Sithienſe, 272. m
Monaſt. Blandinienſe, 203. m, n & ſeqq. Abbates *ibid.* 271. & ſeqq.
Monaſt. S. Blaſii in Silva Hercinia, 315. & ſeq.
Monaſt. S. Blaſii, 866. m
Monaſt. Boſſeriæ, 861. a
Monaſt. Brajacenſe, 245. & ſeqq.
Monaſt. Bremetenſe, 759. a
Monaſt. Breunovienſe in Boemia, 822. a 823. a, m, 824. a
Monaſt. Brixilenſe, 701. a, n
Monaſt. Bronienſe S. Gerardi, 249. & ſeqq.
Monaſt. Buccelcum, 489. m, n
Monaſt. Bucilienſe, 584. m, n
Monaſt. Burch ſeu Medeshamſtedenſe, 595. a, 603. m, 708. m
Monaſt. Boſonvvellenſe in Bajoaria, 110. a
Monaſt. Buxeriæ in pago Tullenſi, 382. a
Monaſt. Campidonenſe, 441. a, n, 449. m, 471. 472.
Monaſt. Caracetenſe, 535. a
Monaſt. Carilocenſe, 104. a 134. a 317. a
Monaſt. Caſinenſis Abbates Joannes I. 114. & ſeqq. Ragemprandus Leo *ibid.* Godepertus, 115. alii 115. 631. & ſeqq. 830. a 821. a 841 m
Monaſt. Cellæ Albæ ſeu S. Blaſii, 313. a 318. a
Monaſt. Cellæ-novæ, 514. & ſeqq.
Monaſt. Celſinianenſe, 82. m 317. m 318. a 746. m
Monaſt. S. Claudii Legionis, 526. a 535. m
Monaſt. S. Clementis alias S. Felicis Mettis, 482. a 482. m 490. a n 493. a n
Monaſt. Cluainedhnaih, 877. a m
Monaſt. Cluniacenſe, 66. & ſeqq. 96. 101. & ſeqq. 137. & ſeqq. 191. m 315. & ſeqq. 739. & ſeqq.
Monaſt. Cluſinenſe S. Michaelis, 759. m 880. a m
Monaſt. in Cælio monte Romæ, 816. a
Monaſt. ſanctæ Columbæ in Hiſpania, 296. m
Monaſt. Conſugienſe ſeu Caſſellenſe, 348. m
Monaſt. Corbejæ-novæ, 495. & ſeqq. 566. m 706. & ſeqq.
Monaſt. Cormaricenſe, 812. a
Monaſt. S. Cornelii, 866. m
Monaſt. S. Coſmæ, 866. m
Monaſt. Coxanenſe S. Michaelis, 543. a 543. a 847. & ſeqq.
Monaſt. Croilandenſe, 793. m *V.* Cruland.
Monaſt. S. Crucis & S. Fuſcæ Nonantulano ſubjectum, 113. a
Monaſt. Crulandenſe, 496. & ſeqq. 736. a
Monaſt. S. Cyriaci, 452. m
Monaſt. S. Dionyſii, 756. a 760. m 879. m 836. n
Monaſt. Dolenſis ſeu Burgidoli conſtructio, 82. & ſeqq. Abbates Berno, Odo, Franbertus, Raynardus, Ramnulfus, Dacbertus, 83.
Monaſt. Einſidlenſe, 241. & ſeqq. 314. a 544. & ſeqq. 792. a 817. & ſeqq. Meginradi Cella & Eberhardi Cella dictum, *ibid.* & ſeqq.
Monaſt. Elewangenſis Abb. Milo, 21. m
Monaſt. Elienſe, 694. 603. m 711. a
Monaſt. Elnoſeſvirienſe ſeu Cella S. Neoti, 736. a
Monaſt. Embricenſis Presbyteri Eliolfus & Rotguitus, 31. a
Monaſt. S. Emiliani in Hiſpania, 296. m
Monaſt. S. Emmerammi, 105. & ſeqq. Abbates Richobaldus, Ramuoldus *ibid* Regimbardus, 107. m 788. m
Monaſt. Epternacenſe, 341. m
Monaſt. S. Eucharii ſeu S. Mathiæ apud Treviros, 541. m
Monaſt. Exhaladenſe, 849. m
Monaſt. Fabarienſe, 821. a
Monaſt. Farfara B. Mariæ ſacrum, 353. a
Monaſt. Faucenſe aliaque Epiſcopatus Auguſtani, 416. a 419. n 417. m n
Monaſt. Fiſcamnenſe, 754. a
Monaſt. Floriacenſe, 291. a 469. a 601. a 709. a a 751. 755. a m 754. m 836. a n
Monaſt. Floriacenſe *quaſi caput & principium monaſtici Ordinis*, 878. a *V.* S. Benedicti.
Monaſt. S. Foillani, 260. m
Monaſt. Fontis Archadiæ, 529. a
Monaſt. Foſſatenſe, 754. a
Monaſt. Fructuarienſe, 759. a
Monaſt. Fuldenſe, 387. m n 448. m n
Monaſt. S. Furſei Peronæ, 482. m
Monaſt. S. Galli, 11. & ſeqq. Abbates, Harmuotus & Berinhardus, 16. a Vodalricus, 20. m. Alii 21. a. Notkerus, 22. a Alii Abbates, monachi, recluſæ & recluſi, 43. & ſeqq. 441. a 815. a
Monaſt. Gandenſe, 490. m n
Monaſt. Gemblacenſe, 490. m n
Monaſt. Gemeticenſe, 879. m
Monaſt. S. Gendulfi, 864. a
Monaſt. S. Georgii Pragæ, 810. a
Monaſt. Georgii prope Villingam, 116. m
Monaſt. Geridia ſeu ſanctæ Suris, 147. a
Monaſt. S. Germani Autiſiodorenſe, 713. a m
Monaſt. Gigniacenſis Abbas Berno. 67. a
Monaſt. S. Gildaſii in pago Bituricenſi, 82. m 83. m
Monaſt. Gimedia, ſeu Gemeticenſe 19. m
Monaſterium Gironenſe, 297. m
Monaſt. S. Gisleni, 250. m, 264. & ſeqq.
Monaſt. Gladbacenſe, 628. & ſeqq. 868. a
Monaſt. Glannafolienſe S. Mauri, 836. n
Monaſt. Glaſtonienſe ſeu Gleſtonienſe, 105. a, 599. m & ſeqq. 602. m n, 646. m, 641. m
Monaſt. S. Glodeſindis, 587. 588.
Monaſt. Gorzienſe, 303. m, 363. & ſeqq. 412. a, 578. a, n
Monaſt. Grandivallenſe in Alſatia, 13. m
Monaſt. Groniggenſe, 628. m
Monaſt. Haſterienſe, 587. a, n, 587. a, 588. a
Monaſt. Helmenſtadienſe, 573. a
Monaſt. Heresfeldenſe, 570. a
Monaſt. Herivordenſe, 345. a
Monaſt. Herſeveldenſe, 570. a, 571. a
Monaſt. S. Hilarii & S. Saturnini Carcaſſone, 541. & ſeqq. 849. a, 850. m
Monaſt. Hildenſe in Hiſpania, 296. a
Monaſt. Hirſaug. monachus Adelhardus, 43. Abbates Liutbertus & alii *ibid.* 42. 820. a
Monaſt. Gorreenſe, 242. a
Monaſt. S. Hucberti, 383. a, n, *V.* Andaginum.
Monaſt. Humolarienſe, 348. a
Monaſt. SS. Jacobi & Wigberti, 548. m
Monaſt. duo S. Januarii, 866. m
Monaſt. S. Joannis, 866. m

Mo-

Monaſt. S. Joannis de Cabero, 517. m n
Monaſt. S. Joannis Magdeburgenſis, 56. m
Monaſt. S. Joannis Parmæ, 697. & ſeqq.
Monaſt. S. Joannis de Venaria ſeu Vejeira, 520. a n 573. m
Monaſt. S. Iſaac, 866. m
Monaſt. S. Juliani, 866. m
Monaſt. S. Juliani Turonis, 131. 755. m
Monaſt. Juſſanum, 86. a
Monaſt. Laubienſe, 867. a Ibi ſtudia litterarum, 477. a
Monaſt. Lauredanum, 519. n
Monaſt. S. Laurentii, 866 m
Monaſt. S. Laurentii Leodii, 868. m 876. m
Monaſt. Laureshamenſis Abbas Kebo, 21. m
Monaſt. Lebrathenſe ſeu Bellimontis, 410. m & ſeqq.
Monaſt. Leuconaenſe S. Walarici, 546. & ſeqq. V. S. Walarici,
Monaſt. S. Leodegarii Campellenſe in diœceſi Lingonenſi, 757. m
Monaſt. Linthaugienſe ſeu Lindavienſe, 64. a n
Monaſt. Lindiburgenſe, 353. m
Monaſt. Lirinenſe, 740. m 748. a
Monaſt. S. Liudgeri Wertinenſe, 454. m
Monaſt. S. Luciani, 550. a
Monaſt. Lutrenſe apud Sequanos, 276. & ſeqq.
Monaſt. Magdeburgenſe, 563. & ſeqq.
Monaſt. S. Magni Faucenſe, 455. m V. Faucenſe.
Monaſt. S. Magni prope Fundas, 637. m
Monaſt. Magonzianum, 489. a
Monaſt. Majus Turonenſe, 752. m
Monaſt. Mallonia, 261. m n
Monaſt. Malmesbiriæ, 496. m
Monaſt. S. Manſueti, 862. & ſeqq.
Monaſt. S. Marcelli de Fellinis, 749. m
Monaſt. S. Marcelli Cabilone, 750.
Monaſt. B. Mariæ Arulenſis, 848. m 800. a
Monaſt. B. Mariæ in Palatiolo, 873. m
Monaſt. B. Mariæ de Pinarolo, 759. a
Monaſt. S. Mariæ Wigorniæ, 708. m 721. a
Monaſt. S. Martini Æduenſe, 89. & ſeqq. Abbates, 90.
Monaſt. S. Martini Carnoti, 283. a
Monaſt. S. Martini Coloniæ, 331. a
Monaſt. S. Martini Meinfeldenſe in pago Maginenſi, 341.
Monaſt. S. Martini Mettis, 376. a
Monaſt. S. Martini in Treviris, 341. m
Monaſt. Maſciaci conſtructio, 82. & ſeqq. Abbates, 83. m
Monaſt. Mataniensſis in Germania Abbas Recharius, 108. m
Monaſt. Mauzacenſe, 83. m
Monaſt. Medeshanitede, 512. a 593. a 603. m
Monaſt. S. Maximini apud Treviros, 339. & ſeqq. 591. m 796. a 866. a
Monaſt. Medianum, 411. a
Monaſt. Mediolacenſe, 341. a 341 m
Meginradi cella ſeu Einſidlenſe monaſterium, 242. V. Einſidlenſe.
Monaſt. Melbodienſe, 267. a n & ſeqq.
Monaſt. Melonenſe, 535. m
Monaſt. Merſburgenſe, 110. m 565. a
Monaſt. Meſſinenſe, 557. n
Monaſt. S. Michaelis V. Coxanum.
Monaſt. S. Michaelis de Cluſa V. Cluſinum.
Monaſt. S. Michaelis in diœceſi Hildenesheimenſi, 331. m
Monaſt. S. Michaelis Luneburgi, 331. m
Monaſt. S. Michaelis de Monte, 880. a
Monaſt. S. Michaelis ad Moſam, 368. m 540. m 867. a
Monaſt. S Michaelis in Tiraſcia, 482. m 488. m n 539. & ſeqq. 584. a 879. m
Monaſt. S. Michaelis Vallelucii, 634. a & ſeqq.
Monaſt. Miciacenſe, 361. & ſeqq.
Monaſt. Miclanienſe, 641. m
Monaſt. Mininleve in Saxonia, 570. a
Monaſt. Mimlebi in Turingia, 348. a
Monaſt. Moiſacenſe, 83. m
Monaſt. Montisfalconis, 373. a n
Monaſt. Montisleugarum, 279. a
Monaſt. Morbacenſe, 739. m 764. m
Monaſt. Moſomenſe S. Mariæ, 344. a 354. & ſeqq.
Monaſt. Murenſe in Helvetia, 314. a 820. a
Monaſt. Nantuenſe V. S. Amandi,
Monaſt. Nonantulanum, 868. & ſeqq. Abbates Gregorius, 112. 112. Leopardus, Petrus, Rodulfus, *ibid.* Ingelbertus, 113. m
Monaſt. novum B. Mariæ Coloniæ, 335. m
Monaſt. Northuſanenſe, 349. a m
Monaſt. Nunnamenſter Wintoniæ, 603. a 626. & ſeqq.
Monaſt. Palatiolenſe, 342. a
Monaſt. Palidenſe ſeu Polidenſe, 347. a 348. a m 351. a 351. m
Monaſt. S. Pantaleonis, 331. & ſeqq.
Monaſt. Palmatum apud Petrocorios, 12. a Abbas Adalgaſius, 12. a
Monaſt. Paterniacenſe, 67. a 733. m 861. a m 861. m
Monaſt. S. Pauli Ratisbonæ, 788. m 797. a
Monaſt. S. Pauli Romæ, 134. m 135. a 135. 776. a
Monaſt. S. Paulini in Treviris, 342. a
Monaſt. Pennalba in Aſturic. diœceſi, 35. 38. m
Monaſt. Peronenſe, 588. a n 539. m
Monaſt. Perſorenſe, 245. m 246. a 627. m 730. a m
Monaſt. Peterhauſen ſeu S. Petri & S. Gregorii in ſuburbio Conſtantienſi, 816. a
Monaſt. S. Petri in Cælo aureo, 747. m 777. n
Monaſt. S. Petri in valle Carnotenſi, 278. & ſeqq. 879. m
Monaſt. S. Petri Gandavi, 659. m V. Blandinienſe & Gand.
Monaſt. S. Petri Lundoniæ, 694. m
Monaſt. S. Petri puellare Mettis, 286. a 370. m n 492. m n
Monaſt. S. Petri de montibus in diœceſi Aſturicenſi Abbas Vincentius, 38. a
Monaſt. S. Petri de Puncto, 230. m
Monaſt. Pinnatenſe S. Joannis, 297. a
Monaſt. Podii Odolinum, 743. a
Monaſt. Polleſwortenſe, 623. a & ſeqq.
Monaſt. Prumienſe, 341. a 867. m
Monaſt. Quindelingeburgenſe, 345. m 346. a 347. & ſeqq. 351. a
Monaſt. S. Ragneberti, 866. m
Monaſt. Rameſienſe, 708. & ſeqq. 717. & ſeqq.
Monaſt. inferius monialium Ratiſponæ, 109. a
Monaſt. Ratiſponæ Superius & Inferius, 789. a 797. a m
Monaſt. Reigelliacenſe, 866. m
Monaſt. S. Remigii Remis, 342. & ſeqq. 513. m 879. m
Monaſt. Reomaenſe, 733. m
Monaſt. Resbacenſe, 227. & ſeqq.
Monaſt. Reuviſir ſeu Ruyenſis Abbas Daocius, 82. a
Monaſt. Rivipullenſe, 850. m
Monaſt. Rodnace in Belgio, 205. a
Monaſt. Roſiacum ad Crauſam in pago Bituricenſi, 89. a
Monaſt. Romanenſe, 132. m 132. m
Monaſt. Rumeſienſe, 626. a
Monaſt. S. Sabæ, 866. m
Monaſt. S. Sabini aut Savini Placentiæ monachus Wido, poſtea Epiſcopus, 114. m
Monaſt. S. Sabini in loco Tuſcana dicto, 749. m
Monaſt. Sahaguntinum S. Facundi, 533. m n
Monaſt. Saliceta, 520. m
Monaſt. Salſenſe ſeu Sehlenſe, 861. m 862. a

Monaſt. S. Salvatoris, 773. a
Monaſt. S. Salvatoris prope Montem Bebium ſeu Veſuvium, 373. m 376. m
Monaſt. Salzburgenſe, 877. m
Monaſt. S. Salvatoris Ticini, 777. m n 861. m
Mooaſt. Samonenſe, 519. n. 527. a n
Monaſt. S. Savini in Pictonibus ad Gartimpam, 89. a Dodo Abbas, *ibid.* 93. m
Monaſt. Schafhuſanum, 314. m
Monaſt. Sceptonienſe, 527. a
Monaſt. Seckingenſe, 819. a
Monaſt. Senonienſe, 364. a 386. a m 411. m 412. a
Monaſt. S. Severi, 866. m
Monaſt. S. Severini Coloniæ, 335. m
Monaſt. Sigebergenſe, 628. a
Monaſt. Silenſe, 519. n
Monaſt. Silentium in Aſturicenſi diœceſi, 35. m Deſcriptio ejus, 37. m 38. a
Monaſt. Silenſe in Hiſpania, 296. m
Monaſt. S. Silveſtri, 866. m
Monaſt. Silviniaci prope Molinos origo, 84. *& ſeqq.*
Monaſt. Sithienſe S. Bertini, 547. m *& ſeqq.*
Monaſt. S. Solutoris Taurinenſis, 759. a
Monaſt. prope Sorgam amnem, 519. n
Monaſt. Stabulacenſe, 383. m n 575. a 868. m
Monaſt. S. Stephani Auguſtæ, 443. a n
Monaſt. Superadenſe, 535. m
Monaſt. ſanctæ Suris vocabulo Geridia, 147. a
Monaſt. S. Symphoriani Treviris, 342. a
Monaſt. Tamlactenſe, 877. m
Monaſt. Tavanenſe, 342. m
Monaſt. Thancmaresfeldenſe, 628. a
Monaſt. S. Theoderici prope Remos, 513. *& ſeqq.*
Monaſt. SS Theodori & Martini, 876. m
Monaſt. S. Thomæ, 866. m
Monaſt. Thornienſe, 595. a m 604. a
Monaſt. Ticinenſe in Cælo aureo, 698. a 704. a 751. m
Monaſt. Tegenſenſe, 591. *& ſeqq.*
Monaſt. Tignenſe, 249. m 250. a 344. a 355. a 355. m 377. m
Monaſt. de Tormino, 533.
Monaſt. Truncinenſe, 212. a n
Monaſt. Tuitienſe, 331. a
Monaſt. Tutelenſe, 10. a
Monaſt. Vabrenſe, 9. m *& ſeqq.* Abbat. Adalgiſus, 19. m Agius 12. m
Monaſt. S. Victoris Genevæ, 861. m
Monaſt. Villæ novæ, 516. m
Monaſt. S. Vincentii, 866 m
Monaſt. S. Vincentii Laudunenſis, 541. a m
Monaſt. S. Vincentii Mettis, 352. *& ſeqq.*
Monaſt. S. Vitalis, 866. m
Monaſt. S. Vitoni, 866. m
Monaſt. Vizeliacum, 96. a n
Monaſt. S. Urſmari, 478. m
Monaſt. Utemburanum, 416. a 446. m n 449. m
Monaſt. Vvalciodorenſe, 482. *& ſeqq.* 540. *& ſeqq.* 575. *& ſeqq.*
Monaſt. Vvaſſarenſe, 478. m
Monaſt. Vverdenſe apud Bajoarios, 236.
Monaſt. Vveiſſembergenſe, 623. m
Monaſt. Vveſtbirienſe, 708. m 710. a n 717.
Monaſt. Vveſtmonaſterienſe, 642. m
Monaſt. Vveſtergroningenſe ad Bodam, 706. a
Monaſt. Villare *V.* Cellam novam,
Monaſt. Vvicemburgenſe, 567. a 568. m
Monaſt. Vviltonienſe, 622. *& ſeqq.* 688. m n
Monaſt. Vvinchecumbe, 138. *& ſeqq.* 729. m
Monaſt. Vvinethuſenſe ſeu Vvinelhauſenſe, 345. m 350 m
Monaſt. novum Vvintoniæ, 496. m 594. m *& ſeq.*
Monaſt. vetus Vvintoniæ, 496. m 594. *& ſeqq.* 600. a
Monaſt. Wirzimburgenſis Abbas Kerho, 21. m
Monaſt. S. Zenonis, 866. m
Monellus Abbas S. Hilarii, 542. m
Mons-Bebius ſeu Veſuvius, 373. m n
Mons-Corduba in Hiſpania, 517. a n
Mons-gaudii prope Anicium, 774. m
Mons-Maurus in Alpibus, 743. m
Mons-morentius villa, 145. m
Morvannus Epiſc. Venetenſis, 131. m
Mozomum ſecunda ſedes Remenſium, 356. m
Munio Abbas de ſancta Columba, 296. m
Munio Folgar miles, 524. m

N

NAlgodus ſcriptor vitæ S. Odonis, 123. a, *& ſeqq.* 739. *& ſeqq.*
Namphio Abbas S. Hilarii, 542. a
Narbon. Archiep. Agius, 12. m
Natalis Abbas Resbacenſis, 232. a 231. m
Neheriſteim ad Rheum, 493. a
Neothus Abbas, 4. m
Neoti Confeſſoris reliquiæ Croilandiam deportatæ, 512. m
Neronda villa ſuper fluvium Graonna, 320. m
Neuna Alveus in Flandria, 210. a
Nicolaus Primicerius S. R. E. 878. m
Nilus Junior Abbas, 633. *& ſeqq.* 823. a 830. n 831. a n 838. m 841. m 842. a
Nitkarius Epiſcopus Auguſtenſis, 415. m
Niziacus cella ſeu Prioratus, 748. a
Nizizi Provincia Slavorum, 569. m
Noneda caſtellum pagi Arvernici, 9. a
Nonnus Saimo, 73. a
Nordoardus Redonenſium Epiſcopus, 282. a
Nortmanni pulſi Callæcia, 518. m n
Nortmundus Rex Nortmannorum, 179. m
Nortpertus Abbas S. Galli, 61. a
Novum Monaſterium Wintoniæ, 4. a 5. a
Notgerus Epiſc. Leodicenſis, 467. a 868. m
Notgerus Clericus Bononienſis, 207. a
Nothelmus Archiepiſcopus Cantuarienſis, 286. m
Notkertus Epiſcopus Leodicenſis, 20. m 22. m
Notkeri quator apud S. Gallum, 12. a 13. a
Notkeri Balbuli elogium hiſtoricum, 12. *& ſeqq.*
Notkerus Abbas S. Galli, 22. a
Notkerus Medicus monachus S. Galli, Piperiſgranum dictus, 57. a n
Notherius Epiſcopus, 835. a 844. m
Notingus Epiſc. Conſtantienſis, 815. a
Notho Abbas S. Remigii, 342. m
Noviomenſ. Epiſcop. Balduinus, 111. m
Nunio Velati miles Regis, 522. m
Nunius Dux, 523. m

O

OBiſo Epiſc. Piſenſis, 866. a
Ochtricus electus antea *Scolaſticus* & Cantor Magdeburgenſis, 571. m 572. a m
Odacer Abbas Cormaricenſis, 323. m
Odalricus Archiepiſcopus Remenſis, 326. m 513. m 863. m 864. m
Odda Comes, 245. m
Oddo Abbas, 747. m
Oddo monachus S. Savini mitiſſimus, 94. a 94. m
Odeleus Abbas S. Medardi, 359. m
Odfridus Clericus ac præpoſitus Watinenſis, 557. *& ſeqq.*
Odilo Abbas Cluniacenſis, 103. m 761. 741. a 758. m 759. 762. a
Odilo vir clarus monachus Gorzienſis, 364. a, poſtea Abbas Stabulenſis, 384. a n
Odonis Archiepiſcopi Cantuarienſis vita, 286. *& ſeqq.* 500. a 637. m 659. a, n 660. m 662. m, n 665. a 709. a 750.
Odo Epiſcopus Bajocenſis Comes Cantiæ, 679. m 686. m 692. m
Odo Epiſcopus Carnotenſis, 282. a 284. a
Odo Abbas Cluniacenſis, 85. m *& ſeqq.* elogium ejus hiſtoricum, 122. *& ſeqq.* 877. m

Foſ-

Digitized by Google

Foſſorium cur dictus, 167. a
Odo Abbas Dolenſis, 83. m
Odo Abbas Floriaci, 877. m 879. a
Odo Abbas Maſciacenſis, 123. a
Odo Abbas S. Maxentii apud Pictones, 123. a
Odo Henrici Francorum Regis frater, 111. a 111. m
Odo Princeps, 83. m
Odo Comes, 282. a
Odo Comes, 754. m
Odo Comes, 284. a
Odo Comes, 246. m
Odo filius Raimundi Comitis Toloſæ, 11. m
Oddo Comes, 511. m
Odo monachus Foſſatenſis, 754. m
Odolbertus Epiſcopus, 317. a
Odolbertus Abbas Gorzienſis, 388. a
Odolricus Archiep. Remenſis *V.* Odalricus.
Odolricus Comes palatii, 317. a
Odolricus frater Anſelmi Comitis, 317. a
Odolricus *V.* Udalricus.
Ogo ſeu Hugo Leodicenſis Pontifex, 339. m 388. a, n, antea Præpoſitus S. Maximini, 296. m 297. a
Ogo *V.* Uhogo.
Ogo ſive Ougo *V.* Hugo.
Oilbaldus ſeu Giboldus Abbas Gorzienſis, 308. m n
Oibaldus ſeu Oibaldus frater Guiberti Gemblacenſis, 298. m 300. a
Olaricus Dux Boemorum, 823. m
Olbertus Abbas Gemblacenſis, 298. a 298. a 300. a
Olga Ruſſiæ regina poſt baptiſmum Helena dicta, 566. a 566. m
Olida Abbas Coxanenſis, 543. m
Oliba Comes Biſuldinenſis, 851. m
Olibanus Comes fit Caſini Monachus, 878. m, tum Abbas, dein Epiſcopus, 850. a m 859. n 861. a, n,
Olibanus Abbas S. Hilarii, 544. m
Ordbirhtus, 618. m
Ordgarus Dux, 506. a 507. m
Ordinerus Dux, 688. m
Ordonii Regis diploma, 33. & *ſeqq.*
Ordonius monachus Cellæ novæ, 514.
Orlandus Vicecomes Vvimnacenſis, 549. m
Osbernus monachus Cantuarienſis, 286. m 639. 640. m 644. & *ſeqq.*
Osbrithtus Dux, 504. a
Osburga mater Guiberti Gemblacenſis, 300. a
Oſgarus monachus Wintonienſis, 601. a 604. a
Oſgarus cujus ſupra Abbas Abandoniæ, 603. a 622. a
Osketulus Archiep. Eboracenſis, 139. a 505. a 505. m 506. a 506. 710. a
Osketulus Abbas Crulandenſis, 512. m
Oſwaldus Epiſcopus Wicciorum ſeu Wigornienſis, tum Eboracenſis, 506. a 506. 507. m 690. a Ejus vita, 708. & *ſeqq.*
Oslake Dux, 500. a 503. m 506. a 507. m
Oſtatus Comes, 723.
Oſulfus cognatus Oſwaldi Archiepiſcopi, 732. m
Oſwaldus nepos Odonis Archiep. Cantuar. 287. m
Oſwardus Abbas Eveshamenſis, 507. a
Oſwardus Presbyter nobilis, 730. m
Otardus pater Maimbodi Epiſcopi Matiſconenſis, 317. a
Otbertus Epiſcopus Leodicenſis, 310. a
Otbertus Marchio Comes palatii, 747. a
Orgarius Comes, Tegernſenſis monaſterii conditor 592. m
Otharius monachus S. Galli, 20. a
Othecarius monachus ſcriptor librorum, 173. a
Otho Comes Burgundiæ, 280 m
Othricus magiſter Scholarum Magdeburgi, 825. m n 826. a m n 840. a
Othulfus nobilis Anglus, 723. m

Otkarius Archiepiſcopus Moguntinus, 415. m
Otmarus Abbas S. Galli, 793. m
Otmari Confeſſoris oratorium Puppingæ, 807. m
Otradus Abbas Mersburgenſis, 110. m
Otto I. Leo dictus a filio 22. a 263. a 264. a 563. a & *ſeqq.* 751. a 776. m 781. a 782. Ejus diplomata, 242. 277. 350. 351. 592. 864.
Otto II. Imperator, 757. a 794. m 804. 810. m 827. m, n, 840. m
Otto III. 834. a 834.
Otto Dux pater Henrici Aucupis, 345. m
Otto Dux Alamannorum, 453. m
Otto Dux Bajoariorum, 570. m 592. a m 593. a
Otto Comes, 355. a 356. m
Otto Iagbergæ Comes, 544. m 545. a
Otto Marchio Veronenſis, 835. m 840. m
Otto Epiſcopus Arcatenſis ſeu Eiſtetenſis, 470. n
Otto Epiſc. Bambergenſis, 823. a
Otto Epiſcopus Wintonienſis, 488. a n
Ottobertus Epiſcopus Argentinenſis, 120. m
Otwinus ex Abbate Magdeburgenſi, Epiſc. Hildesheimenſis, 341. a 563. m 367. m 568. a
Oyboldus Abbas Floriacenſis, 754. m
Oydellis Cella ſeu Prioratus in Comitatu Arvernico, Epiſcopatuque Auguſtidunenſi, 318. 319. a
Oxonienſis Univerſitas, 4. m

P

Pacenſis civitas *Badajoz*, 527. m n
Palatini Philoſophi, 476. a
Palatini proceres, 590. a
Palatinus ſeu Palatius Conſul, 76. m Comes 81. m
Palzo Spirenſis Epiſcopus, 21. a
Pandulfus & Landulfus Principes Capuani, 631. m 632. a
Pavatius Confeſſor, 245. m
Parma fluvius, 704. m n
Parnæ opidum in Vilcaſſino, 536. m 538. m
Paſtorale caſtrum, 196. m
Paterni monachi & Martyris tranſlatio in monaſterium Brajacenſe ad Sequanam, 245. & *ſeqq.*
Patricius junior Glaſtoniæ, 646. m n
Paulus Epiſcopus Leonenſis, 141. m
Pazovva civitas, 454. a
Peggæ Virginis cella ſeu monaſteriolum, 504. a
Pelagius Archiep. Bracarenſis, 573. m 574. a
Pelagius Abbas Cellæ-novæ, 522. a n 527. a
Pelagius Ficarius Abbas Cellæ novæ, 530. m n
Pelagius monaſterii Cellæ-novæ Archidiaconus, 529. a
Peneresius Abbas S. Salvatoris, 866. m
Perchtoldus Epiſcopus Trevirenſis, 470. n
Perona ſeu Patrona caſtrum, 218. a n
Pertherata Recluſa ad S. Gallum, 43. m
Petri Urſeoli Ducis Venetiarum vita, 847. & *ſeqq.*
S. Petri Pictenſis eccleſiæ cenſus debiti, 8. m
Petronilla de Rocejo Comitiſſa, 539. a
Petrus Cardinalis S. R. E. bibliothecarius, 73. a
Petrus Archiep. Compoſtellanus, 535. m
Petrus Epiſc. Bituricenſis an Bitterrenſis, 864. m
Petrus Comſanenſis Archiepiſcopus, 866. a
Petrus Caurienſis Epiſcopus, 535. m
Petrus Epiſcopus an Vivarienſis, 813. m
Petrus Abbas Aureliacenſis, 9. a
Petrus Abbas S. Bonifacii, 866. m
Petrus Abbas Cellæ-novæ, 523. a 524. a
Petrus Abbas Cormaricenſis, 142. a
Petrus II. Abbas Humolarienſis, 215. m
Setrus Abbas Lutrenſis, 278. m
Petrus Abbas Nonantulæ, 113. m
Petrus Eccleſiæ Romanæ Diaconus Cancellarius & Bibliothecarius, 866. m
Petrus Canonicus Jacobenſis eccleſiæ, 528. m
Petrus Candianus Dux Venetiarum, 849. a 811. m n
Petrus Damiani, 868. a
Petrus filius Petri Urſeoli Ducis Venetiar. 855. a

Digitized by Google

Petrus Gundiſalvi apoſtata, 522. a
Philippi I. Francorum Regis febris, 538. m
Pincetanorum Provincia, 845. m 846. a
Placidus Abbas Einſidlenſis, 546. m
Plegmundi Archiepiſcopi Cantuar. elogium, 38. *& ſeqq.* 501. m
Plictrudis mater S. Gerardi Abbatis, 253. a
Piligrimus Epiſc. Pataviensis, 794. m 795. a
Poca Epiſcopus, 609. m
Polliana ideſt Polonia provincia, 845. a
Pons-Vrſarii infra Alpes, 777. m
Poncia uxor Willelmi Comitis Matiſcenſis, 70. m
Pontius Abbas Cluniacenſis, 149. m
Pontius Abbas Coxanenſis, 850. a
Pontius Aquitaniæ Conſul, 813. m
Pontivus pagus, 549. m
Poppo Abbas S. Vincentii Mettis, 353. a
Poppo Cracuenſis Epiſcopus, 845. m
Poppo Epiſcopus Herbipolenſis, 21. a 790. m
Poppo Epiſcopus Trajectenſis, 380. m
Porcarius Abbas Lirinenſis martyr, 787. m
Porticenſis Comitiva, 354. m
Portuenſis Comitiva, 25. 250. a
Portus-Alnonis villa Resbacenſis, 228. a
Potamicus lacus, 50. a 54. a 62. m
Pragenſis Epiſcopatus erectio, 809. m
Primitivi & Facundi martyrum natale, 515. m 517. m n
PRIORATUS de Balmis, 67. m Brovienſis prope Forum Sebuſianorum, 104. a Enziacenſis, 90. m 96. m 101. a S. Geroldi, 544. *& ſeqq.* S. Lauteni, 68. m 85. m 86. m S. Marcellini & S. Saturnini, 763. a Nitolarias cella S. Hilarii monaſterio Carcaſſonenſi ſubjecta, 521. m de Paterniaco, 67. a *V.* Mon. S. Petri de Geſiaco, 284. a de Valentiolis, 742. a
Protaſius Urgelitanus Archidiaconus, tum Abbas, Coxanenſis, 849. m 850. a
Puppinga ad Danubium, 806. m
Purchardus Dux Alamannorum, 452. m n
Purchardus Abbas S. Galli, 815. m
Purchardus Comes, 453. a

Q

QUadra aliena, 774.
Quadrageſimæ tempore continentia præcepta, 345. a

R

RAchildis Recluſa ad S. Gallum, 43. m 44. a 53. a 55. a n 64. m
Raculfus Vicecomes, Lugdunenſis, 76. a
Radbodus Trevirenſis Archiepiſcopus, 28. a
Radbodi Epiſcopi Trajectenſis ad Rhenum vita, 26. *& ſeqq.*
Radbodus Comes, 500. m
Radla Papas, 833. n
Radla S. Adalberti Pappas, 822. a *& ſeqq.* 841. m n 843. m
Radulfus Laudunenſis Epiſcopus, 328. m 539. m 979. m
Radulfus Abbas, 283. a
Radulfus filius Ebonis principis Bituricenſis, 82. m Inde Caſtrum-Radulfi, *ibid.*
Radulfus Comes Veteris villæ, 539 a
Radulfus de Dragiaco qui & Rodulfus nobilis Sueſſionicus, 228. a 228. m 229. a 230. a
Radulfus de Caldrejo miles, 538. a
Radulfus Advocatus Civinocurtis, 560. a
Rætia Curienſis, 463. a
Ragemprandus Abbas Caſinenſis, 114. m
Ragenardus Comes, 70. m
Ragenfredus Epiſcopus Carnotenſis, 279. a m
Ragenfridus major domus, 205. a
Raginardus frater Guiberti Gemblacenſis, 300. a
Raginbertus præpoſitus Celſinianenſis, 320. m
Ragenaldus Comes Rociacenſis excommunicatus, 513. m
Raginerus Longicollis Comes Hainoenſium, 265. a n 265. m 299. m
Raimodis uxor Theoberti viri illuſtriſſimi, 743. a
Raimundus Abbas Auriliacenſis, 10. m
Raimundus Comes Toloſanus, 9. m 11. m
Raimundus Comes, 851. a
Raimundi Comitis inſtrumentum, 544. a
Rainaldus Epiſcopus Pariſienſis, 764. a
Rainaldus Advocatus S. Walarici, 562. r
Rainbaldus Numiculator, 70. m
Rainerus Abbas S. Præjecti, 215. m
Rainerus S. Præjecti Vicarius, 224. a
Rambertus Abbas Senonienſis, 388. n 411. m
Rambertus monachus Einſidlenſis, 820. m
Rambertus aut Rainbertus ſeu Reginbertus monachus inſignis, 318. a
Rambertus Canonicus Auguſtenſis, 421. a 423. m
Ramnulfus Abbas Dolenſis, 83. m
Ramwoldus Abbas S. Emmerammi, 105. m 106. a 341. a 788. m 796. a
Randerenſis Vicaria pagi Arvernici, 746. m
Randincus Presbyter Mettenſis, 376. a n 377. m 388. m
Rangerus Abbas Senonienſis, 412. m
Ranulfus Epiſcopus Aſtoricenſis, 33. m
Ranulfus Abbas Senonienſis, 875. a
Baſſonis ex Comite monachi Werdenſis apud Bajoarios Elogium, 235.
Ratburnus Vicecomes, 315. m
Ratholdus Epiſcopus Veronenſis, 247. a
Ratherius Veronenſis Epiſcopus, 329. m Ejus elogium, 473. *& ſeqq.*
Ratiſponenſes Epiſc. Tuto, 105. *& ſeqq.* Alii Garibaldus, Simpertus, Conſtantinus, Adalwinus, Bathuricus, Ercanfridus Wolfgangus, Embricus, Aſpertus *ib.* Iſengrinus, 111. m Guntharius, *ib.*
Ratoldus Abbas Corbejenſis, 359. m
Ravangerus Abbas Epternacenſis, 341. a 410. a
Ravennas locus regni Provinciæ, 70. a
Raymundus Comes Lemovicenſis, 89. a
Raymundus Comes, 522. m
Raynardus Abbas Dolenſis, 85. m
Recamundus Abbas S. Hilarii, 541. m
Recharius Abbas Matanienſis, 108. m
Rechburga ſanctimonialis, 348. m Abbatiſſa Northuſanenſis, 348. m 349. a 349. m
Recemundus Legatus an Ragemundus Epiſcopus Illiberitanus, 408. a n
Redda caſtrum, 544. a
Reddenſis Comitatus, 544. a
Regenſis Epiſcopus Helmeradus, 81. a
Regenſis pagus & comitatus, 742. a
Regi in litteris Raimundi Comitis Toloſani non liceat res monaſterii Vabrenſis beneficiare vel concamiare vel condonare, 11. m
Regilo Comes, 820. m
Regilo II. Comes prioris filius, 820. m
Regimbaldus Archiep. Arelatenſis, 763. a
Regimbardus Abbas S. Emmerammi, 107. m
Regimundus marchio Toloſæ monarcha, idem cum Raimundo Comite, 12. a
Reginardus Leodicenſis Epiſcopus, 298. a
Reginbaldus Comes, 437. n 438. a
Reginbaldus Abbas S. Udalrici, 416. m
Reginbertus Prior Celſinianenſis, 314. a
Reginberd frater Mathildis Reginæ, 344. m
Reginberti monachi & fundatoris cœnobii S. Blaſii in Hercinia Silva elogium, 313. *& ſeqq.*
Reginbodo Abbas Hirſaugienſis, 42. a 42. m
Regino Abbas Prumienſis, 341. a
Regino nobilis, 340. a
Regulinda Duciſſa apud Ufnaugiam ſolitaria, 53. m 244. a
Reimannus ſeu Ouſmannus ſcriptor vitæ S. Cadroæ, 482. a
Reimprandus Præpoſitus S. Joannis Parmæ, 22. a

Rein-

Reinbertus Colberienſis Epiſcopus, 845. a
Reinerus Abbas S. Coſmæ, 866. m
Reinildis mater Mathildis Reginæ, 347. m
Remenſes Scholæ, 323.
Remenſe epiſcopium regia gratia contraditum ſæculo 10. 358. m
Remenſes Archiep. Fulco, 27. a Vvido 111. m
Remigius monachus Trevirenſis vir doctus, 325. a
Remigius monachus Pariſiis magiſter, 149. m 154. m n 187. m 325. & ſeqq. 366. m n
Remigii Scholæ, 387. m
Remundis ſeu Rembidis ſoror Guiberti Gemblacenſis, 300. a 306. m
Reſtaldus Epiſcopus Piſtorienſis, 698. a 703. a n
Reſtoldus Abbas S. Vvalarici, 550. m n
Reynoldus martyr Coloniæ, 331. m
Rhetia vocata Adalberti Comitatus, 819. a
Ricardus I Dux Normanniæ, 231. a
Ricardus Protaides Dux Nortmannorum, 228. m
Richardus Senior Dux Nortmannorum, 730. a
Richardus Dux Nortmannorum, 763. m
Richardus Dux Nortmannorum, 754. a
Richardus Dux, 24. a
Richardus Princeps, 333. m
Richardus Marchio, 876. a
Ricardus Comes, 70. m
Richardus Comes Mettenſis, 357. a
Richardus Abbas S. Benedicti, 362. a 866. m
Richardus Abbas S. Ragneberti, 866. m
Richardus Abbas, 321. m
Richardus Abbas, 342. a
Richardus Abbas, 360. a
Richardus frater Manaſſæ Archiepiſcopi Arelatenſis, 317. m
Richardus filius Lamberti Comitis Valentinenſis, 749. m
Richarius Epiſcopus Leodicenſis, 383. a n. 475. a 438. a 896. a m 897 a
Richarius Tungrenſis Epiſcopus, 340. a 341. a
S. Richarii Abbatis relatio in Centulenſe monaſterium, 553. & ſeqq. Miraculorum libellus, 557. & ſeqq.
Richarius Abb. Magdeburg. 177. a m 594 & ſeqq.
Richarius monachus Gemblacenſis ſcriptor, 499. m
Ricfridus Comes, 30. m n
Richerus Magiſter Leodicenſis, 582. a
Richerus Abbas S. Juliani, 866. m
Richfredus Abbas, 758. m
Richildis Comitiſſa Matiſconenſis, 321. m
Richildis uxor Leotaldi Comitis, 317. m
Richizo vir potens, vitricus Adalberonis Mettenſis Epiſcopi, 400. a
Richobaldus Abbas S. Emmerammi, 105. m
Richwinus ſeu Riuwinus comes, 436. m 446. a 446. m 447. a 451. a 451. a
Riculfus Elnenſis Epiſcopus, 850. m
Riddagus Abbas Magdeburgenſis, 564. a
Ringuhus ſeu Ringulfus miniſter, 506. a
Riquinus Comes, 389. a n
Riſo caſtrum pagi Vapinſis, 750. a
Robertus Rex, 227. m 228.
Robertus Comes tum Rex, 255. a n
Rotbertus Archiepiſcopus, 480. a
Robertus Cantuarienſis Archiepiſc. 503. 111. m
Rodbertus Epiſcopus Mogunt. 119. m
Rotbertus Archiep. Trevirenſ. 326. m 339. m 340. m
Robertus Epiſcopus Lingonenſis, 24. a
Robertus Epiſcopus Mettenſis, 867. m
Rodbertus Epiſcopus Valentinus, 317. m
Rotbertus Abbas Blandinienſis, 204. m
Robertus Abbas Foſſatenſis, 111. m
Robertus Abbas S. Juliani, 141. m
Robertus Monachus tum Abbas Valciodorenſis ſcriptor, 575. a 585. m
Robertus Abbas, 813. m
Rotbertus Abbas, 319. a 747. a
Rotbertus præpoſitus Cluniaci, 68. a
Rotbertus nobiliſſimus Saxonum, 119. a
Rotbertus Senior, 317. a
Rotbertus pater Adalelmi militis, 246. m
Rotbertus Vicecomes, 317. m
Rotbertus Vicecomes, 748. m
Rotbertus Vicecomes, 319. a 320. m
Rodbertus de *Meslebrem* miles, 538. a
Rodbertus Miles, 284. a
Rotbertus Anguillula miles, 226. a
Rocca janula Caſmi, 632. a
Rodanenſis pagus *de Roanne*, 317. m
Rodericus de Chunha Archiep. Bracarenſis, 574. m
Rodericus Palentinus Epiſcopus, 535. m
Rotfridus præpoſitus S. Remigii, 342. m
Rodulfus Rex Burgundionum, 132. a 264. m n 563. m
Rodulfus II. Burgundiæ & Italiæ Rex, 133. a 869. a m
Rodulfi Regis diploma pro Gigniaco, 68.
Rodulfus Rex, 133. a 316. a m 744. a
Rodulfus Dux Burgundiæ Tranſjuranæ, 861. a
Rodulfus filius Ludovici Imperatoris, 134. a
Rodulfus Dux, 277. a
Rodulfus Comes, 320. m
Rodulfus Epiſcopus Cabilonenſis, 748. m
Rodulfus Epiſcopus Laudunenſ. 215. a *V.* Radulfus.
Rodulfus Epiſcopus Noviomenſis, 219. a 221. m
Rodulfus Abbas, 528. m
Rodulfus Abbas Latiniacenſis, 111. m
Rodulfus Abbas S. Petri, 866. m
Rodulfus Abbas S. Petri Cabillonenſis, 321. m
Rodulfus Abbas S. Remigii, 344. a 356. m 359. m 514. m
Rodulfus Abbas S. Trudonis, tum S. Pantaleonis, 338. m 333. m
Roſiacum villa prope Cluniacum, 316. m
Rogerius Comes Carcaſſenſis, 542. a m 543. m
Romana Synodus, 832. m n Alia 855. a n
Romani monachi feſtum in Hiſpania, 516. a
Romanis villa & fiſcus in pago Lugdunenſi, 80. a 316. m 875. 883.
Rorico Epiſcopus Laudunenſis, 541. a
Roſtagnus Archiepiſcopus Arelatenſis, 70. m
Roſtagnus Epiſcopus, 104. m
Roſtagnus Epiſcopus, 320. a
Roſtagnus nobiliſſimus, 474. m 480. m
Roteldis uxor Ademari Comitis, 749. m
Rotgarius ſeu Rotgerius Comes, 79 m 80. a
Rotgerus Archiep Trevirenſis, 341. m
Rotgerus Comes Rociacenſis, 355. a
Rotgerus Comes, 513. m
Rotgerus monachus ſcriptor vitæ Brunonis Archiepiſcopi Colonienſis, 332. a
Rotgerius monachus S. Liutfredi, 332. a
Rothildis femina illuſtris, 112. a
Rothingus ſeu Redingus, optimas Avus S. Guiberti Gemblacenſis, 298. m 301. m
Rotlandus Cantor Mettenſis, 371. m 376. a
Euthardus Epiſcopus Argentinenſis, 278. a
Rotmarus Abbas Altivillarenſis, 328. a
Rotmundus Epiſcopus Æduenſis, 137. a 316. a
Rotulfus Abbas Moſomenſis, 360. a
Rotvvicus Abbas Mediolacenſis, 541. m
Rubilocenſis Eccleſia cathedralis, 815. a n
Rudbertus Epiſcopus Salzburgenſis, 877. Diſquiſitio de ejus ætate, *ibid.*
Rudeſindi Epiſcopi Dumienſis vita, 514. & ſeqq. 573. m
Rudeſindus Comes, 515. a
Rudmandus Abbas Augieuſis, 248. m
Rodulfus Abbas Hirſaugienſis, 41. m
Rudpertus Archiepiſc. Maguntinus, 453. m n
Rudungus Abbas Utemburanus, 448. a n
Rueggerus magiſter ad S. Gallum, 15. a
Ruſiacenſis ager pagi Matiſconenſis, 81. a

UNIVERSIDAD CENTRAL BIBLIOTECA DERECHO

Digitized by Google

Rugi aliquando iidem cum Ruſſis, 566. a 566. a
Ruginiacum municipium, 231. m
Ruodmannus Abbas Augienſis, 21. m 630. m
Ruodman Abbas Einſidlenſis, 820. m
Ruotpertus Abbas S. Manſueti, 864. a
Rupertus Abbas Uttemburanus, 447. n 471. a n
Ruprecht ſeu Rupertus Abbas Murenſis, 319. a m
Rutenenſis Epiſcopus Heliſacar, 11. m
Rutpertus magiſter ad S. Gallum, 14. a & ſeqq.

S

Sabarius Dumienſis Epiſcopus, 34. m
Salacho Abbas. 376. a n 383. n
Salacho Abbas S. Martini Mettis, 339. m
Salamantic. Epiſcopus Dulcidius, 34. m
Salas villa Callæciæ, 517. a n
Salecho Advocatus Campidonæ, 472. a
Sallia fluvius pagi Lugdunenſis, 136. m
Salomon Epiſcopus Aſturicenſis, 37. m
Salomon canonicus ad S. Gallum, 13. m Abbas, tum Epiſcopus Conſtantienſis, 15. a
Salomon Conſtantienſis Epiſcopus, 62. m
Salomon II. Conſtantienſis Epiſcopus, 49. a
Salomon III. Conſtantienſis Epiſcopus, 50. a n
Salomones tres Epiſcopi Conſtantienſes, 815. m
Salſum mare in Saxonia, 520. m
Salviniacus aut Silviniacus villa, 319. a
Salvius monachus Caſinenſis ſanctus, 639. a
Salvi Abbatis Alveldenſis elogium, 288. & ſeqq.
Sambra ſeu Sabis fluvius, 219. m 274. m
Samſon Comes, 264. m
Sanaterra ſanterre in Picardia, 3. m
Sanctius Rex Luſitaniæ, 574. a m
Sanctius Zamorenſis Epiſcopus, 534. m
Sandinum in Hiſpania mons, 525. a n
Sandradus monachus Trevirenſis 22. m tum Abbas Gladbacenſis, 341. a Ejus elogium, 628. & ſeqq. 868. a
Saracenorum & Hungarorum impreſſio in Provinciam, in Alpes, aliaſque circumjacentes provincias, 740. a 743. a 744. m 756. m
Savaricus Rudeſindi magiſter, 515. m Pontifex Dumienſis, *ibid.*
Savinier, 85. a 86. a 87. a
Sax ad Lanquartum amnem, 545. a
Scaldis fluvius, 203. m
Scaminus ſtudioſus, 473. a
Scarpona caſtrum, 398. m
Schireburnenſes Epiſcopi, 40. a 236. & ſeqq.
Scholæ palatinæ, 26. m
Scholæ Rameſiæ in Anglia, 139. a
Sclavania pro Polonia, 846. a
Scollandus Abbas S. Auguſtini, 679. a 691. a
Scutindis comitatus, 68. m
Secuſtironenſis comitatus, 742. m
Segegavus Abbas Glaſtonienſis, 695. m
Seguinus Archiepiſc. Senonenſis, 875. a
Sellenburen aut Seldenburen caſtrum in agro Turicino, 314. a
Senatus Bravonius præpoſitus monachorum Wigorniæ, 708. a
Senegundis mater Raimundi Comitis Toloſ. 10. m
Senorina Abbatiſſa Baſtenſis, 573. 574.
Senorina Abbatiſſa Venarienſis, 520. a n 521. m
Sepulchri Domini pars coloris albi, pars rubri, 207. m
Sergii Papæ III litteræ, 112. m
Sergius Metropolita Damaſcenus, 823. a
Sergius pater S. Romualdi monachus, 848. m
Sergius Scriniarius Romanæ eccleſiæ, 71. m
S. Severi corpus in cœnobium Meinfeldenſe delatum, 342. a
Siagna flumen in Provincia, 749. m
Sico Romanæ Eccleſiæ Primicerius, 866. m
Sicfredus Vicecomes, 541. m
Sidonius Epiſcopus Conſtantienſis, 815. m
Sifridus Comes, 341. m
Sigebertus Gemblacenſis, 297. 398. m 310. a
Sigebrandus Abbas S. Judoci, 537. a
Sigefridus Epiſcopus Parmenſis, 697. & ſeqq. 751. m
Sigefredus filius Comitis de Waldebike monachus Magdeburgenſis, 564. a
Sigefridus Comes, 571. m
Sigefridus Comes, 564. a
Sigefridus filius Comitis de Stathen, 571. m
Sigefridus nobilis, 628. a
Sigefridus Saxonum optimas, 118. a
Sigericus Epiſcopus, 618. m
Sigeus miniſter, 500. m
Sigifridus Abbas Petershauſenſis, 820. a
Sigifridus Comes Saxonicus, 706. a
Sigifridus Comes de Waldebike, 564. a
Sigfridus Schafhuſenus Abbas, 314. m
Siggo Sacerdos idolorum, 839. m
Signedus Abbas Ripenſis, 712. m
Sigwinus Comes, 82. m
Silvanectenſis Epiſcopus Frotlandus, 111. m
Silviniacus Prioratus, 760. m 787. m
Simpertus Epiſcopus Auguſtenſis, 415. m 438. m n
Simpertus Epiſcopus Ratiſponenſis, 105. m
Sindolfus monachus S. Galli, 14. m
Singinus Centurio Wiciorum, 501. m
Siraldus Comes, 136. m
Siricius Archiep. Cantuarienſis, 640. a
Siricus cognatus Ailwini Ducis, 724. m
Siſegutus Abbas, 850. a
Siſnandus Yrienſis ſeu Compoſtellanus Epiſcopus, 516. a 516. a 518. m n
Sitricus Rex Nortanhumbrorum, 301. m
Slawinc Dux pater S. Adalberti, 824. m n 825. a n 829. m
Sinuttura fluvius Sueviæ, 461. m
Sobebor & alii tres fratres S. Adalberti martyris, 834. a 842. m 844. a
Sobbo Archiepiſcopus, 480. a
Sobbo Archiepiſcopus Viennenſis, 315. m 316. m
Sobo Cariloci invaſor, 327. a
Solaria locus ubi cella Nonantulenſis monaſterii, 113. m
Somena fluvius, 549. m
Spirenſis Epiſcopus Palzo, 21. m
Spitigneus Dux Bohemorum, 108. m
Stablecella in pago Lomacenſi, 249. m 252. m n
Stantio pater S. Gerardi Abbatis, 251. m 252. m
Stateus Epiſcopus, 72. a
Stephanus Rex Hungariæ, 823. a 846. a
Stephanus Epiſcopus Arvernenſis, 76. m 317. a 318. a 319. a 389. a
Stephanus Epiſcopus Leodicenſis, 867. a
Stephanus Morinorum Epiſcopus, 215. a
Stephanus Pariſienſis Epiſcopus, 32. a
Stephanus Epiſcopus Tungrenſis, 26. m 26. m 28. a 256. m 259. a
Stephanus Epiſcopus Vallavenſis ſeu Anicienſis, 811. m
Stephanus Epiſcopus S. R. E. Bibliothecar. 306. m
Stephanus Cancellarius ſedis Apoſtolicæ, 72. a
Stephanus Scriniarius S. R. E. 358. m 467. a
Stephanus Abbas Auriliacenſis, 11. m
Stephanus Dercenſis Abbas S. Emiliani, 248. m
Stephanus Abbas S. Thomæ, 866. m
Stephanus Capicerius Bononienſis, 206. m
Stephanus monachus Cellenovæ, 520.
Stephanus Comes Gabalitanus, 811. m
Stephanus Comes, 250. a
Stephanus Comes, 356. a 377. m
Stephanus filius Bertrandi Senioris an Comitis Arvernorum, 842. m
Stephanus filius Hugonis Comitis, 843. m
Stephanus prænobilis, 318. m
Stephanus Italus vir doctus, 790. m

Ste-

Stephanus ſcriptor vitæ S. Maurini, 338. m 334. a
Stratus monachus Romæ, 842. a
Strezislava mater S. Adalberti, 825. a n 839. m
Sura flumen Angliæ, 675. a
Sueno Rex Danorum, 678. a
Sulmona flumen in finibus diœceſis Remen. 355. m
Sundergoe pagus in quo Tegernſee monaſterium Bajoariæ, 593. a
Sunefridus ſeu Guifredus Comes Barcinonenſis, 850. m
Sunifredus Abbas, 541. m
Sunnemotinga caſtellum in Suevia, 447. a
Surna fluvius pagi Matiſcenſis, 134. m
Suthardus vir clariſſimus, 362. a
Swarlingus monachus annoſus CXLII. 510. a
Swithunus Epiſcopus Wintonienſis, 595. a 603. n vita ejus metrica, 619. *& ſeq.* Ejus imago 240. m
Synodus *V.* Concilia.
S. Syri Eccleſia Papiæ, 784. m n
Syrus monachus & Abbas vitæ Majoli ſcriptor, 39. *& ſeqq.*

T

TAgininus Vicedominus eccl. Ratiſponenſis, 809. a Archiep. Magdeburgenſis, 805. m n
Talemdenſis comitatus, 320. a
Tar fluvius Italiæ, 442. m n
Taraſia Comitiſſa, 573. m
Tardanenſis pagus, 357. a 359. a
Targonenſis pagus, 554. n
Taronius fluvius, 551. m
Taſſilo Dux cum Diotone filio monachi, 106. m
Tatto Præceptor Augienſis, 247. a
Tedbaldus Comes, 284. a
Teobertus Arnulfi Epiſcopi Aptenſis conſanguineus, 658. m
Tetbaldus Comes, 231. m 232. a
Tetbaldus Comes Cabilonenſis, 750. a
Tetbaldus filius Ingelberti fratris Sobbonis Archiepiſcopi Viennenſis, 315. m
Ternatum ager pagi Lugdunenſis ubi cœnobium pro Agaunenſi habitum, 137. a
Tetharatus Epiſcopus Pragenſis idem cum Dithmaro, 825. n 827. a
Tethis fluvius Catalaniæ, 849. m 850. a
Tetta ſoror Geronis Comitis, 570. m
Teudemirus Nagelenſis ſeu Najarenſis Epiſcopus, 296. m 297. a
Teutberga mater Manaſſæ Archiepiſcopi Arelatenſis, 317. m.
Teutbertus Comes, 70. m
Teutherius Comes, 867. a
Teutboldus Lingonenſis Epiſcopus, 23. a
Teuto Abbas Foſſatenſis, 754. m 758. a n
Teutonica lingua dicta Barbarica, 864. m
Thancmarus Abbas Corbejæ-novæ, 706. a
Theo Abbas Lutrenſis, 278. m
Thebaldus Epiſcopus Ambianenſis, 359. a 513. m
Theobaldus Comes Dapifer, & Ludovici 7. Secretarius, 9. m
Theobaldus dominus de Centumliis, 245.
Thedbaldus Comes, 282. a
Theobaldus Abbas Caſini, 637. m
Theobaldus Abbas, 759. a
Theobaldus Miles, 215. a
Theodardus Epiſc. Anicienſis, 812. m
Theodardus Præpoſitus Subpentonienſis, 179. a
Theodericus Archiepiſc. Trevirenſis, 341. m
Theodericus Epiſcopus Conſtantienſis, 44. a
Theodericus Epiſcopus Mettenſis, 492. m n 493. m n 572. m 586. m 588. a m
Theodericus Epiſc. Orbienſis, 866. a
Theoderici Abbatis Remenſis corporis elevatio, 513. *& ſeqq.*
Theodericus Abbas Uticenſis, 231. m
Theodericus Abbas Walciodorenſis, 575. m
Theodericus pater Mathildis Reginæ, 349. m
Theodericus Marchio, 570. m
Theodericus natalis Dom. violator punitus, 623. a
Theodinus Abbas S. Walarici, 546. m 551. m 552. a
Theodorus monachus Romæ, 823. m 840. a
Theodorus Notarius Subdiaconus S. R. E. 879. a
Theodpaldus ſeu Dietpaldus Comes, 434. a n 418. n 437. a n 438.
Theotrada qui Regina, 753. m
Theoduinus ſtudioſus, 473. a
Theophanu uxor Ottonis II. Imperatoris, 331. m 850. a 841. a 844. a
Theopompus & Theonas ſive Syneſius Martyres, 115. a m. 870. a
Tetboldus Præpoſitus S. Remigii, 342. m
Thetpirga Comitiſſa mater S. Udalrici, 418. m n
Theudo Epiſcopus Cameracenſis, 359. a
Theuſo Abbas S. Petri, 866. m
Theutelo Archiepiſc. Turonicus, 128. m 131. m
Thietdagus Epiſcopus Pragenſis, 844. m
Thiethardus Epiſc. Hildensheimenſis, 564.
Thiedo Epiſcopus, 335. m n
Tiedo Cameracenſis Epiſcopus, 265. m n
Thietfridus Abbas S. Maximini, 340. m
Thietingus Abbas Augienſis, 247. a
Thietlandus Abbas Einſidlenſis, 242. m 243. m 817. *ſeqq. &*
Thietmarus Abbas Corbejæ-novæ, 707. m
Thietmarus Marchio, 628. a
Thietmarus Comes, 345. a
Thieto Abbas S. Galli, 824. m
Tignus fluviolus Portuenſis Comitivæ, 250. a 356. a
Tilbertus Abbas Ripenſis, 712. m
Tilpinus Archiep. Remenſis, 342. a
Titulfus monachus Carnoti necatus, 279. a
Toba Regina, 295. a
Tolornenſis Comitatus, 321. m
Torulla matrona Bononienſis, 206. m
Totto Abbas Utemburanus, 416. a
Traheſinus Comitatus, 746. m
Trajectum olim *Wiltaburg* dictum, 26. a
Trajectenſis Epiſc. Egilbertus ſeu Egilboldus, 27. m 29. n Baldricus, 21. Radbodus, 26.
Tranſlatio S. Luciæ Mettas ad S. Vincentium, 352. *& ſeqq.*
Tranſlatio S. Arnulfi Martyris in Moſomenſe Monaſterium, 354. *& ſeqq.*
Tranſmarus Epiſc. Noviomenſis & Tornacenſis, 212. m 214. m 250. m
Trenta pagus, 32. a n
Truanus Decanus Anicienſis, 812. m 813. m
Tructaldus Vicecomes, 3.8. a
Tullenſis Epiſc. Arnolfus, 21 m
Tuſſa urbs Alamanniæ, 436. a n
Turegum civitas, 819. a
Turegus Solitudo, 378. a
Turgovve pagus, 12. a Comitatus, 817. m.
Turketuli Abbatis Crulandenſis vita, 496. *ſeq. &*
Turicinus pagus, 55. m n
Turpius Epiſcopus Lemovicenſis, 83. a 88. a 126. m 131. a
Tuſciacum villa pagi Lugdunenſis ſuper Ararim, 316. m 317. a
Tutelo Archiep. Lugdunenſis, 879. a
Tutilo magiſter ad S. Gallum, 14. a *& ſeqq.*
Tuto Epiſc. Conſtantienſis, 820. a
Tuto Ratiſponenſis Epiſcopus, 845. n
Tutonis Epiſcopi Ratiſponenſis elogium, 105. *& ſeqq.*

V

VAbrenſe Monaſterium, 9. m fit Eccleſia cathedralis, 11. m
Valdricus *V.* Baldricus.
Valentini martyris corpus Coxani, 851. a 854. m 856. a

Digitized by Google

Valemiola in Provincia, 741. a
Valerandus Abbas S. Vitoni, 866. m S. Valerius, 35. m
Val levecia villa comitatus Reddenſis, 544. a
Valongus Abbas Luxovienſis, 749. a
Valterius Vicecomes, 319. m
Vapinſis pagus, 750 a
Vaſinſis Comitatus, 750. a
Ubertus Abbas Ticinenſis in Cælo aureo, 698. a
Udalricus Epiſcopus Auguſtanus, 50. a n 59. m n 243. a 761. m 793. a 846. a Ejus vita 242. m 413. & *ſeqq.* charta pro Campidonenſi monaſterio 471.
Udalricus Abbas Lutrenſis, 278. m
Udalricus Abbas S. Galli, 61. a
Udalricus monachus S. Galli, 57. a
Udalrici & filiorum ejus elogium, 544. & *ſeqq.*
Udalricus Advocatus, 816. a
Udaſcalcus ex Præpoſito Epiſcopus Auguſtanus, 413. m 470. a n
Udaſcalcus Abbas S. Udalrici, 415. m 471. a
Udo dominus, 492. m
Udo Præpoſitus & Primicerius Tullenſis, 865. Apoſtolicæ ſedis Bibliothecarius, 866. m
Velaſco Epiſcopus, 298. m
Velaſcus Comes, 527. a 528. a
Velaſcus Abbas, 250. a 259. m
Venetia, 847. &. *ſeqq.*
Vercellenſ. Epiſc. Liutvvardus, 18. m 19. m
Vergidenſis pagus in diœceſi Aſturicenſi, 33. a
Veſontionenſ. Epiſc. Gedeon, 68. a Humbertus 70. m
Vſnaugia inſula Turicini lacus, 243. m 819. a
Ugo Comes, 71. a
Ugo Abbas, 759. m
Uhogo Epiſcopus Trajectenſis, 307. a n
Vicopiculo caſtrum in Longobardia, 747. m
Victoris martyris baſilica Genevæ, 861. m
Victoriacum caſtrum, 399. a n
Victorinus martyr in monaſterio Maſciaco, 84. a
Vicus in Lotharingia, ubi Salinæ, 394. m
Vigila monachus Alveldenſis ſcriptor, 298. a
Vigoris Epiſcopi corpus Centulæ, 562. a n
Vilgardus Grammaticus erroris damnatus, 873. m
Vicenenſe territorium, 813. a
Vincentius Abbas S. Januarii, 866. m
Vincentius Abbas S. Petri in diœceſi Aſturic. 38. a
Vindex fluvius Sueviæ, 442. n 464. m 464. a
Vitalis Candianus Dux Venetiarum, 878. a
Viventius Archiep. Remenſis Bracæ, 355. m
Vivianus Præpoſitus Cluniacenſis, 759. m
Ulricus filius Theoberti optimatis, 743. a
Ungerus Epiſc. Gneſnenſis, 845. a
Ungerus Poznanienſis Epiſcopus, 845 a
Unifredus Epiſcopus Urgelitanus, 850. m
Ungrorum irruptio in Alamanniam & cædes, 427. a 436. & *ſeqq.*
Vodalricus Abbas S. Galli, 20. a
Vodalricus Comes, 44. a
Urlbinus Abbas S. Apollinaris, 866. m
Urraca Regina Hiſpaniæ, 524. m n
Vrſilia caſtrum, 759. m
Urſo Epiſcopus Gradenſis, 851. n
Urſonum familia unde dicta, 851. m
Utho Epiſcopus Argentinenſis, 278. a
Vvago Abbas, 758. m
Vvala Abbas Corbejæ novæ, 707. m
Vvalafridus Abbas Augienſis, 247. a
Vvalarici Abbatis relationis hiſtoria, 546. & *ſeqq.*
Vvalberti turricula Papiæ, 474. m
Vvalburgis Recluſa Rheſæ in Clivia, 583. a
Vvalda uxor Ratburni Vicecomitis, 315. m
Vvaldo Abbas S. Maximini, 339. a
Vvaldo Comes, 707. a
Vvaldramnus monachus S. Galli vir doctus, 51. a 53. m
Vvalerannus Comes Mellendenſis, 111. m
Vvalerannus Abbas S. Quintini de Monte, 115. m
Vvallavorum civitas ubi templum B. Mariæ, 774. a
Vvalo Epiſcopus Æduenſis, 23. m
Vvalo Abbas Gorzienſis, 364 a
Vvaltarius Abbas Petershauſenſis, 819. n
Vvalterius Epiſc. Veronenſis, 866. n
Vvalterius Epiſc. Æduenſis, 101. m n. 749. a 758. n
Vvalterius Meldenſis Epiſcopus, 111. m
Vvalterius Comes Pontiſarenſis, 111. m
Vvalterius Vicecomes, 745. m
Vvalterius Præpoſitus, 758. m
Vvalterius Epiſc. Laudunenſis, 880. a
Vvalterus Comes Dorcaſſinus, 283. m
Vvalto Abbas Augienſis, 247. m
Vvaltramnus magiſter ad S. Gallum, 15. a
Vvandalmarus Abbas Maſciacenſis, 83. m
Vvandregeſili Ansberti & Vvlframni tranſlatio Blandinium, 201. & *ſeqq.*
Uvaning monachus S. Galli præceptor S. Udalrici in grammatica, 419. a n
Vvarcum caſtrum, 354. m 356. m
Vvarimbertus Abbas, 719. s
Vvarimbertus clericus Mettenſis, 372. a 376. a
Vvaringa oppidum diœceſis Auguſtenſis, 421. m
Vvaringiſvilla Mettenſis Epiſcopatus, 398. m n
Vvarinus Archiep. Colonienſis, 331. a 623. m
Vvarinus Abbas Corbejæ novæ, 706. a m
Vvarinus Abbas, 543. a, an idem cum Guarino Abbate Coxanenſi, 513. m
Vvarinus Abbas Coxanenſis *V.* Guarinus.
Vvarinus Comes Matiſconenſis, 74. a 74.
Vvarnerius Epiſcopus Lingonenſis, 24. a
Vvarnerius pater Manaſſæ *Archiepiſcopi* Arelatenſis, 317. m
Vvarnerius nobilis, 389. a
Vvarnerius monachus & Præpoſitus Cluniacenſis 81. a 739. m 764. a
Vvatinenſis Præpoſitura, 557. m n
Vvendelgarda Abbatiſſa Ganderhermenſis, 563. m
Vveldigarda Comitiſſa, 44. a
Vvellenſis Epiſcopus Athelelmus, 40. a
Vveltinopolis in Germania, 805. m n
Vveneslaus Bœmorum Dux Martyr, 809. m
Vveneslaus Dux Bœmorum, 828. a n. 842. m
Vvenceslaus martyr, 842. m 848. m
Vverdo Abbas S. Galli, 247. m
Vverdolfus Abbas Lutrenſis nepos Baltramni b- batis, 277. a
Vverefridus Wigoracenſis Epiſcopus, 40. a
Vverembertus monachus S. Germani, 259. m
Vveretha villa ad mare Belgicum, 209. m
Vverinfredus Abbas Stabulenſis, 478. m
Verinharius Abbas Fuldenſis, 449. a n 452. a 454. m 462. a
Vverinharius Advocatus, 455. m
Vvernharius Comes, 314. a
Vverſtanus Epiſcopus Schireburnenſis, 39. m 501. a 507. m
Vvertinus monachus Augienſis, 247. a
Vviboldus Abbas Stabulenſis, 575. a 576. m
Vviboradæ virginis & martyris Recluſæ vita, 43. & *ſeqq.* 414. m 419. m n
Vvicfredus Præpoſitus de S. Afra, 460. a 462. a
Vvicfredus Archiepiſcopus Colonienſis, 332. m
Vvicfridus Epiſcopus, 117. m
Vvidbertus Abbas S. Petri Carnotenſis, 283. m
Vvidekindus Dux, 344. m
Vvideraldus Epiſc. Argentinenſis, 861. m
Vvidericus Comes, 586. n
Vvidgarius Abbas Urtemburanus, 416. a
Vvidikind frater Mathildis Reginæ, 344. m
Vvido Archiepiſcopus Lugdunenſis, 72. a 316. m 879. a
Vvido Remenſis Archiepiſcopus, 111. m
Vvido Archiepiſcopus, 480. a
Vvido Placentinus Epiſcopus, 112. m

Vvi-

Wido Epiſc. Sueſſionenſis, 349. m 359. m 513. m
Wido Epiſc. Volaterrenſis, 866. a
Vvido Abbas S. Judoci, 537. m
Vvido Abbas S. Severi, 866. m
Vvido Bernonis Abbatis Cluniacenſis conſanguineus, 66. m 72. a V. Guido Abbas.
Vvido Bibliothecarius S. R. E. 569. a
Vvido Monachus Gorziæ, 408. a
Vvido Comes, 70. m
Vvido Comes, 513. m
Vvido frater S. Gerardi, 251. m
Vvido Vicecomes Arvernicæ civitatis & Auſenda ejus conjux, 748. m
Vvido nobilis, 134. a
Vvidricus ſeu Vvigiricus Mettenſis Epiſcopus, 120. a m 121. a
Vvidricus Abbas S. Apri, 865. a
Vvidricus Abbas Tullenſis, 758. a 760. a
Vvigericus cuſtos S. Stephani Mettis, 353. m
Vvigfridus Epiſcopus Virdunenſis, 353. m
Vviggeri Abbatis S. Maximini apud Treviros elogium, 339. & ſeqq.
Vvigiricus ſeu Vvidricus Epiſcopus Mettenſis, 378. a n
Vvigo frater Humberti Epiſcopi Gratianop. 759. m
Vvildenus Abbas Ripenſis, 712. m
Vvilfridus junior Epiſc. Eboracenſis, 712. m n 712. m n
Vvilfridus ſenior Epiſc. Eboracenſis, 712. m n 712. m
Vvilfrith Regina, 623. a
Vvilerannus Epiſcopus Carcaſſonenſis, 541. a
Vvilla Regina, 133. a
Vvillardus Monachus Mauri monaſterii, 353. a
Vvilleberd Hirſaugiæ Abbas, 114. m
Vvillegiſus Epiſc. Moguntinus, 119. m 119. m 810. m 828. m 832. n 830. a 846. m
Vvillelmus Archiep. Mogunt. 118. a m 348. m 567. a
Vvillelmus Archicapellanus, 118. m
Vvillelmus Abbas Divionenſis, 24. a 754. a 762. m
Vvillelmus Abbas, 759. a
Vvillelmus Pius Comes, Dux Arvernorum Cluniaci conditor, 75. & ſeqq. Teſtamentum ejus, 77. 95. m 133. a
Vvillelmus Princeps ſeu Provinciæ Dux Saracenorum domitor, 757. a poſtea monachus, 762. m 785. m
Vvillelmus Burgundiæ Comes, 68. a
Vvillelmus Comes Arvernorum, 319. a
Vvillelmus nepos Vvillelmi Pii Ducis, 78. a 79. m
Vvillelmus Dux Nortmannorum, 763. m
Vvillelmus Comes Matiſcenſis, 70. m
Vvillelmus Comes, 743. a
Vvillelmus Comes, 9. a
Vvillelmus inſignis monachus Lebratenſis, 411. a
Vvillermus Merulenſis monachus ſcriptor, 536. m n 538. m
Vvillermi Regis pax, 679. a
Vvillelmus V. Guillelmus.
Vvillerbicus fluvius Saxoniæ, 520. m
Vvillerus ſeu Vvilliharius Abbas S. Maximini, 340. a
Vvillerus Comes Corboilenſis, 111. m
Vvilletrudis Comitiſſa, 42. m
Vvillico Pragenſis eccleſiæ Præpoſitus, 822. a & ſeqq.
Vvillidruda ſoror Vviboradæ Martyris, 65. m
Vvilligiſus Epiſc. Mogunt. V. Villegiſus.
Vvinidhardus monachus & Canc. S. Galli, 23. a
Vvimnacenſis pagus, 547. & ſeqq.
Vvindecaſtra Vvintonia, 488. a n
Vvinobertus Abbas S. Martini Æduenſis, 89. a
Vvinnochus nepos S. Judoci, 336. m
Vvinſigus nobilis Anglus, 723. m
Vvirandus Abbas Einſidlenſis, 820. a
Vvirinharius Abbas Fuldenſis, 119. a
Vvitegovvo Abbas Augienſis, 820. m
Vviteſelinga oppidum Sueviæ, 449. a
Vvitfredus Epiſcopus Bononienſis ſeu Tarvenenſis, 206. m n
Vvitica Sacerdos Urgelitanus, 849. m
Vvlfaldus ex Abbate Floriacenſi, 180. a n 280. m Epiſcopus Carnotenſis, 282. m 709. a n
Vvlfelmus Archiep. Cantuar. 289. m 290. m
Vvlfgarus monachus Vvintonienſis, 606. a fit Præpoſitus Abbandunenſis, 622. a
Vvlfinus Abbas Vveſtmonaſterienſis, 642. m
Vvlgina Comitiſſa uxor Ailvvini Ducis, 725. m
Vvlframni Epiſcopi tranſlatio Blandinium, 201. & ſeqq.
Vvlfius ſeu Vvlfinus Abbas Vveſtmonaſterii, 506. a 507. m
Vvlfſinus Epiſcopus, 618. m
Ulfſini Epiſcopi Schireburnenſis Elogium, 236. & ſeqq.
Vvlfſtanus Epiſc. Eboracenſis, 716. a
Vvlfſtanus Cantor Vvintonienſis, 611. a
Vvlſtanus Archiep. Eboracenſis, 500. a
Vvlfſtan Miniſter regius, 602. m n
Vvlfredus Diaconus Gleſtonienſis, 653. n
Vvlftrudis Regina, 623. m 625. a Abbatiſſa Vviltonienſis, 626.
Vvlftrudis Regina, *alias* Vvilfrith, 623.
Vvltmarus Abbas Gandenſis, 490. m n
Vvlfus nobilis Anglus, 123. m
Vvlfvvinus frater S. Dunſtani, 642. a m
Vvlmarus Abbas, 207. a n
Vvlvvina Abbatiſſa Merhamenenſis, 507. m
Vvolbero Abbas S. Pantaleonis, 334. a
Vvolezlavus Dux Sclavorum, 462. m n
Vvolfandus Comes, 54. a
Vvolfarius regius imperii miniſter, 835. m
Vvolfgangus Epiſcopus Ratiſponenſis, 105. m 106. a 107. m 451. m Vita ejus 788. & ſeqq. 820. a 820. a
Vvolo monachus S. Galli, 16. m 17 a m
Vvonesberth ſeu Vvonesberg an Mons-Caſſelius in Flandria, 209. a
Vvormat. Epiſc. Erpho, 21. a
Vvolfleos Epiſc. Conſtantienſis, 815. m
Vvolſtanus monachus auctor vitæ S. Ethelvvolfi Epiſcopi Vvintonienſis, 594. a m Ejuſdem liber metricus de vita S. Svvithuni, 614. & ſeqq.
Vvolveradus Comes, 453. a
Vvolvereda Abbatiſſa monaſterii novi Coloniæ, 335. m
Vzeticus Comitatus, 322. a
Vzeticus pagus, 318. a

Y

Y*Cionenſis* Vicaria pagi Arvernici, 746. m
Yſembardus Epiſc. Teanenſis, 866. m
Yvo Comes Bellimontenſis, 111. m

Z

Zunerta mater Eilberti Comitis, 590. n
Zurichovve Comitatus, 819. m
Ztraſquaſus filius Boleſlai Ducis Polonorum monachus ad S. Emmerammum, 828. n 829. n 832. n 841. m 843. m 844. m
Zuentiboldus Rex, 27. m

Digitized by Google

INDEX MORALIS
SÆCULI V. BENEDICTINI.

A

Abbas qui inſtituendus, 877. a, Abbas plurium monaſteriorum cur & quomodo, 67. a 77. m 85. a Abbas duobus ne præ ſit monaſteriis 67. a Abbates duo in eodem monaſterio non ſint, 789. m, Abbatum ſucceſſores deſignati, 85. a m Abbas poſtulatus Archidiaconus, antequam munus ſuſcipiat fit monachus, 114. m Abbatis benedictio, 771. a Abbates infulis decorati, 299. a Abbas cymbalum ad refectionem Fratrum pulſat 760. a Abbatis auctoritate privata delati honores ſacri virgini cæſæ in recluſorio, 58. a Abbati Dalmaticæ & ſandaliorum uſus ſæculo X. conceſſus, 352. m, Abbatis titulus ſeu dignitas in Eccleſiis cathedralibus, 362. m 744. m 748. 749. a, Abbas S. Galli electus *in S. Benedicti* vicem, 22. m

Ablutio pedum in monaſterio, 864. a

Abſolutio Epiſcopalis, 257. a

Abſtinentiæ inſigne exemplum, 848. m, Abſtinentia Epiſcopi monachi, 615. a

Adventus celebratio ſæculo X, 514. m

Advocationis tradendæ ritus, 429. m n

Adulterium ut punitum, 853. a

Agnus & lardi particulæ intra Miſſarum ſollemnia benedictæ, 427. a n

Altare itinerarium, 230. a 275. m, Altare ſuper ſancti tumulum pro canonizatione erectum, 761. m, Altaria ſæculo X. monaſteriis conceſſa, 365. m, Altaria poſt nocturnas preces quotidie viſitata, 391. a n 424. m Altaria nudata in mœroris ſignum, 533. a Altariolum velamine rectum in Recluſæ cellula, 58. m

Andabatarum mos, 802. m

Anniverſarium ſæculo X. fundatum, 455. m

Apocriſarii munus, 745. a 768. a

Aqua benedicta juxta lectulum, 800. m

Aqua ſanctificata in morborum medelam, 97. m

Aqua in vinum mutata, 29. a m

Arula argento cooperta portatilis, 230. a 276. a

B

Balneum ter in Quadrageſima, 426. a Baptiſmi gratia non percepta puer qui in refrigerio dicitur? 64. m Baptiſmi & monaſticæ profeſſionis comparatio, 870. a, Baptiſmus campanæ ſæculo X, 361. m

Barba cum capillis tonſa in monaſtici habitus ſuſceptione, 320. m

S. Benedicti Regulæ obſervatio quam utilis, 98. a inobſervatio noxia, *ibid.* S. Benedicti Regula cum ſancta patrum inſtitutione obſervanda, 34. a

Benedictio epiſcopalis, 22. a, Benedictio data vel accepta ad loquendi licentiam faciendam, 16. a

Benedictionale Roberti Epiſcopi Cantuarienſ. 5. m

Beneficia, pia opera, 223. m

Bibere in amore ſancti, 459. m n 459. m 560. a

Bibliotheca, ſacra Biblia, 36. m

Bubus tracti olim optimatum currus, 309. n 427. m n

C

Calceorum lotio a monachis Cluniacenſ. 173. m n 199.

Cambota S. Columbani, 16. a

Camerarii officium in Eccleſiæ cathedrali, 419 m n

Campana epiſcopali benedictione ſacrata, 275. m Campanæ baptiſmus ſæculo X, 361. m Campanis nomina indita in baptiſmo, 512. a

Cancellarii munus in monaſteriis, 3 m

Candela ad menſuram hominis ſancto Hugoni oblata, 99. a

Canonica inſtitutio pro monaſtica, 346. a

Canonicæ ſeu præbendæ eccleſiæ cathedralis monaſteriis aſſignatæ. 748. m

Canonicorum communis vita, 798. m Canonici Gregoriani ordinis, alii regulæ S. Silveſtri, 550. n

Canonizationis ritus 298. a 416. m 535. a 865. & *ſeqq.*

Capella, apparatus Miſſæ, 512. a

Capitulum ſchola ſapientiæ, 857. m

Capitulum Dominico die celebratum, 174. a n 199.

Capituli monachorum chirographum commune cum Abbate, 505. a

Cappis capita pro uſu ſæculo X adjecta, 415. m

Caput Quadrageſimæ Sabbato ante Dominicam primam, 602. a n

Cardinalibus Epiſcopis S. R. E. Epiſcopi Germanici accenſiti, 508. m

Cardinales ſæculo X conſulti ab Apoſtolico, 811. a

Caſtitatis cingulum, 414. m

Catenula ferrea virginis corpus circumdatum, 56. a

Cenſus perſolutus urnæ S. Petri Romæ, 7. m 131. a

Cenſus Romanæ Eccleſiæ ſolutus, 749. m

Chartæ ex papireo tomo, id eſt Ægyptiacæ ſæculo X Romanis Pontificibus uſitatæ, 357. a

Cherubim aureus in pinna eccleſiæ, 681. a

Chriſmatis benedictio, 425. a

Chriſtianitatis bannum, 434. m

Ciborium, 107. m

Cilicii uſus ſæculo X 414. m Cilicio impoſitus æger in extremis 10. m, Concilio impoſita Regina decedit, 349. m Cilicio interiore veſtitus ſepelitur Epiſc. qui factus erat monachus, 24. a

Cineribus capiti impoſitis Regina decedit, 349. m

Clauſtri aditus omnibus præterquam monachis, aut monaſtica cuculla indutis interdictus, 13. m 14. a 22. m

Clauſula Incluſarum, 49. a m n

Clericis interdicta venatio, 664. a

Coabbates ſub Abbate principali, 131. a

Coadjutores Epiſcopi ſenis quinque vicini Epiſcopi, 25. a

Codex monaſterii inſcriptus nomine Regis & Epiſcopi, 541.

Cœmeterium etiam Virginum extra monaſterium 67. m

Comitis liber 34. a 36. a m, Hieronymo adſcriptus, 371. a n

Communio corporis Chriſti poſt acceptum Viaticum poſt paucos dies iterata, 341. a

Completorio finito Miſſa concite dicta pro ferendo agenti in extremis Viatico, 10. m

Computorium, Necrologium in quo defunctorum procerum nomina, 349. a

Confeſſæ & confeſſoris nomen apud Hiſpanos quid ſignificat, 516. m

Confeſſio, 607. a 848. m Confeſſio moribundi, 110. a, excepta ante datum Viaticum, 17. a Confeſſio & Viaticum, 836. m Confeſſione & flagellis munitis qui ſancti ſepulcrum attingunt, 469. m Confeſſio generalis 372. a n Confeſſio & abſolutio bis repetita coram multis Sacerdotibus, 349. a 349. m Confeſſio data Epiſcopis 22. a Confeſſiones Sacerdotum junctis invicem capitibus factæ ad Completorium, 642. a Confeſſor Regis, 658. a

Confirmati chriſmate populi, 439. a Confirmationis

Digitized by Google

nis in Sacramento mutatum nomen, 811. a Confirmatio & unctio duplex, 840. a n
Conjugium illicitum, 686.
Conſecrationis Imperatoris modus, 117.
Conſolatio ſolitarii divina conſolatione deſtituti, 157. m
Continentia inter conjugatos præcepta in Cœna Domini, 345. a
Craticula ſuppoſita ciborio, 107. m
Crux accepta, & poſita in ſignum receptæ ſanitatis, 460. m n 464. a 465. a Cruces lapideæ pro limitibus, 500. a 508. a Crucis vexillum ex more ante Pontificem delatum, 665. m Crux in proceſſionibus, 22. m Crux poſt Primam ſolito more portata extra Eccleſiam a Clericis, 424. m Cruces pallii Epiſcopi ſepulti repertæ in tumulo, 25. m
Crucifixi ſpecies tunicata, 533. a Crucifixi effigies Auguſtoduni mira, 95. a n
Cuculla manicata, 607. m
Cucullus Epiſcopo, monacho & pauperi communis, 777. a
Curſus in honore S. Mariæ, de Cruce & de ſanctis ſæculo 10. 423. a n
Cuſtos ſacri fomitis, 537. m

D

DÆmonium meridianum ſeu ſpiritus erroris, 537. m
Decimæ monaſterio debitæ ſæculo X. 347. a 570. 745. m 746. a 814. a Decimæ propriorum a Sacerdotibus & monachis non perſolvendæ, 72. a 81. a
Defuncti memoria diei octavi triceſimi & anniverſarii, 347. m Defuncti corpus expoſitum maneat in eccleſia dum omnes horæ canonicæ recitatæ fuerint, 247. m
Devoti, 230. m 387. a
Dei famulus, pœnitens converſus, 243. m Dei judicium, 63. a Deus quid in cælo facit, 15. m *Deus in adjutorium*, &c. abſque præviis precibus *Pater*, *Ave*, &c. officii canonici principium, 16. a
Diploma ſeu charta ſcripta in tribus partibus ſeparatim poſitis, 725. m
Dominica carniprivii Sacerdotum, 434. m n
Dominica Indulgentiæ quæ eſt Palmarum, 845. m
Dominico die venia in capitulo non petita, 174. a n. 199. a Dominico die venatio Regi interdicta, 665. n 687. m
Donationes factæ in ſolidum Abbati & monachis ſeu monaſterio non Abbati ſolum, 751. a Donationes in manu Regis factæ, monaſterio redonandæ, 499. m
Duellum auctoritate publica, 570. m

E

ECcleſiæ bona ut diviſa, 83. 826. m n Eccleſiæ plebanæ in manu laicorum, 742. a Eccleſiæ capitium, 747. a
Eleemoſynæ, 347. m
Epiſcopium regia gratia contraditum ſæculo 10, 358. m
Epiſcopus numquam ſine Chriſmate, 605. m n Epiſcopi ſtolati dant remiſſionem, 20. a Epiſcopi non ſine baculo etiam in via, 842. a Epiſcopum viſitantem eccleſiam excipiendi modus, 428. m Viſitationis leges, 429. a Epiſcoporum in Regem officia, 3. m Epiſcoporum translatio ad ſedem ampliorem, 291. m Epiſcopi ſenis coadjutores vicini quinque Epiſcopi, 25. a Epiſcopale munus periculoſum, 329. m Epiſcopatus qui deferendus, 829. m 861. m Epiſcopus relicta ſede factus monachus, 29. a 181. a 320. a Epiſcopus monachorum indumento uſus, 414. m 444. m 445. a 802. a Epiſcoporum ſubſcriptio diplomati Papæ, 273. m n Epiſcoporum abſentium ſeu poſterorum ſubſcriptio, 283. a Epiſcopi Cantuarienſes omnes ex monaſtico ordine, 286. m 290. m
Epiſtola ſcripta in pelle vervecis, 406. m
Eremitoria prope monaſteria, 36. 37. m
Evangelio jurata fides, 21. m Evangelium agonizanti lectum, 349. m
Euchariſtiæ de Sacramento male ſentientes Clerici miraculo revincuntur, 291. m 291. a
Excommunicatio intentata cum Sacerdotali veſte, 472. a Excommunicationis vis, 672. m Excommunicatum in eccleſia ſepelire nefas, 595. m
Extremæ unctionis Sacramentum datum ante Viaticum, 339. m *V.* Unctio.

F

FAno, vas altaris, 51. m n
Feria V. in Cœna Domini *Indulgentiæ dies* dicta, 336. m
Ferula Epiſcopalis, 20. m, a Rege data Epiſcopo, 25. m
Feſti dies a veſpera incipiunt, 529. a
Feſti violatores, miraculo coerciti, 221. 222.
Fides Evangelio jurata, 22. m
Formula *pro anima* vivo aptata, 80. a
Fratres ſe vocant monachi & Abbates atque Epiſcopi ex monachis, 148. a n Fratres exteriores, ſeu Converſi, 314. m Fratrum conſcriptorum recipendi formula, 814. m 815. m Frater conſcriptus ad S. Gallum, 415. a 416. m

G

GAllicana ſtudia, 557. a
Gloria in Excelſis hymnum in Miſſa recitare olim omnibus haud licitum, 182. m
Græcæ linguæ uſus in Anglia a tempore Theodori Pontificis, 288. a
Gratiæ poſt refectionem in Eccleſia dictæ, 696. m n
Gregorii M. regiſtrum, 94. m

H

HOra incompetens quid, 15. a 16. m
Hoſtiæ oblatio Miſſa finita, 455. m
Humerale, amictus Sacerdoti ſacrificaturo induendus, 462. a n
Humilitatis exemplum, 390. a n 848. m

I

JAnuarii Kalendis præſtigiæ, 97. m
Jejunium uſque ad Nonam tantum, 479. m Jejunia ſæculo X. *noviter cum conſenſu inventa*, 430. m Jejunium ob diem dominicam feſtum ſolemne præcedentem Sabbato perſolutum, 7. a
Ignis occultus velut peſtis in Gallia deſæviens, 760. m
Imago ſancti in eccleſia collocata, 240. m
Imperatoris conſecrationis modus, 113.
Indiciis ad ſignificandum quid nocte uſi monachi, 607. a
Infulæ Abbatum, 399. a
Impiorum munera repudiata, 220. a
Impiorum impunitas nociva, 504. a
Imprecatio per S. Mariam, 240. m Imprecationes in veteribus inſtrumentis, 34. a 36. m 79. a
Incluſi, ſeu Recluſi ſæculo X. 333. a
Indulgentiarum dona ſæculo X. 444. a
Inobedientia caſtigata, 731. m 751. a
Inveſtitura Epiſcopatus, 420. m
Invocatio B. Mariæ ſæculo X. 436. m
Judicium Dei, 63.
Juſtitia menſura vini, 700. m n

K & L

KAlendis convenire Parochis mos, 422. a
Labarum a Capellanis regiis equo inſidentibus geſtatum, 15. m
Laici fratres ſæculo X. 511. a
Latina Lingua ſæculo IX. incognita nonnullis ſancti Galli monachis, 14. m
Lavatio in flumine pœnitentiæ cauſa, 487. a
Liber vitæ, 22. a
Le-

Digitized by Google

Lectio librorum in monaſteriis inculcatur, 36. m
Libri ex integro & per ordinem legendi, 36. m
Libri non vendendi, non commutandi, 36. m Libri veteres Comes ſeu liber Comitis, 34. a 36. Etymologiarum *cata Juanis*, 36. m Liber Regularum virorum illuſtrium, *ibid.* Liber Apringi, *ibid.* Librorum veterum catalogi, 34. a 36.
Litterarum ſtudia in aula Caroli Calvi, 324. m 325. a in monaſteriis, 248. m
Loquendi tempus licitum monachis, 181. m
Lumen defuncti ſepulchro impoſitum, 457. a
Luxuriæ fomenta ab hæreticis invecta, 40. m

M

Mandatum Sabbato 173. m 190. a vel feria quarta monachis uſitatum, uti & calceamentorum lavatio, 385. a n
Manuale Ordinum, 34. a 36. a
Maria mater miſericordiæ, 172. n
Martyrii domus, locus in quo pueri virgis cædebantur, 678. n
Matricularii, clerici eccleſiæ addicti, 423. a n
Menſis ſecundus, Majus, 398. a n
Mentio, memoria aut ſancti ſepulcrum, 592. m n
Micæ collectæ & in gemmas mutatæ, 159. a 160. m 181. m
Miſſa ſacrificalis vel ſacrificationis, 427. m 452. a Miſſæ abſque vino non celebrandæ, 801. a Miſſæ plures eodem die ex devotione ab Epiſcopo celebratæ, 423. a n 424. m n 426. m 441. a 450. a Miſſa duplex eodem die ab eodem ad viaticum dandum dicta, 172. m Miſſa celebrata poſt completorium pro impartiendo Viatico, 10. a Miſſa non quotidiana Anſtei Abbatis, 286. a Miſſa pro vivis ſimul & defunctis, 349. a Miſſæ triginta pro mortuo, 17. m Miſſæ privatæ ſæculo X. 387. a n Miſſa de ſancta Cruce qualibet feria 6. celebrata ſæculo X. 59. a Miſſa pro prædonibus & ſine pœnitentiæ ſpatio mortuis an oblata, 144. m Miſſam audientes oblationem panis & vini ferebant, 346. a Miſſa finita hoſtiæ oblatio, 455. m
Monachis uſitatum Sabbato vel feria quarta mandatum & lotio calceamentorum, 385. a n Monachis uſitatum ſcribendi ſtudium, 17. a Monachi opus, 634. a Monachus in extremis, 471. a 876. a Monachi ex Epiſcopis, 24. a 320. a 802. m Monachi Epiſcopi abſtinentia, 615. a Monachi in eccleſia cathedrali Cantuariæ, 674. n Vvintoniæ, 689. 694. 692. a Monachi dumtaxat ad ſedem Cantuarienſem aſſumpti, 286. m 290. m Monachi in cathedrali eccleſia Trajectina, 26. a m Monachi ac canonici viciſſim Epiſcopi Ratiſponenſes, 105. *& ſeqq.* Monachi Attitulati, 650. m n Monachis Sacramenta ſeu juramenta non exigenda, 731. m Monachis in Anglia relicta poteſtas hereditatis adeundæ, 653. a n Monachi ſcribendis libris addicti, 297. m Monachis regulæ tenacibus indigentia nulla, 98. a Monachus protervus veſte exuitur, & expellitur, 403. m
Monachorum recens initiatorum cuculla capite pendens & per aliquot dies clauſa donec ſolveretur, 832. a Monachorum virgæ, 14. m Monachorum virus *proprium* ſive peculium, 12. m Monachorum ſtatus domi, 391. m Monachorum conciliabula, 576. m Monachorum clauſtra non niſi monachis pateant, 22. m Monachorum quies poſt matutinos, 163. a Monachorum decimæ & novalia, 347. a *V.* Decimæ. Monachorum Floriacenſium Salus, 181. m n Monachorum lanea induſia ſæculo X. 414. a 424. m
Monaſterium regulare, 78. a 83. a Monaſterium eccleſia, 832. a Monaſterium ſchola, 349 m Monaſterii tribunal, an capitulum, 225. m Monaſterii tribunal, an capitulum, 225. m Monaſterii Archidiaconus, 529. a Monaſteriis factæ donationes, non Abbati ſoli, 751. a Monaſterio immunitas cur recuſata, 504. a Monaſterii viſitatio jubente Rege, 21.
Monaſtica profeſſio alter baptiſmus, 871. a Monaſtici habitus ſuſceptio, 323. m Monaſtica veſtis in epiſcopatu, 898. m 802. a *V.* Epiſcopi. Monaſticis veſtibus non niſi induto clauſtrum S. Galli ingredi licitum, 13. m 14. a Monaſticæ obſervationes inſignes, 128. 129. 508. *& ſeqq.* Monaſticæ virtutis ac pœnitentiæ exemplum inſigne, 385. Monaſtici officiales ad nutum Abbatis ſæpe mutati, 388. m
Mors pia, 348. m 349. m Mortuorum lota corpora antequam ſepulcro inferrentur, 349. m Mortui Epiſcopi corpus puræ terræ in ſepulcro impoſitum, 452. a
Mulieres in baſilicis monachorum non admiſſæ, 161. a n

N

Natali S. Joannis Baptiſtæ præſtigiæ, 97. m
Nonæ & primitiæ, 812. m
Nonni qui monachi, 317. m
Novalia novellata a monachis, 347. a 351. m

O

Obedientia mandatum, 176. m locus, 179. m Cella ſeu prioratus, 219. a 749. a 750. m 751. a 752. m officium, 161. m 832. a
Oblationes panis & vini communicantium, aut etiam ad altare accedentium, hoc eſt miſſas audientium, 51. m 346. a Oblatio facta a toto ſynodo, 425. m Oblatio puerorum cum hoſtiis in templo, ubi baptizati *erant*, 646. a
Officium ſæculo IX. abſens a choro monachus privatim recitare debet, 16. a Officia duo monachi defuncti, 17. m
Olei ſacri unctio qualis, 267. a m 769. a
Olympiadis nota adjecta annis Regis Lotharii, 746. m
Orationes in miſſa pro Defunctis dictæ pro vivo quaſi mortuus eſſet, 815. a
Orationes pro damnatis. 145. a 145. m
Ordines collati in Dominica Palmarum, 815. a
Ordo monaſticus, 35. m Omnis inſtitutio Patrum ſervanda cum Regula S. Benedicti, 34. a 755. a Ordo, obſervantia regularis, 190. m n 321. 411. m 413. Ordo, reformatio, 569. m
Organi deſcriptio, 617. m Organorum cuprei calami, 734. m

P

Pagani in eccleſia ſepulti loco moveantur, 678. a
Pallii Archiepiſcopalis uſus & dignitas, 643. m
Pannus traditionis teſſera, 429. m n
Papa Archiclavus totius monarchiæ eccleſiarum, 79. a Papæ auctoritas in dandis privilegiis, 192. a
Papales chartæ ſæculo X. ex papyreo tomo, 357. a Papa S. Petri vices agit, 358. a
Papyreæ chartæ Romanorum Pontificum ſæculo X. 357. a
Paraſceves die paſti corpore Chriſti fideles, ſepulto id eſt lapidi ſuperpoſito quod remanſerat, 426. a m Ejus diei abſtinentia, *ibid.*
Parochia, epiſcopatus, 803. a Parochia Eccleſiæ, 347. a
Paſcha Palmarum, dictum Indulgentiæ dies, 425. a
Paſtoralis ferula, 22. m
Patientia Recluſæ, 43. m Patientiæ exemplum inſigne, 389. m
Pauperes menſæ adhibiti, 6. m
Pedi paſtoralis pondus, 842. a
Peribolum ſacrum, 226. m
S. Petri urnæ cenſus e Gallia perſolutus, 7. m
Philoſophorum libri monacho qui legendi, 771. m
Placitum datum in caminata Salę domus Epiſcopi, 747.
Planeta in Miſſa, 694. m

Plu-

Digitized by Google

Pluvialis ſanctus, 337. m
Pœnitens conſtrictus circulis ferreis, 523. a n 808. a n Pœnitens ſcopis flagellatus, 435. m Pœnitentia ſeptennis Regi impoſita, 664. m. Pœnitentiæ ergo delatum ſaxum ingens, 464. m Pœnitentia publica, 64. m. Pœnitentiæ monaſticæ exemplum inſigne, 384. 385. Pœnitentes excluſi à limine eccleſiæ in die cinerum, 234. m
Ponderati infirmi ad ſepulchra ſanctorum, 464. a n
Prælatorum pericula, 42. m
Præpoſitus monachorum dictus prælatus, 146. m
Privilegia Romanorum Pontificum vindicata, 192. m
Privilegia Regum, teſtamentorum vice, a morte teſtatorum perſeverantiæ ſtatum & firmitatem contrahunt, 728. m Privilegia laminis aureis ſigillata, 603. a
Proprium ſeu peculium monachorum virus, 12. a
Pueri Deo conſecrati in monaſterio, 340. a m
Pyramis Eccleſiæ oraculum, 226. m

Q

QUadrageſimæ caput Sabbato, 609. m n Quadrageſimalis prima dies Lunæ ſæculo 10. 434. m

R

RAbidis morſibus attacti Stola ſancti impoſita curantur, 578. m
Recluſi eorumque inſtitutum, 43. a m Obedientia ſub Abbate, *ibid.* Recluſorum clauſulæ vel cellulæ, 49. a m n Recluſorum in monaſteriis inſtitutum antiquum, 37. a 37. Recluſæ feminæ prope monaſteria virorum, *ibid.* Recluſæ mira patientia, 45. m Recluniacenſes, 157. n
Regibus itinerantibus labarum a præviis Capellanis equo inſidentibus geſtatum, 15. m. Reges ſine benedictione Pontificali regnum capeſſentes, enſi ſine capulo comparati, 422. m
Regulæ virorum illuſtrium, 36. m Regulæ lectio quotidiana in Capitulo, 548. a Regula obſervationis ſanctæ monachorum, 32. m 34. a Regula S. Benedicti Abbatum exemplar, 770. m Regularis obſervantia ſingularis, 169. a 159. m Regularum vel Irregularium collegium, 505. a
Religioſus, monachus, 755. a
Reliquiæ in conventus publicos delatæ, 102. Reliquiæ vino baptizatæ, 335. m
Remiſſionis obſervantiæ mala, 411. m
Romæ cenſus perſolutus, 278. a
Romani Pontificis auctoritas vindicata, 192. a Romano more celebrata ad S. Gallum officia, 12. m

S

SAbbatum quare celebratum a Chriſtianis, 347. m
Sabbati jejunium, 635. m 63:.
Sabbato perſolutum jejunium, quando feria ſeu vigilia feſti ſollemnis in Dominicam incidebat, 7. a
Sabbato ſancto Balneum, 426. a Cereus ſanctificatus, *ibid.* plures Litaniæ, *ibid.* Communicati fideles, *ibid.*
Sacerdotalibus cum veſtimentis cucullo & interiore cilicio ſepultus Epiſcopus qui monaſticem induerat, 24. a 25. m
Sacrificium omnium coram Epiſcopo Miſſam celebrante, 452. a
Sacri honores virgini cæſæ Abbatis privata auctoritate delati in Eccleſia monaſterii, 58. a 178. m n
Sanctorum cultus ad Deum relatus, 466. m Sanctorum oſſa in translatione vino & balſamo abluta, 102. a
Schola in eccleſiis cathedralibus, 424. a Scholæ Remenſes, 323. Palatinæ, 327. Scholæ monaſteriorum, 50. a 348. m Schola clauſtri & canonica ſeu interior & exterior ad S. Gallum, 12. m
Scholaſtica ſeu ſtudium ſcholaſticæ ſæculo 10. 392. m
Scribendi ſtudium apud monachos, 17. a
Sacriſtia, 356. a
Sacriſta, 693. a
Sepelire in eccleſia paganorum corpora nefas, 582. m n
Sepulcrum ſancti percuſſum doloris & querimoniæ ergo, 522. a n
Servi addictio, ſeu traditio in ſervitutem, 317. a
Servitutis devotæ teſſera corrigia collo impoſita, 356. a
Sigilla nuſquam appoſita nec in uſu apud Anglos tempore Eadgari Regis figurarum facies, 728. a 728. a Sigillum S. Galli ubi ejus *Semifacies* impreſſa, 21. m Sigillata laminis aureis privilegia, 603. m
Signa, vocis loco adhibita, 159. m
Silentii exempla inſignia, 168. 168. Silentium in eccleſia apud monachos S. Galli, 16. a m 17. m Silentii nocturni religio, 16. a m 405. a 424. m 425. 556. a 824. a 676. a n 699. 828. a
Societas precum & ſuffragiorum, 343. a
Solidi Pontœfienſium, 538. m
Statuta regularia in fine Regulæ deſcripta, 509. m
Stolati Epiſcopi remiſſionem dant, 22. a Stola Ordinati collo alligata ab Epiſcopo non tollebatur, 162. a
Studia in monaſteriis, 356. m Studia litterarum Remis ad S. Remigium, 343. a
Subdiaconus Pontificis pedes lecta epiſtola deoſculatur, 681. a
Subſcriptio Regis ac reginæ & optimatum Epiſcopi teſtamento, 37. a m
Suffragiorum ſocietatis inter monachos leges, 248. m
Superliminaribus pectoris Epiſcopi depictæ ſanctorum imagines, 30. a
Supplicationes pro avertenda mala tempeſtate, 97. a
Symbola tria memoriter tenenda, 481. a
Synodale colloquium bis anno celebrandum, 425. a

T

TAbellæ ad uſus ſcriptionis, 553. a
Tapetium defuncti ſepulcro impoſitum, 457. a
Temporis terminus adhibitus in diſtractione rerum eccleſiaſticarum, 72. a m
Teſtamentum duplex, 7. m Teſtamentum Abbatis Franci Romano Papæ datum ut conſervetur, 71. a
Titulis monaſteriorum non paupertatis olim uſi monachi, 650. m n
Traditionis inſtrumenta cultellus, feſtuca nodata, Wanto, & Waſo terræ, 747. m liber Regulæ, ceſpes, 544. a 544. a 544. a

V & X

VAſa ſacra tempore famis comminuta, 604. m
Velamen capitis inſigne pudicitiæ, 216. m n
Velamen ſacrum ſumptum ante ſuſceptam peregrinationem, 551. a
Velum pro toribus eccleſiæ, 17. m
Venia, genuflexio, 424. m, a monachis petita poſt ſingulos lapſus, 856. m
Veſpera dies feſti incipiunt, 537. a n
Viaticum dominici corporis, 5. m Viaticum corpus Chriſti in Cœna Domini ſumptum, 422. a Viaticum corpus Chriſti in Cœna Domini populo diſtributum, 426. a n Viaticum moribundo properanter allatum, 17. a Viatici dandi ergo Miſſa celebrata, 172. m n Viaticum Dominici corporis mortuo reſurgenti datum, 246. a
Vigiliæ defunctorum ante Primam, 424. m
Vino abluta ſanctorum oſſa, 102. a Vino baptizatæ reliquiæ, 335. m

Virgæ

Digitized by Google

Virgæ monachorum in pyrali ſuſpenſæ, 14. m
Viſitatio monaſterii jubente Rege, 21.
Unctio infirmorum Viatico præmiſſa, 653. a n 713. a n
Volatilia juſſu regio ad S. Gallum comeſta, 14. a
Votum novendiale ſæculo 12. 574. a
Urnæ S. Petri Romæ cenſus perſolutus, 7. m
Xenium ſancto datum in obſequium amoris, 24[illegible].m

INDEX ONOMASTICUS SÆCULI V. BENEDICTINI.

ACeolum, an marſupium, 425. a n 426. a
Agalma, ovile, 266. a n
Alalagma, 787. a
Aldermannus, Princeps, 723. m & *ſeqq.*
Ambo, ſuggeſtus, 537. m
Amphibatum, ſuperhumerale, 46. a n
Anaglifarium opus, 224. a
Analogiæ, 458. a
Anaphus, ſcyphus, 204. a
Ancyba pyraſilum; arma cæleſtis ignis, 759. a 861. m 766. a
Androna, porticus ſpecies, 99. a n
Apocriſiarius S. R. E. 357. a
Apologia, excuſatio, 266. a occaſio, 224. m
Apophoreta, fercula reliquiarum, 102. m
Apoteleſmata Kalend. Januarii, &c. 97. a
Appendaria, locus ad gallinas nutriendas, 813. m
Archiclavus eccleſiarum, Papa, 79. a
Archidiaconus parochiæ monaſterii, 509. m
Archigenes, 705. a
Ariſto, lapis, 10. m
Artio ſellæ, 114. a
Aſcibola, ſecuris minor, 55. m n
Aſperellus, Accipiter, 274. m
Atturnatus, procurator, 504. n
Aube quid, 327.

B

BAnno conſtrictus excommunicatus, 495. m
Baro, nobilis, 434. m
Baſilica eccleſiæ, 96. m
Baucale, 733. a
Benedictio, munus, 373. a
Beneficiare, dare in beneficium, 11. m
Biblius, 469. a
Bibliotheca, id eſt Biblia, 36. a 370. a 371. a n *V.* Paulom Emeritenſem cap. 5. pag. 22.
Bidental, fulminis genus, 550. m
Bidullaneum lignum, 457. m
Birrus more cappæ, 166. m
Bithalaſſus bimaris, 790. m
Blava veſtimenta, cærulea, 176. a
Bojæ, 681. m
Bon-man Romaniſca lingua, 22. m
Buticum eccleſiæ, 561. a

C

CAballicare, equitare, 442. a
Calamantum, 754. a
Cambuta, baculus, 230. a
Caminata, focus, 747. a
Camiſale, induſium, 452. a item Camiſilis, induſium, 356. a
Canonica inſtitutio regularis ſeu monaſtica, 346. a
Canonica, collegium canonicorum, 151. m Canonica, præbenda, 813. a
Capella, ſupellex ſacra, 139. m 312. a
Capitales, homines cenſuales, 579. a n
Capitaticum, capitis cenſus, 355. a
Capitium eccleſiæ, 747. a
Carabum, 785. m
Carmula, ſeditio, 433. m n 454. m
Carraria, plauſtrum onuſtum, 389. m
Carruca, currus, 202. a
Caſamentum, beneficium, 280. a 282. m
Caſſatorum luſtra, 600. m 311, m
Caſubula, caſula, 207. m 208. a
Catalla domus, 499. a
Catallus ſeu Catallum, 731. m
Catus Francigena lingua, 692. m
Cautum, munitionis lapides, 574. m
Ceſſus, an cenſus, 75. a
Chirographum, diploma, 505. m 506. m
Ciborium, 107. m
Clauſtrellum, 226. a
Cluo, clareſco, 91. m 113. m
Comitatus, aula principis, 491. a n
Communia, 814. m
Computorium, faſtorum ſacrorum liber, 349. m
Cornix, gallina, 177. m
Crocia, pedum *paſtorale*, 206. a
Curialitas, humanitas, 497. a
Curtis regia, curia, 421. m n 425. a 452. m 826. m

D

DApſilitas, copia, 269. m
Debriari, impleri, 257. m
Decuſſare, decorare, 279. m 356. a 358. a
Dema, corpus, 619. m
Deſtina, ædicula eccleſiæ, 651. a n
Devotare, imprecari, 804. m
Devotiones opera pia, 497. m Alio ſenſu, *ibid.* n
Dies humanus, vanæ gloriæ tentatio, 396. a n
Diſtrictum, 24. m
Domnus, ſanctus, 155. a
Drudes, fideles ſeu conſiliarii, 455. a n

E

ELeemoſynaria, ſtipendiaria, 463. m n 465. a
Eleemoſynarii teſtamenti exſecutores, 748. a
Item mendicantes, 552. m
Eleemoſynarium, eleemoſyna publica ſeu generalis, 24. a
Encæniare, innovare, 636. a
Enzia, an laudes, 96. m
Epibata, inſtitor, 95. m
Ergaſterium, theca, 226. a
Eumorphus, formoſus, 204. m
Eutice flere, 858. a
Exactor ſacri palatii, 148. a n
Exteriores fratres, Converſi, 314. m

F

FAnonis triplex ſignificatio, 51. m n Fanones, vexilla, 425. m
Fores Regis, Curia, 472. a
Forfacta, facinora, 224. a
Freſcingæ, pernæ porcorum, 560. m
Froccus, panni ſubtilioris indumentum etiam feminis uſitatum, 462. a n

G

GArtio, ſervus, 509. a
Gimedia, Gemeticum, 19. m 20. a
Gleba eccleſiæ, 500. a
Gloſſes, ſcandulæ, 438. a
God, bonus, 624. m

Graicus

Digitized by Google

Grïicus color *Lazurius* dictus, 817. a
Guerra, bellum, 273. a
Gutta, Podagra, Gallis *la goutte*, 59. m n

H

HAKet, lucus magnus, 710. m
Hearpa, cithara, 649. n
Heiligovve, latine ſacer pagus, 13. a
Hida terræ, 140. & *ſeqq.*
Horripilatio, 287. m
Hoſtis, bellica expeditio, 228. a
Huba, villa ruſtica, 455. m n
Humerale, amictus Sacerdotis, 462. a n
Hydromellum, medo, 601. a

I

JApygus, 113. m
Imapum, vaſis genus, an banapum, 389. m n
Imbutamentum, peritia, 576. a
Imminutum, integrum, 652. m
Inantea, poſtmodum, 446. a
Indentura, charta indentata, 510. m n
Indulgentiæ dies, Cæna Domini, 336. a
Interpolantia, ceſſatio, 99. m
Juſtitia, menſura vini, 700. m n
Juvenior pro juniori, 15. a

L

LApillus, calculi morbus, 269. m
Latialiter, latino idiomate, 14. m
Levare antiphonam, incipere, 50. a
Libitina, ſancti loculus, 270. a 265. a
Limare, cernere, 305. m
Litaniæ, ſupplicatio, 337. a

M

MAcio, cæmentarius, Gallis *Maſſon*, 231. a
Majorinus, an judex, 534. m
Malagma, remedium, 271. a
Mancæ & coſtæ piſcatorum, 424. a
Mandra, turma, 603. a
Manerium regale, 499. a
Mara vel maræ, 724. a
Mardrinum coopertorium, 449. m
Mariſcum, palus, 559. m
Matutinale officium, Laudes, 391. a n
Matricularius, ædituus, 562. a Matricularii, clerici eccleſiæ addicti, 423. a n Matriculi, canonici, 427. a n
Medo, potus genus, 652. n
Memoria, tumulus aut ædicula ſacra, 337.
Menceps, mente captus, 262. a
Mentio, memoria ſeu ſepulchrum, 581. a n
Meremium, arboris ſeu ligni genus, 506. a 517. a
Militis nomen pro nobili ſæculo X. 741. m
Miſſa, ſollemnitas, 73. a
Miſſaticum, mandatum, 255. a 611. a
Mitta de braſio & de grut, 728. n
Momentanei loci, quid, 160. a
Monimen, diploma, 747. a
Mundeburdum, 9. a
Munerarium, prædium aut villa, 497. a
Muſatus Abbas, 15. a
Mutum, 167. *in Nota adde*, Apud Hieronymum in epiſtola 65. ad Pammachium & Oceanum contra Rufinum: *& mu ultra non faciam, juxta Ennium*, hoc eſt ne verbi quidem initium, quale muti edunt. *Mutum* ſeu *muttum* quidam codices habent. Et ita legendum puto in epiſtola ad Antonium monachum: *Decem jam, niſi fallor, epiſtolas plenas tam officii quam precum miſi, cum tu ne mutum quidem facere dignaris*, in editis *mutuum*.

N

NAtineus, Acolythus, 92. a n.
Nauſium, nauſea, 466. a

O

OBedientia, mandatum, 429. a
Obedientia, cella monachi ruralis, 316. a
Obſeps, obſeſſus, 563. a
Obſonium, procuratio Epiſcopo debita, 262. m
Officiuncula regularia, 96. m
Olchæ, 75. m
Optivus, optatus, 440. m
Orama ſomatis, detectio corporis, 218. m n
Oritorium quid, 207. m
Ornamen, ornatus, 56. m
Oroma, viſio, 254. a
Ortigometra, perdix, 181. m
Oſcilla, fulcra, 100. m n

P

PAlatinus Comes, 76. m Palatinus Conſul, 81 m
Palatium, conventus publicus, 513. a
Pallium pluviale, 163. m
Palmæ, paſcha floridum, 554. m n
Panis beatus, pro benedictus, 51. a
Panthema, 18. a
Pappas, nutricius, 822. a & *ſeqq.*
Pappas & Papas, diverſa, 849. m n 843. m
Paradiſus, atrium eccleſiæ, *le parvis*, 562. a
Paramonarius, manſionarius, 265. a n
Paratæ, 20. a
Paratura miſſatica, ornamenta ad Miſſam, 442. a n 450. a 450. m
Parochia eccleſiæ, 347. a
Paſnagium, tributi genus, 754. a
Paſtula, 261. m
Patella, putei ſalinarum, 394. m
Penna Doctoris, 154. a
Pertongar ſeu Ptongar, quid, 213. m n
Philochriſtus, Chriſti amator, 275. a
Phoronomus, 332. m
Phylacteria, 228. a 229. m
Pictaciolum, membrana vel liber, 218. m Pitaciolum, *chartulæ*, 474. a
Pigmentum, verbum Dei, 272. a
Pittacium aureis litteris conſcriptum, 62. a
Podium, fulcimentum, 555. m
Ponere in ſuperbiam, depoſito pignore certare cum Deo, 533. a n
Poteſtas, locus, 319. a 590. a
Præceſſor, præſul ſeu Epiſcopus, 584. m
Præcoquus, prudens, 420. a
Prælatus, præpoſitus, 146. m
Precaria & præſtaria, 401. a
Pridianus, ædituus, 536. m
Proaſtii jus, 558. m
Profeſſi, magiſterii gradibus ornati, 745. a 766. m
Propoſitor Rex dictus, 14. a
Pſiathium, ſtorea, 42. m n
Pulmentarium, ferculum ex piſcibus, 147. m
Pyrale, locus pro igne, 14. m
Pyramis, oraculum, 226.

Q

QUadra mundi, oblectamenta, 132. a
Quilibet, quidam, 560. 659. n

R

RAdbodus, conſilii nuntium, 27. m
Raſtæ, leucæ, 108. m
Raſtellum, 464. m
Recluſionis leges, 375. a n cellæ, 388. m
Recta veſtitura, 243. m
Regiæ, portæ eccleſiæ, 163. m
Reſponſales, nuntii, 357. a
Rocci, cappæ monachorum, 22. m
Roga, eleemoſyna, 273. m
Runcinellus, cur ſic dictus diabolus, 551. m

S

SAgiones, cuſtodes, 406. m
Sagmarius, equus ſarcinarius, 273. m
Sala domus, aula, 747. a
Saumarius, equus Sarcinarius, 462. m
Scabinus, ædilis, 558. m
Scena, porticus, 422. a 426. m
Scrinia Regum, theſaurus, 22. a

Scri-

Digitized by Google

Scriptorium, locus ſtudiis aptatus, 14. m
Sedes potentiæ, id eſt Abbatis, 22. m
Segode, Anglice bonus, 295. a
Semiſſecla, dimidium ſicli, 61. m
Sempecta, non ſenipeta, ſenior monaſterii, 509. m & ſeqq.
Senatores reipublicæ S. Galli, monachi principales, 14. a 14. m
Separalis ſitus, 500. m
Siceus, pro Xyſto, 117. a
Silicernus aut ſilicernius, ætate gravis, 140. a 153. m 230. a
Similarius, piſtor, 459. m
Signanus, anteſignanus, 156. a
Sphæra ſanctæ Crucis, 16. a
Spunlia, infirmitas in naribus, 529. a
Stoupus, ſcyphus, 18. m
Stroma, ſtratagema, 435. m
Stromeatrea actio, 857. a
Suatim, ſua ſponte, 601. a
Subduplum, 207. a
Suburbium, territorium, 746. m
Suffaciatum, involutum, 538. a
Suſpiria ſuſpiriæ, 737. m
Synaxis, 14. a

T

Tabulæ dictales, 498. m
Taphum, ſepulchrum, 438. a
Temporius, citius, 606. m
Tenura, 731. m
Teſtamentorum princeps, chartarum regiarum cuſtos, 656. m
Teſtamenta, diplomata, 585. m 586. a
Theriſtrum, veſtis æſtiva, 46. a n
Theſaurus, monile, 586. m n
Tribunal, capitulum monachorum, 225. m
Trigeris, an triremis, 559. a
Troelhende de Troihende, 733. m
Truta, piſcis genus, 53. n
Tunica agilis, 166. m
Tuomum, vulgo *le Dome*, in eccleſia, 426. m n

V

Vadiatores, Teſtamenti exſecutores, 748. a
Varicus morbus, 337. m
Velium, vetus, 84. m
Venia, genuflexio, 424. m
Venialiter, humiliter, 795. a
Verbiſator, 422. m
Verſus, gratiarum actio poſt menſam, 192. m n
Veſperago, 97. a
Veſticeps, pubes, 92. a n
Viaticum, communio etiam ſanorum, 423. m 426. a n 437. a
Villoſum, toga villoſa, 208. a
Virginal, velum, 269. m
Virtus, ſacræ reliquiæ, 415. m
Vrivolſa, Slavonice alnus quæ ſtat in fructetis, 110. m
Vverpire querelam, 759. m
Vvaſo, terræ cæſpes, 747. m
Vverra, bellum, 559. m
Vvanto, chirotheca, 747. m
Vviborat, conſilium mulierum, 44. m n
Vvoyetech, conſolatio exercitus, 821. m 823. a n 842.

Z

Zabernæ, an tabernæ, 484. a
Zoa, anima, 443. m n

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google